XII
E
24

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
E
24
NAPOLI


NOVA LVX
COMMENTARIORVM
In Edictum S. Inquiſitionis
ADM. R. P. IGNATII LVPI
Sacri Ordinis Reformatorum S. Franciſci
PARS PRIMA
Ios. Iacobus Barbellus In.
Iacobus Cotta ſculp.
BERGOMI, Sumptibus Marci Antonij Rubei 1648



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

NOVA LVX IN EDICTVM S. INQVISITIONIS

AD PRAXIM SACRAMENTI POENITENTIAE

pro cuiuſcunque ſtatu, ac conditione;

Omnes, & ſingulos tractatus ad Sanctum Inquiſitionis Officium implicitè, explicitèq; ſpectantes irradians:

QVA OMNES CHRISTI FIDELES ILLVMINANTVR, præcipuè Theologi, Summiſtæ, Philoſophi, Aſtrologi, Confeſſores, Exorciſtæ, Concionatores, &c. Paſtores.

Ad intelligendum potiſſimùm materiam Denunciationum Sancti Officij, Correptionum, ipſius Cenſurarum, temporis gratiæ, Hæreſum, illarum Suſpicionum, omnium Superſtitionum, Blaſphemiarum hæreticalium, Offenſionum in Miniſtros S. Off. librorum prohibitorum; Errorum Ariſtotelis, ſuorumq; Commentatorum, controuerſiarum inter Catholicos, & hæreticos noſtri temporis;

Itidèm ad conſulendum ſtatui Reorum in carcere, extrà, & in morte; denique ad cognoſcendam venerationem debitam S. O. eiuſq; Miniſtris.

AVCTORE ADM. R. P. F. IGNATIO LVPO DE BERGOMO Vtriusq; Theologiæ Lectore Generali, ac Iubilato Sacri Ordinis Reformatorum Sancti Franciſci.



BERGOMI, Typis Marci Antonij Rubei. cIↄ Iↄc ijl.
SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

NOVA LVX IN EDICTVM S. INQVISITIONIS

AD PRAXIM SACRAMENTI POENITENTIAE
pro cuiuscunque ſtatu, ac conditione:

Omnes, & ſingulos tractatus ad Sanctum Inquiſitionis O[illegible] [illegible], ex[illegible] ſpecificè irradiant:

QVA OMNES CHRISTI FIDELES ILLVMINANTVR,
præcipuè Theologi, Summiſtæ, Philoſophi, Aſtrologi, Confeſſores,
Exorciſtæ, Concionatores, & P[illegible].

Ad intelligendum [illegible] Sancti Officij [illegible], [illegible] Hæreſum [illegible] [illegible] [illegible] Commentariorum, [illegible] Catholicos, & Hæreticos noſtri temporis:

Ibidem ad confitendum ſtatui Reorum in carcere, extra, & in morte; denique ad cognoſcendam venerationem debitam S.O. eiuſq; Miniſtris.

AVCTORE ADM. R. P. F. IGNATIO LVPO DE BERGOMO
Vtriuſq; Theologiæ Lectore Generali, ac Iubilato Sacri Ordinis
Reformatorum Sancti Franciſci.



BERGOMI. Typis Marci Antonij Rubei. clↄ Iↄc lil.
SVPERIORVM PERMISSV.

Tibi Martyrum Indici, Tibi Martyrum Soli
Sub Dominici Canis Sydere coruſcanti

PETRE MARTYR

Quam à te mutuaui rependo LVCEM.
Quod tuum eſt ne dedigneris.
Tibi Indicam ſiſto PETRAM
Tuo obſignatam Indice,
Qua ſtant Fidei Catholicæ dogmata,
Qua colliſa iacent venenata Hæreſum iacula:
Tui Triumphi ſemper glorioſa Inſignia.
Patere illorum te eſſe Protectorem beneficum,
Quibus te præbuiſti propagatorē, & propugnatorē inuictū.
Te decebat Herculem non fictum
Veram Hydram detruncare
Dominici Face armatum;
Cui tantum addidiſti ſplendoris.
Solius dexteræ Solis erat ſiniſtros Pythones proſternere.
Ecquid mirum, ſi in tua iam fide fidem recepit FIDES?
Quidni modò, quæ tuæ cōmendo fidei, fidem nō inuenient?
Cum ad FIDEM & ipſa ſpectent.
Nil tibi carius me fore credo, quàm de FIDE loqui,
quam credidiſti.
Hæc vulnerata ſe fortiorem in tuis vulneribus prædicat;
Hæc in tuo occaſu ſe gloriatur erectam
Hæc in tuo ſanguine ſe dealbatam geſtit purpurā induiſſe,
Quo quippe illam hæreſibus deterſiſti:
Vſq; adeò verum eſt non alia purpura regnare FIDEM,
quam ſanguinis

Miſcenda erant ſanguineis charitatis roſis
Puræ Fidei Candida Lilia.
In tui Martyrij Palma
Suam vidit conſurgere Palmam depreſſa FIDES;
Et noua PETRA illam ſolidari voluit Deus,
Quam altera antiqua PETRA fundari iuſsit.
Quomodo eſſe non poterit tuta FIDES
Duplici adamantinæ PETRAE innixa?
Cui inciſas Agni ſanguine lego literas
CREDO IN DEVM.
Ad huiuſce PETRAE aram procumbens
Me æternùm deuoueo,
Et hac mutuata LVCE,
Votiua vtique teſſera
Mea clareſcat obſcura deuotio.

Fr. IGNATIVS LVPVS de BERGOMO
Seraphici Ordinis Refor. S. Franciſci.

NO-

NOVA LVX è Seraphico oritur Cœlo.
Non fallitur oculus, etſi non perſtringitur,
Cum illum arcuet admiratio:
Adeò literatum Orbem indè clarere videt.
Hæc Sydere IGNITO nata
Magnum quidpiam, mirum quidpiam
Attendas vult.
Semper quid magnum portendit Cometes Ignifer æquè, ac Signifer,
Nec ſine miraculo noua ſplendeſcunt Aſtra:
Quidni magnum,
Si tenebricoſa à mentibus euaneſcunt Regna,
Si errorum capita labaſcunt?
Quidni mirum,
Si LVPVM cum IGNE fœderatum ſpectas,
Si ouem totus quantus eſt mirè repræſentat LVPVS?
Ne dictum improbes: Factis comprobat
IGNATIVS LVPVS.
Is, quò Strictiorem Obſeruantiam perfectiùs profitetur,
Eò ipſam magnificentiùs vndequaq; amplificat.
Tu, ſi potes, IGNEM modo à LVPO diſiunge;
Quem corde aſſeruari vel ipſi pannoſi cineres euincunt?
Tu ne ouem in LVPO auſis inficiari,
In quo humilitas ſuam celſitatem collocaſſe affirmat?
Ne lucem mirare, quando totus IGNIS eſt,
Cui lucere Cœlum indidit.
Hac luce haud errabis, qui à luce aberrare fugis.
Facem geſtat in nomine, facem nutrit in animo,
Qui errare poſſis?
In tanta luminum copia, quæ non diſijciantur nubes?
Non poteſt non penetrare, non alta petere
IGNITA Doctrina.
Et verè IGNITA
Quam, quo hauris altiùs, ardentiùs ſitias.
Profuit obſcurum eſſe argumentum,
Quod IGNATII Lucè clareſceret.
Eſt IGNI fatale hæreſes exſcindere,
Et LVPO adnatum veneficia diſrumpere.
At plura quid ineptus garriam? Vbi vna perorat STELLA,
Et hæc eſt Phoſphorus, nuncia nimirum Solis.

Sic Nouam contemplabatur Lucem
P. Octauius Vnus Berg.

APPROBATIONES.

SCriſſi alla P. V. che rappreſentaſſe al P. Cuſtode di coteſta noſtra Riforma li deſiderij, che tiene nel particolar della ſtampa, e tanto anco le replico adeſſo, contentandomi, ch'egli eſequiſca quel tutto, che le parerà più conforme al giuſto, alle Conſtitutioni Apoſtoliche, e noſtre, perche ſia data alla ſtampa l'Opra della P. V. alla qual intanto, ed alle cui ſante orationi mi raccommando di cuore, e la gratia del Signore ſia ſeco. Roma 9. Giugno 1634.

F. Gio. Battiſta Campagna Miniſtro Generale.

A tergo. Al P. F. Ignatio da Bergamo Lettore Predicatore de' Min. Oſſer. Riformati.

CVm Partem iſtam Commentariorum circa Caſus S. Officio attinentes à P. Ignatio Lupo noſtræ Reformæ à pluribus annis Theologiæ tùm ſpeculatiuæ, tùm practicæ Lectore compoſitam; duo eiuſdem Reformæ Theologi, quibus id per nos; ac alios Superiores pro tempore exiſtentes, id commiſſum fuit, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt Typis mandetur, ſi ità Superioribus, quibus de iure, placuerit. In quorum fidem has noſtras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Bergomi ſecundo Kal. Martij Anni ſexcenteſimi trigeſimi tertij ſupra milleſimum.

F. Ioannes à Draria Reformæ Brixienſis Cuſtos.

EX commiſſione A. R. P. Iucundi à Serinalta Miniſtri Prouincialis Reformatæ Prouinciæ Brixiæ Ordinis Minorum Riformatorum, legi, ac diligentia, qua potui perluſtraui librum, cuius inſcriptio eſt: Commentaria in Edictum S. Inquiſitionis à R. P. Ignatio Lupo de Bergomo Theologo, eiuſdemq; Prouinciæ Patre, ac Diffinitore elaboratum; in quo omnia reperi Orthodoxæ Fidei, ac bonis moribus maximè conſona, necnon Chriſti fidelibus vtilia; adeoq; exiſtimo huiuſmodi opus dignum, quod quamprimùm euulgetur, ac in lucem mittatur. Alzani die 12. Martij 1645.

Ego Fr. Ioannes à Curtenoua Vic. Prouincialis, & Sac. Theol. Profeſſor.

COmmentaria in Edictũ S. Inquiſit. in quatuor partes diuiſas ab A. R. P. Ignatio Lupo Ord. Minor. Strict. Obſer. Prouinciæ Refor. Brixiæ Lectore Generali, Diffinitore, ac Patre elaborata de mandato meorum Superiorũ perlegi ego infraſcriptus F. Petrus Maria ab Alzano eiuſdem Inſtituti, ac Prouinciæ Sac. Theologiæ Lector Generalis, in quibus, cum nihil contra Fidem Orthodoxam, Conciliorũ decreta, ac bonos mores repererim; quinimmò doctrinam ſanam, & Confeſſarijs maximè neceſſariam, typis mandari poſſunt. In quorum fidem &c. Datum Bergomi in Conuentu S. Mariæ Gratiarum die 17. Februarij 1645.

Fr. Petrus Maria ab Alzano, qui ſupra manu propria.

HOc opus inſcriptum, Commentaria in S. Inquiſitionis Edictum à R. P. Ignatio à Bergomo Lectore Iubilato, ſuæ Prouinciæ Patre, Diffinitoreq; actuali compoſitum, & à Patribus Theologis noſtris, quibus id commiſimus approbatum, vt typis mandetur, quo ad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmauimus. Bergomi die 15. Febr. 1645.

Locus ✠ Sigilli. Fr. Iucundus à Serina Miniſter Prouincialis.

COmmentaria A. R. P. Ignatij Lupi in Edictum S. Inquiſitionis de mandato Perill. & Reuerendiſs. Patris Inquiſitoris Bergomi oculo vindici perluſtraui: nec quicquam in eis offendi, quod offendat; omnia conſona rectæ fidei, nihil diſſonum bonis moribus, cuncta cunctis vtilia, ſed præcipuè Confeſſarijs, vt labentes erigant, errantes dirigant, peccantes corrigant; Vndè tutè imprimi, ac legi poſſe cenſeo.

Ego Antonius Guerinus S. T. ac I. V. D.

Imprimatur iuxtà correctionem Sacræ Congregationis Romæ.
Fr. Io. Baptiſta Raymundus Inquiſitor Generalis Bergomi.

COmmentaria A. R. P. F. Ignatij Lupi in Edictum S. Inquiſitionis huius Ciuitatis à me lecta, & examinata ex mandato Perill. ac Reuerendiſs. D. Io. Baptiſtæ Medolaci Canonici, ac Vicarij Generalis Illuſtriſs., ac Reuerendiſs. D. Epiſcopi nihil continere reperi, quod religioni, vel bonis moribus aduerſetur. In cuius fidem me propria manu ſubſcripſi hac die 5. Aprilis 1645. Bergomi.

D. Ioannes Calepius Clericus Regularis S. T. D.

Imprimatur. Io. Baptiſta Medolacus Canon. Vic. Generalis.

NOi Reformatori dello Studio di Padoua. Hauendo veduto per fede del M. R. P. Inquiſitor di Bergamo, che nelli libri intitolati Commentaria R. P. Ignatij Lupi in Edictum S. Inquiſitionis, non ſi troua coſa alcuna contra la Santa Fede Catholica, & parimente per atteſtato del Segretario noſtro, che non vi ſi troua coſa alcuna contro Prencipi, & buoni coſtumi; concediamo licenza, che ſia ſtampato, douendoſi oſſeruare quanto per legge in propoſito di ſtampa, con conditione, che non ſia venduto ſe auanti non ſia portato vno legato alla Libraria Publica, giuſta la deliberatione dell'Eccellētiſs. Senato de 2. Decembre 1624. In quorum fidem &c. Data à 4. di Maggio 1645.

(Pietro Sagredo Procurator Reformator.
Zuane Grimani Caualier Reformator.

Aluiſe Querini Secretario.

AD LECTOREM.

NOnnulla ſunt tibi maximè prænotanda, vt cum fructu Commentaria hæc aggrediaris. Primum, vt caſus Edicti Sanctæ Inquiſitionis circa denunciationem tibi non videantur confuſi, aut indeterminati: nam, ſi accuratè attendas Edicti ſeriem; illicò intelliges illos diſtinctè poſitos, ad numerũq; determinatum reuocatos, prout infrà videbitur cum *Auctore Arſenalis S. Inquiſitionis par. 1. tit. Contra quos procedit S. O. Lazario Canon. Quæſtionum de Blaſphemia, quæſt. 12. num. 24. Praxi Archiepiſc. Neapol. cap. 18. num. 1. & alij.*

Idem conſtat, ſi attendas in Edicto exarata, alia reſpicere Denunciationem: alia Denunciaturum: alia Denunciandum. Alia abſolutionem: alia abſoluentem: alia deniquè abſoluendum: hisq; partibus perficitur Edictum; meaq; lucubratione omnes ad proprias reducuntur ſedes, ſingulas ſingulis propriè referendo iuxtà *l. Eam quam, C. de Fideicommiſſis.*

Secundum, licèt generalitèr ſpecies, quæ implicitè ſub genere comprehenduntur, retento præcisè nomine generis ſint debiliores his, quæ explicitè exprimuntur in lege, *l. Imperium, ff. de Iuriſdict. omnium Iudicum*, iuxtà illud: *Quod ſpecialitèr declaratur, validius operatur*: attamen regula hæc non procedit in propoſito Edicti; vbi non minus veniunt denunciandi caſus in genere tantùm poſiti illis ſpecificè expreſſi; patet ibi: *Dichiarando, che per l'eſpreſſione de Caſi da Noi ſpecificati non eſcludemo gli altri ſpettanti al Sant'Officio, che per altro ne' Sacri Canoni, Decreti, Conſtitutioni, e Bolle Pontificie ſono compreſi.*

Tertium, de dictis caſibus diſſeram non abſolutè, ſcilicèt generalitèr quatenus reſpiciunt vtrumq; forum, vz. Iudiciale, & Sacramentale; ſed ſolummodò prout reſpiciunt forum Sacramenti Pœnitentiæ, vt tàm Confeſſarius, quàm pœnitens plenè ſatisfaciat muneri ſuo; ille admonendo pœnitentem, quando opus fuerit, & circa abſolutionem ſe habendo, vt oportet, & iſte exequendo, quod ſibi per Edictum præcipitur: cum de his quatenus reſpiciunt forum fori, iam per *Eymericum, Pegnam, Simancam, Vmbertum Locatum, Albertinum de Hæreſibus, Zanchinum de Hæreticis, Alphonſum de Caſtro de Iuſta Hæreticorum punitione, Paramum de Origine S. Inquiſitionis, Farinacium, & alios inſignes Doctores exactiſſimè pertractatum fuerit.*

Quartum, ad horum tractatum ſub dicta formalitate potiſſimùm moueor;

quia

quia hactenus nemo , quem nouerim ipſe ; ex profeſsò de ipſis pertractauit; licèt multi multa incidentèr tradiderint ; quare mihi non parùm ignoſcendum erit ; ſi in his non minus, ac in alijs Commentarijs deficiens inueniar.

Quintum , Modus tractandi erit poſitiuus : modus enim agendi materiæ , de qua agitur, conueniens eſſe debet; vndè in primo Ethicorum dicitur : *Sermones inquirendi ſunt ſecundum materiam* : materia autèm caſuum conſcientiæ, vt plurimùm poſitiuè tractatur; nam ſermo conueniens eſſe debet fini, ad quem ſcientia ordinatur ; ordinatur verò hæc ad inſtruendum ; quare poſitiua erit locutio.

Nec iſta quempiam offendere debet , tùm quia ſicut in nummo ſculpturæ elegantia non ſpectatur, ſed pondus, ac materia ; ità non refert, quàm ſit elegans oratio, ſed quàm grauis, breuis, & vtilis : vtendum eſt enim ſermone , vt pecunia, cui publica forma eſt , ſi enim peregrinam , & ignotam afferas , reſpuetur : tùm quia veritas non verborum nitorem , ſed perſpicuitatem deſiderat ; Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi oſtium non aperiat ? & quid nocet lignea, ſi aperiat ? tùm quia non ſupereſt otium ad ineptias , ait enim Seneca : *Ingens negotium nobis in manibus eſt , mors ſequitur , vita fugit :* tùm prætereà, quia ò Bergomum, ſi filio tuo Minori (ſignantèr ad te conuerſo) fari concedatur ; dicet abſq; vlla ſuſpicione aucupandæ gratiæ; in tuis Gymnaſijs , ac extrà Muſeum minimè deſiderari ; quinimmò noſtris temporibus (vt ab antiquis recedamus) præter tuos Neotericos ſcriptores , quorum emicans eruditio, ac inſignis pietas etiam lippis , & tonſoribus nota eſt ; ſub oculis tibi obijciuntur viginti octo alij filij, qui Mineruą comite ſuis ſcriptis artem impreſſoriam condecorarunt ; vt videre eſt apud Muſæum Epiſtolarum Nuncupatoriarum in gratiam ſtudioſorum in lucem editum , horum nomina ſub ſilentio contego ; ne inuidia alicui noceat.

Sextum, Hæc Commentaria ſanè non pro Inquiſitorum, qui ſuo muneri non niſi ſumma doctrina, pietate, ac prudentia præditi ſubijciuntur ; ſed pro Confeſſariorum minus peritorum , & pœnitentium rudium inſtitutione. Itèm non pro volentibus litigare, ſed pro cupientibus conſulere propriæ conſcientiæ.

Septimum, (prout patitur mei ingenioli tenuitas) diſſoluuntur hìc diabolicæ adinuentiones, deſtruitur Dæmonum cultus, eradicatur ſacrilegiorum impietas, & deniqùe improbatur ferè quicquid ſuperſtitionibus , maleficijs, aut hæreſibus hucuſque fraude inimici , ac malitia hominum irrepit.

Octauum, Deſcendimus in horum traditione , vt plurimùm ad caſus ſpeciales hac potiſſimùm ratione ; quia intellectus perficitur non tantùm ex cognitione ſpecierum ; ſed etiam ſingularium ; vti docent *Vaſquez pri. par. diſp.* 5. *num.* 57. *Suarez prima parte lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 12. benè aduertentes potiùs perfici intellectum ex cognitione ſingularium, quàm rerum in communi ; cum (experientia teſte) quantumcumq; aliquis rem in communi cognoſcat ; quietus tamèn nequaquam exiſtit, vſque dum rem in ſingulari nanciſcatur.

Nec obſtat *D. Thom. pri. par. quæſt.* 12. *art.* 8. *ad* 4. docere ſingularia non pertinere ad perfectionem intellectus ; ſed tantùm ſpecies, rerum genera, ratio-

nesq;

nesq; eorum ; nam, vt notat *Sanchez in Selectis, diſp. 3. num. 6.* id intelligit de cognitione ſcientifica, cum ſcientia ſit vniuerſalium, non autèm ſingularium; at prudentialis cognitio, qualis eſt iſta, magis perficitur ex ſingularium cognitione, cum prudentia verſetur circa facta ſingularia; & in hoc ſenſu dicit ipſe Doctor *Pri. par. quæſt. 14. art. 11.* ad perfectionem noſtram requiri ſingulariũ cognitionem; quinimmò (*teſte Peſant. pri. par. quæſt. 14. art. 11.*) ad ea datur naturale deſiderium ſciendi.

Nonum, Commentaria hæc (genericè loquendo) reſpiciunt potiſſimùm hęreſim, eiusq; ſuſpicionem; ſed tamen potius ſuſpicionem, quàm hęreſim: nam, cùm ſex exiſtant Caſus Sanctæ Inquiſitionis, quinque attingunt ſuſpicionem; & vnus tantummodò hæreſim; Vndè iure inſcribi potuiſſent de ſuſpicione hęreſis denominando ipſa à communiori: renui tamèn, potiùs volens inſcribi nomine L V C I S, vt potè nomen vniuerſalius, ac æquè irradians ſuper tractatum hæreſis, ac ſuper cæteros de eius ſuſpicione differentes: eſt nanque L V X velut genus deſcendens in omnes ſpecies, ad quarum cognitionem neceſſariò præcedere debet eius notitia, *l. 1. Si certum petatur, §. His igitur, ff. de Iure Fiſci, & Iure.*

Decimum, Non afficieris admiratione, ſi interdùm eadem paucis additis, aut demptis repetita reperies; hoc enim obuenit propemodùm neceſſariò. Primò, quia genericè dictum deſcendit ad probationem eorum, quæ tractantur in ſpecie. Secundò, ratione connexione materiarum: ex. gr. dicta de Edicto in generali, cum maximam habeant affinitatem cum tractatu de Denunciatione; & ſanè maxima cum vtilitate lectoris replicantur in tractatu de ipſa. Tertiò, quia tractatus horum Commentariorum ſunt velut correlatiua, quorum vnum ſine altero non ſatis clarè explicatur. Quartò, quia res præcisè tractata in genere nõ ſatis illuminat lectorem: patet ex *l. Ita fidei, ff. de Iure Fiſci*, quòd ſecus eſt, ſi quoque pertractetur in ſpecie, conſtat ex *l. 2. C. de Seruo pignori dato manumiſſo.*

Vndecimum, Nomine Confeſſarij ſimplicis, de quo ſępius in his Commentarijs intelligitur non ille, qui collatiuè alijs minus eſt doctus; ſed ille, qui caſuum reſeruatorum caret poteſtate. Verùm licèt interdùm contingere poſſit minus peritos potiùs quàm doctos facultate abſoluendi à grauioribus criminibus potiri: tamèn ipſis doctiorem conſulere expedit: iuxtà illud: *Grauiores infirmitates peritioribus medicis committendæ ſunt:* nam, ſi cæcus cæcum ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.

Duodecimum, Licèt in his Commentarijs aliquoties dicam: ſimplicem Cõfeſſarium abſolutè poſſe in Sacramento Pœnitentiæ abſoluere ab hæreſi purè interna: & à pręcisè externa: tamèn ipſe prudentèr attendat; quòd multa poſſumus, quæ non ſemper expediunt practicari; tùm quia iuxtà illud Diui Pauli: *Multa licent, quæ non expediunt:* tùm quia melius eſt pauca cautè agere, quàm multis intereſſe periculosè: tùm quia ſatius eſt intacta iura ſeruare, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere: tùm etiam quia modus ità exceditur in eo, quod eſt amplius, ſicut in eo, quod eſt minus, *Cap. Cuſtos, de Officio Cuſtodis.* Quare pedetentim procedat, ſemper excogitando in actu practico quid

potius

potius expediat, *l. Non omne, ff. de Reg. iur. l. 1. ff. de aqua quotidiana, & æstiua.*

In ſpecie, ſi excipiat confeſſionem alicuius, qui non ſemel, ſed iterum, & tertiò redijt ad idem graue peccatum: præter alia illi obijciat, quòd non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt; *Cap. Cum multi in fin. 11. quæſt. 1.* Itèm; quòd eis non ſuffragabitur illud vulgatum, .s. *Solatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum*; quia ſocietas illa horrorem ingeret.

Decimumtertium, Denique, ſi in his Commentarijs aliquod diſſonum: aut non benè cohęrens cum antecedentibus, aut ſubſequentibus reperias; recurre ad errata in calce: nam in nullo errare diuinum eſt, non humanum: percurre quoque ſemel, iterùm, ac tertiò totam quæſtionem antequàm iudices; nam in ciuile eſt tota lege, in propoſito tota quæſtione, ſeu difficultate non perſpecta iudicare, *l. 24. ff. de Legibus.* Cæterùm, ſi quid boni reperies (quod faxit Deus) totum omne ſoli Deo gratiarum fonti indeficienti; auxilio Beatiſſimæ Deiparæ; primo Protectori Opuſculi huius S. Petro Martyri, ac etiam Adm. RR. DD. meis D. Antonio Guerino Sacræ Theologiæ, & Legum Doctore, ac illuſtriſſimo Pri D. Ioanni ex Comitibus Vallis Calepiæ, C. R. Theatino; qui mecum laborauerũt, ac pluribus in locis prudentia, conſilio, eruditione, &c. mihi pręſto fuerunt tenebras meas effugando.

His paruis vtere: nam *Vgo in Didaſcal. lib. 6.*, ſic prologuitur: *paruis imbutus tentabis grandia tutus*: & *Doctor Egregius Auguſt. ad D. Hieron.* eſt in hæc verba: *quòd tu non noſti, fortaſſe nouit Aſellus.*

Demùm, ſi diù te expectare feci, me excuſatum habe; nunc dulcior erit fructus poſt multa pericula ductus, *l. Non moriturus, C. de contrahenda, & committ. ſtipulat.* volui nanque gubernari ſenum conſilio: nam plus valet illorum vmbra (regularitèr loquendo) quàm gladius, ſiue eloquentia iuuenum. *Bal. c. 1. extra de Renunciationibus*: cùm enim corpus areſcit, anima floreſcit.

EDIT-

EDITTO GENERALE

Per il Sant'Officio dell'Inquiſitione.

Noi N. N. per gratia di Dio, e della Santa Sede Apoſtolica Veſcouo di N. &c. Fr. N. N. dell'Ordine &c. Inquiſitor Generale contro l'heretica prauità nella Città, & Dioceſe di N. & dalla Santa Sede Apoſtolica ſpecialmente deputato.

DEſiderando, come ricerca il carico di queſto Sant'Officio à Noi impoſto, che la Sacroſanta Fede Cattolica, ſenza la quale è impoſſibile piacere à Dio, in queſta noſtra Giuriſdittione da ogni hereticale contagio immaculata, & pura ſi conſerui con autorità Apoſtolica à Noi conceſſa in virtù di Santa Obedienza, & ſotto pena di Scommunica; oltre le altre pene de Sacri Canoni, Decreti, Conſtitutioni, & Bolle de Sommi Pontefici impoſte: Commandiamo à tutte, & ciaſcuna perſona di Noſtra Giuriſdittione di qualunque conditione, ſtato, grado, ò dignità, così Eccleſiaſtica, come mondana, ſia quanto ſi voglia grande, che debbano al Sant'Officio di queſta Città riuelare quanto prima giuridicamente tutti, & ciaſcuno di quelli, de quali ſappiano, ò habbiano hauuto, ò haueranno notitia.

Che ſiano Heretici, ò ſoſpetti, ò diffamati d'Hereſia, ò credenti, ò fautori, ò ricettatori, ò defenſori loro, ò habbiano adherito, ò adheriſcono a' riti de' Giudei, ò Mahomettani, ò de i Saraceni, ò de' Gentili, ò habbiano apoſtatato dalla Santa Fede Chriſtiana, ò in qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio, ò gl'habbiano preſtato, ò preſtino honore, ò habbiano hauuto parte, ò ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi ſia eſperimento di magia, ò negromantia, incanteſimi, ò altre ſimili ſuperſtitioſe attioni; & maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Che con ſacrilego ardire, non eſſendo Sacerdoti, s'habbino vſurpato, ò ſi vſurpino di celebrare Meſſa, ò habbiano preſunto, ò preſumino di miniſtrare il Sacramento della Penitenza à i fedeli di Chriſto.

Che habbiano abuſato, ò abuſino il Sacramento della Penitenza contro i Decreti, & Conſtitutioni Apoſtoliche.

Che habbiano celebrato, ò celebrino occulte conuenticole in materia di Religione.

Che contro DIO, ò de' ſuoi SANTI, & particolarmente contro della Beatiſſima Vergine MARIA proferiſcono beſtemmie hereticali.

Che habbiano impedito, ò impediſcano l'Officio della Santa Inquiſitione, ò habbiano offeſo, ouero offendino alcun teſtimonio, ò denuntiatore, ò miniſtro di eſſa.

Che habbiano hauuto, ò habbiano libri, ò ſcritti, che contenghino hereſie, ò libri di heretici, che trattino di Religione, ſenza auttorità della Santa Sede Apoſtolica, ò che gl'habbino letti, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti ſtampare, ò diffeſi, ò li leggano, tengano, ſtampino, ò fanno ſtampare, ò difendano, ſotto qual ſi voglia preteſto, ò colore, ouero libri di negromantia, magia, ò continenti incantationi,

 ſorti-

ſortilegij, & ſimili ſuperſtitioni, maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Dichiarando, che per la ſopradetta eſpreſſione di caſi da Noi ſpecificati da riuelarſi, come ſopra, non eſcludemo gli altri caſi ſpettanti al Sant'Officio, che per altro ne i Sacri Canoni, Decreti, Conſtitutioni, & Bolle de' Sommi Pontefici ſono compreſi.

Auuertendo, che à queſti noſtri precetti non ſodisfaranno, nè s'intendano ſodisfare quelli, che con bolettini, ò lettere, ſenza nome, & cognome delli Auttori, ò in altra maniera incerti, delle quali niuno conto ſi tiene nel Sant'Officio, pretendeſſero reuelare i delinquenti.

Et della detta Scommunica, & pene, nelle quali i diſubidienti incorreranno, non potrà alcuno eſſer aſſoluto, ſe non da Noi, ò dal ſupremo Tribunale del Sant'Officio di Roma, nè ſarà aſſoluto, ſe prima giuridicamente, reuelando i detti heretici, & come di ſopra ſoſpetti di hereſia, non hauerà ſodisfatto.

TEMPO DI GRATIA.

PErche non deſideriamo la confuſione d'alcuno, mà sì bene l'emendatione; Per tanto con paterno affetto inuitiamo per gratia ſingolare ogni heretico, ò ſoſpetto d'hereſia, come di ſopra frà il termine de giorni trenta dopò la notitia di queſto noſtro Editto, ad vna ſpontanea comparitione, & volontaria manifeſtatione de' ſuoi errori, che confeſſandoli intieramente, e notificando i complici, gli promettiamo, che riportaranno sì copioſa, & abbondante miſericordia da queſto pio, & ſanto Tribunale, che goderanno d'hauer preſtato orecchie à sì gratioſo, è pietoſo inuito; come all'incontro rifiutando tal fauore, & indulto, ſi procederà contro di loro conforme alla Giuſtitia. Et in fede, &c.

Dato nel Sant'Officio di N. li &c.

N. N. Veſcouo di N.
Fr. N. N. Inquiſitore.

Non ſia rimoſſo ſotto pena di Scommunica.

N. N. S. Officij Notarius.

Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo; tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.
Ioſue cap. 1.

TA-

TABELLA
IVXTA EDICTVM S. OFFICIO DENVNCIANDORVM.

PRimò, HAERETICI, tangiturq; caſus in tex. ibi: *Che ſiano Heretici.*

Secundò, HAERESIS SVSPECTI: deſignaturq; his verbis: *O ſoſpetti, ò diffamati d'hereſia, ò Credenti, Fautori, ò Ricettatori, ò Defenſori, &c.*

Tertiò, SVPERSTITIOSI CVM DAEMONIS INVOCATIONE TACITA, VEL EXPRESSA: oſtenditurq; clauſula illa textus: *ò in qualunque modo tacitamente, ò eſpreſſamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio, ò gl'habbiano preſtato, ò preſtino honore, ò habbiano hauuto parte, ò ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi ſia eſperimento di Magia, ò Negromantia, Incanteſimi, ò altre ſimili ſuperſtitioſe attioni, & maſsime con abuſo di coſe ſacre.*

Quartò, BLASPHEMI HAERETICALES, demonſtratur autèm propoſitione iſta: *Che contro Dio, e de' ſuoi Santi, e particolarmente della Beata Vergine Maria proferiſcono beſtemmie hereticali.*

Quintò, IMPEDITORES, AVT IMPEDIENTES S. INQVISITIONIS OFFICIVM: Itèm OFFENSORES, AVT OFFENDENTES TESTEM, DENVNCIATOREM, VEL IPSIVS S. INQVISIT. MINISTRVM:

eliciturque ad litteram ex illis textualibus verbis: *C'habbiano impedito, ò impediſchino l'Officio della Santa Inquiſitione: ò habbiano offeſo, ò pur' offendino alcun' Teſtimonio, Denunciatore, ò Miniſtro d'eſſa.*

Sextò, RETENTORES, AVT RETINENTES LIBROS, VEL SCRIPTA HAERESES CONTINENTIA, AVT HAERETICORVM LIBROS DE RELIGIONE TRACTANTES: colligiturq; clarè ex hiſce litteræ verbis: *Che habbiano hauuto, ò habbiano libri, ò ſcritti, che contenghino hereſie: ouero libri d'Heretici, che trattino di Religione, &c.*

Obſerua tamen, quòd per ſupradictam caſuum S. Officij expreſsionem; non excluduntur alij caſus S. O. ſpectantes in Sacris Canonibus, Decretis, Conſtitutionibus, & Bullis Summ. Pontificum comprehenſi: quod patet ex textu, ibi: *Dichiarando, che per la ſodetta eſpreſsione de Caſi non eſcludemo, &c.* Itidem obſerua hoc in loco minimè procedere regulam illam legalem: .s. expreſsio firmat regulam in contrarium reſpectu non eſpreſſorum: *l. Nam quod liquidè, §. fin. ff. de penu. l. Quæſitum, §. Denique, ff. de fundo instructo.* nam textus expreſſe illi obſtat, quod notatum volui, ne error ne capiat.

Obſerua præterea per hanc caſuum expreſsionem nec excipi quatuor illos, de quibus infra Annot. prima: nam complectuntur ſub caſu hæreſis ſuſpectorum, vt potè ſub genere ſuo.

ANNO-

ANNOTATIONES
PENES HOS CASVS GENERALES.

ANNOTATIO PRIMA.
Horum caſuum reſpiciens numerum.

E*Liſeus Maſinus in Sacro Arſen. S. Inquiſ. part. 1. tit. contra quos procedit S. Trib. Lazarius Canon. QQ. quæſ. 12. num. 24. Praxis Archiepiſcopalis Marci Ant. Ianuenſis cap. 18. num. 1.* & alij ad quinarium numerum reducunt hos caſus, hac fortaſsè moti ratione; quoniam exiſtimant ſecundum caſum dictæ tabellæ cum alijs quinque nō numerari, vtpotè genus, quod cum ſuis ſpeciebus minimè ponit in numerū. Verùm mihi potiùs probatur etiam ſecundum caſum addere prædictis ſuam vnitatem ſpecificam modo quo infra aperiam. Moueor, quia nihil eſt in genere, quin ſit in aliqua eius ſpecie; & ſubindè, quæ ſub genere immediatè complectuntur, ſunt ſpecies (logicè loquor) & cōſequentèr nedum ſunt quinque Edicti caſus, ſed multò plures; quod patet ex eo, quòd ſunt quoque caſus Edicti expoſiti hi quatuor ſequentes, vz.

Adhęrentibus ritibus Iudęorum, Mahumetanorum, Saracenorum, aut (genericè loquendo) Gentilium.

Apoſtatantes à Fide Catholica Romana.

Celebrantes Miſſam, aut Miniſtrantes Pœnitentiæ Sacramenta, licèt non ſint Sacerdotes.

Celebrantes itèm occultas conuenticulas in materia religionis: horum autèm caſuum expreſsè cantat littera textualis: & proindè caſus expliciti præter implicitos eſſent nouèm. Vel dicēdū foret duo eſſe pręcisè, nimirùm hęreſis, & eius ſuſpicio: maximè, quòd S. Trib. (regulr̄ loquendo) duntaxat cōtra Hęreticos, vel de hęreſi ſuſpectos procedit: & ad hos duos reuocētur omnes, & ſinguli alij caſus dicti Trib. vtrūq; autèm abſurdum, ac extremum apparet.

Quare, vt euitemus tàm abſurda, quàm extrema, quæ à veritate deuiare ſolēt; dicendū eſt caſus S. Trib. deferēdos eſſe numero ſex (ſumpta enumeratione iuxta aſſignationem in Tabella caſuum denunciādorum S. O.) quorum ſecundus habet naturam tàm ſpecici ſubalternæ, quàm ſpecialiſſimæ: nam hęreſis ſuſpicio reſpū primi caſus, .s. hęreſis cōſtituit ſuam ſpeciem ſpecialiſſimā: reſpū verò quatuor ſubſequētiū, & item aliorum in textu explicitè notatorum ac caſuum ad Tabellam reducibilium generis immediati habet rōnem, annotanturq; caſus impliciti, ibi: *Auuertendo, che per la detta eſpreſſione de Caſi, non eſcludemo, &c.*

ANNOTATIO II.
Reſpiciens diſcrimen inter caſus S. Officij, & Epiſcopales.

QVoniam principia artis ſcire oportet, aliàs & principiata, ac progreſſus ignorare neceſſum eſt, *l. 1. ff de Origine iuris, & l. 1. ff. de Iuſtitia, & iure*: propterea opere precium eſt in primìs cognoſcere, quomodo caſus S.O. velut principia, ad quæ omnes, & ſingulæ denunciationes reuocantur; à caſibus in Tabella Ordinarij reſeruatis diſtinguantur: nam iuxta vulgatum prouer. *Purpura iuxta purpuram diudicanda eſt.*

Primum, differt Tabella caſuū S. O. ab Epiſcopali: nam Epiſcopalis reſpicit forum internum .s. Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc verò forum reſpicit externum: & itèm illud conſcientiæ, de qua in primìs *Conc Triden. de Reform. cap. 6.* reſpicit nanque abſoluendos in foro publico, ſi caſus extat publicus: vel in foro conſcientiæ, prout diſtinguitur à Sacramentali, ſi caſus eſt occultus; etiam reſpectu caſus hæreſis iuxta multorum DD. probabilem ſententiam, vt infra ſuis locis dicetur.

Secundum, Epiſcopalis reſpicit ſolūmodo Ordinarium quò ad ea, quæ faciunt forum Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc autèm in multis reſpicit nedum Inquiſitorem, ſed etiam Ordinarium eo modo, quo infra diſtinctiùs ſuis cauetur locis.

Tertiū, Epiſcopalis dicitur Tabella reſeruatorum tàm reſpectu peccatorum, quàm cenſurarum Ordinario reſeruatarum: hæc verò eſt tantùm reſpectu cenſurarum S. Tribunali reſeruatarum.

Quartū, Epiſcopalis vno nomine dicitur abſolutè; & generalitèr caſuum Ordinario reſeruatorum: Cęterùm hæc generalitèr, & abſolutè nuncupatur Denunciandorum Tabella.

Quintū, Epiſcopalis afficit omnes, & ſingulos Diœceſis non exemptos: Afficit verò iſta non mòdò omnes, & ſingulos totius Diœceſis, ſed etiam exemptos omnes, vt infra clarius.

Sextum, Epiſcopalis, quamuis ſit grauiorum criminum, vt infra lib. 7. videbitur: non tamen comparatiuè, cęteriſque paribus ad caſus huiuſce Tabellæ; quod patet; tum quia grauius eſt offendere D. Maieſtatem, quā humanam, *Authen. Gazeros, C. de Hæreticis*: tum quia ſumma ratio eſt, quæ facit pro religione, *l. Sunt perſonæ, ff. de Reg. & Sumpt. fund.* nam iuxta *D. Angelicum 1. 2. quæſ. 73. art. 3.* attenditur criminum grauitas penes obiecta minus principalia, & magis principalia: ſpiritualia, &

corporalia: itidemq; penes præcepta primæ,& ſecundæ tabulæ; quales circunſtantias crimina grauantes habent caſus huius Tabellæ: Vndè iſti, vt plurimū nō admittunt materiæ paruitatem, vt patet de hæreſi, Apoſtaſia, Infidelitate, Schiſmate, Blaſphemia &c. ac regularitèr ſeueriori mulcta tàm in foro fori, quàm in foro poli puniuntur. Qui renuit grauitèr puniri, diſcat religioſa reuereri.

ANNOTATIO III.
Circa conuenientiam caſuum S. Trib. cum Epiſcopalibus.

PRima, cōueniunt, quia in vtriſq; maſculinū concipit fœmininum, vtrique .s. comprehendunt nedum maſculos, ſed etiam fœminas, iuxtà *l. 1. ff. de Verb. ſignif. l. Si ità ſcriptum, ff. de legib. 2. l. Qui duos, l. Seruis legatis, ff. de Legat. 3.* nec obſtat reſeruationem ſecundū plures DD. & maximè *Naldum ver. Caſus num. 3. Capeauillam de Caſ. reſer. par. 1. c. 6.* habere rationem pœnæ, quæ venit reſtringēda, iuxtà *c. Odia de Reg. iur. in 6.* quia, caſuum reſeruatio potiùs pendet ex Reſeruantis placito, quàm ex ipſius Reſeruantis ratione; velut etiam lex pœnalis, quæ item non tàm pendet ex ratione, quàm volūtate ipſius Legiſlatoris: Vndè in materia reſeruationis nihil valet argumentū à ſimili, ab æquiualenti, à maiori, &c.: non .n. ſequitur legens librum hęreticum incidit in excommunicationem Summo Pontifici reſeruatam in Bulla Cęnæ Can. 1. Ergò, & audiens concionē Hęreticorum; quamuis hoc ſit illo periculoſiùs, vt in terminis proprijs notat *Capeauilla loc. cit. Nal. vbi ſupra*: ratio eſt, quia à diuerſis nō fit illatio: arcemur tamèn ab horum concionibus ex præcepto naturali; cum indè malum probabilitèr emanare poſſit; immò has audientes ad dicta *Arſen. S. Inquiſ. par. 1. de Soſpetti d'hereſia*; cenſentur talitèr ſuſpecti, etiam ſi ſemel tm̄ concionem audierint: in caſu āt licentiæ Catholico factæ audiendi horum conciones, v.g. ob incumbentem neceſſitatem; attendendæ ſunt conditiones, de quibus infra *lib. 13. diſt. 2 pag. 200. col 1.* licentiaq; intelligitur, vbi Catholici cum Hęreticis permixti ſūnt, vt in Germania, Polonia, Belgio, &c. ità *Becanus in Compend. Controuer. Catholicorum cum Hæreticis huius temporis lib. 5. cap. 7. nu. 1. & 2. Azor. lib. 8. cap. 27. quaeſ. 5.*

Secunda, conueniunt, quia in vtriſque reſeruatio, & denunciatio intelligitur de peccatis mortalibus: ratio eſt, quia peccata venialia nō ſolent denunciari, nec reſeruari, iuxtà illud: *De minimis non curat Prætor, l. Scio 4. ff. De in integr. reſtit.*

Verùm reſeruari poſſent, præcipuè, ſi dubiū exiſteret, an forent mortalia, ità tradunt *Sotus in 4. diſt. 18. quaeſ. 2. art. 3. Paludanus item in 4. diſt. 13.* qui teſtatur de communi Theologorū, quorum doctrinam ſequitur *Capeauilla loc. cit.* Vndè, ſi reſeruarentur; Cōfeſſarius carens poteſtate reſeruatorum abſoluere non poſſet.

Tertia, quia in vtriſque tàm reſeruatio, quā denunciatio intelligenda eſt de actibus exterioribus cum effectu: quia, quemadmodum Eccleſia non cognoſcit de actionibus, quæ in ſolo intellectu ſunt, aut voluntate; cùm Deus ſolus ſit ſcrutator cordis; ità etiam non punit. Eſt *Paludani apud Sylueſtrum, ver. Caſus, quaeſ. 5. itèm D. Antonini par. 3. tit. 17. cap. 11.* Verùm tu circa caſus S. Tribun. primò attende DD. ad inuicem pugnare circa intelligentiā iſtius termini (effectus) vndè legenda ſunt, quæ infra *lib. 14. pag. 229. col. 2.* vbi loquens de Fautoribus Hæreticorum diſtinguo de effectu, prout ibi. Secundò S. Trib. iam denunciatos, ſatisq; de hęreſi indiciatos iuſtè torquere ſuper intentione; tum quia actus præſens præteritam intentionem deſignat: tum quia talis pręſumitur cauſa præceſſiſſe, qualis ab effectu oſtenditur, quod notat *Barth. de Vſuris*.

Quarta, quando aliqua excommunicatio fertur contrafacientes; non incidunt in illam mandantes, auxilium ferentes, fauentes, niſi id exprimatur: vel ex alijs iuribus colligatur, eſt *Nauarri cap. 27. nu. 51.* quod notat *Capeauilla loc. ſup. cit.* teſtans de communi.

Dixi niſi ex alijs iuribus colligatur: Vndè, licèt de dantibus conſilium in fauorem hęreſis non fiat mentio in Edicto Inquiſitorum, vt cōſtat intuenti litteram: quia tamen fit mentio de ipſis in *cap. Vt Inquiſitionis de Hæreticis in 6.* ligantur excommunicatione, & veniunt denūciandi ad tradita *Arſen. S.O. par. 1. pag. 15. Azor. par. 1. lib. 8. quaeſ. 17. Tolet. lib. 1. cap. 38. & 39. num. 23.* verùm nulli reſeruatur, vt notat *Say. de Cenſuris lib 3. cap. 34. nu. 18. Catalogus Excom. Ludouiſq cap 7. excom. 6. & alij.*

Quinta, quando itèm excommunicatio fertur in dantes conſilium, auxilium, fauorem; debet intelligi de his, qui efficacitèr hoc fecerūt, vž. de illis ſine quorū concurſu cōſilij, auxilij, fauoris crimen commiſſum non fuiſſet. ità ex *Nauar. vbi ſup. nu. 52.* Verùm non vna eſt omnium DD. ſententia de effectu circa caſus Sancti Officij: quare attende diſtinctionē, de qua ſupra innui, .s. de duplici effectu iuxta duplicem DD. ſententiam.

Sexta, quando excommunicantur dantes conſilium, auxilium, fauorem attendendū eſt, an excommunicatio feratur principalitèr contra facientes, & ſecundariò contra auxilium ferētes, &c. an verò cōtra vtroſq; principalitèr; quia in priori caſu, auxiliantes, &c. nō incidunt in illam; niſi faſcinus re ipſa ſubſecutum fuerit: in poſteriore verò incurrunt cenſuram ſtatim poſt conſilium, auxilium, etiam ſi ſcelus nō patretur per *cap. 2. de Homicidio in 6.* Verùm tamen circa caſus S.O. conſules *lib. 14. pag. 232. col. 2.* ſed clarius *pag. 233. col. 2.* vbi trado regulam ad dignoſcendum, quando prædicti feriantur

tur

tur excommunicatione primariò, vel tantummodò ſecundariò.

Septima, quando excommunicatio fertur contra eos, qui aliquid facere præſumunt; non comprehenduntur ij, qui ex metu, aut alio affectu (præter ſuperbiam) hoc faciunt. Itidèm, quando dicitur ſcientèr; non incidunt, qui id ignorantèr præſtiterint, quod notat *Capeauilla vbi ſupra, teſtans de communi.*

Porrò regula hæc, & ſi procedat in foro Sacramenti Pœnitentiæ, vbi creditur pœnitenti, tàm pro ſe, quàm contra ſe: non tamèn procedit reſpectu denunciationis; ſi verſeris in dubio metus, aut ignorantiæ: quia poſſeſſio ſtat pro Edicto, cui tu teneris; quam doctrinam ſæpiſſimè reperies in his Commentarijs; Vndè ad S. Trib. nedum deferenda eſt formalis hæreſis, .s. ſimul intrinſeca, & extrinſeca: ſed etiã tantùm extrinſeca: aliòquin nullus poſſet aliũ deferre S. O. reſpectu facti, vel dicti hæreticalis: niſi prius nouiſſet à denunciando, an habuerit errorem in mente, quod eſt abſurdum.

Octaua, cenſura Summo Pontifici reſeruata, putà excommunicatio non eſt iudicanda talis ratione impedimenti externi; hinc, quibus (ſalua vita, libertate, & rebus ſuis) Romam adire non eſt integrum; non ſunt ad Papam, quãdiu perſeuerat huiuſmodi impedimentum remittendi; ſed ad Epiſcopum, eius Vicarium, aut Pœnitentiarium, à quo abſoluantur, vt in terminis proprijs docet *Capeauil. de Caſib. reſer. par. priori c. 6. reg.* 5. Verùm tu in caſu S.O. omninò ſecreto; v. g. in caſu hæreſis, ipſius fautoriæ, retentionis, aut lectionis librorum tractantium de hæreſi ex profeſſo, aut Hereticorum de religione, &c. obſeruabis omninò, quæ infra doceo, *pag* 170. *col.* 1. *&* 2.

Nona, cenſuræ ſimilitèr Regulares afficientes non debent iudicari S. Pontifici reſeruatæ, licèt aliàs ſimplicitèr conſideratæ, tales eſſent; quod tñ iuſtè intelligendum eſt: nam etſi Romam pro abſolutione regularitèr non mittantur; ne indè occaſionem vagandi, & apoſtatandi ſumant: poſſet tamen tanta eſſe criminis enormitas; vt meritò Romam per Superiores mitti deberent, argumento *c. Cum de illorum ſententia excommunicationis*, & illorum, quæ habet *Caietanus ver. Excommunicatio, cap.* 10. Dixi (cenſuræ) quia peccata (licèt grauiſſima) non reſeruantur Summo Pontifici, niſi ratione cenſuræ; quod vſque adeò verùm eſt, vt ſublata excommunicatione per Summum Pontificem, aut alium de eius facultate, nullum ſit peccatũ Summo Pontifici reſeruatum. ità *Nauar. cap.* 27. *nu.* 26. & ante illum *Caietanus in Summula, & Antoninus* 3. *par. tit.* 17. *cap.* 11. Quod, ſi caſus foret de ſpectantibus ad S. O. illumq; extra confeſſionem ſacramentalem haberent; attendant Regularium Superiores Conſtit. Pauli V. ne mittant falcem in meſſem alienam, incipit: *Romanus Pontifex.*

Quid ãt agere oporteat alias perſonas cẽſura S. Pont. reſeruata ligatas, vt, ſi ſint fœminæ ſub virorũ poteſtate, viduæ iuniores, puellæ, ſenes, ac valetudinarij, qui laborem itineris ferre non poſſunt: vel pauperes coniugati, qui ob diutinam eorum abſentiam, vxorem, ac liberos mẽdicitati, vel flagitio obijcerent: conſule, quæ ſupra dixi octaua conuenientia.

Decima, notandum pueros ante annos 14. & fœmellas ante duodecimum nullas incurrere cenſuras, *Ioan. Sanchez. in Selectis diſp.* 26. *n.* 18. *Capeauilla loc. cit.* Quare ipſorũ peccata, quæ aliàs eſſent Pont. reſeruata; erũt iudicãda ſolũ Epiſcopo reſeruata, vel nulli: Epiſcopo, ſi vſu rationis vtcũque perfecto polleant: nulli, ſi adhuc non ſatis illo polleant, *Capeauilla de Caſib. reſer. par. prio. cap.* 6. *Sà, ver. Cenſura, nu.* 2. *Sot. diſp.* 12. *q.* 1. *art.* 15. *Valent. tom.* 4. *diſ.* 7. *quæſ.* 4.

ANNOTATIO IV.

Reſpiciens diſcrimen inter Reuerendiſſ. Inquiſitorem, & Confeſſarium penes caſus talellæ.

INquiſitor in foro fori, quale eſt Sanctum Tribunal, vt infra ſuis locis probabitur; non attendit quo corde crimen patratum fuerit: ſed pręſumit illud male factũ, aut male dictum, cum ex natura ſua peccatum præſeferat, *Extra de præſumptione cap. primum*, quod intellige, niſi aliud Epichea, prudentia, aut violẽta, vel longè probabilia indicia ipſi oſtendant: mouetur verò ad dictam præſumptionem, tum quia neminem exiſtimandum eſt feciſſe, quod mente prius non cogitauerit: nec dixiſſe, quòd non ſentiret, *l. Legatum. ff. de Suppellectili legata, & alibi*: tum quia talis præſumitur, ac intelligitur cauſa præceſſiſſe, qualis ab effectu dignoſcitur, vt notat *Barth. de Vſuris*: tum præterea, quia actus præſens deſignat præteritam intentionẽ.

Confeſſarius verò è contra in foro Sacramenti, in quo præcipuè ſumus; inprimis attendere debet, qua mente per Pęnitentem maleficium fuerit factum, quaue itèm mente conuicium, contumelia; v. g. blaſphemia fuerit euomita: ratio eſt primò, quia pręſumptio in foro Sacramenti non habet locum: Secundò, quia lex fundãs ſe ſuper præſumptione nõ ligat animam; quando habetur euidens veritas (qualis eſt illa ſponte cõfitentis ſacramentalitèr) eneruans falſam pręſumptionem, ità *Felinus in cap. Sicut dignum in fin.* quod in primis obſeruat *Bartholomæus Gyptius de Caſib. reſeruat., quibus annexa eſt excommunicatio cap.* 4. *nu.* 62.

Itidèm Inquiſitor Reo ſibi denunciato minimè credere tenetur; ſed legitimis probationibus, quod notum eſt ex inolita praxi. Confeſſarius verò credit pœnitenti tàm pro ſe, quã contra ſe dicenti, res ipſa loquitur: vndè abſoluitur iuxta ipſius confeſſa. Sumus in claris.

ANNOTATIO V.

Reſpiciens Confeſſarium reſpectu abſolutionis ab ipſo impertiendæ.

ATtendet Confeſſarius, an abſolutio pęnitenti impertienda ſit reſpectu caſuum, qui inſimul habentur in Edicto S. Inquiſitionis, & in Bulla Cœnæ, vti ſunt caſus hęreſis, ipſius Fautoriæ, Credētium, Receptatorum, &c. Hęreticorum, vt taliū, &c. vel ſit reſpectu aliorum: nam reſpectu priorum non procedit regula illa, quam paſſim tradunt Summiſtæ de dubio iuris, aut facti: vz. quòd abſoluere poſſunt Confeſſarij in dubio facti, non autèm in dubio iuris .s. iuriſdictionis: nam reſpectu iſtorum in dubio ſiue iuris, ſiue facti nihil omninò poſſunt: eo quòd in Decreto S. Congregationis ſuper abſolutione à caſibus reſeruatis cauetur; ne quis abſoluat à caſibus Bullæ Cęnæ clarè, vel dubiè: incipit, *Sacra Congregatio*, habeturq; in *Summa Bullarum Quaranta, ver. Caſus reſeruati*; Verùm intende non poſſe quempiam ab his abſoluere, non quatenus ipſi exiſtunt caſus S.O. ſed put ſunt caſus Bullæ vt inf. loc. cit.

Quod diligentèr annotandum eſt: nam caſus hęreſis, & itèm alij quatenus Bullæ differūt à ſeipſis ſecundum quòd conſiderantur in Edicto S. Tribun. vt infra dicemus *Parte 2. lib.* 10. *caſu primo*.

Circa verò alios caſus S. Tribunalis attendet Confeſſarius, an in Tabella caſuum Ordinario reſeruatorum occludantur: quia ſic nec ab illis in dubio iuris, .i. iuriſdictionis abſoluere poterit: nam poſſeſſio ſtat pro lege Tabellaria caſum reſeruante.

Cœterùm (loquendo de dubio facti) dicendum eſt quemlibet Confeſſarium abſoluere poſſe, niſi in aliquo caſu ſignātèr aliud iure decernatur. *Suarez de Cenſuris tom.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 6. *nu.* 5. quem ſequitur *Bonacina de Sacramentis diſp.* 5. *quæſ.* 7. *punc.* 5. §. 4. *Emanuel Sà in Aphor. ver. Caſ. reſer. nu* 5. & ego quoque in *Commentarijs ſuper Caſib. reſer. par.* 1. *diſt.* 2. *art.* 3. *diff. vnica*: cuius ratio eſt; quia pœnæ ſunt reſtringendæ, *cap. Odia, de Reg. iur.*

ANNOTATIO VI.

An cæcitas mentis reſpectu horum caſuum excuſet.

RAtio annotationis eſt; quia peccatum additum peccato non excuſat, nec diminuit, ſed magis auget: cęcitas autèm mentis peccatum eſt, tum quia meretur pęnam ſecundùm quod dicitur 1. *ad Corint. c.* 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*: tum quia illud propter quod duplicatur pęna, nō excuſat peccatum, ſed magis aggrauat; ſed ex cęcitate mentis duplicatur. Vndè 2. *Ethicorum* dicitur, quod ebrijs duplices maledictiones debentur, ergò non excuſat.

Reſpondetur tribus ſuppoſitis. Primum eſt, quid ſit cęcitas mentis.

Secundum, quale peccatum excuſat huiuſmodi cęcitas.

Tertium eſt, quomodo excuſat.

Circa primum ſciendum eſt, quòd cæcitas non dicit ſimplicem negationem ſcientiæ: ſed negationem illius ſcientiæ, quæ debet alicui ineſſe reſpectu tēporis, pro quo tenetur illud ſcire; quod dicitur; quia non omnes ęquè tenentur ſcire. Vndè plus, tenetur ſcire Sacerdos, vel Clericus, quam ſimplex laicus. Nec item æqualitèr pro quolibet tempore: quare plus tenetur idem homo ſcire in perfecta ætate, & ſenectute, quam in adoleſcentia, vel iuuentute, & ſic patet primum.

Circa ſecundum conſiderandum eſt, quòd cæcitas mentis reſpectu actus peccaminoſi poteſt ſe habere triplicitèr, .s. antecedentèr, comitantèr, & conſequentèr.

Conſequentèr ſe habet, quando homo per volūtatem talī cōſenſu inhęret peccato, quòd renuit ſcire ea, per quæ ab illo perpetrando impediri, vel retardari poteſt; volens talia neſcire, vt liberius peccet: hinc tale peccatū non excuſatur per mentis cęcitatem, ſed magis aggrauatur; quoniam talis cęcitas procedit ex maxima voluntate erga illud, opponiturque ignorantia huiuſmodi ſcientiæ ſpeculatiuæ, quæ propriè dicitur ignorantia. *Becanus par.* 2. *Sum. tract.* 2. *cap.* 4. *concl* 5.

Concomitantèr ſe habet ad peccatum, quādo aliquis peccat neſciens: tamen ſic eſt diſpoſitus, quod, ſi ſciret peccare, nihilominùs idem faceret: ex. grā. ſi percutiens hominem credat percutere canem: quem attamen, ſi noſſet hominem eſſe, idem patraret; & huiuſmodi cęcitas non excuſat; nec aggrauat actum: quia nō eſt cauſa actus, ſed tantū concomitatur: Vndè talis non peccat per ignorantiam, licèt peccet ignorans, vt habetur 3. *Ethicorum*, nam in omni opere malo eſt aliqua ignorantia, & omnis malus eſt ignorans: ſicut .n. vera cognitio per opera demonſtratur: ità omnis malus ignorantia concomitatur; opponitur verò ignorantia hæc non ſcientiæ ſpeculatiuæ; ſed prudentiæ, ſeu rectæ electioni, quæ reperitur in omni peccato. *Becanus vbi ſup.*

Antecedentèr ſe habet ad actum peccati, quando eſt cauſa actus; hoc autèm contingit, quādo è cōtra homo eſt diſpoſitus, quod, ſi ſciret illud eſſe peccatū, non faceret; & talis profectò errat per mentis cæcitatem minimè peccaminoſam, ob quam excuſatur, & ſic patet ſecundum.

Circa tertium conſiderandum eſt, quòd prędicta cęcitas, vel ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, poteſt triplicitèr cauſari. Vno modo ex ruditate intellectus ipſius hominis, quæ, ſi tanta exiſtat, vt illa ignorantia, vel mentis cęcitas ſit inuincibilis, excuſat totalitèr à peccato. Alio modo cauſatur ex negligentia ſtudendi ea, quę homo

homo ſcire tenetur, vtpotè, quia refugit ſtudij laborem: vel quia circa alia occupatur: & tūc excuſatur non in toto: nam illa ignorantia non eſt omninò inuoluntaria: & quò minus habet de inuoluntario, eò minus excuſat: non tamen poteſt in hoc certa regula poni: ſed peti debet ex circunſtantijs. Tertiò modo cauſatur ex malitia propriæ voluntatis; ità vt .ſ. homo ſit benè diſpoſitus mente, & corpore: renuit tamen totalitèr ſubire laborem acquirendi illuminationem mentis, illam pro nihilo reputando: Quare ille excuſari non poteſt à peccato, & ſic patet tertium.

Ad primam difficultatem ab initio allatam; dicitur, quod additio peccati ad peccatum ſemper facit plura peccata: non tamen facit maiorem grauitatem: quoniam contingere poteſt; quòd primum adeò diminuat ſecundum; vt ambo ſimul iuncta non habeant tantam grauitatem, quantam habet ſecundum ſine alio acceptum: ver. gr. homicidium perpetratum ab homine ſobrio, grauius eſt, quàm perpetratum ab homine ebrio; ità, vt præponderet ebrietati, & homicidio ex illa ſequenti, quamuis ſint duo peccata, .ſ. ebrietas voluntaria, & homicidium.

Ad ſecundū dicendum, quod duplices punitiones, vel maledictiones debētur ebrijs propter duo peccata, quæ ibi concurrunt: tamen, ſi illæ punitiones fiant ſecundùm menſuram peccati; non erunt tantæ quantitatis, quanta eſt punitio pro vno ſolo peccato grauiori.

Poſſum etiam reſpōdere, quòd dictum illud non eſt Philoſophi; ſed eſt verbum Pittaci legislatoris, qui ſtatuit ebrios amplius puniendos non ob maiorem peccati grauitatem: ſed ad communem populi vtilitatem reſpiciens; quia multi ex ebrietate peccant: & in talibus, ad quæ prona eſt multitudo; grauior pęna adhiberi ſolet: hinc multis in locis ſimplex furtum grauius punitur, quàm blaſphemia, quamuis illa ſit longè grauius peccatum. ità *Liranus ſuper Ioan. c. 9. circa finem*. faciunt tradita à *Becano loc. cit.*

ANNOTATIO VII.

Reſpiciens ſimplices Superiorum facta cenſurantes.

QVia interdum ſimplices, & puſilli facilè deſumunt ſcandalum ex factis Superiorum, & potiſſimè Inquiſitorum facta eorū cenſurando: v. gr. quòd procedant contra ſibi denunciatos potius ex aliqua paſſione, quàm ex muneris proprij debito; quod maximè contingit, ſi contra quem agunt, vir magnę religionis, aut miraculorū patrator habeatur.

Quare notandum nec vitę integritatem, nec miraculorū patrationem obſtare; quin Inquiſitores cōtra ſimiles iuſtè procedere poſſint: non obſtat (inquam) vitæ integritas: nam, cū iſta non repugnent ſtare ſimul ignorantia, inaduertentia, bona fides &c. Vndè, ſi ex his defectibus contingat tales publicè effutire, aut diſſeminare hęreſim, aut de hęreſi ſuſpecta, quis negabit ipſos teneri canere palinodiam illa retractando, vel corrigendo? & quis non aſſeret Inquiſitores obligari in defectu palinodiæ ad illorum correptionem; aut etiam ad punitionem iuxta facti exigentiam?

Nec obſtat, quòd ſub pietatis velamine talia diſſeminauerint; quinimmo quò ipſi ſanctiores habentur; & quò magis diſſeminata pietatis ſpeciem præ ſe ferunt; eò magis periculoſiora exiſtunt: quare his malis quàm citiùs occurrendum eſt, iuxtà *l. 1 §. Si quis ff. de Carbon. Edicto, l.* [illegible] *C. de Furtis*. Verùm tali moderamine, ac prudentia; vt dum euitatur Scylla, ne ruatur in Charybdim: eo vz. modò contra ſubditū debēt ſe habere, quo ipſi rationabilitèr in ſimili caſu poſiti, vellent Iudicem ſecum agere: Puſillorum verò, ac ſimplicium partes erunt; vt in re dubia caueant à iudicijs contra Superiores; nam iuxta 11. *quæſ. 3.* graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia: hinc prouerbium habet; contra ſolem ne loquaris: vndè, vt exiſtentes in terra os ſuum in Cœlum non ponant, ne de illis verificetur illud: *Poſuerunt in Cœlum os ſuum. &c.*

Nec itidem obſtat miraculorum patratio: quare notandum miracula à Deo triplici de cauſa fieri: vz. primò ad teſtificandum infallibilem doctrinæ veritatem ſuper facultate intellectus humani exiſtentis. Secundo ad teſtificandum alicuius eximiam ſanctitatem. Tertiò autem ad teſtificandum vtrumque.

Si fiant primo modo, non eſt neceſſe, vt miracula patrans, exiſtat vir bonus: cum illa ad confirmandam non bonitatem; ſed doctrinæ veritatem ordinentur: Vndè aliquando per malos homines facta ſunt miracula, patet de Prophetia Caiphæ.

Si fiant ſecundo modo, tunc è contra neceſſe eſt, vt illa patrans, bonus exiſtat; alioquin Deus foret falſitatis teſtis, quod eſt maximum abſurdum; & huiuſmodi fuerunt vt plurimùm miracula per Sanctos, ac Beatos ab Eccleſia canonizatos effecta.

Si fiant autèm tertio modo; ſunt ad probandum ſufficientèr vtrumque, .ſ. infallibilem doctrinam, & ſummam vitæ integritatē; & huiuſcemodi extiterunt potiſſimùm Chriſti Noſtri Saluatoris, & Apoſtolorum miracula: hinc ipſe in Euangelio *Ioan. c. 9.* in hæc verba proloquitur: *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me vz. de mea doctrina, & bonitate.* faciunt tradita à *Lirano ad Euang. Ioan. loc. cit. circa medium.* Quare, cum ignoremus, ob quem finem potiùs Deus patret miracula: graue eſt, ac planè temerarium actiones Superiorum obtrectare, cenſuriſque ſubijci, & maximè Puſillorum, & Simplicium: nam (vt dixi) graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia. 11. *quæſ. 3. cap. Graue.*

ANNOTATIO VIII.

Reſpiciens difficultates facientes ad horum caſuum intelligentiam infra ſuo loco notatas.

1 AN Inquiſitor in Edicto ſibi tantum reſeruet excommunicationẽ, vel etiam caſus, de quibus eius Tabella. pag. 101. col. 1.

2 An Inquiſitor reſeruet ſibi in foro Sacramenti vi Edicti abſolutionem ab hęreſi. pag. 102. col. 1.

3 An Epiſcopus, qui in Edicto S. Inquiſ. partem habet pro foro Sacramenti Pœnitentiæ; hæreſim ſibi reſeruare poſſit. p. 102. col. 2.

4 Quomodo reſeruetur excoĩcatio Edicti an abſolutè .s. quamuis facta denũciatione: vel ſolummodò ſtante contumacia inobedientiæ. p. 104. col. 1.

5 An Epiſcopi ab excommunicatione Edicti, dum eſt occulta (non præſtita denunciatione) abſoluere poſſint. p. 105. col. 2.

6 An Excommunicatio Edicti (omiſſa denunciatione) vi Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, aut alterius priuilegij tolli poſſit. p. 107. col. 1.

7 Cur S. Tribun. renuit quempiam abſolui omiſsa denunciatione. p. 107. col. 1.

8 Ab excommunicatione Edicti an eodem modo abſoluantur omittentes denunciationẽ Hæreticorum, quo omittentes denunciationẽ ſolummodo de hęreſi ſuſpectorum. ibidem col. 2.

9 An Inquiſitores, dum abſoluunt ab excõmunicatione Edicti, inſimul abſoluant ab excommunicationibus Summorũ PP. vel Eminentiſſimorum Cardinalium latis itidèm contra omittentes denunciationem Hæreticorũ, vel ſuſpectorum. p. 108. col. 1.

10 An Criminoſi reſpectu delictorum S. O. reſpicientium æqualitèr ligentur cenſuris. pag. 136. col. 1.

11 An caſus, ſeu peccata S. O. reſpicientia cęteris paribus exiſtant tàm in ſe, quàm collatiuè alijs grauiora, ibid. col. 2. item p. 130. col. 2.

12 An differat caſus Hæreſis, Fautoriæ, &c. Hęreticorum, de quibus Bulla, ab hæreſis Fautoria &c. de quibus S. O. pag. 137. col. 1. circa medium, ſed clarius col. 2.

13 An Regulares virtute ſuorũ priuilegiorũ à caſibus contentis in Edicto DD. Inquiſitorũ abſoluere poſſint. p. 137. col. 1.

14 An caſus hæreſis differat à propoſitione hæretica. pag. 138. col. 2. vbi reſoluitur, quomodo etiam differat infidelitas Iudęorum, & Gentilium ab infidelitate Hęreticorum.

15 An diſtinguatur hæreſis à blaſphemia hęreticali. ibidem.

16 An caſus hæreſis collatiuè ad alios caſus S. Officij maiorem inuoluat culpam. p. 139. col. 2.

17 An ſit diſcrimen inter Hęreticos, & alios criminoſos, de quibus Edict. p. 140. col. 1.

18 Ad quem ſpectat abſoluere Regularem in hęreſis crimen lapſum tàm publicũ, quàm occultum. p. 159. col. 1.

19 An Religioſi de licentia ſuorum Prelatorum ab hęreſi occulta ab Epiſcopo abſolutionem obtinere poſſint. ibidem col. 2.

Aliæ permultæ annotationes in his Commentarijs annotatæ mirificè faciunt ad generalem cognitionem caſuum S. Trib. tàm reſpectu denunciationis, quàm abſolutionis; ſed hæ paucæ præcisè afferuntur pro exemplo, quæ hìc non explicantur, ne idem pluries inutilitèr iteretur.

INDEX LIBRORVM,

Qui toto præſenti Cõmentariorum volumine continentur, quique quatuor partibus, quibus Commentaria ipſa accomodantur, correſpondent.

IN Prima Parte agitur de Denunciandorum Edicto, eiusq; particulis ſubiectiuis; Itemque de Edicto temporis gratiæ, ac eius parte ſubiecta, nouemq; continet libros.

Primus tractat de Edicto in genere quoad ipſius quatuor cauſas, ſ. materialem, formalem, efficientem, & finalem. Efficiens, & finalis tanguntur ibi: Deſiderando: *materialis conſtat ibi:* Cõmandiamo, *formalis verò ibi:* Auuertendo, che à queſti noſtri precetti non ſodisfaranno, nè s'intendano ſodisfare quelli, che con bolettini, ò lettere ſenza nome, & cognome delli Autori, &c.

Secundus, De ipſius prima particula ſubiectiua, hoc eſt de Inquiſitore, verùm non generalitèr, ſed contractè, vt infrà ſuo dicetur loco: tangiturq; ibi: Frate N. dell'Ordine &c. Inquiſitor Generale contro l'heretica prauità, &c.

Tertius, De ſecunda particula, vz. de Officio Sanctæ Inquiſitionis; ſed non itèm abſolutè, ſed conditionatè, vt ſuo cauetur loco, notaturq; ibi: Deſiderando, come ricerca il carico di queſto, &c.

Quartus, De tertia, hoc eſt de præcepto Denunciationis, ibiq; deſignatur: Con auttorità Apoſtolica à Noi conceſſa &c. Commandiamo à tutte, & à ciaſcuna perſona di noſtra Giuriſdittione, &c.

Quintus, De quarta, ſcilicet de Denunciatione in ſpecie, quæ ibi elicitur: Che con ſacrilego ardire non eſſendo Sacerdoti, &c.

Sextus, De quinta, ideſt de Correctione fraterna, quæ implicitè inuoluitur in Denunciatione; cùm Denunciatio, niſi quid ſpeciale caueatur vti fit, vt plurimùm in caſibus S. O. præſcriptum Euangelij comitatur, vt infra ſuis videbitur locis.

Septimus, De ſexta, ſcilicèt de Excommunicationibus S. Off. ſed potiſſimùm de illa in textu explicita, quæ ibi demonſtratur: e dalla detta Scommunica, e pene, &c.

Octauus, Eſt de ſecundo Edicto, nimirùm de Edicto gratiæ, quod oſtenditur ibi: Tempo di Gratia.

Nonus, Eſt parte ſubiectiua huiuſce Edicti: nempè de Hæretico, aut de Hæreſi ſuſpecto occulto, colligitur his verbis, vz. Inuitiamo ogni heretico, ò ſoſpetto d'hereſia, &c.

Secunda Pars differit de duobus primis caſibus Sanctæ Inquiſitionis, videlicèt de hæreſi, ac de ea ſuſpectis, vel diffamatis; additq; libris prioribus quinque alios, videlicèt decimum vſq; ad quintum decimum incluſiuè.

Deci-

Decimus, Agit de hæreſi ſecundùm quòd eſt denuncianda, confitenda, & abſoluenda præcipuè in foro Sacramenti Pœnitentiæ.

Vndecimus, Tractat de peccatis cum hæreſi fraternizantibus, ſcilicet de Infidelitate, Apoſtaſia, & Idolatria, licet ſecundùm aliquos reducatur ad ſpecies Superſtitionũ.

Duodecimus, Differit de virtute hæreſi oppoſita, videlicet de Fide Catholica.

Decimus tertius, Loquitur de communicatione cum Hæreticis in Sacramentis, Sacramentalibus, & politicis; itemq; de communicatione cum Iudæis, & Gentilibus.

Decimus quartus, Sermonem facit de ſuſpectis de Hæreſi, eorumq; ſpeciebus in textu explicitis, & implicitis.

Tertia Pars differit de Superſtitionibus generalitèr, maximeq́ue de recenſitis in textu, ſubnectitq; prædictis libris alios octo .s. decimumquintum incluſiuè vſq; ad vigeſimum ſecundum itèm incluſiuè.

Decimusquintus, Tractat de Superſtitionibus in genere, & in ſpecie.

Decimus ſextus, De ſcientia, ac potentia Dæmonum, quæ eſt velut omnium ſuperſtitionum fundamentum.

Decimus ſeptimus, De Magia, ſeu Mago nequitèr diuinante, eiuſq; ſpeciebus.

Decimus octauus, De Magia Aſtronomica, ſeu Aſtrologia, eiuſq; ſpeciebus.

Decimus nonus, De Magia turpitèr mira operante, ac eius ſpeciebus.

Vigeſimus, De Magia Malefica, videlicèt diabolicè nocente, vbi collectum eſt quidquid eſſentialitèr tradunt propemodùm omnes Auctores de Arte Malefica agentes.

Vigeſimus primus, De quadam parte huius Magiæ Maleficæ, quæ verſatur circa ſtrepitus, qui in Domibus, Templis, Nemoribus, Turribus, aliſq; locis audiuntur; vbi præter alios Doctores methodicè habes ferè totam Petri Thyrei doctrinam de locis infeſtis.

Vigeſimus ſecundus, De Corporum obſeſſione à Dæmonibus facta, quatenus exiſtit dicta Magiæ pars, vbi theoricè, & practicè complectitur fortaſſe quicquid vnquàm notabilitèr dictum fuit de hac materia.

Quarta Pars eſt de vltimis caſibus Sanctæ Inquiſitionis, videlicèt de Blaſphemia hæreticali; de nequam reſiſtentia Sancto Officio, offenſioneq; eius Miniſtrorum, Teſtium, aut Denunciatorum, ac retentione, vel lectione librorum prohibitorum; Itemq; de controuerſijs inter Catholicos, & hæreticos præſentis temporis: in quatuorq; diuiditur libros iuxtà quatuor notata; coniungitq́ue quatuor libros præcedentibus .s. vigeſimum tertium, quartum, quintum, & ſextum.

Vigeſimus tertius, Eſt de Blaſphemia hæreticali, non minus ſpecificè, quàm genericè.

Vigeſimus quartus, De reſiſtentia Sancto Officio; itemq; de eius Miniſtrorũ, Teſtium, & Denunciantium offenſione.

Vigeſimus quintus, De libros prohibitos retinentibus, aut legentibus, de quibus fortaſſe latiùs, quàm alibi vnquàm videris.

Vigeſimus ſextus, De controuerſijs præſentis temporis inter Catholicos, & Hæreticos: His libris abſoluuntur Commentaria hæc.

EDICTI

EDICTI SANCTI OFFICII PARS PRIMA.

PROLOGOMENA, SEV PRAELVDIA,

De his vz., quæ huiuſmodi Commentaria præcedere oportet; ſunt autem ſeptem, prout infra.

PRIMVM PRAELVDIVM.

Edictum S. Inquiſitionis an congruè commentetur.

ET videtur prius quod non; quia cum ſit traditum lingua vulgari, ſatis de ſe eſt intelligibile abſque vlla explicatione. Hoc non obſtante reſpondeo congruè commentari; non quidem ad declarandum litteram, quæ eſt clara: ſed ad ſciendum explicitè, quæ ſub ipſa implicitè recondita reperiuntur: ſicut Scriptura ſancta, licèt primo acceſſu (ſolummodo littera penſata) videatur ſatis intelligibilis; & perinde incongruè expoſitionibus ſubijci: attamen ob implicita arcana ſub ipſa, numquam ſatis explicitè declaratur. idem in propoſito, ex: gratia, licèt conſtet denunciationem eſſe faciendam: non tñ ſatis claret, an præmittenda, vel omittenda ſit correptio fraterna. Item planũ eſt annodatum caſibus S. Officij denunciandũ eſſe: non tamen eſt prorſus planum, quod omitti poſſit denunciatio, licèt omnino conſtet de eius emendatione: itidẽ perſpicuum eſt omittentem denunciationem in Edicto præceptam excommunicatione reſeruata annodari, ſed non ſatis claret, qualem reſeruationis naturam habeat. inſuper conſtat, omnia, & ſingula præcepta in ipſo contenta obſeruanda eſſe; ſed nõ ſatis apparet, an ſub eodem rigore. præterea, vt ſemel finiam, perſpicuum eſt Hæreticum eſſe deferendum S. Tribunali; ſed non ſtatim conſtat qualis Hæreticus, an ſolum formalis, vel etiam materialis externus, & ſic per ſingulas materias S. Officij diſcurrendo, dignoſces horum Commentariorum vrgentiſſimam neceſſitatem; quare non fruſtra aſſumitur labor iſte, nec gratis vacabis horum ſtudio. Dices, ſolius eſſe Conditoris interpretari legem, *l. cum de nouo, C. de leg. gl. in l. non poſſunt, ff. eod.* Reſpondetur verum eſſe de interpretatione vt à legis Conditore: quod ſecus eſt de illa, vt à Doctore: hoc modo S. Scriptura, Bullæq; Pontificiæ à pluribus interpretantur.

SECVNDVM PRAELVDIVM.

An Edicti huius Commentaria pro ſingulis Vrbibus, ac Diœceſibus deſeruiant.

REſpondeo affirmatiuè: ratio eſt, quia quamuis Edictum generale S. Inquiſitionis per quemlibet Inquiſitorem in primo ſui ingreſſu in Diœceſim, Vrbemq; ſuæ iuriſdictionis contra hæreticam prauitatẽ promulgetur: forma tamen Edicti per Supremum Tribunal vniuerſalis Inquiſitionis Romæ extat præſcripta, *vt ex Arſen. S. Inq. part. 1. c. 1. colligitur*; & proinde Edictum v. g. pro Ciuitate Bergomenſi, & ſua Diœceſi promulgatum erit idem cum alijs cæterarum Ciuitatum, ac Diœceſum, ſaltem quo ad eſſentialia.

PRAELVDIVM TERTIVM.

Quod in his Commentarijs prius neceſſariò agendum eſt de Edicto, ac eius partibus ſubiectiuis, quam de caſibus S. Off.

MOueor; quia recta docendi ratio requirit omninò, vt id prius exponatur, quod ad eorum, quæ ſequuntur, intelligentiam facit. *Ariſt. 1. poſter.* prius .n. quæ communiora ſunt, quam, quæ ſub illis continentur, explicanda ſunt: ex. grat. prius virtus, quàm iuſtitia, prout eſt virtus particularis; prius contractus, quàm emptio, venditio &c. quia niſi de communioribus prius agatur, ſæpè eorum in rebus inferioribus explicandis ſine vtilitate facienda erit repetitio.

PRAELVDIVM QVARTVM.

Quomodo tractatur materia cuiuslibet libri huiuſce primæ partis: & quomodo horum Commentariorum dignoſcitur ſtricta neceſſitas.

EX reſolutione prioris partis huius quæſiti, pendet reſolutio ſecundæ.

In primo libro agitur de Edicto non in ſua latitudine, prout ſub ſe complectitur Edicta Principum, Prætorum &c. ſed huius tractatus arctatur ad Edictum S. Inquiſitionis.

In ſecundo diſſeritur de Inquiſitore non in genere, quatenus ipſius diſcurſus amplectitur ſub ſe Inquiſitorum exemptiones, priuilegia, beneficia &c. ſed præcisè, vt Edicti promulgator, & executor.

In tertio tractatur de S. Officio non quo ad omnes ſimul, nec diuiſim quo ad ſingulas ipſius excellentias, aut ſingularia, quę referuntur à *Ioan. Royas in copioſiſsimo numero tract. de ſingularib. fidei*: ſed duntaxat quo ad eius integritatem, prudentiam, ac pietatem in Reos.

In quarto, & quinto fit ſermo de Denunciatione, ſed non eo modo, quo illam tradunt Summiſtæ in ſua generalitate; ſed prout practicari oportet in S. Tribunali: quare velim attendas ipſorum doctrinam, nec Conſultori-

bus, nec Fiſcalibus, nec alijs Miniſtris S.O. nec item excipientibus confeſſiones Sacramentales oportunam eſſe: nam ſtrictior eſt obligatio denunciationis reſpectu caſuū S. Tribunal reſpicientiū, quā alia Tribunalia, vt ſuis locis dicetur, vnde niſi Lectorē moneant, vel excipiant ſingularia in S.O. de facili ipſos falli continget.

In ſexto tractatur de correptione fraterna, vbi ſimiliter tractatus Summiſtarum de ipſa, niſi item faciant exceptiones circa caſus S. Officij, non releuant Lectorē: cū onus correptionis fraternæ non adeò arctet, ac reſpectu aliorum caſuum extra S. Tribunal.

In ſeptimo agitur de excommunicatione, de qua Edictum, contra omittentes denunciationem alicuius caſus S. Officij; & de alijs duabus communioribus contra Reos; quæ etiam ſpeciales habent formalitates, vt ſuis locis videbimus; quare nulli ſatis eſt cognitio excommunicationum in genere, niſi iſtarum quoque ſcientiam calleat.

In octauo diſſeritur de Reo in S.O. qui magis in hoc obligatur ad detegendā veritatem, quam in alijs Tribunalibus.

In nono agitur de tempore gratiæ, non eo modo, quo in Scriptura Sancta; ſed ſecundum quod congruit ſubiectæ materiæ: nec mirum cum grauius ſit Diuinam offendere Maieſtatem, quam temporalem *auth Gazaros C. de hæreticis*, & ſumma ſit ratio, quæ facit pro religione, *l. ſunt perſonæ de reg & ſumpti. fu.*

Hinc colligitur, quam vrgens ſit neceſſitas huiuſce libri, aut ſimilium, in quibus reperitur digeſtum, diſtinctum, & explicitum, quod deficit vt plurimum in Summiſtis, & Theologis.

PRAELVDIVM QVINTVM.

Quod eſt Auctoris proteſtatio.

SCripturus de inſigni, ac per difficili Edicti S. Inquiſit. materia, de ipſius partibus ſubiectiuis, ac caſibus, quo ad ea (regulariter loquendo) quæ forum Sacramenti pænitentiæ reſpiciunt; placet primò illud aſſeueranter præfari; adeò me firmiter ſtare pro Chriſtiana fide, vt eius defenſionem nō ſolum corporis periculo; ſed certa ipſius iactura, libentiſſimè, ſi daretur occaſio, quod faxit Deus, ſuſciperem; Quare ſi quid à me in his Commentarijs dictum fuerit; quòd omnino cum Sacris dogmatibus concordare minimè appareat; corrigendum humiliter illud ſubijcio, ac tanquam non dictum corde pleno reuoco, caſſo, annullo, annullatumq; volo.

PRAELVDIVM SEXTVM.

Quo fulcro Auctor Commentaria hæc aggreſſus eſt.

TEſtor, non ingenioli mei, non laboris, non librorum copia; ſed Dei auxilio nixus: nunquam enim me præterijt humanam ſcientiam, induſtriam, aut ingeniū ſine illo nihil efficere, nihil proficere, ac fruſtra quemque laborare iuxta illud in Euangeliō Ioannis: *ſine me nihil poteſtis facere*: quo etiam ſpectat illud *1. Corinth. c. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit; ſed Deus incrementum dedit*; itàque neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus, attendendum eſt.

PRAELVDIVM SEPTIMVM.

Quod fundamentum cuiuslibet Imperij, Regni, Reipublicæ, ac cuiuslibet ſubditi ſit religio.

PAtet primò ex *D. Cyrillo lib. 6. de recta fide ad Theodoſium* in hæc verba: *Glorioſa in Deum pietas Regijs honoribus fundamentum eſt.* Secundò ex *Lactantio de ira cap. 8.* ita proloquente: *Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſe ſocietatem*; hinc *Ioan: Romanus Pontifex Iuſtiniano Imperatori de conſeruatione religionis* ſcribens inter alia fuit in hæc verba: *hoc eſt, quod veſtrum firmat Imperiū, hoc quod veſtra Regna confirmat*; Hinc *Simancas de inſtit. Cathol. titulo 39. nu. 5.* ita proloquitur incredibile pænè eſt, quanta fælicitate coaleſcant regna, in quibus iuſtitia permiſta eſt cum religione. Verùm non in Principibus ſolum; ſed etiam in populis quoque hæc religionis virtus omnino requiritur, vt Imperia, Regna, Reipublicæ ſtabiliantur, diuq; conſiſtant; quare huc potiſſimè Principes oculos intendere debent, vt Hæreticos, & Hæreſim pro viribus extirpent, & orthodoxam fidem in eorum ſtatu confirment. Vndè *Pegna in Direct. par. 3. comm. 158.* inquit: *niſi .n. cauſa fidei in tuto ſit, & Hæreſes extirpētur, Regna, et Dominia nequeunt diutius in pace conſiſtere, & conſeruari*, iuxta illud *Iſa. cap. 60. Gens .n. & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, &c.* huiuſce veritatis extant quamplurima exempla apud Hyſtoricos, vt notat *Baronius tom. 4. Annalium anno 378. num. 26. 27. tom. 6. circa annum Domini 499. nu. 11. & 12. item ad annum 518. nu 18. tom.* Sed tu vide, quid acciderit florentiſſimo ſtatui Ciuitatis Coſtantinopolitanæ, ex quo Hæreſis Neſtorij orta eſt. Quid Ciuitati Antiochenæ omnium orientalium nobiliſſimæ, & ſic de alijs, quas præoculis infectas habemus ob impigram ab Hæreſibus purgationem.

Et ſanè directè ad Hæreſim ſubſequitur Regnorum Imperij, & Rerumpub. ſubuerſio: quia cum Principibus hæc à Deo conſtet eſſe data, vt ipſum cognoſcāt, diligant, & reuereantur; iuſtiſſimum eſt, vt ab ipſis in vero ſuo cultu delinquentibus auferantur: quo fit, vt Hæretici non ſolum religionem, ſed ſtatum politicum Reipublicæ funditus euertant, quod longa ſeriè probat *Paramus de orig. S. Inq. lib. 3. tit. 2. cap. 7.* ob quam cauſam in Scripturis Sanctis Hæreſis non immeritò appellatur abominatio deſolationis, vt declarat *Cornelius à lapide cap. 9. Danielis*, ad illa verba: *& erit in templo abominatio deſolationis*: dant .n. Reſpublicæ, Regna, Imperium, ob Hæreſim vocem ſuam contra Deum; idcircò, quid mirum eſt, ſi de eis dicat ipſemet Deus *Hierc. c. 12. Reliqui Domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam meam in manu inimicorum eius.*

EDICTI S. INQVISITIONIS
LIBER PRIMVS.
De quatuor cauſis ipſius Edicti.

Diuiditur liber iſte in quatuor diſtinctiones iuxta numerum quatuor cauſarum, nimirùm materialem, formalem, efficientem, & finalem, quarum prima, & ſecunda eſt intrinſeca ipſi Edicto, adeò vt non conſiſtat, niſi ipſis prius conſiſtentibus: Efficiens verò, & finalis ſunt tantum extrinſecæ ipſi; vndè re ipſa abſque ipſis conſiſtere poteſt: nam ceſſante ipſius promulgatore, eiuſq; fine non per hoc ceſſat Edictum, quòd infrà patebit ſuis locis: cautum verò eſt ſupra in diuiſione totius operis in qua parte textus fit mentio cuiuslibet prædictarum cauſarum.

DISTINCTIO PRIMA.
De Edicti S. Inquiſit. cauſa materiali.

OMNIS tractatus cuiuslibet generis ad quatuor reducitur cauſas, nimirùm ad materialem, formalem, efficientem, & finalem, ſtrictèq; loquendo nec tractatū excedunt cauſæ, nec tractatus cauſas: quarum, cum materialis, & formalis ſint potiores, potior etiā locus, & primus ipſis dandus eſt; ab ipſis itaque exordiendo; primò loquar de materiali, circa quam tradam quotuplex, & quid ſit Edictum S. O. quo ad quid nominis, & quid rei: neceſſitatem ſcientiæ Edicti: ipſius præcepta, eiuſq; obligationem, & iuxta hæc quatuor, quatuor quoque erunt articuli: huiuſmodi autem cauſæ ſunt velut quatuor ſtabiles columnæ, ſuper quibus totum erigitur Edicti fundamentum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Quotuplex ſit Edictum S. Inquiſitionis.

DE S. Inquiſitionis Edicto loquuturus, cum ipſum (etiam ſumptum pro folio ab Inquiſit. S. Officij ad Eccleſiarū valuas affixo) ſit æquiuocum; prius eſt diſtinguendum, quam definiendum, nè ignorantia diſtinctionis ipſius intelligentiam retardat: æquiuoca enim prius ſunt diſtinguenda, quam definienda, vt ſciatur, quomodo accipiantur in tractatu.

Duplex eſt autem Edictum, vz. Edictum denunciationis, & Edictum gratiæ, quod ſatis cōſtat (attento Edicti folio) cuius prior pars eſt de Edicto denunciationis: altera verò de Edicto gratiæ à S. Tribunali præſtandæ ijs, qui ad cor reuerſi ſpontè comparent coram Inquiſitore, vel eius Commiſſario confitendo propria contra fidem Catholicam delicta: De vtroque dicemus.

DIFFICVLTAS II.
Edictum vnde dicatur, & quid ſit.

EDictum ab edicendo dicitur, ita *Iuris Conſultus in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*; Edicere verò nihil aliud eſt, quàm proponere: ſic *Ludouicus à Paramo de origine S. Inquiſitionis, lib. 2. q. 5. num. 1.* Quo fit, vt ſi Edicti intentum ſpectemus, protinus intelligimus ideò proponi, vt quiſque agnoſcat, de quibus criminibus proximum ſuum apud S. Tribunal denunciare debeat, faciunt, quæ habentur *l. 2. §. eod. tempore. ff. de orig. iur.*

Edictum propriè loquendo volunt aliqui ſumi ſolummodo pro præcepto ſupremorum Iudicum, v. g. Regum, vel Imperatorum iuxta illud *Lucæ 2. c. Exijt Edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis*: ſed quotidiana praxis demonſtrat, quod etiam ſumitur pro præcepto in lege inferiorum, ſeu delegatorū contento; quandoque .n. Iudices etiam inferiores apponunt Edicta, vt in *cap. 1. de ſupplenda negligen. Prælatorum ſecundum Archidiac. Ioan. Andr. & Dominic. in cap. vt circa*, ibi (Edicto perpetuo prouidemus) *de Elec. in 6.* & hoc modo ſumitur Edictum S. Inquiſitionis, de quo eſt nobis explicatio: ſunt .n. Inquiſitores Iudices inferiores à Summo Pontifice Delegati. Edictum itaq; S. Inquiſitionis eſt præceptum Reuerendiſs. Inquiſitorum ad negotium fidei à S. Pontifice delegatorum. Legendus eſt *Ludouicus à Paramo loc. citato. Sebaſtianus Medices tom. 1. de definit. par. 2. defin. 1. Gloſ. c.*

Adrianus diſt. 63. c. in apibus, 7. quæſ. 1. Alex. l. ſi mihi, & Titio, ff. de verb. obligat.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An ſcientia Edicti S. Trib. Confeſſarijs ſit neceſſaria.

PER ea, quæ tradunt Doctores ſatis apparet Confeſſarium minimè latere debere Ordinariorum, ac Inquiſitorum Edicta; ipſe namq; ex officio, pænitentem, quem ex confeſſione Edicti nouit ignorantem, edocere debet eius obligationem ad denunciandum quædam delicta, cuiuſmodi ſunt Hæreſis, de Hæreſi vehemens ſuſpicio, Negromantia, ars magica, incantationes, & ſic de cæteris, quæ denuncianda Inquiſitorum Edicta præcipere ſolent. ita *Megalus prima part. inſtit. Confeſs. lib. 1. c. 5. Zecchius de caſib. reſeruatis caſ. 2. Molpheſius trac. 7. cap. 24. Marc. Ant. Genuenſis in praxi Curiæ Neap. c. 23. Homob. de exam. Eccl. tom. 2. trac. 11. quæſt. 15. 9. reſolutio*: conſtat item in ipſo confeſſionis actu contingere poſſe defectum tàm circa ſubſtantialia, quæ ſunt de intrinſeca ratione Sacramenti, verbi gratia abſoluendo illum, in quem Confeſſarius, nec ordinariam, nec delegatam habet iuriſdictionem, quæ abſolutio erit nulla iuxta *Sacrum Conc. Trident. ſeſs.* 14 *c.* 7. quam circa accidentalia, quæ ſunt tantummodo de extrinſeca ratione Sacramenti, cuiuſmodi ſunt, quæ ad rectam Sacramenti pænitentiæ adminiſtrationē pertinent, inter quæ præcipuè refertur onus admonendi pænitentem, vt iudicialiter Cenſorib. fidei denunciet crimina iuxta eorum Edictum, ſi attentis coniecturis Confeſſarius probabiliter credat, vel credere debeat ipſum, niſi ſit monitus, omiſſurum eſſe denunciationem, vt ſæpè ſæpius contingere ſolet. Conſtat itidē neceſſarium eſſe Confeſſarios nō latere, in quo gradu caſus Sanctū Inquiſitionis Officium reſpicientes in foro fori, ſpectent, vel nō ſpectent ad ipſos in foro Sacramenti pænitentiæ, ne ex vna parte temerè in aliorum meſſem, manum mittant abſoluendo, quem non poſſunt; & ex altera, ne in neceſſarijs deficiant denegando abſolutionem, quando poſſunt abſoluere.

Notant Doctores quatuor potiſſimum eſſe caſus, in quibus Confeſſarij à lethali culpa minimè excuſantur, ignorando, quæ ſcire tenentur, vt *Homob. de exam. Eccl. tract.* 11. *cap.* 7. *quæſt.* 15. *definitione* 9.: horum primus eſt, cum non ſtudent percipere caſus ab Epiſcopo reſeruatos. Alter, cum non ſtudent percipere Bullam cænæ Domini. Tertius, cum non ſtudent percipere indicem librorum prohibitorum cum regulis confectis per Patres à Trid. Synodo delectos. Quartus verò ad propoſitum noſtrum eſt, cum Inquiſitorū Edicta percipere non ſtudent: quemlibet prædictorum caſuum plurium DD. allegatione probat *Homob.* & hoc idem ratione patet, quia horum ignorantia eſt materia grauis; cum fines facultatis, aut mandati excedentes in abſolutione actum nullum reddant cum iniuria magna Sacramenti, & damno pænitentis, & conſequenter æternis ſupplicijs ſe dedant.

Quamuis autem horum ignorantia aliqualiter Confeſſarij peccatum diminuat: non tamen excuſat à mortali, ſi extiterit craſſa, vel ſupina ob notabilem ſtudij negligentiam: nam quemque Confeſſarium ſub mortali ſcire oportet, quæ ſuo muneri neceſſaria ſunt: quis autem obſeruare poteſt ignorata? ergo nedū illa, ſed modum quoque eadem adimplendi ſub eodem vinculo ſcire tenetur; & conſequenter illum non excuſat dicta ignorantia, & minus affectata, quæ ſanè contingit, quando quis ignorare eligit, ne conſcientię remorſum ſentiat; eſt .n. magis voluntaria.

DIFFICVLTAS II.
An ſcientia Edicti Inquiſitorum æquipolleat citationi.

RESpondetur affirmatiuè: nam quemadmodum ſcientia Reſcripti, ſiue Breuis Apoſtolici citationi æquiparatur, vt patet ex *cap. cum in cauſa, 11. verſ. quia tamen ante. de officio delegat. cap. ſuggeſtum, 15. cap. ad hæc, 30. gloſ. magna in cap. meminerimus 9. de appellatione*. ita ſcientia Edicti Inquiſitorum, cum habeat vim legis Canonicę, & auctoritate Apoſtolica promulgetur, ita *Suarez in opere de triplici virtute nu. 11. Trullenc. in expoſ. Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 5.* faciunt quæ tradit *Roder. Acbuna de Confeſs. ſolic. quæſt. 3. nu. 29.* Quare nedum in foro fori; ſed etiam in foro poli nullius momenti cenſetur excuſatio protrahentis denunciationem, quouſque ab Inquiſitore in ſpecie euocetur; nam Inquiſitores, vt plurimum non minus ignorant, quis in ſpecie denunciare teneatur, quam quis contra eorum Edictum peccauerit. Dices, teſtes itidē coram Inquiſitoribus comparere tenentur, ac deponere iuxta interrogata, qui tamen niſi in ſpecie requiſiti, non obligantur corā ipſis ſe præſentare: ergo nec quis tenetur comparere, niſi accerſitus ad nominatim denunciandum: Reſpondetur negando ſimilitudinem; nam teſtes neſciunt fortaſſe apud S. Tribunal denunciatum: aut ſaltem acceptatam denunciationem fuiſſe ad puniendum: ſolummodo .n. quando iudicatur delictum animaduerſione dignum, veniunt teſtes accerſiti. Præterea, quia in Edicto præcipitur ſpontanea comparitio ad denunciandum, non verò ad teſtificandum; vnde nota ſcientem aliquem irretitum caſibus Edicti teneri ſpontè comparere, vt denunciet iuxta modum obligationis denunciandi infra tradendum, licèt nō teneatur ſpontè comparere, vt teſtificetur.

ART. III. DIFFICVLTAS I.
Edicti verba an ſint de præcepto, aut tantum de conſilio.

RESpondetur eſſe præceptiua, patet primò ex *gloſs. in Clementina; attendentes de ſtatu Monach.* omnes fideles teneri ſub pæna peccati mortalis, & alijs pænis iure inductis, indicare Iudicibus S. Inquiſitionis, nedum Hæreticos, ſed etiam de Hæreſi ſuſpectos, & conſtat ex illo verbo *Commandiamo &c.*

Secundò, quia ſi crimen læſæ Maieſtatis humanæ ſub præcepto eſt denunciandum, aliter omittens in foro fori præſumitur conſcius, vt communiter aiunt Doctores. *Panormitanus in cap. Cleric. officia. de vita, & honeſtate Clericorum. Geminianus in cap. vt animarum de Conſtit. in 6.* Idem in *cap. perpetuè de Electionibus in 6.* à fortiori ſub præcepto denunciandum erit Cenſoribus fidei crimen leſæ Maieſtatis Diuinę, cum ſit grauius, vti conſtat (attento vtroque obiecto .s. humano, & diuino) *C. de Hæreticis, cap. vergentis de Hæreticis.*

Tertiò, quia pro bono communi contra hoſtes communes oportet eſſe etiam communẽ omnibus vigilantiam, vt de ſe conſtat: ſed Rei in S. Tribunali ſunt huiuſmodi directè; vel ſaltem indirectè, quod patet primò diſcurrendo per ſingulos. De hæreticis notum eſt, cum Hæreſis, vt cancer ſerpet; idem de Fautoribus, Defenſoribus, Receptatoribus &c. quia ſunt cauſæ, vt peſtis Hæreſis magis, ac magis graſſetur. idem patet de ſuperſtitioſis, maleficis, & veneficis, &c. quorum maleficia, & veneficia non paucos infeſtant, vt experientia demonſtrat: idem conſtat de blaſphemis maximè hæreticalibus, pro quorum criminibus ſubijciuntur populi multis calamitatibus, fortaſſe, quia minus, quam par eſt, extant vigiles in eis denunciandis. legendus eſt *Lexicon Theologicum, verb. blaſph.* qui ita proloquitur: *blaſphemia eſt magna cauſa peſtilentiarum, bellorum, famis, aliarumq; tribulationum in Chriſtianitate.* Idem claret etiam de reſiſtentibus S. Tribunali, vel eius Miniſtros offendẽtibus: nam huiuſmodi ſunt cauſa ſaltem indirectè, vt Sanctum Tribunal, eiuſq; Miniſtri retardentur in Dei ſeruitio, & prouiſione boni communis. Patet ſecundò, quia eorum crimen militat directè contra Deum, qui eſt omnium Pater *l. Manichæos C. de Hæreticis. l. 2. C. de Apoſtatis:* Verba itaq; Edicti ſunt præceptiua, & perindè grauiſſimè peccant, ac ſubijciuntur excommunicationi, qui illa non exactè obſeruant. patet ex textu ibi, *in virtù di S. Obedienza, & ſotto pena di ſcommunica; oltre le altre pene da Sacri Canoni, Decreti, Conſtitutioni, & Bolle de Sommi Pontefici impoſte, commandiamo &c.*

DIFFICVLTAS II.
Edicti præcepta an vnum, vel plura.

ANTE reſponſionem notandum eſt, non omnia, & ſingula in Edicto S. Inquiſitionis contenta eſſe præcepta; conſtat ibi, *perche non deſideriamo la confuſione d'alcuno, mà sì ben l'emendatione, per tanto con paterno affetto inuitiamo &c.* quæ ſanæ verba deſignant conſilium, non autẽ præceptum: quare ea tantummodò cenſenda ſunt præcepta, quæ ſub forma præcepti habentur: alia verò non item.

Modò ad propoſitum dicendum eſt Edicti S. Inquiſitionis præcepta eſſe plura, & vnum; plura in ſpecie, & vnum in genere. preceptum in genere, quòd ferè totum complectitur Edictum, eſt Denunciatio, cuius tranſgreſſor excommunicationis maioris S. Inquiſitioni reſeruatæ cenſura ligatur &c. verùm quamuis nunquam tranſgrediatur hoc generale præceptum, quin inſimul violetur aliquod ſpeciale præceptum Edicti: nihil .n. eſt in genere, quod non ſit in aliqua eius ſpecie; quemadmodum non poteſt quis annodari cenſura, quin annodetur vel excommunicatione, vel ſuſpenſione, vel interdicti: attamen vna eſt tranſgreſſio, vnaquè excommunicatio: cum non tranſgrediatur generale abſq; omiſſione ſpecialis.

Specialia verò præcepta Edicti ſunt ſex iuxta ſex denunciationes ibidem præceptas. primum patet ibi, *che ſiano Heretici*. Secundum ibi, *ò ſoſpetti, ò diffamati d'heresia, ò credenti, ò fautori, ricettatori, ò defenſori loro &c.* Tertium ibi, *ò in qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò innochino il Demonio &c.* Quartum ibi, *che contra Dio, ò de ſuoi Santi, & particolarmente della Beatiſſima Vergine Maria, proferiſcano beſtẽmie heretical i.* Quintum patet ibi, *ò che habbino impedito, ò impediſcano l'officio della S. Inquiſitione &c.* Sextum denique conſtat ibi, *che habbiano hauuto, ò habbiano libri, ò ſcritti, che cõtenghino hereſie, &c.*

DIFFICVLTAS III.
Edicti S. Inquiſitionis præcepta ad quod ex Decalogi præceptis reducuntur.

REſpondetur præcepta tàm implicitè, quàm explicitè in S. Inquiſitionis Edicto contenta reduci ad primum Decalogi præceptum: conſtat, tum quia hoc præceptum eſt de ſummo cultu Deo exhibendo; & ex conſequenti de vitando cultum creaturæ indebitum, ad quæ etiam omnino tendit S. Inquiſitionis Edictum: tum quia hoc præceptum traditur Exodi 20. ſub hac forma: *Ego ſum Deus tuus non habebis alios Deos coram me*, ob cuius exactam obſeruantiam S. Tribunal proponit Edictum, quo implicitè præcipitur item verus Dei cultus, & damnatur indebitus, nimirum omnes, & ſingulæ hæreſes; Hæreticorum, hæreſiſq; ſuſpectorum fautoriæ; diabolicæ ſuperſtitiones, hæreticales blaſphemiæ, omneſq; iniuriæ tum in S. Tribunal, tum in eius Miniſtros, cum ex conſequenti cedant in dedecus ſummi, & veri Dei: tum præterea,

quia quemadmodum primò præcepto Deum colimus Fide, Spe, & Charitate: ita Edicto S. Inquiſitionis proſequimur amore tum Deū, tum proximum noſtrum: quod ſatis colligitur ex fructibus denunciationis Hæreticorū, maleficorum, ſagarum &c.

Nec ſilentio prætereundum eſt illos longè falli, qui putant primum Decalogi præceptum eſſe immediatè de diligendo Deo; præcepta quippe de dilectione Dei, & proximi non ſunt ex decem Decalogi, ſed ad ipſa tanquam prima, & generalia principia, decem ſpecialia reducuntur, ita *D. Thomas 2. 2. quæſt. 44. ar. 18. Nau. in ſum. cap. 11. num. 5.* hinc Chriſtus ita proloquitur: *in his duobus præceptis vniuerſa lex pendet, & prophetæ*: alia verò, quæ ad hæc decem reducuntur, vt præceptum de reſtitutione rei alienæ, de ſeruando voto &c. de quibus non fit expreſſa mentio in Decalogo, tanquam concluſiones ex illis deducuntur.

Itidem obſeruandum primum Decalogi præceptum non eſſe de fide habenda, ſed præſupponit fidem; nam accedentem ad Deum, s. obſeruatione præceptorum, oportet credere, ad *Hebræos 11. cap. ſine fide .n. impoſſibile eſt placere Deo*, ad ipſum s. accedendo. *Sanchez in præcepta Decalogi, præcepto 1. vbi de diuiſione totius libri. Nau. loc. cit. D Thom. item loc. cit. Azor. inſtit. moral. cap. 1. quæſt. 1.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Edictum S. Inquiſitionis, eiuſq; præcepta an cum graui incommodo, v. g. cum periculo vitæ, aut honoris obligent.

QVidam fortaſſe ſentient in omni euentu Edicti præcepta fore obſeruanda: quia agitur cauſa Dei, quæ ſupra ius commune eſt apprimè priuilegiata. Quidam verò è contra facilè exiſtimabunt Edicti præcepta minimè obligare cum tam graui incommodo, maximè attenta Epichea S. Tribunalis. Mihi verò probatur diſtinctione opus eſſe: Edictum itaque S. Inquiſ. dupliciter conſiderari poteſt, primò quatenus eſt ab homine, & importat ius præcisè poſitiuum; & ſic dicendum eſt, quod in caſu grauis incommodi, quale eſt periculum vitæ, aut honoris non obligat ad eius obſeruantiam, cum ſit pijſſimum Tribunal. Secundò conſiderari poteſt quatenus ordinatur ad bonum commune, quod eſt bonum naturale diuinum, & hoc modo ſumptū, ſi ſubeſt periculum, vt tale bonum periclitetur, omnino ſeruandum eſt, non obſtante graui incommodo alicuius particularis: nam iuxta rationis dictamen bonum publicum priuato præferendum eſt; hinc *Rodericus Achuña* docet in cauſis contra bonum publicum, v. g. hæreſis; metum minimè excuſari, *lege tractatum de Confeſs. in confeſſione ſolicitantibus, quæſ. 18. num. 15. vide etiam infra lib. 2. diſt. 8. art. 2.*

DIFFICVLTAS II.

Edictum Inquiſitorum, qui ob legitimum impedimentum non audiuit publicare, aut nullibi vidit affixum, an excuſetur ab excommunicatione illud non obſeruando.

RAtio difficultatis eſt; quia Edictum non minus, quam lex ſemper, & omnibus loquitur neminem excludendo, *l. Iulianus ff. de legat. 3. l. omnia, ff. ſi certum petatur*, quod obſeruat in primis *Nauar. Con. 160 nu. 20 lib. 1.*

Reſpondetur illos minimè affici excommunicatione, qui moraliter Edictum, nec audire, nec alicubi videre potuerunt; tum quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, *l. impoſſibilium, vbi Barth. Alberi. & Decius ff. de regul. iuris, cap. nemo poteſt, vbi Dinus. Ioan. Andreas, & communiter iuris Pontificij Doc. eodem tit. in 6.* tum quia lex in mitiorem partem eſt interpretanda.

Nec obſtat obiectio, quia cum dicitur legē omnibus loqui, illa dictio (omnibus) debet interpretari diſtributiuè, non autem collectiuè, vt euitentur abſurda, & ſaluetur æquitas, quæ rigori præferri debet, *l. placuit, C. de indi. l. Diuus C. de reſtit. in integrum, cap. ponderet diſt. 50.* Cenſeo tamen ſufficere ſcientiam aliundè habitam s. à fide dignis.

DISTINCTIONIS PRIMÆ

De cauſa materiali Edicti.

PARS ALTERA,

Diuiditur hæc in tres articulos. Alter reſpicit clauſulas Edicti, Alter ipſius principales terminos. Tertius verò annotationes circa textūm, maximè neceſſarias.

ART. I.

Edicti S. Inquiſitionis expoſitio quoad ſingulas potiſſimas clauſulas.

PRima. incipit, *in nome del Padre, del Figliuolo, & dello Spirito Santo*, quæ ſanè clauſula aptè præponitur Edicto: nam quoties de re aliqua graui fit ſermo; inuocatio diuini nominis præcedere debet iuxta illud vulgatum; ab Ioue principium; *Iuſtinianus incipit librum ff. ſic: in nomine Domini*: idemque obſeruatur in principio cuiuslibet teſtamenti; in prædicto autem Edicto agitur de re graui; immo grauiſſima; cum ſit ſermo de obſeruatione primi præcepti Decalogi; idcircò iure meritò incipit Inquiſitor ab inuocatione S. Trinitatis.

Secunda. *Noi Fra N. da N. &c. deſiderando &c.* loquitur in plurali licèt vnus ſit ad deſignandum ſuam dignitatem; cum Inquiſitores ſint delegati Summi Pontificis, eiuſq; perſona in hac parte repreſentent, *Abbas in cap. ſanè de offic. delegat. & Campeggius ad Zanchinum cap. 8.* cum alijs, quod vtique ſemper obſeruatum fuit ab initio S. Inquiſitionis ad hæc vſq; tempora.

Tertia. *Contra l'heretica prauità nella Città di N.* Dicitur congruentèr *contra l'heretica prauità*: quia Inquiſitores ſunt defenſores fidei conſtituti, quorum proprium, & præcipuum munus eſt eam aduerſus Hæreticos, Sciſmaticos, &c. illibatam tueri: ne Diabolus, aut eius miniſtri, qui Eccleſiam expugnare conantur hereſibus eam perdant, aut noceant ſuis impijs latratibus; Quare vigiles eſſe debent ſcrutatores, an pullulent hæreſes, ſeu creſcant ſuperſtitiones, maleficia, veneficia, ſortilegia, blaſphemiæ hæreticales &c. radicitùs illa euellendo, maximè quia Diabolus fidei aduerſarius circuit querens, quem deuoret, vti notat *Petrus Apoſtolus in 1. can. cap. 5.*

Quarta. Additur (*e Dioceſe di Bergamo*) & meritò, ne quis fortaſſe putaret Inquiſitoris auctoritatem ad Ciues ſolummodò extendi; Vndè, ne cuiquam remaneat locus ambigendi, etiam vulgatur in Diœceſi, & affigitur ad Valuas præcipuarum Eccleſiarum ipſius.

Quinta. *Commandiamo à tutti, & à ciaſcuna perſona di noſtra giuriſdittione di qualunque conditione, ſtato, grado, & dignità, coſì Eccleſiaſtica, come mondana, &c.* hæc particula iure communi cōſona eſt: poſſunt n. Inquiſitores in cauſa fidei omnibus denunciationis præcepta imponere. *cap. vt Inquiſitores. de hæreticis. lib. 6.* vbi generaliter præcipitur, vt omnes Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis obediant; & proinde quiſque tenetur ad denunciandum ipſis ſingulos fidei noxios. *Conc. Biteren. cap. 1. Eymericus 3. part. Direct. in ſermone generali ab Inquiſit. habendo, & ibi Pegna, commen. 12.*

Subdicta autem generalitate præcepti comprehenduntur etiam exempti, habentes in loco quaſi domicilium, immo, & ibi degentes per aliquot dies.

Sexta (*Dalla S. Sede Apoſtolica Delegato*) hæc additur, vt quiſque hinc intelligat qualis, & quanta ſit auctoritas Inquiſitorum, & vbi fundetur.

Septima. vz. *ſtato, grado, conditione.*

Dictio iſta, nempè (*ſtato*) comprehendit quempiam, ſiue ſit ſeruus, ſiue ingenuus, ſiue libertinus, ex *textu in l. ſumma, cum l. ſequenti ff. de ſtatu hominum.*

Dictio (*grado*) idem valet, ac dignitas tàm Eccleſiaſtica, quàm ſæcularis, quod ſatis conſtat tum ex littera textuali, ibi, *grado, dignità tanto Eccleſiaſtica, quanto ſecolare*: tum quia in crimine hæreſis omne ceſſat priuilegium cum adminiſtratione coniunctum *l. finali C. vbi Senat.* quare nullus eximitur ab onere denunciandi per hoc, quod ſit in gradu dignitatis cōſtitutus; intellige tamen iuxta declarationem, quam afferam infra *diſt. 4. art. 3. in fine.*

Dictione autem .s. (*Conditione*) quæ eſt in ordine textuali prima, comprehenduntur tàm maſculi, quàm fœminæ: tàm maiores, quàm minores, eius tamen ætatis, quæ ſit capax delicti: tàm qui ſunt ſui iuris, quàm qui alterius: tàm denique laici, quàm clerici: *l. 1. in principio ff. de excep.* cuius ratio eſt, quia quilibet Chriſtianus etiam abſque hoc præcepto ſuum dominum, ſuum cultum, ſuum honorem, eiuſq; fidem etiam vſque ad effuſionem ſanguinis, ſi neceſſitas poſceret, defendere tenetur.

Octaua. *Che debbano reuelare al S. Officio di queſta Città quelli, c'habbino adherito, ò adheriſchino à riti de Giudei, ò Mahometani.* Pro intelligentia notandum, quòd reuelare eſt velum à re cooperta amouere, quod fit in propoſito denunciatione, vbi ſuſpectus de hæreſi Cenſori fidei ignotus manifeſtatur, vt corrigatur.

Nona. *Quelli c'habbino adherito, ò adheriſcono à riti de' Giudei*: ponitur, quia interdum aliqui Chriſtiani tali nomine indigni, inueniuntur, qui Iudæorū ritibus, ac cærimonijs legis Moiſi adhæſerunt: v. g. cuſtodiendo diem Sabbati loco diei Dominicę, incipiendo ſolemnitatem à veſpere diei Veneris; item celebrando Paſcha panis azimi, incipiendo ſumere cibum à lactucis agreſtibus. itidem ſedendo in menſa Iudæorum more, aut ob honorem diei Sabbati veſtes honeſtiores, meliores, ac magis feſtiuas induendo, menſæ mappas apponendo mūdiores; lecta ſternendo cum ſuppellectili diuitiori, intentione adhærendi eorum ritibus.

Decima. *O Mahometani*: v. g. aſſerendo cum illis Ieſum Chriſtum non eſſe Deum; ſed tantum Prophetam magnum: aut obſeruando ex induſtria aliquos ritus, vel cæremonias ſectæ Mahumetanę cum intentione honorandi Mahumetum, aut eius legem: ex: gratia: Diem Veneris colendo, tali die ob dictam cauſam carnes comedendo, vel induendo recentes, aut honeſtiores habitus &c.

Vndecima. Nota, quòd dictum eſt circa adhærentes ritibus &c. Iudæorum, Mahumetanorum .s. quod ſint denunciandi; idem quoque ſentiendum circa adhærentes ritibus, cæremonijs, ac legibus Saracenorum, aut alterius ſectæ Gentilium: quod ſatis conſtat, tum ex textu, ibi, *ò de Saraceni, ò Gentili*: tum ex ratione: nam de ſimilibus idem eſt iudicium.

ART. II.

De quorundam nominum Edicti generalis S. Inquiſitionis præcognitione.

QVIA nominum cognitio eſt principium eruditionis, idcircò ne per incognita ad hæc Commentaria in Edictū generale S. Inquiſitionis accedas; nõnulla nomina,

nomina, quæ in his ſæpius repetuntur, & infra ſuis locis latius explicabuntur, ſunt tibi hic prę-libanda.

Primum. Hæreticus eſt, qui habet aliquem errorem in intellectu contra fidem, cum pertinacia: Ita *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 19. nu. 2.* Similiter qui pertinaciter negat in Sacra Scriptura diſpoſitum: licèt ad fidem non pertineat: vt Tobiam non habuiſſe canem, vel Aaron non habuiſſe barbam: facit enim Deum mendacem, à quo Scriptura Sacra dictata eſt.

Secundum. Credentes Hæreticorum dicuntur illi, qui ſpecialiter nulla quidem hæreſi infecti ſunt; ſed verbis tantum, vel factis profitentur ſe credere, quod Hęretici credunt; veluti qui verbo, vel facto declarat ſe cum Caluiniſtis ſentire; aut velle mori in eorum fide; vel ſe credere eos nihil contra fidem Catholicam docere. ita *Azor. tom. 1. li. 8. c. 15. q. 1.* videatur *Farinac. de hæreſi q. 187. §. 8. nu. 104.*

Tertium. Receptatores Hæreticorum ſunt, non qui Hæreticos tanquam conſanguineos recipiunt, aut alia, quam hæreſis, cauſa; ſed qui ſcienter tanquam Hæreticos, & vt hæreſi faueant, domi, vel alicubi excipiunt. *Azor. tom. 1. lib. 8. c. 15. q. 2. Farin. de Hære. q. 182. §. 9. nu. 132.*

Quartum. Defenſores Hæreticorum ſunt, qui quomodolibet impediunt capturam Hęreticorum, condemnationem, animaduerſionem, ſupplicium, aut ne denuncientur, vel accuſentur, aut ne praua eorum dogmata examinentur, quatenus hęretici ſunt, & non ex alia cauſa, vt dictum eſt. Denique tales iudicantur, qui quauis ratione Inquiſitorū munus impediunt, ex motiuo mox dicto. Ita *Azor. loc. cit. q. 6. vide Farin. loc. cit. nu. 56.*

Quintum. Fautores hæreticorum dicuntur tàm ex omiſſione, quàm ex commiſſione, niſi id faciant non ratione hæreſis, ſed propinquitatis, aut alia, vt dixi; *Azor. loc. cit. q. 7. Farin. loc. cit. §. 1. nu. 1. lege infra part. 4. lib. 11. caſ. 1. ibi, Faut. hæret.* Fautores item ſunt, qui ita fauent ipſis, vt inde hæreſis ipſa foueatur, & propagetur.

Sextum. *Diffamati* de hęreſi dicuntur illi, de quibus eſt publica vox, & fama apud omnes, vel maiorem partem Ciuitatis, vel vicinię, vel villę; quòd talem hęreſim prędicauerint, ſeu defenſauerint, vel aliter illi hęreſi adhęſerint; *Direc. Inquiſit. p. 2. q. 7. num. 1. Farin. de hæreſi, q. 18. §. 5. num. 53. Zanar. verò in Direc. theol. 2. 2. cap. 38.* ſentit, quòd diffamatus idem ſit, ac infamia notatus apud probos.

Septimum. Suſpecti de hæreſi dicuntur patrantes ſuſpecta, vt qui v.g. hęreticales blaſphemias euomunt, inuocant Dęmones, recuſant ſe ſubijcere examini in cauſa hęreſis, qui fidem Chriſti ore negant, qui impediunt officium S. Inquiſitionis &c. *Santar. in tract. de hæreſi c. 41. dub. 3. Menoch. de præſumptione lib. 5. præſumpt. 6. nu. 15. & 16.* Denique ſunt omnes, de quibus quinque vltimi caſus Edicti.

Octauum. Schiſmatici dicuntur, qui diuiſi ab vnitate Eccleſiæ Romanæ Summo Pontifici ſubeſſe renuunt. *Farinac. de hære. q. 184. num. 8. 9.* ſed clarius ſuis locis.

Nonum. Apoſtatæ à fide ſunt, qui fidem relinquunt Chriſtianam, quam in Baptiſmo promiſerunt, & tranſeunt ad Iudæos, Turcas, Saracenos, Idolatras, *Farin. de hæreſi. q. 183. nu. 13.* etiam ſi id faciant ex libidine, vel deſperatione, animo non relinquentes Catholicam fidem; quia quantum ad Eccleſiam apoſtatæ ſunt, *Farin. ibid. num. 22.* licèt non in conſcientiæ foro, & apud Deum, qui cor intuetur.

Decimum. Blaſphemi hæreticales dicuntur, qui hęreticales blaſphemias euomunt, vt qui verba proferunt contra articulos fidei, vt Deū non eſſe omnipotentem. *Direc. Inquiſit. par. 2. q. 41. num. 2.* vel proferunt verba habentia ſignificationem infidelitatis, quę directè opponuntur confeſſioni fidei, vt abnego Deum, non credo in Deum, renego fidem, vel Crucē D. Ieſu Chriſti, aut chriſma &c. ità *Pegna in Direc. Comm. 66.*

Vndecimum. Sortilegi ſunt, qui in ſuis ſortilegijs faciunt, vel admiſcent aliqua, quæ hęreſim ſapiunt, vt ſi Dæmonibus honorem latriæ, aut duliæ impendant, puerum rebaptizent, vel admiſceant in illis Oleum Sanctum, Sacram Euchareſtiam, vel Sacramentalia, vtpotè aquā benedictam, cereum Paſchale, vel candelas de arundine, vel Sanctorum Reliquias. ità *Direct. Inquiſit. par. 2. q. 42. num. 3. vbi Pegna, Comm. 67.* item, qui diuinationis ſcientiam profitentur, vel qui diabolicam profeſſi religionem, noxia quęque ſuperſtitioſa, eluſoria Dęmonis inſtructione patrant. Sortilegiorum autem ſpecies tres potiſſimum ſunt, diuinatoria, amatoria, venefica. Ita *Godof. in theor. crim. §. Sortilegium nu. 2. & 5. Videatur Farin. de hæreſi, q. 181.* ſi vis ſcire, quę ſortilegia contineant hęreſim, & quæ hęreſim ſapiant adi *Martin. del Rio lib. 5. Magic. Diſquiſit. ſect. 5. axiom. 1.* ſi etiam vis ſcire, quæ propoſitio ſit hęretica, quę ſapiat hereſim, & quæ erronea, quę temeraria, quę ſchiſmatica, quę ſcandaloſa, quę iniurioſa, quę impia, quę blaſphema, adi *Ricciull. lib. 5. de iure perſ. c. 8. per totum: Bariol. in flor. Inquiſitorum poſt 3. p. pag. 187. Lazarium de blaſphemia, & nos par. 4. lib. 3. diſt. 2. 2. par. art. 6. Diff. 1.*

Decimum ſecundum. Pęnitentię ſalutares dicuntur, quę ſolùm extraiudicialiter infliguntur .s. priuatim, & in ſecretò complentur, vt ieiunia, diſciplinę, recitationes Pſalmorum &c.

Decimum tertium. Libri hęreticorum tractantes de Religione ij dicuntur, qui pertinent ad explicationem fidei, Sacrę Scripturę, Theologię Scholaſticę, de cultu Dei, & Sanctis debito, de Clericis, de Monachis, de moribus Chriſtianis, de conſcientia. *Duardus in Bulla Cana lib. 2. can. 1. q. 45. concl. 2. nu. 23.*

Decimum quartum. Libri continentes hęreſes dicuntur nedum illi, qui plures hęreſes,

ſed

ſed etiam illi, qui vnicam tantum complectuntur. faciunt allata per *Bariolam loc. cit.* ſcripta quoque continentes hæreſes non ſolum appellantur illa, quæ plures item hæreſes continent, ſed etiam, quæ vnam ſolummodo.

Decimum quintum. Magia ſi ſit Dæmoniaca, eſt poteſtas inordinata faciendi, quod eſt ſupra naturam, & verſatur circa quoſdam effectus mirabiles; vnde Magi ſunt effectores rerum mirabil. arte Dæmonis. Semperq; eſt peccatum mortale, ratione inuocationis Dæmonis, hæreſis adiunctæ, vel ſaltem illius præſumptionis. DD. communiter. Diuinare .i. rem diuinam agere aperiendo occulta. Horoſcopos vocant DD. qui ex die, & hora natiuitatis diuinant ſucceſſum hominis.

Decimum ſextum. Abuti rebus ſacris eſt illis vti contra ſuam naturam, ideſt contra id, ad quod fuerunt inſtitutæ. *Abbas in cap. ex litteris, de conuerſione infidelium.*

Decimum ſeptimum. Sacerdotis officium vſurpantes, ſunt, qui, cum careant ordine Sacerdotali, celebrant Miſſam, vel confeſſiones excipiunt.

Decimum octauum. Superſtitio eſt vana, ſeu falſa Religio; Religio autem eſt virtus debitum cultum Deo exhibens, contra quam eſt ſuperſtitio, quæ indebitum cultum exhibet.

Decimum nonum. Negromantia eſt diuinatio, quæ fit per mortuorum ſuſcitationem; verùm Dæmon neminem reuocare poteſt ad mundum hunc; ſed fingit reuocare aſſumendo corpus, ac ſi anima eſſet, quidquid aliqui ſenſerint. Legendus eſt *Toletus lib. 4. cap. 15. num. 4.*

Vigeſimum. Incantatores dicuntur, qui artem Magicam verbis tantum peragunt, ſcilicet, qui faciunt mirabilia in aliquo corpore, vel animali, verbis ſolis adhibitis, vt firmare ſanguinem, vel dolorē dentium ſolummodo verbis; quòd notat *Summa Pacif. ſuper principio c. 4.*

Vigeſimum primum. Conuenticula celebrantes in materia religionis, ſiue fidei ſunt, qui voluntariè dubij de rebus fidei, cum alijs item dubijs occultè ſe abdunt de fide differendo contra illud, quod egit Chriſtus, qui de ſe ipſo teſtimonium perhibendo dicit. *Ego palam locutus ſum, & in occulto locutus ſum nihil.* Vide *Direct. Inquiſ. in litteris Apoſt. pro Officio Sanctiſ. Inquiſit. littera Innocentij 4. incipit: Ea eſt in fouendis &c.*

Vigeſimum ſecundum. Inuocatio Dæmonum expreſſa cōtingit, cum quis intendit illos inuocare: item cum quis ſciens Dæmonem mediante tali ſigno concurrere, illud ponit: tacita verò contingit, cum quis medijs, vanis, & inſufficientibus, quibus ſe immiſcet Dęmon, procurat intentum; & ſi illum minimè inuocare intendat, *Bonac. de decem precep. diſp. 3. quæſ. 5. punc. 3. propoſ. 2. nu. 1.*

Vigeſimum tertium. Pactum ſcilicet cum Dęmone eſt duplex; tacitum, & expreſſum; tacitum, vt cum paciſcens Dæmonis aſpectū, vel colloquium reformidans init illud per tertium, v. g. per Magum. Expreſſum fit ſolemnitate, fidelitate, & homagium promittendo Dæmoni apparenti in aliqua forma corporea coram teſtibus: ita *Franciſcus Maria Guatius in Compendio maleficarum, lib. 1. c. 6. poſt Grillandum q. 3. nu. 1. & ſeqq.*

Vigeſimum quartum. Imprimentes .s. libros hæreticos hæreſes continentes, aut de religione tractantes ex profeſſo, ſunt Typographus ſoluens expenſas Impreſſoribus, componentes typos, compingentes litteras, ita *Ioannes Reſinch. in manipulo Franciſcanorum, par. 3. cap. 41. ibi octauò.*

Vigeſimum quintum. Effectum ſapere manifeſtam hæreſim, v. g. Dæmonis adoratio, eſt illam ſapere intrinſecè, & ex natura rei. Cauſa naturalis operatur ex vi non externa, ſed inſita, & vniformiter: Cauſa verò moralis operatur volendo, imperando, conſulendo, &c. ità *Leonardus Vairus de Faſcino lib. 1. cap. 2.*

Vigeſimum ſextum. Rebellis, & contumax non eſt idem cum hæretico; nam hæreticus efficitur homo præciſè diſſentiendo ſcienter Eccleſiæ in his, quæ ad fidem pertinent: Efficitur verò Rebellis, & contumax reſpectu aliarum rerum à fide, verb. gratia, ratione inobedientiæ: ex. gratia *Ioann. 22.* dicit, *quod ius non ſeparatur ab vſu in rebus vſu conſumptilibus, determinans contrarium ſentientes eſſe rebelles, & contumaces; ſed non hæreticos.*

Vigeſimum ſeptimum. Neophyti dicuntur, qui non nati ex originarijs Chriſtianis; ad fidem Catholicam conuertuntur, de quibus *B. Gregor. lib. 4. Regiſti, epiſt. 51. c. 95 & lib. 7. epiſt. 100. & Gratianus in cap. ſicut Neophytus diſt. 48.*

Vigeſimum octauum. Iudaizare, Mahumetare, Saracinare, vel Gentilizare eſt tranſire, vel redire ad ritus Iudæorum &c. ita *Arnaldus Albertinus de agnoſcendis aſſert. Catholicis quæſ. 2. nu. 7. Bizozerus verò in Sum. part. 1. de præceptis Decalogi nu. 13.* dicit, quod iudaizare, eſt ſeruare vetus teſtamentum.

Vigeſimum nonum. Hæreſis explicita eſt damnata ſpecialiter, vt hæreſes Arij, Neſtorij &c. implicita verò eſt, quæ viri litterati reputant contrariam alicui veritati Catholicæ. *Arnaldus Albertinus loc. cit. quæſ. 8. nu. 2.*

Trigeſimum. Actus, qui manifeſtam ſapiunt hæreſim, ſunt regulariter illi, in quibus deſignatur aliquid, quod eſt hæreſis manifeſta: ex. gratia illi, qui baptizant imagines, canes, acus, hiſq; ſimilia: deſignant enim prædicta Sacramenti Baptiſmi eſſe capacia, quod eſt manifeſtè hæreſis. Item, qui Dæmonibus ſacrificant, quia hoc actu demonſtrant illos ſacrificiorum veneratione dignos eſſe, quod patet eſſe manifeſtam hæreſim, conſulto *Eymer. in Direct. Inquiſ. par. 2. c. 42. verſ. quidam alij:* quod in primis obſeruat *Barthol. Gyptius in tract. de*

caſibus

caſibus reſer. caſ. 3. cui annexa eſt excomm. Praxis Neapol. Genuenſ. cap. 18. nu. 11.

Itidem tunc actus manifeſtam ſapit hæreſim, cum in ipſo intercedit abuſus Sacramentorum, vel Sacramentalium, v. g. ſi quis (quod abſit) vteretur Sacramento altaris ad incantationes, diuinationes, vel ſortilegia. faciunt adducta per *Bernardinum Comenſem in Lucerna Inquiſitorum. verb. Sacramentis abuti nu. 1.* vel ſi ad inueniendum furta, vel aliud occultum vteretur aqua benedicta. ita ex *Lucerna Inquiſitorum: verb. diuinatio, nu. 2. ex Barthol. Gyptio, vbi ſupra,* qui ſentit hoc idem, ſi in prædictis ſuperſtitionibus intercedat abuſus Euangelij, Symboli fidei, Pater noſter, Aue Maria, aut Sacræ Scripturæ. Actus verò præciſè ſapit hæreſim, quandocunque illius grauem præſumptionem offert. *Biniſfeldius de Malef. & Math. lib. 4. q. 2.*

ART. III.
Edicti obſeruationes notabiles.

1 Licèt textus præciſè de aliquibus ſuperſtitionibus ſpecificè mentionem faciat, aliàs tamen omnes, licèt ſolùm genericè tactas complectitur (loquendo tñ de mortaliter peccaminoſis) quod conſtat per illam clauſulam, *ò ſimili altre ſuperſtitioſe attioni*: quæ eſt propoſitio indefinita æquipollens vniuerſali: quare in hoc textu non procedit illa regula exceptio firmat regulam in contrarium: tùm quia expreſſio fit ratione exempli, non autem firmandi regulam in contrarium in non expreſſis, ſeu non nominatis; tum quia quæ non allegantur in ſpecie, allegantur in genere, quod ſufficit ad comprehenſionem. faciunt tradita per *Proſperum Quaranta in Compendio Bullarum, verb. Caſus reſeruati par. 3. caſ. 1. Coriolanum de caſibus reſer. caſ. 1. Homobonum ſuper caſus Religioſis reſeruatos caſu primo. Graſſium item de caſibus reſeruatis par. 3. caſ. 1.* & regulariter omnes expoſitores caſus reſer. quibus tamen obſtat *Bordonus reſol. 40. nu. 1.*

2 Quamuis littera textus ſolummodo explicitè præcipiat deferendos eſſe S. Officio detinentes libros hæreticorum ex profeſſo de religione tractantes; implicitè tamen veniunt deferendi etiam illi, qui retinent, aut retinuerunt libros Gentilium, aut Iudæorum de religione pertractantes, vt Alchoranum, Talmud &c. nam de ſimilibus idem iudiciũ; clarumq; eſt per S. Scripturam: tangentes picem ab ea inquinari.

3 Edicta Inquiſitorũ, quibus præcipiunt, vt quidam criminoſi deferantur, abſque vlla conſultatione, de qua re vide etiã *lib. 2. diſt. 2. art. 2. diff. 2.* non ſunt intelligenda, vt qui ſciuerit, non teneatur fraternè admonere peccantem, quãdo ita expedit attenta qualitate delicti, & peccantis iuxta regulas in tractatu de correptione fraterna infra tradendas. Nec item, vt nunquam conſilium ſit petendum; ſed quod non ſit petendum ab ijs, qui ignorant fidei ſingularia, qui profectò non ſunt pauci; cum ab his iuſtum conſilium haberi non poſſit. Nec itidem, vt in ſacramentali confeſſione non liceat cuilibet ſtatum ſuæ conſcientiæ aperire docto, pio, & diſcreto Confeſſario, qui in dubio tenetur remittere pænitentem, vt conſulat edoctũ de ſingularibus fidei, quæ potiſſimè collegit *Ioan. Roy as, Trac. de ſingularibus fidei, par. 1. per totum*, quorum numerus eſt ingens: vnde leui negotio hæc ignorantes falluntur; quare in re tanta, ne error contingat, conſultius recurritur ad Inquiſitores, Vicarios Inquiſ., Conſultores S. Officij &c. in defectu autem legendus eſt *Valerus de differentijs vtriuſque fori*, vbi *de differentia inter forum S. Officij, & alia*: quia ignorata differentia conſilium iuſtum haberi non poteſt: ſunt .n. plurima priuilegia in fauorem fidei, quæ, vt dixi pauci callent, quo fit, vt ſæpè ſæpius conſilium datum ab his, qui ſolum attendunt ius commune, altero claudicet pede: vnde prudenter, & iuſtè præcipitur denunciatio, omiſſa qualibet conſultatione, modo .s. prædicto. faciunt, quæ tradit *Bannes 2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 2. ad 7.* ad replicam argumenti in contrarium. *Peirinus de Priuil. Frat. Minimorum*, legito ſeriem verborũ, *ver. Edicta.*

4 Edicta ſuperiorum ſeruanda ſunt ad litteram, niſi euidens ſit illa continere aliquid contra ius diuinum, vel naturale: quod ſi dubium ſit; nihilominus obediendum eſt, quia id examinare ad ſubditos, & priuatos minimè pertinet; ſed iudicandum eſt illa iam fuiſſe à ſuperiore optimè diſcuſſa. ita *Salon. tom. 1. de iuſt. & iur. in 2. 2. D. Thom. quæſt. 68. art. 1. controuerſia 2. ibi, Quando obligent præcepta, & Edicta Superiorum.*

5 Edicta, in quibus præfigitur tempus, obligant intrà illud, quando peruenerint ad notitiam; ita vt intrà illud non denuncians ſit inobediens, in cenſuramq; illis appoſitam incurrat; quę verò non præfigunt tempus, ſed publicantur ſtata die ſingulis annis, vt Edicta Inquiſitorum, ſemper perſeuerant; vnde, qui antecedenti anno aliquem denunciare omiſit, ſequenti adhuc tenetur. *Salon. loc. cit. concluſione 2.*

6 Quando per Concionatorem, vel Parochum indicitur tali die publicandum eſſe Edictum S. Inquiſitionis in templo, præcipiturq; ſub certa pæna, vt omnes ad illud audiendum conueniant; in locis populoſis, & magnis non videtur omnes ita obligari, vt nullus deſit; nec adeò ſtrictè, vt qui non adfuerit, peccet, incurratq; taxatam pænam: cenſetur .n. id impoſſibile; ſed ſat eſt, vt maxima pars ibi conueniat, quæ referre valeat in illo Edicto contenta, Patet ex vſu, & pietate; non enim eſt credendum Inquiſitores, viros vtique prudentes, velle ligare cenſuris omnes ciues ad rem adeò difficilẽ, & (moralitèr loquendo) ferè impoſſibilem. Dices, ſi ſinguli non obligentur nemine excepto,

dempto,

dempto, vnuſquiſque deeſſe poterit; & perindè fruſtra indictio facta fuiſſet, quod nullus dicet. Reſpondetur Edictum intelligendum eſſe moraliter, nimirum vnumquemque, qui infirmitate, aut alio iuſto impedimento non detinetur teneri, vt conueniat ad illud templum, die, & hora, in qua proponendũ eſt; hinc ſequitur, vt ſi pluries legatur non teneri ſingulos eodem die adire ad illud audiendum; ſed ſatis eſſe, ſi quiſque ſemel illud audiat. Religioſi item, quando edictum non promulgatur in eorum domibus non ideò tenentur omnes exire ad illud audiendum; cum non conueniat eorum ſtatui, & ita eſt vſu receptum. *Salon. vbi ſupra concl. vltima.*

DISTINCTIO SECVNDA
De cauſa formali Edicti.

De forma Edicti loquuturus, not. in primis formam duplicem eſſe alteram intrinſecam, quæ dat eſſe rei eſſentiale: alteram verò extrinſecam, quæ ſolum dat eſſe rei accidentale, & de vtraque indifferenter diſſeremus, formabimusq; tres articulos. Primus erit de modo proponendi Edictum, alter de loco, & tempore, quo affixum manere oportet: Tertius verò erit de diſtinctione, & conuenientia inter Edictum Inquiſitorum, & Prætorum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An S. Inquiſitionis Edictum voce, aut ſcriptura proponi debeat.

RAtio autem difficultatis eſt, quia primo acceſſu videtur, quod potius voce, quam litterarum monumentis; primò quia ſcriptura comparatiuè ad vocem prædicantis non eſt, niſi vox mortua. Secundò quia excellentior, & efficacior eſt modus docendi verbo, quam ſcripto, vt tradit *Liranus loco infra cit.* Tertiò nequis, & maximè ſimplices fallantur credentes, quòd in Edicto non plura contineãtur, quam verba ſonant: cum in illo virtualiter, & implicitè habeatur quidquid in litteris Apoſtolicis ad S. Officium ſpectantibus explicitè, & formaliter ſcribitur, denunciationem, ſeu abſolutionem reſpiciens; illa autem doctrina non debet litteris dari, quæ ipſis minimè comprehendi, nec explicari poteſt.

Reſpondetur Edictum S. Inquiſitionis potius litterarum monumentis, quam ſola voce tradi debere: tum quia ſcriptura memorię ſuffragatur, vt notum eſt, tum quia, cum Edictum ſit lex, quæ ſemper loquitur obligando ad ſui obſeruationem, in ſcriptura præ oculis manere debet. tum præterea, quia Deus benedictus ſcripto tradidit ſuum legis Edictum; prout habetur *Exodi 24. ibi, dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem, & mandata, quæ ſcripſi*. faciunt quæ docet *Nicolaus de Lira in Epiſtolam ad Hebræos circa finem, cap. 8.*

Ad primam rationem in oppoſitum dicendum eſt, quòd quamuis ſcriptura ſit vox mortua voci concionatoris comparata: præualet tamen voci ipſius in alijs multis, vt ſupra.

Ad ſecundam dico, quod licet ſit efficacior, & excellentior modus inſtruendi verbo, quam ſcripto: vtilior tamen in multis alijs contingit inſtructio per ſcripturam: hinc aliqui ex Diſcipulis Chriſti Euangelia, & alios libros noui teſtamenti ſcripturæ tradiderunt: Patres item Sacrorum Conciliorum voluerunt deciſas ab ipſis quæſt. ſcripturæ tradi.

Ad tertiam reſpondeo ab Inquiſitoribus prouiſum fuiſſe periculo ſimplicium addendo Edicto, quòd per caſus in ipſo expreſſos, non excluduntur alij non expreſſi; in Sacris tamen Canonibus, Decretis, Conſtitutionibus, & Bullis SS. PP. comprehenſi. conſtat per textum ibi: *Dichiarando, che per la ſopradetta eſpreſſione de caſi da noi ſpecificati &c. non eſcludemo gli altri caſi ſpettanti al S. Officio, che &c.*

DIFFICVLTAS II.
Edictum in hac Diœceſi Bergomen. ab Inquiſitore quomodo propoſitum.

PRO intelligentia, ſciendum eſt Edictum S. Officij ab Inquiſitoribus dupliciter proponi poſſe, vz. ſpecialiter, aut generaliter: tunc proponitur generaliter, quando abſque aliqua præcedente infamia contra perſonas incertas; idq; fit in fauorem fidei, & Reipublicæ vtilitatem: *cap. excommunicamus, §. adijcimus; & §. fin. de Hæreſibus; & alibi: Ludouicus à Paramo de origine S. Inquiſitionis, lib. 3. q. 4. n. 23.* illudq; proponit ratione officij, non autem ad inſtantiam Fiſcalis. Specialiter verò tunc proponitur, quando contra determinatas perſonas præcedente infamia, quæ vim habet accuſationis, *cap. qualiter, & quando, de accuſat.* Modo ad propoſitum deueniendo dicendum eſt Edictum S. Officij in Diœceſi Bergomen. proponi non ſpecialiter, ſed generaliter; conſtat ex textu, qui non militat contra certas perſonas, ſed benè contra incertas. Qui itidem proponitur ab Inquiſitore ratione Officij ad ſatisfaciendum ſuo muneri: non etiam ad inſtantiam Fiſcalis S. Officij, patet ex textu ibi: *deſiderando, come ricerca il carico di queſto S. Officio à noi impoſto, che &c.*

ART.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
Edictum vbi affigi, & quanto tempore affixum manere debet?

QVO ad locum reſpondetur Edictum debere publicè affigi præcipuè in foribus maioris Eccleſiæ. *Clemen. 1. de iudic.*

Quò verò ad tempus reſpondetur non reperiri iure expreſſum quanto tempore affixũ perdurare debeat, vt in *l. 1. ff. de iure deliber. & facit c. capientes 2. reſponſ., & cap. in fine de electio. lib. 6.* Quare id Iudicis arbitrio relinquitur *Paramus de orig. S. Inquiſ. lib. 3. q. 5. nu. 27. cum alijs.*

Sufficitq; vt in actis appareat ſcriptura, quòd Edictum fuit publicè affixum in tali loco: neque eſt neceſſe, quod notetur, quanto tempore manſerit affixum; quia ex quo ſemel fuit affixum, præſumitur duraſſe affixum, cum eius ablatio, vel corruptio ſit delictum: tollens .n. præter excommunicationis pænam, vt patet littera, ibi, *non ſia rimoſſo ſotto pena di ſcommunica*; punitur pæna Edicti iuriſdictionis omnium Iudicum, quæ pæna eſt quingentorum aureorum, iuxta *tex. in l. ſi quis id quod, ff. de iuriſdictione omnium iudic.* Quæ quidem militat tàm contra corrumpentẽ, quàm contra eum, qui corrumpenti fauet, vt tradit *Barth. in d. l. ſi quis id quod, §. ſerui quoque nu. 9. &* 10. quem communiter ſequuntur DD. vt notat *Paramus loc. cit. nu. 26. contra nonnullos.*

Verùm hic veniunt duo notanda. Primum, quòd tollentem Edictum ſolummodo materialiter: v. g. vt ipſum commodius legat, cenſeo non peccare, nec in aliquam incidere pænam: quia id non præſtat, vt ſuppono, nec in odium S. Officij, nec, vt illud abſcondat, nec ob alium prauum finem; qui ſi non vult, vt præſumptio ſit contra ipſum in foro externo; iterum ad valuas illud affigere neceſſe eſt.

Alterum eſt, quod bona eſſet cautela, ſi Inquiſitores, vbi Edictum non perſeuerat affixũ, facerent de tempore, quo permanſit affixum, fieri ſcripturam. Lege *Bart. in extrauag. ad reprimendum, in verb. publicè, & notat Ludouicus à Paramo loc. cit. nu. 27. in fine.*

DIFFICVLTAS II.
Edicti S. Inquiſitionis terminus .s. ad denunciandum.

QVando in Edictis ponitur terminus ad denunciandum reſoluunt DD. vt notat *Bonac. de oblig. denunc. diſput. 6. §. 8. & de Cenſuris diſp. 2. q. 6. pun. 1. nu. 25.*, terminum non cenſeri incipere, niſi poſt fraternam monitionem præmiſſam, & perindè excommunicationem non incurri, niſi prius ipſa monitio ſit adhibita, quod maximè locum habere poteſt, inquit *Bonac. loc. cit.*, ſi quis alioquin bonæ conditionis vir aliqua animi perturbatione commotus ex ſubreptione, vel linguæ lubrico, quod ream mentem non facit, *c. homines. 22. quæſt. 2. Tuſc. in ver. lubrium, concl. 444.* blaſphemias euomeret: nam ſic blaſphemans non dicitur ſuſpectus de hæreſi, vel ſaltem ſolummodò leui ſuſpicione laborat; at non ob leuem, ſed ob vehementem denunciationem faciendam probabilius DD. tradunt. *Alphonſus de Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione, cap. 25. Marcus Ant. Genuen. cap. 23. num. 11. Simancas tit. 50. num. 28. Lazarius Canon. qq. de blaſph. quæſt. 12. num. 22. Homobonus de caſibus reſer. par. 2. caſ. 1. ibi, Blaſphemi quinam denunciandi, & alij &c.* Ego verò cenſeo iuxta diuerſitatem delictorum correptionem fraternam interdum omittendam, interdum verò præmittendam: Quare conſulenda ſunt, quæ infra tradèmus de correptione fraterna. Sciendumq; eſt Inquiſitores admonitos de talibus criminibus triticum melius à zizania ſcire ſeparare, quam audientes.

Verùm obſeruandum eſt, in Edicto generali S. Inquiſitionis arbitrarium eſſe Inquiſitori plures, vel pauciores dies aſſignari ad denunciandùm; quinimmo præcipere poteſt, vt quam primùm reuelentur de fide ſuſpecti; qualem modum ſequitur Inquiſitor Ciuitatis, & Diœceſis Bergomen. vt conſtat ex textu, ibi, *Debbano al S. Officio di queſta Città reuelare quanto prima giuridicamente &c. Simancas de Catholicis inſtit. tit. 44. nu. 3. Pegna ſuper tex. part. Direc. Inquiſ. Commen. 12. nu. 56. & alij.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
Edicti Inquiſitorum ab Edicto Prætorum diſtinctio, & conuenientia.

EDictum Prætoris ab Edicto Inquiſitoris S. Officij diſtinguitur tum modo manifeſtationis, tum pluriũ innoteſcentia, & manifeſtatione; quia Edictum Prætoris voce præconis manifeſtatur: Edicta verò Inquiſitoris affixione ad valuas præcipuarum Eccleſiarum: nec obſtat, quod interdum eius obſeruantia voce Prædicatoris è ſuggeſtu recordetur audientibus: quia huiuſmodi commemoratio non eſt ſtrictè Edicti publicatio; ſed, vt dixi, ſolummodo recordatio obſeruãtię ipſius.

Diſtinguitur etiam innoteſcentia, quia illud Prætoris paucis innoteſcit, nimirum ſolùm præconis vocem audientibus, & quibus hi manifeſtauerint: ſed Edictum Inquiſitoris multis; quinimmo ferè omnibus fit manifeſtum, cuius ratio eſt, quia nedum per plures dies, ſed ferè ſemper perſeuerat affixum, appoſita excommunicatione ipſum à valuis Eccleſiarum demouentibus. patet ex textu, ibi, *Non ſia rimoſſo ſotto pena di ſcommunica*; faciunt, quæ habet textus *in Authen. qui ſemel, verſ. Qui ſi cauſam, iuncta gloſſ. in verb. paucis innoteſcit, C. quomodo, & quando Iudex*, quam ſequitur *Bartol. in l. hæredes, nu. 2. ff. de teſtamen.*

Conue-

Conueniunt autem ad inuicẽ: nam vtrunq; Edictum in Ciuitate promulgatum omnes de Diœceſi afficit; cuius ratio eſt, quia in his, quæ ſiunt publicè, præſumitur ſcientia. *cap. 1. de Poſtulat. Prælatorum, & ibi gloſſ. in verb. Promulgauit, ex cap. Illud de cleric. excommunic. Ludouicus à Paramo de Orig. S. Inquiſit. lib. 3. q. 5. nu. 24.*

Verùm notandum cenſeo circa Edicta, nimirùm ipſa nõ habere locum, vbi eorum verba non poſſunt adaptari, vt notat *Bart. in l. Dies cautioni, §. Prætor ait. nu. 25. ff. de damno infecto*, quod patet à ſimili de verbis legis: nam quemadmodum, vbi legis verba deficiunt, deficit etiam eius diſpoſitio; ita vbi verba Edicti deſiderantur, deſideratur et̃ ipſius diſpoſitio. Quare ne quis fortaſſe excuſationẽ ex defectu verborũ Edicti S. Inquiſit. in aliquo caſu afferre poſſet reſpectu eorũ, quę in ipſo explicitè nõ ſunt poſita; meritò additur generalis clauſula complectens caſus in eo non expreſſos, ſed tñ in ſacris Canonibus, Decretis, Conſtitutionibus, & Bullis explicitè, clarèq; comprehenſos, ibi: *Dichiarando, che per la ſopradetta eſpreſſione de caſi da noi ſpecificati da reuelarſi, non eſcludemo gli altri caſi ſpettanti al S. Officio, che per altro ne' ſacri Canoni, Decreti, Conſtitutioni, & Bolle de Sommi Pontefici ſono compreſi.*

DISTINCTIO TERTIA
De cauſa efficiente Edicti.

Abſolutis cauſis intrinſecis Edicti aggrediar extrinſecas, s. efficientem, & finalem, & quia efficiens eſt potior, locus datur ipſi primus. Diſtinctio hæc reſpicit primò potentiam ad publicandum Edictum. Secundò obligationem. Tertiò fundamentum vtriuſq; s. potentiæ, et obligationis. Quartò, quæ ſunt delegata Inquiſitoribus. Quintò permanentiam Edicti, iuriſdictioniſq; ipſius, & iuxta hæc quinque, quinque etiã erunt articuli.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Edictum an Inquiſitores promulgare poſſint.

Reſpondendum videtur primò negatiuè, quia cauſæ fidei, vtpotè maiores, ac grauiores Summo Pontif. Concilijſq; vniuerſalibus ſunt reſeruatæ. *gloſſ. cap. Cõſultationi, verb. Diſpenſatione de Apoſtat. text. cap. Quoties, 24. quæſt. 1. Archiep. Floren. in ſumma part. 3. tit. 22, cap. 7. & 63. Innocentius iij, cap. Maiores, de Baptiſm. Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum Papam, cap. Hac eſt, 24. qu. 1.*

Secundò, quia nec Prouincialia Concilia, nec Patriarchæ, nec Primates, nec Epiſcopi cauſas ad fidem ſpectantes decidere poſſunt; cum harum determinatio, (vt dixi) ſit reſeruata Summo Pontifici, Concilijſq; vniuerſalibus.

Tertiò, quia illius eſt interpretari legem, cuius eſt condere, *text. cap. Quoniam conſtitutio, de Conſtitutio., & alibi*; ſolius autem Pontificis, & Concilij vniuerſalis eſt condere legem: ergo etiam illorum tantum eſt interpretari, loquendo de interpretatione, quæ legis vim habet.

Affirmatiuè tamen ſentiendũ; primò, quia Summus Pontifex in his, quæ ad fidem pertinent, tribuit Inquiſitoribus, cuius ſunt delegati, poteſtatem, quam ipſe habet, *cap. Per hoc, de Hæret. in 6, & ibi DD. quamplures*, quos breuitatis gratia conſultò prætermitto: quare ſi Põtifex poteſt, & ipſi poſſunt. *facit cap. vt Commiſſi, de Hæret. §. conuocandi. lib 6.* Idem comprobatur quampluribus Diplomatibus Summorum Pontificum, quæ citat *Paramus de Orig. S. Inquiſit. lib. 3. q. 5. nu. 37.*

Secundò, quia quando iuriſdictio in cauſis fidei Inquiſitoribus delegatur; ea etiam conceduntur, ſine quibus iuriſdictio exerceri non poteſt, *cap. Præterea, de Off. Delegati, l. 2. ff. de Iuriſd. omnium iudicum. l. Ad rem mobilem, & l. Ad legatum, ff. de Procurat. & alibi*: ſed v. g. Inquiſitio generalis fieri non poteſt, niſi præcedente Edicto; Ideo Inquiſitores Edicta publica conſtituere, & publicare poſſunt. *faciunt, quæ habet Lazarius de Blaſph. q. 12 nu. 18.*

Ad contraria ſententiæ negatiuæ reſpondetur, ea tantum probare quæſtiones grauiores fidei interdum contingentes præciſè pertinere ad Cõcilium generale, & ad Summ. Pontif. s. quò ad deciſionem, & determinationẽ: Iudicare verò de Hæreticis, aut de hæreſi ſuſpectis, illoſq; punire pertinet quoq; ad Inquiſitores S. Officij, vti S. Pontificis Delegatos. Quare not. eſt aliud eſſe hæreticos iudicare, & punire: aliud verò propoſitionem, de qua inter doctos Catholicos vertitur dubium, an hæretica, vel Catholica ſit determinare: nam primum eſt commune Papæ, Concilijs, & Inquiſitoribus S. Officij. Secundum verò eſt ſolius Papæ, & Concilij vniuerſalis. Hac diſtinctione conciliantur contraria. Tertium conſtat, conceditùrq; interpretationem illam, quæ vim legis habet, eſſe ſolius S. Pontificis, & Cõcilij vniuerſalis; illa verò DD. cur Inquiſitorib. in ſingularibus fidei lõgè peritis denegabitur?

DIFFICVLTAS II.
An ſolummodò Inquiſitores à Sede Apoſtolica delegati Edicta fidei publicare poſſint.

PRO parte negatiua legendum eſt *Conc. Prouinciale Mediol. 1. tit. de Profeſſione fidei, §. Parochi. item Conc. 2. tit. 1. decreto 1. Edictum S. Caroli Borromei, quod habetur 3. part Actorum Eccleſiæ Mediolan. Edictum Ioann. Baptiſtæ*

Milani Epiſcopi Bergomi in ſua tertia Synodo editum. Itidem Edictum Cæſaris Speciani Cremonen. Epiſcopi in prim. ſua Synodo idibus Ianu. 1599. *tit. de fidei tuendæ ſtudio : idem alij Epiſcopi, vt refert Lazarius de blaſph. quæſt.* 12. *à nu.* 19. *& deinceps.*

Pro parte affirmatiua legendus eſt *Ioannes à Royas de Hæreticis par.* 2. *vbi de priuilegijs Inquiſitorum, n.* 415., qui etiam ibi refert reuocatum fuiſſe quoddam Edictum iuſſu Ordinarij publicatum, *& faciunt, quæ tradit Barboſa ad Conſtitutionem Vrbani IV. incipit Licèt &c.* ad illa verba: *Nec per hoc, quod fidei negotium &c. nu.* 3. *Valerus de differentijs vtriuſque fori, verb. Hæreſis, differ.* 3. *Riccius part.* 3. *deciſ.* 279. *num.* 1. ſcribentes hodiè quo ad forum exterius reſtrictā eſſe Epiſcoporum poteſtatem.

Verùm, ſi mihi fas ſit loqui in re tàm graui, dicere placet attendendum eſſe cuiuſque loci conſuetudinem, quæ vigorem habet legis, *textus in §. ex non ſcripto, Inſtit. de Iur. naturali gent., & Ciuitatum*, vbi communiter DD. *l. minimè, ff. de legibus*, quæ cum rationabilis ſit, & legitimè præſcripta, iuri ciuili, & canonico præponitur, *cap. vlt., de Conſuetudine, & alibi*. faciunt quæ habentur *l. Cunctos populos. C. de ſum. Trinitate, & fide Cath. l. Nos reddentes eod. tit. cap. vt commiſſi. §. conuocandi de Hæreticis, lib.* 6. *cap. Excommunicamus, §. adijcimus de Hæreticis, l. Congruit ff. de Officio Prætoris. Royas de ſingularibus fidei, ſingulare* 5. hinc videmus alium modum obſeruari in Hiſpania, & Luſitania; & alium in Italia. Nam dictis locis ſoli Inquiſitores, nulla verò ratione Epiſcopi ex præſcripta conſuetudine, & litteris Sedis Apoſtolicæ poſſunt publicare Edicta fidei. *Molina tract.* 5. *de Iuſtitia, diſp.* 28. *nu.* 14. *Diana part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 126. & faciunt, quæ notat *Sanctarellus de Hæreſi, c.* 4. *dub.* 2. *nu.* 15. *Caſtrus Palaus in opere morali prim. par. tract.* 4., *diſp.* 8., *nu.* 6. *Carena de Offic. Sanctæ Inquiſit. par.* 1. *tit.* 4. *num.* 21. *& in Annotat. ad quæſ.* 1. *Fulcodij nu.* 13. *& alij*. In tota verò Italia (*teſte dicto Carena vbi ſupra*) ſeruatur ius cōmune, quo Epiſcopi in locis, vbi ſunt Apoſtolici Inquiſitores poſſunt, aut ſimul, aut diuiſim; Vnde Bergomi, vbi laboro, ad Edictum inſimul concurrunt Inquiſitor, & Epiſcopus, quod patet tàm ex titulo, quàm ex ſubſcriptione Edicti dictæ Ciuit. & Diœceſis. Conſuetudo aūt Patriæ eſt attendēda, poteſtatemq; ampliat, & reſtringit. *ff. de Leg.* 1. *l. ſeruus ple. in fin.* vincitq; legem. *C. de Edificat. priua. l. an in totum*, An ſoli item Inquiſitores in cauſa hæreſis, aut ſuſpicionis illius procedere poſſint.

Reſolutio huiuſce quæſ. non pertinet ad hoc opuſculum: quia non ſcribimus, niſi obiter in foro fori, cum ſimus toti in foro poli, .s. Sacramenti Pœnitentiæ, qui ſi de hac aliquam cupis habere notitiam. *Conſule prius Eminentiſs. Cardinalem Guido Fulcodium in ſuis qq. in materia S. Inquiſ. quæſ.* 1. quas habes poſt *tract. Carenæ de off. S. Inquiſ.* Deindè *Bonifacium* 8. *in cap. Per hoc de Hæret. in* 6. *Benedictū XI. in Extrauag. ex eo, de Hæreticis: Clementem V. in Clement.* 1. *de Hæret. Vrbanū IV. in ſuis litteris*, quæ incipiunt, *Licèt, &c.* vbi de commiſſione generaliter data Inquiſit. pro Lombardia, & Marchia.

Ex Doctoribus potiſſimum conſule *Molinam tract.* 5. *de Iuſtit. diſp.* 28. *nu.* 14. *Zanardum in Direct. theol. prim.* 2. *c.* 5. *de Inquiſit.*, qui clarè, & cōpendiosè quidquid Inquiſitor, & Epiſcopus inſimul, & diuiſim facere poſsūt, tibi aperit.

DIFFICVLTAS III.

An melius ſit, vt Edictum promulgetur à ſolo Inquiſitore, vel ſimul ab Epiſcopo, & Inquiſitore, vt Bergomi, & regulariter in Italia.

Reſpondeo melius eſſe, vt ab vtroque inſimul: ratio eſt, quia priuilegia Regularium reſpectu abſolutionis caſuum Ordinarijs locorum reſeruatorum reuocata ſunt à S. Cōgregatione negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſita ſub die 9. Ianuarij 1601., & 26. Nouembris 1602., & reſpectu cenſurarum eiſdem reſeruatarum ſub die 7. Ianuarij 1617, quæ ſanè priuilegia per quaſuis confirmationes ex Decreto eiuſdem S. Congreg. ſub die 17. Nouembris 1628., vnquam reuiuiſcunt; quod ponitur per extenſū à *Barboſa in ſuo trac. de Off. Parochi c.* 19. *poſt nu.* 62. quare vbi Edictum à ſolo Epiſcopo promulgatur, illi ſoli reſeruatur excommunicatio, at vbi ab Epiſcopo, & Inquiſitore ſimul publicatur, vtriq; quoque reſeruatur; vnde Regulares virtute Priuilegiorum non poſſunt ab illa abſoluere, tanquā Ordinario, & Epiſcopo loci reſeruata, niſi facta prius denunciatione, vt infra de excommunicatione.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Inquiſitores Edictum proponere teneantur.

Reſpondeò affirmatiuè, patet primò: nam quemadmodum Iudices ſeculares in delictis eorum forum reſpicientibus, vt in furtis, homicidijs, & alijs grauibus criminibus ratione officij remedia adhibere tenentur illis obuiando per Inquiſitionem, & delictorum punitionem; ita, cum crimina ad S. Tribunal ſpectantia regulariter ſint alijs grauiora; à fortiori tenentur Inquiſitores vtpotè Iudices adhoc delegati, qualibet via illis occurrere, & præcipuè via Edicti, qua obligant ſuos ſubditos ad detegendum annodatos delictis ad S. Officium ſpectantibus, vt iſtis punitis, cæteri fideles à tàm læthalibus venenis præſeruentur: *melius eſt .n. cum ſeueritate diligere, quam cum lenitate occidere, cap. Nimirum,* 24. *quæſt.* 4. *item melius eſt à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. prou. c.* 27. itidem: *melior eſt manifeſta correptio, quam amor abſconditus. prou. eod. cap.*

Secundò patet, quia quod fit in offenſā Dei; quale ſolet eſſe crimen ad S. Officiū ſpectans, dicitur

dicitur fieri in omnium iniuriam: quare Inquiſitores Edicta generalia publicare tenentur, vt huiuſmodi delictum impunitum non remaneat.

Hinc colligo quam perperam ſe habeant, qui de Inquiſitoribus cauſſantur, quando ipſorum manus ſuper ſe grauare ſentiunt: non poſſunt .n. Inquiſitores aliter ſe habere, niſi velint proprias aggrauare conſcientias, excommunicationiq; Summo Pontifici reſeruatæ ſe ſubijcere, quæ habetur in *Clemen. Multorum, §. verum: de Hæreticis*: vndè non minus de ipſis, quam de alijs ad Sancti Officij executionem deputatis nefas eſt ſuſpicari, vt odio, vel amore, lucri, aut commodi temporalis gratia imponant alteri hæreſim, aut aliud crimen, vtpotè quod impedierit S. Officium: quemadmodum e conuerſo illicitum eſt ſuſpicari, vt contra aliquem ob dictas cauſas procedere omittant. faciunt tradita à *Tol. lib. 1. c. 36. nu. 1.* aſſumuntur enim ad huiuſmodi officium ſolummodò viri ſcientia, & conſcientia præditi, vt fieri debet.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitores S. Tribunalis in ſuis Edictis teneantur exprimere ea tantum inquirere, & ſibi denuncianda, quæ aliqua laborant infamia.

QVamuis DD. controuertant circa Iudices aliorum Tribunalium; alij tenentes partem negatiuam, alij affirmatiuam: Negatiuam ſequuntur *Caiet. tom. 1. tract. 31. in reſponſ. quinta ad primum, & Dominicus Bannes, 2. 2. quæſt. 70. art. 1. dub. 2. ad ſecundum, & alij*, quorum ratio eſt, quia mandatum Iudicum intelligendum eſt iuxta ordinem iuris diuini, & naturæ; & proinde eos nolle inquirere de occultis, quorum nulla præceſſit infamia; quare ſuperfluā eſſe talem expreſſionem, iudicat. Amplectuntur verò affirmatiuam *Sotus in relectionibus de tegendo ſecreto, membro 2. quæſ. 6. poſt. 2. concluſ. Nauar. in cap. inter verba, quæſ. 3. concluſ. 6. Corrollario 6. nu. 648. & in Comment. in rubricam de iudicijs, num. 88.* profitetur ſe talem obſeruaſſe cautelam in viſitatione quorundam Monaſteriorum, *Clauis reg. lib. 12. cap. 10. num. 18. Michael. Salon. 2. 2. quæſ. 69. art. 2. controuerſ. poſt Petrum Nauar. lib. 2. de Reſtit. cap. 4. par. 2. dub. 3. num. 154. apud Clauem regiam. loc. cit. Zanardus in Directorio Theologorum. & Confeſs. par. 2. ſecundæ, cap. 42. in fine.*

Mihi verò probatur opus eſſe huiuſmòdi diſtinctione .s. in locis, vbi ſunt ſimplices, & rudes, qui facilè decipi poſſunt, putantes ſe obligatos ad reuelanda quæcunque crimina occulta, propria, & aliena; teneri Iudices eos præmonere, ſolummodò Inquiſitionem generalem facere de his .s. quæ infamia laborant: Secus verò dicendum eſt reſpectu locorum, vbi vt plurimum ſunt intelligentes, quos probabile eſt iam nouiſſe Inquiſitionem iure diuino, naturali, ac poſitiuo communi conſonam eſſe debere.

Cæterum in Trib. S. Officij ferè extra controuerſiam eſt Inquiſitores ad hanc expreſſionem minimè teneri, licèt Rei nulla laborent infamia; patet, tum quia ſicut quiſque abſque peccato poteſt quemuis .s. Reum vi Edicti denunciare, licèt nō laboret infamia, ſi ſatis conijci poteſt eius peccatum iuxta doctrinam de denunciatione infra tradendā; ita Iudex in ſua generali Inquiſitione præcipere poteſt: ſunt .n. correlatiua ſuperior præcipiens denunciationē, & inferior parēs illi: tū quia ita colligitur ex praxi, quæ cenſetur rationabilis, & præſcripta, quòd maximè procedit contra actualiter dogmatizantes, aut exercentes maleficia; aut alia æquipollentia: ſunt enim huiuſmodi criminoſi, quam citius de medio tollendi; cum ob eorum crimina Reipublicę plurima in dies contingant mala, iuxta illud vulgatum prouerbium: *Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.*

Quare not. quod in omnibus delictis, quæ vergunt in perniciem Reipub., aut tertij, in quibus non requiritur monitio ante denunciationē; Iudex generaliter inquirere poteſt nulla expectata, ſiue præuia infamia; & ratio eſt, quia tunc agitur de maiori damno, & periculo, quā ſit fama proximi. Eſt etiam alia ratio, quia ſi tunc monitio ſecreta non requiritur: multò minus requiritur diffamatio publica, quæ eſt veluti quædā monitio publica tàm delinquentiū, vt caueant ſibi, quā Iudicis, vt de criminib. inquirat, ipſaq; puniat, vel remedium adhibeat ita *Ioan. Valerus de differentijs vtriuſq; fori, verb. Inquiſitio, num. 5.*, qui citat *Soto de ſecret. memb. 2. quæſ. 4. conc. 1. Aragon. 2. 2. quæſ. 33. art. 2. Miranda de ord. Iuridic. quæſ. 11. art. 2.* ex: gratia. Si aliqui conſpirarent ſecretò in Principem, vel tradere vellent Ciuit. abſurdum eſſet expectare, quòd prædicti prius diffamarentur; ſed ſtatim habita notitia, deberet ſecretò Iudex recipere informationes. Circa numerum criminum, quæ vergunt in publicum damnum, non conueniunt DD., teſte *Valero loc. cit. n. 6.* alij pauciora, alij plura aſſignando. Nam *Soto, vbi ſupra, quæſt. 4. concl. 2.* ponit tantum ſex crimina, vz. crimen hæreſis, læſæ maieſtatis, conſpirationis in Principem, traditionis Ciuitatis, falſificationis monetæ, latrocinij publici commiſſi ab his, qui vias publicas obſident omnes indifferenter deprædantes, ac occidentes: alij addunt quamplurima alia crimina. *Videto Nau. in cap. inter verba, nu. 197. & 201. Rodriquez de Ord. Iudic. cap. 3. nu. 4.*

DIFFICVLTAS III.

Inquiſitores S. Tribunalis à quo ſumpſerunt formam euulgandi Edictum.

REſpondeo à Deo illam accepiſſe, probatur, nam quemadmodum Deus homini in Paradiſo Terreſtri poſito intimauit Edictū

primitùs præcipiens ei, quid ab ipſo fieri vellet. Secundò à quo cauere deberet. Tertiò illi adiunxit pænam, in quam caderet, ſi ſuorum præceptorum foret tranſgreſſor, patent hæc tria per ordinem *ex Geneſi cap. 2.* Ita Inquiſitores homini in Paradiſo Eccleſiæ Catholicæ collocato, in primis notificant, quid illum agere oportet, vt immaculatum ab omni hæreſis contagione ſe præſeruet: deinde à quibus ex conſequenti cauere debet: poſtremò ſpiritualem pænam, videlicet excommunicationē illi comminantur, ſi Edicti præcepta ab ipſo fuerint violata; conſtant liquidò hæc tria ex ſerie verborum Edicti.

Et idem patet de Edicto gratiæ, nimirùm quòd Inquiſitores eius formam à Deo mutuant, ſicut .n. Deus poſt Adæ peccatum, fidē potius adhibendo Diabolo mendaci, quàm ipſi, qui eſt ipſa veritas, eius, vt ita dicam, commiſerando miſeriæ; ſecundum edidit Edictū, Edictum .ſ. gratiæ ipſum paternaliter, ac viſceroſiſſimè vocando illis verbis: *Adam vbi es?* quę, vt tradunt Doctores, ſunt verba inuitantis ad pænitentiam. Idem itidē faciunt Inquiſitores videntes oppreſſos peccatis ad S. Tribunal ſpectantibus ad pænitentiam minimè moueri, altero Edicto .ſ. gratiæ ipſos miſericorditer vocant, quos, vt demulceant, vt ſic loquar, ac in vinculis Adam trahant, viſceribus miſericordiæ repleti copioſum gratiarum cumulum ipſis præmonſtrant, clarent ſingula ex contextu verborum Edicti gratiæ.

ART. III. DIFFICVLTAS I.
Edictum Inquiſitorum qua auctoritate publicetur, & vbi fundetur.

RESpondeo Pontificia publicari auctoritate, quòd patet, tum ex *cap. Ne aliqui, & cap. Ne per hoc. de Hæreticis lib. 6.* tum ex praxi, iam antiquitùs glorioſus ille Inquiſitor in numero Sanctorum meritò relatus Petrus Martyr de Verona, fidei publicauit Edictum, cuius exordium ita incipit: *In nomine Domini, anno 1233. eius Incarnationis, die Veneris, 17. Septembris, indictione ſeptima ſub regimine Oldradi à Treſco Gubernatoris Mediolanen.* & ſubſequitur in hæc verba. *Frater Petrus à Verona Ordinis Prædicatorum, Apoſtolica, qua contra hæreticos fungitur auctoritate;* de quo extat inſtrumentū publicè receptū, penès Obizum Scazago Notarium Mediolanen. anno 1232. &c.

Item fidei Edictum anno 1483. promulgauit Fr. Thomas à Turrecremata, qui ſuſcepit munus Inquiſitoris ex delegatione Sixti IV. Pontificis Maximi, & confirmatione Innocentij VIII. quæ ſanè Edicta habes apud *Ludouicum à Paramo de Orig. S. Inquiſitionis lib. 2. tit. 2. cap. 30. nu. 7. apud quem lib. 3. quæſ. 5.* inſuper intelliges nedum auctoritatem, ſeu fulcimentum Edicti S. Inquiſitionis, ſed eius antiquitatem, ac neceſſitatem, miramq; ibi reperies conſonantiam inter Edictum, & Epiſtolam Iudæ Thadæi. Denique idipſum prorſus agnoſcitur ex ipſomet Edicto, quod exponimus, ibi: *Noi F. N. de Predicatori, Profeſſore. &c.* & ex *Souſa in Aphoriſmis Inquiſitorum lib. 1. c. 2. num. 4.* in hæc verba proloquens: *Inquiſitorum iuriſdictio à Summo Pontifice delegata cenſetur, quamuis ipſi ab Inquiſitoribus Generalibus immediatè eligantur. Eymer. 3. par. Direc. quæſ. 4. & 6. vbi Penna comm. 53. & 55. Molina de iuſtitia, trac. 5. diſp. 28. nu. 4. & 5.*

DIFFICVLTAS II.
Inquiſitores S. Officij, à quo habeant auctoritatem immediatè, an ab Inquiſitore generaliſſimo, an verò à Sede Apoſtolica.

RAtio difficultatis eſt multiplex. Prima, quia in litteris Inquiſitoris generaliſſimi ſimilia habentur verba, videlicet, *ſubdelegamus Inquiſitorem N. à N. in tali Ciuitate, & Diœceſi.*

Secunda, quia Inquiſitor generalis in particulari Ciuitate, & Diœceſi nominatur à Generaliſſimo Generali; ideò videtur conſequenter etiam ab ipſo delegari.

Tertia, quia Inquiſitor Generaliſſimus Inquiſitorem generalem in particulari Ciuitate, & Diœceſi remouere poteſt. hę rationes comprobantur à *Paramo de Orig. Inquiſitionis lib. 3. quæſ. 2. nu. 37. nu. 47. & nu. 52.*

His non obſtantibus reſpondet ſupradictus Doctor *loc. cit. nu. 22.* in hæc verba: *Inquiſitores à quocunque eligantur; ſemper à Sede Apoſtolica habent auctoritatem immediatè; non autem ab Inquiſitore Generaliſſimo.* Probatur primò, quia in caſu, quando S. Pontifex indulget alicui, vt de idonea perſona alicui Eccleſiæ prouideat, electus intelligitur immediatè deputatus à S. Pontif., licèt, cui conceſſum eſt indultum prouidendi, talem nominauerit, aut elegerit. *text. is cui de præben. lib. 6. Eymericus par. 3. Directorij quæſ. 4. & 6. vbi Penna comm. 53. & 55. Molina de Iuſtit. tract. 5. nu. 4. & 5. Souſa in Aphoriſmis Inquiſit. lib. 1. cap. 2. & 4.*

Probatur ſecundò, quæ operantur Inquiſitores in negotio fidei, auctoritate S. Pontificis faciunt: iuxta illud, omnia noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur, *l. 1. §. cumque eſt, C. de veter. iur. enucleant. cap. ſi Apoſtolica, & cap. ſi cum de præbendis, lib. 6.* geſſiſſe enim per ſe quis videtur, qui per alium geſſit, *l. 1. §. deieciſſe, ff. de vi, & vi armat. l. ita autem, §. geſſiſſe, ff. de adminiſtr. tut. cap. mulieres de ſent. excommunicationis, &c.*

Nec obſtat prima ratio in contrarium: quia quamuis litteræ Generaliſſimi Inquiſitoris dicant, *ſubdelegamus N. à N. Inquiſitorem in tali Ciuitate, & Diœceſi:* huiuſmodi tamen ſubdelegatio intelligitur facta nomine Sedis Apoſtolicæ, vt probat *Paramus de Orig. S. Inquiſ. lib. 3. quæſ. 2. num. 37.* & patet ex ſecunda ratione ſupra allata in reſponſione de habente à Sum.

Pontif.

Pontif. indultum eligendi &c.

Item non obſtat ſecunda ratio, nempè quòd Inquiſitores pro aliqua Ciuitate, & Diœceſi nominentur ab Inquiſitore generaliſſimo: quia nominatio deſignat ſolummodò miniſteriũ à S. Pontifice ipſi Generaliſſimo demandatum; ſed tamen non confert auctoritatem Inquiſitori electo, & deputato; cum illam immediatè ſuſcipiat à Sede Apoſtolica, conſtat ex textu, ibi, *dalla Sede Apoſtolica deputato*.

Denique, nec tertia obſiſtit ratio: quia licèt Inquiſitores Generaliſſimi poſſint remouere Inquiſitores Generales alicuius Ciuit. & Diœceſis: iuriſdictio tamen horum non eſt ab ipſis Generaliſſimis Inquiſitoribus: quia actus cõſtituendi, vel remouendi pendet ab ipſis ex commiſſione S. Pontificis, quæ ſanè facultas fuit illis commiſſa; quia melius ipſi ſuos quoſque Inquiſitores cognoſcunt, & cuiuſq; notas habent perſonas, virtutes, ſcientiam, aliaq; requiſita ad tantũ peragendum officium, quod non tàm facilè S. Pontifex cognoſcere poteſt, cum nec perſonas, nec qualitates cognoſcat: Verùm non temerè, nec pro libito remouent Inquiſitores, ſed exigente cauſa rationabili, & legitima, prout in Domino expedire vident, *Paramus loc. cit. num. 54.* Not. autem Inquiſitores Generaliſſimos plures eſſe, & nominãtur hìc generaliſſimi ſolummodò reſpectiuè, .s. ad diſtinctionem, & comparationem illorum, qui vnius Ciuitatis, & Diœceſis ſunt Inquiſitores: hinc elicio quanti ſunt faciendi Inquiſitores.

DIFFICVLTAS III.

Iuriſdictio Inquiſitoris S. Officij an morte Summi Pontificis, qui illam conceſſit, expiret.

RAtio difficultatis eſt, tum quia iuriſdictio delegati, (qualis eſt Inquiſ. S. Officij) expirat re integra per mortem delegantis, vt patet ex *cap. Gratũ, de Officio Delegati.* tum quia iuriſdictio delegata eſt ſtricti iuris, & odioſa, cum deroget iuriſdictioni ordinariæ.

His minimè obſtantibus reſpondetur iuriſdictionem Inquiſitoris per mortem Summi Pontificis non expirare, nec etiam in eo, quod nondum inceptum eſt, *cap. Ne aliqui, de Hæreticis in 6. Eymericus in 3. part. Direct. quæſt 7. & 8. & ibidem Franciſcus Pegna, comm. 56. & 57.* cuius ratio eſt, primò, quia à quocunque eligantur Inquiſitores, ſemper ab Apoſtolica Sede auctoritatem habent immediatè, quod notat *Paramus de Origine S. Inquiſitionis lib. 3. quæſ. 2. num. 22. & 23.* Secundò, quia hoc exigit fidei fauor, qui ampliari debet; quo fit, vt tàm reſcripta, quàm delegationes ob fidem Catholicam ſeruandam factæ, admitti neceſſe ſit, vt docet *Ioan. Andræas, in cap. Ne aliqui 2. oppoſit. 2. de Hæreticis in 6.*

Patet tertiò ex differentia iuriſdictionis cõceſſæ ſub clauſula Sedis Apoſtolicæ, & ad beneplacitum Pontif. regnantis: nam illa perſeuerat: iſta vero expirat. Patet denique in ſimili de auctoritate ſuper abſolutione a reſeruatis delegata Confeſſario ad beneplacitum Sedis Epiſcopalis, quæ etiam perſeuerat mortuo Epiſcopo; quod ſecus eſſet, ſi eam conceſſiſſet ad beneplacitum ſui. Ob hanc cauſàm Inquiſitores in Edicto S. Officij generali ſe nominant delegatos à Sede Apoſtolica; non autem ad beneplacitum S. Pontificis tunc regnantis: patet ibi. *Noi F.N.N. Inquiſitor generale contro l'heretica prauità nella Città, e Dioceſe di N. dalla Sede Apoſtolica ſpecialmente delegato.*

Idem ſentiunt DD. de iuriſdictione Inquiſitoris electi cum hac clauſula, *ad beneplacitum Romani Pontificis*, videlicèt quod etiam mortuo Summo Pontifice perſeuerat. *Eymer. in Direct. part. 3. quæſt. 7. & 8. vbi Penna commen. 56. & 57. Farinac. de Hæreſi quæſt. 186. §. 2. num. 22. Azor. 3. part. lib. 7. c. 3.* vbi de Præcario, volens facultatem ſub hac forma cõceſſam: donec illam reuocauero, non expirare morte concedentis; quia ad reuocationem requiritur actus poſitiuus, qui ibi deſideratur: quod ſecus eſt, ſi dicat, donec voluero: quia voluntas morte ceſſat. ita *Thom. Sanchez tom. 2. lib. 8. diſp. 28. num. 52.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Quid Inquiſitoribus à S. Pontifice, cuius ſunt delegati, conceditur.

REſpondetur id Inquiſitoribus à Sum. Pontifice conceditur, ſine quo fidei cauſæ euolui, decidi, & definiri nequeunt; nam ſine huiuſmodi facultate iuriſdictio conſiſtere non poteſt, facit *text. l. Cui iuriſdictio. ff. de Iuriſdictione omnium iudicum. l. Ad rem mobilem. l. Ad legatum, ff. de Procuratoribus, vbi Angelus Blanc. &c. Iaſon. Felin. in capite Præterea, de Offic. delegat. Decius conſ. 77. apud Ludouicum à Paramo de Orig. S. Inquiſitionis lib. 3. quæſ. 5. num. 1.* Patet hæc veritas in ſimili de alimentis alicui in teſtamẽto relictis: vbi præter cibaria, veſtitus quoq;, habitatio, &c. debẽtur; quia ſine his corpus ali non poteſt, *l. Legatis 6. ff. de Alimentis legatis.* Similiter cum Summus Pontifex Inquiſitoribus ſuam delegat auctoritatem contra hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos; id intelligitur concedi, quod eſt neceſſarium ad tale exequendum munus; aliter fruſtra delegaretur; hinc *Paramus loc. cit. nu. 5.* habet, vt quoties in deleganda alicui auctoritate adminiculum aliquod omittitur; toties virtute expreſſi ad illud extenſio fieri debeat, *Alciatus in l. 2. ff. de Iuriſdictione omnium iudicum, Roland. à Valle conſ. 22.* Quo fit, vt in ſpecie conceſſa Inquiſitoribus facultate publicandi Edictum, concedatur etiam facultas cõuocandi fideles ad illud audiendum; & conſequenter imponitur populo obedientia in rebus fidei illis præſtanda, obediendi .s. eorum

Edicto: eſt enim obedientia de lege iuriſdictionis, *cap. Conſequenter, de Offic. Ordinariorum. Ioan. Immola in cap. quod ſuper his, notab. vlti. de Maior. & obedient.* Item patet in ſimili; Quemadmodum .n. Chriſtus, quando Sacerdotibus dedit auctoritatem abſoluendi à peccatis; fideles conſequenter obſtrinxit ad confeſſionem Sacramentalem ipſis faciendam; ita conceſſa à S. Pontifice auctoritate Inquiſitoribus publicandi Edictum; fidelibus imponitur obedientia ad illud exequendum. item conceſſa ipſis facultas inquirendi in genere .s. contra Hæreticos, de hæreſiq; ſuſpectos; conceditur quoque ipſis facultas exequendi ea, ſine quibus fruſtra daretur facultas huiuſmodi. Conceditur verò in ſpecie facultas condemnandi, igniq; tradendi Hæreticorum libros duplici ex cauſa, tum quia in ipſis falſitas doctrinæ, conſuetudo morum iniqua, facta eorum turpia, & ſectæ peruerſæ continentur: tum ne tot, tantorumq; malorum lectione, Catholici cõcupiſcentia in malum tendente illecti, venenum læthale bibant, à fideq; deficiendo in ęternum pereant: ita *Paramus de Origine S. Inquiſitionis lib. 3. quæſt. 5. nu. 248.* hæc dicuntur pro minus peritis, concupiſcentijsq; deditis, quibus nimis durum videtur, vt quidam hæreticorum libri condemnentur, igniq; tradantur, vz. qui ex profeſſo de religione tractant.

DIFFICVLTAS II.

An Edictum S. Inquiſitionis generale tranſeat cum eius promulgatore.

RAtio difficultatis eſt, quia quilibet Inquiſitor in ſuo primo ingreſſu in Vrbem, & Diœceſim ſuæ iuriſdictionis illud iterum promulgat, quaſi deſignans Edictum à ſuo anteceſſore promulgatum cum ipſo tranſiſſe.

Reſpondetur negatiuè, .s. quod non tranſit; ſed cenſetur perpetuum: tum quia fauore religionis videtur hoc admitti debere: tum quia conditum eſt per modum Statuti, ſeu Conſtitutionis, vt teſtatur *Zecchius de Caſibus reſeruatis c. 2. nu. 3.* quo caſu lex eſt perpetua ſecundum *Abb. in cap. Irrefragabili, §. cæterum, extra de Offic. Ord.* Quemadmodum itaq; litteræ proceſſus Bullæ cænæ perſeuerant quouſque aliæ publicentur, licèt ſecundæ, vt plurimum cum prioribus concordent; ita Edictum generale S. Inquiſitionis perſeuerare cenſeo, quouſque ſuccedente alio Inquiſitore, iterum Edictum ſub eius nomine publicetur: nihilque refert, quod idem ſit eſſentialiter cum illo ſui prædeceſſoris mutatis ſolũmodò nominibus, & patria, ſi variari contingant: quia cũ vna ſit fides tuenda, idemq; vtriuſq; Inquiſ. propoſitũ; non eſt mirum, ſi æquæ concordant in armis ſpiritualibus pro eius defenſione. Legendus eſt *Auila de Cenſ. part. 2. diſp. 5. dub. 4. Gutierez qu. canon. cap. 11. num. 53.* docentes Edictum per modum legis perpetuò durare, ſicut Tribunal à quo procedit, perpetuum eſt.

DISTINCTIO QVARTA.

De cauſa finali Edicti generalis, & Inquiſitoris.

Cum omne agens agat propter finem, vt docet Ariſtotiles 1. de Animalibus c. 5. *non immeritò hic quæritur de fine Inquiſit., & Edicti, circa quem duos formabimus Articulos. Primus reſpicit finem Edicti immediatum, ſeu principalem. Secundus erit de aliquibus eius vtilitatibus.*

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Cauſa finalis Edicti generalis S. Inquiſitionis quotuplex.

RESpondeo duas potiſſimũ eſſe cauſas, quę Inquiſitorẽ ad edendũ generale Edictũ S. Inquiſ. impulerunt: altera, vt ſuo ſatisfaciat muneri; altera verò, vt fideles in cauſis fidei Deo Opt. Max. placere poſſint. Prima tangitur ibi, *Deſiderando come ricerca il carico di queſto S. Officio à Noi impoſto.* Secunda verò ibi, *Che la Sacroſanta Fede Cattolica, ſenza la quale è impoſſibile piacere à Dio, in queſta noſtra giuriſdittione da ogni heretical contagio immacolata, e pura ſi conſerui?* Edictum autem ſatisfacit vtrique fini præcepta denunciationè, fidei vnitatem inducente, quam ſanè virtutem Deus præcipere volens iam à primis ſæculis per Scripturam Sanctam multis in locis illam adumbrauit, vz.

In Arca Noe, quæ vna fuit.

In Tabernaculo, quòd vnum fuit.

In Templo, quòd vnum fuit.

In Tunica Chriſti inconſutili, quæ indiuiſibilis erat.

In Columba, de qua in *Cant. c. 6. vnam eſſe dicitur, &c.* quemadmodum autem vna eſt Chriſti fides, quam ſequitur integrè Eccleſia Catholica Romana: ita vnam tantum eſſe religionem veram, & ſanctam profiteri cogimur, & vnum item caput, in quo omnia, & ad quem omnia: & quemadmodum vnum eſt caput *Paulus 1. ad Timoth. cap. 2.* ita vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ſub quo manere debemus.

Vt oues ſub vno Paſtore.

Vt filij ſub vno patre.

Vt ſerui ſub vno Domino.

Vt Milites ſub vno Duce, eius fidem, ac religionem ſeruando, omnino contempto Dæmone, eiuſq; falſis adinuentionibus; quòd in primis pręſtamus integrè obediendo fidei Edicto, denunciando, quos debemus, ex cuius obſeruatione ſequitur vnitas fidei, & religionis; quam potiſſimùm intendit Edictum, & inſtitutum Inquiſitorum, vt ſupra.

DIF-

DIFFICVLTAS II.
Inquiſitorum inſtitutum quale.

RESpondē, quòd quemamdodum ex altera parte Hęretici omnibus modis Fidem Cathol. Rom. labefactare conantur: ita è contra Inquiſitores S. Officij toto conatu illam defendere, & propugnare non deſiſtunt. Et ſanè hac defenſione nihil ſanctius, aut iuſtius eſſe poteſt: nam fides omnium virtutum ſupernaturalium eſt baſis.

Noſtræ iuſtificationis principium,
In tentationibus clypeus,
In laboribus ſolatium.

Hac denique errantes ad rectum veritatis tramitem ducuntur, quæ eò vtilitèr, magisq; neceſſaria ad Chriſtianæ reipublicæ conſeruationem cognoſcitur; quò maiores calamitates affert hęreſis contagium.

Hanc, vt defenderent multi Inquiſitores non ſolùm acerrimè propugnarunt; ſed etiā fortiſſimè ſubierunt martyrium, lauream que ipſius conſequuti ſunt; qui nunc temporis ſumma cū pietate in tota Eccleſia Dei coluntur:

Alij miraculis claruerunt;

Alij, quia in illos Deus omnipotens Maximus virtutum omnium ornamenta cōgeſſit, Beatorum nomen meritò adepti ſunt.

Vnum non reticeam, quòd ſi in magno honore ſemper fuerunt illi, qui conſeruatores patriæ dicebantur; qui faces, v.g. ad vrbis incendium excitatas extinxerunt; quibus laudibus defenſores ſacræ fidei proſequemur?

Quibus Inquiſitores honoribus, & ornamentis afficiemus, qui ſua vigilantia non parietes, mœnia, aut tecta Ciuitatis defendunt; ſed ipſam religionem ex ore ſacrilego noſtrorum hoſtium tuentur: qui item nō corpora, ſed animas Chriſtianorum: non opes, atque diuitias, ſed ipſas virtutes, & ornamenta cęleſtia conſeruant: qui denique non has flāmas, ignesq; manibus hominū accenſos, ſed flammas, & incendia inferorum extinguunt.

Nec omittam ipſos ſua cuſtodia operari, vt lux fidei, velut meridies ſemper illuceſcat, & oriatur in cordibus noſtris; qui itidem ad inſtar Angelorum Cuſtodum defendunt partem noſtram principalem, fidem .s. occludendo inimicis ipſius viſibilibus, & inuiſibilibus omnes aditus, pro qua (inquam) cūſtodia plures ipſorum contemptis dignitatibus eccleſiaſticis; ad quas pro ſuis meritis iure vocati fuerant, illi totis viribus ſe ſe dederunt; conſtat non obſcurè exemplo D. Petri Veronenſis, qui ad Epiſcopatum electus nulla ratione adduci potuit, vt illam dignitatem acceptaret: electus verò Inquiſitor Apoſtolicus contra hęreticam prauitatem, libenter prouinciam ſuſcepit, pro qua vſque ad ſanguinis effuſionem laborauit. Idem patet in Fratre Thoma Turrecremata, qui poſtquā omnes induſtriæ ſuæ neruos in eo intendiſſet, vt Catholicus Ferdinandus ſanctæ Inquiſitionis Officium in Hiſpania inſtitueret; nominatus ab ipſo Archiepiſcopus Hiſpalenſis toto conatu renuit creari; qui è cōtra quam gratanter prius ſuſceperet mandatum generalis Inquiſitoris. Sol lucet.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
Edicti vtilitates quales?

PRæter eas, quæ ſupra viſæ ſunt, aliæ afferuntur.

Prima, Edict. Inquiſitorum ad fidei perſeuerantiam fideles adducit.

Secunda, Hęreticos, hęreſiſque ſuſpectos denunciatione diſcooperit.

Tertia, Docet cōuenticulas euitandas, illaſq; conuocantes S. Tribunali deferendos eſſe.

Quarta, Inſtruit quales blaſphemi, & ſuperſtitioſi ad ſanctum Officium veniant denunciandi, ac quique alij.

Quinta, Quales librorum prohibitorum detentores, aut lectores ſunt de fide ſuſpecti. Inſuper peccatores ſaluat, cęcos illuminat, infirmos curat, pęnitentes reparat, iuſtos augmentat, delinquentes corrigit, ſcandala vitat, improbos terret, & quod maius, & difficilius eſt, intellectum hominis in obſequium Chriſti captiuat.

Præterea eſt radix bonorum, virtutis ſeminarium, morborum antidotum, denique vt pes ſuſtentat, vt oculus dirigit, vt cor viuificat; cōſtantiam, atq; perſeuerantiam conſummat; his, alijsq; breuitatis gratia, omiſſis vtilitatibus ſedulò perpenſis; deberet quiſque S. Officij Edictum apud ſe retinere, vt illas vicinius percipere poſſet. Verùm licèt oculis imperitorum, tepidorumq; hominum ſingulæ Edicti vtilitates relatæ non ſatis clarè appareant: oculis tamen eruditorum, piorumque virorum non obſcurè de longè cernuntur.

DIFFICVLTAS II.
Edictum Sanctæ Inquiſitionis legentes an aliquam conſequantur Indulgentiam.

REſpondetur conſequi trium annorum Indulgentiam, conſtat *ex Bulla Vrbani iiij. incipit, Præ cunctis noſtræ mentis, edita an.* 1261. *Item ex Bulla Clementis iiij. quæ incipit, Prę cunctis, edita anno* 1265. *ex Eymerico* 3. *par. Direct. quæſt.* 176. *tit. de ſermone generali habendo ab Inquiſitore, ſaltem vt primum venerit in Ciuitatem ſibi delegatam, & ibi Pegna Commen.* 12.

Verùm notandum, Inquiſitores hanc Indulgentiam minimè concedere, ſed ſolummodò manifeſtare à Sūmis Pontificibus eſſe conceſſam: Poteſt enim ſummus Pontifex concedere viro, etiam non Sacerdoti, modò ſit clericus, facultatem concedēdarum Indulgentiarum dicto modo: nam id facere ad iuriſdictionem pertinet. ita *Annotator ad Tol. lib.* 6. *cap.* 25. *annot.* 2. *ex mente Sancti Thomæ, & Sot.*

DIFFICVLTAS III.
An Inquiſitor audientibus eius concionē de Edicto, ſeu de negotio fidei aliquam poſſit conferre Indulgentiam. Infra parte 1. lib. 3. art. 1. diff. 5.

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I. LIBER SECVNDVS.

De ſecunda parte ſubiectiua Edicti Sanctæ Inquiſitionis, videlicet de Inquiſitore.

Hæc Pars tangitur in textu ibi : Noi F. N. da N. Profeſſore di Sacra Theologia, & Inquiſitore contro l'heretica prauità. *Diſſerendum eſt in hoc libro de Inquiſitore non in ſua generalitate, alioquin mei inſtituti limites exirem : ſed præciſè quo ad ea, quæ ſpectant forum conſcientiæ ſecretum. Nec in hoc Inquiſitores de eorum munere erudire intendo, cum iam ſatis ſint eruditi ex litteris Apoſtolicis, de quibus plenè* Eymericus poſt 3. par. Direct. Inquiſit. ex Decretalibus Gregorij Noni tit. de Hęreticis. Ex 6. Decretalium tit. de Hęreticis. Ex Clementinis tit. de Hęreticis. & ex ſtylo S. Tribunali: *Sed minus peritos inſtruere intendo, vt ipſis innoteſcat ob quas neceſſitates ad Inquiſitores fidei ſit ſibi recurrendum, v. g. quando ab ipſis abſolui poſſunt tum à cenſuris, tum à peccatis, tàm in foro conſcientiæ ſecreto, quando eorũ peccatũ eſt occultum, quàm item in foro Sacramenti cõſequenter. Itidem quas, & quales licentias ab ipſis obtinere poſſint, ne incaſſum ad ipſos accedant &c. Quoniam autem omnia, quæ hic tractantur, reducenda ſunt ad Edictum, tanquam ad obiectum adæquatum omnium, & ſingularum partium; ideò hanc partem, ſicuti etiam immediatè ſequentem ad Edicti cauſam efficientem reducimus.*

Secatur verò liber iſte in quinque Diſtinctiones, in quarum;

Prima, Agitur de Inquiſitore in genere iuxta ſubiectam materiam.

Secunda, Eſt de ipſius poteſtate reſpectu abſolutionis in omni foro, eiuſq; ſubdelegationis, & diſpenſationis ſuper irregularitate.

Tertia, Eſt de modo ſe gerendi circa Reum.

Quarta, Eſt de caſibus, qui ſæpius Inquiſitoribus contingere ſolent.

Quinta denique eſt de Miſcellaneis iuxta diuerſitatem ſex Caſuum Sancti Tribunalis, de quibus parte 2. 3. & 4. horum Commentariorum.

DISTINCTIO PRIMA.

De Inquiſitore in genere.

Partimur hanc diſtinctionem in tres Articulos, iuxta tres conceptus in ea pertractandos.

I.

Diſtinguit Inquiſitorem ab Ordinario, itemque à Iudice ſæculari.

II.

Demonſtrat, quomodo Inquiſitor procedere poſsit in cauſis fidei, in illisq; arbitrari.

III.

Oſtendit, quòd Inquiſitor ſpecialiter procedit contra duo perſonarum genera, videlicet contra ſepelientes hæreticos in loco ſacro : & contra renuentes iurare in cauſa fidei.

ART.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Inquiſitores vocari poſſint Ordinarij: & Epiſcopi delegati in cauſis Fidei.

QVoad primam particulam reſpondeo negatiuè, quia Ordinarius ad omnes cauſas, & perſonas eſt inſtitutus. Inquiſitores autem tantum ad fidei cauſas: nec ad omnes perſonas, quia; v.g. non poſſunt procedere contra Papam, nec contra eius Officiales, nec contra Epiſcopos. Poteſtas tamen Inquiſitorum eſt perpetuò annexa eorum officio, minimè ſpirans in morte Summi Pontificis delegantis, ad differentiam ſimplicis miniſterij in caſu particulari, vti ſupra diſt. 1. art. 1. diff. 4. cautum fuit. Verùm largè ſumpto vocabulo Ordinarij reſpectu aliarum cauſarum, nō tantum Epiſcopi ſunt Ordinarij; ſed etiam quicunque inferiores, habentes inſtitutionē, & deſtitutionem, extra de *Offic. Ordinarij, c. cum ab Eccleſia,* quod notat *Sum. Aſteſana tit.* 41. *de verb. ſignif. ver. Ordinarij.*

Quoad ſecundam particulā reſpondeo itidem negatiuè, cum Epiſcopis negotium fidei ex officio incumbat, vt patet ex *Concilio Later. ſub Innoc. III. Mileuitano, can.* 25. *& Toletano XI. can.* 2. Conueniunt tamen Inquiſitor, & Ordinarius; quia vterq; eſt Iudex Fidei in determinatis Diœceſibus; Epiſcopus, vt Ordinarius, Inquiſitor verò vt Sedis Apoſtolicæ delegatus; Dico in determinatis Diœceſibus ad differentiam Iudicum fidei in toto Orbe, qui ſunt præcisè hi tres, videlicet S. Pontifex, Sacra Cong. Card. à S. Pontifice ſuper negotijs fidei deputatorum, & Concilium Generale. Ita *Zanardus in Direct. Theol. par. 2. c. 6. §. iudices fidei §. Inquiſitores non ſunt Ordinarij, & §. nec Epiſc. deleg.*

Verùm Epiſcopus in duobus caſibus delegatus dici poteſt; primò, quando procedit in Exemptos in caſibus iure expreſſis, cum circa ipſos non poſſit procedere poteſtate ſua ordinaria. Secundò, quando procedit ex commiſſione ſingulari Sedis Apoſtolicæ, *Zanar. loc. cit.*

DIFFICVLTAS II.
Ex quo vinculo Inquiſitor habet. prauitatis Prouinciam, ſeu Diœceſim ſibi creditam ab hoſtibus fidei tueri teneatur. Vide infra diſt. 5. art. 2.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An Inquiſitor in cauſis Fidei, de plano, abſq; ſtrepitu, & figura iudicij procedere poſſit.

REſpondetur affirmatiuè, patet ex *Bonifacio* 8. *cap. Statuta de Hæret. in* 6. explicatur verò modus *in cap. ſæpè in Clem. de verb. ſign.* ſtatuiturq; prout infra.

Primò, quod ſi agatur per viam accuſationis, non ſit neceſſe, vt accuſans ſe ſubſcribat, quòd ſe obligat ad pænam talionis; ſi crimen non probauerit.

Secundò, quòd tempore etiam feriato poſſunt Inquiſitores formare proceſſus, teſtes examinando, & conſultationes facere.

Tertiò, quòd poterit Inquiſitor adimere appellationes dilatorias, & fruſtratorias, iurgiaq; Aduocatorum, & Procuratorum, ac omnia alia tollere, quæ faciunt ad quandam iuris ſolemnitatem. Ad ſubſtantialia tamen etiam in cauſis fidei obligantur Inquiſitores, vt citare Reum, teſtes ſub iuramento examinare, exceptiones admittere, terminos ad defenſionē, & examen competentes, & ſimilia alia nō negare, ſine quibus Inquiſitus non poſſit æquè benè ſe defendere; quanto enim de grauiori cauſa agitur; tanto etiam magis cum maturo iudicio procedendum eſt, ne innocens, vel in toto, vel in parte habeatur Reus. *Zanard. p. 2. Direct. Theol. cap. 6. §. poſſunt de plano:* nam vbi maius periculum, ibi plenius cōſulendum eſt. *cap. vbi periculum de electio. in* 6. hinc ſcire debent Prælati, quod ſi vnquam aduertenter iniuſta (quod nec ſuſpicandum) perpetrarent, tot mortibus digni forent, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmiſiſſent; quare neceſſe eſt vt tantò ſe cautius cuſtodiant, quātò, ſi mala patrarent (quod abſit tantorum virorum ſuſpicio, vel leuis) non ſoli morientur; facit ad hoc 11. *quaſ.* 3. hucq; ſpectat aureus *textus in c.* 2. 30. *quaſ* 5. vbi Romanus Pontifex in hæc verba: *ad noſtrum reatum tendit, ſi paternarum regulæ ſanctionum nobis conſentientibus, vel negligentibus violentur.*

Petes fortaſſe, quot ſint ſubſtantialia, & accidentalia iudicij. Reſpondetur breuiter ſubſtantialia eſſe quatuor. Primum, vt contra aliquem non procedatur, niſi accuſatum, denunciatum, aut infamatum. Alterum, vt teſtes examinentur vt ſupra innui, cum iuramento. Tertium, vt Reus citetur. Quartum, vt indefenſus non condemnetur, niſi ſit contumax. Accidentalia verò iudicij ſunt multa, quæ longum eſſet referre, vt dies feriati, interualla, teſtes à iure communi reprobati &c.

DIFFICVLTAS II.
In quibus caſibus de facili errare poſſunt Inquiſitores.

REſpondetur primò, quando diſcordant ab Epiſcopo, & Conſultoribus inſimul.

Secundò, quando nimis ſe fidunt in Conſultoribus omittentes ipſi ſtudere his, quæ ipſos ſcire oportet; quod nec ſuſpicandum eſt, attento, quod ad ſublime hoc munus perſonæ pietate, & doctrina præditæ eliguntur.

Tertiò, quando omittunt examinare, quæ maturius alias coram ipſis, vel ſuis prædeceſſoribus determinata fuere, & à S. Tribunali definita: vel quando in cauſa Rei omittunt attendere, quæ in primis ſunt pendenda, ſcilicet an aliqua circunſtantia eſſentialis caſum variet aggrauando, vel minuendo delictum.

Quartò, quando omittunt explicare Conſulto-

ſultoribus totum proceſſum quoad ſubſtantialia,contra *cap. Statuta*,§. *Iubemus*.

Quintò, quando Conſultoribus ſilentium imponere negligunt ſub pœna excommunicationis,præſertim cum ad iuſtam cauſæ expeditionem neceſſe eſt cognoſcere malitiam,vel bonitatē Inquiſiti cum alijs ſuis qualitatibus, vel Denunciantium,& Teſtificantium.

Verùm Conſultores extra Congregationē de auditis, & diſcuſſis inter ſe diſcurrendo pœnam violati ſecreti non incurrunt, quia apud eos cauſa non eſt ſecreta: nec ipſis (publicata ſententia) illicitum eſt dicere inter ſe qualia fuerint ſibi nota in tali cauſa;quia hoc non eſt reuelare ſecretum: ad tollendas tamen rixas, odia,&c. quæ ex reuelatione ſuboriri poſſent, omninò cauere debent,ne Reus,vel alij extranei à Congregatione aliquid audiant, vel ex ſigno aliquo deuenire poſſint in cognitionem illorum,qui fuerunt fauorabiles,vel contrarij; quod ſi quis eorum quoquomodo auſus fuerit prodere, quæ in Sacro Inquiſitorum foro decerni ſolent, Conſultoris officio priuari debet,pœnisq; condignis puniri: nam id grauius delictum eſt genere ſuo, quam furtum, teſte *Simancas loc. citan.* quamobrem ſapienter admodum Perſarum Reges ſilentium vitæ periculo ſanxerant: *Quintus* verò *Curtius lib.* 4. docet linguam grauius caſtigandam, quam vllum probrum, quòd notat *Simancas de Cathol. inſtitut. tit.* 41. *num.* 31. faciunt tradita per *Zanardum in Direct. Theol. part.* 2. *cap.* 6. §. *peritos conuocare. Domin. Sot. lib. de ratione tegendi ſecretum q.* 1.

Sextò, quando abſque magna maturitate in cauſa hæreſis (quòd nec ſuſpicari audeo) ad incarcerationem procederent, magnam .n. affert infamiam incarceratio ex cauſa hæreſis: vndè ipſi naturam indiciorum,conditionemq; Reorum in primis attendere debent,prout eis tradit *Arſen. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 42.

Septimò, cum negligunt inquirere contra hæreticum, licèt occultum falſa dogmata diſſeminantem. *Arſen. par.* 10. *admonit.* 151. *hinc cap.* 2. *de Hæreticis*, ita proloquitur: *ab errore alios non reuocans, ſe ipſum errare demonſtrat*.

Octauò, præterea errant, ſi omittant imponere teſtibus,vt iurent. Quamuis .n. probabiliter nouerint ipſos falſum in iudicio depoſituros: tamen iuramentū minimè omittendū erit;habent .n. iuſtā cauſam ita ſe habendi,.ſ. ad formandum legitimum proceſſum. *Ex Arſen. loc. cit. admon.* 156. quibus ſi certò conſtabit falſum depoſuiſſe, illos punirè debent ſimul cum inductoribus, ſeu ſubornatoribus, prout in primis aduertit idem *Arſen. S. Inq. par.* 10. *admon.* 1011. idipſumq;obſeruare debent,quādo teſtis inaduertenter depoſuit verum; neſciens tale eſſe: quia,& ſi falſum non depoſuerit,falsè tamen depoſuit. ita ex *Arſen. loc. cit. admon.* 2.

Notandum deniq; quod cū agitur de modo procedēdi in iudicio,puniendiq;reos,Conſiliū Canoniſtarum illos ſequi oportere: quando, verò agitur de propoſitionibus, aut actibus an ſint, v. g. hæreticales nec ne, ſequi debent Theologorum ſententiam, vt item docet *Arſen. loc. cit. admon.* 181. *Pegna ad* 3. *par. Direct. Cōm.* 127. *& ibi Bariola in florib. Direct. cit. Comm.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Inquiſitores contra eos qui hæreticos in loco ſacro ſepeliunt,procedere poſſint.

Reſpondetur affirmatiuè iuxta *cap. quicunq; de Hæret. in* 6. quo in loco decernitur, quod ſepelientes Hæreticos in loco ſacro, vel eis credentes, Receptatores, Defenſores, vel Fautores ſunt excommunicati,nec poſſunt abſolui,quouſq; publicè,& proprijs manibus extumulent eorum corpora, eaq; proijciant in locū prophanum; dummodo eorum oſſa diſcerni poſſint ab oſſibus Catholicorum, *Penn.* 2. *par. Comment.* 89. & ille poſtea locus perpetuò carebit iure ſepulturę. Sed hac cenſura ligantur tantum Laici, Clerici verò ſuſpenduntur. Ad hanc autem incurtendum primò requiritur,vt qui ſepultus fuit, extiterit formaliter hæreticus notus, vel hæreticorū fautor &c. Secūdò, quod hoc certò cognouerit. Tertiò,quod ſpōtè,vndè excuſātur, qui ex graui metu, ſcilicet cadēte inconſtantē virum, & conſuetudine hoc fecerunt: quod contingit præcipuè in partibus hæreticorum, in quibus Catholici coguntur illos ſepelire in loco ſacro, ita *Zanard.* 2. *part. Direct. Theol. c.*6. §. *contra ſepelientes hæreticos*, qui aſſerit ibi contra dictos ſepelientes procedere Inquiſitores hæreticæ prauitatis. Verùm hæc excommunicatio eſt contra præſumentes, neminiq; reſeruatur, vt notat *Memoriale ſciendorum à Clericis, cap.* 9. *Excomm.* 49. *citans nonnullos graues DD.* Hæc difficultas mouetur non ad edocendum Inquiſitores peritos, quæ ſunt ſui muneris; ſed ad inſtruendum alios minus peritos tàm Eccleſiaſticos,quàm ſæculares, vt caueant à dictis cenſuris, in quas per quam facilè incidere poſſent. idem dicendum de multis alijs,quas recenſere longum eſſet. Verùm ſepelientes hæreticum ex alia cauſa, quam hæreſis: vel alia ſepultura,quam hæreſi, Eccleſiaſtica non excommunicantur. *Penn. loc. ſup. cit. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 7.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitor procedere poſſit contra eos, qui in cauſa fidei iurare renuunt; & quæ partes Confeſſarij in hac contingentia.

Reſpondetur affirmatiuè *ex cap. Excommunicamus* 1. *de hæreticis*, vbi qui renuunt iurare in cauſa fidei,vt hęretici cenſentur. Hoc autem dupliciter accidere poteſt. Primò tenendo iuramentum non licere, vt tenebant

Val-

Valdenſes, & hi habentur vt hæretici. Secundò timendo ex quadam honeſtate iurare ſine Superiorum ſuorum licentia: vel ex quadam trepidatione, quòd poſſint falſum dicere; vndè hi edocendi ſunt, primò quòd in cauſis fidei cuilibet integrum eſt iurare abſque alterius Superioris licentia, ſi ab Inquiſitore requiſitus fuerit: ratio autem cur præſtandum ſit iuramentum, eſt; quia non creditur teſtibus ſine illo. Secundò inſtruendi ſunt, quod in hoc Tribunali non minus, quam in alijs accipiuntur certa pro certis, & dubia pro dubijs, vt in primis notat *Arſen. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 212.

Partes item Confeſſarij ſunt admonere pęnitentem ad iurandum, notificando illi grauiter peccare, ſi renuat, ipſumq; minimè abſolui poſſe, dum perſiſtit contumax: ac inſuper, ſi habeat ſcripturas, libros, aut alia, quæ faciant ad inſtituendam cauſam fidei, teneri illa producere: quinimmo ad idem tenetur ipſemet Reus contra ſe, duabus tamen conditionibus concurrentibus copulatiuè. Altera, ſi Inquiſitori ex habitis in proceſſu iam aperta ſit via ad vlteriora procedendi. Altera, ſi ipſi delictum exiſteret ſemiplenè probatum: nam in tali ſtatu ſecundum communiorem ſententiam, quemadmodum Reus illi reſpondere tenetur detegendo veritatem: ita tenetur ei iuridicè quęſita reuelare ad cognoſcendum plenè veritatem. ita *Zanard. in Direct. Theolog. p. p. c.* 6. *§. contra Notarios, & Aduocatos. Naldus ver. Reus, nu.* 7. *contra Nau. lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 138. *& alios*: ſed non ſunt audiendi; quia ſic omnia Chriſtianitatis Tribunalia deſtruerentur.

DISTINCTIO SECVNDA, De poteſtate Inquiſitoris abſoluendi, delegandi, & diſpenſandi, quæ in tres ſecatur Articulos.

Primus reſpicit poteſtatem abſoluendi.
Secundus, Delegandi.
Tertius, Diſpenſandi ſuper irregularitate.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Inquiſitor ab hęreſi occulta in foro conſcientiæ abſoluere poſſit.

Notandum primò non eſſe vnum cōſcientiæ forum cū foro Sacramenti Pœnitentiæ: nam primum non eſt ſacramentale, ſicut ſecundum.

Notandum ſecundò diſcrimen eſſe inter abſolutionem in foro conſcientiæ, & in foro cōtentioſo: tum quia in illo conſcientię requiritur, quod Hæreticus, vel ſuſpectus ſit occultus, .i. non adhuc inquiſitus, nec denunciatus, aut accuſatus. tum vt abſolutio detur extraiudicialiter, quæ conditiones deſiderantur in abſolutione data in foro contentioſo. His poſitis

Reſpondetur affirmatiuè, præmiſſa tamen prius abiuratione ſecreta, iuramento cauendi ab hęreſi, vel à peccatis, quæ inducunt hęreſis ſuſpicionem, & ſalutari pœnitentia, quod notat in primis *Lazarius Canon. Quæſtionum, qu.* 12. *num.* 85. *Boſſius de Priuil. ſub lat ſect.* 1. §. 1. *&* 2. ratio eſt; tum quia occulta peccata, occulta quoq; confeſſione, & ſatisfactione purgari debent, *cap. Quis aliquando, §. Illud Ioannis de Pęnit. diſt.* 1. *Arch. in cap. Filij de Hęreticis in* 6. *Pegna par.* 3. *Commen.* 12. *nu.* 59. *Simancas de Cathol. inſtit. tit.* 3. *num.* 22. tum quia ita colligitur expreſsè, *ex cap. Vt officium, & ex Conſtitutione Clementis vij.* incipit: *Cum ſicut.* tum præterea, quia facultas abſoluendi ab hęreſi conceſſa eſt Inquiſitoribus in fauorem animarū, ne .s. hęretici ſiue occulti, ſiue manifeſti ad fidem redeuntes eſſent remedio deſtituti; ſed potius remedij facilitate, & promptitudine ad pœnitentiam allicerentur: nō eſſet autem facile remedium, ſed valdè difficile, ſi hęreſim occultam per accidens, .i. ob teſtium defectū, tantū hæretico notā, coram toto Conciſtorio ſanctæ Inquiſitionis, vel coram Notario propalare cogeretur. Legendus eſt *Toletus lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 2. *Bariola in Floribus Direct. Inquiſ. par.* 3. *Commen* 12. *citans Eymericum*. Idem poteſt Epiſcopus in locis, vbi non eſt Inquiſitor à Sede Apoſtolica delegatus, non tanquam Inquiſitor delegatus, ſed vt Ordinarius.

Idem ob allatam cauſam reſoluitur de alijs peccatis occultis, de quibus Edictum ſanctæ Inquiſitionis, hęreſis ſuſpicionem ſecum trahentibus; circa quæ tabella caſuum S. Officiū reſpicientium in foro fori.

Notandum autem duas eſſe ſententias, num Epiſcopis vi *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c. Liceat*, integrum ſit abſoluere ab hęreſi occulta in foro conſcientiæ: ſed negatiua eſt tutior. *Henriquez lib.* 6. *de Pęnit. c.* 14. *nu.* 7 *Sanchez in Opere morali, tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *nu.* 27. Verbum autem occulta intelligitur, prout opponitur probabili in iudicio. *Emmanuel Rodriquez in Bulla Cruciatæ* §. 9. *num.* 69. *Garzia de Beneficijs par.* 7. *cap.* 11. *num.* 46. *&* 47. *Antonius Souſa in Aphor. Inquiſit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Verùm ne error te capiat, attendere debes forum conſciētiæ, de quo *Conciliū Trident. loco citato* diſtingui à foro Sacramenti Pœnitentiæ: vnde notandū, quod triplex eſt forum, nempè externum, ſeu contentioſum, & dicitur forum fori, eo quod in publico loco exerceatur: alterum appellatur pęnitentiale, ſeu ſacramētale, in quo exercetur animæ iudicium per ſententiam ſacramentalem: Tertium, quod eſt veluti medium inter duo prædicta, & vocatur forum cōſcientiæ, in quo quidem practicatur aliquod animæ iudicium ſecretè, ſed extra confeſſionem ſacramentalem: Secundum autem, & tertium forum vno nomine nuncupantur, .s. fori poli: nam hoc forum continet omne forum internum. Ex præfata diſtinctione triplicis fori

fori infertur abſolutionem in foro conſcientiæ non eſſe eandem, ac abſolutionem in foro Sacramenti pœnitentiæ; ſed ita dici, vt contradiſtinguatur ab abſolutione in foro externo.

Abſolutio ab excommunicatione in foro externo fit publicè, & ſolemniter: illa vero in foro conſcientiæ datur ſecretè; quæ etſi fiat aliquibus videntibus, non deſinit per hoc eſſe in foro cōſcientiæ: v. g. ſi adhibeantur Teſtes, & Notarius, ne proſit pro foro externo: per hanc enim abſolutionem, quæ fit ſine ſtrepitu iudicij externi, non tollitur ius tertij: nec euitantur pænæ infligendæ, per forum externum, ſi crimen fiat publicum.

Finis harum abſolutionum eſt longè diuerſus: nam abſolutio in foro externo datur ad vindicandam iniuriam publicam, ſatisfaciendum Eccleſiæ offenſæ, & parti læſæ: Abſolutio autem in foro interiori eſt in compenſationem diuinæ offenſæ.

Per hanc item abſolutionem excommunicatus, quandiù crimen ſtat occultum; manet habilis ad diuina, & ad communicandum cum fidelibus. ita ex *Boſſio de priuilegijs iubilæi, ſect. 1. caſ. 24. num. 6, 7, & 8. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 34. à nu. 29. & alibi, Rodriquez quæſtionum regular. tom. 1. quæſ. 61. art. 10. & alij.*

Duo quoque alia veniunt notanda pro potiori intelligentia: alterum eſt, quod omnia, & ſola illa peccata, quibus annexa eſt excommunicatio Summo Pontifici reſeruata ſunt, quod vſque adeò verum eſt, vt ſublata excommunicatione per Summum Pontificem, aut alium de eius facultate; nullum ſit peccatum Summo Pontifici reſeruatum, ita docet *Nau. cap. 27. nu. 26 Caietanus in Summula ver. caſus. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 11.* quos ſequitur *Capeauilla de caſib. reſer. cap. 5. quæſ. 1.*

Alterum eſt, quod occultum dicitur tribus modis. Primò, quod non eſt natura ſua probabile. Secundò, quod probabile eſt, ſed probari non poteſt, quia nemo notitiam illius habet. Tertiò, quod probari quidem poteſt, ſed difficulter; quia pauci eius notitiam habent; nec in forum contentioſum deductum eſt, aut orta aliqua fama; per caſus autem occultos, qui vigore Concilij Triden. loco præfato Epiſcoporū iuriſdictioni permittuntur, nō poſſunt intelligi, qui primò modo dicuntur occulti: quia illi non ſubſunt iudicio Eccleſiæ: Eccleſia .n. de illis, quatenus tales ſunt, cognoſcere non poteſt; cum ſolus Deus ſit ſcrutator cordium; atque ita Eccleſia illos reſeruare, aut alteri permittere non poteſt: ſed illi videntur debere intelligi, qui ſunt occulti ſecundò, & tertio modo, quod etiam videtur velle *Nauar. cap. 27. nu. 255.*, quod notat *Capeauilla vbi ſup.*

Quod autem caſus publici Sedi Apoſtolicæ ſint reſeruati, conſentaneum eſt rationi, .s. vt obuietur ſcandalo publico, cui ſatis obuiatur reſeruando illos Summo Pontifici, permittendoq; Epiſcopis illos, qui licèt cognoſcantur, & probari poſſint, non tamen per multos; vndè graue ſcandalum naſci nō poteſt, cum à paucis ſciantur, & poſſint aliqua tergiuerſatione celari. ita *Capeauilla loc. cit. Boſſius verò de Priu. iubilæi, ſect. 1. caſ. 10. §. 3. num. 25, 26.* aliam aſſignat rationem .s. quia in illo cap. Conc. Trid. non excipiuntur occulta, quę probari poſſunt, ſed quæ ad forum contentioſum non ſunt deducta: Verùm non recedo à *ſent. Capeauillæ.* vtpotè tutiori.

Ex his ſatis clarè colligitur Epiſcopos, dum iuxta probabilem ſententiam occultum hęreticum abſoluunt præcisè in foro conſcientiæ Bullæ Cœnæ minimè aduerſari; cum illa forū Sacramēti reſpiciat, in quo ipſi nō abſoluunt, niſi eo modo, quo infra dicam: dirigitur nanq; dicta Bulla non ſolum ad Prælatos, quorum ipſa meminit, habentes forum externum, & conſcientiæ præter ſacramentale, ſi Sacerdotes exiſtant; ſed etiam ad Confeſſarios tàm ſeculares, quàm regulares, qui nonniſi forum Sacramenti pęnitentiæ habent, patet intuenti Bullam: & facit ad hoc etiam, quod tenentur Confeſſarij habere apud ſe dictas litteras Bullę in ſignum, quod licèt illæ reſpiciant eorum forum: earum tamen abſolutionem eſſe ipſis diuetitam ad inſtar caſuum reſeruatorum: immo ſtrictiori modo, quia nemo abſoluere poteſt à caſibus Bullæ Cœnæ in dubio ſiue iuris, ſiue facti.

Vndè concludo ſoli Summo Pontifici extra mortis articulum reſeruari immediatam, & directam abſolutionem ab hæreſi tàm occultā, quàm publicam in foro Sacramenti: Dico immediatam, & directam: nam ipſe ante confectum Rei proceſſum, & ante illius abiurationem abſoluere poteſt: quia cum ſit ſuper ius ſimpliciter poſitiuum; non obligatur ad ſolitas ſolemnitates in abſolutione: Papa .n. poteſt omnia, hoc eſt, poteſtatis plenitudinem habet, *cap. Propoſuit de conceſs. præben.*, item *cap. Cuncta per mundum, 9. quæſ. 3. cum ſimil.* quòd notadum eſt ad differentiam Inquiſitorum, qui ſolummodo Reū abſoluere poſſunt facta illius cauſa, præmiſſaq; abiuratione, & ſubindè non immediatè, vt Summus Pontifex. itidem ad differentiam Epiſcoporum, qui Reum ſimiliter nequeunt abſoluere in foro Sacramenti pęnitentiæ, niſi poſtquam ipſe Reus (ablata excommunicatione) Deo reconciliatus fuerit per abſolutionem in foro conſcientiæ, à foro ſacramentali condiſtincto, vt dictum fuit.

DIFFICVLTAS II.

An reus abſolutus ab Inquiſitore in foro conſcientiæ, vel iudicialiter coram teſtibus; iam dimiſſus à quouis Confeſſario abſolui poſſit ſacramentaliter.

RESpondetur affirmatiuè; quia ablata excommunicatione, cui ſubiectus erat, dimittitur liber: Vndè eius peccata ſacramentaliter

taliter tolli poſſunt etiam à ſimplici Confeſſario, .s. qui non potitur facultate caſuum reſeruatorum: dummodo peccatum ſuper quo obtinuit abſolutionem ab excommunicatione, non ſit ex reſeruatis in Diœceſi, vbi exiſtit Confeſſarius: nam in tali caſu remittendus eſt ad aliquem ex Pœnitentiarijs: faciunt quæ tradit *Eymericus 3. par. Direct. 9. 59. vbi Pegna comment. 12. & quæſt. 122. vbi item Peg. comm. 171. Sanchez tom. 1. lib. 2. cap. 12. nu. 1. Farin. de Hæreſi, qu. 192. §. 4. num. 54. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. cap. 4. nu. 10. Trullenc. in Expoſit. Decalogi lib. 1. cap. 3. dub. 5. nu. 3.*

DIFFICVLTAS III.

An Inquiſitor hæreticæ prauitatis polleat poteſtate abſoluendi ſacramentaliter à caſibus blaſphemię hęreticalis, & ſuperſtitionum in tabella Ordinariorum reſeruatarum: vel opus ſit, vt obtineat aliunde poteſtatem.

TOTA difficultatis ratio in hoc ſtat, quia poteſtas Inquiſitoris eſt pro foro externo, vt notat *Palaus trac. 4. diſp. 4. 5. 6. num. 3. Eymer. 3. par. Direc. nu. 59. vbi Pegna queſt. 122. Valerius de Differentijs vtriuſq; fori verb. hęreſis, differ. 3. num. 3.*

Reſpondetur duabus propoſitionibus. Prima poteſt Inquiſitor abſoluere Reum in ſuo foro exiſtentem, nedum in foro fori; ſed etiam in foro poli; quia Sedes Apoſtolica, cuius Inquiſitor eſt delegatus tradens ei facultatem abſoluendi reos ſuæ iuriſdictionis; dat ei omnia requiſita pro eorum integra ſanitate ſpirituali, & conſequenter poteſt illos in vtroque foro abſoluere, ſi exiſtat Sacerdos: & pœnitens in illo foro velit ſe illi ſubijcere, *l. cui iuriſdictio ff. de iuriſdict. omnium iudicum. Iaſon. & Felinus in capite pręterea, de Officio delegati.*

Secunda, delegatio horum caſuum, quatenus reſpiciunt forum Sacramenti Pęnitentiæ, ſolummodò ad Ordinarium pertinet, & non ad Inquiſitorem; & perindè recurrendum eſt præciſè ad Ordinarium pro horum delegatione, ne confundantur iuriſdictiones fori Sacramenti Pœnitentiæ, & externi iudicialis.

Dices Inquiſitores poſſe delegare abſolutionē ab excommunicatione, quam ſuſpecti de fide, v.g. blaſphęmi hæreticales, ſuperſtitioſi item hęreticales in foro fori contrahunt: ergo poſſunt etiam dictos caſus pro foro Sacramēti Pœnitentiæ ſubdelegare. Reſpondeo quòd quamuis ſubdelegare poſſint abſolutionem ab excommunicatione, non tamen dictos caſus: nam à diuerſis non fit illatio. *l. Papinianus de Minor.* nec vtriuſque fori facultas petenda eſt ab his, qui abſoluunt in foro ſolùm pœnitentiæ ſacramentalis, cum eis ſatis ſit facultas à caſuum reſeruatione; qui enim dimittuntur à S. Officio prius ab excommunicatione abſoluuntur: & quando contingit Inquiſitorem ſubdelegare abſolutionem ab excommunicatione ſatis ſe declarat: quare non eſt ſcrupolizandum circa dimiſſum ab ipſo; dummodo Confeſſarius potiatur facultate Epiſcopi ſuper reſeruatione caſuum tabellæ Epiſcopalis, qua cenſeo potiri etiam Inquiſitor reſpectu ſui in foro Sacramenti Pœnitentiæ ob allatam rationem loc. ſupra citato: non tamen illam alijs ſubdelegare poteſt.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Inquiſitor facultatem abſoluendi ab hęreſi tàm in foro externo, quàm in foro conſcientię, prout diſtinguitur à foro Sacramenti ſubdelegare poſſit.

RAtio difficultatis eſt, quia delegatus ſubdelegare non poteſt, *l. more maiorū ff. de Iuriſdictione omn. iudicum. l. à iudice, C. de Iudi.* Inquiſitor autem eſt delegatus Sedis Apoſtolicæ, vt conſtat: ergo videtur non poſſe illam ſubdelegare.

Quoad forum externum communiter reſpondent DD. quod poteſt in aliquo caſu; tum quia delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, qualis eſt Inquiſitor, in caſu particulari ſubdelegare poteſt, *c. quamuis extra. de offic. delegat. Rodriquez qq. reg. tom. 2. quęſt. 8. art. 4. Graff. p. 1. lib. 2. qu. 7. art. 4. & qu. 34. art. 14. Graff. par. 1. lib. 2. cap. 9. Victorinus in annot. ad Viſcal. ſupra Bullam Cęnę Domini. Duardus in Bullam Cęnę lib. 3. §. 2. q. 12. Sanchez de Pręceptis Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 12. num. 4. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 19. & alij.* Tum quia Inquiſitorum poteſtas eſt ordinaria, vtpotè perpetuò annexa officio ipſorum: non autem ſimplex miniſterium in caſu particulari: ita ſentiunt prædicti Doctores, qui occurrunt etiam rationi difficultatis ſupra obiectæ, dicendo illam procedere in delegato iudicis inferioris; ſecus in delegato Principis, qualis eſt Papa.

Quoad delegationē verò poteſtatis in foro conſcientiæ variant Doctores, alij ſuſtinentes partem affirmatiuam; alij defendentes negatiuam: ſed vtraq; pars eſt probabilis iuxta fundamentorum diuerſitatem. vide additiones ad *Toletum lib. 1. cap. 69.*

Cui autem poſſit delegari. Reſpondeo in foro iudiciali, & conſcientiæ, quatenus diſtinguitur à ſacramentali; poſſe illam ſubdelegari etiam non Sacerdoti; quia neutra iſtarum eſt ſacramentalis, vt conſtat. quod notat *Paramus de Orig. S. Inquiſitionis, qu. 9. nu. 10. Boſſius de Priuil. Iubilæi ſec. 1. caſ. 10. §. 1. & 2. nu. 25.* ratio eſt, quia ſtat in Inquiſitore ratione officij: pro delegatione verò in foro .s. iudiciali, & Sacramenti Pœnitentiæ ſimul; requiritur, vt cui delegatur ſit Sacerdos pro Confeſſario approbatus iuxta S. Conc. Tridentinum.

Quot verò modis Inquiſitor illam ſubdelegare poſſit, dico duobus modis. Primò ſubdelegando nudum miniſterium abſoluendi taxata pœnitentia Reo; & ſublata facultate ſubdelegato aliquid immutandi. Altero modo, ſubdelegato in caſu particulari totū committendo, onus videlicet vnà cum annexis &c. Verùm Inquiſitor dupliciter conſiderari po-

teſt,

teſt, vel quatenus procedit ex officio, aut quatenus ex commiſſione ſpeciali in aliquo caſu: ſi primò, poterit illam ſubdelegare vtroq; modo; ſi vero ſecundò modo, non poterit niſi ſubdelegando nudum miniſterium abſoluendi. Ita *Boſſius de Priuil. Iubilęi ſec. 1. caſ. 10. §. 8. nu. 176. & 179. Nau. lib. 5. Conſil. de Priuil. conſ. 11.* in fine in ſimili de Epiſcopo. Idem ſentio poſſe Epiſcopum, vbi non ſunt Inquiſitores delegati à Sede Apoſtolica, vt eorum Diœceſis non ſit deſtituta neceſſarijs auxilijs. *lege Say. de Decem pręcep. lib. 2. c. 11. nu. 6.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Inquiſitores potiantur facultate diſpenſandi ſuper irregularitate hęreſis occultę.

RAtio difficultatis eſt: quia *Pegna in Direct. Inquiſ. par. 3. quęſt. 126.* exiſtimat facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate ob hæreſim occultam Inquiſitoribus cōceſſam à Clemen. vij. eſſe nunc temporis reuocatam, volens illam eſſe perſonalem, & proinde non perpetuam, nec vſu receptam.

Notandū autē circa hæreſim occultam duo eſſe apud DD. admodum controuerſa: alterum eſt, an ex ipſa ſequatur irregularitas: circa quod, alij aiunt, alij negant: alterū eſt, ſuppoſito, quod ex ipſa ſequatur an poſſint Inquiſitores ſuper illā diſpenſare. Circa quod affirmatiuè reſpondit *Boſſius de Priuilegijs Iubilęi, ſect. 12 caſ. 10. § 12. n. 246.* negando illis reuocatam eſſe huiuſmodi facultatem; cuius ratio eſt: quia cum non conſtet de reuocatione, poſſeſſio ſtat pro facultate, de qua conſtat: nec Pegna loquitur abſolutè, ſed extimatiuè, addens, ſuppoſito etiam, quod per Bullam Cœnæ fuerit illis ſublata facultas abſoluendi ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ, non ideò ſequi ſublatam eſſe ipſis facultatem diſpenſandi in dicta irregularitate: nam à diuerſis non fit illatio.

Dices maior cenſetur facultas diſpenſandi, quam abſoluendi, ergo ſublata facultate minori, ſcilicet abſoluendi; à fortiori cenſetur ſublata facultas diſpēſandi, quæ eſt maior, iuxta illud: ſi nō de quo minus, nec de quo magis.

Reſpondetur, quod in dependentibus ab alterius placito potius eſt attendendum, quod conceditur, quam maior, & minor ratio: quia poteſt concedi maius, non conceſſo minori; ſicut in propoſito. Legendus eſt *Tolet. lib. 1. cap. 69. ſub fine. Henriquez lib. 14. cap. 5. §. 2. Mandoſ. de Signatura gratię, ver. abſolutio ab hęreſi, Leſſ. Zecch. in Summa tract. de Fide cap. 11. num 16. Boſſ. vbi ſup. nu. 246.*

Vrgebis Pium V. anno 1597. die 6. Septembris inhibuiſſe Didaco de Spinoſa Generali Hiſpaniarum Inquiſitori, ne poſſet hæreticos redeuntes habilitare ad aliqua beneficia. Nec, ſi forent Clerici, vt ad ſuperiores ordines aſcēderent: immò nec cum Presbyteris diſpenſare, vt altari deſeruiant.

Reſpondeo cum *Boſſio loc. cit.* dictam inhibitionem debere intelligi de Hæreticis publicis, non de occultis. Nos autem loquimur de occultis. Tu non obſtantibus præmiſſis, conſule *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 109.* vbi docet illius Author Inquiſitores minimè diſpenſare poſſe hæreticos, licèt occultos, ſi hæreſis prodijt in actum externum: nec item Apoſtatas, Inuocatores Dæmonū, Hæreticorum Fautores, Receptatores, Deffenſores.

Quæres fortaſſe quomodo ſe debeat gerere hęreticus occultus interim, donec ſecum diſpenſetur.

Reſpondeo in publico nō teneri ſe gerere, vt irregularem; quod ſecùs eſt in ſecreto: & interim diſpenſationem procurare debere, eſtò ex hęreſi occulta ſequi irregularitatem iuxta opinionem affirmatiuam.

Verùm hęreticus occultus, ad hoc vt in publico poſſit ſe habere, tanquam ſi non foret irregularis; non ſat eſt eius peccatum exiſtere occultum; ſed pręter hoc requiritur neceſſitas taliter ſe habendi; v. g. quia certò immineat ſcandalum, vel infamia de eius crimine, niſi celebret, vel ſuſcipiat Euchariſtiam: & tunc tenetur conteri. *Syllueſ. Euch. 2. qu. 7. Poſſeuinus de Off. Curati cap. 5. num. 43. Capeauil. de Caſib. reſer. cap. 9. difficul. poſtrema. Nauar. cap. 27. nu. 139. Alphonſus de Caſtro lib. 2. de Lege pęnali cap. vltimo. Ioſeph Angleſ. in 4. diſt. 4. qu. 2.* quorum ratio eſt, quia ius naturale de ſeruanda fama, aut vitando ſcandalo pręualet iuri poſitiuo, ex quo excommunicationes proceſſerunt. quidquid ſenſerit *Coarruuias in cap. Alma mater p. 1. in fine, de ſent. excomm. in 6. & alij.*

DISTINCTIO TERTIA.

De modo, quo Inquiſitor tenetur ſe gerere circa reum.

Diuiditurq; in tres Articulos. Primus reſpicit eius obligationem circa ſibi denunciata. Secundus eius poteſtatem circa Inquiſitionem delicti. Tertius reprobationem quorumdam modorum inquirendi delicta.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Inquiſitor vi Edicti denunciata ſub ſigillo ſecreti ſeruare teneatur.

REſpondetur abſolutè affirmatiuè; patet primò ex *Cardinali 3. ex Zabarella in Clemen. 2. verſ. Notatij, 2. nota, de Hæreticis, ex Ioan. Franco Scagliono ſuper ritu 3. Curię Neapolitanę, & ex Proſpero Crauida item ſuper ritu 3. dictę Curię, nu. 15.* quòd notat *Paramus de Origine S. Inquiſ. lib. 1. tit. 2. cap. 3. n. 25.*

Secundò, quia Inquiſitoribus ſecreti ſigillum reſpectu eorum, quæ ipſis vi Edicti fuerunt denunciata, diſtrictè iniungitur, nimirum in virtute S. Obedientię à Papa Bonifacio viij. in *cap. Statuta, §. iubemus. de Hęreticis, lib. 6. Pegna*

gna

gna Commen. 182. vbi habetur Inquiſitores mortaliter peccare, ſi extra caſus ſibi à iure conceſſos, & negotijs fidei neceſſarios reuelant Denunciatores, aut Accuſatores, vel alia S. Officij ſecreta.

Patet tertiò, quia in materia graui facere contra iuſtam legem nulla rationabili cauſa vrgente, vel excuſante mortalis eſt culpa, *text. in d. cap. Statuta, §. & vt eorũ. de Hęret. lib. 6* Quartò, ob ingentia mala, quę ex detectione Denũciantis, aut Accuſantis facilè cõtingere poſsũt. Quintò, quia huiuſmodi detectio eſt quędam proditionis ſpecies; & denique cõſtat grauitas huiuſce detectionis ex pęna priuationis officij S. Inquiſitionis, quo Inquiſitores priuari poſſunt manifeſtando ſibi ſecretò denunciata. *l. Si quis maior C. de Tranſact.*, pręter alias pęnas, quibus meritò puniri poſſunt.

Idem reſoluitur de Conſultoribus, & alijs Miniſtris S. Officij, .s. quod peccant mortaliter reuelando ſecretum in S. Tribunali ipſis concreditum; quod ſatis conſtat, tum ex ſupra allatis rationibus: tum quia Inquiſitores, vt plurimum Conſultoribus, & Miniſtris præcipere ſolent ſub pœna excom., vt omnino in S. Officio cognita ſub ſigillo ſecreti habeant. patet per *text. in cap. Statuta de Hæreticis lib. 6. Eymericus 3. par. Dirctor. quæſ. 83. Pegna commen. 182. Bernardinus Comenſis in Lucerna Inquiſitorum, §. 21. Paramus de Orig. S. Inquiſ. lib. 1. tit. 2. cap. 4. nu. 21., & alij*: Quinimmo etiam mortaliter peccant dicta detegendo ſecreta, etiam ſi ipſis non foret iniunctum ſigilli ſecretum, vt dictat ipſamet natura, tradit *Andræas de Iſer. in c. Quibus modis feud. amitt. & Oſorius lib. 8. de Regis inſtitut.* & notat *Paramus vbi ſupra nu.* 23. An verò Inquiſitores, aut Epiſcopi incidant in excommunicationem reuelando ſecreta S. Tribunalis, ſicut alij Miniſtri, conſule *Cæſarem Carenam de Offic. S. Inquiſ. part. 1. tit. 8. §. 10. nu.* 66. qui in partem negantem tendit cum *Zanardo in Direct. Theolog. par. 2. cap. 6.*

DIFFICVLTAS II.

In quo Iudex laicus, & Eccleſiaſticus differant, & conueniant ad inuicem reſpectu eorum, quæ fuerunt ſibi denunciata.

RESpõdetur differre ſaltẽ in duobus, primò, quia Iudex Eccleſiaſticus eſt etiam pater; & ideò tenetur non ſolùm ad punitionem, ſed etiam ad correptionem: verùm loquendo in ſpecie de Inquiſitore, attende, quæ infra dicemus de correptione fraterna, ad quam non tenetur ſibi facta denunciatione: at laicus nunquam procedit, niſi vt Iudex, quia ſolùm attendit punitionẽ; & ideo non tenetur correptionem præmittere.

Secundò ex parte ſubditorum ipſorum Iudicum; quia fama Eccleſiaſtici magis ſtrictè obſeruanda eſt ob damnum commune, quod irrogat eius infamia, & malũ exemplum, quod adeò non apparet in laico, ita *Ioan. Valer. de Differentijs vtriuſq; fori, verb. Inquiſitio, nu. 9. Fr. Areuala de Correpț. frat. concl. 6.* ex quo apparet, quam cara ſit Sacris Canonibus, & Inquiſitoribus exiſtimatio, & bona fama, ac opinio cuiuſque; nam nolũt eam tolli ſine graui neceſſitate, & cogẽte bono cõmuni, vel damno tertij, vel inſtante accuſante, & quaſi coactè id agũt.

In hoc autem conueniunt, quòd vterque Iudex in caſibus exceptis, quæ .s. vergunt in perniciem Reip. vel tertiæ perſonæ, vbi eſt periculum in mora; procedit ex ſolis indicijs, & ſemiplena probatione ad ſpecialem Inquiſitionem: quia in illis non eſt neceſſarium, vt præcedat infamia, ita *Valerus vbi ſupra num.* 10.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Vtrum Inquiſitores in dubio an dictum, vel factum ſibi denunciatum manifeſtè ſapiat hæreſim, ad ſuam fundandam iuriſdictionem cognoſcere poſſint.

NOtandum eſt, primò hæc tria inter ſe differre, nimirum eſſe hæreſim: ſapere hæreſim manifeſtè: & aliquo modo ſapere: primum denotat veritatẽ, cui propriè competit hæreſis diffinitio. Secundum deſignat maximam ſimilitudinem, & vrgentiſſima indicia erroris in fide. Tertiũ verò ſignificat eiuſdem aliquam ſimilitudinem, indiciũ, aut veſtigium: patet in ſimili de cibo materiali; cũ dicimus hic eſt talis cibus, veritatẽ oſtendimus: cũ verò dicimus manifeſtè ſapit, denotamus ſaporem patentem, qui, vel primis labijs cuicunque deguſtanti producitur, & apparet. Tandem, cũ dicimus cibũ præſeferre ſaporem alterius cibi, ſignificamus ſaporẽ illius cibi nõ patentem, nec omnibus ſtatim notum. ita *Freitas in addit. ad Rodericum Acbuna, qu. 5. nu. 41.*

Notandum ſecundò, vt caſus ad S. Officium pertineat, requiri, vt ſapor hæreſis ſit manifeſtus. *Freitas loc. cit. nu. 5c.*

Reſpondetur difficultati diſtinctione: aut .n. quæritur ſi dictũ, vel factũ manifeſtè ſapiat hæreſim, aut tantum ſi ſapiat; ſi primum reſponſio eſt affirmatiua; ratio eſt, quia quicunque Iudex cognoſcere poteſt, an ſua ſit iuriſdictio in caſu, de quo agitur, quando dubiũ vertitur, vtrum in ea ſpecie ad ipſum pertineat cognitio, patet ex *l. Si quis ex aliena, ff. de iudicijs*; quæ æquè procedit de Iudice delegato. *cap. Super litteris ad finem; de reſcript.* vbi *Felinus, nu. 18. l. Præſcriptione, C. Si contra ius. Gratianus reg. 123. à principio.* Cæterum, ſi tantum quæratur, ſi dictum, vel factũ ſapiat hæreſim: adhuc opus eſt diſtinctione: Nam Inquiſitor fidei, aut præciſè eſt Iuris peritus, non Theologus; & ſic ad ipsũ non pertinet, vtpotè negotiũ pertinens ad Theologos propoſitionum qualificatores, quos cõſulere debet: Quod ſecus dicendũ eſt, ſi Inquiſitor Theologus extiterit. ita *Martinus Delrius de Magia, lib. 5. ſect. 15. axiomate 1. ad fin. Pegna ad Direct. 3. par. commen. 67. ad finem.*

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitoribus integrum ſit non ſeruare Reo promiſſionem impunitatis ad eruendam veritatem ei factam.

RESpondent aliqui affirmatiuè,quorum ratio eſt;quia Iudices ſolummodo poſſunt Reum condemnare, quando de crimine conſtat ordine iuris, qualis hìc non reperitur. ita *Couarruuias lib. 1. Variar. reſol. cap. 1. num.* 2. tenenturq;ſtare promiſſioni,quæ de iure naturæ obligat; Vndè etiam hoſtibus ſeruanda eſt fides, 2;. *qu.* 2. *cap. Noli. l. Conuentionum. ff. dè Pactis*, quod intelligitur, ſi promiſſo fuit deliberata,voluntaria, de re poſſibili, aut notabili.

Alij (cum quibus ſum) ſentiunt; quod attendendũ eſt,quæ lex naturalis ſit fortior,illaq; ſeruanda: quorum ratio eſt, quia concurrentibus duabus legibus naturæ contraria in aliquo caſu dictantibus,ſtandum eſt fortiori;nam fortius vinculum fortiori modo ligat: quare attendendum eſt, quid bono publico, quod priuato præfertur, magis in praxi reſpectu talis contingentiæ ſit vtilius perpenſis non ſemel, ſed iterum, ac tertio ex vtraque parte circunſtantijs; ne cauendo Scillam incidamus in Charibdim: quare pro poſſe abſtinendum eſt ab huiuſmodi impunitatis promiſſionibus, & pactis,vt admonet *Arſen.Inquiſ. part.* 10.*admon.* 40. & 45. faciunt dicta *Iulij Clari qu.* 55. §. *fin. n.* 8. *verſ. circa primũ. Ant.Gomez.to.*3.*Var. c.*12.

DIFFICVLTAS III.

An Inquiſitoribus integrum ſit à Reis,v.g. à Strigibus, mendacio expiſcari veritatem.

RAtio difficultatis eſt, quia in aliquibus locis Scripturæ Sanctæ, mendacio tàm verborum, quàm factorum multi probatæ vitæ vſi ſunt: patet *Exodi* 1. in Obſtetricibus remuneratis. In Iudit, quæ finxit velle acquieſcere petitioni Holoferni. In Abraham,vxorem ſuam appellante ſororem, *Gen.* 12. & 20. In Iacob aſſerente ſe eſſe Eſau, *Gen.* 27. Quare in iudicijs, vbi perquiritur veritas, cur idem fieri nõ poteſt,ne ſcelera remaneãt impunita?

Reſpondetur negatiuè,quia mendacium de iure tàm diuino, quàm humano prohibetur, *Pſ.*5. & 14. *Sap. c.* 1. *Eccleſiaſtici, cap.*7. *Prouerb. cap.*6. & 22.*quæſ.* 2.*Can.Ne quis*: Vndè nec iuſtè litiganti licitum eſt in iudicio vti mendacijs contra cauillationes aduerſariorum: quare falſiſſima eſt ſententia *Ioan. Bodini* ſentientis oppoſitum, *lib.* 4 *de Magorum Dæmonomania, cap.* 1: *propè finem*. Dices,cum ægrotis, & paruulis licitè vtimur mendacio: ergo in ſimili idem poſſumus cum ægrotis, & paruulis ſpiritualiter, quales ſunt malefici,ſtriges &c.

Reſpondetur negando ſimilitudinem: quia cum ægrotis corpore charitate coacti æquiuocatione vtimur, & cum paruulis ætate ludimus illos blandientes: Iudices autem non coguntur vti æquiuocatione: nec ipſis ad eruendam veritatem deſunt alij modi, neq; cum eis ludunt,ſed ſeriò procedunt.

Nec obſtat,quòd Obſtetrices, quæ mendacio vſæ ſunt, fuerint remuneratæ; quia remuneratio non fuit pro mendacio; ſed pro timore Dei,& beneuolentia in ipſius populum: Vndè,ſignanter dicitur *Exodi* 1.& quia timuerunt Obſtetrices Deum,ædificauit illis domos: Nec Iudit laudatur,quia mentita eſt Holoferno,ſed ob affectum ad ſalutem populi, pro quo periculis ſe expoſuit. Item non obſtat exemplum de Abraham, quia dicendo Saram fuiſſe ſuam ſororem non commiſit mendacium, ſed tantum veritatẽ celauit: ex timore nanque cadente in conſtantem virum ad æquiuocandum coactus eſt. Itidem non obſtat dictum Iacobi Patriarchæ;quia locutus eſt figuraliter per Spiritum Profetiæ ad deſignandum myſterium; nimirum, ꝙ minor populus .s. Gentilis in loco maioris .s. populi Hebraici ſubſtituendus erat.

DIFFICVLTAS V.

An ſaltem Inquiſitoribus ad indagandam veritatem integrum ſit eligere medium fictionis, aut cautelarum.

QVO ad primam particulam, .s. quo ad medium fictionum.

Notandum duplicem eſſe fictionẽ, vz. aliam bonam .s. prudentialem, qua vſus eſt Chriſtus, iuxta illud: *Finxit ſe longius ire*; aliam verò malam .s. pernicioſam, de qua paſſim Theologi, *ver. Fictio, ver. Simulatio*. Loquendo de prima, Inquiſitoribus licitum eſt illam eligere ad dictum finem,cum ſit bona,& approbata ex Chriſti actione: omnis enim Chriſti actio noſtra eſt inſtructio: quod in primis poſſunt in hæreſis cauſa, quæ inter omnia crimina Reipublicæ perículoſiſſima, ac pernicioſiſſima præcipua eſt: ſerpit .n, vt cancer; vbi autem maius periculum, ibi cautius agendum: Cæterum,ſi loquar de ſecunda,ſecus dicendum eſt; quia in malis culpæ, nec quidem minimum peccatum pro dicto fine eligere poſſumus: non .n. facienda ſunt mala, vt indè bona eueniant; imò potius mortem quiſque eligere deberet, quam vel minimum peccatum veniale committere, vt in primis notat *Sotus in* 4. *diſt.* 22. *quæſ.* 1. *art.*4. Dices de duob. malis minus eſt eligendum, *l. Quoties cum ibi alleg.ff.de reg.iur.* Reſpondetur primò hanc regulam procedere in malis pœnæ .s. damnis, & periculis corporalibus; quod ſecus eſt in malis culpæ .s. in peccatis. Reſpondetur ſecundò charitatem ordinatam eſſe debere; non foret autem ordinata, ſi Inquiſitor peccaret pro alterius criminis expiſcatione: totusq; inuerteretur legis ordo. Inſtabis,quod quiſque minus malum conſulere poteſt, quando proximum ſuum à maiori aliter non poteſt auocare: ergo etiam Inquiſitor fictione vti poterit, quando aliter nõ poteſt Rempub. liberare à criminoſo.

Reſpondeo, quod longè differunt ad inuicem hi termini, vz. eligere,& conſulere. Eligere .s. peccatum, licèt veniale,nunquam cuiquam licèt ob aſſignatam rationem; cum agatur de his,quæ ſunt in noſtra poteſtate: conſulere verò eſt reſpectu alterius voluntatis, quæ non eſt in noſtra poteſtate: vndè, cum non poſſumus proximum auertere à maiori crimine,

mine, vel damno inferendo; integrum eſt omnibus illi conſulere minus peccatum, & item minus damnum: V. g. vt quis potius fornicetur, quam adulteretur: itidem, vt potius verberet, quam occidat. *Caietanus in Summula ver. Tirannus*. Propterea dicit *Sotus*, quem refert, & ſequitur *Ioannes Corradus in Reſponſion. caſu. conſ. q. 5.* Integrum fuiſſe Loth, *Gen. c. 19.* ad diſſuadendum execrandum ſodomiæ peccatum conſulere minus malum illis verbis; *Habeo duas filias educam eas ad vos, abutimini eis:* nam qui conſulit minus malum, non inducit ad illud, ſed remouet à maiori, quod permiſſum, & bonum eſt; malum verò quod fit, tribuendum eſt facienti, & non conſulenti.

Quo item ad medium cautelarum, notandum duo eſſe cautelarum genera: nimirum quædam laudabiles, & iudiciariæ, in quibus nō reperitur iniquitas, ſed ratio, iudicium, & vtilitas, *cap. Quanto, diſt 63. & cap. Illa Præpoſitorum, 11. quæſ. 3. vbi Gregorius* in hęc verba: *illa præpoſitorum ſollicitudo vtilis, illa eſt cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil ſibi vendicat:* quædam verò ſunt deceptoriæ. primò cautelarum genere vti poſſunt Inquiſitores; ſecundò autem minimè. *Penn. ad 3. part. Eymer. Comm. 2* . *Auctor Repertorij Inquiſitorum verbo, Promiſſo ſolerter, §. ſequuntur cautelæ.*

DIFFICVLTAS V.

An ſuperior extorquere poſſit à pœnitente, vt detegat ſibi extra confeſſionem peccatum, à quo petit ſacramentaliter abſolui.

LOquor de Superiori tàm regulari, quàm ſæculari reſpectu fori Sacram. Pęnitētiæ.

Tunc dicitur Superiorem extorquere pœnitentem, quando abſque rationabili cauſa; nec ipſe vult ei impertire abſolutionem ſacramentalē: nec alteri concedere facultatē, niſi extra confeſſionē ſibi detegat peccati ſpeciē.

Non loquor de detectione iudiciali, quæ in foro fori extorqueri poteſt in Sancto Tribunali Inquiſitionis, nec de abiuratione ſecreta, licèt Reus à nullo denunciari poſſit: quam edocet *Campegius ad Zanchinum cap. 35. circa finem*, nec de Inquiſitore fidei, qui non tenetur excipere confeſſionem ſacramentalem illius, cuius delictū poſſibile eſt ab aljs ſibi denūciari: Quare Inquiſitor iuſtiſſimè, & prudētiſſimè ſe habet nolens abſoluere, nec concedere alicui facultatē, vt Reus delictorum ad S. Officium ſpectantium abſoluatur ſacramentaliter, ante delictorum iudicialem manifeſtationem, ſaltem coram Secretario, quando delictum aliqua via, tandem ad eius aures peruenire poteſt, quale eſt illud, quod ſaltem coram aliquo, licèt complicè patratū fuit; cuius ratio eſt, quia cum ipſe ſit Iudex in foro externo pro communi bono Reipub., illum vti oportet manifeſtatione iudiciali, cum ex ſacramentali, nec Rei puniri poſſint: nec alij illorum punitione in fide contineri; nec item inde complices inquiri. ita *Caſtrus Palaus in Opere moral. tract. 4. diſp. 4. §. 6. nu. 3.*

His ſuppoſitis, dico alios Superiores, dempto Inquiſitore fidei, ad huiuſmodi detectionē extra Sacramentum non poſſe cogere pœnitentem; ſed teneri illum abſoluere ſacramentaliter, ſaltem ab illo reſeruato, ſi ex cauſa integram confeſſionem audire non poſſunt, vel ad minus illi impertire facultatem, vt ab alio abſoluatur; Moueor his rationibus: Prima eſt à parte pœnitentis, qui non tenetur delictum omninò occultum alicui detegere extra Sacramentum Pœnitentiæ. Notum eſt.

Secunda eſt à parte ſuperioris, qui tale onus ferè viribus humanis importabile pœnitenti minimè imponere poteſt; quia ſic redderet confeſſionem nimis grauem, & ſubindè odioſam: nam graue, & odioſum eſt obligare pœnitentem ad manifeſtandum Superiori extra Sacramentum Pœnitentiæ peccatum penitùs ſecretum, in cuius euidentiam iura, & DD. illum excuſant, ſi non manifeſtet peccata per ſcripturam, aut interpretem ob periculum detectionis peccati, vt in primis notat *Caſtrus Palaus, vbi ſupra nu. 2.*

Nec obſtat, quod ob bonum ipſius pœnitentis imponatur illi hoc onus: quia ab ipſo inuoluntariè aſſumitur; vndè ex hoc nullum conſequitur fructum. Dices erubeſcentiam detegendi peccatum Superiori maximam afferre vtilitatem pœnitenti; hoc admitto, ſed nego obligationem, immò aliqui ſunt caſus, in quibus etiam ipſi Confeſſario ob eius defectū expedit abſcondere peccatum, vt paſſim docent Summiſtæ.

Nec obſtat Superiorem reſpectu illius peccati taliter ſibi detecti teneri ad ſigillum ſecreti; quia illo ſtrictius eſt ſigillum Sacramenti Pœnitentię, cui tantum tenetur ſubijcere delictum à ſe commiſſum.

Nec item obſtat ſententia aliquorum DD. ſentientium Superiorem teneri ad ſigillum confeſſionis ſacramentalis, cum habuerit peccatum in ordine ad ſacramentalem confeſſionem; quia nec per hoc tenetur cedere iuri ſuo ſubijciendo peccatum ſuum clauibus alijs à Sacramentali; cum in rigore tale peccatum, niſi vni ſacramentaliter ſubijcere teneatur.

Nec itidem obſtat Superiorem à Confeſſario, ſeu Procuratore in genere petente facultatem, ſciſcitari poſſe caſum in ſpecie, quia ſub hac ſciſcitatione nullius criminis in ſpecie detegitur; quod ſecùs eſt, ſi ſciſcitetur à pœnitente, qui habet ius, vt ſuum peccatum Sacerdoti præciſè detegat; vnde nec pro ſe petens facultatē tenetur aperire crimen Superiori, ſed ſat eſt, ſi dicat pro quadam perſona in genere illam petere, vti oſtenſum fuit in Commentarijs ſuper excommunicationem Papalem pro indemnitate Hoſpitalis maioris Bergomi, alioquin illam ſpecificè petendo, detegeret iam graue patraſſe mortale, videlicet elevationem, quod non debet iuxta illud diuinum, ac naturale præceptum *S. curam habe de bono nomine,*

melius eſt enim illud, quàm diuitiæ multæ. Item aliud eſt manifeſtare ſe criminoſum, ſeu peccatorem; aliud verò fuiſſe talis criminis in ſpecie patratorem.

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo intelligitur, quod in materia Inquiſitionis multa relinquuntur Inquiſitoris arbitrio.

RAtio difficultatis eſt, quia nõnulli falluntur in cognitione huius dicti putantes Inquiſitoris arbitrium importare, quòd ipſe pro libito ſuo formare poſſit proceſſum, ac definire quicquid contigerit iudicandum; ſed ad arbitrium dicitur fieri totum omne, quod à lege non eſt deciſum, prout aduertit *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 256.*

Notandum tamen Inquiſitores arbitrium intelligi, vt ſit iuri, æquitatiq; conſonum, ſequendo in iudicio allegata, & probata, vt multis probat rationibus *Petrus Binſpheldius, Commen. in tit. C. de maleſ. & math.* vbi de indicijs criminis maleficij, oportet, inquit, ſequi ius .ſ. canones, conſilium item peritorum, praxim doctiſſimorum, proborũq; iudicium: inter cætera verò attendere debet duo ſequentia. Alterum eſt, pro varietate criminum, varia etiam eſſe iudicia, inter quæ, licèt quædam poſſint eſſe communia, nimirum, quæ omnibus criminibus accõmodantur: quædã tamen etiam poſſunt eſſe particularibus criminibus propria. Alterum eſt, quod diuerſus eſt ſtatus indiciorum, quædam .n. ſunt remota, quædam propinqua; quædam verò propinquiſſima, & iuxta eorum qualitatem diuariatur iudicium; Vndè, ſi contingat cum Reis aliter, & aliter procedi, vz. cum vno rigoroſius, & cum alio mitius; totum adſcribendum eſt indiciorum, aut probationum varietati. Quare Confeſſarij partes erunt inſtituere pœnitentes, quos ex confeſſione cognouerint ab re de Iudicibus perperàm conqueſtos fuiſſe, illos iudicando modò ſegniores, modò verò rigoroſiores, quàm par ſit, arbitrium Inquiſitorum ſequi diuerſitatem indiciorum plus, minuſue vrgentium, praximq; rationabili, & præſcripta conſuetudine approbatam; & quemadmodum nõ ſe extendit ad modos exquiſitos, & inconſuetos: ita non omittit ſolitos, conſuetudineq; approbatos, ex. gratia ſemel leniter tortus ratione indiciorum de violenti, repetitur in tortura, vt ſufficienter torqueatur: at tortus ſufficienter denuo non torquetur; nam habito fine ceſſat motus; niſi fortaſsè tortura repetenda ſit ad detegendum ſocios criminis, in caſibus, in quibus de criminis participibus interrogatio iure inſtitui poteſt. *l. fin. C. de Accuſ. & inſcrip. DD. ibidem.*

Obijciat etiam Confeſſarius illis, qui in S. Trib. fuerunt torti, aut examini ſubiecti, tanquam Rei, falſum eſſe, quòd vulgò fertur, illos nempè ſemper haberi infames; quia ſi abſoluti ſunt, nec ratione examinis, nec ratione torturæ habentur tales; immo meliores, quàm antea, cum proſperè, iuridicè, ac canonicè ſe purgauerint à ſibi falsò impoſitis. *Argum. Authen. Quomodo oporteat Epiſcop. & Clericos. §. Si nemo accuſauerint.* Quo fit, vt ſi crimen obijceretur alicui, ſuper quo ſe tortura purgauit, abſolutusq; extitit; poſſet contra obijcientem habere iniuriarum actionem, quod notat *Binſpheldius in Comment. in tit. C. de Maleſ. & math. lib. 7. quaſ. 1. concl. 17. in fine. Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 236.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Inquiſitor purgatione ferri candentis, aut aqua frigida vti poſſint.

PRO intelligentia notandum eſt, primò, purgationem ferri candentis eam eſſe, qua Iudex intendit probare innocentiã, vel culpam, v. g. Maleficæ præſumptæ per experimentum ferri igniti, quod ſi illam adurit, iudicatur rea mali præſumpti, quod ſi ſecus contingat, vt innocens liberatur.

Purgatio verò aquæ, eſt qua Iudex intendit probare item innocentiam, vel culpam, v. g. Maleficæ, quæ in tormentis veritatem fateri noluit; Taliter autem fit, ducitur ad aquam, v. g. ad flumen, vel lacum, ligataq; pedibus, manibusq; proijcitur in illã, quę, ſi enatat, habetur vehementer ſuſpecta, tanquam à Dæmone liberata: quod ſi ſubmergitur, ſtatim educitur, & innocens iudicatur, & liberatur.

Notandum ſecundò, quod vtraque probatio dicitur vulgaris, quia nulla Canonum, vel legum auctoritate nititur, ſed à vulgò inuenta, & Diabolo auctore introducta, patet *2. quaſ. 5. cap. Mennam, & cap. Conſuluiſti.*

Notandum tertiò hanc moueri difficultatẽ, tum quia aliquibus in locis, Iudices hac purgandi forma vſi ſunt, vt in Gallia, & Liuonia, quod tradit *Binſpheldius de Confeſſionibus Maleficorum, dub. 1.* Tum quia eam defendit *Scribonius Marpurgenſis lib. 2.* de Sagarum natura, & poteſtate, eam ab antiquitate comprobãdo, quia .ſ. eius meminit *Cuiacius Iureconſultus antiquus* aſſerens, eam olim fuiſſe in vſu apud multos.

Modo ad rem deueniendo. Reſpondeo hanc purgandi formam illicitam, ſuperſtitioſamq; exiſtere; illicitam quidem, quia illa vtens peccat mortaliter, quod ſatis conſtat, tum *2. qu. 5. cap. Mennam, & cap. Conſuluiſti:* tum quia credit in hac purgandi forma in eſſe effectum ad probandum innocentiam, vel culpam, quod falſum eſt. Superſtitioſam verò iuxta *cap. fin. de Purgat. vulgari, & ibi Panormitanus, & Petrus Ancharanus:* quia ferrum candens, cum naturalem habeat actionem, ita lædit innocentem, ac Reum: in aqua item nõ minus ſubmerguntur boni, quàm mali, nec Deus his medijs mouetur ad miracula. Cognoſciturq; talis, quia pactum cum Dæmone implicitum inuoluit, dum ſcire vult occulta ſoli Deo reſeruata, per modum diuinæ ſcripturæ, Eccleſiæ Catholicę, rationiq; naturali incognitum. faciunt tradita per *D. Auguſt. de Doctrina Chriſtiana pro dignoſcendis*

ſcendis

ſcendis ſuperſtitionibus lib. 2. cap. 20. vt notat *Binſpheldius loc. cit.*

Nec reſolutioni obſtat olim fuiſſe vſum purgandi crimina his modis; quia non omnia antiqua carebant ſuperſtitione; ſed potius multa illam redolebant, quod notiſſimum eſt; nec item obſtat hunc purgandi modum traditum fuiſſe ab aliquo Doct: quia etiam Doctores, & maximè ſcientia inflati falluntur, quod ſatis comprobatur ex eorũ retractationibus. *Nald. ver. Superſtitio, nu. 8.* qui tradit etiam abrogatum eſſe vſum præbendi Euchareſtiam ſuſpectis de aliquo crimine in probationis experientia, patet ex *cap. Dilecti de Purg. vulgari. cap. Tribus de Conſecratione diſt. 2. Sum. Aſteſana tit. 41. de verb. ſignificat. verb. Purgatio.*

DISTINCTIO QVARTA,

De obligatione Inquiſitoris fidei in certis caſibus: prudentia in correctione Concionatoris actualiter prædicantis, ac priuilegio quodam ſingulari tàm Inquiſitoribus, quàm Concionatoribus communi:

Diuiditur autem in tres articulos iuxta tria peracta.

Primus, reſpicit obligationem Inquiſitorũ.

Secundus, eorum prudentiam in dicto caſu correctionis.

Tertius, priuilegium tàm Inquiſitorum, quàm Concionatorum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An, cum duæ extant opiniones probabiles, teneatur Inquiſitor ſequi illam, quam putat Reus veriorem.

Ratio difficultatis eſt, quia Confeſſarius, qui eſt Iudex in foro Sacramẽti Pœnitentiæ; tenetur ſequi opinionem illam, quam pœnitens putat veriorem: ſibiq; magis fauorabilem, ſuppoſita tamen eius probabilitate. *Nau. in Man. cap. 26. num. 5. Syluеſ. ver. Confeſſor 3. quæſ. 7. Valerus de Differ. vtriuſque fori; differ. 2. per totum, & alij.*

Reſpondeo Iudicem, in propoſito Inquiſitorem, non teneri in foro exteriori ſequi opinionem, quam Reus putat veriorem; aut quæ ſibi magis fauet; ſed magis receptam, magisq; probabilem. *cap. Nouimus. de Verb. ſignif. cap. de Iudicijs 3. qu. 3. l. 1. ff. de Offic. Quæſt.* ratio eſt, quia quemadmodum peccaret mortaliter Iudex, ſi ferret ſententiam in fauorem partis rationes minus probabiles habentis: ita peccat mortaliter, ſi fert ſententiam iuxta opinionem minus receptam: quia in re graui nulla ratione poſſumus à communi ſententia recedere in foro externo: quod tamen intelligere oportet, niſi opinio minus recepta innitatur ſubtiliori, validioriq; rationi: ita *Valerus loc. cit. different. 1. nu. 1, & 2. qui quamplures citat DD.*

Nec obſtat ratio obiecta de foro pœnitentiæ: nam totum, quod agitur ibi, eſt in fauorẽ pœnitentis voluntariè ſe ſubijcientis Confeſſario: quod verò agitur in foro exteriori contra Reum eſt principaliter in fauorem boni communis, & minus principaliter Rei: quare et ipſo inuito incarceratur, condemnatur &c.

Verùm ſi vtraque opinio eſſet æquè probabilis; Iudici integrum eſſet modo adhærere vni, modo alteri: quod ſi vtraque dubia ſit, vt diſcerni veritas nequeat; tunc placet dicere, vt Iudex diuidat rem (vt ſic loquar) per medium, nè contra iuſtitiam tollat alteri partem ſuam, .s. ius ſuum. idem *Doctor, vbi ſupra differ. 3. n. 7.* Regulariter tamen in foro conſcientiæ ſequimur illã, qua minus ſubijcimur periculo peccandi: at in foro exteriori benigniorem partem. *communiter DD.*

DIFFICVLTAS II.

Inquiſitor in caſu controuerſiæ inter Confeſſarium, & pœnitentem; cui potius credere debet? ſupponit hæc difficultas Confeſſariũ denunciaſſe pœnitentem S. Officio; qui conſtanter aſſeuerat, ſe tantummodo peccatum in Sacramento Pœnitentiæ aperuiſſe: Confeſſarius verò aſſerit, illud ſciuiſſe etiam extra confeſſionem; quare meritò quæritur, cui potius Inquiſitor credere debeat.

Ratio difficultatis eſt, quia de Confeſſario velut de perſona graui nil mali ſuſpicandum eſſe videtur.

Hæc difficultas ſoluitur à *Roya de Singularib. fidei; ſingulare 5. nu. 44.* ſecum habente plures DD, in hæc verba, *Præſumendum eſt contra Confeſſarium*; nimirũ, quod crimen illud habuerit in confeſſione, niſi doceat aliundè ſciuiſſe: dicenti .n. (maximè in hoc caſu) incumbit probatio. Nec obſtat Confeſſarium haberi, vt perſonam grauem: nam cum partium iura ſint obſcura potius Reo, quam Actori fauendum eſt, *de reg. iur. in 6.*

Verùm pœna ordinaria non eſt puniendus, quia apertè nõ conuincitur de delicto. *Abbas, & Card. in cap. Vtriuſq; ſexus. Lapus allegat. 94. Felin. in cap. 1. de Except. Fran. de Ripa in tractat. de Peſte lib. 3. num. 160. Bernar. Diaz de Luco in Pract. crimin. in cap. ter. circa finem. Martinus Nauar. in cap. Sacerdos, n. 163. item de Pæn. diſt. 6.* vbi in caſu ſimili allegat dictum *Singu. Innocen. in cap. Quia verіſimile de præſumptio.*

Hanc difficultatem in praxi, non ſemel, iterum, aut tertio; ſed plures contigiſſe intellexi.

DIFFICVLTAS III.

An Inquiſitor calumniatorem in S. Officio grauiter punire debeat.

Reſpondetur, quod non minus, quam alios calumniatores in alijs Tribunalibus punire debet; quinimmo grauius, ſi impoſtura ſit grauior reſpectiuè; vt ſolet eſſe illa hæreſis, & maleficij ratione infamiæ, non tantum in calumniato; ſed etiam in eius parentibus, cogna-

tis,

tis, conſanguineis, & affinibus: nam iuxta delictum, & plagarum modus eſſe debet teſte Diuina Scriptura, quòd potiſſimum procedit, ſi ex prauo fine, v.g. ex inimicitia, odio, inuidia &c. ſatis cognoſcatur ad impoſturam; vel ad ferendum falſum teſtimonium motū fuiſſe.

Dices calumniatorem, aut teſtem falſidicū non eſſe puniendum iuxta delicti grauitatem: ne alij mulcta iſtius deterriti à denunciatione, aut teſtificatione ſe abſtineant. Reſpondeo, quod ij (his non obſtantibus) puniuntur in S. Tribunali, & puniri debent: tum quia auſi ſunt temerè, aut malignè, quantum in ipſis fuit fœdare ſanctum, & incontaminatū Tribunal. tum vt alij deterreantur ab iniquis accuſationibus, & teſtificationibus: nam veritas, cum non defenſatur, opprimitur, *cap. Error diſt.* 83. & qui veritatem liberè non pronunciat, proditor eſt veritatis, *cap. Nolite timere,* 11. *quæſ.* 2. ſciunt enim inconcuſſi Iudices Tribunalis fidei, quòd ille Deum ſequitur, qui veritatem amplectitur. *cap. Quiſque,* 11. *quæſ.* 3. Vrgebis ſi calumniator, aut teſtis falſidicus puniatur, de illo ſcandalum patietur Ciuitas, cum ex ipſa punitione manifeſtetur. Reſpondetur Inquiſitoribus potius tolerandum eſſe omne ſcandalum, quam quod veritas relinquatur, *cap. Qui ſcandalizauerit. de reg. in antiquis.* norunt item eſſe paria falſum exprimere, & ſupprimere veritatem, *cap. Super litteris, extra de Reſcript. l. in prin. de Fal.*, & tàm Calumniator, quàm falſidicus ſibi imputare debet, ſi mala patitur; & ſcandalizauerit patriam, parentes, & cognatos &c. nam ſcriptum eſt, qui facit, quod non debet, ei obuenit, quod non credit: nec tenetur calumniatus pati infamiam, & alia, vt Calumniator, aut falſidicus immunis euadat, nam charitas incipit à ſe ipſo.

DIFFICVLTAS IV.

An hæreticæ prauitatis Inquiſitor credere teneatur Ioculatori aſſerenti artem ſuam non pendere à Dæmone.

RESpondeo negatiuè, ratio eſt, quia licèt mira, quæ paſſim, & publicè agit, poteſtatem magiæ naturalis non excedant; non propterea ſequitur, illa à Dæmone minimè didiciſſe: quinimmo potius ſequitur oppoſitū; nam, quæ ipſe Dæmon docet, nullatenus vim naturæ trāſcēdūt: ſed æquiparātur. Quare vlterius Ioculator ab Inquiſ. inquirēdus eſt; vnde illā nouerit, & quomodo, maximè ſi exiſtat ex plebeorū numero, qui vt plurimū philoſophiā ignorant: quia fortaſsè ipsā didicit à Dæmone, vel à Mago cum Dæmone cōſortium habente; proprium .n. eſt Magorum talia nedum docere, ſed etiam patrare: tum, vt habeantur magni: tum, vt ſuæ ſortis habeant conſortes: tū vt hanc vitā ſub colore miræ virtutis tranſigant.

Quamuis autem interdū Dæmon, aut Magus agat, quæ non poteſt natura hæc particularis: non tamen poteſt facere, quæ excedunt naturam vniuerſalem: ex. gr. Licèt terra hæc Bergomenſis non poſſit in circulo ſex menſium producere plantam altitudinis duodecim cubitorum: nouit tamen fortaſſe alio in loco adeſſe terram tantæ virtutis, quæ plantam dictæ menſuræ in dicto exiguo tempore producere poteſt: nouit item quomodo ab vno ad alium locum transferri poſſit: nec adhoc illi deeſt potentia; quamobrem aliquando apud idiotas cenſetur Dæmonis potentiam totius naturæ vim ſuperare; cum tamen non excedat, niſi vim alicuius naturę particularis in aliquo loco ſatis deficientis, vt dixi.

Dices, ſcientiam, vel aliud, quod quis à Dæmone didicit, ſi ab illo independenter exercere poteſt; non tenetur illam, vel illud euitare, vt concorditer aſſerunt DD.; ergo ſaltem iſte poterit vti ſcientia, aut facultate, quam à Dæmone habuit. Reſpondeo, quòd quamuis tàm ſcientia, quàm alia re, quæ independenter ab ipſo exercetur vti poſſit; nego tamen quod liber dimitti debeat Ioculator ex eo, quod eius magia ſit naturalis; ſed vltra ab ipſo inquirendum eſt, à quo, & quomodo illam habuerit: quia fortaſſe deteget ad ſuū Tribunal facietia.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quomodo Inquiſitores erga Prædicatores, qui in aliquod verbum ſcandaloſum, aut de hæreſi ſuſpectum ruerunt, ſe gerere debeant; & à quibus potiſſimū ipſos Prædicatores cauere oporteat.

RESpondent *Albertinus, & Simancas locis infra citan.* fere in hæc verba; *in primis ab Inquiſitore Concionator vocandus eſt, ipſi iniungendo, etiam præcepto, ſi opus fuerit, vt dictum retractet, vel pio, & Catholico ſenſu exponat populo, quò catholicè intelligi debeat. Deinde ipſum admoneat, ne talia iterum prædicare præſumat. Exinde etiam illum pro modo culpæ corrigat, ſi caſus, locus, & tempus hoc exigerit, maximè ſi aliquam hæreſim prædicauerit, etiam prædicationis officio priuando. l.* 1. *de Legatio. l. Si aliquid C. de Suſcept. & Arca. Albertinus lib. de Agnoſcendis aſſert. Catholi. quæſ.* 36. *num.* 8. *Simancas de Cathol. inſtitut.* 49. *de Prædicatoribus n.* 1 *&* 3.

Quoad obſeruanda à Prædicatoribus, ipſi præter verba ſcandaloſa, aut quomodolibet ſuſpecta, præcipuè cauere debent, ne Superioribus, & maximè Prælatis detrahant: honorandi enim ſunt, non modo, qui bene præſunt, ſed etiam diſcoli: ſecretoq; correptione fraterna admonendi, non publicè per orā hominum traducendi: id .n. ipſis non prodeſt; ſubiectis verò plurimum nocere ſolet; hinc *Gabriel ſuper canonem lec.* 77. *cit. à Simanca, vbi ſupra, nu.* 9. inquit. *Sunt qui ſolum inobedientiam, & rebellionem Subditorum nutriendo, vitia culpant Superiorum, etiam dum abſunt: nihil plauſibilius audit inuida plebs, quam Superiorum vitia prodi, augeri, culpari:* quapropter *Clemens V. in Con. Vienenſi,* inquit: *Religioſis in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarū Prælatis detrahāt.* Hinc *Patres Cōc. Senonenſis*

nenſis in decretis moriũ c. 35. & 36. ſic proloquuntur. *Nonnulli Prędicatores beneuolentiã vulgi captantes, Adminiſtratoribus tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus detrahunt, ſubditos ſuis maioribus inobedientes, & rebelles reddunt*; & poſt pauca, inquiunt, *Si Prælatis Eccleſiæ, & Principibus detraxerint, ac populum ab obedientia retraxerint; nos volumus tales tàm ineptos, ac pernicioſos Concionatores ab officio prædicationis ſuſpendi; & à ſuis Superioribus pro modo, & cenſura exceſſus acriter puniri*. In Conc. quoque Lateranenſi ſub Leone X. ſeſs. 11. item Patres fuerunt in hæc verba. *Inhibemus omnibus, & ſingulis Clericis ſæcularibus, vel regularibus, cæteriſq; cuiuſcunque ſtatus, gradus, & ordinis exiſtant, qui onus prædicationis aſſument, ne de cætero in ſermonibus ſuis publicis, ex litteris ſacris futura conſtanter prædicent; ſed ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturæ cum vitiorum deteſtatione, & virtutum commendatione declarent: & pacem, & dilectionem mutuam à Redemptore noſtro tantoperè commendatam, vbique fouentes: non ſcindant veſtẽ inconſutilem Chriſti*. Conſule *Simancam loc. cit. num. 9. 10. & 11.* Cauere item debent, ne prædicent miracula falſa, aut incerta, vel prophetias, quæ non continentur in Scriptura Sacra: *Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Inquiſitores hæreticæ prauitatis, & Prædicatores contra ſtriges inuehentes ab ipſis maleficiari poſſint.

RAtio difficultatis, quia ſi ſtriges contra Inquiſitores, aut Prædicatores valerent; nullus, aut ſaltem pauci inuenirentur, qui huiuſmodi periculo vellent ſe exponere attenta humana fragilitate.

Diſtinctione difficultati ſatisfaciendum eſt: vel attendimus vires naturales Dæmonum, & hoc modo dicendum, quod non minus Inquiſitores, & Prædicatores, quam cæteros homines maleficare poſſunt: nam teſte Scriptura Sancta: non eſt poteſtas ſuper terram, quæ poteſtati Dæmonis comparetur; immo Dæmonum quorundam, quemadmodum intellectus eſt excellentior, quam aliquorum ex bonis Angelis: ita & vis poteſtatiua eſt fortior.

Vel attendimus prouidentiam diuinam circa reſtrictionem poteſtatis Dæmonis; & ſic probabiliter cenſendum eſt, tàm circa Inquiſitores quàm circa Prędicatores potius, quàm circa alios reſtringi Dæmonis poteſtatem: tũ quia experientia demonſtrat eius ſæuitiam contra ipſos, licèt contrarios minimè graſſari; quod certò contra eueniret, ſi eodem modo, ac contra cæteros ſibi permitteretur. Tum præterea, quia ſi aliter foret, pauciſſimi inuenirentur, qui onus procedendi contra ſtriges, & ſtrigones ſuſcipere vellent; & item pauciſſimi Prædicatores, qui contra hoc genus hominũ acribus repræhenſionibus inueherent. Nec obſtat, quod interdum aliquis Inquiſitor, aut Concionator fuerit maleficiatus; quia hoc fortaſsè contigit non ratione ſui officij iuſtè exerciti: ſed ratione alterius cauſæ, quæ multiplex eſſe poteſt, vt patet ſpeculanti.

DISTINCTIO QVINTA,

De obligatione Inquiſitoris circa omiſſionem exceptionis confeſſionis ſacramentalis Rei, & denunciationis iudicialis ſuaſionem: item circa Prouinciam ſibi creditam, Reumq; iam emendatum.

In duosq; partitur articulos iuxta duo pertacta.

Primus, deſignat prudentiam ipſius Inquiſitoris circa notata.

Secundus, reſpicit ipſius obligationem circa Prouinciam ipſi concreditam, ac Reum ſibi denunciatum, ſed emendatũ.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Inquiſitores an prudenter ſe gerant renuentes ex vna parte excipere Confeſſionem Sacramentalem peccati ſibi probabiliter denunciandi: ſuadendo ex altera, vt illud ſibi iudicialiter denuncietur.

REſpondeo vtrumque ab his prudenter, & magna cum maturitate fieri: nam hac via occluditur os obtrectatorũ audentium fari Inquiſitores interdum vti ſcientia ex Confeſſione Sacramentali ad ſuum fouendũ Tribunal, quod temerarium eſt vel ſuſpicari: tum quia pro communi bono Reipublicæ ad præcauendas infectiones hæreticales, quæ ſerpent, vt cancer, non inuenitur aptius medium denunciatione iudiciali, vt ex communi teſtantur DD. tum quia iudiciali indagine poſſunt complices in fide ſuſpecti facilè inueniri: tum præterea, quia ſolummodo hac via exoneratur conſcientia eorum, qui denunciare tenentur: nam denunciatio, quæ fit Inquiſitoribus præcisè Sacramentali Confeſſione, nec deſeruit ipſis pro eorũ munere explendo, cum nõ poſſint vti ſcientia taliter habita: nec item deſeruit Denunciatoribus pro exoneratione conſcientiæ eorum, cum adhuc teneantur iudicialiter denunciare, quæ omnia, cum ſint ex communi DD. placito, nulla indigent probatione. Hinc eſt, quod Confeſſio Sacramentalis Rei ab ipſis nõ excipitur, quamuis poſſint, vt infra dicitur; ſed tantũ in foro exteriori mediante Notario, ſeu Secretario S. Officij, quod notat in primis *Valerus de Differentijs vtriuſque fori. verb. Iuriſdictio, differ. 6.*

Ratio eſt ad euitandam, vt dixi cauillationẽ Reorum, quia poſſibile eſt, vt peccatum ab Inquiſitore in foro Sacramenti Pœnitentiæ exceptum, ipſi deferatur in foro externo, contra quem,

quem, cum procedere teneatur, Reus fortaſſe cauilloſè excipiet Inquiſitorē præciſè nouiſſe peccatum ex ipſius Sacramentali Cōfeſſione; hinc meritò *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 14.* docet ipſos non debere excipere Confeſſiones Sacramentales.

Cenſeo tamen in aliquo caſu expediens eſſe vt audiat Rei confeſſionē, vz. quando delictū ſolo Deo teſte cōmiſſum fuit; adeò vt omninò ſit impoſſibile ſubijci ipſius Tribunali; abſoluto tamen prius in foro occulto, præmiſſaq; abiuratione, ſi opus ſit; nam in Eccleſia ſemper congrua medicina pro quocunque morbo parata eſſe debet. Sed non eſt neceſſarium, vt ſacramentaliter abſoluat; cum poſſit mittere eum ad Confeſſarium pro huiuſmodi abſolutione, vt videre eſt apud *Eymericum 3. par. Direct. nu. 59.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Ex quo vinculo Inquiſitor hæreticæ prauitatis Prouinciam, ſeu Diœceſim ſibi creditam ab hoſtibus fidei tueri teneatur.

Reſpondeo teneri nedum vinculo legis naturalis, & charitatis, qua tenentur alij quoque Chriſtiani: ſed etiam ex iuſtitia ratione officij. *l. Congruit. ff. de Officio Præſidis:* Vndè ſi omittat, non ſolum peccat contra dictas leges, & fit criminis particeps. *cap. 1. de Officio, & poteſt. Iudicum delegat.* ſed etiam tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, quę inde redundant, vel in Rempublicam, vel in priuatos, patet *ex dicto cap. 1. de Offic. delegat.* & communi Theologorum ſententia.

Notandum autem ad dicta aliter teneri quatenus Inquiſitor; & aliter quatenus Iudex. Primò .n. modo tenetur Catholicam doctrinam introducere, ſi non ſit introducta; cuſtodire verò, ac fouere, ſi eſt introducta. Secundò modo verò tenetur punire Deo iniuriam irrogantes immediatè, vti faciunt Blaſphemi; vel mediatè, vt hæretici, Ipſorum Fautores, Offendentes Miniſtros S. Officij, prout tales: habentes pactum tacitum, vel expreſſum cum Dæmone, vt ſunt venefici, malefici &c. Prius tenetur ſe gerere, vt Inquiſitorē, deindè vt Iudicē.

Vt Inquiſitor Dei partem, ipſiuſq; honorē defendere tenetur: item tenetur eſſe velut mundi oculus ad videndas tenebras errorum contra fidem, religionemq; Chriſtianam; imò myſticus Sol, quo fugentur tenebræ hæreſum, vt fides abſque macula conſeruetur. Itidem obligantur eſſe vigiles Eccleſiæ, ne in tenebris noctis huius ſæculi turbetur quies Chriſtianæ religionis, quod notauit *Auctor Arſen. S. Officij. par. 1. pag. mihi 12.*

Vt Iudex autem cordi ipſius fixū eſſe oportet iuſtitiam eſſe ſummum, ſpecialemq; theſaurum boni, & ſapientis Iudicis, quod docet idem *Auctor vbi ſupra pag. 3.* ſimiliter, quod Hereſis eſt peſtis pernicioſiſſima, ac virus ſeuū, ac horribile, quod latius ſerpit: Meminiſſeq; debet hæreticæ prauitatis Comites eſſe deſtructionē Vrbiū, & Regnorū, Hæreſes autem, & Schiſmata oriri ſolent: tū ex eo, quia Sacerdoti Dei non obtēperatur, tū quia vnus in Eccleſia Dei vice Chriſti Iudex nō exiſtimatur. Deniq; nota Hæretici vocē eſſe vocē criminis, & pertinaciæ, vt in primis obſeruat *Eminen. Card. Hieronymus Albanus de Poteſt. Papæ, & Cōcilij par. 1. num. 133.* Vnde ſumma cum vigilantia, ac ſolicitudine Hæreticos inſectari, & tanquam membra putrida reſecari, neceſſum eſt nedum ob ſui muneris debitum; ſed vt apud Deum meritum, ac Eccleſiæ Indulgentias acquirant.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitor Reum iam emendatum punire debeat, ſi denuncietur.

Reſpondeo affirmatiuè, ratio eſt, quia Reipublicæ exhibēda eſt ſatisfactio, ita *Ioan. Sanchez in ſelect. diſp. 43. num. 38.* Nec obſtat emendatio, quia illa ſatisfacit ſolummodo Deo, propriæ conſcientiæ, & damnis, quibus ſubiacebat proximus ex iniuſtitia Rei iam emendati: ſed non ſatisfacit pronitati peccantium, qui arceri debent ab iniquitate etiam iſtius publica punitione; ſicut iſtius malo exēplo poteſt eſſe, quod ad malum allecti fuerint.

Nec item obſtat, quòd emēdatus poſt triennalem probationem ſicut non venit denunciandus, vt infrà dicam de denunciatione; ita videtur non eſſe puniendus: quia DD. intelligi debent de Denunciatore, vt alibi dictū fuit, reſpectu Rei occulti, & emendati, aut publici, de quo etiam publicè conſtat emendatio: non autem de Inquiſitore, qui cognito crimine, procliuitati peccantium punitione publica conſulere tenetur: nam iuxta vulgatum prouerbium, *qui parcet malis, nocet bonis; ignoſcendo nocentibus, innocentium ſalutem cuſtodire non poteſt. gloſſ. cap. Latores. de Clericis excomm.*

Verùm ſi multitudo peccaſſet, & iam per trienniū emēdata perſeueraret, cenſeo quod non teneretur: iuxta illud eiuſdem *gloſſ. ob populum multum crimen pertranſit inultum*; quam regulam potiſſimū crederem obſeruandam, ſi Schiſmatis periculum inſtaret: nám iuxta dictamen legis naturalis, *medicina multitudini non nocua, ſed proficua, nec morbo deterior eſſe debet:* hinc *D. Auguſtinus de conflictu vitiorum*, ita proloquitur: *quandoque ad tempus errata delinquentium tegenda ſunt, vt aptiori tempore corrigantur*, & in Epiſtola contra Parmenianum taliter loquitur: *quando crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet; vnde ſi tale non habeat defenſores, per quos poſſit Schiſma cōtingere; non dormiat ſeueritas diſciplinæ*; & infra ſubdit: *cum quis Chriſtianorum in aliquo crimine fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus inueniatur, idē fiat. ſ. non dormiat &c. vbi periculū Schiſmatis nullū ſit.*

DIFFICVLTAS III.

An Inquiſitor eo tempore, quo Reus manet arreptus, vel incarceratus ipſius litteras aperire poſſit.

Vide infra par. 1. lib. 8. diſt. 1. art. 2. diff. 2.

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I. LIBER TERTIVS.

De ſecunda particula ſubiectiua Edicti, nempè de S. Officio, quæ tangitur in textu, ibi, *Deſiderando come ricerca il carico di queſto S. Officio à noi impoſto.*

Hic liber ad cauſam efficientem Edicti reducitur; quia licèt ipſius promulgator ſit pars S. Officij, ſeu S. Tribunalis, ipſaq; ad ſuum totum reuocari habeat: tamen quia in his Commentarijs principaliter agitur de Edicto, & non de S. Officio, propterea potius liber iſte reducendus eſt ad cauſam efficientem Edicti, quam è contra Edictum ad S. Officium, velut etiam tractatus de Inquiſitore ob eundem finem ad eandem cauſam reductus fuit.

Hunc autem tractatum, ſeu librum ſex abſoluemus diſtinctionibus. Quarum prima reſpicit modum tractandi de S. Officio, inſtitutionem, & poteſtatem ipſius.

Secunda, qualitates S. Tribunalis, vz. integritatem, prudentiam, & dexteritatem.

Tertia, declarationem terminorum in actione S. Off. contingentium.

Quarta, abiurationem omnem, quæ fit in S. Off. publicè, ſiue occultè.

Quinta, eius ſtemmata, exuuiaſque Reorum.

Sexta, Indulgentias Denunciantibus, Miniſtris omnibus, Inquiſitori præcipuè tàm reſpectu ſui, quàm aliorum à diuerſis S. Pontificibus conceſſas.

DISTINCTIO PRIMA.

De modo tractandi de S. Officio Inſtitutione, & Poteſtate S. Officij.

Partiturq; in tres articulos.

Primus, Conſiderat Eſſentiam.

Alter, Inſtitutionem.

Tertius verò Poteſtatem.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quomodo in his Commentarijs agitur de S. Officio.

AGimus hìc de S. Inquiſitionis Officio in ſua generalitate: non autem prout receptum eſt in iſta, vel illa Prouincia, Regno aut Republica: Vnde, qui vult ſpecialia hæc cognoſcere, legat *Ludouicum à Paramo de Origine S. Inquiſit. lib. 2. tit. 2. cap. 34.* iſta ex profeſſo pertractantem, exactèq; aſſignantem, cum quibus conditionibus receptum eſt S. Officium in Regnis, Prouincijs, Republicis, & præcipuis Ciuitatibus, & faciunt, quæ notat *Zanardus prima ſecunda Directorij Theolog. cap. 6. ſub initio.* ex. gr. Mediolani non fuit receptum ſub eodẽ rigore, quo in Hiſpania, quauis Hiſpaniæ Rex tunc Philippus II. plurimum laborauerit, vt eodem modo Mediolani reciperetur; ſed videns non proficere, immo graues excitari tumultus rem ſilentio contexit, ita *Paramus vbi ſupra cap. 30. num. 26.* Itidem in Veneta Republica non fuit receptum eo modo, quo in Hiſpania, vti notat idem *Paramus loc. cit. cap. 34. Natalis Comes in Italica Hiſtoria lib. 14. anno 1564. citatus ab eodem Doct. loc. not. & alij.*

Item non eſt æque antiquitus receptum in ſingulis Prouincijs, aut Ciuitatibus: v. g. Bergomi, vbi ſcribimus, antiquiori tempore exceptum fuit, quam in multis alijs Ciuitatibus, vtpotè à tempore S. Pagani ex inclita Prædicatorũ familia, qui floruit tempore S. Dominici, ab ipſoq; Bergomi recepit habitum, tantumq; in

in dies virtute profecit, vt Sum. Pontifex eius inſigni doctrina, & pietate allectus creauerit Inquiſitorem nedum Ciuit. Bergomen. ſed etiam totius illius diſtrictus, quo in munere non minus Michaele Ghiſlerio, qui creatus Sum. Pontifex dictus eſt Pius V., extitit laudabilis.

Præterea attendendum eſt, an Scribentes de hac graui, & perdifficili materia S. Officij loquantur iuxta modum, quo receptum eſt in Hiſpania: vel iuxta ritus Tribunalium S. Officij in Italia, vbi ſeruatur ius commune, quo Epiſcopi in locis, vbi ſunt Apoſtolici Inquiſitores; poſſunt aliqua ſimul cum illis, & aliqua diuiſim ſuper eodem negotio; teſte *Carena de Off. S. Inquiſ. part. 1. tit. 4. num. 21. Simancas de Cath. inſtit. tit. 34. nu. 22. Arſen. S. Inquiſit. par. 10. admon. 17.* vbi ſimul, *& admon. 37.* vbi diuiſim concurrunt *Zanardus in Direct. Theol. prim. ſecunda cap. 5. de Inquiſit.*

In Hiſpania verò, & in alijs locis, vbi receptum eſt S. Off. ſub rigore, quo in Hiſpania; ad illud Epiſcopi tenentur mittere omnes, & ſingulas denunciationes ſibi factas: immo quidquid habuerint, & hoc ex præſcripta conſuetudine, & litteris Sedis Apoſtolicæ, ita *Molina tract. 5. de Iuſtitia, diſput. 28. nu. 13, & 14. Sanctarellus de Hæreſi cap. 40. dub. 2. num. 15. Caſtrus Palaus in Opere moral. par. p. tract. 4. diſp. 8. nu. 6. Diana part. 4. tract. 8. reſol. 2. Carena de Off. S. Inquiſ. part. 1. tit. 4. nu. 21. & in Annot. ad q. 1. Fulcodij num. 13. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 2. nu. 51.* & hoc melius cenſeo cum *Pegna 3. par. Inſtructorij Inquiſit. ad quæſt. 52. Comm.* 101. nam ſic ſecretius, facilius, expeditius, & minoribus diſpendijs formantur proceſſus, & cauſæ finiuntur.

Ratio autem cur prædicta obſeruatio ſit attendenda, eſt: quia alioquin interdum quis obligabitur, ad quæ non tenetur; & interdum deobligabitur, ad quæ tenetur; quare, qui in re tanta prouidus eſſe cupit, potius locorum conſuetudinē, ac ſtylū, quā Scriptores, qui variant iuxta loca, illū conſiderare oportet; ſibiq; perſuadere debet omnia, & ſingula in illis practicata magna cum maturitate, & auctoritate incepta, & peracta fuiſſe. ita *Paramus loc. cit. c. 32. n. 2. Flaminius lib. 2. vitæ S. Dominici;* hinc *Caſtrus Palaus in Opere Morali de modo procedendi in cauſis fidei, tract. 4. diſput. 8. puncto 12 § 11. n. item 11.* notat, quod in Regno Aragoniç, Valen. & Barcinon. Inquiſitores ex particulari priuilegio Sum. Pontificis, & Hiſpaniarum Regis cognoſcunt de committentibus nefandum crimen quicunque ſint: & aperitur via cognitioni huius criminis ex depoſitione vnius teſtis etiam complicis: quod autem alicui gratioſè conceſſum eſt à Principe, in propoſito à Papa, trahi non debet ab alijs in exemplum. *cap. Quod alicui, de reg. iur. in 6. l. Quoniam C. de Epiſcopis, & Clericis;* quæ .n. à iure communi exorbitant, & diſcordant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda, *cap. Quæ à iure, de reg. iur. in 6.*

DIFFICVLTAS II.

Officium Inquiſitionis quid?

SAnctæ Inquiſitionis Officium eſt munus Eccleſiæ, columna veritatis, oculus lynceus ad ſecernendum veritatem Catholicam ab hæretica falſitate, ſcutum, & Arſenale contra Hæreticos, fidei cuſtodia, & conſeruatio, *ita DD. communiter.* Ego autem, tz. inter Gigantes longè minor Pygmæo: tamen petita humiliter fandi licentia, ſentio S. Inquiſitionis Officium eſſe (vt ſic loquar) myſticum iuſtitiæ Solem, viam, veritatem, & vitam: Solem Emiſpherium totius Chriſtianitatis illuminantem, fugantemq; omnes impietatis tenebras.

Viam omnes errantes, de quibus Edictum ad ſemitas iuſtitiæ reducentem.

Veritatem abſque vlla declinatione à dextris, vel à ſiniſtris inconcuſſam.

Vitam in mortis occaſum vnquam reuerſuram. Has qualitates mirans, & admirans Sanctus Ignatius Societatis Ieſu Fundator, mirificè iſtud dilexit, idemq; alij ſāctiſſimi, & clariſſimi viri; ſed potiſſimum Petrus Ribadeneyra, Papyrius Maſſonus, Hoſius Cardinalis, F. Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, & alij quamplures, qui etiam ad ſydera vſque iſtud extulerunt. Paulus Papa IV. moribundus iſtud Cardinalibus, plurimū commendauit, idemq; egit Pius V. cum alijs S.S. Pontificibus, qui etiam iſtud quamplurimis priuilegijs exornarunt. Idem fuit Carolo V. Imperatori maximæ curæ; vnde tàm in teſtamento, quàm in codicillo mirum in modum commendauit Philippo II. filio ſuo.

DIFFICVLTAS III.

Ob quas potiſſimū cauſas in Eccleſia Catholica erectum fuit S. Inquiſitionis Officium.

REſpondeo ob infra poſitas, quarum altera eſt generalis: ſpecialis altera. Generalis fuit Dei prouidentia: nam proprium illius eſt, cum primum aliqua in Eccleſia exoritur calamitas, illico excitare fortiſſimū defenſorem:

V. g. Simoni Mago, Simonē Petrum Apoſtolorum Principem.

Ario, Athanaſium, Antonium, Baſilium.

Neſtorio, Cyrillum.

Iouiniano, Vigilātio, & Euidio, Hieronymū.

Manichæo, & Pelagio, Auguſtinū &c. hinc Sacrarum Hiſtoriarum Scriptores prudenter obſeruauerunt, quo die Pelagius in Anglia natus eſt; ea ipſa die etiam in Africa D. Auguſtinum in lucem editum fuiſſe.

Item quo tempore Eutychiani conturbauerunt partem Orientalem, in Palæſtina floruiſſe Sabam, & Euthimium.

Itidem quo tempore Albigenſes, Vualdenſes, alijq; peruerſæ doctrinæ Magiſtri Eccleſiā diuexebant: eo item tempore Dominicum, & Franciſcum duo mundi Cardines ſuper quibus

bus Eccleſiæ Cælum vertitur; nouimus deſuper datos fuiſſe; vt per ſe, ſuoſq; filios, nedum dictorum Hæreticorum frenarent impetum, vitia tollerent, moreſq; componerent; ſed etiam totum Terrarum Orbem vita, doctrina illuminarent, in Deiq; amorem accenderent.

Inſuper quo tempore Eccleſia Catholica armis infidelium vexabatur; eo quoque tempore Illuſtriſſimæ Religiones militares extiterunt inſtitutæ.

Amplius tempeſtate Huſſitarum, qui pacem non parum perturbabant; ea etiam Bernardinus Senenſis, & Vincentius Fererius claruerunt, Eccleſiam in priſtinam pacem reſtituendo.

Præterea, quo tempore Lutheri peſtis ſerpere incæpit, Franciſcus de Paula, & Ignatius Loyola, vt noua Eccleſiæ ſydera emicuerunt ſuis ſplendoribus, ſaluberrimiſq; inſtitutis prædictam peſtem multis in locis graſſantem ſanauerunt.

Altera cauſa ſpecialis eſt defenſio, ac propagatio fidei, vt labens ſuſtentetur, collapſa reſtituatur, reſtitutaq; in ſuo vigore, & virore conſeruetur.

Nam ipſius S. Officij peculiare munus eſt agrum Eccleſiæ, & maxime arborem Crucis excolere, aridos Hæreticorum ramos amputare, præſcindere, & in ignem mittere; areſcentia folia excutere, hoc eſt, propoſitiones erroneas, & quæ ſapiunt hæreſim; ſcandaloſa item verba, temeraria, male ſonantia, & piorũ aurium offenſiua damnare, cuſtodiendo ſinceritatem, vitamq; fidelium, quæ à Chriſto capite per Sacramentorum venas in nos transfunditur, exhibendoq; ipſi Chriſto Eccleſiam Sponſam ſuam abſque macula, quod certò S. O. huc vſque præſtitit; & perſeueranter zelo, & vigilantia ab ipſo præſtatur, conſtat ex quampluribus hæreſibus radicitùs euulſis: patet de hæreſi Paterenorum. Enſabatatorum, Geraldi, Sagarelli, Beguinorum, Bigardorum, Fratricellorum &c.

DIFFICVLTAS III.

Inquiſitionis Officium ad quot reuocatur capita.

RESpondetur ex dictis in præcedenti difficultate ſatis clarè colligi ad duo reduci, quorum vnum venit in conſequentiam alterius, quòd liquido cõſtat; ſi attendamus finem extirpationis hæreſum, qui eſt gloria Dei principaliter, & ſecundariò augmentum fidei, præſeruatio Chriſtianorum ab hæreſis contagio, non minus quàm ſalus Hæreticorum, imò primum intenditur antecedenter; ſecundum verò ex conſequenti; patet, quia partes ad hoc munus Delegatorum ſunt eſſe Cenſores fidei, Chriſtianæ religionis Defenſores, Fuſtim, Flagellum, Malleum, Antidotumque Hæreticorum, *cap. vt Inquiſitionis. in princ. de Hæreticis in 6.* qui ſi in his ſegnes reperiantur, aliorum erroribus conſentire videntur, *cap. Negligere, vbi gloſſ. 2. quæſ. 7.* nam error, cui non reſiſtitur, approbari videtur, *cap. Error Diſt. 83.* & qui alios ab errore (cum poteſt) non reuocat, maximè ſi adhoc teneatur ex officio (vt tenentur Inquiſitores) ſe ipſum errare demonſtrat, *cap. Qui alios, de Hæreticis, Pegna in 2. part. Directorij Inquiſitorum, Commen. 2.* qui ſanè textus de errore fidei intelligi debet; non autem de quolibet errore in genere: Alterum quod venit in conſequentiam eſt Hæreticorum ſalus æterna iam ipſis in Baptiſmo promiſſa, quã adhuc recuperare poſſunt viriliter reſiſtendo antiqui ſerpentis fallacijs in eorum corda mediantibus mendacibus Magiſtris, impijſq; parentibus, ſed fortaſſe ignoranter, inſtillatis, & veraciter obediendo Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, quæ à Spiritu Sancto edocta errare non poteſt; quorum ſaluationem cum ipſo ſuo ſponſo, qui omnes homines vult ſaluos fieri (prout in ipſo eſt) ſummoperè affectat, cupiens omnes ad lumen veritatis peruenire, facit ad hoc *Arſenale S. Inquiſ. par. 3. pag. mihi 87.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Officium Sanctæ Inquiſitionis à quo primitus inſtitutum, cui primò delegatum, & qua occaſione.

TRia hic quæruntur, vt patet; Ad primum de inſtitutione primaria, Reſpondetur Officium S. Inquiſitionis ab Innocentio III. Summo Pontifice inſtitutum fuiſſe, *Ancharanus, & Collect. cap. Ad abolendam de Hæreticis, Clem. 1. §. 1. de Hæreticis in 6. cap. Vt commiſſi, §. Priuandi, de Hæreticis. Paramus de Orig. S. Inquiſit. lib. 2. tit. 1. cap. 1. nu. 6. & 7.* Vbi etiam *nu. 14.* ſatisfacit ſecundo, & tertio quæſito oſtendens dictum Innocentium III. inſtituiſſe primò Inquiſitorem Sanctum Dominicum anno 1216. ſui verò Pontificatus anno vltimo: ipſiq; primò delegaſſe S. Inquiſitionis Officium: Occaſionem autem illud inſtituendi fuiſſe in primis Albigentium hæreſim, quæ quamplures amplectebatur errores, quorumq; arrogantia in dies magis, magiſq; graſſabatur, quæ vt obtunderetur, confutaretur, & cũ eius erroribus coerceretur, S. Inquiſit. Officium non minus prouidè, quam ſanctè inſtituit. Itidem occaſionem fuiſſe, quia nonnulli Epiſcopi, quorum dignitati annexa eſt poteſtas inquirendi contra fidei noxios, ob diuerſa negotia præpediti reperiebantur: quare dictus Summus Pontifex (Deo inſpirante matura deliberatione) dictum Sanctũ Dominicum elegit: Succeſſores verò Pontifices eandem neceſſitatem experti, & plurimo S. Dominici fructu allecti alios elegerunt viros nõ minus doctos, quam pios, qui tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati hoc Sanctum Officium exercerent, *cap. Per hoc, & cap. Ne aliqui. de Hæreticis in 6.* Legendus eſt *Zanardus in Direct. Theologorum, prima ſecundæ cap. 6. §. Cauſa inſtitutionis Inquiſitorum.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
Sancti Officij poteſtas quanta.

Officium S. Inquiſitionis triplex: primum generale, ſub quo regitur quodcumque aliud: ſecundum ſpeciale, quod non exit terminos ſuæ Diœceſis: tertiũ verò medium, quod vz. habet aliquid de generali, quatenus quædam ſpecialia ſub ipſo ordinantur; & eſt ſpeciale, cum habeat certum diſtrictum. Loquendo de generali, vtpotè illo Romæ, dicendum eſt tantam eſſe latitudinem ſuæ poteſtatis, vt omnes, & ſingulos Chriſti fideles complectatur, quod notum eſt. Sanctum verò Officium ſpeciale, & medium non item, patet ex Edicto, ibi: *Commandiamo à tutti, & à ciaſcuna perſona di noſtra giuriſdittione*; ex quibus verbis liquidò colligitur præceptum non extendi vltra limites ſuæ Diœceſis. Comprehendit verò omnes, & ſingulos Diœceſis tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſticos, etiam ſi aliàs ſint exempti, quales ſunt religioſi: tàm de præſenti exiſtentes, quàm futuros ſubditos pro tempore, quo tales erunt, quæ ſanè poteſtas diuinæ ſcripturæ ſatis eſt conſona: *nu.* 25. præcepit.n. Deus Moyſi tanquam Inquiſitori S. Officij, vt omnes, & ſingulos, qui à fide defecerant, ſeuerè puniret abſq; vllo delectu, licèt forent Principes: *tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſrael.* Præterea conſonat antiquo Romanorum ritui; nam ſi olim Romanorum Cenſores in vnumquemque Ciuem Romanum poteſtatem habebant mores publicos corrigendi; quid demiramur, ſi in Repub. Chriſtiana eadem poteſtas Cenſoribus fidei data eſt pro conſeruanda Ieſu Chriſti doctrina, fideq; Catholica retinenda. Legendus eſt *Paramus de Orig. S. Inquiſ. lib. 2. cap. 1. nu. 1. 2. 3. & 4*

Verùm notandum ſubiectionem Regum, Imperatoris, Summorumq; Principum dupliciter conſiderari poſſe, vz., vel quo ad effectũ reuelandi; vel quo ad pænas contra non reuelantes. Primò modo ſubijciuntur S. O. nam ipſi via directiua alios præcedere tenentur, cũ ſic dictet ratio æqui, & boni, quòd maximè in Maioribus ſplendere debet. faciunt quæ docet *Freitas in annotationibus ad Rodericum Achuna, trac. de Confeſs. ſolicit. quæſt.* 10. *nu.* 18. qui citat *Paramum de Orig. S. Inquiſ. quæſ.* 5. §. *Quoniam, nu.* 24. Secundò autem modo, nimirum quoad pænas minimè ſubijciuntur, nec contra ipſos procedit, tanquam perſonas iure meritò exemptas, vt notat *Freitas loc. cit. nu.* 15. *&* 16.

Hoc modo excipiuntur etiam Epiſcopi; ſed poſſunt dicta teſtium aduerſus eos recipere, vt Pontificem conſulant. Excipiuntur Legati, Nuntij, alijque Sedis Apoſtolicæ Officiales. Itẽ excipiuntur ipſimet Inquiſitores, vt aduertit *Caſtrus Palaus in Opere Morali tract. 4. de Modo procedendi in cauſis fidei Diſp.* 8. §. 11. *nu.* 7. *&* 8. habetur expreſsè *in Extrauag. Ioan.* 22. *cum Matthæus, de Hæreticis, Pegna cum Eymer.* 3. *par. Direct. Inquiſ. quæſ.* 30. *Commen.* 79. *Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 186. *nu.* 126. *& alij.*

DISTINCTIO SECVNDA,
De integritate, prudentia, & dexteritate S. Tribunalis.

Partitur autem huiuſmodi diſtinctio in tres articulos.

Primus, tangit integritatem, ac prudentiam Miniſtrorum S. Tribunalis.

Alter, expendit duo dubia circa primum art. emergentia.

Tertius, oſtendit S. Tribunalis dexteritatem, quæ prope modum coincidit cum illius prudentia.

ART. I.
Integritas S. O. vnde colligitur.

Ex quatuor cauſis, vz. Efficiente, finali, formali, & materiali illam facilè colligere poſſem: ſed breuitati vacans, tantum ex quibuſdam ſignis hinc indè ex DD., & maximè ex Sacro Arſenali S. Inquiſitionis collectis illam cuique præ oculis ſubijciam.

Primum ſignum, eſt teſtium repetitio, quæ offertur Reo cum ipſius interrogatorijs; cuius ratio eſt, quia & ſi teſtium depoſitio fuerit ſufficiens indicium ad ipſum citandum, capturãdum, & conſtituendum; non tamen ad condemnandum; huiuſmodi autem oblatio fit Reo in negatiua perſiſtenti iam abſoluto proceſſu, qui fit pro S. Officij informatione: itaq; examinatis teſtibus in dicto proceſſu notatis, cui repetitioni nõ obſtat teſtes eſſe conteſtes; attenditurq; ibi ſumma cum prudentia, ne teſtes corrupti, vel aliqua paſſione moti falſum affirment, aut verum negent: item ne aliqua intercedat fraus, aut cauillatio: cum ex eorum dicto Rei vita, honor, bonaq; temporalia pendeant. ita ex *Arſen. S. Inquiſ. part.* 4. *pag.* 118. *item part.* 8. *pag.* 274.

Alterum eſt, quia in S. Officio non minus, ac in alijs Tribunalibus Reis, lz. iam conuictis, ac confeſſis dantur Defenſiones, aſſignatur Aduocatus, qui teſtium dictis opponere poteſt; maximè, ſi ipſi Rei non ſint confeſſi, ſed ſolum conuicti. Idem quoque conceditur relapſis ſe eſſe tales negantibus, contrariumq; probare nitentibus. ita ex *Arſen. loc. cit. item par.* 9. *pagina mihi* 297. quod patet ex forma litterarum pro Aduocatis Reorum in S. Officio, quibus præcipitur, vt tam pium, tamq; egregiũ munus ea, qua decet integritate obeant; Vnde fidei ſplendor, & augmentum eorũ cordi eſſe debent. Ter-

Tertium eſt, quod Reus in S. Officio non exponitur ad rigoroſum examen, .s. quod ſit cum tortura (quæ inuenta eſt ad ſupplendum defectum teſtium, quando .s. non integrè probant contra Reum) niſi præcedente legitimo, & probato indicio: nec vnquam à tortura incipit. ita ex *Arſen. S. Inquiſ. part. 6. pag. mihi* 131. *Eymer. 3. part. de Modo procedendi, item qu. 73. vbi Pen. Commen. 31. verſ. Dixi quandoque*.

Quartum, ſuſcipitur ex forma iuramenti Vicarijs, Conſultoribus, alijsq; Officialibus S. Inquiſitionis, vbi in fauorem tum fidei, tum Reorum tactis Euangelijs iurant fideliter promittendo ſuum exercere munus, nulliq; quidquam reuelaturi, quinimmo, nec loquuturi de his, quæ S. Officij concernunt cauſas, niſi cum Dominis Conſultoribus, alijsq; Officialibus S. Trib. ſub pæna periurij; ac excommunicationis latæ ſententiæ.

Quintum, petitur ex ſincero, & fideli modo proponendi in Congregatione Rei cauſam, quam ſuperior adeò candide proponit, vt nullum indicium colligi poſſit, ad quam partem magis ſit propenſus. *Arſen. ex Modo celebrandi Congregationem in S. Officio par. 9. pag. mihi* 301. *Zanardus part. 2. ſecundæ part. cap.* 80.

Sextum, licèt S. Tribunal relapſos tradat Curiæ ſeculari, quamuis eos erroris pęniteat: attamen in foro conſcientiæ ipſos pœnitentes admittit ad ſuſceptionem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchareſtiæ, petitq; à Iudice ſeculari, vt ipſius ſententia ſine ſanguinis effuſione, ac mortis periculo exequatur. ita ex *Arſen. part. 8. pag.* 251. *&* 252.

Dices, quomodo S. Tribunal admittit relapſum ad dicta Sacramenta, vt pœnitentem, & ſimul condemnat, vt impænitentem? pro intelligentia notandum eſt S. Tribunal duo conſiderare in relapſo, vz. recidiuationem circa hæreſes iam olim ab ipſo abiuratas: & pœnitentiam, quam de cætero promittit: prima conſideratione, quia præſumptio recidiuationis in futuro ſtat adeò contra ipſum, vt in ipſius foro aliud nō poſſit ſibi perſuadere; propterea illum brachio ſeculari relinquit, vt pæna puniatur temporali. Secunda verò conſideratione, quia ſentit poſſe in foro conſcientiæ de præſenti verè pęnitere; idcircò illi pietatis gremium aperit, conſentiens, vt ab excōmunicatione, & à peccatis abſolui poſſit; hinc cōſtat circa reſoluta nullam adeſſe repugnantiam; ſed vnum alteri cohęrere poſſe. ita ex *Arſen. S. Inq. part. 8. pag.* 272.

Septimum eſt, quia Reus ad cordam alligatus non eleuatur præcipitanter, vulgò (*con ſquaſſi*) nec item compedibus; ſed paulatim, & moderatè, prout ipſius Tribunalis exigit benignitas: Nec itidem inedia, fame, aut ſiti torquetur. *Ex Arſen. par. 6. pag.* 161.

Octauum eſt, quia dictum Tribunal non venit ad Rei capturam, niſi ad modum iuſta exiſtente cauſa, vz. non niſi delictum ex natura ſua pęnam mereatur corporalem, vti teſtantur *Zanardus 2. par. ſecundæ part. cap.* 72. *Lucerna Inquiſ. verb. Capere, num.* 2. cuius ratio eſſe poteſt, quia non debet Reus grauius torqueri, quam puniri poſſet, ſi crimen confiteretur, aliter condemnaretur ante ſententiam.

Nonum, non procedit contra virum alioquin bonæ famæ, in moribusq; longè probatum, niſi infamia contra ipſum à beneuolis ortum habuerit: vnde ſi à maleuolis dignoſcat oriri, confeſtim remoratur iudicium pedetentim attendendo, an in depoſitione teſtiū fraus aliqua deliteſcat: faciunt tradita per *Rodriquez de Modo procedendi in iudicio cap. 7. concl. 16. poſt D. Thom. 2. 2. quæſ. 6. ad tertium. idem Rodriquez loc. cit. cap. 7. concl.* 8.

Decimum, ſi Reus delatus, inſignis fuerit auctoritatis, nobilitatis &c. etiam ſi ſufficiens præceſſerit informatio; non ob inde illico pręcipit illius capturam; ſed prius S. Inquiſitionis ſupremum Tribunal conſulit. Idemq; obſeruat, quoties aliquod negotium fuerit magni momenti, teſte *Bernardo Diaz in practica criminali cap.* 123. quod ſi negotium adeò vrgens fuerit, vt nō ferat expectationem .s. reſponſionem ſupremi Tribunalis, confeſtim Inquiſitor ſuos vocat Conſultores, inſimulq; congregat, confertq; cum illis, quid agendum in caſu emergenti. *Zanar. Direct. Theol. par. 2. cap. 6.*

Vndecimum eſt, quia huiuſce Tribunalis verba ſunt firmiſſima, adeò, vt iure vſurpare poſſit illud Dei verbum; vz. *Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita*, quod in primis obſeruat idem *Zanardus loc. cit. cap.* 76. Vnde nefas eſt dubitare de defectu, ſi quid Reis ab ipſo contingat promitti.

Duodecimum, ſumitur ex ſuaui modo expediendi Reum, vz. purgatione canonica, qua diluuntur hæreſis ſuſpiciones, & præſumptiones contra ipſum exortæ; fit autem hoc modo; Reus à Iudice fidei cogitur iurare coram certo perſonarum numero fide dignarum, quæ à multis annis nouerunt eius mores, ac conſuetudinem .s. quod eſt inſons delicti, de quo ſuſpicio, & præſumptio exortæ ſunt contra eum: & item dictæ perſonæ, vtpotè Compurgatores iurant, quod ſentiunt dictum Reum iuſtè iuraſſe. Numerus autem dictorū teſtium arbitrio Iudicis relinquitur; iuxta tamen qualitatem perſonarum compurgatarū, quantitatem infamiæ, ac delicti impoſiti grauitatem; ſitq; tempore, & loco Iudici magis benè viſis.

Notandum verò numerum perſonarum compurgatarum *vocari manus*: Vnde ſi tres perſonæ adeſſe debent; dicitur compurgatio cum tertia manu, ſi quinque cum quinta, ſi denique ſeptem cum ſeptima. Sciendum inſuper purgationem canonicam dupliciter fieri; vlz. occultè, & publicè; occultè ſi Reus non ſit diffamatus, & tunc fit coram ſolo Inquiſitore, & Notario: ſi verò Reus ſit publicè diffa-

matus, publicè fit .ſ. cum prædicta ſolemnitate compurgatorum. *Pen. ad 2. part. Direct. Comment. 38. verſ. Sed in hac difficul. quod notauit Souſa in Aphor. Inquiſitorum lib. 2. cap. 38. num. 2. qui nu.* 7. tradit purgationem tollere infamiam, infamiæq; effectum, quando ſe purgans non deficit in purgatione: Vnde ad honores, dignitates, & officia promoueri poterit: nec amplius moleſtari, niſi noua ſuperueniant indicia, *Penna ad 3. part. Direct. Commen. 38. verſic. Hiſpalenſi quadam.*

Tertium decimum eſt, quia denunciaturi in S. Officio (ſi aliquod indicium hoc exigat) vt plurimum admonentur non ſolum peccare falſum deponendo; ſed etiam ſtudioſè verum occultando; alioquin rationem reddituri tàm in præſenti, quàm in futuro ſeculo. Inſuper edocentur denunciationem ob tria faciendā eſſe. Primum ob fidei zelum. Secundum, vt deuitent excommunicationem. Tertium, vt propriè ſaluti conſulant: nam tàm falſum deponens, quàm ſtudioſè verùm occultans tria mala patrat; offendit Deum, Rempub. & ſeipſum; & propterea minimè abſolui poterit, quouſque obedierit vera denunciando, aut falſa reuocando; ex *Arſen. S. Inquiſ. par. 2. pag. mihi 22. & 152.*

Decimum quartum eſt, quia hoc Tribunal regulariter non recipit in ſcriptis alicuius abſentis depoſitionem; ſed agit, vt denunciaturi præſentialiter accedant. *Arſen. loc. cit. pag. 28.* Dixi regulariter, quia interdum ex cauſa integrum eſt Inquiſitori illam ab abſente per litteras recipere, dummodo ſit fide dignus: litteraſq; ſignauerit ſigillo proprio, àc nomine &c. firmaueritq; iuramento. ita *Simanch. de Cathol. inſtit. tit. 44. nu. 10. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 185. §. 5. num. 66. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 4. num. 5.*

Decimum quintum hinc elicio: quia Teſtes in S. Tribunali non examinantur interrogatorijs ſuggeſtiuis, quibus facilè inducuntur ad affirmandum: ex. gr. nonne verum eſt N. blaſphemaſſe coram N. & N. Vel noui te ſcire N. euomiſſe illud execrandum, .ſ. *putana di Dio, di noſtra Donna.* Ab eiſdem ſimiliter cauetur in examinatione Reorum, faciunt tradita per *Antonium Gomez tom. 3. Variarum, cap. 12. nu. 17. Simanch. de Cathol. inſtit. tit. 65. n. 59. Menoch. de Arbitr. lib. 2. caſu 474. nu. 53.* quos ſequitur *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 17. num. 15.*

Decimum ſextum elicitur ex hoc, quod ſubſtantialia iuris, ſine quibus iudicium iuſtè expedire nequit, non omittuntur. V. g. citatio, iuramentum de veritatè dicenda, probationes legitimæ, exceptiones vtiles, appellationes neceſſariæ, induciæ, ſeu termini competentes & alia huiuſmodi, quæ ad delicti probationem, & Rei defenſionem neceſſaria ſunt. *Eymer. 3. part. Direct. quæſ. 55. vbi Pen. Commen. 103. & 104. Albertin. de Agnoſcendis aſſert. Cath. quæſ. 34. nu. 31. Farinac. de Hæreſi, qu. 185.*

Decimum ſeptimum, Non eodem modo punitur conuictus de vera, & formali hæreſi, aut facto ex quo hæreſis, apoſtaſia, & credentia Hæreticis conſurgit: & aſſerens propoſitionem ſcandaloſam, malè ſonantem, & ſimiles, ex quibus colligitur ſolum leuis, aut vehemens ſuſpicio; quia tunc pro qualitate ſuſpicionis punitur. *Pen. ad Direct. 3. part. Commen. 48.* nam primus traditur Curiæ ſeculari ſeruatis nonnullis conditionibus, quas notat *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 46. nu. 2. 3. & 4. vſque ad ſept. incluſ.* quod ſecus eſt de ſecundò: nouit nanque S. Trib. quòd verba hæreticalia multis modis ſine credulitate dici poſſunt, *Albertin. de Agnoſcen. quæſ. 34. nu. 51. Pen. ad Direct. Inquiſ. part. 3. Comm. 48.* Vnde generaliter ſciendum, quod præcisè ſuſpecti de fide nō puniuntur Hæreticorū pœnis, niſi quatenus in iure reperitur expreſſum: quia Hæretici propriè non ſunt, & qui minus peccat, mitius punitur, iuxta illud *Scripturæ S. iuxta delictum erit & plagarum modus*: hinc Inquiſitores augere, & minuere poſſunt pœnas pro ratione qualitatum, & circumſtantiarum occurrentium, etiam in crimine hæreſis, *Gondiſaluus de Hæret. quæſt. 17. Farin. Crim. quæſt. 17. Tiraquellus de Pæn. temper. in præfat. nu. 1. & ſeqq.*

Decimum octauum, quando verba taliter ſunt dubia, vt in bonam partem, vel malam interpretari poſſint; in bonam accipit, niſi contrafacientem detur ſiniſtra præſumptio. *Pen. 3. par. Direct. Commen. 111. verſ. Sed cum in delictis. Farinac. de Hæreſi, qu. 187. nu. 11. & ſeqq.*

Decimum nonum, Incarcerato pro hæreſi, ſi infirmetur, conceditur Confeſſarius, qui ſi inuenerit illum etiam Hæreticum formalem, nec adhuc in vltimo diſcrimine vitæ exiſtentē, minimè abſoluere debet, niſi prius iudicialiter confiteatur: cæterum, ſi morti ſit proximus, vt non poſſit taliter confiteri; tunc abſoluere debet, data tamen cautione iuratoria obediendi Eccleſiæ, ac etiam ſatisfaciendi, quibus intulit damnum falſa doctrina. Qui ſi non petat Confeſſarium; S. Trib. per ſuos Miniſtros; perſuadet ei, vt petat. *Pen. 2. par. ad Direct. Comm. 25. ver. Totum vero. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 26 num. 24.* ſi autem ſanus exiſtens Confeſſarium petat, eiq; concedatur; tunc ita ſe habeat, ſi inueniat ipſum, vt ſupra formaliter Hæreticum, aut aliàs excommunicatum; attēdat, quod nō poterit illum abſoluere, niſi prius reconcilietur, *Souſa vbi ſupra nu. 25.*

Vigeſimum, admittitur in S. Trib. innocentiæ Defenſor, ſi Reus ſit tantum de fide ſuſpectus; non autem ſi conſtet in proceſſu ipſum eſſe Hæreticum. *Simanc de Cathol. inſt. tit. 57. nu. 1. Pen. ad 3. par. Direct. Comm. 16. num. 134.*

Nec item ei conceditur, vt probet aliquam veram hæreſim non eſſe talem; nam ſic fruſtra conſumeret tempus: quod ſecus eſt, ſi non manifeſtè conſtet, *Pen. ad 3. par. Direct. Comm. 10*

ver.

ver. in hac difficultate. Farinac. de Hæreſi, qu. 185. §. 14. nu. 225. Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admonitione 190. cuius rationem reddit; nimirum, quia non pertinet ad Reum, nec ad eius Aduocatū hanc, vel illam propoſitionem diffinire hæreſim eſſe, ſed ad Eccleſiā, claret: Quare quemadmodum iuxta leges pro Reo humanæ Maieſtatis nihil poteſt peti; ita pro Reo Diuinæ Maieſtatis, qualis eſt Hæreticus, vt notat *Arſen. loc. cit. admonitione 95.* quod maximè procedit quando petitio eſt abſurda, cuiuſmodi foret ſupradicta. Notabile ſignum pietatis, & integritatis S. O. habes infra lib. 9. art. 3. diff. 2.

A R T. II.

Vbi circa integritatem, & pietatem S. Tribunalis duo expenduntur dubia.

Alterū eſt, vnde proueniat, quod S. Trib. Relapſo publicè licet pœnitenti tradit Curiæ ſeculari. Alterum quærit diſcrimen inter Relapſum pœnitentem, & impœnitentem.

CIrca primum, ratio difficultatis eſt, tum quia Chriſtus à D. Petro interpellatus, quoties remittere deberet noxam fratri ſuo: reſponſū habuit: *Nō dico tibi ſepties: ſed ſeptuagies ſepties*. Cur itaque Eccleſia in S. Officio poſt abiurationem Hæretici de formali, ſi reincidat in eandem hæreſim, vel aliam non condonat ipſi Reo veniam petenti; ſed ipſum tradit Curiæ ſeculari. Reſpondeo rationem eſſe, quia mitius agitur cum lege, quam cum Miniſtro legis: nam in crimine magnæ proditionis mitius agitur circa proditionem patratā contra ſubditos; quam contra Regem, qui eſt legis Miniſter, *l. fin. ff. de pœnis*, in propoſito, mitius agitur contra offendentem creaturam, quàm Creatorem, quod notat *Gloſ. Bart. in l. Diui. ff. de iur. pat. Repertorium Inquiſitorum, ver. Relapſus, & ver. Mitius agitur.*

Nec obſtat ſecundum *Doctorem Angelicum 2. 2. q. 11. art. 4.* quod in iudicio Dei redeuntes, recipiantur: nam Deus cū Cordiū Scrutator exiſtat; cognoſcit verè redeuntes: Eccleſia verò illos nō plenè dignoſcit: quare exemplū ſui ſponſi quoad hoc minimè ſequi poteſt: Quinimmo præſumit illos non verè ad ſe reuerti, qui, cum iam antea in ſuo gremio complexos fuiſſet; iterum ſunt relapſi: Verum, vt piiſſima mater eis viam ſalutis minimè occludit, ſed patenter aperit, adminiſtrando Sacramenta tum Pœnitentiæ, tum Euchareſtiæ.

Obiectioni autem, ſeu rationi dubitandi dicendum eſt, quod Chriſtus loquitur de peccato clauibus Sacramenti Pœnitentiæ ſubiecto; quod (exiſtentibus neceſſariò requiſitis) ſemper dimittendum eſt in illo foro: quod ſecus eſt de peccato publico in Deum in foro Eccleſiæ externo: quia non eſt Iudicis illud dimittere, cum agatur de publico damno Eccleſiæ, cui publica animaduerſione ſatisfaciendum eſt, vt cæteri retrahantur, faciunt tradita à *Repertorio Inquiſ. ver. Relapſus, & ver. Mitius agitur.*

Circa ſecundum. Diſcrimen longè notandum intercedit inter Relapſum pœnitentem, de quo ſupra, & relapſum impœnitentem: nam pœnitens licèt relapſus reconciliatur Eccleſiæ Sanctæ, cumulaturq; dono recipiendi Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchareſtiæ; quibus bonis in parte ſaltem mortificat infamiam, quàm contraxit patrando delictum, leuius ſuſtinet pœnas, & conſequitur beneficium ſuffragiorū Eccleſiæ &c. quibus omnibus priuatur relapſus impœnitens: faciunt quæ tradit *Locatus in Opere iudiciali Inquiſit. vbi de formulis in fine operis, ibi ſententia contra impœnitentem, & relapſum.*

Eſt itidem aliud diſcrimen, nempè, quod ſi Reus ob ſuas grauiſſimas culpas comburendus veniat; ſi eſt pœnitens, comburitur præcisè poſt mortem: qui, ſi impœnitentem mori eligatur, comburitur viuus in conſpectu hominum, vti patet per quandam Conſtitutionē Federici Imperatoris, incipit, *Commiſſi. §. item mortis. Innocentius, & Clemens IV. in Extrauagante, Statuimus, §. Si quandoque. facit cap. fin. in fine de Hæreticis lib. 6.* impœnitens dicitur, qui peccatum confiteri recuſat, *de Pœnitentia, diſt. 1. §. Alij è contrario.*

A R T. III.

Vnde dexteritas, ſeu prudentia S. Trib.

EX multis elicitur ſignis. Primum, quando S. Officio, videtur neceſſarium, vt Reo exprimat diem, aut locū commiſſi criminis, hoc magna cum cautela præſtat, ne teſtes aliquod patiantur damnum, exprimendo ſolummodo tempus, ſed non præciſum: item exprimendo locum, ſed non locum loci. *Simanch. de Cathol. inſtit. tit. 4. nu. 21. Carrerius de Hæreticis, nu. 109. Souſa in Aphor. Inq. lib. 2. cap. 2. nu. 3.*

Secundum, quando Reus interrogatur de ſocijs, interrogatio fit tamen in genere; neminem in ſpecie nominando, niſi de illo adſit legitima, & ſpecialis præſumptio. *Simanch. de Cath. inſtit. tit. 63.* & faciunt, quæ tradit *Menoch. de Arbitr. lib. 2. caſu 474. nu. 53.*

Tertium, quartum, & quintum, colligitur ſupra ex tertio, quarto, & quinto ſigno integritatis S. Trib. itemq; ex nono, & decimo.

Sextum, Reo (datis terminis, ſeu termino defenſionis) ſi vult illam renunciare, S. Trib. facit ſcribi in actis, quod renunciat termino, & non defenſioni; quia iſti minimè renunciare poteſt; aſſignareq; debet Reus, quare renunciat: v. g. quia nouit pro ſe nullam habere defenſionem. *Ex Lucerna Inquiſit. verbo, Quædam cautelæ, poſt Angel. lib. maleſ. clauſula, qui Iudex ſtatuit terminum &c.*

Septimum, non admittit illam Reorum reſponſionem generalem. vz. Nego me eſſe punibilem, vel quid ſimile: quia Reus ad interrogata reſpondere debet, nempè, vtrum fecerit, vel nō, id de quo quæritur: nam vtrū ſit punibilis, nec ne cognoſcet Iudex ex proceſſu, per *text. in l. 1. §. In accuſatione in fin. ff. ad Turpil.*

quod notat *Lucer. Inquiſit. loc. cit. poſt Angelum vbi ſupra, Clauſula, Comparuerunt Inquiſiti*.

Octauum, non facit iurare Reum, quod interrogatus reſpondebit ad interrogata: quia etiam abſque iuramenti delatione ad hoc tenetur, quoties legitimè interrogatur, vt ex cõmuni tradunt DD. ſed de dicendo meram, & plenam veritatem de his, ſuper quibus fuerit interrogatus, *cap. Cum dilecti. de Accuſat. & per Panormit. ibidem*. Quod obſeruat *Lucer. Inquiſ. loc. cit. nu. 5.*

Nonum, non fert ſententiam condemnatoriam contra Reum, dum eſt in carcere; ſed facit eum citari, adduciq; ante ſe: aliòquin diceretur ferre ſententiam in abſentem, quod falſum eſt. ex *Lucer. ver. Citatio, nu. 1. poſt Angelum loc. cit. clauſ. qui Iudex commiſit Traconi &c.*

Decimum, nec imponit Reo pœnam pecuniariam, niſi quando apparet illi magis eſſe proficuam, ab illoq; magis timeri: nec pro omni culpa, nec ſemper: & tunc non excedit qualitatem peccati, nec perſonæ conditionẽ. *Decian. Crimin. lib. 5. c. 44. nu. 7. Pen. ad 3. par. Direct. Commen 7. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 193. §. 6. nu. 111. & 119.*

Nec item imponitur Hæreticis confeſſis, vel cõuictis, aut impœnitentibus, cum habeant pœnas à iure taxatas, quas Iudex mitigare non poteſt. *Pen. ad 3. part. Direct. Commen. 152. Farinac. vbi ſupra nu. 117.* ſed tantum imponitur ſuſpectis de hæreſi, qui nullam excuſationem habent. *Pen. loc. cit. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. cap. 28. nu. 6. & 4.*

DISTINCTIO TERTIA.

De terminis, qui in actione S. Off. non minus, ac in alijs Tribunalibus ſæpè ſæpius contingunt.

Partitur hæc diſtinctio in quatuor articulos, quorum

Primus, reſpicit terminos principales proceſſus Informatiui.

Secundus, terminos præcipuos proceſſus Defenſiui.

Tertius, terminos vſitatiores proceſſus Diffinitiui.

Quartus, denique amplectitur terminos Iudicibus longè neceſſarios, maximeq; Iudic. fidei.

ART. I.

De terminis principalibus proceſſus Informatiui.

Probatio eſt rei dubiæ per argumenta oſtenſio. *Azo. in Sum. C. de Probat.* verùm argumentum ſumitur hic largè, s. quatenus comprehendit probationem, quæ fit per indicia, per teſtes, præſumptiones, &c. nam ſtrictè ſumptum ſignificat conuictionem intellectus noſtri ad aſſentiendum rei non ſubiectæ ſenſibus, & hoc modo ſumitur ab Apoſtolo cum diffinit fidem: *fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.*

Iuramentum eſt aſſertio, vel negatio de aliquo licito poſſibili, & honeſto facta rei atteſtatione firmata. *Hoſtien. in Sum. de Iure iurando in principio*: notandum verò, quod quamuis iuramentum regulariter fiat per Creatorem; per creaturam attamen etiam fieri poteſt, quia Deus eſt in illa. item licèt per falſos Deos iurare non liceat: nihilominus iuramentũ obligat, ſi præſtetur ſuper re licita, *cap. Mones 2. quæſ. 1.* Notandum inſuper pro obſeruantia iuramenti de iure canon, quatuor requiri. Primum, quod abſque ſalutis æternæ periclitatione ſeruari poſſit. Secundum, quod non ſit contra publicam vtilitatem. Tertium, quod non ſit contra bonos mores, v. g. quod non ſit ſuper re turpi. Quartum, quod non tendat in præiudicium tertij.

Notandũ præterea, quod quamuis (exiſtente iuſta cauſa) iuramenti diſpenſatio concedi poſſit: attamen minimè concedi poteſt, quin iuramentum confirmet dictum, vel factum; vnde ob illud obligantur etiam hæredes.

Notorium eſt probatio indubitata, & finita nulla egens diſcuſſione *cap. Euidentiam de accuſatione, & alibi*. admittitur tamen interdum probatio ad maiorem cautelam.

Manifeſtum eſt publica proclamatio ex certa ſcientia, & ex certis auctoribus proueniens, *l. Hæredes palam ff. qui teſtam. facere poſſint*, dicitur ex certis auctoribus ad differentiam rumoris, qui eſt aſſertio ex incerto auctore ex ſola ſuſpicione proueniens. *cap. Oſius de Electione, & alibi.* Verum notandum, quod manifeſtum non eſt æquè euidens, vt notorium, vt patet ex vtriuſque deſcriptione: nam notorium patet omnibus, vel maiori parti populi, manifeſtum verò patet tantum minori parti, vel tantum pluribus. *Maſcardus lib. 2. concl. 1017.*

Occultum eſt, quod nulla ratione probari poteſt, *cap. Vt noſtrum 2. quæſ. 1.* Quaſi occultum autem eſt, quod per paucos probari poteſt. *Speculator in tit. de Not. crimin.*

Notandum autem differre delictum eſſe notorium, & de delicto notoriè conſtare: nam ad illud requiritur intuitiua notitia delicti: ad hoc autem ſufficit probatio, diciturq; notorium iuris, quod non eſt propriè notorium, ita *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 23. num. 7.* Ad notorium requiritur, vt res fiat in loco publico. Vnde non eſt tale, ſi fiat in domo, aut villula. *Menochius de Arbitr. lib. 2. caſ. 166. n. 9.* Ad notorium probandum ſufficiunt duo teſtes idonei. *Clarus in Pract. quæſ. 9. verſ. Quæro nunquid.*

Præſumptio alia iuris: alia iuris, & de iure.

Iuris eſt cõiectura ex certo ſigno proueniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur: Præſumptio verò iuris & de iure eſt diſpoſitio legis aliquid præſumentis, & ſuper præſumpto tanquam ſibi comperto ſtatuentis; vnde non admittit probationem in contrarium. *cap. Afferte mihi gladium, de Præſumptio. Alciatus in tractatu præſumpt. in principio, nu. 4. Gandinus in tractatu de Maleſic. in tit. de Præſumpt.* Aliæ quoque traduntur à DD. diffinitiones præſumptionis, vt præſumptio facti, & naturæ, ſed breuitatis gratia omittuntur.

Notandum autem, quòd licèt præſumptiones, & indicia in cauſis ciuilibus, & pecuniarijs probent; ita vt ſi fuerint certæ, vel violentæ ad ſententiam procedatur. *Extra. de Præſump. c. Litteras*: in criminalibus tamen, qualeſ ſunt cauſæ S. Officij, non ſufficiunt ad condemnandum, niſi eſſent indubitata, & luce clariora, *C. de Probat. l. Sciant.* In dubio non præſumitur dolus, neque fraus. *Menoch. de Præſump. 3. nu. 14. Maſcard. de Probat. lib. 1. concl. 530.*

Fictio eſt aduerſus veritatem in re poſſibili ex iuſta cauſa, diſpoſitio: diſtinguitur autem à præſumptione: quia iſta procedit ſuper certo: fictio autem diſponit contra veritatem; item quia contra præſumptionem admittitur probatio: quod ſecus eſt aduerſus fictionem, vti notat *Sebaſtianus Medices, vbi ſupra diffinit. 8. per totum*: Verùm duplex eſt poſſibile: Alterum, cui repugnat impoſſibile reſpectu facti perſiſtentis, vt cum ſeruus pro mortuo habetur, & tamen viuit: item, quando abſens habetur pro præſente, quia non comparuit per ſe, nec per Procuratorem. Alterum eſt, cui ſecundum naturam non repugnat poſſibilitas, cum ſit in potentia ad illam: v.g. abſens poteſt fieri præſens; & de iſto intelligendum eſt in prædicta diffinitione.

Indicium eſt ſignum, ſiue demonſtratiuum domicilium delicti, vel alterius rei, de quo, vel de qua quæritur, itemq; adminiculum probationis. *Gandinus in tit. de Præſumpt. & indicijs, colum. 4.* duplex eſt autem indicium, aliud facti, aliud iuris, quodcunque tamen ſit minus eſt, quam præſumptio. *Decius de Probat. cap. 3.*

Teſtis eſt perſona idonea, quæ vel ſponte, vel interrogata aliquid probat negando, vel affirmando. *Sebaſtianus Medices tom. 1. de diſ. par. 2. diſ. 12.*

Teſtis non idoneus eſt ille, qui contra ſe habet aliquam legitimam exceptionem, quæ ipſum in totum, vel in partem repellit. *Pen. 3. par. Direct. Commen. 113.*

Teſtis ſine exceptione maior eſt ille, qui ab omnibus habetur bonus, cuius dictis nullatenus opponitur iuſte, ita ex *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 152.* vocaturq; etiam teſtis integer, legitimus, ac idoneus.

Teſtis minus idoneus, emendatus efficitur idoneus. *Pen. loc. cit.* Notandum autem, quod teſtis, qui extraiudicialiter deponit in articulo mortis ad ſuæ conſcientiæ exonerationem, affirmans ſe falſum dixiſſe contra aliquem in cauſa criminis tollit primam depoſitionem, etiam adminiculatam; ita vt ratione illius licèt aliqua indicia addantur, Reus torqueri non poſſit. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. c. 25. n. 31. citans Farinac.* Notandum etiam, quòd teſtis affirmans pro verò id, quod facto verum eſt, ſed illud verum eſſe ignorans, falſus eſt, & de falſo punitur pæna arbitraria *Farinac. de Hæreſi, quæſ. 67. §. 3. nu. 70. & ſeqq.*

Teſtimonium ſiue accuſatione, ſiue denunciatione deponens à Teſte differt: nam teſtimonium eſt ſine iuramento, *Extra. de cohabitatione Cleric. & mulier. cap. Tua nos in gloſ.* Teſtis verò non niſi cum iuramento dato recipitur, cit. iuribus, quod in primis obſeruat *Sum. Aſteſana tit. 41. de Verb. ſignif., ver. Teſtes*: Verùm quidquid practicetur in alijs Tribunalibus, in Sancto praxis oſtendit hanc ſubtilitatem minimè attendi: ſed vtrique dari ad validam, ac maiorem proceſſus firmitatem.

Tortura eſt cruciatus corporis ad eruendam veritatem repertus, *Abbas cap. Inter. de Reg. iur. Ghirlandus tit. de Quæſt. & Tortura nu. 4.*

Scientia eſt veritas ſenſu percepta in mente retenta. *Sebaſt. Med. vbi ſup. diſſ. 15.*

Notandum fidem .s. humanam eſſe infra ſcientiam, ſed ſupra opinionem: Dixi fidem humanam: nam fides virtus theologica eſt etiam ſupra ſcientiam: quia illi, cum innitatur ſummæ veritati, falſum non poteſt ſubijci, quod ſecus eſt de ſcientia. Notandum verò ſcientiam duobus percipi modis, altero per rationes, & demõſtrationes: altero per ſenſum: eſt autem hic ſermo de ſcientia, quæ taliter acquiritur .s. quæ ſenſu corporeo percipitur, eſtq; reſpectu rerum conſiſtentium in facto, requiriturq; in teſte, *l. Qui teſtam. in fin. ff. de Teſtamen.*

Ignorantia differt à neſcientia, quia illa eſt reſpectu eorum, quæ ſcire tenemur; iſta verò .s. neſcientia eſt reſpectu eorum, quæ minimè ſcire tenemur, ita *Theologi, & Summiſtæ paſſim, verb. Ignorantia, & ver. Neſcientia.*

Credulitas, ſeu fides eſt, per quam Iudex vni parti firmiter adhæret, *l. 1. §. Eiuſdem, ff. de Teſt.*

Iudicium eſt actus trium perſonarum, vz. Iudicis, Actoris, & Rei in iudicio contendentium: *Hoſtien. in Sum. tit. de Iudicijs, colum. 2, nu. 1.* nec obſtat, quod interdum concurrunt teſtes: quia ipſi non ſunt ſemper neceſſarij, nec ſubinde de ſubſtantia iudicij, ſuntq; acta partium, vz. Actoris probantis, & Rei excipientis.

ART. II.

De expoſitione terminorum reſpicientium proceſſum defenſiuum.

EXceptio eſt actionis, vel intentionis exclusio, *l. 2. ff. de Except.* Exceptio excludit actionem .s. Actoris, quando ipſo iure tenet; quando autem non tenet dicitur excep-

exceptio intentionis. Prima dicitur exceptio iuris. Secunda verò facti. Replicatio excludit exceptionem .s. Rei.

Purgatio eſt de obiecto crimine oſtenſio innocentiæ, & eſt duplex nempè canonica, & vulgaris, vide infra art. 4.

Calliditas, Fallacia, & Machinatio differunt ad inuicem. Calliditas committitur in tacendo, vt ſi venditor defectum rei venditæ tacuerit. *l. 1. de Act. empt.* Fallacia fit mentiendo, vt cum quis certa ſcientia falsò aſſerit. *l. Falſus. ff. de Furtis.*

Machinatio fit arte verborum, vz. partim fatendo verum, & partim illud ſubticendo, vt ſi venditor ſciebat fundum aliquod eſſe hypothecatum: v. g. Franciſco, & Antonio, dicatq; eſſe hypothecatum Franciſco ſubticendo hypothecam, quam ſuper illud etiam habet Antonius.

Dolus eſt nomen generale ad tria prædicta, vnde tàm Calliditas, quàm Fallacia, & Machinatio eſt dolus, regulariterq; ſumitur in malam partem. *Sebaſt. Med. tom. 1. par. 2. diffin. 30.*

Colluſio eſt inter Actorem, & Reum latens, & fraudulenta conuentio. *Hoſtien. in Sum. tit. de Colluſion. num. 1.* Dicitur latens, & fraudulenta conuentio ad differentiam pacti, aut licitæ conuentionis; contingitq; potiſſimum, quandò Actor in iudicio permittit ſe ſuperari à Reo. Puniunturq; Colluſores ſecundum qualitatem Rei, ſuper qua colluſerunt; maximèq; peccant in cauſis S. Officij, cum agatur Dei cauſa, caueantq; maximoperè Cenſores fidei, ne in eorum Tribunali irrepat.

Procurator eſt, qui aliena negotia mandato Domini, aut Rei adminiſtrat. *l. 1. ff. de Procurat.* hoc nomen reſpectu Rei dicitur impropriè; cum potius dicendus foret defenſor. Reſpectu verò Actoris propriè eſt. Admittiturq; etiam in S. Officio, vt oſtenſum fuit.

Procurator cauſarum eſt, qui cauſam abſentis defendit, quod dicitur ad differentiam Aduocati, qui cauſam præſentis tuetur.

Reſcriptum Papæ eſt ipſius reſponſio, facitq; ius ſpeciale præcisè in negocijs, & inter perſonas, in quibus, & inter quas promulgatũ eſt: quod dicitur, ad differentiam legis, quæ facit ius generale. *C. de Legib. & Conſt. l. 2.*

Oraculum dicitur illud reſponſum, quod precando impetratur à S. Pontifice, ſeu Superiori. *C. de Legib. l. Digna vox:* Vnde, quod precando impetratur à Suprema Congregatione Romæ, non immeritò ſaltem adaptatiuè dici poteſt Oraculum: licèt maximè propriè dicatur tantum de reſponſo S. Pontificis.

ART. III.

De terminis proceſſum diffinitiuum reſpicientibus.

SEntentia eſt diffinitio iudicialis controuerſiæ finem imponens continens abſolutionem, vel condemnationem; *Speculat. in tit. de Senten. §. 1. in principio.* Differtq; à ſententia interlocutoria: quia iſta fertur à Iudice inter principium, & finem cauſæ ſuper aliquo emergenti: ita *DD. communiter.* Sententia autem diffinitiua fertur ſuper principali, controuerſiæ finem imponendo: nam Iudex eo in caſu functus eſt officio ſuo, *l. Litigatoribus. C. de Appellat.* Vnde poſtea non habet locũ tranſactio: quod ſi interponatur appellatio eſt eadem cum cauſa principali: vnde ipſa pendente nihil eſt innouandum. Differt item à re iudicata, quia à ſententia diffinitiua licitum eſt appellare etiam in S. Tribunali exiſtente cauſa ſufficienti: quod ſecus eſt à re iudicata; *l. Si idem. C. de Codicillis:* Vnde tunc dicitur rem tranſiſſe in rem iudicatam, quando non poteſt amplius interponi appellatio, vel quia iã cauſa iudicata eſt à ſupremo Iudice: vel ſi ab inferiori, iam dies à iure conceſſi ad interponendam appellationem ſunt iam tranſacti.

Appellatio eſt ius, quo prima ſententia extinguitur, & interim cauſæ cognitio ad Iudicem Superiorem deuoluitur, *Barth. l. 1. col. 2. num. 3. ff. de Appellat.* Vnum obſeruo, quod in S. Officio difficilius admittitur, quam in alijs Tribunalibus, cuius ratio eſſe poteſt; quia Iudices inferiores à quibus appellatur, non adeò ſunt ſuſpecti, ac Iudices aliorum Tribunaliũ, cum in S. Off. non niſi viri ſcientia, & cõſcientia præditi eligantur.

Litteræ dimiſſoriales, quæ appellantibus dãtur à Superiorib. à quibus appellatur in iure, dicuntur Apoſtoli; quod notat in primis *Sum. Aſteſana tit. 41. de Verb. ſignif. ver. Apoſtoli Clemen. 1. & 2. de Appellat.*

Mulcta eſt peccati animaduerſio pecuniaria arbitrio Iudicis ſtatuenda, *l. Aliud, §. 1. ff. de Verb. ſignif.* dicitur animaduerſio pecuniaria ad differentiam pęnæ corporalis. Verùm pœna eſt nomen generale, omniumq; delictorum coertio.

Maleficium eſt malefactum. Notandum quemadmodum iniuria ex eo dicitur, quod non iure fiat, *§. Iniuria, Inſtit. de Iniurijs*, ita maleficium ex eo dicitur, quod malè fiat *§. Eſt, & aliud, Inſtit. de donat.* Verùm poteſt dari malefactum, quod non ſit maleficium, vt ſi fiat per errorem: quod. n. taliter committitur, impropriè maleficium dicetur.

Fiſcus in propoſito noſtro eſt Camera S. Tribunalis, patet in ſimili de Fiſco Imperij, & cuilibet Ciuitatis.

Fiſcalis verò eſt, qui inſtat loco Actoris, vt crimina puniantur.

Cauſa probabilis eſt illa, quæ ſi foret probatã, deberet legitima reputari, *cap. Vt dilectus, §. Cum autem, de Confirmat. Comenſis in Lucerna Inquiſitorum ver. Appellat. nu. 6.*

Infamia iuris eſt illa, qua quis dicitur infamis à iure, *Syluef. verb. Infamia.*

Infamia facti eſt, quæ prouenit ex communi hominum locutione, ſurgitq; ex veriſimilibus coniecturis à tota, vel maiori parte populi,

aut

aut Communitatis. Verùm, ſi non ſit totius, aut maioris partis; tunc dicitur præcisè Rumor. *DD. communiter in cap. Si duo 35. quæſ. 6.* Infamia iuris repellit à dignitatibus habitis: infamia verò facti impedit ab acquirendis, niſi aliud exprimatur in ſententia, *Garzia de Beneficijs, part. 7. cap. 8. à num. 33. vſque ad 37.*

Acta dicuntur publicè ſcripturæ ſecundum ordinem negotiorum, quæ geruntur. *Sum. Aſteſ. tit. 41. de Verb. ſignif.*

Actio in factum, eſt quæ datur contra Iudicem, qui per ignorantiam malè iudicauit ad reſtituendum damnum, quod per eius ſententiam illatum eſt. *Sum. Aſteſ. tit. 41. de Verb. ſignif. ſub littera A.*

ART. IV.

De terminis, quos fidei Iudex potiſſimum callere debet.

CAlumnia eſt falſi criminis impoſitio. *Sum. Aſteſana loc. cit. ſub litt. C.*

Cautionis nomine intelligitur nuda promiſſio: cum verò additur idonea, vel ſufficiens intelligitur pignoraticia, vel fideiuſſoria: Cæterùm ſecundũ Canones cautio ſufficiens dicitur iuratoria, *Extra. de Sent. excom. & Sacram.*

Confeſſio in genere fit tripliciter, nempè ore, facti euidentia, & interpretatiuè .s. contumacia, *Extra. de Præſumptione, c. nullus dubitat.* eſtq; atteſtatio veritatis in iudicio, vel extra ſpontè, aut vi facta à Reo negando, vel affirmando. *Medices tom. 1. de diffin. par. 2. diffin. 12.*

Confeſſio verò ſpecialis, .s. iudicialis eſt certa, & clara aſſeueratio, .i. reſponſio eius, de quo quæritur coram legitimo Iudice facta, *Sum. Aſteſ. vbi ſupra, ſed parum infra.*

Contumacia eſt inobedientia, & contemptus, qui contingit, cum quis tribus Edictis, vel vno perhemptorio pro omnibus citatus præſentiam ſui facere contemnit, vel veniens mãdato non obedit. Vnde contumax eſt, qui vocem Iudicis exaudire contemnit. *Gofredus in Sum. ver. Contumacia.*

Crimina priuata ſunt, quorum accuſatio, vel denunciatio pertinet ad illos tantum, quibus inferuntur damna, vt furta, iniuriæ, *Sum. Aſteſ. vbi ſup. ſub litt. C.* Crimina verò publica ſunt illa, quorum denunciatio præcipitur cuilibet de populo, vti eſt crimen læſæ maieſtatis, quod eſt etiam ſub genere criminum exceptorum.

Crimina autem excepta ſunt illa, ad quorũ accuſationem, & teſtificationem admittuntur contra Clericos etiam laici, ſi bono procedant zelo; ſunt autem hæc quatuor, vz. Crimen læſæ maieſtatis, Simoniæ, Fraudationis cẽſus publici, .i. publicæ pecuniæ ſibi cõmendatæ, hęreſis.

Crimen læſæ maieſtatis pluribus committitur modis.

Primò, quando quis contra Principis Vrbem aliquid molitur.

Secundò, quando profugit ad hoſtes.

Tertiò, quando hoſtes qualitercunque iuuat, vz. armis, pecunia, conſilio.

Quartò, quando ſubiectas Prouincias, aut Vrbes nititur facere rebelles Superiori Principi.

Quintò, quando ſeditionem excitat in Ciuitate. Sextò, quando Magiſtratum, vel Principem occidit: vel eos qui circa latus eius militant, vel qui arma ferunt, in eius auxiliũ, vel occupat loca violenter &c. contra Rempublicam, coinciditq; hoc crimen cum crimine Perduellionis, *ff. ad l. Iul. Maieſtatis, iuncta lege quos nos, ff. de Verb. ſign.* Notandum autem dictam legem punire eos, qui in Rempub. aut Principem, aliquid machinari moliti ſunt; ex *Sum. Aſteſ. vbi ſup. ſub litt. C.*

Merum Imperium eſt habere gladij poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines. *Repert. Inquiſ. ver. Iuriſdictio, & in Addit. ſub littera D.* reſpicitq; publicam vtilitatem, & exercetur officio Iudicis nobili; diciturq; merum, quatenus cum nullo alio eſt ad mixtum, *l. Qui res mihi, ff. de Sol.* Vnde Inquiſitores poſſunt incarcerare reos illorum criminum, quæ ad ipſos ſpectant, ſicut alij, qui merum habent Imperium, *Decianus Crimin. lib. 3. cap. 10. n. 23. Farin. de Hæreſi quæſ. 185. §. 1. n. 1.*

Mixtum Imperiũ eſt, illud cui præter merũ Imperium ineſt quoq; iuriſdictio ad dandam bonorum poſſeſſionem. Diciturq; mixtum ad differentiam meri: mixtum .n. ex diuerſis cõſtituitur, .s. ex Imperio, & Iuriſdictione: ex Imperio, quia officio Iudicis nobili exercetur, & ex Iuriſdictione, quæ exercetur officio Iudicis mercenarij, reſpicitq; priuatam vtilitatem: itidem mixtum dicitur, eo quod participat de duobus, vel pluribus. *l. Idem, §. Sed ſi, ff. de rei vend.* Differt autem Imperium à Iuriſdictione, vt obſeruat *Repert. Inquiſit verb. Iuriſdictio*: nam illud deſignat facultatem circa maiora, qualia ſunt, quæ tract. S. Trib. Iuriſdictio verò circa minora: differt autem dominium à Iuriſdictione, quia illud reſpicit Communitatem imperfectam, vt familiã alicuius domus: Iuriſdictio verò familiam perfectam, .i. ex multis familijs particularibus, ita *Caſtrus Pal. in Opere mor. tract. 3. diſp. 1. pun. 23. num. 8.* Differt ſimiliter Imperium mixtum à mero, nedum ob rationem allatam, ſed etiam quia addit ſupra merum facultatem circa minora, & reſpicit etiam priuatam vtilitatem, *Sebaſtianus Medices tom. 1. par. 2. dif. 40. per totum.*

Conſtitutio affirmatiua eſt, quæ concedit, quod expreſsè non prohibet. *21. quæſ. 1. c. vlt.* Negatiua verò è contra prohibet, quod expreſsè non eſt conceſſum, Exemplum Conſt. affirmatiuæ .s. promulgatæ: ſi dormierit vir eius, cui vult, nubat in domino. Exemp. negatiuæ: non occides; vnde hominis occiſio nulli licet, niſi cui expreſsè inuenitur conceſſum: v. g. Iudici habenti merum Imperium: idem habet locum in Edictis prohibitorijs, vt ibi, ad propoſitum Edicti S. Inquiſ. Bergomi promulgati, in cuius calce, habentur hæc verba prohibitoria

bitoria .s. *Nō ſia rimoſſo ſotto pena di ſcommunica.*

Terminus perhemptorius eſt, qui obtinet tantum temporis, quantū tria Edicta, niſi aliud exigat iuſta cauſa: *Extra. de Dilatione, cap. Dilecti.*

Terminos proximi tranſgreditur quis quinque modis, nimirum cum Parochianum alterius ad ſepulturam admittit.

Cum alterius ſubditum excommunicat, vel interdicit.

Cum alterius Parochianum ad pœnitentiam recipit.

Cum terminos poſſeſſionum euellit.

Denique ad propoſitum noſtri inſtituti, cū fidei contrarium prædicat, *Extra. de Sepult. cap. 1. in gloſ. vlt.*

Purgatio eſt de obiecto crimine oſtenſio innocentiæ: & eſt duplex, .s. Canonica, quæ fit per iuramentum, & huiuſmodi purgatio approbatur: alia eſt vulgaris, .s. quam vulgus inuenit, hæc autem fit per duellum, & candens ferrum; item per aquam frigidam, vel bullientem; hęc autem reprobatur, *Extra. cap. Ex tuarū.*

Ratione infamiæ indicitur purgatio: ratione verò ſuſpicionis hæreſis abiuratio: quæ ſi inſimul præcipiātur, prius eſt purgatio. *Eymer. 3. p. de 7. modo terminandi proceſſum nu. 182.*

Hæreticus negatiuus eſt, qui, lz. plenè conuictus; aſſerit tamen tàm dicta, quàm facta Catholica credere, negans contrarium. *Ex Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 100. Eymer. 2. p. Direct. q. 34. Pen. ad 3. p. Eymer. Commen. 48. & 59.*

Dubij in fide ſunt, qui adhęrent pertinaciter dubio, .s. deliberatè, & tales ſunt Hæretici. *Ex Arſen. loc. cit. admon. 54.*

Pertinax in materia fidei eſt ille, qui iurat nolle recedere ab opinione falſa, quam tenet contra fidem Catholicam. Item qui negligit ſumere informationem à viris doctis de fidei veritate. *Ex Arſen. loc. cit. admon. 239.* Notandum verò, quod pertinacia nō tantum eſt oſtinatio; ſed etiam deliberatus conſenſus contrarius veritati Catholicæ cognitus, etiam ſi error contingat reſpectu eorum, quæ pertinax explicitè non tenetur credere, *ex Arſen. loc. cit. admon. 32. & 131. inſimul.* Notandum eſt autē, quod & ſi à DD. hi termini, videlicet pertinacia, & impęnitentia confundantur vſurpando vnum pro alio: attamen ad inuicem diſtinguntur; nam pertinacia à qua pertinax, eſt cōmunior impęnitētia, à qua impęnitens; quemadmodum animal eſt communius homine: ita *Tabiena ver. Hęreticus, nu. 16. & nu. 26.*

Differunt verò hi termini à contumacia: nam poteſt quis irretiri pertinacia, aut impęnitentia abſque hoc, quod ſit ſub Iudicis manibus, vt notum eſt. Contumacia autem propriè loquendo eſt præciſè reſpectu Rei ſub Iudicis manibus: vel ſaltem, de quo Iudex iam formauit proceſſum, cui (aſſignato competenti temporis ſpatio) ad ſiſtendum ſe coram ipſo, renuit comparere.

Tranſactio eſt de re dubia, & lite incerta, nondumq; finita pactio non gratuita, .s. aliquo dato, vel retento: aut promiſſo, vel remiſſo: *Caccialupus tract. de Tranſact. in principio. l. 1. ff. de Tranſact.* Dicitur autem tranſactio, quaſi actionis tranſitio, ſeu receſſus; eo quod qui tranſigit, ab actione decedit; eſtq; remedium finiendarum litium, *l. Fratris, C. de Tranſact.*

Hæc à S. Tribun. non admittitur: nam qui denunciare tenetur peccat mortaliter, & incidit in excommunicationem omittendo: cum cauſæ S. Tribunalis reſpiciant tum bonum publicum, tum bonum tertij, ſumus in claris: tum præterea, quia qui denunciare tenetur, non agit rem ſuam; Vnde, quemadmodum non poteſt illam omittere; ita pro tali omiſſione nihil recipere poteſt. *DD. in l. Tranſigere, C. de Tranſact. Pen. de Tempore gratiæ cap. 25.* quem ſequitur *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 4. c. 13.*

Pæna arbitraria, ſeu extraordinaria eſt illa, quæ à iure determinata non eſt; ſed à Iudice imponitur ſuo arbitrio. *Marant. de Ord. Iudic. part. 4. diſt. 10. nu. 4.* Verùm arbitrium quantumcunque liberum regulari debet ſecundū ius commune, *Marta de Clauſulis part. 1. clauſ. 303.* eamq; pænam imponere debet, quæ ſit magis medicina, quam venenum (attenta tàm perſonæ, quàm delicti qualitate) *Pen. ad 3. par. Direct. Commen. 144. Royas de Hæreticis par. 1. num. 548. Tabiena ver. Hæreticus nu. 23.* debetq; delicto eſſe contraria. *Calderin. de Hæreticis cap. 20. num. 1.*

Pæna in generali quid ſit, vide ſupra Art. 3. ibi, Verum pæna &c. Vbi habes quomodo mulcta differat à pæna: ibi mulcta.

De multis alijs terminis agendum foret; ſed quia hi ſatis abundè viſi ſunt *Lib. 1. de cauſa materiali Edicti*; obindè hic vltra non progredior; tantum dicam de duobus principalibus, qui in actione S. Officij, vt plurimum contingunt, nimirum de Abiuratione, & Relapſu; ſed de his immediatè ſequentem formabimus diſtinctionem: quare hic vlterius non labor.

DISTINCTIO QVARTA, De Abiuratione, & Relapſu.

Duo potiſſimùm contingunt in executione S. Officij, quorū alterum reſpicit Abiurantes: alterum verò Relapſos in crimina, de quibus Edictum denunciationis: ex vtroque autem conſtatur præſens diſtinctio, quæ iuxta duo pertacta in duos partitur articulos.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Abiuratio quotuplex.

Reſpondeo duplicem eſſe, vz. de vehementi, & de leui, quæ ad inuicem in tribus differunt. Primum eſt, quia Abiuratio de vehementi fit cum

magna

magna ſolemnitate, & apparatu in conſpectu populi; Abiuratio verò de læui fit coram ſolo Inquiſitore, quod notat *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 201.*

Alterum eſt, quod abiurans de vehementi, ſi iterum incidat in eandem hæreſim, vel aliam diuerſam cenſetur relapſus: quod ſecus eſt de illo, qui præciſè abiurauit de læui: *cap. Accuſatus de Hæreticis in 6. Ioan. à Royas de Singularibus fidei, ſingulare 1. nu. 26.*

Tertiũ eſt, ſi qui abiurauit de læui, contingat eſſe Confeſſarium, Medicum, Magiſtrum ludi litterarij ad priſtina officia iterũ dignari poteſt: quod ſecus eſt, ſi abiurauit de vehementi, vt doctè tradit *Antonius Gennenſis in praxi Archiepiſcopali cap. 66.* niſi ex ordine, aut gratia S. Põtif. dimiſſus fuerit, vt tradit *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 16.*

DIFFICVLTAS II.

Abiuratio in ſe .s. in genere quid ſit tam ſecundum nomen, quàm ſecundum rem, & quid Abiuratio de vehementi.

Abiuratio in ſe ſecundum nominis etymologiam idem ſignificat, quòd iure iurando aliquid negare, *text. in cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in matrim., quam polluerat per adulterium, ibi, Adulteram abiurauit: item cap. Audita, de Reſtit. ſpol.*

Abiuratio verò ſecundum rem eſt hæreſum deteſtatio cum aſſertione Catholicæ veritatis, obligatione, iuramento, & pæna permanendi in fide Catholica.

Abiuratio in ſpecie, .s. de vehementi, eſt idẽ, ac abiuratio in ſe, ſolummodo addita particula (ſolemnis) quia ſolemniter facienda eſt huiuſmodi abiuratio conuocato .s. populo, preparato throno, & habito ſermone de fide Inquiſitore, & Ordinario præſentibus, Reo iure iurando abnegante ſuos errores cõfitendo illos falſos eſſe non ſolùm voce; ſed etiam libello, & ſubſcriptione propria manu facta, ſi nouit ſcribere; aut ſigno, ſi neſcit, quod item appareat in libello, *text. in cap. Ad abolendam, ibi ad arbitrium Epiſcopi &c.* quod notandum eſt ad differentiam Abiurationis de læui, quæ non fit publicè; ſed priuatim in domo Epiſcopi, aut Inquiſitoris. Legendus eſt *Simancas de Inſtitutionibus Cathol. cap. 1. nu. 10.*

Primò, dicitur hæreſum deteſtatio in plurali; quia licèt quis fuerit ſolummodo de vna hæreſi condemnatus: attamen omnem hæreſim abiurare tenetur. *textus in cap. Ego Berengarius, Ioan. Andræas, & Dominicus in cap. Accuſatus, §. 1. de Hæreticis in 6.* proceditq; etiam ſi de læui tantum quis abiurauerit, *Arſen. S. Inq. p. 10. admon. 120.* & quamuis Reus præſumptus omnem hæreſim generaliter abiuret, & ſub tali generalitate comprehendatur etiam hæreſis, aut error in fide, ſuper quo illi indicta fuit abiuratio: attamen illam hæreſim, aut errorem etiam ſpecificè abiurare tenetur, *Rota in antiquis nu. 875. & Decius conſ. 137. & Nicol Boer. deciſ. 343. incipit, & videtur, & alij apud Ioannem à Royas de Singularibus fidei. Singulare 1. num. 13.*

Secundò, dicitur cum aſſertione Catholicæ veritatis, quia abiurans non ſolum tenetur abnegare omnẽ ſuam hæreſim; aut in fide errorem confitendo eorum falſitatem; ſed etiam tenetur omnem Eccleſiæ veritatem amplecti.

Tertiò, denique, dicitur obligatione, iuramento, & pæna permanendi in fide Catholica; per hæc autem verba oſtenditur Abiurantem non eſſe pertinacem, neque incorrigibilem. Oſtenditur item, quod ſi contigerit illum iterum relabi, nulla ratione à pæna contra relapſos ſtatuta, tueri ſe poterit. *cap. Super eo, de Hæreticis, lib. 6. cap. Ad abolendam, §. Illos quoque, eod. tit.* cum Abiurans etiam per iterationem delicti apertè oſtendat qualitatem animi ſui abiurationis tempore, nimirum non abiuraſſe amore, vel zelo fidei Catholicę; ſed ſolummodò ad euitandam delicti ſui pęnam: nam actus præſens præteritam intentionem declarat, taliſq; præſumitur cauſa præceſſiſſe, qualis ab effectu dignoſcitur. *C. Cum de in rem verſo.* Quęres fortaſſe, quando fieri debeat, breuiter reſpondetur, quod fieri debet poſt ſententiam: quia eſt pæna per ipſam impoſita. *Eymer. 3. p. de quinto modo terminandi proceſſum. Arſen. S. Inquiſ. par. 1. admon. 31. & 45.*

DIFFICVLTAS III.

An Abiuratio à purgatione canonica diſtinguatur.

Reſpondetur affirmatiuè: nam abiuratio eſt reſpectu omnium hereſum, quamuis Reus in vnam præciſè inciderit, vt ſupra dictũ eſt, quod patet ex *cap. Ego Berengarius, Ioan. Andreas, & Dominicus in cap. Accuſatus, §. 1. de Hæreticis in 6.* Purgatio autem canonica eſt reſpectu ſolius delicti, de quo Purgandus extitit diffamatus, vt tradit *Arſen. S. Inqu. p. 10. admon. 210.*

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

Abiuratio an decore, aut dedecore Abiurantem afficiat.

Svpponimus Abiurantem fuiſſe iam ex ſignis plenè probatis, & comprobatis ſuſpectum; & perinde ad Abiurationem de vehementi compelli.

Occaſio aſſumendi hanc difficultatem eſt, quia Reus, cui imponitur Abiuratio prædicta, perturbatur, verecundatur, angitur, nimiaq; difficultate ad hanc trahitur; & tamen ſecus ſe gerere deberet; cum ipſa minimè ſit ei nociua, ſuppoſito errore, quinimmo proficua, vt oſtẽdam; & proindè non ægrè, ſed libenti animo abiurare debet. Patet primò, quia per hanc ſuſpectus de hæreſi oſtendit non eſſe incorrigibilem, neq; pertinacẽ, ſed deteſtari, quod de ipſo alij ſuſpicabantur; E contra verò, qui ad præceptum Iudicis fidei abiurare renuit, oſtendit verum eſſe, quod de ipſo ſuſpicabatur, .s. ipſũ eſſe pertinacem, & incorrigibilem; & præterea tan-

tanquam impœnitens Iudici ſæculari relinquē-dus eſt, *cap. Ad abolendam, §. 1. de Hæreticis, cap. Excommunicamus. 1. §. adijcientes, vbi Felinus nu. 4. eod. tit. Gundiſlauus de Villa de Hæreticis, qu. 15. nu. 11. Lodouicus Carrerius de Hæreticis, §. modo qualiter nu. 2. Simancas de Catholicis Inſtitutionibus cap. 1. nu. 25.*

Secundò patet, quia Reus abiuratione ſe eſſe Catholicum proteſtatur, quæ ſanè proteſtatio cuique eſt maximi honoris, vti conſtat, & notat *Ioan. à Royas de Singularibus Fidei, ſingulare 1. nu. 13.* Vnde quiſque non ſemel, iterum, & tertiò; ſed quotidiè non tàm ſecretò, quàm publicè; nimirum nedum coram Deo, ſed coram tota Dei Eccleſia, ſi poſſibile foret, vel neceſſitas expoſtularet, facienda eſſet: cauendum tamen à peccatis, quibus abiurare cogimur.

Tertiò, quia abiurans hac via purgat ſuſpicionem, quam de ipſo S. Inquiſitionis Tribunal meritò habebat; hinc facta abiuratione Inquiſitor Abiuranti dicit. Fili tu ſuſpicionem, quam de te merito habebamus, purgaſti per abiurationem, quam feciſti; caue itaq; tibi deinceps, quomodo te geras, &c. *Royas vbi ſupra nu. 20.* purgatio autem ſuſpicionis bona eſt, vt conſtat.

Quartò, quia abiuratio eſt ſignum, quod Abiurans non fuit conuictus per legitimos, & ſufficientes teſtes, nec ore confeſſus; ſed ſolummodo extitiſſe contra ipſum vehementē ſuſpicionē. *text. in cap. Accuſatus, de Hæret. lib. 6.*

Cum igitur ex ſuppoſitis abiuratio non afficiat Abiurantem ignominia, ſed honore; partes cuiuſq; Chriſtiani, & maximè Confeſſariorum erunt ſuadere ſuſpectos, vt promptè obediant fidei Cenſoribus ipſam indicentibus, maximè cū ex huiuſmodi ſuaſione tres annos Indulgentiarum conſequantur, vt notat *Royas loc. cit. num. 21.*

Verùm notandum eſt, quod Abiurantibus interdum iuxta grauitatem criminis iniungi etiam ſolet, vt deferant ſaccum benedictum ante, & retro Cruce rubei, vel Crocei coloris ſignatum, qui vulgò nuncupantur habitus S. Benniti, quem vt item patienter æquo, mitiq; animo ferant, præ oculis Abiurantis quiſque, ſed præcipuè Confeſſarius obijcere debet Primò, quod delatione huiuſce habitus deſignat omnibus eſſe verè pœnitentem, ſuaq; peccata cognoſcere. Secundò, ſuos deteſtari errores: item oſtendat hoc genus habitus, aut ſimilis geſtaſſe multos graues, ac Illuſtres viros: *text. in cap. In capite Quadrageſimæ, ibi Sacco induti, diſt. 50. lib. 3. reg. cap. 21.* legendus eſt *Ferdinandus tract. 4. diſput. 6. pun. 3. n. 1.* ſed notandū, quòd illi, qui Eccleſiæ reconciliantur reſipiſcendo tempore gratiæ iuxta Edictum Inquiſitorum, tali non induuntur habitu, nec alia afficiuntur pœna publica. *Paramus de Orig. S. Inquiſ. lib. 1. tit. 2. cap. 5. nu. 11.*

DIFFICVLTAS II.

Publicè Abiuraturis quid Confeſſarius obijcere debet.

PRimò, quod pæna Abiuranti inflicta, ſi ab ipſo patienter, & in gratia ſuſtineatur, eſt ſatisfactoria, augmentatiua gratiæ, facitq; ad præmium vitæ æternæ; iuxta illud quod additur formæ abſolutionis Sacramenti Pœnitentiæ, vz. *& quidquid boni feceris, aut mali patienter ſuſtinueris &c.*

Secundò, quod mediante patientia nō adeò amarè feret onus ſibi impoſitum, quinimmo conuertetur ſibi in dulcedinem animæ, & corporis: ſecundùm illud D. Franciſci in teſtamento: *id quod mihi videbatur amarum, conuerſum fuit mihi in dulcedinem animæ, & corporis;* hinc Protomartiri Stephano lapides torrentis illi dulces fuerunt.

Tertium illum admoneat, ne quempiam mali, quod patitur, fuiſſe cauſam, ſed ſeipſum, accuſet, ſecundum vulgatum adagium: *improbè Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.*

Quartò, ſi illi videatur pæna inflicta nimis protrahi, obijciat, quod annoſa paſſio momentaneo remedio non curatur: & graues morbos grauibus remedijs curari: extremosq; extremis,

Quintò, quod ea, quæ ipſe Reus iuſtè, .s. pro illius criminibus, alij quamplures, & potiſſimū Chriſtus benedictus eadem, & longè grauiora paſſi ſunt iniuſtè, ac æquo animo, cōſtat paſſim ex hiſtorijs Sanct. Martyrum: Vnde ipſum meminiſſe oportet illud S. Latronis: *nos digna factis recipimus: hic autem quid mali fecit?*

Sextò denique, ex abiuratione cognoſcitur non eſſe impœnitentem. Vnde relapſis, qui in foro fori habentur vt impœnitens, non conceditur abiuratio: .l. in foro poli interdum ſint verè pœnitentes: quamuis .n. Eccleſia non claudat gremium redeuntibus: hoc tamen intelligi debet in foro poli, quod ſecus eſt in foro fori, vt notat *Simanch. tit. 57. nu. 14.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Quis dicatur relapſus propriè.

REſpondetur illud dici, & in facto eſſe relapſum non ſolùm, qui relabitur in eandem hæreſis ſpeciem, quam iam prius abiurauerat; ſed etiam, qui in aliā: cuius ratio eſt, tum quia omnes hæreſes ad inuicem ſunt colligatæ, vt inquit *text. in cap. Excommunicamus, de Hæreticis*; ibi: *facies quidem diuerſas habentes, ſed cauſas ad inuicem colligatas*; hùc ſpectat illud *Iacobi cap. 2. Qui peccauerit in vno, factus eſt omnium Reus*, tum quia in hac materia non attenditur ſpecies, ſeu modus peccandi; ſed violatio fidei, ad cuius conſeruationem omnes Catholicæ veritates tendunt, vti doctè tradit *Paulus Ghirlandus in vltima quæſ. de Hæreticis. Aloyſius in Floribus Direct. Inquiſitorum, par. 2. Ex Commen. 65. Lucerna Inquiſit. verbo Relapſus, Repertor. Inquiſit. item verb. Relapſus,*

Caſtrus

Caſtrus Palaus in Opere moral. tract. 4. *diſp.* 6. *pun.* 11. qui notat ad relapſum propriè requiri idem delictum eodem modo bis commiſſum.

Pro intelligentia notanda ſunt duo. Primũ eſt, quod oportet, vt Chriſtianus adhęreat omnibus articulis fidei per vnum medium .i. propter primam veritatem nobis propoſitam ſecundũ doctrinam Eccleſię: qui autem ab hoc medio decidit, caret fide, fitq; omnium Reus. *D. Thom.* 2. 2. *quæſ.* 5. *art.* 3. quod notat *Grilenzonius conſ.* 87. *nu.* 2. *&* 3.

Secundum eſt iure canonico ſolum illum dici propriè relapſum, qui clarè conuictus de hæreſi publicè coram Iudice, abiurauit; quare, qui hæreſim, aut hęreſes extra iudicium, vt per cordis pœnitentiam, vel oris confeſſionem, licèt ſæpius in eandem, vel eaſdem relapſus ſit; non habetur pro relapſo, vt communiter *DD. in cap. Accuſatus, de Hęreticis in* 6. *Azor. lib.* 8. *cap.* 14. *quæſt.* 1. *Direct. Inquiſ. par.* 2. *quæſ.* 40. 55. *&* 58. vt notat *Trullench. in exp. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 17. *nu.* 1.

Itidem, qui hæreſim, vel hæreſes abiurauit, & poſtea detruſus in carcerem aufugit, non eſt propriè relapſus habendus: ita *Azor. vbi ſupra, cap.* 14. *Ant. de Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 45. *Trullench. vbi ſupra*. Similiter nõ eſt propriè relapſus, qui prius abiurauit tantũ de læui, quamuis incidat in eandem hæreſis ſuſpicionem item de læui: itidem nõ eſt propriè relapſus, qui primò incidit in ſuſpicionẽ hæreſis de læui: ſecundò autem incidit in ſuſpicionem hæreſis de vehementi. Verùm ſecunda vice longè grauius, quam prima venit puniendus. *Pegna ad ſecundam part. Direct. Commen.* 83. *ſub littera B. Sanctarellus de Hæreſi, cap.* 42. *Farinac. de Hæreſi, quęſ.* 195. *nu.* 22, 23, *& deinceps &c.*

DIFFICVLTAS II.

Relapſus non propriè, ſed fictione iuris quis dicatur.

RESpondeo ad effectum, vt quis habeatur taliter relapſus, ſufficere, vt conſtet ſemel de vno lapſu in hæreſim formalẽ, ſiue ante, ſiue poſt abiurationem: Vnde colligo primò illum iudicari relapſum, qui prius abiurauit hæreſim formalem; & poſtea incidit in vehementem illius ſuſpicionem.

Secundò illum cenſeri relapſum, qui iam abiurauerat de vehemẽti .s. ſuſpicionis hæreſis; & deinde lapſus eſt in hæreſim formalem, ſufficit .n. vt ſupra cautum eſt, ſemel conſtare de vnico lapſu in hæreſim formalem, ſiue ante, ſiue poſt abiurationem: ita expreſsè docuerunt *Gemin. in cap. Accuſatus, §. Ille quoque de Hæreticis in* 6. *Ghirlandus de Hæret. quæſ. vltima in fine. Locatus in Iudiciali, verb. Relapſus n:* 3. *&c.*

Tertiò, ad mentem plurium DD. illum etiã iudicari taliter relapſum, qui poſt abiurationẽ de vehementi hæreſis ſuſpicione; iterum in eandem ſuſpicionem incidit, ita *Locatus in Iudiciali, verb. Vehemens ſuſpicio*, aſſerẽs ita declaraſſe Pium Quintum in Congregatione S. O. anno 1567. faciunt notata à *Simanca de Cathol. Inſtit. tit.* 5. *nu.* 9. *Farinac. de Hæreſi quæſ.* 195. *nu.* 22, 23. & deinceps *Trullenc. in Expoſit. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 17. *nu.* 1. Legendi ſunt *DD. in cap. Accuſatus de Hæreticis in* 6.

DIFFICVLTAS III.

An ſi quis ſponte à nullo alio præuento manifeſtaret ſe in hæreſim abiuratam reincidiſſe, mortis ſupplicium euaderet.

REſpondeo affirmatiuè, nam *cap. Ad abolendam, §. illos quoque, de Hæreticis in* 6. loquitur de illis, qui depręhenſi fuerunt in abiuratam hæreſim reincidiſſe; hinc colligo cum *Caſtro Palao in Oper. Morali tract.* 4. *diſp.* 6. *punc.* 11. *nu.* 7. *&* 8. requiri Hæreticos ab alijs deprehenſos fuiſſe .s. in hæreſim reincidiſſe; propterea ſequitur, quod ſi quis ſponte à nullo præuentus in hæreſim abiuratam reincidiſſe Iudici fidei ſe denunciaret, à mortis pæna ſe eriperet: nam ex hac ſpontanea manifeſtatione coram Iudice præſumitur ſeriò conuerti.

DIFFICVLTAS IV.

Qui abiurationi non admittuntur.

PRimò, nõ admittũtur fęmellæ ante duodecimũ annũ completum, quæ eſt illarũ pubertas. *Arſen. S. Inqu part.* 10. *admon.* 21. *&* 49.

Secundò, non admittuntur maſculi ante completum quartum decimum annum, quæ item eſt illorum pubertatis ætas. *Arſen. loc. cit.*

Tertiò, non admittuntur amplius abiurationi, qui brachio ſeculari traduntur; cuius ratio eſſe poteſt, quia cum iſti ſint mortis ſupplicio mulctandi; non exigitur ab ipſis, vt iurent ſe permanſuros in fide Cathol. Romana; nec creditur ipſis, cum iam defuerint præſtita abiuratione. Verùm Confeſſariorum partes ſunt illorum, quibus ob eorum demerita abiuratio denegatur; exhortari, vt in ſecreto cordis illam omni qua poſſint deuotione præſtent, enixè Dominum precando, vt per ſuam immenſam clementiam dignetur internam acceptare.

Cæterùm, qui ad abiurandum de formali, aut vehementi admittuntur, ſi taliter abiurare renuant, vt impęnitentes condemnantur, vt tradit *Arſen. S. Inq. loc. citato, admon.* 83.

DIFFICVLTAS V.

An Apoſtatæ à fide; & Hæretici formales à ſuſpectis præciſè differant in modo abiurandi.

REſpondetur affirmatiuè: nam Apoſtatæ, & Hæretici abiurant publicè cum habitello: De his verò tantummodo ſuſpecti, .s. de Apoſtaſia à fide, & hæreſi formali abſque dicto habitu abiurant, vt notat *Arſen. S.O. part.* 10. *admonit.* 9. *&* 10.

DISTINCTIO QVINTA,

De Stemmatibus glorioſis, quibus Tribunal S. Inquiſ. decoratur, & Exuuijs, quibus vtitur contra Reos.

Diuiditur hæc diſtinctio in duos articulos, quorum alter continet quinque Stemmata S. Trib. videlicet.

Primum, Crucem viridẽ in campo nigro.

Secundum, Oliuæ Ramum in altera manu .s. dextera.

Tertium, Gladium in altera manu .s. ſiniſtra.

Quartum, Verba Crucem exornantia.

Quintum, Inquiſitoris virgam.

Alter item articulus complectitur quinque Reorum in S. O. Stemmata ignominioſa, quorum

Primum, Eſt Candela in eorum manibus prius extincta, deinde accenſa.

Secundum, Eſt Luſtralis aquæ aſperſio, circa illos.

Tertium, Eſt Veſtis (vulgo S. Benniti) qua induuntur cum attonſione capillorum, & barbæ.

Quartum, Eſt Mitra ignominiam præferens, ironicè ſupra eorũ caput impoſita.

Quintum, Eſt Funis circa eorum collum appenſa.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Crux viridis in campo nigro quid deſignat.

Reſpondetur deſignare moralem Crucem; quam Reus in remiſſionem peccatorum ſuorum, facta, vt ſic loquar, ex neceſſitate virtute, .s. voluntariè aſſumere debet, quam iuxta qualitates Crucis S. Tribunalis mixtam eſſe oportet ex nigro triſtitiæ peccatorum; & ex viridi ſpei de venia, ſaltem quo ad partem, à S. Trib. obtinenda: ipſius .n. eſt longè proprium Reorum misereri, ne fortè, vt *Paulus 2. Cor. 2.* ait, *abundantiori triſtitia abſorbeãtur*; hoc modo ſumitur ſignificatio ex parte Reorum. Ex parte verò S. Tribunalis item Crux viridis exaltatur in ſignum clementiæ, ne .s. qui receſſit à Deo hæreſibus, blaſphemijs, ſortilegijs, maleficijs, veneficijs, diuinationibus &c. deſperet cum impio Cain, *Gen. 4*, *ſed ſpem veniæ expectet cum pænitente Dauide, ſi verè cum ipſo ab erroribus reſipiſcat*, iuxta illud *Iob 31. & ſi occiderit me, ſperabo in eum*. Ponitur verò in campo nigro ad deſignandum triſtitiam, qua detinetur Iudex fidei Reum condemnando.

Elegit ſimiliter S. Trib. Crucem viridem, tum quia Crux, in qua Chriſtus paſſus eſt ex arbore viridi fuit præciſa, tum quia Chriſtus vocatur *Luc. 23. lignum viride: Si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* tum præterea, quia cõgruit figuris, ſed præcipuè ligno viridi ſcientiæ boni, & mali.

Sed ponitur in campo nigro ad ſignandum mortificationem, qua Reus affici debet ob inde, quod ſpreto bono incommutabili commutabili adhæſerit iuxta rationabilẽ Dei querelam, vt patet *Ieremiæ cap. 2. duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquę viuę, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quę continere non valent aquas.*

DIFFICVLTAS II.

Quid deſignat Oliua ramus, quem ſignifer S. Tribunalis defert.

Reſpondetur deſignare. Primò, quod quẽadmodum Oliua ſemper viridis manet; ita Iudici fidei nihil eſſe antiquus miſericordia, & clementia, quas virtutes Oliua mirificè adũbrat, ramos habens indeſinenter virentes.

Secundò, deſignat, quòd Reis verè contritis poſt aquas tribulationum, mortificationum, paſſionum &c. præſtatur pax interna; perinde ac poſt diluuium aquarum materialium Columba ex Arca Noæ dimiſſa reuertens ramũ Oliuæ viridem portauit in ipſius Ore, in ſignũ, quod iam aquæ ſupra Montes ceſſauerant, *Gen. cap. 8.*

DIFFICVLTAS III.

Quid ſignat Gladius diſtrictus, quem fert ſignifer S. Trib. in manu.

Reſpondetur ſignare, quòd S. Tribunal eſt ſemper paratum ad fidei defenſionem, & puniendum peccantes contra ipſam, veluti faciunt criminoſi, de quibus Edictũ generale S.O. vnde ſicut Cherub cui à Deo demandata fuit Prouincia cuſtodiendi Paradiſum Terreſtrem, tuebatur illum verſatili gladio; ita Inquiſitor, cui demandatum eſt officium defendendi vineam Eccleſiæ ab hoſtium incurſibus, veluti alter Cherub myſtici Paradiſi Eccleſiæ Catholicæ tenetur habere in manu gladium verſatilem, eſſe .s. paratũ ad faciendũ iuſtitiam, quòd etiam ipſi Inquiſ. liquidò demonſtratur per inſignia rubei coloris, quę in ſolemni proceſſione corporis Chriſti geſtãtur ante ipſum.

Gladius verò à ſiniſtris, & non à dextris collocatus deſignat, quòd Tribunal S. Inquiſitionis prius, & potius vtitur oleo miſericordiæ, quàm vino iuſtitiæ iuxta illud Iacobi; *Super exaltat miſericordia iudicium: Iacob. c. 2.* quo fit, vt in Edicto generali prius detur tẽpus gratię, quã iuſtitię, patet ex littera textus; *Inquiſitores enim, vt viſceroſiſſimi Patres omnia prius intẽtant media,*

media, vt Reos D. Maieſtatis ad Eccleſiæ benignitatem diſponant; adeo, vt quaſi inuiti videantur ad diſtrictionem, & vſum gladij accedere: patet illis verbis: *Perche non deſideriamo la confuſione d'alcuno, mà l'emendatione: per tanto con paterno affetto inuitiamo per gratia &c.*

Defert verò Signifer inſimul tàm Ramum Oliuæ, quàm gladium. in altera manu Ramũ, gladium in altera ad deſignandum myſterium magnum, nempè quod viæ S. Tribunalis ſunt duæ, nimirùm via miſericordiæ, & via iuſtitiæ, quæ inſimul ambulant, & ad inuicẽ ſe oſculantur, iuxta illud: *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi: Pſal.* 84. & illud: *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt*.

Quemadmodum enim antiqua illa arca, ſuauiſſimum manna, veterem legem ſimul cum virga continebat; ſic Tribunal Sanctum manna miſericordiæ, legem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & virgam iuſtitiæ inſimul complectitur.

DIFFICVLTAS IV.

Quid ſignificant verba Crucem ambientia, & exornantia, videlicet, Exurge Domine iudica cauſam tuam.

RESpondetur deſignare, quòd Inquiſitores zelo tuendi Eccleſiã reſpiciunt in fidei auctorem, & conſumatorem ipſum rogando; vt illam vtpotè ſuam ſponſam labefactari non permittat, ſuamq; cauſam non derelinquat; ſed potius illam iudicare dignetur, ne ſuũ ſanctum nomen blaſphemetur, aut honor latriæ ſoli illi debitus alteri detur &c. vt ex communi docent *Theol. in 3. Sent. potiſſimumq; Seraphicus Doct. 3. Sen. diſt. 9. art. 1. quæſ.* 1.

DIFFICVLTAS V.

Quid deſignet Inquiſitoris virga; qua Reus in Sancto Tribunali percutitur.

INquiſitores in actione fidei, cũ pœnitentes abſoluunt, & Dei Eccleſiæ reconciliant, virga vtuntur illos percutiendo; vt moneantur tàm per hæreſim, quàm per eius ſuſpicionem ſe iam conſtitutos eſſe ſub eorum poteſtate iudiciaria: nam per virgam intelligitur iuſtitia, iuxta illud Pſal. *Virga directionis virga regni tui*, & iuxta illud: *Viſitabo in virga iniquitates eorũ, Pſ.* 88. *cap. Remittuntur, 23. quæſ.* 5.

Secundò, percutiunt illos dicta virga, vt iudiciariæ poteſtatis memores caueant, ne de cæterò relabantur. Verùm læuiter illos percutiunt, vt perpendant quàm indulgentiſſimũ ſit Sanctum Tribunal, & quàm paternè, ac viſceroſiſſimè ſe habeat ad Reos.

Tertiò, item Inquiſitores virga illos cędunt, quia quemadmodum veſtes à puluere excutiuntur virga: ita illi ſuperſtitionum, blaſphemiarum, aut hæreſim pleni per virgam correctionis ab his, quaſi à puluere excutiuntur, & mundantur: facit illud *Exodi 8. Extende virgam, & percute puluerem terræ*: item illud *Exodi* 14. *Eleua virgam tuam, & oſtende manum tuam*.

Quartò, denique Inquiſitores vtuntur virga, vt intelligamus, quod ſicut virga eſt aptiſſimum inſtrumentum, quo ſuſtentantur, & firmantur claudi, & debiles; ita virga iudiciariæ poteſtatis S. Tribunalis ſtabilit, & ſuſtentat in fide debiles, qui iure merito Inquiſitori dicere poſſunt illud: *Pſ. 22. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*: virga etenim percutimur, & baculo ſuſtentamur: Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet: ſit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſeuiens: ſit pietas, ſed nõ pluſquam expediat parcẽs: & propterea *in cap. Diſciplina, diſt.* 45. dicitur: *Diſciplina, vel miſericordia multum deſtruitur, ſi vna ſine altera teneatur*: nam maledicta eſt illa pietas, quæ deſtruit iuſtitiam: vnde faciendum eſt quodam temperamentum ex vtraque: vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur: æquitas tamen rigori præfertur, *l. Placuit, C. de Iudi.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quid ſignificat Candela.

POenitentibus Eccleſię reconciliandis datur interdum candela extincta in manibus geſtanda, quæ deinde accenditur. Candela non accenſa deſignat fidei lumen in eorum mentibus per peccatum hæreſis fuiſſe extinctum; & per peccatum inducens hæreſis ſuſpicionem, velut eſt blaſphemia hæreticalis, incæpiſſe obſcurari. Accenditur ipſis deinde dicta candela, vt per id deſignetur fidem ab eis denuo eſſe reaſſumptam: lux enim deſignat fidem; nam quemadmodum lucis apparitione abdita panduntur; ita fidei lumine occultiſſima myſteria nedum videntur, ſed ſatis etiam intelliguntur, experientia teſte.

Item accenditur candela ad deſignandum Deum in pœnitente lucem ſuæ fidei iterum accendere; cui cauendum, ne denuo praua vita illam extinguat, iuxta illud: *caue ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint*, .i. ne opera tua ob morum prauitatem tenebroſa reddantur.

DIFFICVLTAS II.

Quid aqua benedicta deſignat.

IN veteri lege præceptum erat, ne leproſus de caſtris eiectus ad ſocietatem aliorum reuerti permitteretur, quin prius hyſſopo, aqua, & ſanguine aſpergeretur, *Leui. c.* 14. *Similiter Inquiſitores*, vt verum lepra peccati hæreſis, vel illius ſuſpicionis infectos, & iam de Eccleſiæ caſtris excommunicatione eiectos decenter, & ſalubriter ad Chriſtianorum cætum redire permittant; prius aſpergunt, & mundant aqua benedicta; & meritò quidem, tum quia aqua eſt memoratiua Dominicæ Paſſionis, iuxta illud *Pſal.* 68. *Quoniam intrauerunt aquæ*, .*s. tribulationum, & paſſionum, vſque ad animam*

meam: tum quia propulſat Dæmones ipſorum faſcina, & incantationes diſſoluendo: ita *DD. communiter*, qui notant ad huiuſmodi effectus ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutam; Quare mirum non eſt, ſi Rei reconciliãdi ab Inquiſitore illa prius aſperguntur, vt vel ſic ab inſidijs Dæmonum ſecuriores maneant, Deoq; liberiùs deſeruiant.

DIFFICVLTAS III.

Quid deſignat veſtitus, quo cooperitur Reus, & quid barba, & capillorum tonſio?

ALiquibus in locis pridiè eius diei, quo Rei apud S. Tribunal à carcere ad publicum fidei actum adducuntur veſtibus exuti proprijs, ſi deſignant iocunditatem aliquam; cooperiuntur habitu nigro in ſignum mæroris, & triſtitiæ internæ. Qui item coma, & barba tonduntur in ſignum erubeſcentiæ; erubeſcunt enim comparere aliorum aſpectui, qui taliter ſunt tonſi, vti claret ex ſcriptura ſacra in nuncijs Dauid ab Amon Rege ignominioſè tonſis, qui cum erubeſcerent illo modo reuerti ad ipſum; præcepit eis, vt manerent in Hierico, quouſque creſceret eorum barba. *Manete in Hierico donec creſcat barba coram Reg*, 2. *c*. 10. *& tunc reuertimini*.

DIFFICVLTAS IV.

Quid deſignat mitra, ſeu ſemimitra.

REſpondetur deſignare grauem ignominiam: Vnde notandum eſt in Tribunali Inquiſitorum hanc pœnam vſu receptam eſſe, vt pro atrocioribus blaſphemijs, ſi perſona ſit vilis, in publicum ſpectaculum trahatur infami quadam mitra capiti impoſita, linguaq; ligata; & meritò quidem; quia quemadmodum ſeriò mitratis iuxta eorum merita, magnus debetur honos: ita è contra ironicè mitratis pro demeritis, maximè contra D. Maieſtatem, non parua affertur ignominia, teſte ipſa experientia.

DIFFICVLTAS V.

Quid deſignat funis appenſa ad collum Rei.

IMponitur interdũ pœnitentibus in S. Tribun. vt cum fune collum eorum circundante ſe detineant per aliquot temporis ſpatium præforibus maioris Eccleſiæ, tum vt videntes, terrore incuſſo, à ſimilibus perpetrandis retrahantur: tum quia funes ſemper extiterunt ſymbolum peccatorum, iuxta illud *Pſ*. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*; & præcipuè hoc nomen conuenit peccato hereſis, teſte *Baptiſta Folengio, & Origene*, quos citat *Paramus de Origine S. Inquiſitionis lib*. 2. *tit*. 3. *cap*. 11. *nu*. 73. nam ipſa velut funis trahit ad alia innumera peccata: tum prætere ad oſtendendum huiuſmodi pœnitentium interiora, Dæmonis arte annodata extitiſſe peccatorum funibus: tum denique ad deſignandũ, quod dicti pœnitentes in exemplum pœnitẽtiæ conſentiunt ſpontè ligari funibus S. Obedientiæ, & mortificationis, non minus, quàm aliàs ligari conſenſerint funibus peccatorum. Vnum eſt, quod ab omnibus, & ſingulis prædictis mortificationibus, ſeu pœnis ſaltem ſecundũ partem Reum eripere valet, videlicet, ſi dictæ pœnæ ab ipſo æquo, mitiq; animo ferantur: primò, quia ſic ipſi læuiores redduntur: nam pęnæ in tantum ſunt tales, in quantum omninò inuoluntariè illas ſuſtinere cogimur: hinc *D. Thomas* 1. 2. *quæſ*. 46. *art*. 6. *ad* 2. *& de Malo, quæſ*. 1. *art*. 4. *Tabiena ver. Pœna in principio*, habent, quòd ad pœnam tria copulatiuè requiruntur. Primum, quòd ſit propter culpam. Secundum, quòd ſit paſſio ab extrinſeco. Tertium (& facit ad rem) quod ſit contra voluntatem patientis: quare ſi Reus dictas pœnas, ſeu mortificationes voluntariè tulerit; profectò iuxta patientiæ quantitatem, illas minimè percipiet.

Secundò, quia Reus ferendo dicto modo impoſitas mortificationes bonorẽ ſuum, quẽ maleficijs pœnitùs deperditum habet; iterum vtcunque recuperabit, quo modo ad hunc effectum non reperio meliorem.

Quod ſi prædictis antidotis addat dignã Pœnitentiæ, & Euchareſtiæ ſuſceptionẽ, animaduerſiones in remiſſionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ ipſi conuertentur: quapropter Confeſſariorum partes erũt potiſſimùm præoculis ipſius ſubijcere prædictas rationes, & alias, prout Spiritus Sanctus eis ſuggererit. Inſtituentq; ipſum, quòd ſi in primis ad prædicta patienter ferenda illum vrgeat motiuum imitationis paſſionum, & mortificationum Chriſti innocentiſſimi pro nobis ſuſtentatarum; mirũ in modũ prædictarum ſuarum mortificationum valorem augebit.

Denique eum admonebunt, vt ſuas mortificationes Ieſu Chriſti mortificationibus vniat; & ita incomparabiliter adhuc ſuæ patientiæ fructus ſuccreſcent.

Nec credat amittere meritum ex eo, quod ad talia patiendum partem ſenſitiuam contra rationem contumacem, ac reluctantem percipiat; quinimmo ex pugna non perditur meritum, ſed augetur, dummodo cum Chriſto eius ratio in diuino beneplacito radicem figat, orãdo: *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Cuius etiam memoriæ obijciendum erit fructui patientiæ minimè obſtare pauor, tædium, aut triſtitia, patet exemplo Chriſti, qui cæpit pauere, tædere, & mæſtus eſſe: immo affligi vſque ad mortem; iuxta illud: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, abſque vlla meriti paſſionis, & mortificationis ſuæ diminutione, claret, nam virtus in arduo.

DI-

DISTINCTIO SEXTA.

De Indulgentijs, quæ acquiruntur in executione Edicti S. Tribun.

Multæ, & magnæ Indulgentiæ à diuerſis S. Pontificibus impertitæ ſunt Executoribus Edicti denunciationis.

Primò, Denunciantibus crimminoſos, de quibus Edictum; & item teſtimonium ferentibus in S.O.

Secundò, Socijs Inquiſitorum, Notarijs, Præſtantibus auxilium, fauorem, conſilium, cæteriſque coadiuuantibus in negotio S.O.

Tertiò, Inquiſitoribus actualiter ſuum exequentibus officium in quolibet actu, & hæ illorum perſonas paſſiuè reſpiciunt, cumulanturq; alijs actiuè s. in gratiam aliorum, & iuxta hæc tria, tres figurantur articuli.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An aliqua Indulgentia ſit conceſſa, reuelantibus & teſtimonium ferentibus in S. Officio.

RESpondeo Indulgentiam, trium annorum impertiri eis, qui in Tribunali S. Officij Inquiſitoribus reuelauerint aliquem Hæreticum, diffamatum de hæreſi, aut ſuſpectum, vel teſtimonium perhibuerit, conſtat ex Bullis infra citandis, item ex *Pegna ad Eymericum, vbi infra*, quod notat *Paramus lib 2 tit. 3. cap. 5. nu. 7.* Multæ etiam Indulgentiæ per diuerſos Summos Pōtifices fuerunt conceſſæ Cruce Signatis, ſeu Familiaribus S. Officij, maximè, dum ſe accingunt contra Hæreticos: item dum pro parte Inquiſitorum, vel Vicariorum ipſos capiunt; has autem Indulgentias fideliter colligit *Paramus loc. cit. à nu. decimo vſq; ad quintum decimum, Zanchinus loc. infra cit. diffic. 4. Arſen. S.O. par. 1. pag. 11. citans Breue Pauli V. die 29. anni 1611.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An aliqua Indulgentia ſit conceſſa ſocijs Inquiſitorum, Notarijs, & alijs coadiuuantibus in negotio S. Inquiſitionis.

REſpondeo concedi Indulgentiam triū annorum: patet ex *Bulla Vrbani IV.* incipit, *Præcunctis noſtræ mentis*, edita anno 1261. ex *Bulla Clementis IV.* incipit ſimiliter, *præcunctis*, edita anno 1265.

Eandem Indulgentiam .s. trium annorum conſequuntur, qui ex animo præſtiterint auxilium, conſilium, aut fauorem ad impugnandos Hæreticos, Fautores, Receptores, & Defenſores eorum, conſtat ex *Bullis præcitatis Vrbani, Clementis, & Gregorij IX.* incipit, *humani generis*.

Eandem conceſſit Indulgentiam *Alexander Quartus*, patet ex Bulla, incipit, *Firmiſſimè teneat, anni 1259.*

Prædicta trium annorum Indulgentia non intelligitur conceſſa ſemel in vita; ſed in quolibet actu perfecto ſingulari ab alio diuerſo, quo Inquiſitoribus præſtatur Auxilium, Conſilium, Fauor; & toties, quoties id agitur: ita *Franciſcus à Pegna, 3. par. Directorij Comm. 179.*

Eis verò, qui in proſecutione huiuſmodi negotij contra Hæreticos è vita deceſſerint, peccatorum omnium, de quibus contriti, ac ore confeſſi fuerint, plenaria indulgetur, conſtat ex reſcriptis *Vrbani IV. Gregorij IX. & Clementis IV. relatis, & ex Bulla Vrbani IV.* incipit, *Licèt ex omnibus*.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An aliqua ſit Indulgentia Inquiſitoribus conceſſa.

REſpondeo ipſis Plenariam illam Indulgentiam cōcedi, quæ ſuccurrentibus Terræ Sanctæ in generali Conc. Lateranenſi fuit conceſſa, patet ex Bullis infra citandis *Vrbani IV, Clementis IV, & Alexandri IV.* Hanc autem non ſolum acquirunt ſemel in vita, ſed etiam in ſingulis actibus perfectis (vti ſupra dictum fuit) contra Hæreticos in fauorē fidei celebratis, vt in quolibet actu reconciliationis, abiurationis, abſolutionis, vel alicuius executionis durante tempore officij: *Ita Repertorium Inquiſitorum, verb. Indulgentia, §. Item Inquiſitores. Pegna in 3 par. Direct. Comm.* 179. Qui, ſi in proſecutione negotij è vita deceſſerint, peccatorum omnium, de quibus corde contriti, ac confeſſi fuerint Indulgentiæ plenariæ ab Vrbano, & Clemente, vbi ſupra, conceduntur.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitores à Summis Pontificibus dotentur facultate elargiendi aliquam Indulgentiam?

REſpondeo affirmatiuè, dotantur enim facultate impertiendi omnibus, qui per confeſſionem Sacramentalem peccata expiauerint, & Concioni de fide deuotè affuerint, Indulgentiam viginti, vel quadraginta dierum; patet ex *Bulla Innocentij Papæ Quarti*, incipit, *Malitia huius temporis &c.* edita anno 1254. & ex alia, incipit, *Tum potiſſimè*, anno 1252. eandem ipſis conceſſit etiam, *Gregorius IX.* conſtat ex Bulla, incipit, *Ille humani generis, edita anno Domini 1238. Caliſtus III.* patet ex Bulla, incipit, *Iniunctum nobis. edita anno Domini 1458.* Quomodo autem prædicta Indulgentiarum priuilegia ſint intelligenda, vide infra Diffic. III.

Dices, elargitionem Indulgentiarum concedere ad ſolum Papam pertinet: ergo eas nō concedunt Inquiſitores. Reſpondeo verum eſſe dictas Indulgentias non elargiri ab Inquiſitoribus, ſed à Summis Pōtificibus per Inquiſitores:

ſitores: ita *Eymericus in 3. par. Directorij, q. 117. & 129.* & ibi *Franciſcus à Pegna, Commen. 176. & 178.* Notandum verò, quòd omnes prædictas Indulgentias Bullá confirmauit *Clemens Papa VII.* incipit, *Cum ſicut, edita Bononiæ* 1530. Deinde eaſdem approbauit, & denuò cõceſſit *Pius Papa V. in Bulla,* quæ incipit, *Sacroſanctæ Romana, edita anno* 1570. Non ſolum autem his Indulgentijs Sanctiſſimæ Inquiſitionis Officium diuerſi Summi Pontifices decorarunt; ſed plurimis Priuilegijs, Conceſſionibus, & Immunitatibus auxerũt, & cohoneſtauerunt, vt notat *Paramus vbi ſupra, nu.* 17. & faciunt, quæ tradit *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum. par. 3. quaſ.* 29. volens, quod etiam interessentibus abiurationi Hæreticorum impertiatur Indulgentia.

Præterea *Zanchinus Vgolinus de Hereticis cap. 37. num.* 4. probat, quod Inquiſitores poſſunt concedere fidelibus characterem Crucis in exterminium Hæreticorum, quo conceſſo multa conſequuntur priuilegia, vz. quæ ſunt conceſſa aſſumentibus Crucem in ſubſidium Terræ Sanctæ.

DIFFICVLTAS III.

Quomodo intelligitur prædictum priuilegiũ impertiendi Indulgentias Inquiſitoribus conceſſum.

RESpondet *Zanardus in Direct. Theologorum prima ſecunda cap.6.* quod cum idem priuilegium fuerit conceſſum à pluribus Sum. Pontificibus, aliquos ſentire, quod ſinguli Indulgentiarum dies quadraginta conceſſerunt; Vnde inſimul cumulati aſcendunt ad ducentum: alios verò exiſtimare eandem Indulgentiam ſingulos Pontifices confirmaſſe, quod notat *Bariola in Florib. Direct. Inquiſ. part. 3. ex Comm. Pegnæ 176. et ex Bulla Alexãdri IV. Sexta.*

Senſus priorum eſt gratioſior; poſteriorum verò tutior, conſtat.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I. LIBER QVARTVS.

De tertia particula Edicti ſubiectiua, nẽpè de Denũciatione in genere reſpectiuè ad Edictũ, quæ tangitur in tex. ibi.

Commandiamo à tutte, & à ciaſcuna perſona di noſtra giuriſdittione &c. debbano al S. Officio &c. riuelare quanto prima giuridicamente tutti &c.

Diuiditur autem liber iſte in nouem diſtinctiones.

Prima, Eſt de præludijs Denunciationi neceſſarijs.

Secunda, De materia Denunciationis propinqua.

Tertia, De materia Denunciationis remota .s. de Denunciando.

Quarta, De forma Denunciationis.

Quinta, De cauſa efficiente .s. Denunciante.

Sexta, De fine Denunciationis, & Denunciantium.

Septima, De peccato denunciationem Omittentium.

Octaua, De cauſis à denunciatione Excuſantibus.

Nona, De denunciatione reſpectiuè ad munus Confeſſariorum.

Notandum verò, quod de Denunciatione non loquemur in ſua latitudine: nam hoc ſpectat ad Summiſtas, Canoniſtas, & Theologos, quorum partibus modò non fungimur, ſtrictè loquendo; ſed Commentatoris morem gerimus, cuius intereſt ſequi textum, in propoſito, de Denunciatione in genere determinato S. Tribunali deferenda præciſe proloquentem.

DIST.

DISTINCTIO I. PRÆLVDIALIS, Quæ in tres partitur articulos.

In primò habetur, quid, & quotuplex ſit denunciatio, & cur vocetur iudicialis.

In ſecundò quæritur, an ſit facienda omiſſa correptione fraternali.

In tertio traditur, cui interponenda ſit Den.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Quid denunciatio.

HIC eſt ſermo de Denunciatione præciſè, ſecundum quod deſeruit in S. Tribunali Denunciaturis.

Denunciatio hæc eſt alicuius criminis ad Sanctũ Officium ſpectantis apud Inquiſitorem, vel eius Vicarium delatio ſine obligatione ferendi ab ipſo Denunciatore pænam Reo debitam, ſi non probet: ita colligitur in ſimili, partim ex *Hoſt. in Sum. tit. de Denunciatione*, §. 1. *partim ex Lelio Zecchio de Caſibus reſeruat. caſ. 2. nu. 3.* Verùm latum cadit diſcrimen inter Denunciationem in S. Tribunali, & in alijs.

Primò, In alijs non tenetur quis denunciare iuridicè, etiam mandante Superiore ſub excommunicationis pæna, quando id probare non poteſt, vt docet *Nauarrus, cap. 17. verſ. In participantibus in damno dato, nu. 134. Lelius Zecchius de Caſibus reſer. caſ. 2 nu. 3.* quod ſecus eſt in S. Tribunali, vbi Hæretici etiam occulti eo modo, quo infra, ſunt denunciandi. *D. Thom. 2. 2. quæſ. 68. art. 1.*

Secundò, In alijs Tribunalibus regulariter denunciator cum teſtibus non connumeratur, eiuſq; nomen Reo manifeſtatur: in cauſis verò S. Tribunalis connumeratur, eiusq; nomen ſemper reticetur; maximè cum aliquod periculum ipſi imminet. Quinimmo omnibus, & ſingulis in cauſa Fidei conuenientibus ſub excommunicationis pæna præcipitur, ne quid reuelent, *cap. Statuta de Hæreticis in 6.* faciunt allata per *Marcum Ant. Genuen. in Praxi Neapol. cap. 68. nu. 1.*

Tertiò, In alijs Tribunalibus Iudex ſolummodo compellere poteſt ſubditos, vt ea crimina denuncient, quorum auctores laborant infamia: patet ex *cap. Qualiter, & quando, 1. de Accuſatione*; quod in primis notat *Clauis Reg. lib. 12. cap. 10. num. 17.* niſi ea crimina ſint in perniciem Reipublicæ, & talia, quæ denuncianda ſint nulla facta correptione fraterna. Cæterum in S. Tribunali manifeſtanda ſunt delicta contra Fidem, etiam ſi delinquens nulla laboret infamia, vt hac ratione Cenſores Fidei communi bono Chriſtianæ religionis, priuato Innocentis, & etiam ipſius Rei prouidè conſulant; hæc autem intelligenda ſunt, etiam ſi non fiat ſpecialis Inquiſitio de alicuius crimine; ſed tantum generalis, quod deſignat præceptum ſub excommunicatione in Edicto S. Inquiſitionis.

DIFFICVLTAS II.
Quotuplex Denunciatio.

RESpondeo duplicem eſſe; nimirum Iudicialem, & Euangelicam.

Iudicialis eſt ad publicam vindictam criminis ordinata: Hanc ſequuntur Inquiſitores, qui, cum procedant ad vindictam delictorum, correptionem præmittere quidem poſſunt, antequam Reus denuncietur; ſed non facta denunciatione; ſicut etiam poteſt, qui alterum accuſare vult, ſed non tenetur, vt paſſim videre eſt apud Summiſtas, & præcipuè apud *Armillam, verb. Accuſatio nu. 3.* ſed ambo iuridicè procedere tenentur.

Euangelica verò eſt ad emendationem fratris ordinata; denominaturq; taliter, quia in ipſa ſeruatur ordo Euangelicus à Chriſto præſcriptus, & quem lex charitatis reperit; venitq; omittenda, quoties imminet periculum, quod occaſione ipſius frater euadat deterior, vel aliud graue ſequatur malum. *Azor. par. 1. lib. 8. cap. 19.* ibi, *nono quæritur. Lelius Zecchius p. 1. tract. de Spe. cap. 11. n. 7 ſub principio. item n. 10.* Itidem Denunciatio diſtinguitur in paternalem, & iudicialem; paternalis eſt, quæ fit Iudici, non prout tali, ſed vt patri; & cõtingit, quando exiſtente peccato occulto ſubditus (attentis qualitatibus peccantis, per ſe non poteſt ſatis prouidere ipſius ſaluti. Iudicialis verò fit Iudici, quatenus tali, vt contra fratrem ad pænam agere poſſit. In S. Officio non recipitur, niſi iudicialis; eo quod dictum Officium erectum ſit ad vindictam Malefactorum, laudem verò bonorum: quò fit, vt in ipſo ad effectum legitimi iudicij neceſſariò detegendum ſit nomen, cognomen, & patria Denunciantis: patet per verba textualia; ibi, *Auertendo, che non ſodisfaranno all'obligo loro quelli &c.*

Verùm non eſt negandum, quin interdum contingere poſſit caſus, in quo expediat bono fidei; vt Inquiſitori aliquid deferatur præciſè, vt patri, ne mala ſuccreſcant, quod potiſſimùm in principio peſtis ſpiritualis obtinere poteſt; Vnde, etiam ſi omninò nihil certi habeatur; tamen; quia ſerò medicina paratur; principijs obſtandum, denunciando Inquiſitori, vt patri; aditum ad dictam peſtem ex tali parte patere poſſe, ſemicertis indicijs ei detectis; quod intellige tantummodò, quando defectu certitudinis facti, Iudicialis Denunciatio non poteſt fieri. Veruntamen notandum (regulariter loquendo) Edictum, nec aliam legem fieri de his, quæ rarò contingunt; ſed de his quæ vt plurimum. *l. Nam ad ea, ff. de Legibus.*

DIFFICVLTAS III.
Denunciatio ſ. quæ fit vi Edicti Inquiſitoris, cur vocetur iudicialis?

RESpondeo quemadmodum Euangelica denunciatio ita appellatur, eo quod tẽdit ad

ad correptionem, de qua Euangelium: ita Iudicialis taliter vocatur, quoniam ad vindictam publicam ordinatur, parùmq; differt ab accuſatione, teſte *Marco Antonio Ianuanſe in Praxi Neapolitana cap.* 18.*nu.* 1.

Falſumq; eſt ita nominari, quia ſit facienda omiſſa correptione fraterna, vt quidam putarunt; ſed quia ob ipſam iudicialiter proceditur contra denunciatum; Nec verum eſt faciendã eſſe præuia correptione; ſed interdum correptio eſt facienda, interdum verò omittenda iuxta qualitatẽ delicti, exigentiam temporis, probabilitatem reſipiſcentiæ &c. prout infra Lib. ſexto videbitur.

Notandum itaq; illum, qui iam matura diſcuſſione aliquem denunciandum fore cognouit; non teneri præmittere correptionem fraternam: tum quia huiuſmodi præmonitio inanis eſſet: fruſtra .n. expectatur euentus, cuius nullus habetur effectus: iuxta *l. Non videtur ff. de Iudic.* tum quia ſic denunciandus illudi videretur, & occaſio quærelæ ipſi præberetur: faciunt, quæ tradit *Armilla, ver. Accuſatio, nu.* 3.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An denunciatio, omiſſa correptione fraternali, ſemper ſit facienda.

RESpondeo quemadmodum peccata ad ad S. Tribunal ſpectantia nõ ſunt eiuſdem grauitatis; ſed alia alijs grauiora: V. g. hæreſis, eiuſq; fauor alijs grauiora exiſtunt, cæteris paribus: ita nec eundem modũ in Denunciatione ſeruare tenemur: vt infra *tract. de Correptione fraterna*: nam ſi præmiſſa correptione bonum Reipub. vel Tertij innocentis periclitatur, minimè obſtantè periclitatione famæ, Rei omittenda eſt; quia prædictũ bonum priuato Rei præferendum eſt, teſte lumine naturæ ſuper nos ſignato: Quod ſi ex correptione præmiſſa nullo exponatur periculo publicum, nec priuatum bonum innocentis; tunc etiam fama Rei occulti ſeruari debet; ſi admittat correptionem; vel ſi crimen non eſt in damnum niſi ipſius Rei: qui item ſi correptionem fraternalem reſpuat, denunciari debet, non obſtante, quod crimen ſit occultũ, vel quod ſub ſigillo ſecreti naturalis fuerit exceptum: quia vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo, .s. vt procuret ſalutem proximi altero iſtorum modorum. Quinimmò multorum eſt ſententia, quod ſemper ſit omittenda correptio fraterna in caſibus S. Officij, quã ſecurius ſequeris: vide *Arſen. S. O. tract.* 1.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Cui interponenda eſt Denunciatio ſuſpecti de hæreſi; vt blaſphemi hæreticalis, an Ordinario loci, vel Inquiſitori contra hæreticam prauitatem.

SVpponendum eſt primò, Denunciaturũ eſſe in locis, vbi inſimul reperiũtur Epiſcopus, & Inquiſitor, vti Mediolani, Cremonæ, Bergomi, Brixiæ &c. & vbi Edictum Inquiſitionis euulgatur ſub nomine tàm Epiſcoporum, quàm Inquiſitorum, veluti ſit in dictis locis.

Supponendum eſt ſecundò Epiſcopum eſſe vi ſui officij Ordinarium quo ad omnes, & ſingulas cauſas ſpirituales in ſua Diœceſi: Inquiſitorem verò eſſe Delegatum ab Apoſtolica Sede contra hæreticam prauitatem præcisè reſpectu hæreſis, & ipſius ſuſpicionis, vt in primis notat *S. Thomas* 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. & poſt ipſum *Souſa in Aphor. Inquiſitorum, lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 2. *&c.* His habitis, Reſpondeo multis placere denunciationem fieri poſſe indifferenter, vz. tàm Ordinario, quàm Inquiſitori Delegato à Sede Apoſtolica: ita *Fagundez in ſecundum Eccleſiæ præceptum, lib.*4. *cap.* 3. *nu.*31. *Diana Reſol. moral. par.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 28. *Boſſius de Priuilegijs Iubilæi in appendice de Confeſſ. ſolicit. dub.* 30, *& nu.* 37, qui alios cumulat *Caſtrus Palaus in Oper. Moral, tractatu* 4, *diſp.* 9. *Cæſar Carena tract. de Officio S. Inquiſit. tit.* 9. §. 8. quorum ratio eſſe poteſt, quia fruſtra publicaretur Edictum ſub nomine etiã Epiſcopi, niſi ſibi quoque denunciatio fieri poſſet, in illo autem nullum ponitur verbum otioſum.

Alij ſentiunt dictam denunciationem præcisè Inquiſitoribus à Sede Apoſtolica faciendam fore. *Direct. Inquiſ. quæſ.* 52. *vbi Penna* 3. *par. Commen.* 101 *nu.*13. *Souſa vbi ſupra nu.* 11.

Mihi diſtinctione opus eſſe probatur: Procedit prior ſententia in caſibus in iure expreſſis: V. g. in caſ. ſolicit. Confeſſarij in confeſſione, vti conſtat ex *Bulla Gregorij XV. de Confeſſ. ſolicit. in confeſſione*; vel reſpectu conſuetudinis alicuius loci; vnde notat *Cæſar Carena vbi ſupra nu.* 39. *DD.* interdum loqui iuxta conſuetudinem Hiſpaniæ. Secunda verò eſt generalis. Quare ſententia prior præcisè obſeruari poteſt, vbi inoleuit conſuetudo, vt denunciatio fiat etiam Commiſſario, Secretario, aut Cõſultori S. Inquiſitionis, vt infra dicam: quia quo ad hoc Ordinarius loci, in dictis locis non eſt cenſendus inferioris conditionis prædictis.

DIFFICVLTAS II.

An Denunciatio etiam coram Commiſſario S. Officij, Secretario, aut Conſultore fieri poſſit.

REſpondet affirmatiuè *Ioannes Sanchez in Selectis diſp.* 11. *nu.* 66. *circa finem*, quod intellige prò locis, vbi talis inoleuit conſuetudo, vt ſupra innui: Verùm hi fideliter, & integrè delictum deferri debet; ratio autem eſt, tum quia obligatio deferendi delicta immediatè ad Delegatum Sedis Apoſt. foret onus graue abſque ſufficienti neceſſitate Denunciaturo iniunctum: tum quia in non deſiderantibus certam formam, vt in propoſito Denunciatio, nihil refert, quod æquipollenter fiat, *l. Si mater, C. de Inſtitut. l. Iulianus, ff. de Condit. & demonſ.* & tunc attendendum eſt primò, an conſuetudo huiuſmodi fuerit iam preſcripta, ſicut eſt rationalis: quia cõcurrente inſimul

vtraq;

vtraq; conditione tollit legem in contrarium, §, *Ex non ſcripto Inſtit. de iure naturali gentium, & ciuili cum ſimilibus, cap. Cleriti. de Iudi. cap. Conſuetudines, diſ. 11.*

Secundò proſpicere oportet, an taliter facta æquè publico bono, aut damnis tertij occurratur: nam his datis modus non curatur: iuxta legem, *Si Mater, C. de Inſtitut. & ſubſtit.* maximè, quod velim intelligas in propoſito, quando à lege Edicti modus non eſt expresſè reſtrictus, *argum. l. Cum hi, §. Si Prætor, ff. de Tranſact.* Hinc cenſeo, quod ſuæ ſatisfaceret conſcientiæ, qui deferret caſum alteri Commiſſario à deſignato: ex. gr. ſi Paulus, qui deberet deferre delictum Commiſſario vnius Vallis; deferret deſignato pro altera, ſub eodem tamen Delegato Sedis Apoſtolicæ: ne confundatur auctoritas, ſequaturque confuſio; Verum attendenda eſt regionis conſuetudo, *l. Si fundus 6. ff. de Euictionibus*: eſt .n. conſuetudo altera natura, *l. Si quis poſthumos 9. ff. de Liber. & poſthum. hæred. inſtit.* quod intellige in propoſito, niſi aliud ſuadeat rationabilis cauſa: æquitas .n. in hoc, alijsq; ſimilibus caſibus præfertur rigori, *l. Placuit, C. de Iudi. l. Diuus, C. de Reſtit. in integ. cap. Ponderet.*

DISTINCTIO SECVNDA, De cauſa materiali denunciationis, quæ ipſi denunciationi eſt intrinſeca.

Diuidimusq; hanc diſt. in duos articulos: In primo dicimus, quæ veniant denūcianda: In ſecundo ponimus ordinem in denunciatione ſeruandum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Quid generaliter venit S. Officio deferendum.

Reſpondeo, quod duo in genere Fidei Cenſoribus veniunt denuncianda, Primum: quicquid commiſſum, aut ommiſſum eſt contra Inquiſitoris Edictum; patet intuenti illud à linea prima vſq; ad decimam octauam. Alterum: quicquid commiſſum, vel omiſſum eſt contra Sac. Canones, Decreta, Conſtitutiones, & Bullas Sum. PP. ad S. Officium ſpectans; conſtat legenti Edictum, ibi, *Dichiarando, che per la predetta eſpreſsione de caſi da Noi ſpecificati da reuelarſi, nõ eſcludemo gli altri caſi ſpettāti al S. O. &c.*

Pro minus doctis aliqualiter practicatur dicta regula, ex qua ſequitur infra nominatos S. Officio eſſe deferendos.

Primò, Hæreticos Apoſtatas à Fide, Schiſmaticos interdum, vt infra de Schiſmate art. 3.

Secundò, Hæreticorum Credentes, Receptatores, Defenſores, Fautores, illosq; Sepelientes in loco ſacro.

Tertiò, Blaſphemantes hæreticaliter.

Quartò, Sortilegos, Diuinatores &c.

Quintò, Notarios, & Aduocatos, &c. patrocinantes Hæreticis, vt talibus. Impedientes Officium S. Inquiſitionis.

Sextò, Renuentes abiurare in cauſa fidei.

Septimò, Legentes, vel retinentes libros, aut ſcripta continentia hæreſes: aut libros Hæreticorum de religione pertractantes.

Octauò eos, qui in Presbyterátus gradu nō conſtituti, Miſſas celebrant, & Confeſſiones audiunt.

Nonò, Laicos de Fide diſputantes.

Decimò, Confeſſarios, qui in Sacramentali Confeſſione Pœnitentes, quod abſit, ad actus inhoneſtos ſolicitant. Legito *Souſa in Aphor. Inquiſitorum lib. 1. cap. 5. per totum*, qui ad ſingulos numeros affert authenticas comprobationes, & latius procedit.

DIFFICVLTAS II.
An Denunciandum ſit peccatum publicum; quando ex denunciatione in delinquente nulla ſperatur emendatio.

Ratio difficultatis eſt, quia nullus tenetur ad opus inutile: ordinatur autem denunciatio præter alios fines etiam ad ſalutem denunciandi, quæ, vt ſupponitur, nullatenus ſperatur.

Reſpondeo faciendam eſſe denunciationē delicti publici, licèt in delinquente nulla adſit ſpes emendationis; ratio eſt, tum quia cum publicum ſit peccatum; & item publicus ſit illius patrator, publicè quoq; eſt corripiendus: tum quia in publicis correptionibus ſemper fit fructus ſaltem in alijs: nam boni ædificantur, & in bono confirmantur; mali verò quaſi freno cohibentur à criminibus: quæ alioquin perpetrarent: ita *D. Thomas 2. 2. qu. 32. art. 6. in corpore. Arenaldus in tract. de Corrept. frater. concl. 5. Valerus de Differentijs vtriusq; fori, verb. Denunciatio, differentia 2 nu. 2.*

Nec obſtat obiectio in contrarium, quia Denunciatio non ſolum ordinatur ad emendationem delinquētis, ſed etiam ad illos fines, de quibus ſupra. Vnde Delinquentis emendatio non eſt totalis cauſa Denunciationis. Quare licèt ex denunciatione, illa non ſperetur; tamen cum ex ipſa alij boni habeantur effectus, non eſt omittenda: vtile .n. per inutile vitiari non debet, *l. Qui teſtamēto, ff. de Excuſat. tut. cap. Turbat. diſt. 37.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.
Edictum S. Inquiſitionis circa denunciationem caſuum ad ipſum ſpectantium quomodo intelligitur.

Reſpondeo intelligi ſeruato ordine, qui ab Euangelio præcipitur: nempè, vt ſi crimen ſit publicum, ſtatim denuncietur. Si vero id occultum corripiatur frater ſecretó, ſi adſint requiſita, quorum primum eſt, quòd ſpes ſubſit, vt fraterna correptio proficiat, ſi præmittatur denunciationi. ſecundum

quod

quod non ſit periculum fugæ. Tertium, quòd Reipublicæ Chriſtianæ, nec Tertio noceat; ſed hoc cum limitatione afferenda *lib. 6. par. 1. diſt. 2. art. 2. diff. 7. §. Quamuis caſus*, faciunt quæ habet *Barthol. Medina in Inſtructione Confeſſariorum lib. 1. cap. 14. Rodriquez part. 1. c. 34. nu. 6.* & notata per *Souſam in Aphor. Inquiſit. lib. 1. c. 34. nu. 57.*

Verùm de Hæreticis, & ipſorum Fautoribus, prout talibus regulariter nulla extat ſpes: nam qui non corripitur admonitione Eccleſiæ vniuerſalis, quomodo monitione alicuius particularis corripietur. *Pegna par. 2. ad Direct. Commen. 18. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 197. Sanctarellus item de Hæreſi, cap. 9. dub. 5. nu. 5. Suarez de Fide, diſp. 20. ſect. 4. num. 11.* Verùm; quod etiam hi prius veniant fraternè corripiendi; eſt ſatis probabile; dum ſit firma ſpes reſipiſcentiæ, vt infra *diſt. 1. art. 5. in fine*; tamen in denunciatione rigoroſius cū illis, quàm cum alijs procedi oportet, vt infra tradam.

Dices Euangelium nullam ponere diſtinctionem inter peccatum publicum, & ſecretū. Reſpondeo quod quamuis ab Euangelio nulla ponatur diſtinctio explicitè; ponitur tamen implicitè: quod patet, ſi attendantur verba illa, *Si peccauerit in te frater tuus: vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*: quaſi dicat, quia frater tuus non publicè, ſed ſolum te ſciente peccauit; ideò etiam ſolum inter te, & ipſum corripi debet, quam correptionem priuatam, ſi admittat, exiſtentibus ſupradictis requiſitis, denunciationem coram Prælato omittere poteſt. Vnde Edictum præcipiendo denunciationem quorumdam delictorum in perniciem Reipub. aut priuatorum Euangelio non aduerſatur: Nam illud præcipit denunciationē publicorum; Euangelium verò correptionem ſecretorum: quare, cum diuerſa via procedant, minimè ad inuicem pugnant.

DIFFICVLTAS II.

Edictum S. Inquiſitionis alicubi præcipiens denunciationem abſq; vlla conſultatione quomodo intelligendum.

Reſpondeo per huiuſmodi Edictum non prohiberi, quin in confeſſione liceat dubitanti conſilium petere à Confeſſario, quomodo ſe gerere debeat; vti aduertunt *Bannes 2. 2. quæſ. 33. art. 8. dub. 2. ad 7. Petrus à Nau. de Reſtitut. lib. 2. cap. 4. num. 21. Roder. Acbuna de Confeſſ. in confeſſ. ſolicitantibus, quæſt. 18. nu. 38. Paramus de Origine S. Inquiſitionis*, vide *Lib. 1. de cauſa materiali Edicti*: alienum quippe eſt ab hoc S. Tribunali nō minus, ac ab omni alio, vt quid fiat abſq; maturo conſilio, & prudentia: ſed intendit, primò, vt caueatur periculū, quod plerunque in mora contingere poteſt, ſecundò, vt conſilium ſolùm petatur ab his, qui nouerunt priuilegia in fauorem Fidei, quę plurima ſunt, vt patet apud *Royam de Singularibus Fidei, part. 1.*

Quare Edicta S. Inquiſitionis præcipientia, vt fiat Denunciatio, abſq; conſultatione, recto ſenſu, intelligi debent: nam illa minimè intendunt excludere omnem conſultationem, ſed irrationabilem, conſulendo, quos non oportet, illos. s. qui ſingularia Fidei ignorant, vt poſt alios notat *Ioan. Sanchez. in Selectis diſp. 11. nu. 57. & 58. & Arenalus de Correptione fraterna ab ipſo citatus, Caſtrus Palaus in Oper. mor. tom. 1. trac. 6. diſp. 3. punc. 14. nu. 11. Bannes 2. 2. qu. 33. art. 8. dub. 2. ad 7. argum.*

DIFFICVLTAS III.

An omnia, & ſingula in Edicto contenta ſub eodem rigore, eodemq; modo veniant denuncianda.

Opus eſt diſtinctione: vel intelligis quo ad incurſionem inobedientiæ, & excommunicationis; & ſic dicendum eſt omnia, & ſingula ſub eadem pæna denuncianda eſſe, quod ſatis patet in textu nullam ponente diſtinctionem: Vnde iuxta legalem regulam: Edictum generaliter loquens, generaliter eſt intelligendum: nam vi ipſius non incurritur in maiorem culpam, aut pænam ex omiſſione Denunciationis Hæretici, quam ſuſpecti præcisè. Vel intelligis reſpectu cuiuſq; iuris, nimirum Eccleſiaſtici, naturalis, & diuini; & ſic grauius peccat, qui omittit denunciare actualiter dogmatizantem, quam blaſphemantem: non .n. ſunt vnius grauitatis delicta S. Tribunalis, ſed diuerſæ, vt dicemus infra *Lib. 6.* alia alijs grauiora: vnde ſub diſcrimine vitæ tenetur quiſque denunciare Hæreticum actu dogmatizantem, ſic exigente Reipub. bono, quod ſecus eſt reſpectu præcisè ſuſpecti de hæreſi: v. g. Blaſphemi hæreticalis. Variatur etiam modus ex diuerſitate modi peccandi publicè, aut ſecretè: quare blaſphemus hæreticalis publicus immediatè vi Edicti denunciari debet: occultus verò non niſi poſt præmiſſam admonitionem, & non receptam.

Diuariatur itidem ratio, ſi alter peccet ex accidente, & alter ex conſuetudine. Item ſi alter peccet conſultò, & alter caſu, vt notat *Tiraquellus de pænis temperandis caſu 13.*

Item ſi alter ſubitò ſe retractet, & alter non, quia ſecundus maximè venit denunciandus, quod ſecus eſt de primò.

Denique mutatur ex bona, aut mala anteacta vita: quia malus ſemper præſumitur talis in eodem genere mali; quod ſecus eſt de illo, qui aliàs fuit bonæ, & honeſtæ conuerſationis. *Caſtrus Palaus loc. infra cit. vnà cum Lorca, Ricardo, & Suarez de Charitate, diſp. 8. ſec. 6. num. 6. ab ipſo citatis*; ponit differentiam inter peccata, quæ vergunt in damnum Tertij: & illa, quæ tantum peccanti nocent: nam ſecundum hos D.D. in peccatis damnum Tertio afferentibus ad hoc, vt prius denūciatione corripi habeant; requiritur moralis certitudo, ſeu ſpes prope modū certiſſima de ſubita correctione; quod ad hunc effectum tàm firma non requiritur

reſpectu

reſpectu peccatorum, quę nocent tantummodò peccanti, vti tradam infra *Lib. 6. Caſtrus Palaus in Oper. moral. tract. 6. diſp. 3. punc. 14. nu. 7.* Ratio etiam generalis harum diuariationum eſt, quia vbi maius periculum, ibi cautius eſt agendum, *l. 1. §. Si quis, ff. de Carbonario Edicto, l. Manifeſtiſſimi C. de Furtis.* Item grauius crimen grauiori pœna punitur. *Roder. Acbuna de Confeſſ. in confeſſione ſolic. qu. 11. nu. 4.*

DISTINCTIO TERTIA.

De denunciando, hoc eſt de materia remota Denunciationis.

Circa diſtinctionem hanc formabo tres articulos.

In primo ponam conuenientiam, & differentiam Denunciandorum.

In ſecundo ipſorum qualitates.

In tertio verò duas ſoluam difficultates.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Conuenientia, & differentia circa Denunciationem obſtrictorum caſibus S. Officij.

HAeretici actu dogmatizantes, ipſorumq; actualiter Fautores motiuo hæreſis, licèt occultis (non obſtantibus quibuſcunque) ſecundum generale ius placitũ veniunt ſtatim denunciandi.

Tum quia periculum eſt in mora.

Tum quia huiuſmodi perditi homines agũt in publicum damnũ Reipublicæ, quòd omni priuato præfertur, *cap. Bonæ, de poſtul. prælat. l. Vni, §. Ten. C. de Cadu. toll. cap. Scias, 7. qu. 1.* & faciunt adducta per *Magalum Inſtit. Peregrin. Confeſſ. lib. 1. cap. 5. num. 28.* vel in damnum innocentis, quod famæ nocentis præferendum eſt. Superſtitioſi, ſub quo nomine comprehenduntur Malefici, Venefici, Incantatores, Faſcinatores, cæteriq; arte diabolica nocentes, ſunt in duplici differentia, alij namq; ſunt in perniciem Reipublicæ, aut ſaltem tertij; alij verò ſunt tantum nocui ſibi; prioris generis ſecundum communiter DD. ſententiam, veniunt item deferendi S. Officio ſtatim ob allatas rationes, licèt ſint occulti, ſi malum ſit in fieri. Secundi verò generis præciſè poſt adhibitam correptionem, ſi non reſipiſcant, conſonat *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. quæſ. 6. pun. 1. n. 17. Magalius vbi ſupra n. 16. & 19. qui alios cumulat.*

Blaſphemi hæreticales occulti ſunt tractandi ſicut ſuperſtitioſi ſecundi generis, qui non peccant contra iuſtitiam; nam vbi eſt eadem ratio, idem quoque modus ſeruari debet. *l. Illud ff. ad l. Aquiliam*: excipitur tamen aliquibus DD. Blaſphemus, qui appenſatè, aut conſuetudine hæreticales euomit blaſphemias: cum quibus etiam ego ſto: nam cum hucuſque nõ ſe correxerit, quid boni ſperare poſſumus ex nouâ fraternali correptione?

Denique offendentes Miniſtros S. Tribunalis, eiq; reſiſtentes ſunt duarum ſpecierum: nam alij offendunt dictos Miniſtros, vt tales, alij verò vt priuatos inimicos.

Primi, ſi mala ſunt in fieri, ob aſſignatas rationes ſtatim veniunt denunciandi.

Secundi verò minimè.

Eademq; diſtinctio afferri poteſt reſpectu reſiſtentiũ Sancto Officio: alij ſanè reſiſtunt motiuo odij: alij præciſè, vt eripiant ſe à pœnis ſibi debitis; primi abſque dubio, ſi reſiſtentia eſt actualis, licèt occulti, veniunt denunciandi: ſecundi verò, ſi amplectantur correptionem minimè. Hæc eſt differentia. Verum tutius procedes in omnibus caſibus S. O. ſi omiſſa aliorum ſententia, ſequutus fueris placitum *Arſen. S. O. tract. 1.* docens omiſſionem fraternæ correptionis.

Conuenientia verò eſt multiplex: prima omnis caſus publicus venit ſtatim denũciãdus.

Secunda omnis caſus ratione moræ periculoſus item ſtatim denunciandus eſt.

Tertia omnis caſus in fieri in damnum Reipub. vel Tertij itidem illico denunciari debet.

Multi Doctores ſentiunt in omni caſu correctionem fraternam præmitti poſſe, ſi firma ſit ſpes, quod Reus reſipiſcat. *D. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. Durandus 4. ſenten. diſ. 19. quæſ. 4. Tol. lib. 4. cap. 5. nu. 1. &c.* quibus alij contradicunt reſpectu Hæreticorum, & Fautorum; cum quibus etiam ipſe ſum; quia cum monitionem Eccleſiæ non attendant, neque priuati monitionem attendent. Verùm non eſt omninò reſpuenda pars oppoſita; quia vox eſt efficacior ſcriptura, & interdum contingit in puncto, quod non contingit in anno.

Quartò, in dubio reſipiſcentiæ veniunt denunciandi, licèt occulti, *Nald. verb. Correctio, nu. 5. ad mentem Sot., & Nau. in Manuali cap. 24. ad fin. Arſen. S. Inquiſ. part. 10. art. 21.* ratio eſt, quia poſſeſſio ſtat pro Edicto denunciationem præcipiente.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quas qualitates in Denunciando attendere debemus in caſu dubio.

NOtandum eſt, ſi cognoſcitur bonæ cõſcientiæ, aut bonæ famę ex ipſius factis antecedẽtibus, & potius timidus, quam pręſumptuoſus; pręſumendum eſt, tàm maledictum, quàm malefactum magis contigiſſe ex errore, ignorantia, inaduertentia, lubricitate, quam ex dolo, aut malitia; quod ſecùs dicendum eſt, ſi ex præcedentibus operibus, aut dictis ipſius agnoſceretur malę vitę, & abſq; Dei timore: nam omnia munda mundis: coinquinatis verò omnia, item coinquinata, vt docet *Paulus ad Titum cap. 1.*, ſicut .n. ſe habet oppoſitum in oppoſito; ita propoſitũ in propoſito, & iuxta dictas qualitates reguianda eſt correptio, & denunciatio, & ſic interdùm facienda, & interdùm omittenda.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

An deferendus Cenſoribus fidei de crimine debeat prius laborare infamia.

RESpondet *Rodericus Achuna trac. de Confeſſ. in confeſſ. ſolicit. quaſt.* 4. 9. 33. negatiuè; cuius ratio eſt, quia in cauſa hæreſis vrgentia indicia, grauisq; ſuſpicio ſunt loco infamiæ. *Simancas de Cath. inſtit. cap.* 44. *num.* 9, *Auenda reſponſ.* 31., *Nau. in cap. Inter verba, concl.* 6. *nu.* 296. Hinc ſequitur non eſſe recipiendam doctrinam *Deciani tom.* 1. tradentis non poſſe in cauſa hæreſis procedi ſine infamia, ſi ſpecialiter contra aliquem inquiratur, vide dicta *diſt.* 1. *art.* 1. *diff.* 1. *vide ſupra lib.* 4. *diſt.* 1.

DIFFICVLTAS III.

An requiratur, vt Denunciandus ſit ſuſpectus hæreſis de vehementi, aut ſufficiat de leui. Remiſſiuè infra, Part. 2. lib. 14. diſt. 1. art. 2. diff. vnica, vbi de hæreſi S. Tribun. deferenda.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An abſolutus à S. Pontifice per viam Gratiæ, aut Diſpenſationis denunciari, aut accuſari poſſit.

REſpondetur negatiuè, quod intellige præciſè reſpectu delicti illa vice patrati, faciunt, quæ habet *Siman. de Cath. inſtit. tit.* 3. *nu.* 7., *Farinac. de Hæreſ. quaſ.* 185. *nu.* 109., *Souſ. in Aphor. Inquiſ. lib.* 2. *c.* 37. *n.* 10. & nouiſſimè *Trullench. in Exp. Decal. lib.* 1. *c.* 3. *dub.* 5. *num.* 8. ratio eſt quia, quemadmodum Reus ſemel condemnatus pro delicto tali anno, menſe, hebdomada, die, hora &c. patrato iterùm non condemnatur: ita ſemel abſolutus ſiue per Gratiam, ſiue per Diſpenſationem iterum in iudicium non trahitur, etiam ſi ab alio accuſatio, ſeu denũciatio refricetur, quod obſeruandum tradunt *Criminaliſtæ*, *& notat Rod. Ach. de Conf. in conf. ſolicit. q.* 3. *n.* 11. *&* 12. *niſi prout infra ſeq. diff.*

DIFFICVLTAS II.

An iam iudicialiter punitus, iterum denunciari debeat.

RAtio difficultatis eſt, quia paſſim in cauſa hæreſis abſolutus per Gratiam, ſiue iudicialiter condemnatus, ſuperueniente probatione noui delicti, ſeu eiuſdem cum nouis circunſtantijs, quæ meritò variare debeant primum iudicium, iterum condemnari debet, latè *Royas de Hæreticis*, 2. *part. aſſert.* 49. *&* 50. in hac cauſa autem proceditur ad inſtar hæreticæ prauitatis, vt patet ex Decretis, & Breuibus Pontificijs S. Tribunali conceſſis.

Putò veriùs dici neminem teneri deferre iam de crimine pro illa vice punitum, ſi de emendatione ipſius ſibi conſtet: conſtat autẽ emendatio, tàm ſi Reus fuit condemnatus, & punitus, quàm ſi fuit abſolutus; nam in Abiuratione, quæ condemnationi præmittitur; promiſit de cætero omnino cauere, cui par eſt credere, quod etiam ius ſupponit.

Idemq; credendum eſt in caſu, quò fuerit abſolutus. Legendus eſt *Rodericus Achuna in ſimili, tractatu de Confeſſore in confeſſione ſolic. qu.* 3. *nu.* 12. *vbi Freitas idem comprobat. nu.* 34.

Nec obſtat ratio difficultatis de Hæretico iam condemnato; quia in eo caſu agitur de iudicio Inquiſitorum repetendo ex probatione noui delicti, aut nouarum circunſtantiarũ, vt ſupra; nos autem agimus, an extet obligatio deferendi iam punitum: ita *Freitas loc. cit. in ſimili de Confeſſario, qui ſolicitauerat in confeſſione, iam punito, nu.* 34. idemq; dicendum, quando ob defectum probationis fuit abſolutus. Verùm, ſi punitus perſeueret in delicto procul dubiò deferendus, vt docet in ſimili idem *Freitas vbi ſupra.*

DIFFICVLTAS III.

Denunciandus an ſit S. Officio ille, quem certò nouimus tempore præſcripto denunciationem omiſiſſe.

NON quærimus hic, ſi teneamur ſupplere defectum omittentis Denunciationẽ, quia conſtat, vnumquemque teneri ad cõſeruationem boni publici pro quanto in ſe eſt, vtpotè pars corporis myſtici Eccleſiæ, & conſequenter ad denunciationem per quam conſeruatur; ſed quærimus, ſi obligemur deferre, qui omiſit denunciare. Notandum hanc difficultatem coincidere cum illa, An omittens denunciare de hæreſi ſuſpectum reddatur ipſe ſuſpectus.

Satisfacio difficultati diſtinctione. Vel omiſſio Denunciationis eſt reſpectu hæretici: vel reſpectu præciſè ſuſpecti de hæreſi.

Omittens Denunciare ſolummodo de hæreſi ſuſpectum non euadit ſuſpectus; & proinde non venit denũciandus, quia nec præſumptio ex præſũptione, nec ſuſpicio ex ſuſpicione oritur; alioquin daretur proceſſus in infinitũ:

Omittens verò Denunciare Hæreticum ad minus de læui eſt ſuſpectus.

Verùm ob huiuſmodi ſuſpicionem non tenemur quemquam denunciare, videndus eſt *Royas, Singulare* 3. *num.* 18. *Trullench. in Expoſit. Decalogi, lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 6. *nu.* 25. *Suarez. tract. de Fide, diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 28. Sed hoc intelligendum eſt, niſi aliæ circumſtantiæ inducant ad ſuſpicandum de vehementi, aut violenti, vt ſi etiam in iudicio interrogatus nulla exiſtente cauſa ſcienter negauit veritatem. *Royas, Penna, Farinacius citati à Coſtro Palao de Hæreſi, tract.* 4. *diſp.* 3. *punc.* 4. *nu. vltimo*, *Trullench. vbi ſupra.* Vel teneatur ex Officio denunciare, ad differentiam illius, qui tenetur tantum ex præcepto Edicti S. Inquiſitionis.

Vide infra diſt. 9. *art.* 3. *diff.* 1. *&* 2. *item part.* 2. *lib.* 5. *diſt.* 6. vbi per totum agitur de denunciando ratione ſuſpicionis hæreſis: *itidem infra part.* 1. *lib.* 5. vbi de denunciatione in ſpecie:

DISTINCTIO QVARTA.

De cauſa formali denunciationis.

Diuidimus hanc in tres articulos.

Quorum alter reſpicit fiduciam, qua Denunciaturus ad Inquiſ. accedere debet.

Alter verò reſpicit modum deferendi Denunciationem.

Tertius verò enodat emergentem difficultatem circa formam denunciationis.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Denunciaturus an magna cum fiducia ad Inquiſitorem accedere debeat.

RESpondeo affirmatiuè, attentis qualitatibus, quibus præſumuntur prædicti Inquiſitores, nimirùm ſigillo ſecreti, ſcientia, prudentia, dexteritate &c. Quod autem hæ prẹſto ſint illis, deſumitur non obſcurè ex initio, medio, & fine cauſarum quas tractant: patet primò ex principio; Inquiſitor nanque non inſtituit Inquiſitionē aliquam particularem ex ſola notitia habita per Epiſtolam, vel libellum in occulto datum ſine auctore; quinimmo nec teſtes ibi nominatos interrogat: faciunt, quæ habet *Clarus, §. fin. qu. 5. nu. 4. Leſſius lib. 2. de Iuſtitia, cap. 29. dub. 15. num. 136. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 185. §. 5. nu. 68.* ſecundò ex medio, vz. receptione Denunciationis: Denuncianti enim dat iuramentum de veritate dicenda; interrogat de tempore, & loco commiſſi criminis, quoties patratum fuerit, quibus circunſtantijs, qui ſciant, & qua ratione &c. *Eymericus 3. par. Directi. num. 68. Souſa in Aphoriſmis Inquiſitorum, lib. 2. cap. 4. nu. 4* tertiò ex proſecutione Denunciationis: nam cum cauſa per Denunciatórem introducitur, non ſtatim præſumit contra Reum; ſed attendit, an inſurgat indicium, quod ſi læuè extiterit, læuis eſt eius ſuſpicio, ſi deinde fortius, fortiori modo ſuſpicatur, quod ſi maius inſurgat indicium etiam maior inſurgit eius ſuſpicio: nam iuxta gradus probationum inclinatur plus, minusuè: hocq; modo inſtruitur in *l. Admonendi, ff. de Iure iuran.*

Quartò, denique ex fine, qui non eſt alius niſi ſalus Chriſtianæ religionis, & denunciati, exemplorum malorum euitatio, *l. Obſeruandam 47. ff. de Iudicijs*, item, vt facta malorum bonis non noceant. *l. fin. ff. ad Senat. Syllian.* itidem, vt boni manu teneantur in eorū ſtatu, iſti .n. permanent in innocentia non ſolū præmiorū promiſſione, ſed etiam metu pænarū.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Denunciationis apud S. Trib. facienda formula, ſeu praxis.

EGO N. poſito etiam cognomine, & patria, denuncio Paternitati tuæ Reuerendiſſimæ die N. menſe N. anno N. V. g. Ludouicum de N. tale maleficium, ex. gr. blaſphemiam hæreticalem euomiſſe; idq; noſſe N. de N., & N. de N. ita vſus obſeruat, vt tradit *Angelus tract. de Malef. verſ. Nec ad Denunciationem, nu. 20. Iulius Clarus in Practica crimin. §. fin. quaſt. 7. verſ. Quæro nunc &c. Pegna ſuper Direct. Inquiſit. par. 3. Commen. 15.*

Debet inſuper fieri cum iuramento, & ſubſcriptione ipſius Denunciantis, quia in cauſis fidei habetur pro teſte. *c. In omni negotio. de Teſt.*

Verùm, ſi Denunciator nullum manifeſtauerit teſtem, ſcribit tantum nomen ſuum; & deinde Fiſcalis fungens officio Denunciatoris crimen Iudici .s. Inquiſitori denunciat; & qui prius denunciauerat, tunc in iudicium vocatur, tanquam teſtis, vt totam rei veritatem aperiat, impoſito item ipſi præcepto de veritate dicenda: vide *Azor. Inſtit. Moral. par. 1. lib. 8. cap. 19. circa finem.*

Quæ praxis, licèt nonnullis nimis rigoroſa appareat: tribus tamen congruentiſſimis nititur rationibus, quarum duæ primæ ſunt alijs Tribunalibus communes. Prima eſt, quia, cū Inquiſitor ſit conſtitutus Iudex inter Actorē, & Reum, & ipſius memoria lubrica eſſe poſſit, cunctorumq; verborum vtriuſque partis vſq; ad diffinitiuam ſententiam difficile ſit recordari; idcircò opus eſt ſcriptura, qua appareant per ordinem requiſita ad proceſſum, contra *Gryſaldum in deciſ. Fidei Cath. & Apoſt. verb. Denunciatio*, qui tamen non loquitur in ſpecie de Denunciatione, quæ fit in S. Officio, ſed in genere: item contra *Palaum loc. infra citando.*

Altera eſt, quia ſi nomen Denunciantis non manifeſtetur, tertiæ perſonæ, ſeu Reipublicæ damnis minimè occurri poteſt: nam iura ad Inquiſitionem per occultas cedulas procedi diuetant, *cap. Vt Inquiſitioni. de Accuſat.*

Tertia verò, quæ eſt propria cauſarum Fidei, eſt; quia Denunciator pro teſte habetur, *c. In omni negotio. de Teſtibus*; teſtium autem depoſitiones ſunt ſcribendæ, vt probent. *cap. Quoniam contra. de Probat.* & qualitas perſonæ, teſtis dictum, modusq; deponendi conſideranda ſunt, *l. 3. ff. de Teſtibus*, quæ ſine ſcriptura nō facilè fiunt, videnda eſt *Practica Marci Ant. Ianuen. cap. 18. n. 2.* legendus eſt *Vmbertus Locatus*, qui in iudiciali Inquiſit. circa finem, vbi de formulis S. O. duas tradit formulas de Denunciatione in S. Tribunali facienda, *Caſtrus Palaus in Opere Morali tract. 4. diſp. 3. puncto 4. num. 3.* docens poſſe fieri tàm verbo, quàm ſcripto prout Denuncianti placuerit, *Iulius Clarus in Pract. Crimin. §. fin. quæſt. 7. verſ. Vlterius quæro in fine.* Neque eſt neceſſarium, vt fiat coram teſtibus: ſufficit .n. ſi Inquiſitor medio Secretario illam recipiat.

DIFFICVLTAS II.

An pœnitens ex iuſta cauſa, vt vitandi ſcandali, aut infamia, per ſuum Confeſſarium denunciare poſſit.

SAtisfacit difficultati *Lazarius Can. quæſtionum, de Blaſphemia, quæſ. 12. nu. 65. Zerola in*

Praxi Sacram. Pœnitentiæ, cap. 21. Quæritur 78. & alij reſpondētes affirmatiuè, nimirùm, quòd poteſt nedum per Confeſſorem; ſed etiam per certum hominem ad Inquiſitorem miſſum; quemadmodum in primis obſeruare poſſunt Moniales, cum ex vna parte exire è Monaſterio illis non liceat; & ex altera non minus alijs denunciare teneantur, vt patet tum ex Edicto Inquiſitorum: ibi. *Commandiamo à tutti, & à ciaſcheduna perſona di noſtra giuriſdittione di qualunque Conditione, Stato, Grado, Dignità tanto Eccleſiaſtica come mondana*: tum ex DD. *placito, & maximè Lazarij loc. cit.*

Aduertat tamen Cōfeſſarius ſummam cautionem ſibi adhibendam eſſe; ne hac denunciatione præter delictum ſibi ſecretò commiſſum; aliud non ſibi commiſſum Inquiſitori detegat, quia ſic confeſſionis ſacramentalis reuelator exiſteret: Quare conſultius foret, ſi Confeſſarius à Pœnitente extra cōfeſſionem mandatum acciperet, quòd notat *Comitolus lib. 4. quæſt. 7. in fine*, licet non ſit neceſſe, vt extra illam detur, vt de probabiliori ſententia tradit *Martinus Delrius, tom. 3. Diſquiſ. Magicarum lib. 6. cap. 1. ſect. 2.*

Verùm mihi magis probatur, vt in tali contingentia infraſcripta forma ſeruetur, quam quondam Inquiſitor huiuſce Diœceſis cuidam Confeſſario tradidit. Confeſſarius conſulat Inquiſitorem petendo ab ipſo facultatem interrogandi iuridicè pœnitentem de caſu contingente, qua obtenta, formetur denunciatio hoc modo.

Formula recipiendi denunciationem à Confeſſario, ſeu ab alio Deputato Commiſſario in prædictis ſcandali, infamiæ &c. periculis.

N. Dimiſſa à Confeſſario, qui noluit illam abſoluere, niſi denunciaret, ex commiſſione ſpeciali Reuerendiſs. P. Inquiſitoris Diœceſis, v. g. Bergomi ſponte comparuit coram Presbytero N. à quo ei delato iuramento; ipſa pro exoneratione ſuæ conſcientiæ denunciauit N. prout infra continetur. Verùm ſi generalis Inquiſitor contra hæreticam prauitatem Commiſſario tradat ſpecialem formam, illam punctualiter ſeruabit; quia per ſpeciem generi derogatur: iuxta *l. in toto, ff. de Reg. iur. l. Seruis Vrbanis, ff. de Fundo inſtruc.* Si ipſe Confeſſarius deputetur à Reuerendiſs. Patre Inquiſitore Commiſſarius ad hunc effectum; omiſſa illa prima clauſula .s. N. dimiſſa à Confeſſario &c. incipiet formulā denunciationis ab illis verbis:

Ex commiſsione ſpeciali Reuerendiſs. P. Inquiſitoris Diœceſ. &c.

DIFFICVLTAS III.

Qualem formam in denunciatione ſequi debet Virgo nobilis, & item Monialis, ſi (quod abſit) à Confeſſario ſolicitetur in actu confeſsionis ante, vel poſt immediatè &c.

Ratio difficultatis eſt, quia dictæ Virgines oculis mundanorum, quibus omnia ſapiunt carnem; mediante tali acceſſu in aliquo crimine ſuſpectæ redduntur. Dixi oculis mundanorum; quia oculis iuſtorum omnia ſunt munda: iuxta illud vulgatum; *mundis corde omnia munda*: ſunt .n. aliæ cauſæ præter illam denunciationis, ob quas tam Virgines ſæculares, quàm Moniales habere poſſunt recurſum ad Reuerendiſs. Inquiſitorem: v. gr. ob ſcrupulos in materia Fidei, ob dubium ſuperſtitionis circa aliquod factum &c.

Modus talis eſſe poteſt, vt mittat alium Confeſſarium à ſolicitante: vel quempiam ex parentibus ad Inquiſitorem, vt pro dignis cauſis complaceat delegare alicui facultatem, vt ſuæ conſcientiæ ſatisfacere queat, qui excipiendo Denunciationem ſupra poſitam, obſeruabit formam, niſi ipſi aliqua ſpecialis (vt ſupra dictum eſt) præſcribatur; vt depoſitio deſeruiat pro effectu à S. Tribunali intento, alias nullis foret; faciunt annotata per *Lazar. de ſolicit. quæſ. 11. num. 63. Portel. in addit. ad dubia regularia, ver. Solicitare fœminas, nu. 12.*

Poteſt quoque ipſemet Inquiſitor ire, vel alij committere hoc munus eundi domum perſonæ denunciaturæ, excipiendiq; eius depoſitionem. Verùm Inquiſitor attendat, an expediat, vt ipſe vadat: ne ex ſuo acceſſu denunciandus ſuſpicetur factum, arripiatq; fugam: *Arſen. par. 2. pag. 28.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An in forma denunciationis, quando crimini remedium ſatis opportunum adhiberi poteſt ſolummodo manifeſtando crimen, delinquentis nomen ſubticeri poſſit.

Ratio difficultatis eſſe poteſt: quia Charitas obligat medicinam adhiberi Delinquenti, velut moraliter infirmo cū minori qua poſſit iactura, vt notat *Palaus loc. infra citan. ex mente aliquorum DD.*

Admodum controuerſantur ad inuicem Doctores circa hanc difficultatem; alij ſequētes partem affirmatiuam, alij negatiuam: affirmantes nituntur his rationibus, prima, quia alterius fama abſque vrgente neceſſitate non eſt maculanda: altera, quia quòd poteſt fieri per pauciora æquè benè, non debet fieri per plura: ſupponunt autem, æquè benè poſſe occurri crimini hoc modo, ita *Megalus par. 1. Inſtit. Peregrin. lib. 1. cap. 5. nu. 15. D. Thom. loc. infra cit.*

Quinimmo addunt tunc neceſſariò ſubticendum eſſe nomen Delinquentis; quando detecto ſub oritura forent grauiora incommoda; quam alioquin orirentur ſuppreſſo, nam remedia ſunt ordinata ad tollendum, vel ſaltem alleuiandum malum, quæ ſi bono publico ſint potius nocua, conſultius omittuntur pro tunc; hinc Pater familias prohibuit ſeruis ſuis, ne eradicarent Zizania, cum adhuc non foret opportunum: *Sinite creſcere vſque ad meſſem tritico coniuncta, ne cum Zizania eradicetis ſimul, & triticum; tempore autem meſſis dicam meſſoribus, colligite primum Zizania &c.*

Ne-

Negantes fundantur in hac validiſſima ratione, .s. quod Denunciatio vtiliter fieri debet; non fit autem taliter, niſi Delinquentis nomen detegendo: ordinatur enim ad vindictam publicam; vt pęnarum metu homines benè viuant, bonumq; publicum non perturbetur: non poſſunt autem mala publicè vindicari: nec remedium apponi, niſi nomen, & cognomen Delinquentis, & Denunciantis exprimatur. *D. Thom. 2. 2. quæſ. 33. art. 7. & quæſ. 268. art. 1. Sot. de Iuſt. & iur. lib. 5. quæſ. 5. art. 1. & de Ratione tegendi ſecretum, mem. 2. quæſ. 6. Marcus Antonius Genuen. in Praxi Neapolit. cap. 18. nu. 1. Summa Hoſtien. de Denunciatione, §. Qualiter.* quinimmo addunt *Zecchius de Caſibus reſer. caſ. 2. Lazarius de Blaſph. quæſ. 12. num. 74. & Genu. vbi ſupra*, denunciationem non recipi, niſi dicto modo fiat, & denuncians cum iuramento examinetur.

Prima opinio in aliquo caſu (prudentia dictante) amplecti poteſt. Secunda verò regulariter eſt amplectenda. Prima ſequitur præciſè ius naturæ: altera verò ius humanũ; quatenus declarat naturale, & illi addit, quod opportunum eſt: hinc conſultò in calce Edicti S. Inquiſitionis additur ſequens notandum. *Auertendo, che à queſti noſtri precetti non ſodisfaranno, ne s'intendono ſodisfare quelli, che con bolettini, ò lettere ſenza nome, & cognome delli Autori, ò in altra maniera incerti, de quali niuno conto ſi tiene nel Santo Officio, pretendeſſero riuelare i delinquenti.* Vnde renuens taliter denunciare, à Confeſſario minimè abſolui debet ſtando in ſecunda ſententia: quia aliter ſe habens inutiliter denunciat, vti ſuppono.

Ad rationem verò dubitandi, dicendum eſt primò, quod regula illa vz. Charitas obligat &c. non procedit in crimine hæreſis ad dicta *Caſtri Palai in Opere Morali tract. 6. diſp. 3. punc. 14. num. 8.*

Reſpectu verò aliorum criminum ſuſpicionem hæreſis redolentium, item non procedit tum ob allatam rationem in ſententia negantium; tum quia Iudex fidei abſque ſtabili fundamento non mouetur ad ea, quæ ſui officij, etiam ſi in Schedula Denunciationis ad ipſum tranſmiſſa, teſtes aliqui fuerint nominati, vt ſupra innui, quod in primis obſeruo cum *Caſtro Palao in Oper. Mor. tract. 4. diſp. 3. punc. 4. nu. 3.* Quinimmo nec ad hoc tenetur, vtpotè opus inutile, conſtat, tum quia fruſtra quæritur de eo, quod nullum operatur effectum; tum quia fruſtratoria remedia lex non introducit.

Notandumq; non dari remedium ſatis opportunum crimini publico; niſi etiam publicè ſatisfiat Reipub. iam per tale crimen offenſæ: & niſi inſimul etiam occurratur periculis probabiliter inſtantibus, & damnis iam illatis.

DISTINCTIO QVINTA.

De cauſa efficiente Denunciationis .s. de Denunciante.

De hac quatuor formantur articuli.

Primus, reſpicit Denunciantis obligationẽ.

Secundus, obligationis tempus.

Tertius, obligationem Offenſi reſpectu offendentis, & ſui ipſius.

Quartus, tres ſoluit difficultates.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An perſonæ à Denunciatione in alijs Tribunalibus exemptæ, ab hac eximantur.

REſpondent aliqui negatiuè; ſi aliæ, quæ hoc munus obeant, non reperiantur, hinc fit, vt quamuis pupilli, & minores abſque Curatorum, aut Tutorum facultate aliquem accuſare nõ poſſint; (cum tamen his temporibus loco accuſationis denunciatio ſucceſſerit) Quilibet indiſtinctè ad denunciandum admittitur, vt videre eſt apud *Arſenale S. Inquiſ. par. 10. art. 182. Lucernam Inquiſ. verb. Teſtes. nu. 17. Marcum Antonium Genuenſem in Praxi Neap. c. 68. Homobonum de Caſibus reſer. par. 2. caſ. 1. ibi, Quinam denunciare teneantur.* Vnde etiam aliqui inferunt, quòd filius patrem hæreticales blaſphemias ex conſuetudine proferentem, frater fratrẽ, vxor virum denunciare tenetur; quorum ratio eſt, quia crimen hoc melius per domeſticos, quã per alios probari poſſit; Verùm hanc ſententiam in praxi non facilè ſequendã arbitror, niſi in caſibus actualis diſſeminationis hæreſum, aut actualis fautoriæ ipſarum, & ſimilium delictorum in iure expreſſorum, vti dicam Diff. proxima: tum quia cognati ad hoc à iure non coguntur: tum quia pater, & filius, maritus, & vxor, & fratres inter ſe cenſentur vna, & eadem perſona; iure autem naturali repugnat ſeipſum apud Iudices accuſare: ergo &c. *l. fin. C. de Impuber., & alijs ſubſtit. Ariſt. lib. 5. Eth. c. 6. Martinus de Cognat. Spirit. Homob. de Caſibus reſer. vbi ſup., & alij*: tum ẽt quia plurima damna ſequi poſſent. An verò admittantur Socij criminis, periurij, infames. Reſpondetur affirmatiuè, cum *cap. In fauorem Fidei, de Hæret. in 6.*

DIFFICVLTAS II.

An filius contra patrem actu dogmatizantem ſtare teneatur, ipſum denunciando, aut contra ipſum teſtimonium ferendo.

RAtio difficultatis eſt, quia quando propinqui, & extranei inſimul in eadem reperiuntur extrema neceſſitate, cæteris paribus propinquis potius tenemur ſubuenire, maximèq; conſanguineis in primo gradu, qualis eſt Pater reſpectu filij: At in propoſito reperitur ex vna parte in extremo damnationis pericu-

lo Pater, & ex altera periclitatio Fidei Catholicæ reſpectu ſui, vel aliorum in loco, vbi ejus Pater dogmatizat.

Reſpondeo filium procul dubiò teneri in hoc caſu ad denunciandnm S. O. proprium Patrem; licèt ex huiuſmodi denunciatione totius ſuæ familiæ damnum concurrat.

Ratio eſt, tum quia concurrentibus inſimul duobus damnis, quorum alterum altero eſt grauius, illud grauius euitari oportet, ita dictãte iure naturæ: grauius autem damnum eſt vniuerſale Reipub., quam particulare vnius perſonæ, aut familiæ, notum eſt.

Dices, pietatem obſeruantiæ præferendam eſſe, cum ſit virtus illa maior: ſed obſeruantia reſpicit fidem, & pietas parentes ſubueniendos: ergo filius potius erga Parentes pietatẽ exercere tenetur, quam obſeruantiam erga fidem. Reſpondeo obſeruantiam dupliciter conſiderari poſſe, vel in ſua generalitate, vel quatenus contractam, ſeu coniunctam fidei conſeruationi; in ſua generalitate quidem cõcedo eſſe pietate minorem; ſed non quatenus eſt contracta ad fidem.

Vnde filius, ſi videat Patrem contra Fidem dimicantem eum occidere poteſt, vt ſaluetur fides; cum ceſſet pietatis obligatio in tali contingentia.

Verùm Pater bannitus, vtpotè Reipub. infeſtus, licèt ab extraneis occidi poſſit; ſecus tamen à propinquis, maximè in primo gradu, qualis eſt filius; cuius ratio eſt, quia in hoc caſu filius nullatenus obligationem erga patrem habere deſinit: faciunt tradita per *Iulium Clarum in Praxi Crim. lib. 5. Bonac. de Contract. diſput. 2. quæſt. vltima ſect. 1. punc. 2. nu. 3. Decium in cap. 2. num. 7. de Officio Deleg. Nau. in Prac. Decal. cap. 14. de 4. Prac. nu. 13.*

Dixi quòd poteſt licitè dicto caſu occidere Patrem, nõ tamen obinde obligatur in ſententia aliquorũ DD. Sic filius poteſt ſanè patrem accuſare de crimine, vel in Regem, vel in Remp. tamen ad hoc minimè tenetur, quod notãt in terminis. *Decius loc. cit. & Nau. vbi ſup.*

Ego verò addo, in caſu, quo fides periclitaretur, & aliter ſuſtineri non poſſet, quam occidendo patrem, quod filius ad illius occiſionem teneretur, quia ſtrictior eſt obligatio in Deum, quam in patrem, aut matrem, iuxta illud Euangelicum: *Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquã me, non eſt me dignus*, & à fortiori tenetur illum denunciare, & contra ipſum teſtimonium ferre: nam manutenentia fidei eſt prẹſtantius bonum manutenentia ſui parentis: lege *Vmbertum Locatum in Iudiciali Inquiſitorum in quæſt. Operi additis quæſ. 5.* Altera item pars difficultatis reſoluitur à fortiori affirmatiuè: nam minus eſt ſtare contra proprium Patrem teſtimonium ferendo, quam contra ipſum ſtare denunciando: nam teſtes, cum ſint ſignanter, & iudicialiter vocati. Denunciatores verò, vt plurimum ſint tantum Edicto generaliter admoniti; illi iſtis magis inuoluntarij ſtant contra Patrem.

DIFFICVLTAS III.

Qui nouit Edictum fundari in præſumptione, & ſimul nouit præſumptionem in caſu contingente deficere: V. gr. N. apud ſe retinere inaduertenter, aut inculpabiliter libros Hæreticorum de Religione tractantes; an omiſſa correptione fraternali illum denunciare teneatur.

RESpondeo Doctores ad inuicem controuerſari, vti præcipuè conſtat apud *Rodericum Achuna de Solicit. in Confeſſ. quæſ. 21. n. 26. & apud Ioan. Egidium Trullench. in Exp. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. nu. 36.* Negantes fundant ſuam intentionem in hoc vniuerſali axiomate; lex in præſumptione fundata non obligat in conſcientia, ſi veritas ſit in oppoſitum; *cap. Humanæ aures, 22. quæſ. 5. cap. Tua; & cap. Is qui de Sponſalibus, cum ibi annotatis per DD.* Affirmantes verò hac nituntur ratione, nimirum quòd iudicium diſcernendi circa ſuſpicionem de Fide non competit alijs ab Inquiſitoribus; lege *Carenam tract. 4. de Off. S. Inquiſ. par. 2. tit. 9. §. 7. nu. 34.* Ego exiſtimo diſtinctione omnino opus eſſe: ſi manifeſtè conſtat probabilibus argumentis: vel ratione conuincente de rei veritate, & conſequenter de præſumpti carentia; tutè ſequi potes ſententiam negatiuã, quia innocens non debet trahi ad ſupplicium: Si verò ſuboritur dubium de præſumpti defectu, cenſeo ſequendam affirmatiuam; quia in dubio poſſeſſio ſtat pro Edicto; & hac diſtinctione læui negotio conciliantur DD. eſt mecum *Valerus de Diff. vtriuſque fori, verb. Hæreſis, diff. 1. nu. 4. Riccius par. 3. deciſ. 278. num. 6. Diana de Denunciat. reſol. 10. Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. nu. 36.*

Verùm vnum venit longè notandum, videlicet, quod non valet argumentum; ceſſat Edictum in hoc caſu: ergo ceſſat in omnibus, ceſſat in hoc loco ob cauſam ab epicheia exceptam: ergo in omnibus alijs: item ceſſat in hoc tempore: ergo pro omni tempore: argumentum enim à parte ad totum non procedit; nec ius ſpeciale legem conſtituit vniuerſalem.

Præterea, quando per Edictum multa præcepta dantur, ſicut contingit in noſtro Bergomi euulgato, & cauſa totalis reſpectu vnius ſolius ceſſat; etiam obligatio tantum reſpectu illius ceſſat, modo præceptum illud ab alijs ſit ſeparabile; *Suarez de Legibus lib. 6. cap. 9. nu. 3. Bonac. de Legib. diſp. 1. q. 1. pun. 1. vlt. §. 2. n. 2.*

DIFFICVLTAS IV.

An quiſque ad Denunciationem æqualiter obligetur, & quomodo.

REſpondetur negatiuè: nam aliqui tenentur nedum ex præcepto Inquiſitorum; ſed etiam ex officio, cuiuſmodi ſunt Inquiſitorum Officiales, & Miniſtri iurati: aliqui verò, vz. cæteri fideles præcisè tenentur ex præcepto,

to, & cenſura Inquiſitorum: ita *Decianus Crimin. lib. 5. cap. 3. nu. 6, & 7. Zanchinus de Hæreticis cap. 9. Farinac. de Hæreſi quæſ. 185. §. 5. nu. 69. & quæſ. 197. §. 2. nu. 35.* quod notat *Antonius Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. c. 4. nu. 9. & alij.*

Poteſt verò fieri nedum in ſcriptis, vt dicitur de forma denunciandi. Sed etiam verbaliter coram duobus Religioſis, & honeſtis perſonis, *Eymericus 3. par. Directorij, nu. 68. vbi Pen. Comm. 15. Clarus in Practica Crimin. quæſt. 7. n. 3. Farinac. loc. cit. num. 67.* poteſtq; recipi ab abſente per litteras; dummodo taliter denũcians ſit fide dignus, litterasq; ſignauerit, ac iuramento firmauerit. *Simanch. de Cath. Inſtit. tit. 44. nu. 10. Farinac. vbi ſupra, nu. 66. §. 5.* Verùm non eſt recedẽdum à modo, quem nos tradidimus de Denunciationis forma, niſi aliqua cauſa neceſſaria, aut ſaltem congrua aliud expoſtulet.

DIFFICVLTAS V.

An teneamur denunciare crimina excepta, quando illa probare non poſſumus.

NOtandum crimina excepta eſſe, quæ tendunt in perniciem Reipub. temporalẽ, vt proditio ipſius; vel ſpiritualem, vt hæreſum diſſeminatio in fieri.

Item crimina excepta eſſe illa, in quibus laicus admittitur teſtis contra Clericum. *Sum. Aſten. tit. de Verb. ſignif. ver. Crimina excepta, vide ſupra lib. 3. diſt. 3. art. 4.*

Duas noto apud DD. opiniones, vt in primis videre eſt apud *Dianam trac. 4. de Denunciatione, reſol. 1. & Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 19. & 20.* Altera ſuſtinet partem negantem: altera affirmantem. Negans fundatur præcipuè, vt conijcio, in hac ratione; nam quando crimen Rei non poteſt probari apertè illud denunciando contra iuſtitiam peccatur; quia Reus adhuc habet ius, vt eius crimen ſibi ſeruetur occultum, ita *Leſſ. lib. 2. cap. 29. dub. 13. num. 111.* quòd notat *Trullench. loc. cit. Caſtrus Palaus in Oper. Morali tract. 4. diſp. 3. pun. 4. num. 1.* ex aliorum mente. Affirmans verò nititur praxi Inquiſitionis ſupremi Tribunalis, vt aſſerit *Farinac. tract. de Hæreſi quæſ. 185. §. 5. nu. 71.* Sicut vicè verſa praxis fundatur in probabilitate huius ſentẽtiæ, quod tradit *Trullench. loc. cit. ex mente Facundez.* addo iuxta praxim Sanctæ Inquiſitionis Denunciatorem adhiberi, vt teſtem, quando ipſe in denunciatione non manifeſtauit teſtes; *vt. infra art. 4. diff. 3.* teſtis autem, (vt notum eſt) non tenetur probare alioquin daretur proceſſus in infinitum in probationibus, quod eſt abſurdum.

Inſuper ad Denunciantem non ſpectat probare crimen à ſe denunciatum ad differentiã Accuſatoris, cuius partes ſunt probare delicta, denũciareq; debet; tum quia fortaſſe apud S. Tribunal aliæ extant probationes, quæ cum iſta vnitæ ſatis probabunt; recipiuntur quippe ab ipſo S. Trib. probationes ſingulares; tum quia Denunciator talionis pœna non ligatur, quòd ſecus eſt de Accuſatore. *DD. communiter, ſed potiſſimè Rodericus Acbuna de Confeſſario in confeſſ. ſolicit. quæſ. 10. nu. 14.* Dices huic ſententiæ obſtare ius commmune, ex *l. Diuus, & l. ab Accuſatore ff. ad Senatus Conſul. Turpilian.* Reſpondeo ius commune contraria conſuetudine tolli, vt probat *Eymer. in Direct. Inquiſ. par. 3. Rubrica de ſecundo modo procedendi in cauſa Fidei ſ. per denunciationem nu. 68.* quem inter alios ſequitur *Farinac. loc. cit.* Vrgebis denunciationem, quæ fit ſine probatione nihil operari: nemo autẽ ad opus inutile tenetur, ergo.

Reſpondeo negando maiorem, talis enim denunciatio aperit viam ad inquirendum, & fortaſſe circa delictum aliæ, vt ſupra innui, extant denunciationes, quæ, ſi cum iſta coniungantur; factum reddunt ſatis probatum. Ego exiſtimo affirmatiuam ſententiam amplectendam in caſibus, in quibus imminet periculum bono communi, aut tertio; negatiuam verò in caſibus, qui nullum tale periculum continent.

Verùm, vbi Denunciator denunciationem probare cogeretur; ſi non poſſet illam probare, ad illam minimè teneretur; quare DD. aſſerentes Denunciatorem non minus Accuſatore teneri ad probandum, vel loquuntur extra cauſas Fidei priuilegiatiſſimas: vel intelligendi ſunt reſpectu locorum, vbi talis fortaſſe viget conſuetudo.

DIFFICVLTAS VI.

Quæ regulæ ſeruandæ ſunt à Denunciante in caſibus exceptis, quales ſunt ſpectantes ad S. Tribunal.

PRima, quando Iudex ſub peccato mortali, ratione indiciorum obligatur de ſe confeſſum, de complicibus etiam interrogare: tunc etiam regulariter Reus illos denunciare tenetur: ſunt n. huiuſmodi obligationes correlatiuæ; ita, vt vna poſita, ponatur & altera; quod maximè procedit, ſi nouit illos minimè eſſe correctos, eorumq; crimina in futurum adhuc pendere: faciunt tradita per *Sotum de Tegen. & detegen. ſecretum, memb. 3. quæſt. 6. lib. 6. de Iuſt. & iure, quæſ. 6. ar. 2. circa medium, Caiet. 2. 2. quæſt. 7. ar. 1. Alphonſ. de Caſtro de Iuſta Hæret. punit. cap. 25. Ioſeph in Floribus Theolog. qq. 2. par. in quæſt. de Correct. frater. Nau. in Manual. cap. 18. num. 58.* Secunda, quæ ſunt in graue damnum alicuius pendens in futurũ, tenetur vnuſquiſq; denunciare, non obſtante, quod illa habuerit ſub naturali ſecreto, dempto illo ſacramentalis confeſſionis. Tertia, quando Fidei bonũ periclitatur, tenetur quiſque denunciare, licèt ſibi, aut ipſius Conſanguineis, aut Affinibus quibuſcunq; immineat mors, membri abſciſſio, vulnera, aut notabilis famæ, vel honoris iactura; quia bonũ Fidei eſt præſtantioris ordinis: ita *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 34. nu. 58. & 60. Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. nu. 32. & alij, &c.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ligatos caſibus Edicti Sancti Officij ſtatim denunciare teneamur.

PRocedendum eſt cum diſtinctione; Vel ſumus in locis, vbi Edictum proponitur cum præfixione termini; & ſic vel attendimus ipſum Edicti ius, vel ius naturale.

Si primum, dicendum eſt, quòd non tenemur ſtatim; ſed beneficio legis Edicti vti poſſumus abſq; periculo cenſuræ, quæ non militat, niſi contra inobedientes, quales non ſunt intra taxatum tempus ſatisfacientes; nam implicat, quòd concedatur tempus, & ſtatim ſimul obligemur.

Si ſecundũ, dicere oportet, quòd interdùm obligamur denunciare ſtatim, nimirùm, quando periclitatur bonum publicum, vel intercedit damnum tertij in fieri. Verùm in hoc caſu omittendo denunciationem, dummodo intra tempus Edicti denunciemus, nõ ligamur dicta cenſura; ſed præcisè peccato mortali; niſi ab hoc etiam excuſet ignorantia, inaduertentia, aut bona fides.

Vel ſumus in Diœceſi, in qua promulgatur Edictum abſq; termini taxatione, vt in hac Bergomenſi; & ſic, ſi attendamus ipſius Edicti verba, facienda eſt denunciatio ſtatim moraliter, ſ. quàm primùm: in omnibus enim obligationibus, in quibus non ponitur dies, præſenti die debetur, *l. In omnibus*, *ff. de Reg. iur.*

Conſtat item ex verbis illis: *Debbano quanto prima &c.*

Idem dicendum, vt ſupra, ſi ſpectemus ius naturale in caſu, quod ſubſit periculum in mora, vt ſi quis actualiter dogmatizaret, vel aliter periculo ſalus animæ, vel corporis ſubijceretur: nam medicina non ſolùm exhibenda eſt infirmo; ſed tempore neceſſariò. faciunt tradita per *Ioannem Sanchez in Select. diſp. 11. nu. 59. circa finem. Dianam, ver. Denunciatio Confeſſarij, nu. 37.* faciunt, quæ ſupra *de Promulgatione Edicti tradita fuere lib. 1.*

DIFFICVLTAS II.

An qui per ignorantiam, vel impotentiam non denunciauit, teneatur illis ceſſantibus, quam primùm denunciare.

QVI degit in Diœceſi, vbi aſſignantur dies ad denunciandum (ceſſante ignorantia, vel impotentia) adhuc gaudet ſpatio totidem dierum, quibus gauiſus eſſet, ſi potuiſſet, aut ſciuiſſet præceptum; quia ob dictas cauſas non eſt factus deterioris conditionis, cum nullus abſq; cauſa puniri debeat.

Similiter, qui exiſtit in locis, vbi præcipitur, vt quàm primùm quiſq; denunciet ceſſatis impedimentis obligatur; quàm primùm denunciare; cum adhuc ſub eodem rigore vigeat præceptum, illudq; minimè impleuerit: *Lelius Zecchius de Caſib. reſer. caſ. 2.* Verùm notandũ, quòd pro locis, vbi dies aſſignantur, non datur alter terminus ratione impotentiæ, & alter ratione ignorantiæ; ſed idem, ſi in ſimul quis vtroque grauetur defectu: quod ſecus eſt, ſi altero tempore grauetur ignorantia, altero impotentia: ita aduertit *Suarez. de Cenſ. diſp. 20. ſect. 1. nu. 14. Henriquez de Pœnitentia lib. 13. cap. 18. nu. 6. Ioan. Sanchez in Select. diſp. 11. n. 59.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Offenſus Offenſorem denunciare teneatur.

MOueor ad iſtius difficultatis conſiderationem, quia quemadmodum aliqui minus periti putant Edict. S. Inquiſitionis aduerſari præcepto fraternæ correptionis; ita inſcitè exiſtimant contrariari precepto de dilectione inimicorum, & conſilio illi, videlicet: *Si te percuſſerit in vnam maxillam, prabe illi & alteram. Salon. 2. 2. quæſ. 68. art. controu. 2. regul. vlt. Sayrius lib. 12. c. 14. nu. 24.*

Reſpondeo diſtinctione opus eſſe: offenſa itaq; dupliciter conſiderari poteſt, vel vt ſecreta, vel vt publica, primo modo tangit præcisè ius offenſi: ſecundo autem modo tangit etiã ius publicum: priori modo cõſiderata, quamuis offenſo detur iniuriarum actio, & perindè iuſtè Offenſorem denunciare poſſit, ne illius petulantia contra ſe graſſetur: dummodo ad denunciandum liuore vindictæ, aut odij non moueatur; tamen non tenetur, ſed conſilium Chriſti obſeruare poteſt: poſteriori verò modo illum denunciare tenetur: quia non poteſt illi condonare, quæ ſpectant ad ſatisfactionem Reipub. ratione delicti publicè patrati: quia non eſt Dominus illius offenſæ: Vnde conſtat primò in ſecundo caſu Offenſum Offenſorem denunciare teneri: & à fortiori teneri ſubijci examini ad informandum S. Tribunal de Maleficio.

Secundò, Edictum non aduerſari præcepto dilectionis inimicorum, nec Conſilio prædicto: nec itidem præcepto correptionis fraternæ (admittit. n. illam) excepto ſi ex præmiſſione illius periculum ſit in mora: V. g. quod criminator arripiat fugam, vel ſequatur damnum Reip. vel Tertio. Quare Edicti oblocutores obmuteſcere oportet: nam nihil ſanctius, nil iuſtius, nilq; conſultius illius prouiſione.

DIFFICVLTAS II.

An quis ſeipſum fidei Inquiſitori denunciare teneatur.

RAtio difficultatis eſt: tum quia Edictum præcipit omnibus, & ſingulis, patet ibi: *Commandiamo à tutti, & à ciaſcuna perſona di noſtra giuriſdittione*: generaliter autem dictum, generaliter eſt intelligendum, *l. Si præſes, de Officio Præſidis. l. de Pretio, ff. de Public. in rem act.* tum quia in materia fidei quilibet eſt ſubiectus Inquiſitori in ſuo diſtrictu.

Reſpõdetur negatiuè, ratio eſt, primò, quia hic caſus per Epicheam cenſetur exceptus: cum nemo præſumere audeat Iudicem alicui tam graue onus, quale eſt ſui ipſius denunciatio, imponere velle.

Secundò,

Secundò, quia in ſermone generali non venit id, quod expreſsè mandari non poteſt, *argumento, cap. Dilecto. de Præbendis*; non poteſt autē expreſsè, & ſpecificè mandari, vt quis ſeipſum denunciet, cū exiſtat præceptum importabile.

Tertiò, quia nullus tenetur ſeipſum prodere, *cap. Cum non deceat, de Elect. in 6. iuxta illud*: allegans turpitudinem ſuam nō eſt audiendus, *c. Inter dilectos, de Donat. l. Tranſact. C. de Trāſact.*

Quartò, denique patet in ſimili: nam quemadmodum ille, qui mandatum accipit aliquos denunciandi excommunicatos; ſeipſum denunciare non tenetur, licèt commiſerit, delictum, ob quod alij ab ipſo denunciantur: ita non tenetur denunciare ſeipſum Fidei Cenſori: nam de ſimilibus idem eſt iudicium, & & ob allatas rationes minimè obſtat ratio pro parte affirmatiua; quia lex generalis reſtringitur per ſpeciales, *gloſſ. ibi faciunt, quæ habet Bonacina de Legibus quæſ. 1. punc. 6. nu. 2.* maximè cum in Edicto præcipiatur denunciatio aliorum, & non ſui, vt legenti cuilibet apparebit.

Verùm tamen eſt, quòd Reus prudenter ſe haberet, ſi Inquiſitoris faciem præueniret, antequam ab alio denunciaretur, humiliter petendo veniam, ſubijciendoq; ſe minus confuſibili pęnitentiæ: quia ſic nihil ei officeret denunciatio poſtea ab alijs ſuperuentura: quare cùm partes Confeſſarij ſint conſulere bono pęnitentis; illius conſequenter erit Reum admonere, vt hoc ſibi eligat conſilium.

Limito reſolutionem; dummodo non contingat caſus, in quo verè periclitaretur bonum vniuerſale Reipublicæ Chriſtianæ, niſi quis ſeipſum denunciaret; nec foret alius modus tanto graui incommodo occurrendi, quam limitationem cenſeo etiam eſſe extra omnem controuerſiam: nam bonum vniuerſale priuato præferendum eſt. Nec obſtat regula ſupradicta .ſ. allegans turpitudinem ſuam non eſt audiendus: quia fallit, quando tractatur de ſalute animæ, vel de publica vtilitate, vt notat *gloſſ. per illum text. c. Ex tenore de teſtibus.*

DIFFICVLTAS III.

An ſaltem quis teneatur ſeipſum denunciare, ſi cenſuris ſpecialibus ad id compellatur.

Reſpondetur negatiuè, quia repugnat iuri naturæ, vti communiter tradunt Doctores, ſed præcipuè *Ioan. Sanchez in Selectis diſp. 5. nu. 9. diſp. 26. nu. 26. diſp. 9. nu. 15.*, & ius poſitiuum, quale eſt cenſura, non poteſt vincere ius naturale, vti notat idem *Sanchez loc. cit. diſp. 51. nu. 2.*, quòd intellige, vt ſupra, niſi eſſemus in caſu periclitationis boni publici grauis, vt ſupradixi; cui nō poteſt occurri niſi denunciatione propriæ perſonæ; quæ ex ordinata charitate minus bono publico amari debet.

DIFFICVLTAS IV.

Reus eſt ne ſaltem obligatus manifeſtare ſocios criminis per denunciationem.

Reſpondē item negatiuè, quod ſecus eſt, ſi vt Reus in iudicio interrogetur: ita *Sayrus in Clau. Reg. lib. 12. cap. 19. nu. 29. Caſtrus Palaus in Oper. Moral. tract. 4. diſp. 3. punc. 4. nu. 11.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An Striges teneantur deferre ad S. Tribunal mulieres, aut viros, quos ſocios, vel ſocias in ludo montis Veneris habuerunt.

Remiſſiuè vbi de denunciatione reſpectiuè ad ſcientiam, potentiam, & obligationem Confeſſarij: *infra d. ſ. 9. art. 3. diff. 1.*

DIFFICVLTAS II.

An qui aliquem à denunciando auocauit, obligetur ex iuſtitia procurare, vt denunciet.

Notandum auocationem à Denunciatione dupliciter cōtingere poſſe, vz. vel per vim, aut fraudem: vel ſolummodo conſilio, malo exemplo, prece, pretio. Notandum præterea Auocantem, vel eſſe ex illis, qui ex officio tenentur bonum alterius procurare, quales ſunt Epiſcopi, Paſtores, & quique Confeſſarij reſpectu pœnitentis: vel ex ijs, qui ſolum tenentur ex charitate. his ſuppoſitis reſpōdetur, quod tàm ille, qui per vim, aut fraudem, quàm qui ex officio obligatur ex iuſtitia ad procurandum, vt à ſe auocatus deferat proximum S. Tribunali; quod ſecus dicendum eſt, ſi præciſè auocauit conſilio, malo exemplo, prece, aut precio; vel ſi eſt de numero illorum, qui non tenentur ex officio: eo quod auocando non peccauit contra iuſtitiam commutatiuam, ex cuius obligatione ſolummodo oritur dicta obligatio.

Verùm quamuis auocans hoc ſecundo modo ad dictam procurationem ex iuſtitia minimè teneatur: tenetur tamen ex charitate: iuxta illud: *Vnicuique Deus mādauit de proximo ſuo*: faciunt tradita in ſimili de reſtitutione à *Bonac. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 11. nu. 13. eſt doctrina communis.*

DIFFICVLTAS III.

An Denunciator in Sancto Tribunali reſpectu eiuſdem cauſæ numerò poſſit eſſe etiam teſtis.

Reſpondetur affirmatiuè, quod conſtat nō modo ex iuſta, & laudabili praxi S. Tribunalis; ſed ex euidenti ratione, tum quia ſupponit Denunciantē Denunciato minimè eſſe contrarium: ſed in eius fauorem: quod probatur ex diſcrimine inter denunciationem, & accuſationem; *vt innui ſupra art. 1. diff. 3.* Denunciatio quippe tendit immediatè in bonum denunciati, videlicèt in eius emendationem; mediatè verò, ſeu ex conſequenti in bonum publicum, vt .ſ. ſatisfiat, vel ſit prouiſum eius periculis: Accuſatiò verò è contra, immediatè reſpicit bonum publicum, & mediatè priuatum, quòd in primis notat *Zanardus in Direct. Theol. part. 2. cap. 23. pagina mihi 226.* tum quia delictum non eſt commiſſum, vt ſuppono, in iniuriam, vel commodum Denunciantis: nec Rei punitio cedit in vtilitatem ipſius Denunciantis, potius quàm aliorum. *Paulus in Opere*

Morali

Morali tract. 4. diſp. 3. punc. 4. num. 1. Verùm, vt valeat pro teſte, debet eſſe vocatus, & iuratus; nam non vocatus, vel abſq; iuramento atteſtans, non recipitur, vt teſtis, quod communiter notant *Criminaliſtæ, & Summiſtæ, & maximè Portel. verb. Correctio, nu.* 1.

DISTINCTIO SEXTA.

De cauſa finali Denunciationis.

Diuiditur hæc diſtinctio in tres articulos.

Alter reſpicit finem Inquiſitorum in punitione Denunciatorum.

Alter finem, nempe vtilitatem Denunciationis, quam affert Denuncianti, Denunciato, Tertiæ perſonæ offenſæ, & Reipublicæ.

Tertius, peccatum tum Denunciantis, tum Inquiſitoris, ſi, quod abſit, à debito fine deuiarent.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Finis Inquiſitorum in puniendo ſibi vi Edicti Denunciatos, iam conuictos, qualis eſſe debeat.

Reſpondeo, quod Inquiſitores punire tenentur non eo animo, vt ſibi denunciatos perdant; ſed vt conuertantur, & viuant: iuxta illud: *nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat.* Huc ſpectat illud *Auguſtini Epiſtola* 4. *& 50. Threneticus ligandus, & corripiendus eſt, ne præcipitetur.* Huiuſce autem finis exemplar à Deo Benedicto, qui nos flagellat, vt ad ſuum reuocet gregem, peti debent: iuxta illud: *flagellat omnem, quem recipit filium*, & iuxta illud: *quos amo corrigo, & caſtigo.*

Secundò corrigere debent, vt pęna animaduerſi cæteros reddant meliores.

Itidem, vt correpti, quos Dei timor à malo non reuocat, pæna ſaltem cohibeat. *l. Locatio, §. Illicitè, de publican. & vect. cap. Fama de ſent. excommunic. Hinc Ariſt. in fine vltimi Ethicorum*, ait, *multitudo potius paret neceſſitati, quam rationi, & pęnis, quam honeſtati: idcircò aduerſus inobedientes, & hebetiores ingenio caſtigationes, pęnasq; inſtituere oportet &c.* factæ autem ſunt leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; ſit inter probos innocentia; Vnde *Cyprianus in Sermone de Paſſione Chriſti*, ita proloquitur: *facilitas nanq; venia peccatis laxat habenas, & incentiuum tribuit delinquendi*; hoc experiētia veritatis magiſtra ſatis comprobat; ideo nulla alia probatione opus eſt; nam probatio, quæ cum experientia eſt coniuncta ferè nihil diſtat à demonſtratione. *cap. Eſt iniuſta, 23. queſt.* 4.

Tertiò denique puniunt, ne ſtatus particularis, vel communitatis ruinarum periculo exponatur: nam religio, ſi paruipendatur, eſt certiſſimum indicium futuræ ruinæ: ſtatus n. omnis pendet à religionis obſeruantia; hinc Reſpublicæ maximè Italię celebriores potiſſimum curam Religionis habent; referentes omnes ſuas victorias præcipuè in Religionis cultum; vnde eſt, quod non parum ſunt proſperatæ: norunt n. illud commune axioma. Religione creſcente imperium dilatatur: ea verò declinante, decreſcit: Religio enim Catholica eſt baſis, ac fundamentum imperij, quę nihil admittit, niſi cæleſte, & diuinum.

Et ob hanc cauſam Reges priuſquam Regiam ſedem conſcendant; iure iurando polliceri tenentur ſe fidem Catholicam conſeruaturos: conſtat ex *Concilio Toletano 6. cap. 3 item ex Toletano 8. cap.* 10. vt obſeruat *Ludouicus à Paramo loc. cit.* ob eandem cauſam ad idem tenebantur antiquis temporibus Magiſtri militum, ac Prouinciarum Præfecti. Et quemadmodum Principibus, & alijs, qui conſeruandæ religioni ſtudent, omnia feliciter accidunt; ita deſidioſis in Religione conſeruanda naſcuntur tribulationes, rebelliones, aliæq; calamitates: Religionis enim Chriſtianæ effectus eſt voluntates ſubditorum cum Principe: ſeruorum cum Domino: filiorum cum patre deuincire; & hæc vnitas omnem affert felicitatē, quæ in regno, & domo propria deſiderari poteſt; ideo officio S. Inquiſitionis debentur fidei conſeruatio, & alia prædicta bona, quæ inde naſcuntur.

Quare etiam ob intereſſe proprium Sanctū Inquiſitionis Officium, nedum à Regibus, Principibus, & Comitibus, ſed ab oībus protegi, & honorari debet; hinc Theodoſius Magnus Imperator moribundus fidei conſeruationem filijs commendauit, quod notat *Ludouicus à Paramo loc. cit. nu.* 13.

Et re vera fidei cōſeruatio aditum intercludit diſſentionibus, & calamitatibus: nam ſemper vnà cum hæreſi mala omnia ſubintrant: *quis ignorat idem per ſui præſentiam, & abſentiā contrariorum eſſe cauſam? Ariſt. 2. Phyſicorum.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Alius finis denunciationis eſt vtilitas, ideo quæritur, quam vtilitatem afferat Denunciatio.

Reſpondetur primò, Denunciationem Denunciati vtilitatem afferre: nam qui denunciant Hæreticum, aut diffamatum, vel de Hæreſi ſuſpectum, qualibet vice trium annorū conſequūtur Indulgentiam, *vtſupra lib. 3. diſt. 6. dictum fuit*, dummodo fiat zelo fidei, aut honore Dei, vel ſaltem zelo boni publici: quod ſecus eſt, ſi fiat odio, liuore vindictæ, aut alia praua intentione, aut paſſione; quod ſatis vtrumque patet ex *Summ. Pontific. Bullis, Vrbani IV. Gregorij IX. Clemen. IV. Alex. IV. Clemen. VII. Pij V.* vt videre eſt apud *Arſenale S. Inquiſ. par.* 1. ibi: *Indulgenze che acquiſtano gli Inquiſitori, & altri &c.*

Secundò,

Secundò, affert vtilitatē animæ Denunciati: nam ſi æquo animo ferat denunciationē contra ſe factam, fit in remedium animæ ſuæ: nam ipſa eſt ægris ſalus.

Tertiò, affert vtilitatē Tertiæ perſonæ quouis modo offenſæ: nam Iudices pro poſſe curant, vt in integrum reddatur perſona offenſa.

Quartò, denique Denunciatio affert vtilitatem Reipublicæ; quia propemodum omnia mala, quæ mundo obueniunt, cauſantur ab huiuſmodi hominum denunciandorū genere, vt infra oſtendam *quarta part. lib. 23. vbi de Blaſphemia*: quæ ſanè mala tollerentur, ſi abſq; mora prędicti faſcinoroſi denunciarentur: eſt .n. denunciatio remedium mundi, ſalusq; vitæ, & rerum familiarium, & præcipuè agrorum, animalium, fructuumq; hortorum.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Delator in denunciatione, & Inquiſitor in punitionē deuiando à dicto fine peccet, & incurrat excommunicationem.

Reſpondet *Toletus lib. 5. cap. 57. Antonius Fernandez part. 4. c. 6. immo communiter Doctores*, quod Delator bonū commune intendere tenetur, .i. emendam Denunciatorum, aliorumq; in poſterum facilè denunciandorum reſipiſcentiam: zelum iuſtitiæ, ac amorem Fidei: nam ſi denunciet, vt alteri noceat, plus, minuſue grauiter peccat iuxta animi peruerſitatem: Vnde ſępius orando eſt, enixèq; ſupplicandum, vt Deus fidei feruorem in cordibus noſtris infundat.

Inquiſitor itidem ad Inquiſitionem, aut punitionem Reorum iiſdem finibus .s. zelo iuſtitiæ, & amore fidei &c. moueri debet: nam ſi odio, amore, vel donis, quod abſit, corruptus Inquiſitionem inſtituat, aut denunciatum puniat, vel punire omittat; ſimiliter graue committit peccatum, Papalemq; incurrit excommunicationem: patet ex *Clemen. Multorum de Hæreticis, vt communiter tradunt Doct. & maximè Fernandez loc. cit. cap.* 10. §. 2. *nu.* 2.

Teneturq; vterque, ſi perperam .s. ex malitia in munere ſuo proceſſit; non minus, ac in alijs Tribunalibus, nedum perperàm Denunciato refarcire famam; ſed etiam omnia alia damna ex falſa criminatione ſuborta, *vti communiter tradunt Doctores, & maximè D. Thom. 2 2. quæſt. 71. art. 3. ad tertiam. Fernandez part 4. cap. 6. §. 1. nu. 1.* Itemq; vterque in ſacramentali cōfeſſione aperire debet tum iniuſtitiam, tum ſacrilegium violati iuramenti.

DISTINCTIO SEPTIMA,

Reductiua ad cauſam efficientem denunciationis.

De peccato omittentium denunciationem vi Edicti præceptam.

Diuiditurq; in quatuor articulos.

Alter oſtendit omittentem mortaliter peccare, aſſignando inſimul contra quam virtutem peccet.

Alter demonſtrat, an deſiderium impotentiæ ad denunciandū ſit itidem peccatū.

Tertius, deſignat ex omittentibus denunciationē, quæ damna ex dicta omiſſione reſarcire teneatur, & quibus pœnis ligetur omittens.

Quartus, enodat duo emergentia dubia circa extinctionem Denunciationis.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An mortaliter peccet, qui non denunciat S. Inquiſitionis Officio delicta, de quibus Edictum generale.

Reſpondeo affirmatiuè, quia, qui per inobedientiā Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit (*teſte D. Paulo*) *cap. Qui reſiſtit* 11. *qu.* 4. tum quia quoties ſuperior aliquid præcipit ſub pæna excommunicationis, eſt ei parendū ſub mortali. *c. 1. de Crim. falſi. c. Qui cum fure, vbi Doctores de Furt. Tol. lib. 4. cap. 5. nu. 1. Ludouicus Lopez in Inſtruct. conſcien. par. 2. cap. 31.* Semperq; tenetur eodem vinculo obligationis ad denunciandum *Nau. cap. 17. nu. 134. Graff. prim. par. Deciſionum, lib. 4. cap. 18. Bonacina in ſimili de Reſt. diſp. 1. quęſ. 6. punc. vnico, nu.* 19. qui ſentit omittentem toties in eandem excommunicationem incidiſſe; quoties moraliter potuit, & toties peccaſſe mortaliter.

Præterea, quia quælibet pars Reipub. quatenus talis, tenetur naturaliter toti Reipublicę ſuccurrere, quod fit potiſſimùm Denūciando, facit *Bulla Gregorij IX.* incipit, *Excommunicamus, & Innocentij IV.* incipit, *Nouerit: habentur in fine Direct. Inquiſit.*

DIFFICVLTAS II.

Denunciationem omittens in quam virtutem peccet, an tantum contra religionem: aut etiam contra obedientiam ſumptam ſtrictè.

Ratio dubitandi eſt, quia criminum diſtinctio, & grauitas non ex præceptis, ſed ex virtutibus oppoſitis dignoſcitur: quare exponendum eſt, cui virtuti occurrat, qui denunciationem in Edicto S. Inquiſitionis præceptam aduertenter omittit.

Vnum extra controuerſiam eſt denunciationem omittentem mortali annodari peccato, maioriq; excommunicatione, *vt communiter tradunt DD. maximè Paramus de Origine S. Inquiſitionis quæſ. 10. nu. 127. vti ſupra cautum fuit.* Pro intelligentia autem difficultatis notandū eſt duplicem eſſe inobedientiam, aliam materialem: formalem aliam: materialis eſt cuiuslibet præcepti tranſgreſſio: formalis verò eſt

illa,

illa, per quam homo expreſsè tranſgreditur præceptum, quia præceptum eſt, conſtituitq; ſpeciale peccatum ab alijs diſtinctum in ſacramentali confeſſione neceſſariò exprimendũ. Modo ad difficultatem; Reſpondetur Denunciationem omittentem vnum ſolummodo committere peccatum contra .s. virtutem religionis; nam Inquiſitor per Edictum ſuum conſtituit Denunciationem in religionis ſpecie, cuius cultum expreſsè intendit, vt patet ex prohemio Edicti, ibi, *Deſiderando, che la Sacroſanta Fede Cattolica da ogni hereticale contagio immacolata ſi conſerui*: quemadmodum autem Inquiſitor habet poteſtatem conſtituendi actũ præceptum .s. denunciationem in certa virtutis ſpecie: ita ex conſequenti conſtituit omiſſionem actus .s. Denunciationis in determinata peccati ſpecie: ita *Roder. Acbuna de Confeſſ. ſolicit. quæſ. 29. nu. 5. Vaſquez. 1. 2. diſp. 98. cap. 2. Suarez. tom. 1. de Religione lib. 3. de Reuerentia locis ſacris debita, cap. 4. nu. 1. & alij.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An deſiderare ſe reddi impotentem ad præceptum: v. g. ad denunciandum aliquo caſu S. Officij ligatum, ſit peccatum.

Reſpondet *Sanchez in Selectis diſp. 54. nu. 20.* negatiuè: cuius ratio eſt, quia aliud eſt habere deſiderium infringẽdi præceptum, quando interuenit eius obligatio: aliud deſiderare ſe reddi impotentem ad præceptum: primum deſiderium eſt peccatũ: nam velle peccare peccatum eſt: ſecundum verò deſiderium non eſt peccatum, quia non eſt aliud quàm optare excuſationem pręcepti; qui autem ſufficientem habent excuſationem præceptum nõ adimplendi, nõ peccant: nam impoſſibilium nulla eſt obligatio. *l. 183. ff. de Reg. iur.* ſignum tamen eſt, quòd feruor fidei in illo tepeſcit.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An damna ſecuta ex omiſſione Denunciationis, ab omittente ſint neceſſariò reſarcienda.

Ratio difficultatis eſt, quia ſupponimus defectuoſum circa Denunciationem potuiſſe Denunciatione abſque ſuo graui incommodo occurrere damnis ſecutis ex ſua omiſſione.

Reſpondetur diſtinctione, vel omittens eſt de his, qui ex iuſtitia tenentur denunciare, vt Miniſtrĩ S. Officij: vel de his, qui præcisè tenentur ex charitate, & obedientia vti ſunt cæteri, hoc ſuppoſito, dicendum eſt illos teneri ad reſtitutionem damnorum ex omiſſione Denunciationis ſecutorum, qui ex iuſtitia ad illam obligabantur: nam reſtitutio ſolùm oritur ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ, ex communi DD. ſecus dicendum eſt de alijs, qui iuſtitiam non violant non denunciando, ſed ſolùm charitatem, & obedientiam: ſicut .n. ſe habet oppoſitum in oppoſito; ita propoſitum in propoſito: faciunt tradita per *Ioannem Egidium Trullencb. in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 5. dub. 16. nu. 10.*

DIFFICVLTAS II.

Pœnæ omittentium denunciationem, quæ & quot?

Reſpondeo eſſe tres ſequentes. Prima eſt, excommunicatio, de qua *Extrauag. Gregorij IX.*, quam refert *Pegna 2. part. Comm. 2. ad capitulum, Qui alias, verſ. Diximus, pag. 89.* & eſt ferenda, item excommunicatio Edicti, & eſt ipſo iure lata.

Secunda eſt, reddi de hæreſi ſuſpectum vehementer, quod intellige, ſi omittens eſt de numero illorum, qui tenentur ex officio: ſecus tamen eſt reſpectu aliorum, qui tenentur pręcisè ob præceptũ Edicti, licèt nulla exiſtente cauſa excuſante grauiter peccet veritatem occultãdò, vel ſciẽter negãdo. Quod notat in primis *Palaus in Opere Moral. tract. 4. diſp. 3. punct. 4. nu. 21.* veruntamen ob præcepti violationem prędictis ligantur excommunicationibus.

Tertia eſt, haberi tanquam fautorem Hæreticorum; quod item velim intelligas reſpectu eorum, qui ex officio, vel iuramento denunciare tenentur, & nulla probabili cauſa excuſantur. *Pegna ad 2. part. Directorij quæſ. 53. Commen. 78. verſ. Poſtremo. Decianus tract. Criminal. lib. 5. cap. 31. num. 35. Tolet. Sum. lib. 1. cap. 8. nu. 6. Vgolinus de Cenſ. Pontifici reſeruatis 2. par. in gloſ. Fautores in princip. nu. 9. Farin. de Hæreſi, quæſt. 197. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 10. nu. 15.*

ART. VI. DIFFICVLTAS I.

An denunciandi obligatio extinguatur mortuo denunciando.

Ratio difficultatis eſt, quia mors omnia ſoluit, §. *Deinceps auth. de nupt. l. 1. C. Ne ex delicto def. §. Nõ autem inſtit. de perpet & tempor. act., & alibi.*

Diſtinctione opus eſt: vel denũciandus fuit Hæreticus publicus: vel tantùm de hæreſi ſuſpectus, qualis eſt blaſphemus hæreticalis; ſi primum non extinguitur denunciatio; patet attento *cap. Filij de Hæret. in 6.*; procedunt enim Inquiſitores contra publicum Hæreticum etiam mortuum. *Eymer. 3. par. quæſt. 43. vbi Pen. Comment. 92. cap. Accuſatus, §. In eo verò de Hæreticis in 6. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 5. nu. 16.* Si ſecundum, ſecùs dicendum eſt: rigoroſius enim proceditur contra Hæreſim, quàm contra alia crimina ſolummodò Hæreſim ſapientia, tum quia iuxta criminum grauitatem, pœna aggrauari debet: tum quia vbi maius periculum, ibi cautius eſt agendum, *l. 1. §. Si quis ff. de Carbon. Edicto*: tum præterea, quia ſicut publicè intereſt riuos, & cloacas vndequaque, & quàm diligentiſſimè purgare: ne aëris ſalubritas inficiatur: ita publicè intereſt, vt Hæretici, qui ſunt velut riui infeſti, à quibus innumera effluunt mala: & item velut cloacæ immundorum aerem ſalubræ ſanæ doctrinæ inficientiũ; quare etiam poſtquam è præſenti vita ceſſerunt, diligentiſſimè, ſcrutandum eſt, an poſt ſe reliquerint aliquem fætorem infeſtæ doctrinæ, vel libros Hæreticos, aut ſcripta hære-

hæreticalia de religione tractantis, vt eorum memoria, & virus peſtilentiæ de Eccleſia Cathol. Romana tollatur.

DIFFICVLTAS II.

An item extinguatur obligatio denunciandi ipſo denunciando iam emendato.

RESpondet *Caſtrus Palaus in Opere Morali tract. 4. diſp. 3. punc. 4. nu. 7.* affirmatiuè, ſed vtitur verbo (Credo) & cum his tribus ſequentibus limitationibus. Quarum prima eſt, vt delictum ſit occultum. Secunda, vt tibi cõſtet delinquentem eſſe emendatum. Tertia, quod ſit reparatum damnum. Cuius ratio eſt, quia in tali contingentia punitio à Iudicibus intendi non poteſt, ex *cap. Inquiſitionis §. 3. de accuſat.* & proſequitur, quod punitio intenditur in ſatisfactionem iniuriæ factæ Reipub. Delinquentis crimine: vbi autem crimen eſt occultũ, ceſſat iniuria Reipublicæ, & ſubinde eius ſatisfactio: Reſtat ergo ſolùm (vt vtar eius verbis) quod Emendatio Delinquentis, & Reparatio damni facti intendatur: Quare cum hæc duo ſupponantur præſto eſſe, nõ eſt locus, vt fiat denunciatio: reparatum eſt enim damnum ex emendatione: faciunt quæ tradunt *Emanuel Sà, ver. Denunciatio, cum Soto, Nauar. Toleto citatis à Caſtro Palao vbi ſupra.*

Ego ſequor horum opinionem additis, quæ mihi videntur addenda. Primum eſt, quod moraliter nullum ſubſit dubium de Emendatione, nec de alijs duabus conditionibus, quæ copulatiuè requiruntur: nam dum verſamur in dubio, poſſeſſio ſtat pro lege Edicti.

Secundum, quod reſpectu Hæretici non ſat eſt, quod conſtet de prædictis: ſed requiritur vt firmiter conſtet iuxta doctrinam *Angelici Doct. quam multi ſequuntur 2. 2. quæſt. 33. art. 7. in corp. Tol. lib. 5. cap. 57.* & hoc eſt totũ illud, quod in fauorem huius opinionis *Palai* dici poteſt, quod notandum eſt, cum in oppoſitam ſententiam maior DD. pars propenſa ſit nolens admittere, vt Hæretici fraternaliter corripiantur, nec credere eorum emendationi, niſi fortaſſe poſt diuturnam experientiam.

DISTINCTIO OCTAVA,

Quæ reducitur ad cauſam Denunciationis efficientem.

De cauſis à Denunciatione vi Edicti facienda excuſantibus.

Diuiditur hæc diſtinctio in tres articulos.

In primo habentur quatuor caſus à Denunciatione eximentes.

In ſecundo examinatur, quali metu deobligamur à Denunciatione.

In tertio denique docetur, qualis metus excuſat à teſtificatione.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

In quot caſibus à Denunciatione excuſamur.

RESpondetur, quod in quatuor præcipuè. Primus eſt, cum delicta non ſunt nobis ſatis nota: Vnde S. Inquiſitionis Edictum nõ mandat denunciationem, de quibus præciſè ſuſpicamur, patet ibi, *de quali ſappiano &c.* quod maximè procedit, quando verſamur in dubio, an caſus contigerit ex cauſa ad S. Officium ſpectante, vel naturali: V. g. non ſtatim deferenda eſt vetula illa, quæ oſculato filio tenello deinceps ægrotare cæpit; quouſque ſumus in dubio, an ægrotatio proceſſerit ex illius faſcinatione, vel ex cauſa naturali, nimirum ex carentia menſtrualium purgationũ illius, quæ reſoluũtur in vapores nocuos tàm ipſi vetulæ, quã proximo maximè diſpoſito, quales sũt filij tenelli: quare niſi etiam alijs coniecturis trahamur omittenda erit denunciatio; declinando ad illam partem, ad quam validiores coniecturæ coegerint: faciunt allata per *Nauar. in Conſil. de Hæret. cap. Inter verba, 11. qu. 3. concl. 6. Reginal. lib. 24. nu. 63. Clau. Reg. lib. 13. cap. 54. v. 33. Rodriquez in Sum. part. 1. cap. 79. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. qu. 6. pun. 1. nu. 12. Megal. in Inſtit. Confeſſ. lib. 1. cap. 5. nu. 21. & alios.* Secundus elicitur ex textu ibi, *ò habbiano hauuto, ò haueranno notitia s. certa*, quo fit, vt qui audiuit maleficiũ à perſona nihil certum ſciente, ſed ſolùm præſumptionem habente; ex ipſa præciſè non teneatur ad denunciationem: legendus eſt *Sanchez de Matrimonio, lib. 5. diſp. 13. nu. 7. Bonac. de Cenſur. vbi ſupra*, & alij apud ipſum *Nauar. lib. 5. Conſil. tit. de Hæret. conſ. 3. nu. 1. Trullench. in Exp. Decal. lib 6 cap. 2. dub. 2. nu. 23. & alij.* Tertius contingit, quando quis audiuit crimen, ab eo, qui iam illud denunciauit, ſi hoc certò nouit: ratio eſt, quia ſic iſtius denunciatio nihil proficeret, cum tota denunciationis vis conſiſtat in primo Denunciante; nullus autem obligatur ad opus inutile: ita *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. quæſ. 6. pot. 1. nu. 15.* & ob eandem rationem colligunt Doctores (*teſte Megalo vbi ſupra num. 16.*) nullum teneri ad denunciationem, quando certò ſcitur, aut ſatis probabiliter creditur (præſtita denunciatione) nullum remediũ adhibẽdũ eſſe; quod ſecus dicẽdũ eſt, quoties quis tãmodo dubitat; nam in dubio obediendũ eſt Superiori præcipienti. *Megalius vbi ſup.* Quartus accidit, quando qui deliquit, ſpontè, vel metu denunciationis, vel ab aliquo conſultus, ad Inquiſitionem accedit, & veniã petendo ſuum confitetur delictum: iuxta notata per *Pegnam ad Directorium Inquiſit. par. 3. Cõm. 12. & per Lazar. Can. qq. de Blaſph. q. 12. n. 69.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Metus grauis an excuſet à Denunciatione in Edicto S. Inquiſit. præcepta.

LOquimur hìc non de metu læui, quo pueri, aut femellæ afficiuntur, ſed præcisè de cadente in conſtantem virum.

Re-

Reſpondetur huiuſmodi metū ſaluis infra ponendis limitationibus excuſare à dicta denunciatione; hinc *Pegna ad Directi. part. 2. Commen.* 78. putat vxorem excuſandam, ſi non denunciet maritum ſuū comedentem carnes in diebus ꝓhibitis, ſi natura ſit terribilis; ratio eſt, quia communiter apud Theologos, & Summiſtas habemus præcepta Eccleſiaſtica minimè eſſe impoſita cū graui incommodo, quod ſatis etiam patet ex praxi, & communi ſenſu peritorum: ex. gratia non tenetur quis ieiunare, audire Miſſam &c. diebus præceptis, ſi inde ſibi graue damnum immineat.

Quinimmo interdum etiam excuſamur ab obſeruantia legis Diuinæ, & naturalis, ſi inſtet periculum vitæ ſpiritualis, aut corporalis, vel amittendi honorem; nam tunc quod præſtantius eſt, ſeruari poteſt; præſtantior autem eſt vita ſpiritualis corporali: corporalis honore: honor diuitijs: faciunt tradita per *Ancharanum, cap. Ad audientiam, nu. 2. de his, quæ vi. Baldum in l. Metum, num. 2. eodem tit. Rolandum conſ. 83. nu. 28. volumine 2. Rodericum Acbuna de Confeſſ. ſolicit. quæſ. 19. nu. 11.*

Verùm aliquæ limitationes notan. ſunt.

Prima eſt; maiorem metum requiri, vt quis eximatur ab onere denunciandi, quæ ſpectant ad S. Tribunal, quam quæ ad alia Tribunalia: quia præcepta S. Tribunalis cæteris paribus ſunt maioris ponderis præceptis aliorum: reſpiciunt enim excellentius obiectum, nempe diuinum cultum: ſed attende quod adhuc maior metus requiritur, vt quis excuſetur à tranſgreſſione legis naturalis, aut Diuinæ, quā à tranſgreſſione præceptorum S. Tribunalis cæteris paribus.

Altera in caſu, quod impediretur Denunciatio in contemptum Fidei, ſeu religionis tenetur quiſque potius mori, quam fœdari omiſſione denunciationis.

Tertia in caſu, quo ex omiſſione Denunciationis periclitaretur bonum commune, foret omninò faciēda, etiam inſtante periculo mortis, honoris, aut diuitiarum: quia vtilitas publica priuatæ præferenda eſt, ſecundum rectum rōnis dictamen: vnde pro cōſeruatione totius pars periculo exponi debet, quod patet in naturalibus, vbi manus exponitur periculo; vt defendat caput, aut cor: porrò ſi damnum totius Communitatis ſit parui momenti, & illud partis ſit ſatis graue; illa parti commiſereri debet aliquod patiendo pro illius ſalute iuxta rationis dictamen, vide dicta *Lib. 1. diſt. 1. art. 4. diff. 1.*

Quarta, ius poſitiuum particulare S. Tribunalis de Denunciatione obſeruandum eſt, licèt interdum videatur pugnare cum iure naturali: quia verè non aduerſatur illi; ſed potius eſt illius ſuppletiuum, & interpretatiuum.

Vnde notandum, quod interdum in vno, eodemq; caſu concurrunt inſimul duo præcepta naturalia, v. g. alterum de conſeruanda alterius fama; iuxta illud, *quod tibi vis fieri, alteri feceris*: alterum de conſeruando bono publico: & quia potior eſt conſeruatio boni publici, quam priuati: ideo interpretando præcipit, exponi periculo bonum priuatum, vt conſeruetur publicum: cum ſimul minimè cōſeruari poſſint: item ob hanc cauſam interpretādū eſt, vt omittatur correptio fraternalis, quoties poteſt eſſe nociua, vel Communitati, vel intereſſe priuati innocentis: eo quod minimè congruit grauare innocentem, vt ſubleuetur nocens; cum non compellatur ad nocendū, & conueniat, vt ſtultus in culpa, fiat ſapiens in pœna: patet in ſimili; iure naturali filij à parētibus alēdi ſunt: in caſu tamen ingratitudinis notabilis, verberationis &c. ius ciuile illi non aduerſando, ſed interpretando, pro bono publico cōcedit parētibus, vt illos priuare poſſint legitima, quæ loco alimentorum datur; & ideo quid mirum, ſi ſuo modo idem præſtat S. Tribunali. faciunt quæ tradit *Onuphrius de Sacro ſigillo, ſec. 2. qu. 3. Coat. par. 2. cap. 8. §. 56. nu. 9. c. 7. & 17. Molina de Iuſt. diſp. 68. tract. 2.*

DIFFICVLTAS II.

An excuſemur à Denunciatione, quando non poſſumus probare crimen.

REmiſſiuè ſupra, vbi de cauſa efficiente, *Diſt. 4. art. 1. diff. 3.*

An excuſamur, quando nō ſperatur Delinquentis emendatio; Remiſſiuè, vbi ſupra *Diſt. 2. art. 1. diff. 2.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An metus grauis excuſet à Teſtificatione in S. Tribun.

REſpondeo diſtinctione ſic, vel agitur de bono publico tuendo, & ſic non obſtāte graui incommodo noſtri, vel alterius tenemur ad teſtificandum: ratio eſt, quia bonum publicum eſt præſtantius, & magis amandum, quàm bonum priuatum, & proprium, cum vnuſquiſque ſit pars, ſeu membrū corporis Reipublicæ, pro quo tuendo, ſeu ſanando grauia etiam incommoda ſubire tenemur. *Ariſt. Ethic. lib. 2.* hinc licèt frangere fidem de non reuelando occultum, licèt ex reuelatione alicui damnum contingeret, ſi occultatio delicti Reipublicæ, vel Communitati noceat. faciunt quæ habet *Carbonus tom. 1. cap. 14. dub. 4.* quemadmodum etiam maius, & præſtantius eſt conſeruare bonum vniuerſæ ſpeciei, quàm bonum ſingularium, teſte *Ariſt. lib. 1. Politicorum, & Lirano ſuper Epiſtola D. Petri 2. cap. 1.* Vnde ob bonum virtutis heroicæ, vita corporalis exponi poteſt, & tenemur in caſu periclitationis Reipublicæ non minus ſpiritualis, quam corporalis. Quare ſicut metus mortis ad negandam fidem incuſſus non excuſaret. 2. 2. *quæſ. 4.* ſic nec excuſat conſanguinitas ad teſtificandum in cauſa fidei. *Ioan. Sanchez in Select. diſp. 40. nu. 4.*

Nec item excuſat illud vulgatum, vz. quod teſti de auditu non creditur; quia non eſt intelligendum de his, quæ ipſe teſtis à Reo audiuit contra fidem; ſed de his, quæ audiuit ab

alijs,

aliјs, aliter non poſſet probari hæreſis; cum tamen notum ſit, non minus ex dictis .s. à Reo, q̃ ex eius factis cognoſci: ita reſpōdet auctor *Arſen. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 293. Vel tractatur ſolū de damno Tertij; & ſic in pari periculo poteſt quiſque ſeipſum potius, quàm proximum à graui incommodo eximere: iure naturali, & ordinata charitate, quæ à ſe ipſo incipit, ita dictantibus. *Extra. de Praben. & dig. c. Dilecto*.

DISTINCTIO NONA.

De Denūciatione reſpectiuè ad munus Confeſſarij.

Secatur hæc Diſt. in quatuor articulos.

Primus oſtendit qualem cognitionem circa Denunciationem Confeſſarius habere debeat.

Secundus demonſtrat quanta ſit diminuta Confeſſarij poteſtas circa protractionem temporis ad denunciandum.

Tertius ſoluit duas difficultates circa munus Confeßarij.

Quartus denique deſignat quoddam priuilegium Regularibus Denunciantibus, ſeu deponentibus conceſſum, quod in primis expedit ſciri à Confeſſarijs Regularium, vt amoueant ab eorum cordibus, quæ Denunciationem retardare facilè poſſent.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Confeſſarium, quàm inſtitutionem de Denunciatione vi Edicti facienda tàm pro ſe, quàm pro pœnitente, callere oportet.

IN primis ſcire debet, quod peccat contra id, ad quod ex officio tenetur, quando pœnitentem abſoluit non præcipiendo ei, vt iudicialiter denunciet Officio S. Inquiſitionis ea crimina, quæ de iure communi, vel ex vi Edicti denunciare obligatur, ſi probabilitèr credat, vel credere debeat ipſum non niſi admonitum eſſe exequturum præceptum, prout ſæpè ſepius euenire contingit. ita *Megalus Inſtit. Peregrin. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 26. qui ſi obedire renuat, nequaquā abſolui debet.

Secundò ſcire debet Denunciationem diuariandam eſſe pænès variationem tum morborum, tum perſonarum, ita lumine naturæ dictante; quo etiam edocemur, nec corporali antidoto eodem modo præparato omnes curari infirmitates; quo fit, vt aliqui ſint ſtatim Denunciatione medendi: aliqui verò prius adhibita fraterna correptione, vt infra libro ſexto dicetur; ratio eſſe poteſt, eo quod ex criminibus, de quibus Edictum S. Inquiſitionis, quædam cum hæreſi minorem, & quędam maiorem habent affinitatem; adeò vt propemodòm fraternizent cum illa, & iuxta eorum diuerſam rationem; diuerſimodè eum pœnitentes Denunciaturos cōſulere oportet; hinc *Trullench. in Expoſ. Decalogi lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6. *nu.* 10. *Ledeſma tract.* 4. *de Miſeric. cap.* 4. *concl* 24. *dub.* 2. & alij docent in criminibus prioris generis ſeruandum eſſe ordinem præcepti correptionis fraternæ, quod negant de alijs: & huc ſpectat *cap. penult. de Pęnitentia. diſt.* 1. quo decernitur, vt qui minus peccat, mitius puniatur: nā iuxta delicta plagarum quoque modus eſſe debet. Tu tamen in omni caſu S. O. conſultius ſequeris placitum *Auctoris Arſen. S. O. ſentientis correptionem fraternam omittendam eſſe par.* 1. *c.* 1.

ART. II. DIFFICVLTAS V.

An ſit in poteſtate Confeſſarij protrahendi pœnitentibus tempus vi Edicti ad denunciandum conceſſum.

LOquor generalitèr tàm reſpectu Edicti taxantis dies ad denunciandum: quàm Edicti vt primum Denunciationem præcipientis.

Non quæritur hìc, ſi Confeſſario ſit integrū examinare rationes, quas affert pœnitens pro dilatione temporis ad denunciandum; quia hoc ſatis conſtat; non enim Confeſſarius doctus inferioris eſt conditionis alijs iuris peritis: ſed quæritur, an ſit in ſua libertate præter tempus vi Edicti conceſſum, vbi taxatur, aliud concedere Denunciaturo.

Reſpondetur abſolutè negatiuè: cuius ratio eſt; quia nullam habet iuriſdictionem ſuper Edictum, vt de ſe notū eſt: nam hoc ſpectat ad prudentiam Superiorum, quibus manifeſtanda eſt protractionis neceſſitas. patet in ſimili de protractione ad reſtituenda alterius damna, quæ nullatenus ſpectat ad Confeſſarium: ſed ad Dominum, cui facienda eſt reſtitutio; alioquin iniuſtè vſurparet alterius ius, ponendo falcem in alterius meſſem. Quinimò neq; Iubilæi virtute poteſt Confeſſarius obligationē denunciandi relaxare, aut protrahere. Itidem, quemadmodum non eſt in poteſtate Confeſſariorum concedere licentiam pœnitenti reſtituendi per partes malè ablatum; cum hæc facultas ſit ſolius Domini, vt conſtat; Ita non eſt in eius poteſtate concedere pœnitenti, qui plures denunciare obligatur, vt illos gradatim denunciet: v. g. hac hebdomada vnum, & proxima ſequēti aliū: In his .n. ſe immiſcendo minimè caret culpa, *iuxta reg. Non eſt ſine culpa, qui rei ſe immiſcet, quæ ad eum non pertinet, cap. Non eſt, de Reg. iur. in* 6. *cap. Tua, de Homi. cap. Clerico, diſt.* 50. nec excuſatur ignorantia, cum ſit de his, quæ ſcire tenetur, vtpotè quę ad eius munus ſpectant, vt notat *gloſſ. in d. cap. Non eſt,*

DIFFICVLTAS II.

An Confeſſarius interdum ante actualem Denunciationem abſoluere poſſit pœnitentem.

SVppoſito, quod probabilitèr certum ſit ex mora nullum omnino ſubeſſe periculum Comunitati, nec Tertio: Reſpondeo, quod ſi Confeſſarius attẽtis circũſtantijs loci, temporis, perſonæ prudenter iudicare poteſt pœnitentem, vt primum moralitèr denunciaturũ, illum ante Denunciationem abſoluere poterit: quia in puncto iuris loquendo abſolui poteſt, quoties habet debitum dolorẽ cum propoſito cauendi à peccatis de cætero, & ſatisfaciendi obligationibus ſuis, quibus modo vel non poteſt: vel non expedit. Dixi penſata circunſtantia temporis: quia interdum contingit ſimul tempus Communionis, vt in Paſchate, & Denunciationis, & vtrique ſatisfieri non poteſt eodem tempore fortaſſe ob loci diſtantiam: Dixi attenta qualitate perſonæ, quia illi, qui apprimè cognoſcitur ſtare pũctualitèr promiſſis; concedi poteſt commoditas, quæ deneganda eſt habenti contrarias qualitates: ſicut .n. accidentia magnam conferunt notitiam ad cognoſcendũ; quod quid eſt rei (*teſte Ariſt.*) ita cognitio qualitatum pœnitentis Confeſſario conferre poteſt, quod ei aliter denegaretur, ſi ipſius qualitates ignoraret, & præcipuè, ſi neſciret illam, an ſtet promiſſis.

Secundò illi præcipuè, & abſolutè deneganda eſt abſolutio, qui ſæpius Confeſſario promiſit exequi Denunciationis mãdatum; quod tamen nondum impleuit, quamuis moralitèr potuerit; cuius ratio eſt, quia Confeſſarius tenetur aſſumere medium ad ſalutem pœnitentis neceſſarium, quòd ſanè aſſumit illi denegãdo abſolutionem quouſque ſuæ conſcientiæ ſatisfecerit denunciando: Vnde omni diligẽtia attendere debet, ne ab ipſo decipiatur extorquendo peccatorum abſolutionem, adhuc non præſtita actuali Denunciatione. ita *Bonac. in ſimili de Reſtit. quæſ. 6. punc. 1. nu. 18. cum alijs DD.* nec ſat eſt eius propoſitum Denunciandi; quia propoſitum in mente retentũ, nihil operatur, *l. Si repetendi, C. de Condit. ob cauſam.*

Dices, ſi ſaltèm concedi poſſit tempus conſulendi peritiores, reſpondetur affirmatiuè, ſed hoc præſtetur abſque longa temporis dilatione. *Sayrus in Theſauro lib. 2. cap. 18. nu. 14. Freitas tract. de Confeſſ. ſolicit. quæſt. 21. nu. 25. apud Rodericum Acbuna, quos citat Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 6. nu. 29. Peirinus in Priuilegijs Minim. tom. 2. ad Conſt. Gregorij XV. §. 9. num. 24. Sanctarellus de Hæreſi, cap. 9. dub. vnico, nu. 16. Diana reſol. moral. par. 1. tract. 4. de Denunc. reſol. 27. Hieronymus Rodericus in compend. qq. regular. reſol. 131. nu. 6.* quorum ſententia probatur in ſimili, de illo, qui ob legitimam cauſam differt reſtituere: aut ſe præſentare Iudici, qui interim bis, aut ter abſolui poteſt, ſuppoſito firmo propoſito præſtandi, vt primùm poterit, quod debet. Verùm recordetur pœnitens; quod mora ſua cuilibet eſt nociua, *cap. Mora. de Reg. iur. in 6. l. Mora de vſu cap. Decima 16. q. 1.*

DIFFICVLTAS III.

An omittentes Hæreticorum, vel de hæreſi ſuſpectorum Denunciationem eodem modo veniant abſoluendi, vide infra in Lib. 7. diſt. 2. art. 13. diff. 1.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Confeſſarius pœnitentem, quæ iuit ad ludum Dæmonis compellere debeat, vt denunciet Inquiſitori ſocias, quas illuc aſſerit conueniſſe ſecum.

Huiuſmodi difficultas ab ea pendet, vtrùm ſcilicet perſonæ, quæ ad ludum Dæmonum conueniunt; deferantur illuc corporalitèr, an tantùm illuſiuè.

DIfficultati, reſpondetur negatiuè, .s. quod Confeſſarius non debet cogere huiuſmodi pœnitentem ad denunciandum conſocias; ratio eſt primò, quia confeſſio debet eſſe vera, *gloſſ. in cap. fin. de Confeſſ.* quare, cum nõ conſtet, an malefica illuc iuerit realitèr, an tantùm illuſiuè; nam vtrumque poſſibile eſt, teſte *Grilenzonio conſ. 117. num. 3.* quo fit, vt de conſociarũ crimine nõ habeant certam ſcientiam; & proindè non veniant denunciandæ: non enim eſt obligatio denunciationis, quando non habetur certa ſcientia delicti denunciandi ex dictis ſupra *diſt. 8. art. 1. diff. 1.*, ſecundò, quia non entium nullæ ſunt qualitates, *l. fin. ff. pro ſoc.*, ſed iuxta ſententiam Doctorum, & maximè *Ponzini in tit. de Lamijs num. 13.* non deferuntur corporalitèr. conſequentèr illas minimè vident realitèr, ſed ſolùm illuſiuè; hinc idem *Doctor loc. cit. addit,* quod nec etiam probarent; licèt alij teſtes affirmarent dictas mulieres ſe vnxiſſe, & ad dictum locum pergiſſe; quia ipſi quoque deluſi fuiſſent, & allegat *textum in cap. Qui ſine Saluatore, 26. quæſ. 2. & cap. Nec mirum eadem cauſa, qu. 5. Ferdinandus tract. 4. diſp. 8. pun. 5. nu. 2, Farinacius de Hæreſi, qu. 185. §. 8. nu. 152. circa finem, & quæſ. 188. §. 4. nu. 76. verſ. Imo ex Depoſitionibus. Pelbartus in Roſario Theol. tom. 2. verbo Dæmones 5. §. 8. Arſen. S. Inq. par. 10. admon. 141.*

Verùm ſciendum (ſicut ſupra innui) non eſſe improbabilem ſententiam aſſerentium dictas maleficas à Dæmonibus interdum deferri corporalitèr. Hinc *Paulus Ghirl. in tit. de Sortileg. quæſ. 7. num. 21. 26. & 27.* refert quendam ruſticum à ſua patria ad locum Beneuentanum deportatum, nomen Dei inuocando ſtatim ibi remanſiſſe nudum. itidem refert quandam puellam delatam à Dæmone ad ſignum Angelicæ ſalutationis nomen B. M. inuocando, in terram fuiſſe demiſſam, liberamq; relictam. Eadem notantur à *Grilenzonio vbi ſupra.*

DIFFICVLTAS II.

An Confeſſarius pœnitentem admonere teneatur, vt Inquiſitoribus denunciet aſſerentes vſuram, vel fornicationem, aliudue peccatum licitum eſſe.

NOto primò hanc difficultatem duas habere partes, altera reſpicit obligationẽ

Con-

Confeſſarij: altera verò pœnitentis.

Quoad primam, diſtinctione opus eſt: vel vt dictum eſt hac *Diſt. art.* 1. *diff.* 1. Confeſſarius cognoſcit probabiliter pœnitẽtem, quod parebit Edicto S. Inquiſitionis abſq; eius ſpeciali admonitione, & ſic non tenetur; quia iam per ipſum Edictum eſt admonitus; vel credit, quod niſi admoneatur ab ipſo, non ſit executurus mandatũ; & ſic, qua medicus ſpiritualis, obligatur etiam hoc modo curare ſuum pęnitentem, ita *Megalus Inſtit. Peregrin. lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 26. *Martinus Delrius Diſquiſit. Magic. lib.* 6. *circa principium, vbi de Confeſſario c. Qua medicus ſpiritualis.*

Quò verò ad ſecundum, obſeruo in primis Vſurarios, aut Fornicarios, vt tales non eſſe denunciandos; ſed pręcisè qua aſſerentes peccatum ſuum carere culpa.

Obſeruo ſecundò, quod quamuis hæc difficultas poſſit moueri de aſſerente quoduis aliud peccatum non eſſe tale; mouetur tamen in ſpecie præcipuè de his duobus: quia potius circa hęc crimina, quàm circa alia multi in fide tepidi dubitarunt: Quod autem iſti veniant denunciandi, probatur: ille Inquiſitoribus venit denunciandus, qui ab ipſis iure puniri poteſt: ſed temerè aſſerens fornicationem, vſuram, aut aliud peccatum licere, poteſt ab ipſis iure puniri, non minus ac quiuis Hæreticus: ergo denunciari debet. *Alphonſus de Caſtro aduerſus hæreſes, ver. Coitus. Iulius Clarus lib.* 5. §. *Hæreſis*, vt diligenter obſeruat *Simancas de Cathol. Inſtitut. tit.* 66. *nu.* 4. & 5. *Zanchinus de Hæreticis, cap.* 20. *nu.* 3. *ibi Inquiſitor potuit &c. Vmbertus Locatus in Opere Iudiciali Inquiſitorum, ver. vſuræ num.* 2. qui ita proloquitur: vſuram aſſerens non eſſe peccatum, tanquam Hæreticus puniendus eſt, vt in *Clem.* 1. *de Vſuris*, §. *Sanè, & alibi.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An aliquo gaudeant priuilegio Regulares, qui deponunt in S. Officio, vel ad illud recurrunt, quod intellige præter communes gratias etiam ſecularibus conceſſas.

RESpondetur affirmatiuè, quòd patet ex Decreto S. Congregationis S. Officij Romæ facto die 17. Auguſti 1567. in hæc verba.

Sanctiſſimus D. N. Pius Papa V. in generali Congregatione S. O. Conſulens libertati ipſius S. Officij: & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo teſtimonium perhibentium, ſtatuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis etiam Mendicantium Ordinum, perſonæ; quæ pro tempore ad officium S. Inquiſitionis pro quocunque negotio recurrerint, ſeu confugerint, vel in eo teſtimonium perhibuerint, veritatis, aut aliàs quomodolibet depoſuerint; nequaquam à ſuis Superioribus per quinquennium continuum à die recurſus, ſeu depoſitionis huiuſmodi moleſtari poſſe, vel ex quacunque cauſa, vel exceſſibus prætenſis perſonarum illarum: & de debitis propterea pœnis, ſeu penitentijs eiſdem imponendis, niſi ipſi Illuſtriſs. Cardinales Inquiſit. certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatũ, & ab ipſis Cardinalibus deſuper reſponſum fuerit.

Hoc decretum habes potiſſimum apud *Vmbertum Locatum in Opere Iudiciali Inquiſitorum in fine Operis, vbi de Decretis S. Congregat.* item apud *Aloyſium Bariolam in Floribus Directorij Inquiſitorum in fine totius Operis.*

Partes Confeſſarij Regularis erunt admonere ſuos pœnitentes, ne hoc priuilegio abutantur ad excuſandas excuſationes in peccatis; ne .s. ſuorum Superiorum obedientiam hac occaſione ſubterfugiant. Ipſi verò Superiores caueant, ne amare ferant ſub ſpecie boni, quod eorum ſubditi ſuas exonerent conſcientias denunciando, quos tenentur.

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I. LIBER QVINTVS.

De quarta particula Edicti ſubiectiua, vz. de Denunciatione in ſpecie, nempè vſurpantis munus Sacerdotale celebrando Miſſam; aut Confeſsionem Sacramentalem excipiendo, licèt non ſit Sacerdos; tangiturq; in Tex. ibi: *Che con ſacrilego ardire, non eſſendo Sacerdoti, s'habbino vſurpato, ò ſi vſurpino di celebrare la Meſſa, ò habbiano preſonto, ò preſumino di miniſtrare il Sacramento della Penitenza à i fedeli di Chriſto.*

Diuiditur liber iſte in quatuor diſtinctiones.

In quarum prima agitur de vſurpatione officij Sacerdotalis, tàm circa celebrationem Miſſæ, quàm circa exceptionem Confeſſionis Sacramentalis; non quidem generaliter, ſed præcisè prout conuenit ſubiectæ materiæ.

In altera diſſeritur magis ſpecificè de Sacerdote munus Sacerdotale vſurpante, s. ſolicitatione ad inhoneſta in actu Confeſſionis, vel ante, aut poſt immediatè quo ad eſſentialiora.

In tertia tractatur itidem de eadem ſolicitatione, ſed quo ad accidentalia.

In quarta denique ſimiliter fit ſermo de ipſamet; ſed quo ad emendationem Confeſſarij dicto modo ſolicitantis.

DISTINCTIO PRIMA.
De Abuſu officij Sacerdotalis.

Partitur diſtinctio præſens in quatuor articulos.

Primus reſpicit celebrationis Miſſæ, & Hoſtiæ non conſecratæ vſurpationem.

Secundus deſignat vſurpationem Sacerdotis circa exceptionem Confeſsionis Sacramentalis, vt interdum ſe habent aliqui laici in articulo mortis à peccatis Sacramentaliter abſoluere audentes: & interdum etiam aliqui Sacerdotes extra mortis articulum abſoluendo, licèt vſu actualis iuriſdictionis careat.

Tertius ponit praxim, qua tàm pœnitens, quàm Confeſſarius in hac contingentia vti poſſunt.

Quartus demum aſſignat pœnas contra vſurpantes dicta Sacramenta.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An carentes ordine Sacerdotali celebrando Miſſas fidei Cenſoribus veniant denunciandi.

Notandum carentes ordine Sacerdotij eſſe tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſticos non Presbyteros, licèt forent ſacris initiati, cuiuſmodi ſunt Subdiaconi, & Diaconi, quod notum eſt ex *Bulla Clemen. infra cit.* §. 3.

Reſpondetur difficultati affirmatiuè, cuius ratio eſt, tum quia non Presbyter Miſſas celebrans eſt de fide ſuſpectus, vt notat *Souſa in Aphor.*

Aphor. Inquiſ. lib. 1. *c.* 32. *num.* 8. tum quia ſic colligitur ex *Paulo IV. Gregorio XIII. Sixto V. & Clement. VIII. relatis per Laertium in Bullario tom.* 2. *pag.* 387. *& tom.* 3. *pag.* 128., tum præterea, quia malitia huius criminis ad idolatriā pertinet: quia ſic celebrantes faciunt Chriſti fideles adorare panem, & vinum tanquam verum corpus,& ſanguinem Chriſti, pro quanto in ipſis eſt,vide *diff.* 2. *ſequentem*, nec ad effectū ipſos denunciandi requiritur,vt Miſſam perfecerint, aut verba conſecrationis protulerint, vel vt etiam ſimul confeſſionem exceperint; notat *Souſa loco citato*; ſed ſat eſt, vt Sacerdotalibus induti Miſſam celebrare incæperint. Verùm non ſufficit, vt veſtes induerint Sacerdotales, aut celebrandi intentionem habuerint: quia, vbi opus eſt facto, non ſufficit intentio.

Porrò diligenter notare debes, quòd nec vi Edicti, nec prædictarum Bullarum explicitè veniunt denunciandi, qui,cum non ſint Sacerdotes, aliud Sacerdotum munus vſurparunt, vt conferre Oleum Sanctum; Euchareſtiam miniſtrare, baptizare ſolemniter cum Stola, &c. quod notat *Souſa loc. cit.* tamen hi grauiſſimè peccant, & veniunt non minus prædictis denūciandi tanquam vehementer de fide ſuſpecti; quia factum præſefert eos tenere contra definitionē *S. Conc. Trident. ſeſſ.* 7. *can.* 10. *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit.*

Notandum itidem difficultatem moueri de Celebrantibus,non autem de Celebratoribus; quia ad denunciationem non requiritur, vt pluries quis celebrauerit Miſſam; ſed ſufficit ſemel celebraſſe.

De Sacerdote Hoſtiam non conſecratam exponente, infra dicetur. Notandum verò, quod aliud eſt vſurpare munus Sacerdotale: aliud abuti Sacramentis.

Vſurpatio in textu eſt præcisè reſpectū Sacramenti Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: abuſus verò eſt reſpectu ſingulorum Sacramentorum, & Sacramentalium; hinc generalitèr præcipitur denunciatio ſuperſtitionum, abuſusq; rerum ſacrarum,patet ex textu. Res autē Sacra compræhendit nedum Sacramenta, ſed etiam Sacramentalia. Notandum denique contra hos ſacrilegos extare Decretum S. Cōgreg. S. O. die 20 Maij 1557. in hæc verba: *S. D. N. Papa Pius IV. decreuit, quod quicunque non habens Sacerdotium, & ordinē Presbyteratus auſus fuerit Miſſam celebrare, abſq; aliqua diſputatione tradatur Curiæ ſeculari puniendus*, quod refert *Locatus in fine Operis Iudicialis, vbi de Decret. S. Cong.*

DIFFICVLTAS II.

An veniant denunciandus Sacerdos, qui, exiſtenti in mortali, Hoſtiam non conſecratam porrigit ad eius vitandum ſacrilegium.

RESpondēt affirmatiuè communiter DD., & nominatim *Sanchez in Sel., diſp.* 35. *n.* 3. Dices,dictum Sacerdotem nullam committere reſpectu ſui idolatriam; eo quod ſciens Hoſtiam nō eſſe conſecratam, illam non adorat: alij verò,cum neſciant factum, formaliter non idolatrant. Reſpondetur, quod venit denunciandus non reſpectu alicuius idolatriæ à ſe,vel ab alijs patratæ: ſed quia ſcienter, & volens,& pro quanto in ſe fuit, proximum ſuum idolatrare fecit.

Vrgebis ſuſcipientem,adorantemue Hoſtiā idolatrare non niſi materialiter, cum bona id præſtet fide; adoratio autem materialis non facit quemquam verum idolatram; nam Deus potius mentem, quàm genua flexa reſpicit. Reſpondetur, quod & ſi taliter ſuſcipiens Hoſtiam non committat idolatriam formalem, cum adſit ei bona fides ab illa excuſans: porrigens tamen illam alteri, prout in ſe eſt, facit illum idolatrare: quare quemadmodū trahens ad idolum adorandum non ſolùm grauiſſimè peccat, ſed etiam venit denunciandus; ita dicendum de porrigente alteri Hoſtiam non cōſecratam: nec refert, quòd porrigens dictam Hoſtiam non habeat intentionem inducendi ad idolatriam: nam Eccleſia non attendit intentionem,quam non videt; ſed operationem externam,quæ ſibi ſubiecta eſt.

Nec obſtat bonum propoſitum adminiſtrātis: quia (teſte Apoſtolo) non ſunt facienda mala,vt inde eueniant bona.

Perperam ſe habet ſimiliter Sacerdos ille, qui ad vitandum ſacrilegium in ſeipſo, ne .s. Euchariſtiam indignè ſumat; non conſecrat, licèt ſimulet ſe conſecrare. *Sanchez vbi ſupra.*

Nec poteſt conſequi eleemoſynam pro tali Miſſa: quia minimè oblatum fuit auguſtiſſimum Corpus Chriſti, nec eius pretioſiſſimus Sanguis,quæ offeruntur in pænarum expiationem: datur autem ſtipendium pro oblatione veri Sacrificij, non pro apparentis, quale eſt oblatio Hoſtiæ non conſacratæ. *vide Sanchez loc. cit.*

DIFFICVLTAS III.

An Sacerdos peccatori, publico, v. g. blaſphemo minitanti ei mortem, niſi illi porrigat Hoſtiam conſecratam, eam porrigere poſſit.

REſpondetur diſtinctione ſic;vel illam petit in contemptum Eccleſiæ, ſeu ipſius Hoſtiæ: vel non; ſi primo modo nullatenus poteſt;ſed potius mori debet,quàm taliter fędari, cōueniunt DD. ſecus eſt ſecundo modo;quia ius poſitiuum non obligat ad illius obſeruantiam cum vitæ diſpendio; nec quiſpiam ſui corporis eſt abſolutè Dominus; propterea mortalitèr peccaret, qui proprium corpus læthaliter vulneraret. faciunt notata à *Ioan. Sanchez in Selectis, diſp.* 34. *nu.* 1.

Nec obſtat Iudicem mortis Reum de medio tollere poſſe: nam licèt ille iuſtam ob cauſam ad mortis ſuppliciū Reū condemnare poſſit: ſe ipſum tamen non poteſt occidere:

dominium .n. ſupra corpus conceditur illi, iuſtitia expoſtulante, reſpectu aliorum, non reſpectu ſui; patet tum ex iure gentium, quo Reſpublica ſponte ſubijcitur Iudici, tanquam capiti, vt ab ipſo regatur, & puniatur ſecundũ quod iuſtitia exegerit; tum ex iure diuino, vti manifeſtũ eſt diſcurrenti Diuinã Scripturam, & potiſſimùm librũ Iudicum: tum prętetea ex lege poſitiua multis in locis: ibi, publicè intereſt pęnã delinquentibus non remitti, *l. Si Operis C. de Pænis*. itidem ibi, publicè intereſt Prouinciam malis hominibus purgari, *l. 2. C. Quando li. ſine Iud. ſe vendica.*

ART. II.

De ſimulantibus Sacerdotium auſu ſacrilego peccatorum Confeſſionem excipiendo: ibi in Tex. Che non eſſendo Sacerdoti habbiano preſonto, ò che preſumino di miniſtrare il Sacramento della Penitenza à fedeli di Christo.

DIFFICVLTAS I.

An Cenſoribus Fidei veniant denunciandi, qui cum adhuc non ſint Sacerdotes Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare præſumunt.

RESpondetur affirmatiuè, conſtat, tum quia tales de hæreſi ſuſpecti ſunt, teſte *Ferdinando in Opere Morali part. 1. tract. 4. diſp. 8. pun. 16. § 9. nu. 1* apud quem alij; nam factum præſefert illos tenere contra definitionem *S. Concil. Trident. allatam art. 1. diff. 1.* tum quia deſignant huius eſſe ſententiæ, quod ad abſolutionem peccatorum Sacramentalẽ nõ requiratur eſſentialiter Sacerdotiũ: tũ quia colligitur ex textu, ibi, *Che con ſacrilego ardire nõ eſſendo Sacerdoti, &c. cap. 2. de Clerico non ordinato miniſtrante. Salzedus in Practica criminali, cap. 2. Roder. tom. 2 qq. regul. quæſt. 28. art. 2. apud aliũ Rodericum .s. Acbuna de Confeſſ. ſolicit. quæſt. 13. 10. Locatus in Opere Iudiciali, ibi Decreto 8. Maiolus de Irregular., lib. 4. cap. 13. n. 1. & 13.*

Notandum autem hanc difficultatem ſecerni ab illa, qua quæritur, ſi Sacerdos ſimplex Pœnitentem in Confeſſione ſolicitans, denũciandus ſit; qua ibi eſt ſermo de Sacerdote; hic verò minimè, quia ſimulans diſtinguitur ab illo, qui re ipſa eſt talis.

Hæc difficultas reſpicit tàm Clericos in Sacris, ſed adhuc non Sacerdotes, quàm laicos, ſequens verò tantum laicos.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitoribus veniat denunciandus laicus, qui, vrgente mortis articulo, excepit moribundi Confeſſionem.

RESpondetur diſtinctione, ſi huiuſmodi laicus verbis tantum deprecatiuis orationis vim habentibus vſus eſt, non eſt denunciandus iuxta diſpoſitionem *textus cap. 1. poſt initium de Pœninentia diſt. 6. & cap. Sanctũ, verſ. Cum in naui, de Conſecratione, diſt. 4. & cap. 2. de Furtis*: nam quamuis laico vetetur vti clauibus: tamen pro alio orare, illi non prohibetur. Cæterum venit denunciandus, ſi aſſerat in caſu neceſſitatis extremæ, qualis eſt mortis articulus, omnibus eſſe conceſſum abſolutionem Sacramentalem impartiri etiam laicis; ſicut & ex mente aliquorum Doctorum illis conceditur pro tali articulo facultas abſoluendi ab excommunicatione, & etiam baptizandi iuxta communem DD. placitum: Verum laici ſemper cedere debent Eccleſiaſticis, ſi contingat, quòd ſimul adſint. facit ad hoc Conſtitutio *Gregorij XIII.* incipit, *Officij noſtri partes.* Ad effectum autem denunciandi huiuſmodi laicum temerarium in ſententia multorum Doct. nõ ſat eſt audiuiſſe peccatum, vel peccata, ſed abſoluere attentaſſe innixum prædicto errori: patet ex dicta *Conſtitutione Gregorij*, ibi, *Et Confeſſiones audire, & abſolutionem impertiri*, vbi illa dictio (*Et*) importat vtrumq; *Emanuel. Roder. tom. 2. qq. Regul. quaſ. 27. art. 2. ante finem. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 33. nu. 1. contra Freitam apud Rodericum Acbuna, vbi ſupra in Annotationibus. Suarium de Pœnit. diſp. 21. ſect. 4. Farinacium de Hæreſi quaeſ. 193.* nam ſumus in pœnalibus, vbi facienda eſt ſtricta interpretatio. Notandum verò dictum laicum, qui ſe finxit Sacerdotem teneri iuxta communẽ DD. ſententiam ad ſigillum ſecreti; quinimmo iuxta multorũ placitũ tenetur etiam ad ſigillũ Sacramentale. *Nauar. in Sum. cap. 8. nu. 7. & cap. 18. num. 51. contra Sot. in 4. diſt. 18. quaſ. 4. art. 5. concl. 4.*

DIFFICVLTAS III.

An veniat denunciandus Sacerdos, qui abſq; vſu iuriſdictionis fidelium Confeſſiones excepit; à peccatis mortalibus tàm reſeruatis, quam non, abſoluendo.

RESpondetur, quod quamuis explicitè, .s. vi Textus fiat mentio præcisè illorum, qui cum non ſint Sacerdotes præſumunt, (vti conſtat) ibi, *Che non eſſendo Sacerdoti preſumono d'amminiſtrare il Sacramẽto della Penitẽza*, quod notat *Ferdinaodus in Opere Morali, par. 1. tract. 4. diſp. 8. pun. 6. §. 9. pagina mihi 556. & 554. n. 5. Rodericus Acbuna de Confeſſ. ſolicit. quaſ. 13. n. 14. Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 33. num. 6. Conſtitutio Gregorij XIII.* incipit, *Officij noſtri partes*. Secus tamen dicendum eſt, ſi dictus Sacerdos excipiat Confeſſiones obinde, quia teneat contra *Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 11.* Epiſcopos ius impediendi vſum iuriſdictionis minimè habere: nam ſi per aſſertionẽ præcisè, ſe riò tamen factã malè oleat de Eccleſiæ Canon. & veniat denunciandus; à fortiori, ſi practicet, quod perperam ſentit: ſuppono .n. talem non ignorare Eccleſiã ſuſpẽdere poſſe Cõfeſſarios ab vſu adminiſtrationis Sacram. Pęnit.; ſed eſto hunc temerariũ Sacerdotẽ nec malè ſentire de Eccleſiæ Decretis, nec quid tale aſſerere: ſed ex quadã libidine, aut tumore ſuę inanis ſcientiæ Confeſſiones Sacramentales excipiſſe; adhuc venit denunciandus, grauiterq; corripiendus ſuper temeritate ſua; nam cum Eccleſia cordis arcana minimè videat; & opus externũ deſignet dictum Sacerdotem malè ſentire de

ipſius

ipſius Eccleſiæ Conſtitutionibus; quo ſuppoſito illum meritò, & iuſtè punit; præcipuè, ſi non ſemel, ſed pluries auſus fuerit talia committere. Admonendusq; eſt nihil egiſſe in tali adminiſtratione; ſed tantum ſeipſum cenſuris, & peccatis ligaſſe.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An pœnitens, capta Confeſſione dignoſcens excipientem non eſſe Sacerdotem illum denunciare teneatur.

RESpondetur affirmatiuè (præmiſſa tamen ficto Sacerdoti correptione) ſi delictum eſt ſecretum; quam ſi non admittat, illum denunciare tenetur, cuius ratio eſt: quia per huiuſmodi crimen euadit ſuſpectus de fide, .s. quod ſentiat ad abſolutionem peccatorum Sacramentalem Sacerdotiũ minimè requiri; maximèq; procedit, cum vergat crimen hoc in damnum Tertij, hoc eſt, pœnitentium: quod à fortiori procedit, ſi factum eſt notum. Pro maiori verò intelligentia duo ſunt notanda. Primum eſt, in delictis atrocioribus, in quorum genere cenſeo iſtud eſſe; puniri conatum, etiam non ſequuto effectu, *l. Si quis non dicam, C. de Epiſ. & Cler. Menochius de Arbitrarijs, cap. 360. nu. 1. & 27. Decianus tract. Crimin. lib. 5. cap. 33. & lib. 7. cap. 35.*

Alterum eſt, quo ad effectum abſolutionis ſine Sacerdotio fruſtra omnia attentari media, patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6.* Vnde neque auctoritate Pontificia laicis committi poſſunt, quæ neceſſariò exigunt ordinem Sacerdotij, *cap. 4. de Conſuetudine, vbi Abbas, nu. 8. poſt alios Suarez tom. 1. de Sacramentis, diſp. 33. art. 4. ſect. 2. verſ. Tertia ſententia eſt.*

DIFFICVLTAS II.

An Confeſſarius ex Pœnitentiæ Sacramento dignoſcens Sacerdotem, cuius Confeſſionem excipit non habere actualem iuriſdictionem abſoluendi, notitia taliter acquiſita vti poſſit, v.g. deinceps non ſe illi ſubijciendo Sacramentaliter, prout prius ſolitus erat.

RAtio difficultatis eſt, quia Confeſſarius extra Pœnitentiæ Sacramentum ſine pœnitentis licentia nequit vti ſcientia illo mediante acquiſita aliquid operando, vel omittendo; quod in hoc caſu contingeret ob dictã cauſam, ſi legitimus Confeſſarius Putatiuo Confeſſario ſe Sacramẽtaliter ſubijcere deinceps omitteret. *Suarius, tom. 4 diſp. 33. ſect. 1. & 7. Sanchez l.b. 3. de Matrim. diſput. 16 nu. 3. & alij apud Bonac. de Pœnit. diſp. 5. q. 6. pun. 4. prop. 2. nu. 8.*

Reſpondeo integrum eſſe legitimo Confeſſario vti ſcientia taliter acquiſita, dummodò prudenter oſtendat non ex notitia Sacramentali; ſed aliunde ſumpſiſſe occiſionem non ſe amplius ſubiiciendi Sacramentaliter Putato Confeſſario; ratio eſt, quia ſic nullus rationabilis pudor, confuſio, aut damnum Putatiuo Confeſſario ſequitur; nec ob inde Confeſſio Sacramentalis iuſtè redditur illi odioſa. *Henriquez de Pœnit. lib. 6. cap. 24. nu. 5. Syluеſ. verb. Confeſſio 3. quaſ. 19. Onuphrius de Sacro Sigillo, ſect. 2. quaſ. 2. dub. 2. verſ. 3., & alij.*

Item Confeſſarius, qui ex Sacramentali Cõfeſſione cognouit vinum ad Miſſam ſibi paratum veneno eſſe infectum, Miſſam omittere poteſt deſignando ex alio capite, quam ex ipſa ſacrificij non conficiendi ſumpſiſſe cauſam. *Syluеſ. loc. cit. quaſ. 2. Bonac., vbi ſupra contra nonnullos ab ipſo citatos.*

Itidem par eſt Cõfeſſario, qui taliter dignouit necem ſibi parari domi ſe continere, vel recedere à loco ſcandali, eadem methodo obſeruata. Præterea ſibi æquum eſt tali ſcientia reddi cautiorem ad cuſtodienda propria, vigilantioremq; ſuper gregẽ ſuum; modo tamen alijs vigilantioribus conſueto. Prædictorum caſuum vna redditur ratio eſſentialis: quia nimirum hac methodo non redditur Confeſſio odioſa, nec pœnitenti confuſio.

Reſolutioni autem difficultas ſupra obiecta minimè obſtat; quia aliunde, quam ex Sacramentali Confeſſione demonſtratur deſumi occaſionem, iuſtamq; adeſſe cauſam ita faciendi.

Nec item obſtat ſuſpicio, quæ pœnitenti facilè ſuboriri poteſt: nam Confeſſarius pro illa cauenda tot, tantaq; mala ſibi imminentia minimè ſubire tenetur; maximè quod ſuſpicio huiuſmodi potius prouenit: quia pœnitens delicti à ſe patrandi eſt ſibi conſcius, quam ex actione, aut omiſſione Confeſſarij: cum ob aliam cauſam quid tale feciſſe, vel omiſiſſe ſigno, vel verbo oſtenderit: quare non peccat taliter ſe habendo.

ART. IV.

Quas pœnas lueant, qui prædicta vſurpant Sacramenta, cum Sacerdotes non ſint.

REſpondet *Clemens VIII. in Conſtitut. contra prædictos,* quę incipit, *Et ſi aliàs,* quã habes apud *Stephanũ Quaranta in Summa Bullarij, verbo Ordo,* & apud *Bariolam in Floribus Directorij Inquiſitorum in Bullis Apoſtolicis* in hæc verba: *Hac perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, atque ſtatuimus, vt quicunque non promotus ad Sacrum Presbyteratus ordinem repertus fuerit Miſſarum celebrationem vſurpaſſe, vel Sacramentalem Confeſſionem audiuiſſe, à Iudicibus Sanctæ Inquiſit. vel locorum Ordinarijs tanquam Eccleſiæ miſericordia indignus, à foro Eccleſiaſtico abijciatur, & ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus, ſtatim Curiæ ſæculari tradatur per Iudices ſæculares debitis pœnis plectendus.* facit ad hoc etiam *Bulla Gregorij XIII.* incipit *Gregorius Papa, quam reperies apud Emanuel Rodriquez quaſ. Regularium tom. 2. quaſ. 28. art. 2.* & apud *Bariolam loc. cit. Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 50.* Verùm notandum, eum, qui non inſignitus ſacro ordine Presbyteratus audit præciſè Confeſſionem; ſed poſtea non abſoluit, non incidere in pœnas prædictas: tum quia deficit formalis ratio Sacramenti Pœnitentiæ, quæ conſiſtit non tantum in actibus pœni-

pœnitentis, ſed in abſolutione Sacramentali: ita *Arſen. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 2011. tum quia *Conſt. Clem.* 8. loquitur copulatiuè, proloquens in hæc verba, vz. *Dum iniquè ſibi aſſumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem abſoluendi à peccatis*, patet idem *ex argum. Bullæ Gregorij XIII.* ibi, *Confeſſiones audientes, & abſolutionem impertientes*; *alio modo venit tamen grauiſsimè puniendus ob maximum ſacrilegium.*

Confeſſarij verò Sacerdotio inſigniti, qui imprudenter, vel malitioſè abutūtur Sacramēto Pœnitentiæ peccata ibi audita detegendo ſibi damnationem acquirunt, nullumq; indicium contra Reum in S. Officio facientes: quia Confeſſio facta fuit Confeſſario, non vt homini, ſed vt Deo. ita ex *Arſen. loc. cit. adm.* 13.

DISTINCTIO SECVNDA,
Circa denunciationem Confeſſariorum ſolicitantium in actu, vel proximè immediatè ad Confeſſionem.

Diuidimus autem iſtam in duos articulos iuxta duo in ipſa conſiderata.

Conſideramus in primo magis eſſentialia ad denunciationem iſtam.

In ſecundo autem ſoluuntur quædam dubia circa dictam denunciationem.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Cuius Pontificis Conſtitutionem contra Confeſſarios in Confeſſione ſolicitantes ſequimur in hoc libro.

CVM plures ſint Summorum Pontificum Conſtitutiones, contra Confeſſarios in Confeſſione Sacramentali ad venerea ſolicitantes; illas cognoſcere opere pretium eſt, vt in hoc tractatu, ſeu expoſitione ſciamus, an omnes, & ſingulas Conſtitutiones ſequamur, vel tantū vltimam, nimirùm, illam *Gregorij XV.* incipit. *Vniuerſi Dominici gregis &c.*

Extat Conſtitutio Pij IV. incipit, *Cum ſicut nuper, & habetur in ſecundo tom. Bullarij.*

Extat Conſtitutio Pauli V. incipit: *Dilecte fili, quam habes in Bullario tom.* 4.

Extat Conſtitutio Greg. XV. incipit, vt ſupra *Vniuerſi Dominici &c.* quam item reperies in *Bullario, tom.* 4. & in his confirmantur aliæ vz. illa *Pauli IV. & Clem. VIII.* vt ſcitè notauit *Boſſius de Priuilegijs Iubilæi in Append. de Confeſſ. ſolicit. in præfatione nu.* 1.

Nos in hac expoſitione ſequemur illam Greg. XV. in qua idem Gregorius confirmat, ampliat, & extendit aliorum Pontificum Conſtitutiones, & Decreta ad omnes vbique locorum exiſtentes, etiam regulares, & exemptos, & ad ſolicitantes quaſcunque perſonas in Cōfeſſione ante, vel poſt illam immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis, vel in Confeſſionario, quos etiam grauibus pœnis afficit.

Præterea idem Gregorius omnibus Confeſſarijs præcipit, vt ſuos admoneant pœnitentes, quos nouerint ab alijs Confeſſarijs ſolicitatos ſe teneri ad illos denunciandum Inquiſit. ſeu locorum Ordinarijs. Quapropter, vt Confeſſarij cognoſcere queant, quando nam ſui pœnitentes ad dictam denunciationē teneantur: & quando eos abſoluere nequeant, niſi præmiſſa denunciatione, infra poſita ſubijciā.

Notandum inſuper, quod idem Gregorius loquitur de omnibus Sacerdotibus, minimè ſe reſtringens ad illos, qui ad audiendas confeſſiones relaxato iuriſdictionis vſu ſunt deputati: ſufficitq; confeſſionem extitiſſe ſacramentalem, licèt pœnitens non abſolutus fuerit.

Itidem obligat idem Gregorius ſub mortali Confeſſarios, vt admoneant pœnitentes ſolicitatos de obligatione denunciandi, patet, ibi: *Mandamus*: & ſubinde obligat ipſos pœnitentes item ſub mortali ad exequendum mandatum, ſecus nullius momenti foret præceptum prædictum Confeſſarijs iniunctum, velut obſeruat *Boſſius loc. cit. dub.* 22. *nu.* 75.

DIFFICVLTAS II.
An detur materiæ paruitas in genere ſolicitationis, de qua ſermo.

BOſſius *de Priuilegijs Iubilæi in Appendice de Confeſſarijs ſolicitan. dubitatur* 18. *num.* 50. *& deinceps ad* 55. *vſque*, affert rationes pro vtraque parte; verùm ipſe ſequitur negatiuam, pro qua non paucos cumulat DD. illam ſuſtinentes, & pro affirmatiua non aſſignat niſi vnicum Doctorem.

Ego accuratè perpenſis illis verbis in genere ſolicitationis diſtinguo de ſolicitatione largè, aut ſtrictè ſumpta. Si loquamur de illa primo modo; dicendum eſt, dempto prauo fine, ſcandalo, aut proximo ad mortale periculo, dari poſſe materiæ paruitatem, .i. actus veniales ad amorem allicientes: v. g. intuitum non ſatis grauem; ſed potius leuem: & item verba eiuſdem generis, videlicet, verba ſcurilia; à quibus tamen tanquam à peſte graſſante cauendum eſt in omni loco; ſed in primis in actu, ante, vel poſt immediatè adminiſtrationē Sacramēti Pœnitentiæ, nam qui modica ſpernit paulatim decidet. faciunt tradita à *Caiet.* 2. 2. *quæſ.* 154. *art.* 4. *Nau. in Sum. cap.* 14. *n.* 42. *Sanchez lib.* 9. *de Matrim. diſput.* 46. *& alij.*

Aut loquimur de ſolicitatione ſtrictè, nimirùm ſub propria formalitate ſolicitandi ad malum, in propoſito ad venerea; & ſic non video, quo pacto materiæ paruitas dari poſſit: tum quia finis mortaliter peccaminoſus piaculum conficit graue: tum quia, cum hi actus exerceantur tempore actualis Confeſſionis, vel ſaltem immediatè ante, vel poſt in Confeſſionario; & à perſona Eccleſiaſtica ad ſalutem animatum procurandam mancipata, &c. ex

his

his DD. deſumunt grauitatem, immo atrocitatem, quod notauit *Boſſ. loc. cit. ex mente Petri Aero. lib. 2. Decretorum, de re milit. cap. 27.*

Verùm, quia Conſtitutiones contra ſolicit. non loquuntur de ſolicitatione ex parte finis; cum non cadat ſub noſtra cognitione; & ſubinde ob hunc ſolicitator denunciari nequeat; ſed ex parte operis externi ſatis prauum finem deſignantis; circa quod ſtandum eſt potiſſimū iudicio Denunciantis, ſi perſona grauis, & prudens exiſtat: quod ſi fuerit ſcrupuloſa, leuis, nimiſq; timida (facta depoſitione) prudentia, & epichea Iudicis defectum Denunciantis ſupplere debet, omnibus circunſtantijs accuratè, & non ſemel, ſed iterum, ac tertiò perpenſis, qui etiam ſuper arbitraria lumen à Deo peti debet, ne in re tanta error contingat.

DIFFICVLTAS III.

An ad denunciationem requiratur, vt actus ſolicitationis ſit mortaliter peccaminoſus.

RESpondeo affirmatiuè, vnde Cõfeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione iuſtam mulieris amicitiam procurat; niſi alia addatur circunſtantia, quę animum libidinoſum oſtendat; non facit contra Decreta de ſolicitatione, nec conſequenter venit denunciandus: ita *F. Antonius à Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 34. num. 4. & 5.* Patet primò, quia non venit denunciandus, niſi hæreticus, vel de fide ſuſpectus; nullus autem eſt Hæreticus, aut de fide ſuſpectus præciſè ob actum iuſtum, vt de ſe conſtat.

Patet ſecundò, quia perſona ſolicitata abſque iuſta cauſa denunciationẽ omittens peccat mortaliter, vt notat *prędic. Doct. loc. cit. n. 61.* nullus autem peccat mortaliter omittens denunciationem peccati venialis, eſto quod intercesserit.

Patet tertiò, ex parte Confeſſarij, quia ſi nõ declaret perſonæ ſolicitatæ obligationem denunciandi; aut eidem dicit ad talem denunciationem non teneri; ab Inquiſitore, vel ab Ordinario pro qualitate culpæ puniri poteſt; non punitur autem ob veniale; nam iuxta vulgata iura; de minimis non curat Prætor. *cap. Ad noſtrum. de Rebus Eccleſ. non alienan. cum ſimil.*

Verùm vnus actus ſolicitationis mortalis ſufficit, vt Confeſſarius propriè, & verè dicatur violator Decretorum contra Solicitantes, vt videre eſt apud *Souſam loc. cit. nu. 26.*

Itidem dicitur verè Solicitator, tametſi ſtatim poſt ſolicitationem eum pœniteat ſe ſolicitaſſe: nam ſæpè poſt factum ſtatim nos pœnitet etiam eorum, quæ magna cum deliberatione fecimus: nec ob immediatam pœnitentiam ſequitur, quin prius interceſſerit vera ſolicitatio: Vnde Confeſſarius non excuſatur, ſi alleget in ſui defenſionem vehementem animi paſſionem: quia non præſupponitur tanta, vt priuet vſu rationis, conſiderationis, & deliberationis ad mortale neceſſariæ. ita *Boſſius de Priuil. Iubilæi in Appendice, dub. 14. nu. 34. Sanctarellus de Hæreſi, cap. 44. nu. 18. Roder. Achuna de Confeſſ. ſolicit. quæſt. 14. nu. 8.*

DIFFICVLTAS IV.

An differat ſolicitare ad inhoneſta in actu Confeſſionis, & immediatè ante Confeſſionem, vel poſt item immediatè.

RESpondeo opus eſſe omninò diſtinctione: Vel loquimur quo ad denunciationem: vel quo ad punitionem, & grauitatem delicti: ſi primo modo æquè deferendus eſt Cenſoribus fidei; qui ſolicitauit ante immediatè, vel poſt immediatè, ac ille, qui in actu Confeſſionis Sacramentalis; quòd ſatis conſtat ex verbis Bullæ contra *Confeſſ. ſolicit. præcipientis indifferenter, deferendos eſſe tàm iſtos, quàm illos.*

Si verò loquamur ſecundo modo grauius puniendi ſunt, qui in actu Confeſſionis, aut in Eccleſia, vel Confeſſionario ſolicitarunt; quā qui extra actum Confeſſionis, aut extra Eccleſiam, vel Confeſſionarium: nam iuxta *Henriquez lib. 6. cap. 19 nu. 8. Suarez de Pænitentia, diſp. 33. ſect. 2. & 3.*, non datur ſacrilegium niſi in actu Confeſſionis, quod notat *Rodericus Achuna tract. de Confeſſione ſolicit. quæſ. 2. n. 12.* cui tamen contradicit *Freitas in Additionibus ad ipſum Roder. loc. cit. nu. 25.* videlicet ſacrilegium quoque dari in ſolicitatione, ſiue fiat ante, ſiue poſt Confeſſionem immediatè, eius ratio eſt; tum quia id habetur pro facto, quod proximè faciendum eſt; tum quia potentia actui propinqua habetur pro actu: quòd quidem mihi probatur, ſi Confeſſarius nouerat perſonam ſibi præſentari pro ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ: differunt enim precisè ſecundum plus, & minus; plus autem & minus non variant ſpeciem: Verùm non adeò grauius venit hoc ſacrilegium puniendum, ac quando contingit in actu Confeſſionis Sacramentalis: nam iuxta delicti grauitatem, & plagarum modus eſſe debet.

DIFFICVLTAS V.

An Sacerdos Confeſſarius, qui in Confeſſionario, ſeu loco ad Confeſſiones audiendas deputato ſolicitauit, denunciandus veniat.

SVppono ſolicitationem dicto loco factam non contigiſſe tempore Confeſſionis, nec ante, vel poſt immediatè; ſed alio tempore: aliaq; de cauſa, quam excipiendi Confeſſiones, aut illas ſimulandas ſe illuc poſuiſſe: Sed fortaſſe, quia Cõfeſſario nullus locus, v. g. vt ſomnum caperet, vel quieſceret, aptior ſibi cõtigit.

Reſpondet *Naldus verbo Confeſſarius nu. 26. ſub fine*, Sacerdotem hunc forè denunciandū, addens ſic ſeruari in ſanctiſſima generali Vrbis Inquiſitione, *Bonac. verò de Matrim. quæſt. 4. puncto 16. prop. 5. item ſub fine*, putat, hoc eſſe intelligendum ex præſumptione fori externi, ex loci circumſtantia præſumentis ſolicitatiõnem factam eſſe in Cõfeſſionario Confeſſionum audiendarum occaſione. Idem ego ſentio, cum *Bonac.* ſtante ſuppoſito, vt Confeſſarius Sacerdos acceſſerit ad locum non pro exci-

excipiendis Confeſſionibus; ſed v. g. vt ibi dormiret; itemq; vt mulier ad illum aduentarit locum non pro Confeſſione; ſed fortaſſe, vt ibi commodius genuflexa diutius oraret: Vnde his ſtantibus denunciationē eſſet facienda; aliòquin ſequeretur, quòd foret denūciandus Confeſſarius habitualis: & quod mulier, quæ reſpectu iſtius non fuit pœnitens actu, nec diſpoſitione, vt ſuppono; teneretur ad denunciationem Sacerdotis ſolicitantis, quod non eſt dicendum. Vel quod Confeſſionarium, vel alius locus ad excipiendas Confeſſiones ordinatus; ſtatim vt quis in illo eſſet pro quocunq; negotio; conſtitueret quemque Confeſſariū actu: vel quod omne ſacrilegium in Confeſſionario perpetratum veniret denunciandum, quod non eſt probabile. Si itaq; mulieri, vel alteri, qui in Confeſſionario, vel loco ad Confeſſiones excipiendas deputato; certum fuerit, quòd Confeſſarius ob aliam cauſam ab illa Confeſſionis ad Confeſſionarium acceſſerit; & quod ipſa itidem illuc petijt ob aliam causā, quam ob Confeſſionem, non obſtante ſolicitatione ibi facta, non tenetur Confeſſarium denunciare. Nec obſtat Confeſſarium Confeſſionario abuſum fuiſſe: quia quemadmodū non quodlibet ſacrilegium venit S. Tribunali deferendum, vt notum eſt de laico in Eccleſia crimen patrante: ita nec quilibet rei ſacrę abuſus, & ſi à Clerico (quod abſit) attentatus, vel fortaſsè etiam conſumatus fuerit.

Itidem nō obſiſtit reſolutioni ſacrilegij peſſimi ſcandalum, quod intulit Confeſſarius ille perditus ex patratione ſceleris in loco ad ſacra deputato; quia, vt modo ſupra dixi, non omne ſacrilegium S. O. venit denunciandum: ſed tantum illud per Apoſt. Conſtitutiones in ſpecie deſignatum; vti eſt illud, de quo *Conſt. Pij IV* incipit: *Cum ſicut nuper, quam habes in 2. tom. Bullarij Conſt. Pauli V.* incipit: *Dilecte fili: quam reperies in 4. tom. Bullarij, & refert Portel. ver. Solicitare. Conſt. Gregorij XV.* incipit: *Vniuerſi Dominici gregis, quæ habetur in 4 tom. Bullarij, & aliæ contra Confeſſar. in Confeſſione Sacramen. ſolicitantes.* Verùm in dubio caſus propoſiti, poſſeſſio ſtat pro lege Conſtitutionum Apoſtolicarum denunciationem ſolicitantium in actu Confeſſionis ante, vel poſt immediatè præcipiente.

DIFFICVLTAS VI.

Quæ ſolicitatio cēſenda ſit facta ante, vel poſt immediatè Confeſſionem, vt Inquiſitoribus denunciari debeat.

RESpondeo illam ſolicitationem dici ante, vel poſt immediatè, quando inter ſolicitationem, & confeſſionem nullus alius actus mediat; ita vt neq; Confeſſarius, neq; femina ad extraneos actus diuertant: Vnde, ſi Confeſſarius audita Confeſſione ſtatim ſcribat litteras, ſtudeat, &c. non dicitur ſolicitator immediatè poſt Confeſſionem; quia actus ſcribendi, aut ſtudendi interponitur. ita *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 54. nu. 30.* Dicitur in dicta Conſtitutione, etiam Confeſſione non ſequuta: hinc actus immediatus ad Confeſſionem cenſeri debet, ſi Confeſſarius ſciens mulierē velle confiteri, illam ſolicitet; quamuis poſtea Confeſſio non ſequatur, ita *Roder. Achuna de Confeſſario in Confeſſione ſolicit. quæſt. 14. nu. 8.* quem ſequitur *Souſa loc. cit. nu. 31. Freitas ad Roder. Achuna, quæſ. 5. nu. 20. Paramus de Orig. S. Inqu. lib. 3. quæſ. 10. nu 47.*

DIFFICVLTAS VII.

Mulier iuit ad domum Sacerdotis Conſilij cauſa, quo dato, illam ſolicitauit, quæ cum ob verecundiam, qua afficitur talia confitendo, renueret ei aſſentire; ille ſubiunxit, ſe excepturum eius Sacramentalem Confeſſionem, quando ipſi mulieri benè viſum fuerit.

Quæritur, num iſte Sacerdos ligetur pœnis contra Confeſſarios ſolicitantes in Confeſſione, vel ante immediatè, vel poſt item immediatè.

RAtio difficultatis eſt, quia Sacerdos iſte mulieri, vt ſibi morem gereret, pollicitus eſt, quod eius Sacramentalem Confeſſionem exciperet; ex cuius comoditatis motiuo illicò ei aſſentit: vnde videtur illū Pœnitentiæ Sacramento abuſū fuiſſe, & ſubinde denunciandū.

Reſponſio eſt negatiua, cuius ratio eſt; quia, vt Confeſſarius irretiatur pœnis contra ſolicitantes; requiritur ſolicitatio in actu Confeſſionis, vel ante immediatè; aut poſt ſimiliter immediatè; nulla autem iſtarum conditionū hic adeſt: ergo. Maior patet ex Bullis Pontificijs. Minor verò probatur quoad ſingulas conditiones. Non fuit facta in actu Sacramenti Pœnitentiæ, quia non entium nulla eſt qualitas, *l. Eius qui in Prouincia. ff. Si cer. pet.* nondum enim exceperat eius Confeſſionem; neq; ante Confeſſionem; quia mulier nō petijt domum dicti Sacerdotis gratia Confeſſionis: nec Sacerdos paratus erat pro audiendis Confeſſionibus. Nec item, vt ſupponitur, poſt Confeſſionem immediatè, quia poſtquam excepit eius Confeſſionem, illam dimiſit omiſſa omni ſolicitatione, vt ſuppono.

Secundò probatur, duæ aliæ extant conditiones, ob quas Sacerdos annodari poteſt pœnis contra Confeſſarios ſolicitantes.

Altera eſt, ſi fiat ſolicitatio occaſione Confeſſionis.

Altera, ſi prętextu itidem Confeſſionis, non fuit autem facta occaſione Confeſſionis: quia Sacerdos non excipiebat Confeſſiones; nec ſimiliter prætextu Confeſſionis; quia non ſimulauit audire Confeſſiones in Confeſſionario; aut in alio loco ad audiendas Confeſſiones deſtinato. Nec mulier, vt dixi, ipſum adijt pro expiatione Sacramentali ſuæ conſcientiæ. faciunt tradita à *Boſsio de Priuil. Iubilæi in Append. de Confeſſ. ſolic. dub. 11. ſub nu. 29.*

Nec obſtat ratio dubitandi: quia promiſſio auſculandi iſtius Confeſſionem non inuoluit abuſum Sacramenti; ſed tantum reddit caſum faciliorem, cum hoc tamen, quòd promiſſio huiuſmodi, ſaltem ex conſequenti eſt quid

bonum;

bonum; cum includat liberationem à peccatis; ſicut etiam propoſitum mulieris confitendi peccatum, ſi illud formauit; nam obindè deſignat voluntatem minus firmatam ad peccandum. *D. Thom. 2.2. quaſ. 21. art. 2. in reſpon. ad tertium in ſimili de peccante ſub ſpe veniæ.*

Nec itidem obſtat, quod in aliquibus Diœceſibus, & præcipuè in Bergomenſi, vbi ſcribimus, Confeſſarius non poteſt excipere Confeſſionem complicis in crimine carnali; quia quæſtio hæc longè differt ab illa. Nam hìc quærimus, ſi Confeſſarius ex dicta promiſſione inciderit in pœnas contra ſolicitantes &c. ibi verò quæritur, An Confeſſarius in crimine carnali complex alterius complicis Confeſſionem Sacramentalem excipere poſſit; Ad cuius ſolutionem remitto vos ad ea, quæ tradidi in Commentarijs ſuper caſus reſeruatos Diœceſis Bergomenſis *par. 1. diſt. 14. art. 2. diff. 2.*

Cauendum tamen eſt à ſimili promiſſione: quia etſi promiſſio excipiendi Confeſſionem ſit in ſe bona: tamen quatenus poteſt eſſe impulſiua ad malum, eſt peccaminoſa; & ſubindè fugienda: itèm prout recidiuij incentiuum eſſe poteſt. Item in quantum aufert à pœnitente conditionem verecundiæ, quæ illi plurimùm prodeſt detegendo homini ſua peccata; Verùm Confeſſarius inter excipiendum dictę mulieris Confeſſionem, ipſam admoneat, vt verecundetur ſaltèm coram Deo, quod pro modica voluptate dereliquerit Deum Creatorem, ac Redemptorem ſuum iuxta verbum Dei, *Hierem. cap. 2. Duo mala fecit Populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Si contra reſoluta inſtes Confeſſarium Sacramento Pœnitentiæ dicta promiſſione abuſum fuiſſe, negatur: quia quod non eſt, non poteſt abuti: nō fuit autem promiſſionis tempore ſermo de Sacramento adminiſtrando, vel ſuſcipiendo, nullaq; præparatio ad hoc ex parte Confeſſarij, aut Pœnitentis.

Quod, ſi vrgeas ob promiſſionem mulierē aſsenſiſse Confeſsarij cupiditatibus. Reſpondeo promiſſionem adminiſtrandi Sacramentū longè diſtare ab ipſa actuali adminiſtratione: quemadmodū diſtat promiſſio ędificandi domum ab ipſa actuali ædificatione.

DIFFICVLTAS VIII.

Quæ ſimulatio prohibetur dicta Conſtitut. contra ſolicit.

RESpondetur præcisè prohiberi ſimulationem Confeſſionis Sacramentalis; conſtat ex illis verbis; ſimulantes ibi Confeſſiones audire, quod notat *Trullench. in Expoſ. Decal lib. 1. cap. 3. cap. 18. nu. 73. qui refert Dianam aliud ſentire 4. part. tract. 5. reſol. 38. innixum cuidam Decreto S. Cong. Cardin. ſub fęlicis recordationis Paulo V. die 10. Iuly 1614.* cuius tamen exemplar non ponit, nec aſſignat, quomodo incipiat, vt inquiri poſſit: quare ſciendum aliam eſſe ſimulationem, quæ ordinatur ad ſolicitationem pœnitentis; aliam verò, quæ ordinatur ad abſcondēdum peccatum ab oculis circunſtantium: prima eſt, de qua loquitur Decretū Greg. quod non eſt dicendum de altera, quæ fit, ne quis patiatur ſcandalum: ex. gr. ſi Confeſſarius extra Confeſſionem, & locū Confeſſionis tractans cum muliere ad euitandum mali ſuſpicionem ex colloquio cęrimoniam in abſolutione Sacramentali ſolitam vſurpet, vt eleuando manum ſuper ipſius mulieris caput abſolutionem ſimulando.

Similiter non venit denunciandus Confeſſarius, qui ſolicitauit mulierem, quæ conſultationis gratia manifeſtauit illi aliquod peccatum: nam conſultatio differt à Confeſſione Sacramentali; à diuerſis autem non fit illatio *l. Papinianus ff. de Minori.* quod notat *Trullench. in Expoſ. Decalogi lib. 1. c. 3. dub. 8. nu. 75. 76. & 78.* vide infra *diſt. 4. art. 4. diff. 5.* vbi tractatur ex profeſso hæc diffic. Idem dicendum, quando Confeſsarius, & Pęnitens ex condicto elegerunt Confeſſionarium, vt liberius tractarent de modo abſcondendi eorum peccatum: tum quia huiuſmodi tractatus non eſt ſolicitatio, quæ eſsentialitèr requiritur; deficiente autem altero ex neceſsariò requiſitis nullus venit denunciandus: tum quia talia ibi tractātur abſq; Confeſſionis ſimulatione (vt ſuppono) *Trullench. loc. cit.* Nec refert circunſtantes exiſtimare, Sacramentalem fieri Confeſſionē; illorum .n. exiſtimatio non conſtituit Confeſſarium ſub ſimulatione Confeſſionis Sacramentalis, de qua Bullæ contra Confeſsarios in Confeſſione ſolicitantes.

DIFFICVLTAS IX.

Qui ſunt ſermones inhoneſti, quos diuetant Conſtitutiones Pontificiæ contra Confeſſarios in Confeſſiones ſolicitantes.

RESpondeo illos ſermones, ſeu tractatus cenſeri inhoneſtos, qui ad finem inhoneſtum ordinantur, .ſ. ad ſolicitationem venereorum: illos verò è contra minimè cenſeri tales, qui ad aliud ordinantur; licèt primò acceſsu quid turpe præſeferant, quales ſunt, qui fiunt inter Confeſsarium, & pęnitentem diſcurrentes inſimul in actu Confeſſionis de modo abſcondendi à conſpectu hominum delicta ab ipſis patrata; vel de modo euitandi ſibi imminentia mala: & huc ſpectat vulgatū illud *Ariſt. axioma, cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt: & cuius finis malus eſt, ipſum quoque malū eſt.* hinc *D. Ambroſius* ita proloquitur: *Intentio tua operi tuo nomen imponit.* patent prædicta ex natura verbi ſolicitare, quòd in propoſito non deſignat habere diſcurſum de peccatis iam patratis ad aliquem effectum bonum: ſed ſignificat prouocare, ſeu allicere precibus, vel alia ratione inuitare ad turpia vel inhoneſta committenda. vti notat *Rodericus Achuna in tractatu de Confeſſarijs in Confeſs. ſolicit. num. 14. Bonac. Tract. Varijs diſp. 6. punc. 3. propoſit. 1. nu. 2. Sanctarellus de Hæreſi, quæſ. 44. nu. 7.*

nu. 7. & alij. Hæc declarantur in gratiam hominum nimis timidorum, aut ſcrupulizantiũ, pauentium peccata eſse, quæ non ſunt: nam iuxta proloquium D. Gregorij: bonarum mentium eſt timere peccatum, vbi non eſt.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quis generalitèr incidat in pœnas Decreti Gregorij XV. contra Confeſſarios ad actus venereos ſolicitantes in actu Confeſſionis ante, vel poſt immediatè.

NOtandum ad incurrendum tria copulatiuè eſsentialitèr requiruntur.

Primum, vt ſolicitans ſit Sacerdos ad excipiendas Confeſſiones paratus.

Alterum, ſolicitatio, ſeu prouocatio ſiue fęminæ, ſiue maris ad venerea, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs quomodolibet perpetranda, etiam effectu non ſequuto, aut non iterata ſolicitatione.

Tertium, vt fiat in aliquo infra dictorum locorum, & modorum.

Primo, in actu Confeſſionis.

Secundo, ante, aut poſt Confeſſionem immediatè.

Tertio, in Confeſſionario Confeſſionem ſimulando.

Quarto, in loco quocunque ad audiendas Confeſſiones electo: ſolicitatio autem, ſeu prouocatio generalitèr duobus modis contingere poteſt: alter eſt occaſione, ſeu prætextu Confeſſionis Sacramentalis: alter ſimulando Confeſſiones excipere.

Vi primæ particulę venit denunciandus quiuis Sacerdos, ſi ſolicitet aliquo prædictorum modorum. Item ille Sacerdos, cui à pœnitente manifeſtatur peccatum in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ: v. g. vt obtineat facultatem illum abſoluendi, alijs concurrentibus conditionibus.

Vi ſecundæ venit denunciandus Confeſſarius, qui ſolicitauit pęnitentes iam ſigno Crucis ſibi facto, vt inciperet confiteri peccata, licèt ab ipſo Confeſſario reiecta fuerit cõfeſſio in aliud tempus, vt dr̃ diff. ſequente, quod procedit; etiam ſi non pro ſe, ſed pro alio ſolicitauerit, vt medius ad alterius peccaminoſũ congreſſum, ſiue naturalem, ſeu contra naturam.

Vi tertiæ venit denunciandus Confeſſarius, qui in aliquo prædictorum locorum habuit facta venerea, aut tractatus .s. venereos quouis modo, videlicèt, ſiue verbis, ſiue ſignis, cõcurrentibus tamen alijs conditionibus: nam, vt ſupra cautum eſt, prędictæ particulę requiruntur copulatiuè, cum .n. ad alicuius effectum plura neceſſariò copulatiuè requiruntur, altero deficiente nihil ſequitur. *l. Si quis ita ſtipulatus fuerit, ff. de verb. obligat.*

E contra ex defectu primę ſequitur non eſſe denunciandum Sacerdotem, qui, quando ſolicitauit, ad Confeſſiones excipiendas non erat paratus; licèt poſtea, ſed non immediatè excepert perſonæ ſolicitatæ Confeſſionem. Itèm nec laicus, nec Clericus adhuc non Sacerdos, nec interpres Confeſſionis, nec mandans Cõfeſſario ſolicitationem: ratio eſſentialis harum cõſequentiarum eſt; quia ſinguli diſtinguũtur à Confeſſario. faciunt allata per *Souſ. in Aphor. Inquiſit. lib. 1. cap. 34. nu. 13. & 14.*

Ex defectu ſecundæ non venit denunciandus Confeſſarius, qui ſolicitauit alterius pęnitentem, licèt ad venerea, & in locis prædictis: quia correlatiua ſunt pęnitens, & Confeſsarius: quare quando alter non eſt Confeſſarius reſpectu alicuius, nec alter eſt pęnitens reſpectu illius: nam relatiua poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt; adeò, vt vno poſito, aliud quoque .s. ſuum correlatiuum ponatur, & vno perempto, aliud perimatur, nõ quidem ſecundum eſſe, ſed in ratione relatiui, & correlatiui. *Souſa vbi ſupra nu. 23. Trullench. in Exp. Decal. Præcep. 1. c. 3. & alibi.*

Item nõ venit denunciandus Confeſſarius, qui in prædictis locis ſe polluit; vel ibi congreſſum cum aliqua habuit extra occaſionẽ, vel ſimulationem Confeſſionis. Item licèt ſolicitationi ſibi factæ à pęnitente aſsenſum interiorem præſtiterit; ratio ſingularium iſtarum concluſionum eſt, quia non interceſſit ſolicitatio, nec prouocatio ex parte Confeſsarij reſpectu pęnitentis.

Ex carentia tertiæ; in ſententia multorum non venit denunciandus Confeſſarius, qui habuit congreſſum, vel impudicè tetigit pęnitentem, dum illa non potuit animaduertere iſta: v. g. dum detineretur graui morbo caduco ante pedes Confeſſarij, quia nulla interceſſit ſolicitatio, vt ſupponitur. ita *Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. & 18.* quod ſecus dicendum eſt, ſi vulpizaſset, fingendo nõ aduertiſse: quare vulpizantem ab onere denunciandi quis eximet?

DIFFICVLTAS II.

Pœnitens accedens ad Confeſſionem, ſi præueniatur à Confeſſario, vt Confeſſio differatur in aliud tempus, & interim ab ipſo ſolicitetur, an veniat denunciandus.

REſpondeo affirmatiuè, quia prætextu, ſeu occaſione Confeſsionis ſolicitat. ita *Souſa loc. cit. nu. 33.* & Pontifex ponit vtrumq; videlicèt prætextum Confeſſionis, ipſiusq; occaſionem. Dices Pęnitentem mutaſse animũ tunc confitendi. Reſp. hoc non obſtare: quia ſolicitatio fuit occaſione confeſſionis; prætextus, & ſimulatio ſumuntur hìc pro eodẽ: ſicut etiam occaſio confeſſionis, ipſiusq; cauſa, largè loquendo.

DIFFICVLTAS III.

Delatio Confeſſarij ſolicitantis, an ſit ad ipſius emendationem, vel punitionem.

Loquimur præcisè de ſolicitatione Confeſſarij facta in actu Confeſſionis, vel ante, ſeu poſt immediatè.

REſpondeo Doctorum alios ad vnam, alios verò ad aliam tendere partem. Ego breuitati cõſulendo, aſſigno tantum vnum Doct. pro vtraq; parte. *Roderic. Acbuna tract. de ſolicit. Confeſſ.*

Confeſſ. in Confeſſione, quaſ. 10. *nu.* 12. in terminis proprijs ſentit denunciationem hanc ordinari ad emendationem Denunciati, deferriq; Cenſori fidei tanquam Patri: *Freitas verò in Additionibus ad dictum Doct. loc. cit.* è contra iudicat huiuſmodi denunciationem eſse iudicialem, deferendumq; eſſe Reum Inquiſitori non tanquàm Patri, ſed, vt Iudici. Hanc ſententiam ſequor, tum quia verba Bullarum denunciationem præcipientia hoc deſignant ordinando, vt puniantur delinquentes. patet ex *Decreto Gregorij XV. contra Confeſſ. in Confeſsione, poſt, aut ante immediatè ſolicitantes*, vbi agitur de punitione publica: tum quia fidei Iudices regularitèr nõ recipiunt huiuſmodi denunciationem, tanquàm patres, cum non ſatis deſeruiat eorũ fini .s. ſaluti Reipublicæ, nec damnis Tertij ſufficiẽtèr occurrat: ordinatur enim hoc Tribunal ad malorum punitionẽ, publici, & Tertij indemnitatem; vt vel ſic ſacrilegi à malo retrahantur, & boni in bono contineantur.

DIFFICVLTAS IV.

An Confeſſarius, qui ſolicitauit perſonam in actu Confeſſionis Sacramentalis, ſit denunciandus omiſſa fraterna correptione.

CIrca hanc difficultatem ad modum controuerſantur DD. alij tenentes affirmatiuam, alij defendentes negatiuam. Ego primò obſeruo, quod defenſantes affirmatiuam .s. quod ſit denunciandus omiſsa correptione, ſunt multi, & ſatis claſſici, vt *Suarez de fide diſp.* 20. *ſect.* 4. *nu.* 11. *&* 12. *Henriquez lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 17. *num.* 4. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *quaſ.* 9. *& alij*. Cæterum, qui defendunt negatiuam, ſunt pauciores, & illam ſequuntur non abſolutè, ſed ſub conditione, quod detur ſpes emendæ, quæ colligi poteſt: tum ex qualitatibus corripientis, tum ex modo corripiendi? Vnde, ſi perſona ſolicitata foret grauis, & prudens, ſolicitantem corripere poſset. hanc ſententiam ſequitur in primis *Ioan. de la Crux in Direct. conſcien. par.* 1. *præcep.* 5. *quaſ.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. *Facundez de Præcep. Eccleſiæ tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. *Caſtrus Palaus de Confeſſ. ſolicitante, tract.* 4. *diſp.* 9. *punc* 10 *nu.* 2. quos citat *Trullench. in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 21.

Obſeruo ſecundò cum *cit. Doct. vbi ſupra nu.* 22. diuerſitatem harum opinionum pendere ex diuerſitate ſuppoſitorum: ſequentes affirmatiuam præſumunt nullam dari, vt plurimum ſpem emendæ per correptionem ſecretò, vel præcisè coram teſtibus factam; leges autem ſunt de rebus, quæ vt plurimùm contingunt, *l. Nam ad ea, ff. de Legibus*.

Amplectentes autem negatiũam ſupponũt ſatis probabilem eſse ſpem, quod ſolicitator correptus emendabitur.

Obſeruo tertiò ex diuerſitate ſuppoſitorũ ſuboriri varietatem vtriuſque opinionis. Affirmatiua nititur hoc ſtabili fundamẽto, nimirùm, quod finis adæquatus denunciationis iudicialis, qualis exiſtit præſens, eſt publica correctio, & ſecuritas aliorum fidelium, ad quem finem ſecreta monitio non eſt ſufficiens medium.

Negatiua verò fulcitur hac ratione, quia præceptum correptionis eſt de iure naturali, ac diuino; præceptum autèm denunciationis eſt humanum; vnde non poteſt præualere aduerſus præceptum iuris naturalis, ſi extat ſpes emendationis.

His obſeruatis, ſentio ſententiam affirmatiuam regularitèr eſse practicandam. Negatiua verò interdum, videlicèt ſolummodò quando ſolicitatio eſt prorſus occulta; & omnibus diligentèr attentis, quaſi certò moralitèr ſperatur ex correptione ſecreta reſipiſcentia. Aſſentit *Trullench. loc. citat.*, *& Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 34. *nu.* 57. *Petrus de Ledeſ. in Sum. tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *concl.* 24. *dub.* 2. *Rodericus de Achuna quaſ.* 18. *n.* 14. & eo ẽt caſu .s. quãdo omninò firma eſt ſpes emendationis, cenſeo abſolutè præmittendam eſse; ducorq; hac rationẽ, quia ſi hæretico formali occulto, de quo firma eſt ſpes ſubitæ emendationis; facienda eſt correptio fraterna nullo exiſtente periculo boni communis: quare concurrentibus ijſdẽ conditionibus non erit facienda Confeſsario; cum eius peccatum potius redoleat luxuriam, quàm hæreſim? faciunt notata per *Tol. lib.* 4. *c.* 5. *S. Thom.* 2. 2. *quaſt.* 33. *art* 7. *Duran.* 4. *ſent. diſ.* 19. *quaſ.* 4. *Simancam de Catholicis Inſtit. tit.* 44. *nu.* 14. *citans Alphonſum de Caſt. Souſa in Aph. Inquiſit. lib.* 2. *c.* 4. *nu.* 13. *Griſſaldus in Deciſionib. fidei ver. Denunciatio*.

Verùm exiſtimo fœminam ſolicitatam minimè peccare ſtatim denunciando, correptione fraterna omiſsa; quia Reus eò ipsò, quòd crimen commiſit, indignus factus eſt, vt eius ſcelus ſubticeatur: excepto tamen, ſi multi ſint anni poſt ſolicitationem. Quod, ſi crimen fuerit occultum, & iam prorſus emendatum, neceſsaria non erit correptio fraterna, nec denunciatio. Ex dicendis *diſt.* 4. *art.* 1. *diff.* 1. *&* 2. his tamen minimè obſtantibus tutius ſequeris placitum *Auctoris Arſen S. O. tract.* 1. *c.* 1. ſententis in omni caſu S. Officij omittendam eſſe correptionem fraternam; aliquas autèm ex rationibus probabilibus, quas Doctor iſte afferre poſſet, in medium proferam. Prima eſt, quia cum curatio tantorum morborum, qualia ſunt crimina, de quibus Edictum, ſit difficillima; ea peritiori medico eſt committenda.

Altera, quia licèt in cauſa temporali tibi integrum ſit interdũ ſilere: in cauſa autem Dei, vbi periculum eſt Communitatis, etiam diſſimulare, peccatum non eſt leue: Verùm ratio hæc non facit generalitèr ad propoſitum.

Tertia, quia peccatum occultare nihil aliud eſt, quam Aegrum ſuâ ſpontè ad mortem ruẽtem impellere. *D. Baſilius in Reg. nu.* 46.

Quarta, quia quemadmodum ſi frater meus vulnus habeat in corpore, quod velim occultare, cum timeat ſecari; nonne crudelitèr à me

ſileretur, & miſericorditèr indicaretur? quātò ergò potius debeo vulnus peccati fratris mei manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde: facit ad hoc, quod tradit *D. Aug. Reg. 3. c. 21.*

Quinta, quia cùm multi ſint caſus à correctione fraterna excuſantes; ſed potiſſimè, cum quis occupatur magno timore, vel pudore, vt in primis docet *Ioan. Sanchez in Selectis diſp. 6. nu. 9.* non obindè putandum eſt, peccantium tranſgreſſionem negligendam; ſed deferendā illi, qui poteſt, & vult illam corrigere.

Sexta, quia, vt plurimùm, qui timent fore denunciandos, ſtatim ſimulant ſe iam emendatos, promptosq; eſſe ad cuiuſque correptionem fraternalem: ſed tranſacto naufragij periculo, ad vomitum redeunt; Vndè planum eſt iſtos potius formidine pœnæ, quàm virtutis amore à peccatis declinare: his alijsq; cauſis fortaſſe Miniſtri S. O. ad hanc partem propēſi redduntur.

DISTINCTIO TERTIA,

De præcipuis accidentalibus circa ſolicitationem Confeſſarij.

Partitur præſens diſtinctio in duos articulos.

Alter reſpicit Confeſſarium tradentem pænitenti in confeſſione Epiſtolam ipſius ſolicitatricem ad venerea.

Alter verò reſpicit denunciationis deobligationem in quibuſdam caſibus.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Confeſſarius pœnitenti in Confeſſione tribuens Epiſtolam ſigillo clauſam illum ad venerea ſolicitantē, præcipiens ei, vt illam non niſi domi legat, cenſendus ſit ſolicitator in Confeſſione.

NOtandū, quòd non quæritur, ſi huiuſmodi Epiſtolę traditio ſit peccaminoſa; quia certum eſt prouocationem ad peccatum, peccatum eſſe: quemadmodum etiam extra dubium eſt ſolicitationem in Confeſſione Sacramentali, itèm ante, vel poſt immediatè reddere Confeſſarium ſolicitantem de fide vehementèr ſuſpectum, nō ex natura ſolicitationis; quia ſic de leui eſt tantum ſuſpectus: ſed ratione Conſtitutionum ſic iuſtè deſignantium: Vnde ante illas non adeò grauitèr puniebatur; quod in primis notat *Boſſius de Priuilegijs Iubilai in Appendice de Confeſſarijs in Confeſſ. Sacramentali ſolicitantibus dub. 2. num. 5. citans Achuna, & Freitam.* Sed quæritur, an huiuſmodi Confeſſarius comprehendatur hac litterarum traditione Conſtitutionibus contra Solicitantes.

Ratio difficultatis eſt, quia licèt Confeſſarius iſte tribuat pęnitenti Epiſtolam ſolicitatricem in actu Sacramentalis Cōfeſſionis: pręcipit tamen ipſi, vt illam pro tunc non legat, ſed cum domi ſe receperit; ſupponiturq; pœnitentem Confeſſario promiſiſſe eius mandatum integralitèr obſeruaturum.

Reſpō in hac diff. Doctores Doctoribus aduerſari, & potiſſimè *Sanctius in Selectis diſp. 11. nu. 32. Caſtro Palao de Conf. ſolicit. tract. 4. diſp. 9. pun. 5. nu. 3. Sanctius loc. cit.*, tenet partem affirmantem: *Caſtrus verò Palaus*, vbi ſupra nititur quantum poteſt partem negantem defenſare: ſed ipſemet in Indice, *ver. Confeſſarius*, fatetur contrariam opinionem eſſe ſecuriorem; quare ab illa *Sanctij* non recedes: iſte affirmando ſupponit Epiſtolæ traditionem eſſe ſolicitationem actualem Sacramento Penitentiæ iniurioſam, *Palaus* autē negando ſupponit huiuſmodi litteras Pęnitēti exhibitas nō eſſe actualem prouocationem; ſed tantùm futuram pro tempore lecturæ; eo quod pro nunc reconciliationem cum Deo minimè impediant: cauſa .n. non agit antequam ſit; cum prius eſſe, quā operari requiratur: quid autem in Epiſtola contineatur, ignorat pęnitens: vnde illa, niſi prius lecta operari nequit; ſupponitq; pęnitentem accepiſſe Epiſtolam ſub pacto, ac promiſſione illam nō lecturum, niſi prius in domum ſuam ſe recepiſſet.

Cui, ſi obijcias, quòd accepta Epiſtola ſtatim aperiri poſſit; & perinde actualem eſſe ſolicitationem: reſpondebit fortaſſe hoc contingere per accidens præter intentum Confeſſarij, qui illam tradidit, cum aliud ipſe præceperit pęnitenti; lex autem non attendit ea, quæ per accidens, & rarò; ſed ad ea, quæ per ſe, & vt plurimum, *l. Nam ad ea, ff. de Legib.*

Non affero rationes pro parte affirmante: quia ex iacto ſuppoſito remanet inuincibilis.

Ego in hac cauſa nolo Iudicem agere; Vnū tamen ſentio, quod licèt dictus Confeſſarius foro Sacramenti Pęnitentiæ non habeatur ſolicitator, ſi veritas eneruet præſumptionem: in foro tamèn externo Eccleſię, tanquàm talis habebitur, fundatur .n. S. O. in præſumptione: nec item in præſenti ſeculo, ſicut nec in futuro Dei iudicium effugiet, vtpotè violator templi Dei ſpiritualis pro tempore intento ab ipſo, abominabiturq; in ſtudijs ſuis; quare ſibi imputare debebit mala ſuperuentura: nam qui facit, quod non debet, ei obuęnit, quod nō credit: ſtultusq; in culpa, ſapiens fiet in pęna, *cap. Niſi de Offic. Deleg.* itidem ſentio (ad hominem argumentor) nihil eſſe, quod magis Dei Eccleſiæ noceat, quam quod indigni, in propoſito Confeſſarij ſolicitantes (quod abſit) aſſumantur ad Eccleſiarum regimen, hoc eſt ad excipiendas Confeſſiones Sacramentales, *cap. Nihil de Elect. in 6.* ſimiliter nihil eſſe, quod magis fulgeat in homine, quàm recta fides, *l. Inter claras, C. de Sum. Trin. & Fide Cath.* quare orandum eſt, vt Deus Fidei feruorem in cordibus omnium, & maximè excipientium Confeſſio-

feſſiones Sacramentales infundere dignetur, quid .n. grauius; ò indigne N. petit tibi pœnitẽs panem: & tu porriges ei ſcorpionem? petit ille medicinam; & tu affers ei venenum? quid damnabilius?

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An perſona ad venerea ſolicitata à Confeſſario in actu Confeſſionis, ſi ipſa conſentiat, teneatur Confeſſarium denunciare.

NOtandum eſt, non eſſe hìc ſermonem de Reo ſub Inquiſitorum manibus; quia ſic profectò complices denunciare tenetur, Patet primò ex parte legis, quæ fruſtratoria remedia non introducit.

Secundò ex parte Inquiſitoris, cuius fruſtra eſſet potentia interrogandi reos ſuper complices, ſi ipſi nõ obligarentur ad Iudicis mentem reſpondere, quando aliud non obſtat.

Tertiò ex parte actus interrogandi, qui item ſanè fruſtratorius apparet, ſi ſuum nõ aſſequatur finem. *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. quaſ. 6. pun. 1. nu. 9. poſt Nau. cap. 25. nu. 33. Auila 2. par. c. 5. nu. 26.* eſt itaq; ſermo non de Reo à Iudice interrogato; ſed de perſona ſolicitata ad venerea, an obligetur ad denunciationem in caſu, quo conſenſerit ſolicitationi.

Duas reperio ſententias, alteram negatiuã, affirmatiuam alteram. negatiua hac nititur ratione; quia criminoſus, denunciando complicem, ſeipſum etiam moraliter denunciaret; cum Iudex de illius complice interrogare poſſit: & item Confeſſarius è contra manifeſtare poſſit ſociam minimè reluctantem ſibi conſenſiſſe. Hanc ſequuntur *Suarez de Fide diſp. 20. ſect. 4. nu. 18. Portel. in Addit. ad dub. Regularia, ver. Denunciatio, nu.* 10. in hæc verba: *Complex delicti nunquam tenetur ex vi Edicti in quacunque materia fuerit complex*: & proſequitur; *vnde colligi poteſt, quod ſi Femina fuit ſolicitata à Confeſſario in Sacramento Confeſſionis; & ipſa conſenſit illi; non teneri Confeſſarium denunciare*, idem ait *ver. Solicitare Fæminas, num.* 5. in hanc ſententiam inclinare videtur *Caſtrus Palaus, tom. 1. Oper. moral. tract. 4. diſp. 9. Say. in Claui, lib. 12. cap. 14. nu. 26. & 32.*, vt notat *Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 11. nu. 33.* qui alios citat.

Affirmatiua ſentit perſonam ſolicitatam, licèt conſenſum ſolicitationi præbuerit, attamen teneri denunciare ſolicitantem. Hanc amplectuntur *Rodericus de Achuna in tract. de Confeſſ. ſolicit. q. 10. nu. 5. 6. & 10., & ibi Freitas, nu. 13. Sanctarellus de Hæreſi, cap. 44. dub. vnico, nu. 12. Peirinus in Priuil. Minimorum tom. 2. Conſt. Gregorij XV. §. 3. nu. 11. Bonac. de Denunciat. diſp. 6. pun. 3. num. 10. Trimarchius de Confeſſione abutente, diſp. 4. ſect. 6. nu. 59.* occurritq; hæc ſententia rationibus prioris ſic .s. prouisũ eſſe, in quadam Cong. S. O. vt huiuſmodi denunciatio Denũcianti nõ noceat. Primò patet ex parte Denũciantis, qui nõ tenetur manifeſtare ſuum prębuiſſe cõſensũ in ſolicitatione. Secundò ex parte Iudicis, qui minimè denunciantem ſuper ipſius conſenſum interrogare poteſt. Tertiò ex parte Confeſſarij, qui ſi perſonæ ſolicitatæ conſenſum manifeſtet; in actis non eſt ſcribendus, tanquam minimè ad S. Inquiſitionis Officium ſpectans. conſtat ex quadam Epiſtola Eminentiſs. Card. Millini de mãdato S. D. P. Vrb. VIII. ad Eminentiſs. Card. Federicum Borromeũ Archiep. Mediolanen. incipit, *Dopò eſſerſi hauuta longa &c.* data ſub die 27. Septemb. 1624. quare amplectenda eſt ſententia hæc, alia relicta.

E contra verò ſi Confeſſarius ſolicitetur in Confeſſione ante, vel poſt immediatè à falſo pœnitente; licèt conſentiat, non venit denunciandus: quia in hoc caſu non redditur ſuſpectus de fide. *Sanctarellus de Hæreſi cap. 46. nu. 2. Homob. de Exam. Eccl. tract. 2. cap. 12. quaſ. 26. Baptiſta Lezena Sum. quaſt. Reg. c. 19. num. 34.* quia Conſtitutiones ſunt contra Confeſſarios ſolicitantes pœnitentes, ſed non è contra.

His non obſtantibus, ſi huiuſmodi caſus ſolicitationis pœnitentis actiuè S. Tribunali detegeretur; ſuppoſito Confeſſarij conſenſu; ſentio, quod nõ niſi poſt longum, & diligens examen eximeret Confeſſarium ſolicitatum à pœnis contra Confeſſarios ſolicitantes: velletq; quàm diligentèr ſciſcitari; an dictus Confeſſarius præbuerit adhoc pœnitenti cauſam ſufficientem, & mortalitèr peccaminoſam, vt ibi ſolicitaretur.

Itidem exquiret, an colluſio aliqua interceſſerit inter Confeſſarium, & pœnitentem; quæ ſanè intercederet, ſi prius Confeſſione Sacramentali huiuſmodi cum pœnitente habuiſſet ſermonem; Ego non poſſum hìc abſq; grauiũ pœnarum incurſu loqui tecum de turpibus agendis: ideò ſi quis à me volueris, tu prius expoſtula. Quid ſit autem colluſio, vide ſupra *Lib. 3. diſt. 3. art. 2.*

Nec detecta colluſione valebunt illi in interrogatione, quam contra ipſum S. O. inſtituet, Aequiuocationes, Calliditates, Fallaciæ, aut machinationes, quæ fiunt partim fatendo verũ, & partim illud ſubticendo. Quorum terminorũ explicationem videto vbi ſupra *Lib. 3.*

DIFFICVLTAS II.

An fæmina cum famæ, vitæ, bonorum temporalium iactura obligetur denunciare Confeſſarium, qui illam in actu Confeſſionis ſolicitauit.

NOtandum, per Eccleſiam iam prouiſum eſſe iacturæ prædictæ; vt præcedenti difficultate viſum eſt; quare ceſſat omnis excuſatio denunciandi.

Verùm (his malis ſuppoſitis) reſpondere placet; Fæminam minimè teneri ad dictam denunciationem cum iactura alicuius prædicti, aut ſimilium; ita *Souſa tract. 2. de Confeſſ. ſolicitantibus cap. 7. num. 4.* cuius ratio eſſe poteſt; quia leges humanæ, qualis eſt iſta Edicti S. Inquiſitionis cum graui incommodo non conſtringunt, præſertim ſi Confeſſarius ob ſolici-

tationem potius ſit ſuſpectus de luxuria, quàm de hæreſi: volunt verò ſolummodo tunc teneri, quando vergit in notabile damnum boni publici; quia tunc bonum particularium illi bono cedere debet.

Idem reſoluit *Sanctarellus tract. de Hæreſi cap. 9. nu.* 16. qui citat *Pegnam, & Scacciam. Homob. de Caſib. reſer. par. 2. cap.* 1. *Facandez tract. 2. lib. 4. cap.* 53. *nu.* 3. docentes denunciationem non obligare cum probabili periculo mortis, infamiæ, aut alicuius damni grauis proprij, vel patris, aut matris, aut vxoris, aut mariti, vel fratrũ, aut aliorum ſtrictiſſimè coniunctorum. huc ſpectat dictum *Farinac. de Hæreſi quæſ. 197. n.* 53. excuſantis mulierem non denunciantem maritum, ſi timeat malè fore tractandam.

Verùm, vt quis, vel quæ dicatur ſufficientèr timere prædicta mala, talitèr, quòd à denunciando deobligetur; requiritur, quòd probabiliter credat dicta mala ſibi, proximè euentura, nec facilèq; eis occurri poſſe, & quòd illa minitans poſſit, & ſolitus ſit illa, aut ſimilia exequi. *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 59. Subdit tamen *Achuna de Confeſſarijs ſolicit. qu.* 19. *nn.* 11, & 12, & *Boſſius de Priuilegijs Iubilæi in Append. de Confeſſ. ſolicit. dub.* 29. *nu.* 96 quod licèt fœminæ ſint magis timidæ, quàm viri; nihilominus rarò contingere poteſt, vt prædictæ cauſæ incumbentes iuſti metus habeant locum; quia vt plurimùm Confeſſarij ſolicitantes non ſunt perſonæ potentes, nec armis deditæ: poſſuntq; prædictis malis facilè occurrere ope tàm ſuorum, quàm Superiorum: & quia in Tribunali S. Inquiſ. nomina, & dicta denunciantium ita ſecretò ſeruantur, vt nullo modo Reis publicentur.

DIFFICVLTAS III.

An Fœmina, quæ Inquiſitorem adire non poteſt abſque infamia, ſatisfaciat denunciando per Epiſtolam ad Inquiſitorem miſſam.

RAtio difficultatis eſt, quia hæc præſtans facit quantum in ſe eſt, vti docet *Boſſ. de Priuil. Iubilæi in Append. de Confeſſ. ſolic. dub.* 31. *ſub nu.* 98. *circa finem.*

Reſpondeo, quòd tametſi hoc nõ admitteretur ante declarationem fel. record. Papæ Vrbani in litteris ad Eminentiſſ. Borromeum datis, quæ poſtea vbique fuerunt promulgatæ: vt notat *Boſſius loco citato.* tamen poſt dictam declarationem quælibet fœmina, ſi non poteſt per ſe, denunciare tenetur per Confeſſarium: qui de licentia Inquiſitoris, vel Ordinarij extra Confeſſionem medio iuramento iuridicè recipiet in ſcriptis talem denunciationem nomine, & cognomine perſonæ ſolicitatæ, & Confeſſarij ſolicitantis expreſſis; & eam mittat ad Iudicem S. Inquiſit., vel ad Ordinarium, à quo prius licentiam recipiendi talẽ denunciationem obtinuerat, conſtat clarè ex dictis litteris, illis verbis; *E quando il penitente tuttauia perſiſteſſe nella medeſima renitenza*, i. denũciandi per ſe, & perſonaliter; *Noſtro Signore ſi contenta; che dal Veſcouo, ò dall'Inquiſitore ſi dia auttorità al Confeſſore di riceuere per ſcrittura, e cõ giuramento la denuntia per portarla ſubito à chi li haueră dato facoltà di pigliarla.*

Quod ſi pœnitens induci nõ poterit, vt vno ex his duobus modis denunciet; iubet S. Pont. ſuſpendi abſolutionem interim, donec res ad Supremos Inquiſitores per litteras deferatur, & detur reſponſum, patet ibi. *Et ſe oltre le ſudette coſe occorrerà altro caſo graue, per il quale non ſi poſſa il penitente indurre à denunciare, vuole Sua Santità che ſi ſcriua quì, e s'aſpetti la riſpoſta: e trattanto ſi ſopraſedi alla ſolutione.*

Cæterùm, ſi in paruis Oppidis, vbi non reſidet Tribunal Inquiſitorũ, ſint Vicarij ex commiſſione eorundem Inquiſitorum delegati, ipſis fieri poterit denunciatio à perſonis non valẽtibus adire illud Tribunal, vt aduertit *Portel. ver. Solicitare nu.* 21. & *Boſſ. loc. cit.* videnda ſunt, quæ ſupra docuimus *Lib.* 4. *diſt.* 4. *de forma*, qua vti debent tum Virgines nobiles, tum Sanctimoniales, vt prouidè ipſarum honor ſeruetur adeò, vt nec in minimis labefactetur; licèt, vt ibi dictum fuit, nulla per acceſſum ad Iudices fidei exponatur periculo amittendi honorem.

DISTINCTIO QVARTA.

De Confeſſario emendato quo ad ipſius denunciationem, ipſiusq; abſolutionem tum actiuam, tum paſſiuã reſpectu peccati ſolicitationis in Confeſſione ante, vel poſt immediatè.

Circa hanc diſtinctionem quatuor figuramus articulos.

Primus reſpicit Confeſſarij emendati denunciationem.

Secundus ipſius abſolutionem actiuè reſpectu Socij in crimine carnali.

Tertius ipſius Confeſſarij abſolutionem paſſiuè reſpectu ſolicitationis in Confeſſione ante, vel poſt immediatè.

Quartus denique pœnitentem aliquo prædictorũ modorum ſolicitatam, in quo caſu ab excommunicatione, ob defectu denunciationis contracta abſolui poſſit.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Confeſſarius, qui ſolicitauit, iam emendatus denunciari debeat.

NOTO in primis hanc difficultatem eſſe admodum à DD. diſcuſſam pro vtraque parte, vt videre eſt apud *Dianam tract. de Denunciat. reſol.* 3. & *Trullench.*

lench. in Expoſ. Decal. lib. 1. *cap.* 3. *dub.* 18. & alios, & vterque cumulat Doctorum copioſum numerum, & Nos ſupra *Lib.* 2. *diſt.* 5. *art.* 2. *diff.* 2.

Noto ſecundò tenentes partem negatiuam fundare eorum intentionem in his duabus rationibus.

Prima, quia finis denunciationis (vt iſti aſſerunt) eſt emendatio proximi. *Sanchez in Conſ. par.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *dub.* 15. Vnde cum ex mente iſtorum iſti præmittenda ſit correptio, quandò emendationis adeſt ſpes; à fortiori non erit denunciandus, ſi verè eſt emendatus. idem *Sanchez loc. cit.*

Secunda, quia Decreta Pontificum in hoc delicto non tàm punitionem delinquentis, quàm reuerentiã Sacramenti attendunt (teſte *Caſtro Palao de Confeſſ. ſolicit. tract.* 4. *diſp.* 9. *punc.* 10. *nu.* 1.) habetur autèm reuerentia Sacramenti ex emendatione ſolicitantis. Sequẽtes autem affirmatiuam, videlicèt Confeſſariũ etiam emendatum eſſe denunciandum, fulciuntur hoc fundamento; quia denunciatio hæc inſtituta eſt non ſolùm ad emendationem præuaricantis; verùm etiam in ipſius correctionem, vt tàm ipſe, quàm cæteri metu pœnæ ab huiuſmodi crimine in futurũ retrahantur; & perindè finis adæquatus denunciationis eſt inſimul correctio, & emendatio.

Noto tertiò affirmatiuam magis practicari, & commendari tanquam probabiliorem, vti notat *Trullench. loc. cit. nu.* 29.

Ego licet minor pulice inter Gigantes dicere audeo eligendam eſſe regiam viam, .ſ. mediam, qua leui negotio conciliantur extremæ, nempè Confeſſarium lz. emẽdatum tunc præcisè denunciandum, ſi contingat eius delictum fieri aliquo modo publicum; quia ſatisfacienda eſt Reſpublica, quandiù manet ſub hac qualitate publicitatis. *Caſtrus Palaus de Cõfeſſ. ſolic. tract.* 4. *diſp.* 9. *pun.* 10. *nu.* 1. *Trimarchius de Confeſſ. abutente, diſp.* 12. *ſect.* 3. *num.* 18. *Trullench. loc. cit. qui alios citat Pius IV.* incipit, *Venerabilis Frater*, ibi, *de præmiſſis quomodolibet diffamatos.*

Alij reſpondẽt diſtinguendo inter deputatũ ex officio ad denunciandum, & illum, qui præcisè vi Edicti tenetur; volentes deputatũ ſemper obligari, minimè obſtante emendatione, quod negant de obligato tantum vi Edicti: *Decian. crimin. lib.* 5. *cap.* 30. *num.* 6. *Zanchin. de Hæret. cap.* 9. *ver. Verum quia*, *Farin. de Hæreſi, quæſt.* 185. §. 5. *nu.* 69. *item quæſ.* 197. §. 2. *nu.* 35. Vide ſupra *Lib.* 4. *diſt.*

DIFFICVLTAS II.

An delatio huius criminis, ſaltèm ceſſet, ſi Reus poſt multos annos, aut aliundè appareat plenè emendatus.

RESpondetur minimè vrgeri ad denunciationem, ſi multi ſint anni, poſt patratum delictum, & pœnitentia criminoſi nota ſit illi, peccatumq; occultum. ita *Rodericus Achuna de Confeſſarijs ſolicit. qu.* 1. *nu.* 15. 30. 32. Faciunt quæ tradit *Freitas in Additionibus ad ſupradictũ Doct. nu.* 33. *Decianus volum.* 2. *reſpon* 5. *num.* 1. *cap. Ferrum, diſt.* 50. *item textus in l* 1. §. *vlt. ff. de Edilic. Edicto. Menoch. caſ.* 499. *nu.* 30.

Dices emendationis ſigna, ex quibus deducuntur indicijs? Reſpondet idem *Rodericus dicto tract. quæſ.* 18. quòd ex his quatuor potiſſimùm peti poſſunt.

Primò, ex rubore peccantis.

Secundò, ex ipſius ſubmiſſione.

Tertiò, ex vi, & affectu, quibus nititur impetrare veniam.

Quartò, ex longo temporis interuallo poſt commiſſum crimen.

Quæres per quod tempus emendatio criminis præſumatur.

Reſpondet *Freitas ad illa verba Roder. Achuna loc. cit.* .ſ. ſi multi ſunt anni, quod tres annos exigit communis opinio ad emendationem præſumendam in criminoſo, ex *Maſcardo concl.* 600. *nu.* 14. *Alciat. Reg.* 2. *præſumptio* 7. *Farinacio in Praxi, quæſ.* 23. *nu.* 26. *Ioan. Sanchez in Selectis, diſp.* 11. *nu.* 5.

Verùm non mihi ſufficiens videtur ſignum emendationis, quod notat *Felinus in cap. Teſtimonium de Teſtibus*, .ſ. Confeſſionem Sacramentalẽ probare emendationem: Nec illud, quod ſignat *Genuenſis in Praxi Epiſcopali Neapol. cap.* 18., nempè Reum ſumpſiſſe Iubilæũ: quia ex praxi apparet, vt plurimum, fallax ſignum. Nec illud, quod tradit *Trullench. in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *nu.* 28. *ex mente Dianæ* 4. *par. tract.* 5. *reſol* 23., vt ſi eadem perſona ſolicitata ter, vel quater accedens ad eundem Confeſſarium, in eo amplius non reperit libidinis ſigna: & ratio eſt, quia intereſſe proprium fingere docet: mihi probãtur ſigna emendationis, de quibus ſupra *Rodericus Achuna*, ſed cum limitatione.

Placet primum de rubore, ſi perſeuerare conijcitur.

Placet ſecundum de ſubmiſſione cum dicta conditione perſeuerantiæ.

Placet tertium abſolutè.

Placet denique quartum, ſed non prout iacet, quia ex longo temporis interuallo poſt commiſſum crimen nõ ſatis colligitur emendatio, immo interdum ſequitur deterioratio: ſed benè ex probata, & immaculata vita longi temporis, hoc eſt trium annorum: vel etiam minoris iuxta intenſionem, & remiſſionem dictarum qualitatum, quod totum arbitrio boni viri remittendum cenſeo, qui perpenſis perpendendis maturè non vna menſura ſingulos dimetietur; ſed illam diuariabit iuxta perſonarum, temporum, aliarumq; circunſtantiarum mutationem. Dixi ſalua cenſura.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Confeſſarius criminis ſocium abſoluere poſſit.

RESpondeo diſtinctione, vel attendimus iura particularia aliquorum Conciliorum Prouincialium, vel Synodalium, vel ius commune: v. g. in hac Diœceſi Bergomenſi,

gomenſi, in qua nos ſumus, attentis verbis, tum *Prouincialis Concilij vij. Mediolan. de Sacramento Pœnitentiæ*, §. *Qui criminis*; *quam Synodi primæ ſub Priolo tit. de Sacram. Pœnit.* conſtat Confeſſarium ſocij criminis Confeſſionem non poſſe audire: Verùm, ſi tàm Pœnitens, quàm Confeſſarius ignorando prohibitionē ſub bona fide ille ſua confeſſus fuiſſet peccata, & iſte ſocium abſoluiſſet; abſolutio teneret, ſuppoſito, quod alia neceſſariò requiſita ad validitatem Sacram. Pęnit. extitiſsent: ratio eſt, quia quamuis irritetur abſolutio doloſè facta; non tamen irritatur illa facta ſub bona fide. Legendus eſt *Cæſar Carena tract. de S. Inquiſit. Officio part. 2. tit. 12. nu. 312.*, qui pro hac ſententia citat *Boſſium de Priuileg. Iubilæi, ſeſſ. 3. caſ. §. 4.* hinc *Synodus Diœceſ. prima ſub Aloyſ. Grim. Berg. Epiſcopo*, prohibens Confeſſario abſolutionē complicis in crimine carnali vtitur verbo, *ne audeat*, quod exceptuat bonam fidem, *Decreto 12.*

Attento autem iure communi, licèt Confeſſarius (regulariter loquendo) perperàm ſe habeat ſocij criminis excipiendo Confeſſionē ob defectum verecundiæ ex parte pœnitentis, & periculū recidiui, attamen, ſi illam excipiat; validè hoc præſtat, *D. Thom. in ſupplemento 3. par. quæſt. 20. art. 2. ad primum, Sot. in 4. diſt. 18. quæſt. 4. nu. 2. & 3.*

Mihi prædicta probatur diſtinctio dempto ſcandalo, & periculo recidiui, alijsq; neceſſarijs exiſtentibus; quia effectus verecundiæ eſſentialis, ideſt veræ pœnitudinis, & propoſiti non peccandi adeſſe poteſt, deficiente accidentali, quæ ſolùm facit ad bene eſſe Sacramenti Pœnitentiæ.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An ipſe Confeſſarius in Sancto Sacramento Pœnitentiæ à quouis Confeſſario abſolui poſſit reſpectu peccati ſolicitationis.

Reſpondeo affirmatiuè, ratio eſt, quia Bulla contra Confeſſarios in Confeſſione ſolicitantes dirigitur in non reuelantem; non verò in ſolicitantem: ita *Achuna loco infra citand. nu. 20.* vide ſupra *diſt. 2. art. 1. diff. 1. in fine.*

Hæc autem difficultas coincidit cum illa, ſi peccatum ſolicitationis ſit reſeruatum, cui breuitèr etiam ſatisfacimus diſtinctione hac, ſcilicèt, quod eſt reſeruatum in foro fori: cum eius abſolutio ſpectet ad ſolum Inquiſitorem, aut Ordinarium: non autem in foro poli .s. Sacramenti Pœnitentiæ, in quo nos ſumus: patet ex Bulla nullam faciente reſtrictionem quoad hùnc forum. *Decius Cirillus de Cōfeſſarijs ſolicit. in Confeſſ. nu. 3. Achuna tract. de Confeſſarijs ſolicit. in Confeſſ. quæſt. 21. nu. 2 13. & 21. Lucius in Summ. Summarum cap. 24. nu. 11. Henriquez lib. 3. de Pœnit cap. 10. num. 2. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 34. nu. 62.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Mortuo Confeſſario, qui in actu Confeſſionis ſolicitauit ad turpia, an perſona ſolicitata iam excommunicata ob omiſſam denunciationem à dicta cenſura, per quęlibet Confeſs. abſolui poſſit.

Ratio difficultatis: quia Excommunicatio Edicti S. Inquiſitionis extat reſeruata, ibi; *E dalla detta ſcommunica niſſuno potrà eſſer aſſoluto, ſe non da Noi; ò dal Supremo Tribunale di Roma.*

Rodericus Achuna, quem citat *Trullench. in Expoſitione Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 6. num. 28.*, ſequens ſententiam, quòd dicta Excommunicatio perſeueret reſeruata etiam ſatisfacto S. Officio, quam nō tenemus; dicit, vi Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij, vt Iubilæi, auferri poſſe; ſed pace iſtius Doctoris, oppoſitum probabilius videtur alijs DD., quos infra afferam de reſeruatione iſtius Excommunicationis, .s. quod ſolùm tandiù perſeuerat; quandiù manet obligatio denunciandi; ceſſat autem mortuo denunciando Confeſſario: nam Edictum non præcipit inutile videlicèt denunciationē alicuius poſt ipſius mortem (dempto caſu hæretici, qui etiam poſt mortem venit denunciandus. *cap. Filij de Hæreticis in 6. Eymericus 3. par. quæſt. 43.*, *vbi Penn. Comm. 92. cap. Accuſatus §. In eo verò de Hæret. in 6.*

Pro intelligentia obſeruandum eſt Legiſlatores ad ſolicitandam legis obſeruantiam cenſuris, alijsq; pęnis interdum ſubditos ligare pręcisè, dum manent ſub contumacia inobedientiæ; qua ceſſante, ceſſat illius obligatio: nam habito fine ceſſat motus: petenda ſunt, quæ infra afferemus de reſeruat. iſtius cenſuræ *l. 7. diſt. 2.*

Notandum verò generalitèr, cum dicimus quemque Confeſſarium abſoluere poſſe; non intendimus; vt quiſquis abſoluere poſſit alterius ſubditos; ſed excommunicationem, ſatisfacto planè S. O. tunc nemini reſeruatam eſſe. Claret ex ipſamet littera text., ibi; *E dalla detta ſcommunica, e pene, nelle quali incorreranno i diſobedienti, niſſuno ſe non da Noi, ò dal Supremo Tribunale del S. Officio di Roma potrà eſſer aſſoluto; ſe prima giuridicamente, come ſopra al S. Officio non hauerà ſodisfatto*: hinc ſi pęnitens prius plenè S. Officio ſatisfecerit, abſolui poterit ab habente facultatē abſoluendi ab Excommunicatione maiori nulli reſeruata. Vrgebis quod fruſtra reſeruaretur, ſi à quolibet, prout ſupra, auferri poſſet.

Reſpondeo negando aſumptum fruſtatoriæ reſeruationis; nam hoc modo reſeruatur ad deſignandum, quod habito fine à S. Officio intento, .s. facta iuridica Denunciatione ceſsat eius motus.

DIFFICVLTAS II.

An Denunciatio ſub dicto rigore impoſita, vt nullus abſoluatur, niſi facta denunciatione ſit meritoria.

Ratio difficultatis eſt, quia quiſq; ad denunciandum potius zelo Fidei, amoreq; boni publici, quā cenſurarū pęna moueri deberet.

Reſ-

Reſpondeo primò pęnam nō pro obedientibus, ſed pro contumacibus impoſitam eſse; vnde quiſq; ſibi computari debet, ſi ad denunciationem potius trahatur formidine pœnæ, quàm virtutis amore fiat bonus, & non impelletur vacuè, ſed meritoriè iuxta vulgatū prouerbium: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ: Oderunt peccare boni virtutis amore. cap. Cum qui, de Præben. in 6.*

Secundò, expedit Reipublicæ, vt delicta puniantur, *l. Ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. cap. Vt fama de ſenten. Excom. Bald. conſ. 400. vol. 1. col. 1.*

Tertiò, quod in Sancto Officio modus denunciandi non curatur, dummodo denunciatio fiat iuridicè, iuxta illud, *l. Si mater C. de Inſt. & ſubſtit. s.* modus non curatur, dummodo effectus habeatur: nihil enim refert ipſi quid ex æquipollentibus fiat, *d. c. l. Si mater, & ibi gloſſ. & l. Iul. ait de Condit. & demonſtr.*

Itidem S. Officium tempus denunciationis non curat, quantū eſt ex ſe; ſed tantum reſpectu boni publici, cuius cōſeruatio eſt illi commiſsa, Vnde ne peccemus dilationis mora præcipit denunciatio iuxta *l. Nomen filiarum, §. habere ff. de Verbis obligat.*, tempus non curatur, dummodò effectus habeatur.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I. LIBER SEXTVS, vz.

De quinta particula Edicti ſubiectiua, hoc eſt de Correptione fraterna, quæ non eſt explicita, cuius ratio redditur infra Præludio ſexto.

Hunc librum in tres partimur diſtinctiones.

Prima reſpicit præcepti correptionis fraternæ generalia.

Secunda obligationem illius, eo modo quo infra explicabitur.

Tertia verò caſus, in quibus præmittenda eſt, ac in quibus omittenda.

DISTINCTIO PRIMA.

De generalibus correptionis fraternæ, circa crimina S. Tribunal reſpicientia.

In treſq; ſecatur articulos.

Primus reſpicit præludia.

Secundus ponit diſtinctionem inter correptionem, & correctionem.

Tertius ſoluit dubium.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Seu Præludium.

Correptionis fraternæ quæ præludia.

AD plenam denunciationis prædictæ doctrinam aſſignandum eſt, quando ipſam admonitio fraterna præcedere debeat, & quando hæc prætermiſſa ſit facienda: hęc enim pertinent ad praxim: iuxta autem diuerſitatē criminum, de quibus Edictum, diuariatur modus: cum enim vnum alio ſecundum diuerſitatem obiectorum ſit grauius, vnum alio Reipub. aut Tertio præiudicialius, congruit, vt varia ſeruetur methodus: ſicut.n. varietas perſonarum varium ius facit: ita varietas criminum. *S. Thom. 1. 2. qu. 73. ar. 3.* nam peccata ſpiritualia cæteris paribus ſunt maioris culpæ, quàm carnalia, *D. Thom. loc. cit. art. 5.*

Itē adhuc eſt grauius, & præiudicialius peccatum, quod immediatè contra Deum committitur, quàm contra proximum: ex. gr. peccatum hæreſis, ipſiusq; fautoria, quam offenſio Miniſtrorum S. Officij: ideò Hæretico formali, & maximè actualiter dogmatizanti vnquam præmittenda eſt correptio fraterna, niſi eſſemus in caſu, de quo *Doctor Angelicus 2. 2. quæſ. 33. art. 7. Duran. lib. 4. diſt. 19. qu. 4. Tol. lib. 4. cap. 5. num. 1. Sanchez. in Conſil. par. 2. lib. 6. cap. 12. dub. 5. nu. 6. Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. Præcep. 1. dub. 5. nu. 6. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 197. nu. 52. Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 2. cap. 4. num. 13. &c.* in caſu videlicèt firmæ ſpei reſipiſcentiæ: vel ſi certò conſtet de emendatione ſecundum *Farinacium loc. cit.* Ego verò pace, & reuerentia tantorum virorum non auderem omittere ſubitam denunciationem, in

in caſu Hæretici formalis, & præcipuè actualis diſſeminationis hæreſum ob maximũ periculum: nec prædicti DD. loquendo de Hæretico in genere complectuntur actu dogmatizãtem iuxta illam regulam legalem: quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda, *cap. Quæ à iure, de Reg. iur. in 6.* differt nanque firma ſpes à totali certitudine: vndè illicò periculis inſtantibus prouidendum eſt: inſtant autem, immò præſentia ſunt pericula in caſu actualis diſſeminationis hæreſum.

Sed reuertendo ad rem noſtram notandum eſt primò, intra latitudinem etiam cuiuslibet criminis in Edicto comprehenſi mutandum eſſe modum; nam idem peccatum in vno iniquitatis gradu interdum venit denunciandum omiſſa correptione, in alio verò minimè: ex. gratia eadem blaſphemia hæreticalis exiſtens publica venit denuncianda abſq; correptione; quòd ſecus eſt, ſi occulta exiſtat. Item crimen Strigarum, quæ ſibi ſolis nocent: v. g. ſecretò comiſcendo ſe carnaliter cum Dæmone præmoneri debẽt; quod ſecus eſt, ſi actualiter alijs noceant, nihil obſtante, quod earum delictum ſit occultum, & non publicum. Huc ſpectat regula *cap. pen. de Pœnit. diſt.* 1. qua decernitur, vt qui minus peccat, mitius puniatur. Verùm non obſtante probabilitate prædictæ doctrinæ tutius tamen tenebis ſententiam aſſerentium in omnibus caſibus S. O. omittenda eſſe correptionem fraternam.

Notandum eſt autèm, quòd in hoc tractatu non agitur de correptione fraterna in ſua generalitate, quia hoc eſt Summiſtarum; ſed præcisè prout omittenda eſt, vel præmittenda denunciationi criminum, de quibus S. Inquiſitionis Edictum: quare hìc, vt plurimũ omittimus, quæ alijs Tribunalibus reperiuntur communia.

DIFFICVLTAS II.

Seu Preludium.

An ad inuicem diſtinguantur correptio, & correctio.

RESpondeo affirmatiuè; licèt enim primo acceſſu, & ſæpè minimè attenta vi verborum promiſcuè pro eodem ſumantur: tamen propriè loquendo differunt ſaltèm in tribus. Primum, correptio eſt medium, quo emendationem criminoſi intendimus: dico intẽdimus, quia multi corripiuntur, qui tamen non corriguntur. Correctio verò eſt finis. ita *Trullench. in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 13. *nu.* 1. *poſt Filiucium tract.* 28 *cap.* 4. *quæſ.* 1.

Secundum, Correptio eſt fratris ad fratrem, iuxta illud; *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*: Correctio autem eſt Prælati, v. g. Inquiſitoris ad ſubditum; nam ipſe reſpectu ſubditi vim habet coactiuam. ita *D. Thom. in* 4 *diſt.* 19.

Tertium, Correptio ordinatur per ſe ad bonum proprium ipſius Delinquentis, vti aduertit *Caſtrus Palaus in Oper. Morali tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 4. *nu.* 5.

Eſtq; actus miſericordiæ ſpiritualis: Cæterum correctio primariò dirigitur ad bonum commune tuendum, & conſeruandum; & eſt actus iuſtitiæ, vt. s. ſatisfiat his, qui ex peccato fratris ſcandalum paſſi ſunt. Verùm correptio præter actum miſericordiæ, eſt etiam actus charitatis imperatiuè; quia ipſa eſt, quæ corripientem ad corripiendum, & non ad deſideriũ eius ruinæ incitat. Dicitur quoque actus prudentiæ directiuè prout ipſa corripientem dirigit, vt pro loco, tempore, & conditione perſonarum corripiat. *Zanar. loc. cit.*

DIFFICVLTAS III.

Seu Preludium.

Cui potius obligamur, an conſeruationi famę Delinquentis, vel Reipublicę, ſeu bono communi: item an potius animę Rei, an eius famæ.

REſpondeo, quòd quamuis multum interſit Reipublicæ, vt proximorũ fama conſeruetur: quia ſemel amiſſa licentioſi ſolent homines in peccata ruere, & è contra verecundia, & timor, nè infamentur, & ſciatur publicè eorum peccatum, eſt maximum frænum ad continendos multos, nè peccent, vt palàm eſt, & docet *B. Hierony. ſuper cap.* 18. *Matth. & Sot. de Secreto, memb.* 1 attamen his non obſtantibus, omni iure tenemur magis ad bonũ commune, quàm ad conſeruationem famæ peccantis; vtilitas nanque publica priuatę prę ponderat: quod notat in primis *Valerus de Differentijs vtriuſque fori, ver. Inquiſitio, nu.* 9. *Trullench. in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 22. Itèm ſalus potius animæ proximi, quàm eius fama attendenda eſt, *Valerus de Differ. vtriuſq; fori, differentia* 1. *ver. Denunciatio, num.* 3. Hinc, etiam pater ſecundum ordinẽ charitatis plus tenetur conſulere ſaluti animæ filij, quàm corporis; quia illa illo pretioſior eſt, ita vt in extrema neceſſitate Fidei, vel gratię proximi prę ferenda etiam ſit vita ſpiritualis proximi corpori noſtro, ſi probabile exiſtat profuturum. *Tol. lib* 4. *c.* 10. *nu.* 4. 5. 6. 7.

Et hìc obiter obſerua, quòd licet deſiderare malum proximo ob ipſius emendationem ſpiritualem, vt ſi quis eſſet ſuperbus, & incorrigibilis, liceret deſiderare illi infirmitatem, vel pecuniarum amiſſionem; vel aliud malum temporale, per quod probabilitèr ſperari poſſit ipſius correptio.

Item ob aliorum bonum: ex. gr. licèt Hæreticis alios peruertentibus, & incorrigibilibus deſiderare mortem temporalem à Domino, ne alios ſecum perdant.

Itidem ob iuſtitiæ zelum: peruerſis enim hominibus à Iudice comprehenſis integrum eſt deſiderare, vt de medio tollantur: dummodo deſiderium non proueniat ex odio contra dictas perſonas: ſed præcisè contra eorum mala culpæ *Tol. vbi ſupra cap.* 11. *num.* 1. *&* 2. tum quia publicè, intereſt Prouinciam malis hominibus purgari, vt in quiete permaneat, *l.* 2. *C. Quando li. ſine Iud. ſe vindic.* tum quia pu-

publicè intereſt pœnam delinquentibus non remitti, s. vt à peccatis ſe contineant *l. Si Operis, C. de Pœnis*: tum prætereà quia publicè intereſt delicta puniri, ne inceteſcant.

PRAELVDIVM IV.

NE Lectori huiuſce tractatus vnam partem alteri opponi ſibi appareat, attendat Doctores in hac materia minimè eſſe concordes, ſed alij largè, alij ſtrictè de ipſa loqui; qui largè ſentiunt, vt in omhibus caſibus S. Offic. (hæreſi excepta) denunciationi fraterna præmittatur correptio, quòd in primis tradit *Sotus cum alijs, vt patet infra diſt. 2. art. 2. diff. 6.* Qui verò ſtrictè, volunt, vt denunciationi nulla præcedat correptio, quòd præcipuè docet *Maſſinus in Arſen. S. Inquiſ. tract. 1. c. 1.* Ego verò cenſui viam DD. propemodum mediam amplectendam fore, vz. vt denunciationi fraterna præmittatur correptio præcisè, quando delictum occultum non eſt in præiudicium publici, nec tertij, ſed tantùm patrantis illud: attamèn cum intellexerim placitum Miniſtrorum S. O. ac virorum, qui cæteris in hac materia plus ſapiunt, eſſe, vt omittatur regularitèr correptio fraterna, illam potius, quàm quamlibet aliam conſule: à Sapientibus .n. diſſentire inſcitiæ argumentum eſt, vt tradit *Plato*, maximè in hac S. Inquiſitionis materia, vbi ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit: *l. Sunt perſonæ de reg. & ſumpti. fu.* & longè grauius eſt æternã, quàm temporalem offendere maieſtatem. *authen. Gazaroi C. de Hæret.*

Ex prædictâ opinionum varietate colligitur aliquos tenere peccatum eſſe omittere correptionem fraternam, quod alij conſultius negant: nec de hoc mirari debes: oritur .n. diſſenſio ex fundamentorũ, ſeu rationum diuerſitate; Vnde ſi benè attenderis nullum contradictorium ſcopulum reperies: verùm ad muſas non curritur lata via.

PRAELVDIVM V.

ITidèm obſeruo, quod & ſi ab Inquiſitore actu per flagellum correptus non ita ſentiat dulcedinem charitatis illius, ſicut ſentiret, ſi per verba conſolatoria hoc faceret: tamèn tranſeunte flagello, benè poſtea cognoſcitur illius charitas, faciunt quæ notauit *Liranus in Epiſtola 1. ad Corinth. c. 4. litera L. in fine in ſimili de correctione Apoſtoli.* Hinc *D. Auguſt. ad Felicitatem, & Ruſticum Epiſt. 67. & Epiſt. 87.* ita proloquitur. *Frenetici nolunt ligari. & Lethargici nolunt excitari, ſed perſeuerat diligentia charitatis Freneticum ligare, Lethargicum ſtimulare, ambos amare:* deindè proſequitur ſic: *Ambo offenduntur, ſed ambo diliguntur: ambo moleſtantur, quandiu ægri ſunt, indignantur; ſed ambo ſanati, vehementèr gratulantur;* hinc *Prouerb. cap. 28.* legitur: *Qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum, magis quam ille, qui pro lingua blandimenta decipit.*

PRAELVDIVM VI.

Quare S. Inquiſitionis Edictum fraternæ correptionis præcepti nullam facit mentionem; cum certum ſit, non otiosè prætermitti.

REſpondeo primò in generali noſtrum non eſſe Superiorum arcana ſcrutari in propoſito dicti præcepti omiſſionem; ſed benè noſtra intereſt præcepta ab ipſis tradita adamuſſim obſeruare; illaq; mirari, & admirari, vtpotè zelo fidei, ac pietate Chriſtiana vndequaque referta.

Verùm ad rem noſtram, quamuis de hac præcepti præteritione nihil certi dici poſſit: vnum tamen firmum eſt, teſte *Maſſino in Arſen. S. Inquiſitionis cap. 1.* Edicti formam à Supremo Tribunali S. O. vniuerſalis Eccleſiæ emanaſſe: quare tenendum eſt, non niſi magna cũ maturitate confectum fuiſſe: reſident .n. in illo tantummodo viri doctrina, prudentia, & religione longè cumulati.

Vnde nefas eſt vel ſuſpicari Edicti formæ aliquid fore addendum, vel ab ipſa demendũ; maximè, quod ſub forma, qua euulgatur, à plurimis annis perſeuerat: ratio reddi poteſt, tum quia legũ correctio omnino vitanda eſt, *l. Præcipimus in fin. C. de Appella.* tum quia, quòd expreſsè non corrigitur, ſtare minimè prohibetur, *l. Santimus, C. de Teſtamen.* tum quia correctio non inducitur, niſi quatenus in iure expreſſum reperitur, quod in propoſito nullatenus apparet. *§. Cũ igitur, verſ. Nec eſt lex, Auth. De non eligen. ſecun. nuben.* proptereà lex, quæ non inuenitur expreſsè correcta antiquæ dimittitur figuræ, *gloſ. fin. in Auth. De adminiſtran. in Sac.* nec per ſuperanditum intellectum, vt aliquando fiat fraterna correptio, vel iuſtè fieri poſſit; non inducitur Edicti correctio, *Gloſ. ſing. in cap. Cupientes. de Elect. in 6.* ſed ſaluatur Chriſti præceptum de correptione.

Secundò, reſpõdeo in ſpeciali ad quæſitum, quod quemadmodum iuxta doctrinam peripateticam *primò Poſter.* propter pauca, quæ demonſtrantur ad inuicem circularitèr, vz. Diffinitio, Diffinitum, Differentia eſſentialis, & propria paſſio; nõ ob indè ſequitur demonſtrationem circularem ponendam eſſe: nam prædicti termini (qui conuertibiles appellantur) ſunt pauci. Ita, cum nedum pauci, ſed pauciſſimi ſint caſus, in quibus correctio fraterna dari poſſit, nimirùm illi tantum, in quibus peccans eſt occultus, & ſibi ſoli nocet. Quinimmò nec datur in dictis caſibus ad dicta *Maſſini in Arſen. S. Inquiſit. in Singularib. fidei longè practici par. 1. cap. 1.*

Secunda ratio ſpecialis eſt, quia Edictum, quod paucis verbis conflandum erat, velut compendiolum mentis Reuerendiſs. Inquiſ. non niſi neceſſaria, & eſſentialia complectitur: non eſt autem fraterna correptio neceſſaria, aut eſſentialis Denunciationi ab illo præcepto, vt de ſe conſtat, cum vt pluſmũ ſit omittenda.

Tertia ratio huiuſce præteritionis fortaſſe fuit,

fuit, vt in dubij contingentia, an ipſa præmittenda foret; haberetur recurſus ad Inquiſitorē, vel ad eius Vicarium; aut ſaltèm ad peritos in ſingularibus fidei: quo .n. morbi curatio eſt dubioſa, aut periculoſiora, & ſubinde difficilliſſima: eo peritiori medico committenda eſt, ita ratione dictante.

Quarta eſt, quia & ſi in aliquo caſu, vz. cum peccans eſt occultus, & ſibi ſoli nocuus eſt, vt ſupra dictum fuit; conueniat, aut ſaltèm fieri poſſit fraterna correptio ſecundum probabilē ſententiam, vt videbitur infra.

Regulariter tamen omittenda erit: nam cōſtat denunciandos ſolere ſimulare, non ſolùm eſſe correptioni paratos; ſed etiam eſſe iam plenè emendatos quouſque tranſeat periculum, vt denuncientur: quo tranſacto ſæpè ſæpius illos videmus ad priora redire: Vnde ſecurius eſt illos denunciare nedum ob dictas cauſas, ſed propter alias: Primò, quia malitijs hominum non eſt indulgendum, *l. In fundo 38. ff. de Rei vindicā.* Secundò, quia ſemel malus ſemper in dubio præſumitur malus in eodem genere mali, *cap. Semel de Reg. iur. in 6. 3. cap. paruuli, 22. quæſ. 5.* Secus tamen eſt, ſi cōſtiterit, quod ſe emendauit, & quod bonus exiſtat, vt notat *gloſ. in dicto cap. Semel.* Tertiò; quia iura Deceptis, non autem Decipientibus ſubueniunt. *l. Si mulier ff. ad Velleianum.*

Nec pugnat præteritio hæc contra præceptum Chriſti de correptione fraterna præmittenda; tum quia illius præceptum eſt de peccatis, quæ non vergunt in damnum Communitatis, nec Tertij; quod ſatis conſtat ex illis verbis: *Si peccauerit in te*: non autèm de illis, quæ pugnant contra bonum commune, aut particulare; cùm in his periculum in mora exiſtere poſſit.

Nec itèm p̄ hāc correctionis fraternæ omiſſionē ſequitur reddi inanè, aut inutile p̄ceptū correptionis: nam ſaluatur in caſu ab ipſo Legiſlatore intento: vel ſaltèm ſaluari poteſt, niſi repugnet improbabilis ſpes emendationis in peccātem in te: faciūt edocta à *Suarez de Charitate, diſp 8. ſec. 6. num. 6,* quem citat *Caſtrus Palaus in Oper. Morali tract. 6. diſp. 3. punct. 14. item tract. 4. diſp. 3. punct. 4.*

DISTINCTIO SECVNDA,

De correptione præſtanda.

Quam in duos ſecamus articulos.
Quorum alter reſpicit Inquiſitorem.
Alter verò illi ſubiectos.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Fidei Cenſor teneatur fraternaliter corripere errātem in caſibus S. Tribunali ſpectantibus.

RESpondetur distinctione; vel eſt ſermo de errantibus; quos nouit via denunciationis; aut accuſationis: vel de errātibus, quos nouit ſolummodò ex familiaribus colloquijs, vel ex crebeſcente fama. Si primum non tenetur; nec poteſt: quia quemadmodum denunciatio facta S. Tribunali eſt iudicialis; ita correctio; ſunt enim correlatiua, teneturq; iudicialiter procedere: vnde *D. Auguſtinus in lib. de Verbis Domini* (inquit) *Si neglexeris corrigere Reum .ſ. iudicialiter, peior eo factus es: maledictaq; eſt illa pietas, quæ deſtruit iuſtitiam*: vide dicta *Lib. 5. diſt. 1. art. 1. diff. 2,*

Nec excipitur regulariter niſi caſus, in quo publico bono potius damnum, quàm beneficium afferretur, vti contingit quando ex punitione Rei Schiſma in Communitate probabiliter ſecuturum eſt: tunc enim ſequendum eſt præceptum datum à Patre familias ſeruis ſuis ante opportunum tempus ſegregare volentibus pretioſum à vili: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem; tempore autem meſſis dicam meſſoribus; colligite primùm Zizania, & colligate in faſciculos ad comburendum: triticum autem ponite in horreum meum; hinc *S. Auguſtinus in Epiſtola contra Parmenianum,* proloquitur in hæc verba: *Quandocunque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ſi tale non habeat defenſores; per quos poſſit Schiſma contingere; non dormiat ſeueritas diſciplinæ;* ſubditq; paulò inferius; *Cum quis in aliquo peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus inueniatur, idem fiat .ſ. non dormiat ſeueritas diſciplinæ; vbi .ſ. periculum Schiſmatis nullum ſit;* medicina .n. non debet eſſe deterior morbo: propterea in talibus ad tempus differenda eſt punitio: Vnde idem *Auguſt. ibi de Conflictu vitiorum:* ait: *Quandoque ad tempus errata delinquentium tegenda ſunt, vt aptiori tempore corrigantur.*

Cæterum ſi ſecundum, ſecus dicendum eſt, nimirùm quod etiam Cenſor fidei non eximitur à correptione fraternali; quæ eſt actus charitatis per ſimplicem monitionem factus: nam ſpectat ad omnes indifferentèr, ſiue fuerit Prælatus, aut Dominus, ſiue ſubditus: faciunt tradita per *D. Thom. 2. 2. quæſ. 33. ad quintum. Mirandam de Ord. Iudic. quæſ. 18. art. 6. Valerum de Differentijs vtriuſque fori, ver. Inquiſ. num. 4.* Idem præceptum correpɫ. fraternæ ligat quoque Fiſcales, vti notat *Valerus loc. modo cit.* Verùm tamen eſt, quòd aliter explendum eſt à Superiori, & aliter ab inferiori: nam Superiores grauitate vti debent: inferiores verò manſuetudine, & reuerentia, quòd in primis tradit *Scrutinium Sacerdotale, tract. 10. circa finem, de Operibus miſericordiæ ſpiritualibus.* Itidem vel loquimur de correctione coactiua, & pœnali, vel de charitatiua: Prima non poſſunt ſubditi, nec laici contra Eccleſiaſticos, vt de ſe notum eſt. Secunda verò poſſunt tàm ſubditi erga Superiores ſuos, quàm laici erga Eccleſiaſticos: Verùm nō obiurgando publicè, ſed ſuadendo ſecretò citrà periculum ſcandali: aliòquin conſultius tacebis; cauendo ab his, quæ illi agunt: iuxta illud *Matth. cap. 23. Quæcunque*

dixerint vobis ſeruate, & facite: ſecundum verò opera eorum nolite facere &c. Zanar. Direc. Theol. prim. ſecundæ cap. 23.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitores maiori vinculo ad correptionem obligentur, quam alij.

RESpondetur affirmatiuè, primò quia tenentur duplici titulo, nimirùm vt Paſtores, & vt Cuſtodes, ne in morte compellantur dicere, vęh mihi quia tacui: vęh mihi, quia non ſatis diligēter inquiſiui, quæ mei erāt muneris.

Secundò, quia tenētur, vt ſupra dictum fuit, ad correctionem fraternam, & iudicialem.

Tertiò, quia amore intēſiori, quā ſubditi inter ſe tenentur cōplecti ſibi ſubiectos, vz. nedū tanq̄ dilectos fratres: ſed ēt tāq̄ vnicos filios, ꝓ quibus ſunt reddituri rationem in die mortis, & in die vniuerſalis Iudicij; tenenturq; etiam ſub præcepto defectus ſubditorum inquirere, vt eos auferre valeant. Verùm Inquiſitio eſt duplex, vz. altera indiſcreta, quæ Communitatem vexat, & pacem ſubditorum perturbat, & Superiores potius odioſos, quàm amabiles reddit; & hæc eſt omittenda. Altera verò eſt prudens, vigilans, & paterna, & ad hanc tenentur. At pro iſtius expletione tria requiruntur: Primum eſt, vt in omni loco ſui diſtrictus ſtatuāt perſonas diſcretas, & vigilantes, ſeu Vicarios circa defectus, de quibus eius Edictum: Alterum eſt, ſi delictum eſt publicum, & populo ſcandalum, ipſum omninò inquirāt, & tollāt: ſed ſi eſt ſecretū, ſecretò perquirāt; & ſecundum quod ex inquiſitione aliquid emerſerit prouideant; animaduertendo ſemper ne ſubditum, corripiāt de crimine, quod feciſſe ignorat, & maximè apertè; quia repręhenſus, ſi ſe innocentem ſenſerit, niſi prudens exiſtat, ægrè feret, quod tam facilè maledicentibus auditum præbuerint: vel in peiora, ſi Reus eſt, & non conuictus, præcipitabit.

Tertium eſt, ſi Inquiſitor poſt Inquiſitionē dubius maneat, tota cum vigilantia, & prudentia, omnes malas amputabit occaſiones, ponendo obſtacula congrua; cauendo tamen ab his, quæ innocentiū famam lædere queunt.

Eſt quippè adeò ſtricta Iudicum fidei obligatio, vt teneantur ad purgationem eorum diſtrictus etiam cum graui periculo; quod dicitur ad differentiam ſubditorum, qui non niſi in extrema neceſſitate proximi obligantur ſub tanto rigore: legendus eſt *Zanardus in 1. 2. cap. 23. §. ad Prælatos præcipuè: & §. Etiam cum periculo.*

Vnde non excuſantur Inquiſitores illi, qui correpti timore, ne graui odio habeantur à multis, vel à paucis, iudicialē omittunt Inquiſitionem; vel alia, quæ ſunt ſui muneris: Quare obijciam prę illorum oculis, primò Excommunicationem Papæ reſeruatam, de qua *Clementin. Multorum,* contra ipſos Inquiſitores, & alios deputatos ad S. O. exequendū, qui odio, vel amore, vel lucri, aut commodi temporalis gratia omittunt procedere contra aliquem in cauſa hæreſis: aut ob eaſdem cauſas imponūt alteri hæreſim: vel quod impedierit S. O. vide *Tol. lib. 1. cap. 36.*

Secundò, obijcio Excommunicationem, item Papæ reſeruatam, cuius mentionem facit *Clementina, Nolentes de Hæreticis*, contra itidem Inquiſitores, & Commiſs. ipſorum, vel Epiſcoporum, vel Capituli Sede vacante deputatos ſuper hæreſim, qui prętextu Officij Inquiſitionis modo illicito extorquent pecuniam aliquam (quod abſit vel ſuſpicari) vel Eccleſiæ bona ob delictum Clerici Fiſco etiam Eccleſiæ applicant. legito *Tolet. lib. 1. cap. 39.*

Quapropter Inquiſitores omninò veniunt ab omnibus excuſandi, ſi in proſecutione ſui muneris, aliquis ſentit ſuper ſe illorum graues manus, quas profectò quiſque Reus, & ſi non ſtatim, ſaltem ſucceſſu temporis, longè ipſorū miſericordia, pietate, ac charitate poſſibili alleuiari cognoſcet: cuius rō eſſe poteſt, tum quia Rei ſecundum iura *l. Matrem, C. de Probatio*, mitius tractantur in fine cauſę, quā in principio: tum quia S. Tribunal rigoroſius eſt in modo procedendi, cum tractet totam cauſam ſub ſecreto, quod facit pro conſeruatione famæ Reorum, quàm in punitione, cum ſemper cōiungat vinum iuſtitiæ cum oleo miſericordię.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An obligemur ad correptionem.

RESpondetur interdum obligari, interdum minimè, rō Magiſtralis eſt: quia .s. pręceptū de correptione fraterna eſt affirmatiuū, quod patet, tum ex communi DD. conſenſu; tum ex contextu verborum Euangelij: *Si peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum &c.* qui eſt totus affirmatiuus; pręcepta autem affirmatiua, licèt ſemper obligent, non tamen ad ſemper: ſed tantummodò quando, attentis circunſtantijs hìc, & nunc contingentibus, apprimè dignoſcimus ex impletione precepti in nullo bonum commune, vel priuatum impediri: Vndè cum meretrices ferè ſemper in Ciuitatibus inueniantur, & ob vitanda maiora mala permittantur; ideò ſi quis eas non corrigat, etiam ſi eſſet Concionator, non peccat: tamen curare debet, vt audiant conciones, & reſipiſcant; *Zanardus in Direct. Theol. & Confeſſ. 1. 2. cap. 23. circa principium.*

Nec obſtat correptionem eſſe de iure naturali, diuino, & humano, vt notum eſt ex DD. paſſim, ex *Matth. 18. ibi ſi peccauerit, & ex diſtin. 83. cap. Facienti, diſt. 86. cap. Tam Sacerdotes, 24. quæſ. 3.* quia in quolibet iure ſemper dictum pręceptum eſt affirmatiuum.

DIFFICVLTAS II.

An æquè obligemur ad correptionem fraternam reſpectu delictorum, de quibus Edictum.

ANte reſponſionem quędam veniunt notanda. Primum eſt, quòd ſuauius tractantur, qui corripiuntur prius, quàm denuncientur, quàm qui immediatè denunciantur;

nam

nam hoc modo vtimur cum Reis, vt ſic loquar, pro eorum ſalute, prius oleo miſericordię, quam vino iuſtitię: prius offertur eis baculus correptionis, quo ſuſtentatur eorũ fama; quàm virga denũciationis, qua excutitur puluis peccati.

Alterum eſt, quod peccatum plùs, & minus grauatur non ſolùm ratione maioris, aut minoris malitię internę; ſed etiam ratione diuerſitatis obiecti excellentioris, vel minus excellentis. Vnde grauiora ſunt peccata cæteris paribus contra Deum, quàm contra creaturã: quæ contra animam, quàm contra corpus &c. vide dicta *Lib. 5. diſt. 2. art. 2. diff. 3.*

Tertium inter diligenda datur ordo.

In primo loco ponitur Deus.

In ſecundo anima noſtra.

In tertio anima proximi.

In quarto corpus proprium.

In quinto corpus proximi.

In ſexto fama ſui.

In ſeptimo fama alterius à ſe.

Inter delicta, de quibus Edictum aliqua ſunt contra Deum, & proximum, vt peccatum Hereticorum actu dogmatizantium: Maleficorũ docentium maleficia, vt abducant diſcipulos poſt Dęmonem.

Aliqua ſunt preciſè cõtra Deum, vt peccatũ Hereticorum, .s. non dogmatizantium: Strigarũ habentium conſortium cum Dæmone.

Aliqua ſunt contra corpus proprium, vt peccatum ſuccuborum, & incuborum: qui .n. fornicantur, in corpus ſuum peccant, *teſte D. Paulo.*

Aliqua in corpus proximi, vel eius ſubſtantias corporales; vt maleficia propriè ſumpta arte diabolica confecta.

Aliqua contra corpus proximi, vel eius ſubſtantias abſque ſpeciali arte diabolica, vt peccatum Offendentium Miniſtros S. Officij, vel Reſiſtentium ipſi vi, aut armis.

Ex his ſatis elicitur, quod diuarianda eſt correptio non ſolùm reſpectu delictorum, de quibus Edictum, ſed etiam reſpectu illorum extra illud, vt infra.

DIFFICVLTAS III.

Qualis peccati præcipitur correptio fraterna.

RESpondetur tantum occulti, de quo non eſt periculum in mora, vti notatur per illa verba Chriſti: ***Si peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum &c.*** Dixi occulti, quia qui publicè peccat, non venit priuatim corripiendus, ſed immediatè denunciandus; tum quia offendit nõ ſolùm eum, contra quem peccat, ſed alios videntes, & ſcientes, quos turbat, *Eymer. 2. par. Direct. quæſ. 12. cap. Iniuncto*; tum quia correptio eſt ordinata non ſolum ad ſalutem animæ; ſed etiam ad conſeruationem famæ proximi; fama autem Delinquentis publicè iam eſt amiſſa per notorietatem criminis, quare quo ad hoc non prodeſt ſecreta correptio, vt notat *Ioan. Sanchez in Selectis diſp. 11. nu. 58. circa finem.* Verùm ſi periculum ſit in mora, vt Reus arripiat fugam non obſtante, quod ſit occultum, venit ſtatim denũciandus.

DIFFICVLTAS IV.

Suppoſito, quòd in mora nullum ſit periculum fugæ, quæritur, an omne occultum veniat corripiendum fraternalitèr.

REſpondeo vel occultũ eſt in fieri pendens in futurum .s. actualitèr perſeuerans nociuum: vel eſt tranſactum in præteritum: primo modo ſtatim denunciari debet: quia cum perſeueret damnum; potius eſt ſubleuandus illud patiens, quàm iniuſtè inferens, ſiue crimen ſit in damnum Reipublicæ, ſiue Tertij. nam bonum publicum eſt altioris gradus, quã priuatũ, & priuatũ innocentis, quàm nocentis, niſi sm̃ D.Th. firmitèr ſperetur facta admonitione dãnũ Reipublicę, vel priuati ſtatim impediri, vt infra *diff. 7. verſ. Quartus deniquè*, ſed ſi eſt tranſactum in præteritum, & nullatenus pendeat in futurum; debet antequàm denuncietur fraternæ corripi, ſi alia concurrant dicenda *d. diff. 7. verſ. Alter eſt.*

Cæterùm, ſi ſit præciſè in damnum propriæ perſonæ, vt peccatum ſuccubi, vel incubi cum Dæmone, ſiue ſit præteritum, ſiue etiam in fieri; præmittenda eſt correptio fraternalis ex præcepto diuino; ratio eſt, quia in hoc caſu non agitur, niſi de ipſius Rei commodo, nec periculum eſt, vt arripiat fugam, vt ſupponimus. *Car. in cap. Si peccauerit, nu. 29. 2. quæſ. 1. Gundiſal. à Villa de Hæret., quæſ. 6. nu. 4. Alphon. de Caſt. lib. 2. de Iuſta Hæreticorum punitione, cap. 25. Royàs de Singularibus Fidei, ſingulare 46. Paramus de Origine S. Inquiſit. lib. 3. quæſ. 2. nu. 22.* at in caſu contrario fit, etiam ſi crimina occulta in damnum Reipub., aut Tertij non laborent infamia, aut præceſſerit iuramentum de nõ reuelando, vel nõ poſſint probari. *Homobonus de Exam. Ecc. part. 1. tract. 7. cap. 2. q. 14. & part. 2. tract. 11. cap. 4. reſol. 4. Barboſa de Poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 96. num. 51. Zanardus in Direct. Theol. par. 3. cap. 3. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. qu. 6. pun. 1. nu. 9. Suarez de Fide, diſp. 20. ſect. 4. nu. 7. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 97. §. 2. n. 36. & alij.*

DIFFICVLTAS V.

Cur potius præmittenda eſt correptio fraterna illi, qui ſolùm offendit ſeipſum, quàm offendenti Rempublicam, vel Tertium.

NOtandum, quòd mitius tractatur ille, qui fraternè corripitur, quàm qui ſtatim denunciatur iudicialitèr, vt ſupra dictũ fuit *diff. 2.*

Reſpondeo cauſam eſſe primò, quia qui præciſè ſeipſum .s. animam ſuam offendit, nõ eſt adeò infeſtus, ac ille, qui offendit Rempublicam, aut Tertium; quia ſic vtrumque facit.

Secundò, quia longè ſecretius conſueuit eſſe peccatum lædentis ſolummodò animam ſuã, vt patet in peccato ſuccubi, aut incubi, vel detinentis ſecretò aliquem librum Hæreticorum de religione tractantem: itèm adoratoris Dæmonum ad inueniendum theſaurum ſi

exiſtat ſolus; Verùm ſi plures ſint inſimul, vt ſolet fieri, cenſeo ſtatim denunciandos eſſe.

Tertiò, quia maior ſubeſt ſpes emendationis peccantis contra ſeipſum duntaxàt, quàm peccantis in damnum Tertij, quia reſpectu peccantis tantùm contra ſe eſt vnica malitia, ſeu vnicum motiuum, ſeu obiectum, à quo peccans dimouendus eſt. Reſpectu verò peccantis etiam in Rempub. vel Tertium duo ſunt, à quibus auocandus eſt, nimirùm à peccato, quo animam ſuam mortalitèr offendit, iuxta illud *Ezechielis cap. 18. Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur*; & à damno, quo notabilitèr offendit proximum, & ſimul ſeipſum, de illo ſibi complacendo ſecundum illud *Prouer. cap. 2. Qui lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis, quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.*

Quartò, quia ſi præceptum correptionis nō venit ſeruandum, ſaltèm in his, qui tantum delinquunt contra ſeipſos; in nullis caſibus erit ſeruandum: nam non in publicis, nec in damnum Communitatis, aut Tertij, vt probabitur infra: *Ergo &c. Palaus in Oper. Mor. tract. 6. diſp. 3. pun. 14. nu. 7.*

Verum tamen eſt, quòd aliqui ex his, qui nō peccant niſi contra animam ſuam ex conſortio Dæmoniorū, fiunt omninò Diabolici, adeò vt non ſatis ſit ſibi ſoli nocere, quod nocent, et alijs: Vnde de talibus admodum ſuſpicandū eſt, vt etiam publico ſint infeſti: quare hi ex operibus eorum cognoſcendi ſunt: *Nam non poteſt arbor mala fructus bonos facere: ſicut nec è conuerſo: Matth. cap. 7.*

DIFFICVLTAS VI.

Illa regula, vz. in omnibus criminibus, hæreſi excepta, præmittenda eſt correptio fraterna, quomodo intelligenda.

EST *Soti lib. 1. de Iuſtitia quæſ. 5. art. 1. Sylueſ. ver. Correctio, quæſ. 5. Lopez Inſtruct. par. 4. cap. 54. Ledeſmæ in Sum. tom. 2. trac. 4. c. 4. concl. 24. diff. 2. Tol. lib. 5. cap. 57. num. 2. Ioan. della Crux, & aliorum, quos cumulat Trullencb. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. nu. 21. Diana de Denunciat. tract. 4. reſol. 2. Mazuchellus de Caſib. reſer. diſp. 2. cap. 16. diff. 6. nu. 90. & 91. citãs D. Th. 2. 2. quæſ. 68. art. 1.* cuius ratio eſt, qa alia crimina nō ſunt æquè grauia, nec nociua.

Reſpondetur dictam regulam expoſitione indigere: ſi enim intelligatur à prædictis Doctoribus abſolutè, prout iacet, illis non adhęreo: nam præter hæreſim, alia quoque peccata .s. illa, de quibus Edictum S. Inquiſitionis, veniūt denunciãda omiſſa correptione, alia ſi publica ſint: quædam verò, licèt occulta exiſtant, quando .s. vergunt in pręiuditium nō ſolùm illa Patrantis; ſed etiam Reipublicæ, aut ſaltem Tertij innocentis ob periculū in mora.

Regula itaq; prædicta præciſè excipiens hęreſim, non eſt intelligenda de hęreſi ſtrictè, quatenus diſtinguitur ab alijs caſibus Edicti, aliterq; intellecta multa mala in Eccleſia graſſarentur; ſed de hæreſi largè, quatenus confuſè omnis caſus S. Tribunalis dicitur hæreſis; hinc multi Scriptores de caſibus S. Officij pro foro externo pertractantes, inſcribunt libros de Hæreſi &c. licèt agant etiam de alijs caſibus Edicti. Aliqui DD. ſentiunt, quòd etiam hęretico ſit præmittenda correptio; ſi firma ſpes haberetur reſipiſcentiæ, ſed ab his à fortiori recedo ob periculum in mora. excipe tamen niſi, ſicut eſt firma ſpes, ita ſtatim reſipiſcat.

DIFFICVLTAS VII.

In quor, & quibus caſibus præmittenda eſt correptio fraterna.

RESpondeo DD. quatuor potiſſimum aſſignare caſus. Primus eſt, quando crimen eſt occultum, & non vergit niſi in damnū illud patrantis, quale eſt blaſphemia occulta, conſortium cum Dæmone ſecretum &c. ratio eſt, quia cum peccatum ſit occultum, proximus adhuc ſitę famę eſt in poſſeſſione. De hoc loquitur Chriſtus: *ſi peccauerit &c.* Alter eſt, quando delictum in damnū Reipub. aut Tertij occultum tibi conſtat omninò eſſe iam emendatum, ſatisfactam partem, & nullatenus pendens in futurum: dico nullatenus, quia ſi aliquo modo pēdet, aut ſumus in dubio, omittenda eſt (ſed intellige cum limitatione afferenda in quarto caſu.)

Tum quia potius conſulendum eſt bono communi, aut Tertij iniuſtè maleficium patientis, quam famæ iniuſtè inferentis damna.

Tum quia poſſeſſio ſtat pro Edicto, denunciationem præcipiente. legendus eſt *Valerus de Differentijs vtriuſq; fori, ver. Denunciatio, n. 8. alios cumulans. Salon. tom. 1. in 2. 2. D. Thom. qu. 68. art. 1. controuerſia 2.* Ratio eſt, quia ſicut ratione occultationis non nocet Reipub. ita ratione emendationis prouiſum eſt damno Tertij reſpectu futuri: reſpectu verò præteriti, ſi eſt verè emendatus, vt ſupponitur, offenſo plenè ſatisfecit, quoad potuit: vel obtinuit cōdemnationem damnorum. Tertius eſt, quando verſamur in dubio, an criminoſus errauerit ex malitia, vel iniuria, aut ignorantia. ita *Alphonſus de Caſtro lib. 2. de Iuſta Hæret. punit. cap. 25. ante finem, concl. 2.* quod obſeruat *Rodericus Acbuna de Confeſſ. in Confeſsione ſolicit. quæſ. 18.* Quartus denique eſt, quando exiſtente crimine occulto firmitèr creditur ſtatim poſt ſecretam admonitionem damna Reipub. aut Tertij impediri poſſe. ita *Ioan. Valerus de Differen. vtriuſq; fori, ver. Denunciatio, differentia 1. nu. 1. ſub fine, habens pro ſe D. Thom. 2. 2. quæſ. 33. art. 7. in corpor.* ibi, *Quædam enim occulta ſunt.*

Dices, quomodo crimen eſt occultum, ſi ab aliquo ſcitur: reſpondetur eſſe occultū, quoties non ſcitur à tot perſonis, vt iure dici poſſit publicum; publicum autem, vel eſt commiſſū ſolummodo corā duobus, tribus, aut quatuor perſonis: aut multò pluribus. Si primo modo (ſuppoſita ſpe ſubitæ emendationis taliter delinquentis) neceſſaria eſt præmiſſio correptio-

nis fraternæ, ita ex *Nau. in cap. Inter verba, 11. quæſ. concl. 3. corrol. 66.* quem ſequitur *Zambel. lus de Reg. generalibus iuris criminum, cap. 2. nu. 3.* ſi ſecundo modo denunciari debet.

Et quidem valdè conſonum eſt rationi, vt peccatores occulti abſque neceſſitate non deferantur, tum ob magnum detrimentum eorũ famæ; tum ob ſcandalum, quod ex hoc facilè patitur proximus.

Verùm quam citiùs correptio facienda erit, ſi. periculum non ſit in mora; vt ſi appareat emendationem fruſtrà expectari, poſſit fieri legitima denunciatio.

Dices ſtante hac doctrina non poſſet quis ſuam, aut ſuorum iniuriam proſequi, ne infamaret criminoſum occultum; Reſpondetur doctrinam hanc in hac contingentia pati exceptionem: quia per iniuriam, quam delinquens alteri irrogauit, amiſit ius, ne ille eius famam ſeruare teneatur: potior enim eſt conditio patientis iniuriam, quam iniuſtè inferentis, *Sot. de Secreto, memb. 2. quæſ. 4. concl. 2. Arragon. 2. 2. quæſ. 33. art. 2. Miranda de Ord. iudi. qu. 11 art. 3. concl. 2.*

Inſtabis, quod vtile eſt Reipublicę, vt delicta puniantur.

Reſpondeo verum eſſe, non tamen occulta, quorum nulla eſt infamia, nec alicui ſunt in damnum, quòd impunita remaneant, cum ſatis occurratur ſceleratorum audaciæ punitis publicis. Quinimmo creſcit, ſi intelligant eos, qui in Republica benè audiunt patraſſe æquè grauia crimina, ac ipſi; nec iſta remanent impunita; quia, quæ in præſenti non puniuntur, in futuro relinquuntur grauius punienda, iuxta illud: *Tarditatem ſupplicij grauitate compenſat. Anacletus Papa in cap. Si omnia, 6. quæſ. 5.*

Vrgebis, quod obſtat cõſuetudo contraria. Reſpondeo minimè debere obſtare, cum non ſit rationabilis, *gloſſa in cap. Ecce, diſt. 95. & cap. fruſtra. diſt. 8.*

Prædicti quatuor caſus, quamuis à multis DD. amplectantur: nõ deſunt tamen alij contra illos pugnantes: quorum rationẽ eſſe poteſt: tum quia vel nunquam, aut ſaltem raro per fraternam correptionem emendatio obtinetur: tum quia magis periti in ſingularibus fidei: & item magis practici circa ſpectantia S. Tribunal non niſi concurrentibus pluribus circunſtantijs admittunt in his caſibus correctionem ob longam experientiam, quam tenent de paruo, aut nullo profectu illius. Diſſentire autem à Sapientibus eſt inſpientis, teſte *Platone in Timeo*: tum quia vnicuique experto in ſua ſcientia credendum eſt.

DISTINCTIO TERTIA.

De correptione omittenda.

Hanc in duos partimur articulos.

Alter aſſignat praxim ſingulorum caſuum circa omiſſionem correptionis.

Alter verò ſoluit nonnulla dubia emergentia.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Qualis ſit praxis ſingulorum caſuum Edicti S. Inquiſitionis circa omiſſionem fraternæ correptionis.

CVM ſex ſint caſus Edicti S. Inquiſitionis, ſex etiam erunt aſſignandæ regulæ pro praxi ſingulorum.

Primò, talis aſſignatur regula. Hæreticus formalis .s. ex malitia; nunquam corripiendus, niſi ad dicta nonnullorum DD. ſimus in terminis, de quibus *Angelicus Doctor* .s. quãdo quis firmitèr credit aliquem ſuâ admonitione ſtatim corrigendum 2. 2. *quæſt. 33. ar. 7. Durand. lib. 4. diſt. 19. quæſt. 4., Tolet. lib. 4. cap. 5. num. 1.* & à fortiori ſequitur non eſſe faciendam actualiter dogmatizanti hæreticalitèr ob periculum in mora. Nonnulli tamen DD. ſentiunt probabiliter dicto Hæretico correptionem fraternam non eſſe præmittendam in dicto caſu: quia cum non audiat Eccleſiam, nec me audiet.

Secundò, cum Fautoribus, Credẽtibus, Receptatoribus, &c. Hæreticorum, pront ſunt tales item eadem ſeruãda eſt regula, & limitatio modò allata, quia eorum delictum in iure videlicèt in *Bulla Cęnæ can. 1.* Hæretico formali æquiparatur.

Tertiò, Maleficis, Veneficis, Faſcinatoribus &c. in fieri licèt occultis; non eſt præmittenda eorum denunciationi fraterna correptio: Similitèr non eſt præmittenda docentibus maleficia, veneficia, &c. loquendo de illis, qui inſimul docent, & ſe exercent in maleficijs, veneficijs, faſcinationibus, &c. quod à fortiori procedit: loquendo autem de illis Magiſtris, qui tantùm ex libris prædictorũ habent theoricam; ſed nullo modo praxim, ſecus dicendum eſt: Verùm iſti quoque admonendi ſunt, ne eorum locutionibus coram hominibus frigidis in fide, concupiſcentijs carnalibus, aut odio deditis ponant offendiculum: Vnde illis melior eſt prædictorum neſcientia ſecundum *D. Auguſt. in Enchiridion: ibi melius eſt aliquã neſcire*, .s. pro ſtatu iſto, vti exponit *Seraficus Doctor Bonau.*

Quartò, blaſphemo hæreticali publico non eſt facienda correptio fraterna.

Quintò, offendenti Miniſtrũ S. Officij quatenus talem, aut dicto Officio reſiſtenti, item prout tali, ſi publicum eſt delictum, vel ſi occultum adhuc eſt in fieri, non eſt eius delationi præponenda correptio fraterna, quod intellige cum eadem limitatione dictæ difficult. 7. Regularitèr omittenda eſt, quando agitur de maiori damno, aut periculo, quàm ſit fama proximi. *Valerus de Different. vtriuſq; fori, ver. Denunciatio, nu. 3.*

DIFFICVLTAS II.
Caſus prædictis regulis communes quot, & qui?

RESpondeo quatuor eſſe potiſſimùm. Primus; quando timetur fuga Rei.

Secundus, quando crimen eſt in damnum Communitatis, aut ſaltem Tertij.

Tertius, quando crimen eſt publicum.

Quartus, quando reus eſt abſens.

Nota autem ad dicta plurium DD. primum, ſecundum, & quartum caſum eſſe quoque communes criminibus ad S. Officium non pertinentibus, cum ipſis nō videatur ratio vlla diuerſitatis, niſi in tertio; quia in delictis non pertinentibus ad S. O. licèt delictum exiſtat publicum; præmitti poteſt correptio fraterna, dummodo ſperetur reſipiſcentia, vti docet *Diana reſol.69. pagina mihi* 44. *ver. Nota ſecundò, Palaus in Oper. Mor. trac. 6. diſp. 3. pun. 2. nn.* 4. Secundum verò alios DD. vt notat idem *Palaus loc. cit. pun.*13. *nu.* 8. in dictis criminibus non ſpectantibus ad S. O. ſz. ipſa ſint omnino ſecreta, & vergant in damnum Communitatis, vel tertij; ſi per ſecretam correptionem emendari poſſunt, nō ſunt iudicialitèr denuncianda: quòd ſecus dicendum in iſtis Sanctum Officium reſpicientibus, vt ſupra vidimus: ratio eſt, tum quia hìc tractatur de excellentiori obiecto, cuius offenſio eſt grauior: nam grauius eſt æternam, quam temporalem offendere Maieſtatem, *authen. Gazaros, C. de Hæreticis*: tum quia ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit, *l. Sunt perſonæ C. de Religioſis, & ſumptib. funerum*: vnde cautius procedendum: hinc *Liranus in Epiſt. ad Roman. c.* 14 ait. *Correptio ordinatur ad Emendationem, ideò ſi propter ipſam probabiliter appareat maius malum conſurgere, eſt dimittenda, quouſque tranſierit*. Ex prædictis differentijs clarè colligitur notabilis differentia inter crimina reſpicientia alia Tribunalia: & reſpicientia iſtud Sancti Officij.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An interdum omitti poſſit inſimul tàm correptio, quàm denunciatio.

RESpondetur affirmatiuè, quod potiſſimum contingit circa peccatores occultos, iam ſatis emendatos, ratio eſt; quia tàm correptio, quàm denunciatio ſunt ſpirituales medicinæ; vbi autem crimen eſt occultum, & peccator iam ſufficienter eſt emendatus, ceſſat medicatio: nàm ceſſat motus habito fine. ita *Trullench. in Expoſ. Decal. lib.* 1. *Præcep.* 1. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 10. *Palaus in Oper. Mor. tract. 6. diſp. 3. pun.* 12. *nu.* 4. limita tamen dum omninò conſtet de emendatione, quia ſi adhuc dubia eſſet; correptio, ſeu denunciatio fieri deberet.

Dices, quomodo omittendo denunciationem delinquentis compenſabuntur damna ab eo proximis data in corpore, honore, fama, aut bonis? Primò reſpondetur non eſſe plenè emendatum, qui potens integraliter non ſatisfacit. Secundo illum, qui proximum quouis modo damnificauit ſemper ad reſtitutionē teneri, tàm ſi denuncietur, quā ſi nō denūcietur: eſt enim obligatio realis, quæ non tollitur, niſi ſatisfactione præmiſſà, *iuxta regulam: non remittitur peccatum, niſi reſtituatur malè ablatum, de Reg. iur. in* 6. quæ ſanè procedit, quando ſubtractor habet facultatem reſtituendi: qua, ſi omninò careat; ſat eſt primum propoſitum reſtituendi, cum peruenerit ad pinguiorē fortunam: impoſſibilium enim nulla eſt obligatio, vt notat *gloſſ. in dicto cap. Peccatum*: Verū intelligitur ſatisfeciſſe, niſi is, cui facienda eſt reſtitutio, liberaliter remitteret, vel donaret: *l. Item liberatus, in princ:p. ff. Quibus mod. pig. vel. hyp. ſoluatur*, nihil refert quid ex æquipollentibus fiat. *l. Si mater C. de Inſtitutionibus*.

Vrgebis denunciationem ordinari, non ſolum, vt reparentur damna; ſed etiam, vt occurratur publico ſcandalo.

Reſpondeo in peccato occulto nō contingere ſcandalum publicum, alioquin non eſſet occultum. *Trullench. in Exp. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 2. poſt *Caſtrum Palaum de Confeſſarijs in Confeſſ. ſolicit. tract.* 4. *diſp.* 9. *puncto* 10. *nu.* 2. *Soto de Secreto tegendo memb* 2. *q.* 5. *concl.* 4. *& quæſt.* 7. *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7., *Valerus de Differen. vtriuſq; fori verb. Inquiſitio, n.* 8.

DIFFICVLTAS II.
An peccet, qui omittit correptionem, quando illam denunciationi præmittere tenetur.

RESpondetur aliqui DD. affirmatiuè; quia ex charitate mederi tenemur proximū noſtrum ſuauiori modo, quo poſſumus; ſuauior autem modus eſt ille, qui fit per correptionem fraternalem. ita *Trullench. in Expoſ. Decal. lib.* 1. *Præcep.* 1 *cap* 2 *dub. nn.* 10.

Multi item DD. apud *Caſtrum Palaū in Oper. Morali tractat.* 4. *diſput.* 3. *punc.* 4. *n.* 4 *videlicet. Gundiſal. tit. de Hæreticis, quæſt.* 10. *nu.* 6. *Repertorium Inquiſ. ver. Denunciatur, ver. An quando proceditur. Decian. in Trac. crimin. lib.* 5. *cap.* 30. *nu.* 3. *Martinus Delrio lib.* 5. *de Diſquiſit. Mag. ſect.* 4. negant te poſſe denunciationem iudicialem facere, ſi delictū occultum eſt, (de hoc .n. eſt ſermo) & ſperas fratrem correctione fraterna emendandum. Verùm in oppoſitum ſunt alij DD. ſupponentes denunciationi in S. O. faciendæ minimè præmittendam eſſe correptionem fraternā; & ſubinde illius omiſſionem nullam inuoluere culpam. legendum eſt *Arſen. S. O. par.* 1. *c.* 1. cuius placitum tutò ſequeris, illudq; laudo abſolutè in hæreſi formali, ipſius fautoria &c. reſpectu verò aliorum criminum attendenda ſunt ſupra tradita ad mentem DD. & iurium.

DIFFICVLTAS III.

An Clericus præmiſſa, vel omiſſa fraterna correptione ſi denunciet, vel accuſet aliquem, qui ad mortem damnetur, incurrat irregularitatem.

ANte reſponſionem noto prius in quatuor differre ad inuicem accuſationem à denunciatione. Primum eſt, quòd Denunciatio non fit in ſcriptis, regulariter loquendo, licèt in S. O. ob rationabilem cauſam ita fieri conſueuerit. Accuſatio autem fit in ſcriptis.

Secundum eſt, quòd Denunciatio nõ obligat ad probandum: quia delictum denunciatur, vt paternè corrigatur: nec huiuſmodi conditio in totum recipitur in S. Trib.: quia ibi ſicut non obligatur Denuncians ad probationem: ita non obligatur Iudex ad corrigendũ præcisè paternè; regularitèr tamen, quando denunciatio eſt paterna, & illius receptio eſt ſimiliter paterna: ſunt .n. correlatiua; quare poſita vna, ponitur quoque alia: Verùm in S. Tribunali non recipitur hoc modo (loquendo vt plurimũ) quia illud Tribunal eſt iudiciale: vnde etiam denunciatio eſt iudicialis: ſentioq; non recipi paternalem, niſi quando ad iudiciũ Inquiſitoris cognoſcitur crimen omninò improbabile. Accuſatio verò ad probationem obligat, aliter accuſans non probans ſubijcitur pœnæ talionis, quæ item conditio non rigoroſè recipitur in S. O. niſi fortaſsè prorſus manifeſtè pateret calumnia.

Tertium eſt, quòd Denunciator poteſt eſſe teſtis, quia ſupponitur minimè denunciare contra Reum; ſed potius pro eo, vt emendetur: Accuſator verò non poteſt eſſe teſtis contra illum, quem accuſat; quia ſic eſſet actor principalis, & acceſſorius, hoc eſt pars, & teſtis, quod non admittitur in iure.

Quartum denique eſt, quod Denunciatio ordinatur ad bonum perſonæ particularis, loquendo principalitèr; & ſubindè ad bonum Communitatis: Sentio tamen in Sancto Officio, cum ipſa ſucceſſerit loco accuſationis, quod poſſit Denuncians principalitèr ordinare ſuam denunciationem ab bonum publicum, & indemnitatem tertij innocentis: imò ſecundum *Palaum in Oper. Mor. tract. 6. diſp. 3. punc. 13. nu 7.* de facto ita ordinatur. Accuſatio verò ordinatur abſolutè primariò ad vtilitatem boni publici. faciunt tradita à *Zanar. 1. 2. c. 23. §. Prælati.*

Modo ad propoſitum difficultatis. Reſpondeo negatiuè cum *Zanardo loc. citato citante Caietanum*: cuius ratio eſt, quia hìc caſus eſt in iure exceptus, *cap. Epiſcopus, lib. 6.* tum quia actio debita ex iure naturæ agentem non facit irregularem: vnde occidens inuaſorem non incurrit irregularitatem: nec ſi eum occidat pro bono communi, teſte *Nauar. cap. 27.*

DIFFICVLTAS IV.

An Confeſſarius pœnitentem, qui omiſit corrigere proximum ſuum compellere poſſit, vt ſibi detegat perſonam corripiendam, vt ipſemet Confeſſarius ſaltem illam corripiat.

REſpondetur abſolutè negatiuè. Primò, quia peccata propria ſunt tantum confitenda, & nõ aliena: nam delictum confeſſum cõfitentem non infamat: complex autem non eſt talis.

Secundò, quia ſic Confeſſio multum odioſa redderetur: Nec Confeſſarius pœnitentem obligare poteſt, vt complicem ſibi reuelet, extra Confeſſionem ad illũ fraternalitèr corripiendum; quia etiam ſic aliquo modo videretur Confeſſionis Sacramẽtalis ſigillũ aperiri; Vnde abſtinendũ eſt ab hac boni ſpecie: tum quia cõplex iuſtè ſuſpicari poteſt pœnitẽtẽ de ipſius perſona, vel in Confeſſione, vel extra oblocutum fuiſſe; cum aliundè Confeſſarius non potuerit (vt ſuppono) habere cognitionem huiuſmodi: tum quia publicum bonum priuatorum commodis anteponitur, *l. Sancimus in authentico de Reſtitutionibus*. tum quia bonum ex malo geſto proueniens non releuat delinquentem, *cap. Relegentes, 23. quæſ. 5.* tum etiam quia bonum interdum prohibetur ratione mali conſequentis, vt in propoſito, *cap. Ita ergo, & ibi gloſ. 1. 22. quæſ. 4.* tum præterea, quia bonum eſt vitandum, ſi ex illo poteſt deſcendere malum, vt facilè contingeret ex prędicta obligatione. *Abb. in cap. Cum ab Omni, in 2. not. De vita, & honeſtate Clericorum.* Et ſic nota mirabile, quod malum in potentia, excludit interdum bonum, quod videtur in actu: & ideò melius eſt ſtare in terminis indifferentibus, quam, vt ſub ſpecie boni malum aliquod committatur. huc ſpectat *Prouer. illud, Ne quid nimis.*

DIFFICVLTAS V.

An quis præcepto correptionis fraternæ malo motiuo ſatisfacere poſſit: v. g. vt tu videaris iuſtus: vel ille .s. corripiendus habeatur in malo obſtinatus.

REſpondetur affirmatiuè, quod patet in ſimili de impletione nonnullorum aliorum præceptorum prauo fine adimpletorum: ex. gr. ſatisfaceres præcepto ieiunij, Miſſæ audiendæ, elemoſinæ erogandæ, etiã ſi iſta adimpleueris fine vanagloriæ adipiſcendæ, & ratio ſingulorum eſt; quia hæc præcepta non ſunt de actibus virtutis reſidentibus in voluntate: ſed de actibus externis miſericordiæ, temperantiæ, vel religionis, qui integri eſſe poſſunt, etiam ſi à voluntate deprauentur. *Bannes 2. 2. quæſt. 33. art. 2. Palaus in Oper. Morali tract. 6. diſp. 3. punc. 1. & Torres diſp. 86. dub. 1. apud ipſum Palaum.*

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I.

LIBER SEPTIMVS.

De ſexta particula ſubiectiua Edicti, videlicet, de Excommunicatione, quæ tangitur in Textu, ibi: *Sotto pena di ſcommunica &c. E dalla detta ſcommunica, e pene nelle quali incorreranno i diſobedienti non potrà alcuno eſſer aſſoluto ſe prima &c.*

Hæc pars in quatuor partitur diſtinctiones.

Quarum prima reſpicit iſtius Excommunicationis generaliora.

Altera diſſerit de eius reſeruatione, & abſolutione.

Tertia tractat de huiuſmodi Excõmunicati obligatione, tàm in mortis articulo, quã extra.

Quarta agit de alia generaliori excommunicatione S. Officij, quæ à Denunciandis ob hæreſis ſuſpicionem contrahitur, ſtatim vt reperiuntur ſuſpecti in S. Officio.

DISTINCTIO PRIMA.

De generalioribus excommunicationis Edicti S. Inquiſitionis.

Hæc diſtinctio in tres ſubdiuiditur artic.

In primo tãgitur, quid reſeruetur in Edicto.

In ſecundo ſuppoſito, quod reſeruetur excommunicatio à Iudicibus Fidei lata, diſſeritur de requiſitis ad incurrendam, vel non incurrendam illam.

In tertio eſt ſermo de qualitatibus ipſius excommunicationis, videlicet, an ſit ferenda, vel ipſo iure lata.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Inquiſitor in Edicto ſibi tantum reſeruet excommunicationem, vel etiam infra dictorum caſuum abſolutionem, vz. abſolutionem hereſis, ipſiusq; ſuſpectionis, vz. (ſpecificè loquendo) abſolutionem hæreticæ blaſphemiæ, ſuperſtitionis diabolicæ, offenſionis S. Officij Miniſtrorum, itemq; lecturæ, & detentionis librorum Hæreticorum de religione ex profeſſo tractantiũ.

OCcaſio difficultatis eſt, quia nonnulli minus periti exiſtimarunt, S. Inquiſit. Edictum caſuum reſeruatorum alteram eſſe tabellã: Reſpondetur Inquiſitorem ſibi reſeruare abſolutionem excommunicationis, qua ligantur tranſgreſſores præceptorum Edicti: patet primò ex ipſius Edicti verbis, nempè: *Non potrà eſſer aſſoluto:* quæ vtique verba non referuntur ad abſolutionem peccatorum; ſed excommunicationis, & pœnarum, quibus ligatur omittens illorum peccatorum denunciationem, conſtat, ibi: *E dalla detta ſcommunica, & pene, nelle quali &c.*

Secundò, quia condiſtinguitur forum exterius, quale eſt illud S, Tribunalis ab illo Sacramenti Pœnitentiæ.

Tertiò, quia non extant duę tabellæ caſuum reſeruatorum pro foro Sacramenti Pœnitentiæ, vz. altera Ordinariorum, Inquiſitorum altera, quo fit, vt nec blaſphemia hæreticalis, nec aliud crimen, de quo Edictum in dicto foro Sacramenti Pœnitentiæ reſeruetur Inquiſitori; ſed Ordinario, ſi ſit in ipſius tabella caſuum reſeruatorum: Hinc prima Edicti pars, quæ excluſiuè pertingit vſq; ad illa verba .s. *Tempo di gratia*; vocatur Edictum, ſeu præceptum denunciationis; cum tota verſetur circa huiuſmodi præcepti impletionem, ad diſtinctionem Edicti gratiæ, qua altera ipſius Edicti completur pars.

Quinimmò addo Denunciatum ob aliquod dictorum criminum, & per Inquiſitorem ab excommunicatione tantùm iudicialitèr in foro externo abſolutum; eadem crimina Confeſſario ſacramentalitèr teneri detegere. Dico

tantũm iudicialitèr abſolutum; quia Inquiſitor Sacerdos pollet poteſtate abſoluendi Reũ etiam ſacramentalitèr, ſi ſacramentalitèr ſe illi ſubijciat, quod communitèr tradunt DD. notat in ſpecie *Zanardus in Direct. Theol.*, & exigit ratio.

DIFFICVLTAS II.

An ſaltem Inquiſitor reſeruet ſibi in foro Sacramenti Pœnitentiæ vi Edicti abſolutionem ab hæreſi?

Ratio difficultatis, ſeu dubitandi eſt, quia Inquiſitor propriè eſt Iudex Delegatus contra hæreticam prauitatem: vnde videtur, quòd quemadmodum ad ipſum ſpectat procedere contra Hæreticos: ita eorum abſolutio videtur, quod ad ipſum maximè propriè pertineat.

Reſpondetur forum Inquiſitorum eſſe externum, minimè reſpiciens forum Sacramẽti immediatè; ſed tantum ex conſequenti .s. ſublata excomm. vt dictum, & probatum fuit ſupra *Lib. 2. diſt. 2. art. 1. diff. 3. Zanchinus de Hæreticis cap. 3. 4 & ibi Campegius* in hæc verba, *Inquiſitores, vt Inquiſitores non ſunt Iudices in foro pœnitentiali interiori; ſed in foro iudiciali exteriori. Palaus in Oper. Mor. tract. 4. diſ. 4. num. 3. Eymericus 3. par. Direct. nu. 59. vbi Penna, n. 122. Valerus de Differentijs vtriuſque fori, ver. Hæreſis, diff. 3. nu. 3. & alij.*

Nec obſtat, quòd ad Inquiſitorem pertineat Hæretici abſolutio: quia hoc intelligitur quo ad ſuum forum iudiciale externũ, facta cauſa.

Verum tamen eſt, quòd ſi Inquiſitor exiſtat Sacerdos poſtquàm Hæreticus ab ipſo fuerit à vinculo excõmunicationis abſolutus; poterit etiam abſolui ab ipſo ſacramentalitèr; ſi hoc modo voluerit ſe illi ſubijcere; dico, ſi voluerit, quia quemadmodum Inquiſitor illius Cõfeſſionem Sacramentalem excipere non tenetur: ità Reus non tenetur ſacramentalitèr confiteri Inquiſitori. Ratio autem cur poſſit, eſt manifeſta, quia quo ad exceptionem Confeſſionis Sacramentalis, non eſt alijs Sacerdotibus deterioris conditionis: Vnde ſicut Inquiſitor ablata excommunicatione poteſt remittere Reum ad quemlibet Confeſſarium, vt illũ abſoluat ſacramentalitèr; ità per ſe ipſum hoc præſtare poteſt.

Dices, ſi ab Inquiſitore non reſeruatur hæreſis quo ad forum Sacramentale; à quo Iudice reſeruatur in hoc foro? Reſpondetur reſeruari à Supremo Iudice ſibi ipſi, hoc eſt à Summo Pontifice in primo Canon. Bullæ Cænæ, vt notum eſt: qui nõ tenetur, vt Inquiſitor prius facere proceſſum contra Reum, & deinde illũ abſoluere: ſed poteſt, & facit vtrumque ſimul ſi crimen eſt occultum, quicquid practicet in actu exercito, quando Hæreticus publicus ſe præſentat coram illo.

Summus Pontifex nanque poteſtatis plenitudinem habet, iuxta vulgatum illud: *Papa poteſt omnia, cap. Propoſuit de Conceſſione Præben. cap. Cuncta per mundum, 9. quaeſ. 3. cum ſim.* Ei .n. dictum eſt à Domino in Petro: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis:* quod procedit in ijs, quæ ſunt ſimplicitèr iuris poſitiui; reſpectu verò iuris naturalis, & diuini poteſtatem habet non ſimplicitèr: ſed tantummodò interpretandi, ac declarandi, *cap. Sunt quidam, 25. quaeſt. 1.*

DIFFICVLTAS III.

An Epiſcopus, qui in Edicto S. Inquiſitionis partem habet; prò foro Sacramenti Pœnitentiæ hæreſim ſibi reſeruare poſſit.

Ratio difficultatis, ſeu dubitandi eſt, quia Epiſcopus habet vtrumque forum .s. Sacramentale, & externum iudiciale, vt notum eſt, ad differentiam Iudicis fidei, cuius forum eſt tantum externum.

Reſpondetur negatiuè, quod patet ex ſpeciali prohibitione S. Congregationis S. R. E. Cardinaliũ negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, quam refert *Quaranta in Collectione Bullarum, ver. Caſus reſeruati*, ibi, *Quod Ordinarij*, vbi prohibetur Epiſcopis; ne ſibi reſeruent pro foro Sacramenti Pœnitentiæ certos caſus ibi ſignatos; & præcipuè in Bulla Cœnæ Domini contentos, quorum primus eſt hæreſis.

Nec obſtat plurium DD. placitũ eſſe, quod ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ abſoluere poteſt per ſe, licèt non per Vicarium, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.* quia à diuerſis non fit illatio: diuerſa autem eſt poteſtas abſoluendi ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ à poteſtate reſeruandi illa pro foro Sacramenti Pœnitentiæ.

Item non obſtat, quod poteſt abſoluere ab ipſa in Sacramento Pœnitentiæ (ablata excommunicatione) vt dictum fuit ſupra de Inquiſitore exiſtente Sacerdote: tum quia caſus Papales nõ ſunt reſeruati, niſi ratione excommunicationis, qua ſublata, amplius non ſunt reſeruati: vt ſupra tradidi *Lib. 2. diſt. 2. art. 1. diff. 1. cum Nauar. cap. 27. nu. 26. Caiet. in Summula ver. Caſus, Antoninus 3. par. tit. 17. cap. 11. Capeauilla de Caſib. reſer. cap. 5. quaeſt. 1.* Tum quia nec Epiſcopus, nec Inquiſitor abſoluit ab ipſa primariò, ſeu immediatè; ſed mediatè, & ex conſequenti .s. ablata excommunicatione ad differentiam modi, quo S. Pontifex abſoluere poteſt, vt ſupra cautum eſt præcedenti difficultate.

DIFFICVLTAS IV.

Quot ſunt excommunicationes S. Inquiſitionis alijs generaliores.

Reſpondetur potiſſimum tres eſſe.

Altera eſt illa, quæ regiſtratur in calce Edicti S. Inquiſitionis contra quemlibet omittentem denunciare irretitum aliquo crimine ibi notato, de qua ſupra diffic. 1.

Altera eſt, qua afficitur omnis de hæreſi vehementèr ſuſpectus in S. Officio, & à qua ad cautelam abſoluitur antequàm ab illo S. Tribunali

bunali dimittatur. patet per *Arſenale S. Inquiſ. part. 8. pag. mihi* 211. *& par. 9. pag.* 304. Eccleſia enim, cum nitatur præſumptione, ſemper abſoluit iam probatos reos in ſuo foro, quamuis interdum contingat quo ad forum Dei tales non eſſe, faciunt, quæ tradunt *Eymericus 3. part. Direct. num.* 59. *vbi Penna Commen.* 12. *& quæſ.* 122., *vbi idem Pen. Comm.* 171. *Sanchez in Oper. Moral. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *nu.* 1. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 10.

Verùm huiuſmodi ſuſpecti in foro Sacramenti Pœnitentiæ non indigent abſolutione ab excommunicatione, ſi præſumptio contra ipſos à veritate eneruetur: quare Cõfeſſarius etiam ſimplex ipſos abſoluere poteſt, ſi actus externi ſuſpicionem redolentes, in Diœceſi non reſeruentur.

Dices, cum vna tantùm ſit veritas, vel errat Confeſſarius iudicando illos minimè excommunicationi ſubiectos: vel S. Tribunal ipſos ſubijciendo tum excõmunicationi: tum abiurationi: reſpondetur neutrum perperàm agere; ſed vtrumque facere, quod ſibi proprium eſt: S. Tribunal præſumit tàm factum, quàm verbum externum conformari menti, quòd interdum minimè conformatur. Confeſſarius verò, cum credat pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe; ſemper creditur niſi veritate: Vnde ſi (quod abſit) quis conculcet hoſtiam; & deinde proteſtetur non ex incredulitate, ſed v. g. ex auiditate obtinendi poſtulata à Dæmone hoc egiſſe; in foro Sacramenti Pœnitentiæ creditur ei; in Sancto verò Tribunali minimè. Quare etiam diuerſimodè ſe gerunt in hoc negotio Inquiſitor, & Confeſſarius. faciunt, quæ fert *Iacobus Sprenger in Malleo maleficarum par.* 3. *quæſ.* 1. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 9. *poſt Farinac. de Hæreſi. quæſ* 192. § 4. *n.* 60.

Tertia eſt, qua afficiuntur Hæretici, ipſorũ Fautores, Credentes, Receptatores &c. & in quam ipſo facto incidunt; eſtq; S. Pontifici per Bullam Cænæ reſeruata, cum prius reſeruata non eſſet. *Azor. Inſtit. Moral. tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 10. *quæſ.* 1. *Farinac. de Hæreſ. quæſ.* 192. §. 1. *num.* 1. *& alij.*

Verùm ex eo, quod prædicti in excommunicationem incidunt propter hæreſim; non obindè ſunt vitandi; cum adhuc non ſint nominatim excommunicati, vt ſupponitur *Sanchez in Opere Morali, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 2. *& alij.*

De prima excommunicatione eſt hic ſermo principalitèr: ſumus .n. in declaratione excõmunicationis Edicti tanquã ipſius partis.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An, ad incidendum, in dictam excommunicationem requiratur, vt præcedat admonitio.

Ratio difficultatis eſt, quia regularitèr ad incurrendam cenſuram admonitio prærequiritur; cum cenſura ex Eccleſiæ conſuetudine tantum in contumaces contra ipſam ferri conſueuerit: contumacia autem non eſt, niſi præſuppoſita admonitione.

Notandum eſt, præceptorum alia eſſe ab homine, alia à lege; prima præexigunt admonitionẽ ſpecialẽ; eſt doctrina communis; quòd ſecus eſt de ſecundis: quia lex non ignorata admonet. ita DD. communitèr.

Reſpondetur itaque excommunicationem per Edictum S. Inquiſitionis latam minimè ſpecialem prærequirere admonitionem: tum quia vim habet legis, & Edictum illam continens ſemper loquitur, quod poſt *Sayrum lib.* 1. *c.* 10. notat *Bonac. de Cenſ. q.* 1. *punc.* 9. *prop.* 1. *n.* 1. tum præterea, quia admonitio nõ eſt reſpectu futuræ culpæ, quæ adhuc non eſt; ſed ſolùm reſpectu præteritæ: aut præſentis in ordine tamen ad futuras. Legenda ſunt, quæ ſupra *Lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 2. *diff.* 2. notata fuere, vbi reſolutum fuit, quod ſcientia Edicti Inquiſitorũ æquipollet citationi.

DIFFICVLTAS II.

Dicta excommunicatio, vt euitetur, an ſtatim Hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum denunciare teneamur.

PErpendere oportet, an Edictum præfigat tempus necne; ſi eſt præfixum, pro certò tenendum eſt dictum tempus à ſubditis nullatenus produci poſſe; ſed quiſque tenetur intra illud denunciare: nam terminus in huiuſmodi Edictis eſt peremptorius, *Bal. in l. illatæ, nu.* 1. *C. de Fide inſtrum. Bart. in l. Mancipiorum num.* 6. *ff. de Option. legat.* Ratio eſſe poteſt, ne longa temporis mora detur Denunciandis occaſio moliendi aliquid ad euerſionem iuſtitiæ; quo fit, vt ferè ſemper in Edicto breue præfigatur tempus. Cæterùm, ſi Edictum minimè tempus præfigat, nihilominus, quamprimùm moralitèr denunciatio eſt facienda, tum ob allatã rationem; periculum enim eſt in mora: tum quia neceſſitas boni communis, vtilitasq; publica hoc exigit, ne mala, quæ per denunciandorum peccata nos hìc præmunt, diutius perſeuerent: tum prꝍterea, quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur præſenti die debetur. *l. In omnibus obligationib. ff. de Reg. iur.* vide ſupra *Lib.* 1. *diſt.* 1. *altera pars, art.* 3.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An dicta excommunicatio ſit ferenda, vel lata.

REſpondetur diſtinctione, vel attendimus ius antiquũ, .s. *Conſtitutione Gregorij IX* incipit, *Excommunicamus*, & ſic dicendum eſt, eſſe ſententiæ ferendæ, quod ſatis colligitur ex illis verbis, alioquin excommunicationis ſententia procedatur. ita animaduerto cum *Caſare Carena in tract. S. Officij par.* 2. *tit.* §. 7. *num.* 25. vel attendimus ius nouum amplectendum; & perindè dicere oportet, eſſe nõ ferendæ, ſed latæ ſententiæ. ita *Pegna Comm.* 2. *part.* 2. *Suarez de Fide, diſp.* 20. *ſect.* 4 *nu.* 28. *Sanchez in Summa to.* 1. *cap.* 32. *num.* 47. *Sanctarellus de Hæreſi cap.* [illegible] *nu.* 29. *Lazarius de Blaſphemia, quæſ.* 2. *num.* 18. *&* 79. qui idem dicit ex quodam tractatu informatiuo ad Vicarios S. Inquiſitionis, quem refert *loc. cit. Zecchius de Caſ. reſer. caſ.* 2. *nu.* 2. Di-

Dices, excommunicationi latæ ſententiæ addi ſignum ipſius demonſtratiuum, v.g. ipſo iure, ipſo facto: huic autem nullam horum ſignorum apparet additum: ergo non videtur latæ eſſe ſententiæ. Reſpondetur, quòd quamuis dictæ excommunicationi non ſint appoſita ſolita ſigna: attamen dignoſcitur eſſe latæ ſententiæ ex alijs verbis Edicti, vz. ex illis, *Et dalla detta ſcommunica niuno potrà eſſere aſſoluto &c.* & ita pluries reſponderunt Inquiſitores de hac difficultate conſulti, vti teſtatur *Lazarius, vbi ſupra*: quare contra omittentem denunciationem non opus eſt noua ſententia. faciunt, quæ docet *Trullench. in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 6. nu. 24.*

Verùm notandum illa verba in calce Edicti poſita, nimirùm, *Sotto pena di ſcommunica*, dilata ſententia, non referri ad omittentem dictã denunciationem: ſed ad temerè amouentem Edictum à loco, vbi affixum manebat.

DISTINCTIO SECVNDA, De reſeruatione, & abſolutione ab Excommunicatione Edicti.

Hæc in quatuor diuiditur articulos.

In primo dicitur de reſeruatione dictæ excommunicationis.

In ſecundo agitur de diuerſo modo abſoluendi ab hac excommunicatione.

In tertio diſſoluuntur quædam emergentes difficultates circa hanc excommunicationem.

In quarto aſſignatur quantum iuuet abſolutio ab excommunicatione tàm in foro externo, quàm in foro conſcientiæ, quatenus eſt condiſtinctum à foro Sacramenti Pœnitentiæ.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quomodo reſeruetur excommunicatio Edicti, an abſolutè .s. licèt facta denunciatione, vel ſolummodo ſtante contumacia inobedientia.

SVppoſito, quod hęc excommunicatio ſit reſeruata Inquiſitori, & Supremo Tribunali Romæ, vt patet ex textu, ibi: *Dalla qual ſcommunica non potrà eſſer aſſoluto ſe non da Noi: ò dal Supremo Tribunale di Roma &c.*

Reſpõdetur Doctores circa huiuſmodi difficultatem longè cõtrouerti; nam alij tendunt ad vnam; alij ad alteram extremorum partem; Negatiua ex Doctoribus, quos viderim ipſe; habet pro ſe *Trullench. tom. 1. in Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 6. nu. 28. & 30. ſequentem Rodericum Achuna, & Freitam*; eiuſdemq; ſententiæ videtur eſſe, *Bonac. tract. de Onere denunciandi, punc. 1. §. 10. num. 1.*; fundat verò hæc ſententia ſuam intentionem in hac ratione; quia lex Edicti ſit non ſolùm ad ſolicitandam legis obſeruantiã; ſed etiam ad puniendam inobedientiam.

Affirmatiua verò habet pro ſe, primò *Lazarium de Blaſphemia quæſt. 12. num. 79.* ſecundò *Edictum Papienſis Inquiſitoris allatum ab eodem Lazario loc. cit.* idem conſtat ex *Tractatu informatiuo ad Vicarios S. Inquiſ. Papiæ, cap. 1.* Itidẽ ex *Declaratione Edicti eiuſdem Inquiſitoris die 12. Aprilis annis* 1612. *Lucas Floronus de Caſib. reſer. part. 1. cap. 5. §. 2. nu. 5. Sayrus tom. 1. de Cenſuris lib. 2. cap. 19. nu. 5. Lelius Zecchius de Caſib. reſer. caſ. 2. num. 3. Homob. item de Caſib. reſer. part. 2. caſ. 1.* Hæc itidem ſentẽtia idem ſupponit fundamentum, videlicèt, quod Edictum ſit, tùm pœnale, tùm ad ſolicitandam denunciationẽ, ſed diuariat à priori in modo reſeruandi: nam prima reſeruat abſolutè excommunicationẽ etiam facta denunciatione: Hæc verò tandiù reſeruat excommunicationem: quandiù quis fuerit in mora denunciandi: ſed non facta denunciatione; vnde Sanctum Officium, partìm vtitur iuſtitia detinendo moroſum, contumacem, ſeu inobedientem excommunicationi ſubiectum, quouſque reſipuerit ab inobedientia, plenè facta cuiuſque denunciandi depoſitione: & partìm vtitur cum illo miſericordia illi concedendo, vt facta denunciatione à quouis Confeſſario à prædicta excommunicatione, vtpotè, tũc nemini reſeruata, abſolui poſſit: ſunt nanque viæ S. Trib. miſericordia, & veritas, iuſtitia, & pax: vinum, & oleum &c.

Hæc ſententia præter prędictas rationes fulcitur alijs duabus validiſſimis; Prima, quia Supremum Tribunal S. Inquiſ. Romæ præſcripſit modum, & formam Edicti omnibus Inquiſitoribus Italiæ, vt teſtatur *Carena de Officio S. Inquiſit. part. 2. tit. 9. §. 7. in princip. Maſſinus in Arſen. S. Inquiſ. par. 1.* ibi, *Qual ſia l'auttorità, dignità, & officio dell'Inquiſitore*: Veriſimile autem non eſt Papienſem Inquiſitorem, vel alium voluiſſe reſeruare excommunicationẽ Edicti ſolùm pro tempore contumaciæ; ſi ex forma, & modo præſcripto à Supremo Tribunali eſſet reſeruanda abſolutè .s. etiam ceſſante mora denunciandi.

Altera, quia, qui dimittitur à S. Trib. vel prius abſoluitur ab ipſo, ſi indiget abſolutione, vel ipſius Confeſſario relinquitur facultas: Vnde

Mihi probatur dictam excommunicationẽ tenere medium inter reſeruatam, & non reſeruatam: participat de reſeruata, quia inobediẽs Edicto à nemine abſolui poteſt, præterquam ab Inquiſitore Edicti promulgatore, vel à Supremo Sancti Officij Romæ, qui nec ab ipſis abſoluetur quouſque integrè denunciando parebit, vt patet ex textu, ibi, *Et dalla detta ſcommunica &c.*

Sentit quoque de non reſeruata; quia licèt quis ſit ligatus huiuſmodi excommunicatione; tamen ſi ſatisfaciat S. Officio denunciando

fidelitèr

fideliter omnes, & ſingulos, quos tenetur; à quolibet deinde Confeſſario abſolui poterit.

Ex hoc autem modo fulminandi cenſuram elicitur nō obſcurè, quam ſuauis ſit ſtylus Sancti Tribunalis; vt nō niſi ſubditorum obedientiam, & reſipiſcentiam principaliter intendat.

Elicitur itidem inter annodatum huiuſmodi reſeruatione, & annodatum alijs reſeruationibus latum diſcrimen: quia, qui alia reſeruatione aſtringitur, licèt reſipiſcat, obedientiæ ſatisfaciendo; abſolui tamen non poteſt, niſi à Superiore reſeruante, vel Delegato, qui casuū reſeruatorum facultate potitur: qui verò hac reſeruatione tenetur: v. g. quia deſignato tēpore non denunciauit, quem nouerat denunciandū, ſi ad cor redeat denunciando; abſolui poteſt à dicta excommunicatione, vtpotè amplius non reſeruata, velut è contra ſtante inobedientia à nullo abſolui poteſt; ſicut enim ſe habet propoſitum in propoſito; ita oppoſitum in oppoſito. vide *Par. 1. lib. 4. diſt. 9. ar. 2. diff. 3., & par. 1. lib. 5. de Denunc. in ſpecie diſtinc. 4. art. 4.*

Nec obſtat Edictum Inquiſitori loci, vel Supremo Tribunali Romæ abſolutionem reſeruare; quia intelligi debet reſpectu perſonæ, quæ iam omiſit debitam denunciationem, & etiam modo illam omittit, perſiſtendo in contumacia: non autem reſpectu reſipiſcentis, plenèq; ſatisfacientis præceptis S. Tribunalis.

Vrgebis, qui perpetrauit: v. g. homicidium voluntarium reſeruatum, licèt poſteà parti plenè ſatisfecerit; non ideò ab illo, qui reſeruatorum facultate caret, abſolui poteſt, cum iam reſeruatione ligetur.

Reſpondetur, quod quamuis homicidium voluntarium, & regulariter alij caſus reſeruati, etiā ſatisfacta parte adhùc tales remaneant: ſunt tamen aliqui caſus, quibus ligatus abſolui poteſt, ſi prius ſatisfaciat parti, non obſtante, quod Confeſſarius careat facultate reſeruatorum, vt ſupra dictum fuit in ſimili ex tertio caſu tabellæ Diœceſis Bergomi in hæc verba: *Qui pauperiè non impediti ſolutionem ex legato pio debitam longiùs biennio diſtulerit:* id verò (nota) tandiù tantùm, quādiù in mora ſolutionis fuerint: ita adamuſſim regulatur hæc reſeruatio ſatisfacta parte, & S. O.; cuius ſuauis qualitatis nullā inuenio cauſam, niſi S. O. viſceroſiſſimā charitatē, hac ratione volētis nō ſolū ſolicitare denunciationē, ſed ēt demonſtrare, quod non niſi ſalutē, obedientiamq; ſubditorū intendit.

Inſtabis, extra mortis articulum dictam excommunicationem à nullo tolli poſſe, niſi vel extinguatur præceptum de reuelando; vel ab hoc onere quis in ſpecie eximatur, quorum vtrūq; moraliter eſt impoſſibile, patet ex illis textual. verbis: ibi, *Ne ſarà aſſoluto ſe prima &c.*

Reſpondeo, vt ſupra innui, quod præter dictos modos ſupereſt tertius in poteſtate cuiuſque exiſtens, vz. denunciando prius iuridicè, & integrè, quid clarius?

Vrgebis denique, facta denunciatione quilibet poteſt per te abſoluere: ergò fruſtra fit huiuſmodi reſeruatio.

Reſpondeo non fieri fruſtrà, nedum ob alibi allatas rationes: ſed etiam, vt pœnitens ob abſolutionis beneficium ſtatim conſequendū ad implendum præceptū moraliter trahatur, quòd aliter fortaſſe non traheretur, vti experientia teſte, ſæpè compertum eſt. *Lazarius Can. qq. de Blaſphemia, quæſt. 12. num. 79 Lucas Floronus de Caſibus reſer. par. 1. cap. 5. §. 2. nu. 5.*, iuxta allegata per *Sayrum tom. 1. de Cenſuris lib. 2. cap. 19. nu. 5. Lelius Zecchius item de Caſibus reſeruatis caſ. 2. nu. 3., Homob itidem de Caſibus reſer. par. 2. caſ. 1.* vt etiam alibi cautum fuit.

Si arguas ſic; cenſura hæc eſt ab homine: ergò ab ea poteſt abſoluere tantum lator, vel eius Superior. Reſpondeo eſſe cenſuram ab homine, ſed latam per ſententiam generalem, & pro futuris delictis; quæ æquipollet cenſuræ canonis, iuris & ſtatuti, à qua niſi expreſsè reſeruaretur modo prædicto, poſſet abſoluere quilibet tāquā nemini reſeruata, vt tradit *Sotus 4. diſt. 22. q. 2. art. 3, Nauar in Manu. c. 27. n. 44. & 74. & in cap. Quorundam, vot. 11. nu. 35 & 36. de Iudæis, Campanilis in Diuerſorio iuris rub. 11. cap. 15. num. 130, Sayrus lib 5. Teſauri, cap. 15. nu 22. Bonac. de Cenſuris diſp. 1. quaſ. 3. punc. 1. nu. 5. Layman. lib. 1. tract. 5 cap. 7. nu. 3.* quos citat *Boſſius de Priuileg. Iubilæi in Appendice Confeſſ. in Confeſſ. ſolicit. dub. 32. nu. 106. Bordonus de Dubijs reg. reſol. 3. nu. 7.*

DIFFICVLTAS II.

An ſaltem Epiſcopi ab hac excommunicatione dum eſt occulta, non præſtita denunciatione abſoluere poſſint.

Freitas *ad Rodericum Acbuna de Confeſſ. ſolic. quaſ. 21. nu. 14. Floronus de Caſibus reſeruatis, par. 1. cap. 5. § 2. num. 5. Lazarius Canon. qq. ſect. 4. quaſ. 13. num. 3, Capeauilla de Caſib. reſer. cap. 14. quaſ. 3. diff. 2. cum alijs*, tenent partem negatiuam, quorum ratio eſt: tum quia facultas Epiſcopis data, ſeu potius relaxata in *Conc. Trid. §. 24. n. 6.* abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris occultis in foro conſcientiæ, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; ſentiunt intelligi debere præciſè de delatis ante dictum Conc. tum quia Supremū Tribunal S. Officij Romæ anno 1608. decreuit ab hac excommunicatione non niſi Inquiſitorem loci, & ipſum Supremum Tribunal abſoluere poſſe; à qua nec abſoluunt, niſi prius præſtita legitima denunciatione. patet ex text. ibi: *Ne ſarà aſſoluto ſe prima giuridicamente &c.* quod ſanè longè congruum eſt, ne Sanctus Inquiſitionis finis eludatur.

Cæterùm *Boſſius de Priuileg. Iubilæi in Append. de Confeſſ. in Confeſſ. ſolicit. dub. 3. nu. 107. Bonac. tract. de Oblig. denunciandi punc. 1. §. 10. nu. 2. ſequens Roder. Emman. part. 1. Sum. cap. 8. nu. 4 Nauar. lib. 5. Conſil. de Sent. excom. conſ. 43.* amplectitur partem affirmatiuam, rationemq; reddunt, eo quod dictum *Conc. loc. cit.* nullam circa prædicta ponit diſtinctionem de occultis ante,

ante, vel poſt ipſum: quare videtur Epiſcopis dictam facultatem nō eſſe limitandam ad cenſuras latas ante Concil. reſpondetq; *Bonacina* priori ſententię ordinem Supremi Tribunalis anni 1608. intelligendum eſſe pro foro externo; cum non appareat derogare expreſsè citatæ diſpoſitioni dicti Concilij, ſicut opus erat: maximè quia dictum Tribunal reſpicit forum externum.

Verùm non mihi ſatis probatur hæc *Bonac.* reſponſio: tum quia ipſa ſtante cōtumacibus S. O. habenæ relaxarentur: tum quia auctoritas Epiſcopis in caſibus occultis data practicanda eſt ſaluis iuribus dicti Trib., alioquin neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ dirumperetur. Conſtat præterea ex *cap. Paſtoralis de offic. Ordinar.* itidem, quia delegatus à Sede Apoſtolica, qualis eſt Inquiſitor in ijs, quæ ad fidem ſpectant, vel eſt maior Epiſcopo, vt tradunt Scribentes in Hyſpania, Luſitania, alijsq; locis, vbi receptum eſt S. Officium iuxta ſtylum Hyſpaniæ. legendus eſt *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib.1. cap.2.nu.* 11. Vel ad minus non eſt illo inferior, ſed par, vt docet *Molina de Iuſtitia, diſp.* 28.*n.*14. & patet ex litteris Apoſtol. præſertim Vrbani IV. incipit, *Licèt ex omnibus &c.* quas refert *Pegna poſt Commentarios ad Director. & Carena poſt tract. de Offic. S. Inquiſit.* huc ſpectat *Decisio Bonifacij VIII. in cap. Per hoc de Hæreticis in 6.* item *Declaratio Benedicti XI. in Extrauag. ex eo, de Hæreticis. Clemen. V. Clementina* 1. *de Hæret.* par autem in parem non habet imperium, quod ſigno demonſtratiuo ſic notificauit *Bonifacius VIII.loc.cit.* vbi dicit, quod ſi Inquiſitor, & Epiſcopus non conuenerint; negotium benè inſtructum per vtroſque ad Sedem Apoſtolicam remittendum eſſe: concluſio itaque eſt negatiua. *Lucerna Inquiſitorum ver. Excommunicatus. Arſen. S. Inquiſ. part.*10. *art.* 37. *Vmbert. Locat. in Iudicial. Inquiſit. ver. Excommunicati nu.*1. *Farinac de Hæreſi, quaſ.*192.*n.*66. *& alij.*

Si dicas cum *Molina loc. cit.*, quòd Summus Pontifex delegādo Inquiſitores hæreticæ prauitatis non intendit efficere illos Epiſcopis Superiores in cauſis fidei, quemadmodum facit, quando alios ad eas cauſas aliòqui delegat: reſpondeo hoc nihil obſtare, quia nunquam ſunt inferiores, ſed vt dixi, ad minus pares: quare non poſſunt abſoluere excommunicatos ab Inquiſitore, & idem intellige de interdictis ab ipſo Inquiſitore, nimirùm, quod ab Epiſcopo abſolui nequeunt: legendi ſunt citati Doctores. Vndè doctrina *Boſſij, & Bonacinæ* mihi placet interpretanda, intelligendaq; precisè quoties facta eſt legitima denunciatio.

Dices, ſi hoc modo veniret interpretanda; ſequeretur quod Epiſcopi quoad hoc non haberent ampliorem poteſtatem alijs Confeſſarijs; cum ipſi quoque facta à pœnitente legitima denunciatione ipſum abſoluere poſſint. Reſpondeo negando conſequentiam: quia Epiſcopi præſtita à pœnitente denunciatione illum abſoluere poſſunt tàm ſequendo negatiuam ſententiam, quam affirmatiuam: Confeſſarij verò abſoluere nequeunt, niſi ſuppoſitis fundamentis ſententiæ affirmantis. Quare ad memoriam reuocanda ſunt, quę ſupra diximus: .s. quod aliqui ſentiunt, Confeſſarios nō poſſe abſoluere ab hac excommunicatione, licèt facta denunciatione.

Item ſuppoſita denunciatione in foro Sacramenti Pœnitentiæ iuxta vtranque ſententiam eandem facultatem habent, qui potiuntur priuilegijs Cruciatæ, Iubilæi &c. Quod dicitur ad differentiam illorum, qui huiuſmodi priuilegijs Cruciatæ, aut Iubilæi minimè gaudent, qui non poſſunt abſolui, niſi in ſententia tenentium, quod præcisè durat excommunicatio ad durationem inobedientiæ, ſed de his priuilegijs infrà immediatè.

Cenſeo itidem Regulares Confeſſarij Mendicantes, & alij priuilegijs Mendicantiū fruentes vi ſuorum priuileg. (facta integralitèr denunciatione) abſoluere poſſe ab hac excommunicatione etiam ſequendo ſententiam illorum, qui volunt dictam excommunicationē eſſe abſolutè reſeruatam, .s. etiam facta denunciatione. faciunt, quæ tradit *Rodriquez tom.* 1. *qq. Reg. quaſ.* 61.*nu.* 5. *Compendium Societatis ver. Abſolutio, §.* 1. *& Compendium Theatinorum par.* 1. *ver. Abſolutio quoad ſeculares §.* 1. *Boſſius de Priuil. Iubilæi in Appendice Confeſſ. in Confeſſione ſolicit. dub.* 32. *nu.* 106.

Hinc colligo, quòd Regularibus caſus papales habētibus; vt à prędicta excōmunicatione abſoluere queant, nō ſatis eſſe pœnitētē ſatisfeciſſe parti lęſæ, niſi etiam plenè ſatisfecerit denunciando quot quot denunciare tenetur: quia quoties ad vnum plura neceſſariò requiruntur copulatiuè, altero deficiente nihil fit.

Sed ſic eſt, quod ab abſolutionem prædictā requiritur non minus ſatisfactio S. Officij, quā partis; ideò dicta abſolutio ab ipſis impertiri nō poteſt, niſi dictis ſuppoſitis: maior de ſe patet: & minor cōſtat ex Edicto: quare idē quod prius.

Dices, cui licèt, quod eſt plus; licèt etiam, quod eſt minus .s. in eodem genere: ſed dicti Regulares in genere abſolutionis abſoluunt à papalibus excommunicationibus, demptis exceptis in ſpecie, vti conſtat ex declaratione *S. Cong. Vide Bullarium Quarantę, V. Caſus reſeruati: ibi Declaratio &c.* ergò etiam ab iſta Inquiſitoris abſoluere poſſunt. Reſpondetur dictam regulam in odioſis minimè locum obtinere: odioſum autem eſt in alienam meſsē falcem mittere, in propoſito in meſſem Inquiſitorum; hinc videmus Summos Pontifices Iubilæi tempore Regul. ſuos committere caſus, cum tamen non appareat illis concedere illos Epiſcoporum, niſi de ipſis in ſpecie fiat mentio, & idem contingit de caſu hæreſi, niſi .s. de illa etiam ſpecificè fiat conceſſio, iuxta *l. Nec auus C. de Mancipat. libero.* in hæc verba: *Beneficia Principum in alterius iniuriam non tribuuntur;*

buuntur: quod nouiſſimè notauit *Bordonus var. reſol. reſol. 3. nu. 7.*

DIFFICVLTAS III.

An omiſſa ſatisfactione ſaltim vi Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, aut alterius priuilegij tolli poſſit.

RAtio difficultatis eſt, quia huiuſmodi Bullæ, indulta, priuilegia, &c. tribuere ſolent facultatem abſoluendi à quauis cenſura demptis illis Bullæ Cœnæ Domini, conſtat viſis exemplaribus.

Reſpondetur difficultati negatiuè; ratio eſt, tùm, quia denunciationem omittentes minimè ſatisfaciunt: nemò autem abſoluendus eſt, niſi præuia ſatisfactione. *cap. Ex Litteris de Conſt.*, ibi, *ſatisfactionem congruam*; ſi enim ſatisfactione omiſſa debitor abſoluatur; cenſura ſuum non conſequitur effectum, contra *cap. Inter hæc in fin. 33. queſt. 2.* tùm, quia ſi virtute Bullarum, Iubilæorum, aut aliorum priuilegiorum poſſet quis abſolui omiſſa ſatisfactione, Eccleſiaſticæ diſciplinæ neruus diſrumperetur, quod plurimùm iura deteſtantur, *cap. Cum inter hæc, de Conſuet. Clementina 1. in princ. de Sent. excommunicationis, Henriquez lib. 1. de Pœnitentia cap. 10. §. 11. lit. T., Rodericus Achuna, quæſt. 21. nu. 8. & 29.* Verùm dices, ſi res ita ſe habeat, quid præſtat illis priuilegia ſuper alios, qui illam non habent. Reſpondetur vt ſupra præcedenti diffic. quòd cum duæ ſint ſententiæ, habentes dicta priuilegia vi illorũ poſſunt abſoluere facta denunciatione à dicta excommunicatione; etiam ſi reſeruatio dictę excommunicationis eſſet abſolutę facta. ratio eſt tũ quia in dubiò ſequimur, quod minimum eſt: tum quia cum partium iura ſunt obſcura, potius Reo, quàm Actori fauendum eſt.

DIFFICVLTAS IV.

Cur S. Tribunal renuit quempiam abſolui omiſſa denunciatione.

REſpondeo rationẽ eſſe poſſe, quia Inquiſitoris partes ſunt defenſio boni Reip., & priuati innocentis: quare non abſoluit, nec vult abſoluere cenſura ligatum cum probabili periculo damni Communitatis, vel Tertij innocẽtis: quemadmodum è contra, qui plenè denunciando S. Tribunali ſatisfacit; ab illo dimittitur abſolutus, ſi abſolutione indiget; vel ſaltem illi tacitè impertitur facultas, vt abſoluatur; ita exigente illius Tribunalis iuſtitiã cũ miſericordia: excellit enim vtraq; virtute; & quo rigoroſius eſt omiſſa denunciatione: eo mitius iam præmiſſa, in cuius ſignũ eius ſtemmata præcipua ſunt gladius, & ramus Oliuæ, vti vidimus de ſtemmatibus Sancti Tribunalis, *Par. 1. lib. 3. diſt. 2. art. vnico diff. 2.* dixi, ſaluã cenſura, cui in omnibus promptè, & humiliter me ſubijcio, petenda ſunt, quæ tradidi ſupra *Lib. 5. diſt. 4. art. 4.* vbi de neceſſitate denunciationis præmittendæ, & vtilitate huiuſce reſeruationis.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ab hac excommunicatione eodem modo abſoluantur tàm omittentes denunciationem Hæreticorum, quàm omittentes denunciationem tantum de hæreſi ſuſpectorum.

NOtandum omittentes denunciationẽ Hæreticorum, vel de hęreſi ſuſpectorum eſſe duarum ſpecierum; nam alij tenentur tantùm ex præcepto Edicti: alij verò nedum ex Edicti præcepto, ſed etiam ex officio, vt ſupra viſum fuit; Hac habita diſtinctione reſpondeo, formã abſolutionis ab excommunicatione variari iuxta prædictam diuerſitatem omittentium denunciationem: nam cũ abſoluuntur illi, qui præciſè tenentur ad illam ex præcepto Edicti; in forma abſolutionis ab excommunicatione non ponitur, niſi clauſula ob inobedientiam Edicti; non autem ob hæreſis ſuſpicionem, vel ob hæreſim, quia ſic inuolueret falſum; cum huiuſmodi omittentes non ſint, nec præſumantur tales: abſolutio quippè ſuper certam materiam cadere debet, niſi ſimus in dubio; quia tunc, ne fruſtra impertiatur; datur ſub conditione cum particula, Si; Cæterum, cum abſoluuntur illi ſecundæ ſpeciei; determinatę ponitur clauſula ob hæreſis ſuſpicionem; quia iſti ratione defectus proprij officij habentur ſuſpecti. Vnde ſciendum, quod quamuis S. Tribunal nouerit veritatem excludere præſumptionẽ: tamen quia non cognoſcit iſtorum corda, nec eis credere tenetur; ideò cum iſtos abſoluit ab excommunicatione, abſolutio impertitur ſub conditione, ſic: Apoſtolica auctoritate, qua fungor in hac parte, ego abſoluo te à vinculo excommunicationis, ſi quam incurriſti propter vehementem hæreſis ſuſpitionem de te ob cauſas &c. iuſtè conceptam, & reſtituo te &c. quod notat *Eliſeus in Arſenali S. Inquiſit. loc. cit. ſed paulò ſupra*. Cæterùm, cum abſoluuntur Hæretici, Apoſtatæ, Hæreticorum Fautores, Defenſores, Receptatores, Retinentes, vel Legẽtes Hæreticorum libros de religione tractantes ex profeſſo; abſolutè ipſis impertitur abſolutio: quia extra dubium eſt eſſe excommunicatos *Bulla Cœnæ Can. 1. Maſſinus loc. cit. ibi: Modo d'aſſoluere i Rei dalla ſcommunica*. Huiuſmodi quæſtio, ſeu difficultas eſt ſummoperè attendenda, ne contingat error in re tanta; diſtinctionemq; prædictam Iudices Fidei apprimè callunt, actitantq; in dies. Vndè notandum hanc difficultatem tradi non in gratiam ipſorum Iudicum, qui mea non indigent inſtitutione, cum partes ſui muneris non minus theoricè, quam practicè plenè nouerint; ſed in gratiam Confeſſariorum, & Commiſſariorũ: quare iſti attendere debent, an ipſis facultas demandetur in Confeſſione Sacramentali explenda: vel extra Sacramẽtum: ſi primo modo demandetur; methodum, ſeu formam obſeruatam à Iudicibus Fidei, qui præſumptionẽ fori externi ſequuntur, tenere debent: dina-

ria.

riatam tantummodò illis .s. verbis: *Auctoritate à Reuerendiſs. Patre Inquiſit. mihi commiſſâ*. Cæterùm ſi ſecundo modo ſit explenda, nimirum auditis peccatis Sacramentalitèr, oportet Cõfeſſarium, vt obſeruet, an veritas præſumptionem eneruet; nam, ſi ille, qui in foro externo habebatur Reus, in facto eſſe inter excipiendum eius Sacramentalem Confeſſionem cognoſcat, non eſſe talem; in abſolutione ab excommunicatione, omittenda erit particula illa (.s. ob ſuſpicionem hæreſis). Patet in ſimili ex diuariata forma, qua Cõfeſſarij vtuntur Sacramentalitèr abſoluendo Clericos ab illa, quam adhibent abſoluendo laicos: nam inter abſoluendos Clericos aliquo ordine inſignitos additur formæ particula à vinculo ſuſpenſionis, quæ non ponitur in forma abſolutionis laicorum.

DIFFICVLTAS II.

An quando Inquiſitores abſoluunt ab hac excommunicatione; inſimul abſoluant ab excommunicationibus Summorum Pontificum, vel Eminentiſs. Cardinalium latis contra itidem omittentes denunciationem Hereticorum, vel ſuſpectorum.

Ante reſponſionem quædam veniunt præmittenda.

Primum eſt, non tantùm excommunicationem Edicti militare contra omittentes denunciationem Hæreticorum, vel de hæreſi ſuſpectorum; ſed alias quoque, vz. illam, de qua *Extrauagans Gregorij IX.*, cuius initium eſt: *Excommunicamus &c.* quam notat *Pegna part. 2. ad Direct. Inquiſit. Comm. 2. cap. 2.* qui alios, & illã Eminentiſs. Cardinalium Inquiſitorum Generalium, incipit *Octauius*, reperiesq; illam apud *Bariolam poſt Flores Directorij in Bullis Apoſt.*

Alterum, præmittendum eſt, aliam eſſe abſolutionem, quæ ab Inquiſitore impertitur Reo alicuius ex ſex delictis ad S. Officium ſpectantibus, de quibus ſupra in tabella caſuum S. Officio denunciabilium. Aliam verò, quæ item ab Inquiſitore impertitur omittentibus debitam denunciationem, quæ variatur iuxta diuerſum genus obligationis, vt dictum eſt immediatè præcedẽti difficultate, prima eſt propter hæreſim, vel ipſius ſuſpicionem: ſecunda verò eſt ob Edicti inobedientiam. Quare etiã variatur forma in abſolutione illorum, & iſtorum: nam in abſolutione illorum facienda eſt mentio de hæreſi, aut de illius ſuſpicione; in abſolutione verò iſtorum fit mentio de inobedientia præcisè: aut ſimul de inobedientia, & ſuſpicione hæreſis, iuxta varium genus perſonarũ ex officio obligatarũ, vel non obligatarũ.

Tertium, quamuis plures ſint Superiores Hæreticorum denunciationem præcipientes, vt ſupra dictum eſt; vnum tamen eſt peccatũ, quia ſinguli idem habent motiuum, vz. purgationem communitatis à contagio hæreſis: & vna tantum eſt virtus, cui omittentes denunciationem opponuntur, vt de denunciatione cautum eſt ſupra.

Quartum, ſuppono illum, qui prius omiſerat denunciare Hereticum, vel de hereſi ſuſpectum: vel vtrumque; modò plenè, & integralitèr illos deferre Iudici Fidei.

Nunc difficultati propoſitæ reſpõdeo affirmatiuè, .s. quod abſoluunt etiam ab alijs excommunicationibus contra omittentes denunciationem, de qua Edictum. Probatur primò, quia forma, qua vtuntur Inquiſitores abſoluendo inobedientes S. Edicto appellatur abſolutio à pœnis, & cenſuris in plurali; vnde continet nedum abſolutionem ab excommunicatione Edicti; ſed etiam ab alijs, de quibus litteræ Apoſtolicæ pro S. Inquiſitionis Officio, & de quibus præcepta Eminentiſs. Inquiſitorũ Generalium: faciunt, quæ docet *Eliſeus Maſſinus in Arſenali S. Inquiſit. part. 9. pag. mihi 298. ibi; Forma di lettere patenti per li ſpontè comparenti al S. Officio*. Et quamuis ibi non fiat mentio de omittentibus denunciationem; ſed de Reis ob hereſim, vel hereſis ſuſpicionem; tamen aptiſſimè deſeruit huiuſmodi abſolutioni demptis demendis, & additis addendis.

Secundò, probatur in ſimili: Quemadmodum, in abſolutione Hereticorum, vel de hereſi ſuſpectorum, ſi ipſi integralitèr ſuam exonerent conſcientiam; quoslibet complices manifeſtando, abſoluuntur ab omni excommunicatione; ita abſoluuntur, qui Hereticos, vel de hereſi ſuſpectos denunciare omiſerant; dummodo Cenſoribus fidei deferant omnes, quos denunciandos nouerũt: nam vbi eadem eſt ratio; idem quoque ius ſtatuendum eſt. *l. Illud ff. ad l. Aquiliam*.

Nec obſtat abſolutionem huiuſmodi omittentium interdum S. Pontifici, vel Cardinalibus Inquiſitoribus Generalibus reſeruari; vt patet ex prædicto præcepto Cardinalium Generalium Inquiſitorum; tum quia, dum Reus eſt ſub manibus Inquiſitorum ad integram ſanitatem ſpiritualem reducitur, quatenus eſt ex parte ipſorum; tum quia præceptum obligat præcisè per dies, menſes, & annos ab ipſis taxatos, vel ſaltem ſolummodo perſeuerat ad vitam præcipientis, ad differentiam legis, & ſtatuti, quæ ſemper perſeuerant, quouſq; reuocentur. *Naldus ver. Præceptum, nu. 2. item ver. Lex, nu. 2. arg. l. fin. de Pœnis, & l. 1. C. de Poſtulando*. quod intellige, niſi ex alia lege poſteriori dignoſcas aliam eſſe mentem Generaliũ Inquiſitorum: aut litterarum Apoſtolicarum, à quibus nefas eſt recedere.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An dicta excommunicatio multiplicetur per multiplicitatem Superiorum eiſdem ſubditis Edictum S. O. promulgantium.

Reſpondetur diſtinctione opus eſſe, vel Superiores denunciationem ſub excommunicatione præcipientes eandem habent poteſtatem, vel alteram; ſi eandẽ non multiplicatur; & perindè ſemel omittens denũciationem in vnam ſolummodo incidit;

cuius

cuius ratio eſt, tùm quia quamuis præcipientes ſint multi materialitèr; ſunt tamen formalitèr vnus in poteſtate, quę eſt vna, & eadem: tùm, quia non cenſentur velle ferre nouum ius, ſed idem.

Vel pręcipientes diuerſam habent poteſtatem, & ſic multiplicatur iuxta numerum Superiorum, modo quiſque illam tulerit tanquā ſuam: nouumq; ius intenderit ferre, ac nouam imponere pœnam; ratio eſt, tum quia multiplex ab omittente committitur contumacia formalitèr. Tum quia quemadmodum aliç cenſuræ multiplicantur diuerſa extante poteſtate; nouoq; iure, prout ſupra; ita ob eandem cauſam multiplicatur iſta. Faciunt allata per *Bonac. de Cenſ. diſp.* 1. *quaſt.* 1. *punct.* 1. *prop.* 3. *nu.* 15. *in terminis proprijs. item de Onere denunc. diſp.* 6. *punct.* 1. §. 10. *num.* 2 *&* 13., *Portel. de Dubijs Regular. ver. ſolicitare fęminas in Confeſſ. num.* 24., *Zambellus in Reper. caſuum conſcientiæ V. Sanctum Officium nu.* 10. *& alij*.

Modò ad propoſitū promulgatores Edicti, & conſequentèr excommunicationis ipſius eandem habent ſpecificè poteſtatem, ſaltèm quoad hoc: nec nouum ius intendunt ferre; & perindè non multiplicatur dicta Excommunicatio ex parte promulgatorum, ſeu Inquiſitorum, qui abſque vlla mutatione formæ præſcriptæ à Supremo Tribunali Sanctæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Romæ illud promulgant, vti in primis conſtat ex *Arſenali S. Inquiſitionis part.* 1. *pag.* 9. multiplicatur tamen ex parte iteratę omiſſionis pręcepti denunciandi, quod ſatis conſtat ex communi DD. placito. *tu vide Suar. de Cenſ. diſp* 5 *ſect.* 3., *Vgol. de Cenſ. tab.* 1. *cap.* 16. §. 3. *num.* 5. *citantem Ioannem Andream*: rō eſt, quia tot ſunt cenſuræ, quod ſunt moralitèr, & formalitèr actus cōtra pręceptū: lex enim (in propoſito) Edictum ponit cēſurā contra tranſgreſſores pręceptorū ipſius: vnde vbi eſt vna tranſgreſſio, ibi eſt vna cenſura, & vbi multiplex, etiā multiplex cēſura reperitur.

Notandum eſt pręterea legis trāſgreſſiones multiplicari nedum ab actione poſitiua; vel omiſſiua contra legem: ſed etiam ab obiecto multiplicato: quare ſi omiſiſti plures perſonas denunciare; plures contraxiſti Excommunicationes, niſi omnes inſimul vna denunciatione venirent denunciandi: quia in tali contingentia ſe habent per modum vnius, velut etiam, qui ob eamdem cauſam conuerſatur inſimul cum pluribus excommunicatis; vnam tantummodò incurrit excommunicationem minorem, & vnum tantùm peccatum committit. Idem quoque dicendum de illo, qui malum vni familiæ imprecatur; & item de illo, qui plures percutit clericos vnico actu, .s. hunc vnam tantùm cenſuram maiorem incurrere contra nonnullos, quos citat *Bonac. de Cenſuris diſp.* 1. *quaſt.* 1. *pun.* 5. 2 *propoſ. nu.* 7. Hinc animaduertendū eſt vnam numero eſſe tranſgreſſionem moralitèr; quando actio fit tota ſimul; vel etiam ſucceſſiuè circa eamdem perſonam; modò actio non habeat certum, & definitum terminū, in quo ipſa compleatur: ex. gr. fornicans cum eadem perſona ſucceſſiuè plura fornicationis peccata committit; quia exercet plures actiones, quæ habent terminum definitum, in quo perficiuntur; v. g. plures pollutiones, ad differentiam furis, qui ſucceſſiuè ab vno, & eodem ſurripit pecuniā, ligna, fenum, &c. quia furtum non habet, velut fornicatio, terminum definitum.

DIFFICVLTAS II.

An ſimplex Confeſſarius ab hac excommunicatione abſoluere poſſit, ſi omiſſio tranſgreſſionis publica fuerit; occulta verò impletio denunciationis, aut illius obligationis extinctio.

Ratio difficultatis eſt, quia impertiendo abſolutionem videtur S. Tribunali præiudicium inferre; quod ſecus eſſet, ſi vtrumq; eſſet, aut occultum, aut publicum.

Reſpondetur poſſe abſoluere: tùm, quia Sancto Officio nihil refert omiſſionem denūciationis fuiſſe publicam; ipſam autem denunciationem occultam; cum ipſa ex ſtylo illius Tribunalis non fiat publica, & denunciator tenendus ſit ſecretus; quo fit, vt ex tali abſolutione, non poſſit iuſtè ſcandalum naſci; cum notum ſit denunciationem ſub ſigillo ſecreti in S. Officio occludi: ex confeſſioneq; ſacramentali Denunciantis poſſint omnes iuſtè argumentari ipſum antea ſatisfeciſſe obligationi ſuæ; & Confeſſarium facere, quod debet, & poteſt: tum quia Denunciaturus, nec ante denunciationem à ſe pręſtitam tenetur cuiquam detegere, quod intendit, nec item poſt; etiam ſi nullum damnum obinde ſibi obuenturum foret.

Nec vllo modo obſtat ratio in oppoſitum: nam geſta in foro Sacramenti Pœnitentiæ, foro externo S. Inquiſitionis minimè præiudicant, notum eſt.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An abſolutio ab excommunicatione Reo impertita in foro exteriori S. Inquiſitionis; illi proſit etiam pro foro interiori.

NOT. quod hìc loquor de excommunicatione in generali .s. non ſolùm de illa, de qua Edictum S. Inquiſitionis contra omittentes denunciationem: ſed etiā de illa, qua afficiuntur formalitèr Hæretici, & de illa, qua ligantur præcisè ſuſpecti de hæreſi in S. Officio.

Reſpondetur difficultati affirmatiuè, probaturq; tribus rationibus. Prima, quia abſolutus ab excommunicatione: deinceps per quēlibet Confeſſarium à peccatis non reſeruatis abſolui poteſt. *text. in cap. Vt Offic. in princip. verſ. Si verò, de Hæreticis in* 6. *Farinac. de Hæreſi, quaſ.* 192, §. 4. *Bonac. de Cenſ. quaſ.* 5 *punct.* 2. *prop.* 2. *nu.* 10.

Secunda, quia poſtquam Inquiſitores Sacerdotes iudicialitèr abſoluerint Hæreticos,

vel de hæreſi ſuſpectos; etiam abſoluere eos poterunt in foro Sacramenti Pœnitentiæ, ſi Rei Inquiſitoribus peccata in hoc foro ſubijci velint. *Eymer. 3. par. Direct. num. 59. vbi Pen. Commen. 12. & quæſt. 122. vbi idem Pen. Comm. 171. Sanchez in Oper. Morali, tom. 1. lib. 2. cap. 12. nu. 1. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 192. §. 4. num. 54. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. cap. 4. nu. 10.* Dixi Inquiſitores Sacerdotes, quia, qui non ſunt tales, licèt abſoluere queant ab excommunicatione: non tamen à peccatis. Vndè notandum duplicem eſſe abſolutionem, vz. alteram ad forum contentioſum pertinentem; & hæc etiam, vt dixi à non Sacerdote dari poteſt; quia potius eſt iuriſdictionis, quam ordinis: altera verò præcisè forum Sacramenti Pœnitentiæ reſpicit, & hæc nõ niſi à Sacerdote dari poteſt.

Tertia, quia tunc Reus in foro pœnitentiali non indiget noua abſolutione ab excommunicatione, quia iam ablata fuit, vt dictum eſt. *Arſenale S. Inquiſ. lib. 10. art. 28. Zanchinus de Hæreticis, cap. 34. nu. 1. & 4. & ibi Campegius. Pegna par. 2. Comm. 65.*

DIFFICVLTAS II.

An abſolutio ab excommunicatione Hæretico occulto, aut de hæreſi ſuſpecto impertita in foro conſcientiæ ſecretò, proſit illi in foro externo.

LOquor de foro conſcientiæ, prout diſtinguitur à foro Sacramenti Pœnitentiæ; de quo *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. Liceat Epiſcopis &c.* reſpectu ſpontaneæ comparitionis coram Iudice Fidei, priusquàm Reus ab altero denuncietur.

Reſpondetur prodeſſe, ſeruato modo, quẽ tradit *Eymer. 3. part. Direct. nu. 59.* vz. præmiſſa confeſſione ab Hæretico, ſeu de hæreſi ſuſpecto coram Notario, hæreſiq; abiurata: ratio eſt; quia ſic non poteſt vlterius puniri pro hoc delicto hac vice commiſſo, *Suarez. tom. 5. diſp. 21. ſect. 4. num. 16. 17. & 18. Barboſa de Offic. & poteſtate Epiſcop. tom. 2. alleg. 40. nu. 2.* requiritur ſanè Notarius, & abiuratio hereſis: quia huiuſmodi abſolutio manat à iuriſdictione in foro externo, & iudiciali.

Nec pœnitẽti graue videri debet, quòd eius confeſſio ſecreta; hoc modo excipiatur .s. coram Notario, & abiuratione: quia, ſi ex vna parte eſt ſibi grauis: ex altera tamen eſt ei valdè vtilis, vt notant prædicti DD. cui addo *Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 5. n. 3.* legito *Lib. 9. diſt. 2. art. 1. diff. 5.*

Verùm, ſi delictum patratum omninò ſit ſecretum; adeò, vt non niſi committenti notũ exiſtat: à nulloq; denunciari poſſit, non debet eius denunciatio ab ipſo omninò ſpontè facta excipi coram Notario, vt notant *Simanchas de Cath. inſtit. tit. 42. nu. 11. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 4. cap. 13. alios citans. Campegius ad Zanchinum de Hæreticis cap. 35. & Nos inf. Lib. 9. art. 2. diff. 6.* Quod ſecus dicendum eſt, ſi ſaltem ab vno denunciari poſſit: nam cum iſtius delictũ ſit denunciabile; ſibi imputari debet, ſi coram Notario excipitur.

Procedit idem, ſi delinquens habuit ſecum complicem, vel complices; quia ſic aliquo modo eius crimen eſt denunciabile.

Diſtinguitur difficultas hæc à difficultate immediatè præcedenti, quia illa mota fuit de abſolutione in foro externo data reſpectu fori Sacramenti Pœnitentiæ: iſta verò mouetur de abſolutione in foro conſcientiæ ſecretò prout itèm diſtinguitur à foro Sacramenti Pœnitentiæ reſpectiuè ad forũ externum publicum, in quo iuxta grauitatem delicti eſt etiam plagarum modus: quod dicitur ad differentiã ſalutaris Pœnitentiæ, quę imponitur abſoluto in foro conſcientiæ, de quo *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.*

DIFFICVLTAS III.

An ab hæreſi abſolutus in foro conſcientiæ per Inquiſitorem, vel Epiſcopum ſecundum probabilem ſententiam, ſit excuſatus ſubire iudicium fori iudicialis.

REſpondetur negatiuè: quia diuerſi fines in vtroque iudicio reſpiciuntur: in foro enim conſcientiæ attenditur ſatisfactio Deo exhibenda, & ſalutis propriæ medicina: At in iudiciali foro ſpectatur ſatisfactio Reipublicę, & reparatio offenſionis ex malo exemplo ſuſceptæ: ſic *gloſſa in cap. Gaudemus, de Diuortijs. verbo Poterit. Antonius Gomez tom. 3. Variarum, cap. 1. nu. 40. Pegna Direct. 2. par. Commen. 25. verſic. Rurſus altera quæſtio. Zanchinus de Hæreticis. cap. 34. Suarez de Fide, diſp. 21. ſect. 4. nu. 6. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 12. nu. 7. & alij apud Palaum in Oper. Mor. tract. 4. diſp. 4. §. 4. nu.* Vnum inſupèr eſt potiſſimè notandum, videlicèt, quòd abſolutio data Hęretico fictè conuerſo, cuius fictionem ignorat abſoluens, non eſt valida ex defectu intentionis in abſoluente; non .n. intendit abſoluere niſi fidelem: at qui in ſua hereſi pertinax eſt, infidelis eſt, & indignus abſolutione. *Sayrus Theſauri caſuum, tom. 1. lib. 2. cap. 21. nu. 26. Henriquez lib. 13. de Excommunicatione cap. 30. nu. 3. & 4. Suarez de Cenſu. diſp. 7. ſect. 7. nu. 13. & diſp. 21. de Fide, ſect. 4. nu. 19.*

Verùm quia hęc abſolutio quo ad forum externum valida, & firma reputatur; non indigebit Hæreticus verè iam conuerſus abſolutione aliqua iudiciali; ſed ipſemet Inquiſitor ſolus ſine Notario, & Teſtibus illum abſoluere poterit: exemplo matrimonij contracti in facie Eccleſię inualidè ob aliquod occultum impedimentum, quod ſecundum multorum ſententiam reualidatur ſine vlla exteriori ſolemnitate per iteratum conſenſum cõtrahentium, ſic *Palaus loc. cit. §. 2. num. 5. poſt Suarez loc. citato nu. 19.*

DI-

DISTINCTIO TERTIA.

De ſecunda excommunicatione generaliori S. Tribunalis, nimirùm de illa, quæ ſequitur hæreſim formalem.

Diſtinguitur autem in tres articulos.
In primo agitur de Abſoluente.
In ſecundo de Abſoluendo.
In tertio item de Abſoluendo, ſed præcisè in mortis articulo, ſeu periculo.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An diſtinguatur dicta excommunicatio ab alijs duabus, vz. ab illa de qua ſupra in calce Edicti, & de qua infra diſtinctione ſequenti, qua ligantur tantummodo ſuſpecti de hæreſi.

RESpondetur affirmatiuè, nam excommunicatio, de qua Edictum afficit præcisè omittentes denunciationē præceptam, quæ tantùm ſatisfactione præmiſſa .s. facta denunciatione tolli poteſt: excommunicatio ob ſolam hæreſis ſuſpicionem afficit de ipſa ſuſpectos in foro S. O. Excōmunicatio verò, de qua nunc loquimur, quæ .s. ſequitur hæreſim, reſpicit Hæreticos formales, vz. internos & externos ſimul. Verùm circa ſuſpectos ob cauſam hæreſis diſtingui oportet: quia alij ſunt in Bulla Cœnæ expreſſi, vt Fautores, Schiſmatici, & iſti, quamuis interdum non ſint Hæretici: tamen nequeunt abſolui, niſi ab habente caſus dictæ Bullæ Cœnæ: de alijs verò ſubdiſtinguendum eſt ſic; vel ſe appreſentant coram Inquiſitore in foro externo publico, vel ſecreto conſcientiæ; prout diſtinguitur à foro Sacramenti Pœnitentiæ; & ſic abſoluuntur à dicta excommunicatione, licèt in facto non ſint Hæretici, nec ipſorum Fautores, Credentes, Receptatores, Defenſores, .s. ex motiuo hæreſis: vel ſe præſentant Confeſſario in foro Sacramenti Pœnitentiæ, qui ſi cognoſcat eſſe Hæreticos formales, Apoſtatas à fide, Fautores, Credentes, Receptatores, Defenſores ex motiuo hæreſis minimè abſoluere poteſt; ſicut nec in dubio, an ſint tales, vt patet per Declarationem S. Congregationis S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam, quam affert *Quaranta in Collectione Bullarum, ver. Caſus reſeruati:* quod ſecus eſt, ſi ab Hereſi, Apoſtaſia à fide, Fautoria &c. nouit eſſe inſontes. Vnde noto dicta excommunicatione Bullæ Cœnæ affici non ſolū Hæreticos, ſed etiā de hæreſi ſuſpectos in illa expreſſos, quod ſecus dicendum eſt de alijs ibi non expreſſis.

DIFFICVLTAS II.

An ſit diſcrimen inter excommunicatum ob cauſam hæreſis, & ob aliam, remiſſiuè infra Part. 2. lib. 10. diſt. 4. art. 1. diff. 11.

DIFFICVLTAS III.

An in aliqua caſu quis exiſtat Hæreticus, ſed nō excommunicatus, infra Part. 2. lib. 10. diſt. 7. art. 1. diff. 2.

DIFFICVLTAS IV.

An Inquiſitores ab excommunicatione, quæ contrahitur ex hæreſi formali, non delatos ad eorum forum iudiciale abſoluere poſſint. Idem eſt perindè, ac quærere, an illos in foro conſcientiæ, prout diſtinguitur à foro Sacramenti Pœnitentiæ abſoluere poſſint.

NOtandum de iam delatis ad S. Tribunal minimè difficultatem moueri: nam ex quotidiana praxi notum eſt ab Inquiſitore abſolui iam peracta eorum cauſa.

Modò difficultati reſpondetur affirmatiuè; nimirùm, quòd Inquiſitores in foro conſcientiæ abſoluere poſſunt, vti ſupra *Lib. 2. diſt. 2. art. 2. diff. 1. traditum fuit*; an verò etiam per Commiſſarium idem poſſint, vide item ſupra loco nunc citato. *Graffius 1. part. deciſ. lib. 2. cap. 9. num. 5. Viualdus in Candelabro anni 1602. par. 1. tit. 11. nu. 15. Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 3. cap. 4. num. 11. citans Eymericum, Sanchez in Oper. Mor. tom. 1. lib. 2 cap. 12. num. 1. & ſeqq.* Quinimmo *Toletus lib. 4. cap. 4. num.* 5. ſentit, quòd Inquiſitores Reos prædictos hoc modo abſoluere debent; procedit autem in hæc verba. *Cum tale peccatum .s. hæreſis occultum eſt, debent Inquiſitores in ſolo conſcientiæ foro illos audire, & abſoluere.*

Attendendùm tamen eſt accuratè abſolutionem Hęretico fictè conuerſo ab Inquiſitore impertitam, quoad vtrumque forum inualidam eſſe: ita vt ſi poſteà illum reſipiſcere cōtingat, noua indigeat abſolutione; quia ſupponendum eſt Inquiſitorem non niſi ſeriò conuerſum intendiſſe abſoluere, *Suarius de Cenſuris diſp. 7. ſec. 7. nu 12. Sanchez loc cit. cap. 12. n. 8.* Idem à fortiori dicendum eſt, ſi abſolutio fuiſſet iſti impenſa à non habente poteſtatem abſoluēdi ab illa, licèt bona fide impertita fuerit, ſic ex *Suario de Fide diſp. 21. ſect. 4. n. 2. Sanchez lib. 2. cap. 8. nu. 5. & cap. 11. nu. 1.* Qui, ſi faſſus eſt aliquas hæreſes, & alias tacuit ex induſtria, ab illis tātùm manet abſolutus, quas expreſſit; ratione aliarum manens adhuc excommunicatus.

Verùm, ſi hoc cōtigit bona fide, vt quia alias non meminit, manet abſolutus ab omnibus; *Sanchez vbi ſupra nu. 9.* & idem dicendum eſt de illo, qui circa hæreſim tacuit aliquos actus, loquendo de illis, qui ſunt alicuius momenti. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. cap. 4. nu. 16. & 17. citans Sanchez vbi ſupra nu. 9. & cap. 11. nu. 21.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Irretitus dicta excommunicatione, ſed occultus ad impetrandam abſolutionem abſq; ſui manifeſtatione quid faciet?

IMpetrabit ab Inquiſitore, vt à Confeſſario proprio abſolui poſſit ſuper his, quæ ſunt ſuæ iuriſdictionis, .s. vt illi iuxta probabilem Doctorum ſententiam ſubdeleget ſuam auctoritatem. faciunt, quæ tradit *Simancas de*

Cathol. inſtit. tit. 3. nu. 5. vt notat Rodericus Achuna de Confeſſ. in confeſſione ſolicitantibus, qu. 18. Vide ſupra *Lib. 2. de Poteſt. Inquiſit* vbi dictum eſt illam ſubdelegare poſſe. Quam, ſi concedere renuat, illam petat ab Apoſtolico Nuncio; quam ſi ipſe quoque renuat impertire; ſcribat Romam ad Maiorem Pœnitentiarium tacito nomine proprio, vt eam Confeſſario idoneo in partibus committat; & interim obſeruet, quæ de occulto excommunicato Confeſſarij copia carente tradunt DD. maximè *Nauar. & Henriquez loc. inf. cit.* Qui ſi illam neget; petat Romam ad Supremum Tribunal S. Officij manifeſtando totum omne, quod à ſe pro abſolutione geſtum eſt; quò ſi non poteſt ire, aut ſaltem mittere ob ſufficientē cauſam; recurrat tandem ad Epiſcopum, qui abſoluet non vi *Trident. ſeſſ. 14. cap. 6.* ſed ex tacita Summi Pontificis conceſſione: *Nau. in Manu. cap. 2. nu. 89. Henriquez lib. 6. de Pœnitentia cap. 10. §. 1. item cap. 9. §. 7. & caput 16. §. 1. Molina tom. 4. de iuſt. & iure, tract. 3. diſp. 64. nu. 11. Sanchez de Matrimonio lib. 2. diſp. 4. n. 3. & alij*, docentes impeditum adire Romam, ab Epiſcopo abſolui poſſe, quod patet etiam in ſimili: nam quemadmodum *Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. ad finem*, negans poteſtatem Confeſſarijs abſoluendi à caſibus reſeruatis extra mortis articulum; nō intelligitur, quin poſſint indirectè (ſuppoſita cauſa neceſſaria); ſed ſolummodò denegatur directè abſolutio: ita in propoſito ob impedimentū pœnitentis Epiſcopus ex tacita Summi Pontificis intentione; poteſt illi abſolutionem impertire. Præmiſſis autem dictis diligentijs à pœnitente; ſi nec ab Epiſcopo abſolutionem impetrare potuerit; tunc pro poſſe conteri oportet; Qui, ſi exiſtimet non perfectè conteri; à Confeſſario obtineat abſolutionem, à quibus poteſt directè cū obligatione præſentandi ſe quamprimùm poterit pro excommunicatione; & intereà, ſi eſt Sacerdos celebrare poterit; ſi verò Laicus Euchariſtiam ſumere; etiam quod non ſit coactus ratione ſcandali, ſubiungit *Diana* ad mentem quorundam, *Part. 1. tract. 5. reſol. 4.* volentium in hoc caſu Eccleſiam minimè contemni: tum quia caſus eſt occultus, tum quia pœnitens fecit, quantum in ſe fuit, vt abſolutionem directam obtineret. Quam methodū maximè obſeruare poterit imminente ſcandalo.

Verùm mihi probatur, vt irretitus non ſemel, ſed iterùm, tertiò, ac pluries inſtet pro abſolutione ab Inquiſitore obtinenda; quia forſan melius conſultus; cogitabit, quomodo vtilius prouideat ſaluti ad ſe recurrentis.

Quod deciſum eſt de ligato temporali impedimento; idem à fortiori decidendum eſt de ligato perpetuo impedimento, vt ægritudinis incurabilis. *Conſule Ferdinandum in Opere Morali tract. 4. diſp. 4. pun. 3. §. 5. Homobonum de Exam. Eccl. tract. 5. quæſ. 2.* vbi habes pœnitentes nunquam remedio ſpirituali remanere deſtitutos. *Alphon. de Leone de impedito adire S. Pontif. Iubilæi tempore, qu. 6. nu. 44. Trullench. in Expoſ. Decal. cap. 3. nu. 13. per totum.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Occultè excommunicatus dicta cenſura, an in mortis articulo Inquiſitorem pro abſolutione ad ſe vocare teneatur.

RESpondeo, quod alij aiunt, alij negant, pro affirmatiua abſolutè vide *Zambranum de Caſibus art. mortis, cap. 4. dub. 4. nu 15. & dub. 6. nu. 4.* Pro negatiua verò legendus eſt *Bonac. de Cenſ. diſp. 1. quæſ. 3. punc. 3. nu 5.* cuius ratio eſt, tum quia illa non reputatur grauis neceſſitas, quæ leui negotio vitari poteſt: tum quia non poteſt quis dici carere Confeſſarij proprij copia, quando illum abſq; graui incommodo habere poteſt, fundatq; cum alijs DD. ſuam intentionem. Primò, quia Conc. Trident. nullam ponit reſtrictionem pro tali articulo, aut proximo mortis periculo. Secundò, quia in *cap. Quamuis de ſent. excomm.* pro habenda abſolutione à quolibet Sacerdote in tali ſtatu præcisè requiritur, vt pœnitens verò, & canonico impedimento retrahatur, quominus Superiorem adire poſſit, vita *Corduba quæſt. 18 par. 2.* in ſimili de illo, qui S. Pontificem adire nequit. *Valentia tom. 4. diſp. 8. quæſ. 10. part. 2. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 19. quæſ. 5. Henriquez lib. 6. de Pœnitentia cap. 9. num. vltimo. Sanchez lib. 2. Decalogi, cap. 13. nu. 4. & alij.*

Tertiò, quia omnia media, quibus dictus Pœnitens abſolutionem ab Inquiſitore obtinere poſſet, reputantur illi propemodum impoſſibilia, nullatenusq; illum cogentia. patet per ſingula diſcurrendo.

Poſſet per Procuratorem, ſed vti illo in hoc caſu minimè obligatur, alioquin oporteret; vt alteri à Confeſſario ſuum aperiret peccatum occultum, ſic *Vgolinus de Cenſ. in generali, tabula 1. cap. 4. §. 5. nu. 13. Nau. cap. 27. nu. 90. Suarez. de Fide, diſp. 21. ſect. 4. nu. 25.*

Poſſet medio litterarum: ſed nec ad hoc obligatur, cum nemo ſua peccata ſcribere teneatur, vt ex communi DD.

Poſſet mediante Cōfeſſario; ſed ad hoc minimè tenetur; quia non obligatur extra ſacramentalem Confeſſionem illi ſuum detegere peccatum, nec Confeſſarius tenetur illud ſubire onus, maximè cum pœnitens vti poſſit legis beneficio. *Sanchez lib. 2. cap. 13. num. 14. Henriquez vbi ſupra, & cap. 11. nu. 4. Ferdinandus tract. 4. diſp. 4. punc. 3. §. 5.* hæc pro parte negante.

Alij ſequuntur hanc partem, ſed conditionatè aſſerentes exiſtentem in tali ſtatu ad hoc teneri, ſed duobus additis conditionibus, vz. quod ad Inquiſitorē ſit facilis aditus; & quod pœnitens periculo ſalutis, aut infamiæ minimè exponatur, huc ſpectant tradita per *Sotum 4. ſent. diſ. 18. quæſt. 4. art. 4. Viualdum de Abſol. nu. 6. Capeauillam de Caſ. reſer. par. 1. cap. 7. diffic. 5. & alios.*

Mihi

Mihi probatur attendendam eſſe loci conſuetudinem: propterea, vbi ipſa viget, vt exiſtentes in mortis periculo mittant pro abſolutione ad Inquiſitorem; illam obſeruari non eſt incongruum; tum pro maiori pœnitentium conſolatione; tum quia ſic nulla infamiæ nota incurritur.

DIFFICVLTAS II.

An à dicta excommunicatione abſolutus in articulo, ſeu in periculo mortis (hoc ſublato) teneatur ſe præſentare Inquiſitori.

Ratio difficultatis eſt, quia *cap. Eos qui, 22. de Senten. excommunicationis in 6.* obligat ſub pœna reincidendi in eandem excommunicationem abſolutos in dictis caſibus (ſublato mortis periculo, vel articulo) ad ſe præſentandum Superiori, cui extra dictos caſus abſolutionis officium incumbebat.

Reſpondetur duplici diſtinctione, prima vel: abſolutus eſt occultus; aut iam accuſatus; vel ſaltèm denunciatus S. Tribunali. Si primum, non tenetur; quia præſentatio non fit, vt occultus abſoluatur interius, cum iam à Confeſſario in dicta contingentia abſolutus fuerit, nec noua indigeat abſolutione, aut præſentatione; vt notat *Nau. cap. 27. num. 27. ver. 4.* Si ſecundum, tenetur non vt abſoluatur interius; quia iam à Confeſſario abſolutus fuerat; ſed vt pareat Eccleſiæ: iſte .n. denuò abſoluitur quo ad forum exterius ad ſatisfaciendum Eccleſiæ; quæ ſemper abſoluit iam probatos Reos in ſuo foro; quamuis interdum contingat, quo ad forum Dei tales non eſſe.

Secunda diſtinctio, vel abſoluto in dictis caſibus ex præſentatione imminet ſolũ correptio paternalis: vel non grauis pœna, & ſic obligatur; alioquin fruſtrà imponitur præceptũ ſe præſentandi: Vel illi imminet mors, vel alia notabilis pœna, vt triremis; & ſic non obligatur: ratio eſt, tum quia nemo tenetur ad illud, vnde illi ſequitur mors. *Sylueſter, ver. Accuſatio, quæſ. 16.* faciunt notata à *Caiet. 2. 2. quæſ. 69. art. vltimo ad 8. dub. Ab Armilla item ver. Accuſatio, quæſ. 21. à Valero de Differentijs vtriuſq. fori, ver. Hęreſis, diff. 5.* tum quia, ſi iuſtè condemnato è carcere fugere licet, quomodo illi nõ erit integrum cauere mortẽ, aut aliud graue damnum ſibi certiſſimè paratũ? immò interdum nõ expedit pręſentatio, .s. quãdo ſolùm nocet honori quoad homines, & nihil prodeſt animę quo ad Deum, quòd docet *Valerus de Differen. vtriuſque fori ver. Abſolutio, differ. 4.*

Nec obſtat ratio ab initio obiecta; quia dictum caput obligat præciſè, quando obſeruari poteſt abſq; periculo mortis, aut grauis damni: pręcepta .n. pię Matris Eccleſiæ non obligant cum graui incommodo, niſi exiſtente ipſius contemptu, vel caſu fidei defendendæ, vel cõfitendæ. faciunt tradita per *Ioannem Valer. vbi ſupra. ver. Hæreſis, differentia 5. item ver. Abſolutio differ. 9.*

Notandum eſt autem excommunicatum non obligari ad præſentationem, niſi quando tenetur ſatisfacere Tribunali externo. ita *Nau. cap. 26. dub. 4. concluſ. 1. §. 2. Gambarupta de Caſib. reſer. cap. 2. nu. 65. apud Dianam in Reſol. Moralibus part. 1. tract. 5. reſol. 5.* Vide *Part. 2. lib. 1. Diſt. de abſol. Haret. in mortis art. aut peric.*

DIFFICVLTAS III.

An abſolutio reddatur inualida, ſi Confeſſarius Pœnitenti in dicto caſu non imponat dictum onus, remiſſiuè infra Lib. 10.

DIFFICVLTAS IV.

Quam praxim obſeruare oportet Confeſſariũ abſoluendo ob hæreſim excommunicatum ibidem.

DIFFICVLTAS V.

In quali mortis periculo Confeſſarius abſoluere poteſt ab excommunicatione prædicta.

Notandum triplex eſſe mortis periculum: aliud remotũ, aliud propinquum, aliud proximum. Remotum eſt illud, quale quiſque ſecum fert in omnibus ſui incolatus momentis; & iſtud profectò non ſufficit, aliàs ligatus cenſura S. Officij non teneretur ſemel, iterũ, tertio, & pluries inſiſtere, vt ſibi facultas concedatur pro abſolutione habenda; licèt ſperaret illam obtenturam; ſed commiſſo peccato ſtatim coram quolibet Sacerdote abſolui poſſet, quod non eſt dicendum.

Propinquum eſt longè graue periculum, vt in graui infirmitate, in longa, & periculoſa nauigatione, & ſimilibus caſibus: nec de iſto interprętandum eſt loqui *Conc. Trid.* teſte communi conſenſu DD.

Proximum verò eſt illud, quod coincidit propèmodum cum articulo mortis; & de iſto intelligitur præciſè, quod poſſit quiſque Confeſſarius abſoluere.

DIFFICVLTAS VI.

An extra mortis articulum extendatur interdum dicta facultas. Vide infra Par. 2. Lib. 10. diſt. 9. art. 3. diff. 1.

DISTINCTIO QVARTA.

De tertia generaliori excommunicatione S. Officij, quæ contrahitur ob hæreſis ſuſpicionem.

Circa hanc vnicum formabimus articulũ duas complectentem difficultates.

ART. VNICVS. DIFFICVLTAS I.

An abſoluti ab excommunicatione, quam S. Tribunal ſemper præſumit à ſuſpecto de hæreſi fuiſſe contractam; à quolibet Confeſſario abſolui poſſint.

Ratio difficultatis eſt, quia quemadmodum caſus papales, vt multi DD. tenent, ſunt ſolummodo reſeruati ratione excommunicationis (qua ſublata) à quolibet Confeſſario abſolutione tolli poſſunt; ita videtur de Caſibus S. Tribunal reſpicientibus, vz. quod ſublata excõmunicatione, cui ſunt ſubiecti; nõ remaneant

amplius reſeruati. *Nauar. cap. 27. nu. 261. Caiet. in Sum. ver. Caſus, D. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 11. Capeau. par. prior. cap. 5. quaſ. 1.*

Reſpondetur diſtinctione, vel abſolutio ab excommunicatione eſt reſpectu caſuum Epiſcopo reſeruatorum extra tabellam: vel abſolutio ab excommunicatione eſt reſpectu caſuum intra tabellam. Si primum, dico abſolutos in S. Tribunali, & dimiſſos, à quolibet abſolui poſſe; quia, vt innui, in ſententia multorum non deſideratur niſi ablatio cenſuræ; vel ſunt intra, & ſic dicendum eſt præter ablationem cenſuræ recurrendum eſſe ad Pœnitentiarios: nam S. Tribunal in nullo occurrit diſpoſitioni Ordinariorum præcipientium; vt nemo ſine facultate in eorum meſſem manum admoueat. Patet in ſimili de cenſuris; Quemadmodum (ſuppoſita excommunicatione à Papa, & ab Epiſcopo ſuper eodē caſu) de iure ſublata Papali, non eſt ſublata Epiſcopalis; quia ſunt diuerſæ. Dixi de iure, quia ex conſuetudine ablata Papali, aufertur Epiſcopalis, *Arg. cap. Ex tuarum, de vſu, & auctoritate Palij. Nau. in Manu. cap. 27. num. 261. Capeau. de Caſibus reſer. par. 1. cap. 3. ſub fine:* ita de iure (ſublata excōmunicatione S. Tribunalis) non eſt ſublata reſeruatio caſuum Epiſcopalium.

Patet quoque in ſimili de abſoluto in foro S. Tribunalis; qui ob inde non intelligitur abſolutus in foro Pœnitentiæ à peccato: v.g. qui abſolutus fuit ab excommunicatione ob hæreſis ſuſpicionem, adhuc tenetur idem peccatum, ex. gr. eandem blaſphemiam hæreticalē confiteri ſacramentalitèr; cum alia ſit abſolutio fori externi, alia interni, & à diuerſis non fiat illatio *ſ. Inter ſtipulantem. §. Sacram, de ver. oblig. Arſen. S. Inquiſ. par. 10. art. 28. D. Thom. 4. ſent. diſt. 18. quaſ. 2. art. 2. Pegna part. 2. Commen. 65 Lazarius Canon qq. qu. 12 n. 82 Aloyſius in Flor. Direct. Inquiſ. part. 2. ex Comm. 65. & alij.*

Hinc colligo in Diœceſi Bergomi, vbi nos ſumus tàm blaſphemos hæreticales, quàm ſuperſtitioſos diabolicos, abſolutos ab excommunicatione in S. Tribunali, non ideò abſolui poſſe à quolibet Confeſſario, ſed indigere Pœnitentiario ratione reſeruationis Ordinarij. Verùm obſeruo ex dictis *Diſt. 2. art. 2. & diſt. 3. art. 1. diff. 1. & ſequente diff. 2.* quemlibet Confeſſarium abſoluere poſſe ſuſpectum de hæreſi, ſed verè non hereticum, nec ex illis, qui exprimuntur in Bulla Cęnæ; etiamſi prius non fuerit abſolutus ab Inquiſitore à præſumpta excommunicatione, modo non ſit caſus ab Epiſcopo reſeruatus, vt dictum eſt.

DIFFICVLTAS II.

An Pœnitentiarius ad Inquiſitorem teneatur remittere grauatos diabolicis ſuperſtitionibus, vel blaſphemijs hæreticalibus, vt abſoluantur ab excommunicatione, quam contrahunt ſuſpecti de hæreſi, quales ſunt diabolici ſuperſtitioſi, & blaſphemi hæreticales.

HViuſmodi difficultas idem valet, ac ſi quęratur, an pœnitens à Pœnitentiario cogi poſſit ad præſentandum ſe coram Inquiſitore pro prædictis criminibus.

Reſpōdetur difficultati duabus propoſitionibus. Prima rationabilitèr ſe gerit Pœnitentiarius, inducendo pœnitentem, vt ſe coram Inquiſitore præſentet ad euitandum damnum ſibi imminens ex alterius denunciatione, ſuppono .n. delictum ipſius ſciri, & ſubinde denūciationi ſubiectum.

Altera in rigore iuris, nec Pœnitentiarius, nec alius auctoritate fultus tenetur remittere ad Inquiſitorem grauatos dictis peccatis, niſi coniunctam habeant hæreſim; quia ad hoc non datur textus, aut ratio cogens; patet à parte pœnitentis, qui nō tenetur ſemel, & iterum confiteri idem peccatum; cum Deus non iudicet bis in idipſum.

Patet item à parte Pœnitentiarij, qui poſt auditum peccatum ſacramentalitèr abſq; ſufficienti cauſa non poteſt pęnitenti denegare abſolutionem, quia iam ius proximū acquiſiuit ad illam ſubijciendo clauibus Sacramenti Pęnitentiæ ſuum peccatum: nulla autem ſufficiens cauſa adeſt in Pęnitentiario ad remittendum Pęnitentem, cum ipſe habeat facultatem ipſum abſoluendi in foro Sacramenti Pęnitentiæ, in quo nos ſumus, & pęnitens habeat omnia requiſita, vt ſuppono.

Patet tertio idem à parte Inquiſitoris, qui non eſt Iudex niſi pro foro externo, in quo nō ſumus: volo autem, vt hoc intelligas, dum pęnitens, vt Reus nō eſt ſub eius poteſtate; quod dicitur, quia talitèr exiſtentem, tàm per ſe ipſū quàm per Delegatum etiam ſacramentalitèr abſoluere poteſt, ſi vltrò vult illi ſe talitèr ſubijcere .s. ſacramentalitèr: poſitaq; facultate caſuum reſeruatorum pro foro Sacramenti in Delegato: quia Inquiſitor præcisè delegat ea, quæ ſui ſunt fori, .s. externi: non autem, quæ forū Sacramenti reſpiciunt, vti ſunt caſus Epō reſeruati: quare dicto pęnitenti renuenti præſentare ſe, iniuſtè denegatur abſolutio: Inquiſitor .n. non reſeruat ſibi abſolutionem: v.g. blaſphemantium, ſed omittentium aduertentèr, & abſque ſufficienti cauſa denunciationem illorum.

Dices remittendum eſſe Pęnitentem huiuſmodi non ratione peccati reſeruati, cum faciat confeſſionem ſacramentalem habenti facultatem ſuper reſeruatos; ſed ratione excommunicationis, quam contrahit omnis eo ipſo, quod in S.O. cognoſcitur de hæreſi ſuſpectus, vt patet per *Eymericum 3. part. Direct. num. 59. vbi Pen. Commen. 12. & quaſ. 122. Commen. 171. Sanchez in Opere Morali tom. 1. lib. 2. cap. 12. nu. 1. Farinac. de Hæreſi, quaſ. 192. §. 4. num. 54* quos citat *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. c. 4 n. 10.*

Reſpōdeo, quod, & ſi in prædicto caſu apud S. Tribunal in præſumptione fundatum, quiſque de hæreſi ſuſpectus excommunicatum habeat: extra tamen forum S. O. .s. in Sacramento Pęnitentiæ, vbi nulla præſumptio, ſi veritas

ritas præſumptionem eneruet; Pœnitens nulla indigebit abſolutione ab excommunicatione, cum illam minimè cōtraxerit: aliud namque eſt eſſe talem, & aliud haberi pro tali. *l. Si maritus §. Legis Iuliæ, & ibi Bart. ff. de Adult. cũ ſimil.*

Item quando veritas, & præſumptio ad idē cōcurrūt, veritas præfertur, facit ad hoc *l. Filio Pater, ff. de Liber. & poſthumis*, huc itidem ſpectat *l. Si Ancillam, C. de Contrahenda emptione*, ibi: figmentum veritati non præiudicat: nam vbi veritas haberi poteſt, ceſſat fictio, præſumptio, & opinio; ſiquidem plus valet, quod eſt in veritate, quam quod conſiſtit in opinione, fictione, & præſumptione, vt validè probant iura, quæ conſultò omittenda ſunt, quia ſumus in claris.

DIFFICVLTAS III.

An Fidei Iudices ſequendo præſumptionem fori externi abijciant veritatem.

OCcaſio huius difficultatis eſt: quia ſupra proxima præcedenti difficultate dictum eſt Confeſſarios in eorum foro ſequi veritatē; Iudices verò in eorum foro præſumptionem ſequi. Reſpondetur Iudices tàm Fidei, quàm alij nullatenus à ſe abijcere veritatem; ſed pro poſſe, totoq; conatu illam ſequi: Patet primò, quia accuratè quærunt de maleficio, aut maledicto habere teſtes de viſu, ſi crimen cadat ſub viſu: vel de auditu, ſi ſub hoc ſenſu item cadat: norunt .n. veritatem eſſe certæ rei notitiā habitam maximè per viſum, vel auditum.

Secundò, ex agitatione cauſæ: veritas .n. hinc indè agitata magis eluceſcit, *cap. Graue, 36. quæſ. 9.*

Tertiò, ex diſputatione cauſæ: quia diſputando veritas inuenitur.

Quartò, ex confrontatione Teſtium: veritas .n. in præſentia partium melius cognoſcitur; vt notat *Liranus ſuper Acta Apoſtolorum cap. 23.* & idem contingit in præſentia teſtium contraria fantium.

Quintò, ex conſultatione, quàm habent Iudices Fidei circa cauſā: nam per plures melius veritas inuenitur, *cap. Per hoc, §. Verum, Vbi Gemin. de Hæreticis in 6.*

Sextò, ex ſuaui admonitione, quæ fieri ſolet teſtibus depoſituris.

Admonentur in primis, quòd qui verum tacet, falſum committit, *l. Presbyteri citrà, C. de Epiſc. & Cler.*

Secundò, quòd ſequens veritatem Deum ſequitur, *cap. Quiſque, 11. quæſ. 3.*

Tertiò, quòd melius eſt pro veritate ſupplicium pati, quàm pro falſitate beneficium conſequi. huc ſpectat *cap. Nemo peſitorum, 11. q. 3.* item quòd potius tolerandum eſt damnum temporale, quàm veritatem relinquere, *c. Qui ſcandalizauerit. de Reg. iur.*

Quartò, quòd, qui veritatem liberè nō pronunciat, proditor eſt illius .s. veritatis, *c. Nolite timere, 11. quæſ. 3.*

Quintò, quòd ille, qui metu alicuius poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat, *cap. Quiſquis, 11. quæſ. 3.*

Sextò, quòd, cum veritas non defenſatur, opprimitur, *c. Error, diſt. 83.* opprimitur autem quatuor modis, .s. timore, cupiditate, odio, amore, *cap. Quatuor, 11. quæſ. 3.* Ex his medijs pro indaganda veritate ſatis claret dictos Iudices non abijcere veritatem, ſed ſuper omnia amare. Hinc colligo cum *Iaſone in l. 1. C. de Milit. teſtamento*: quod idem eſt ſequi præſumptionem, ac ſequi veritatem omni meliori modo poſſibili: vz. ſequendo, quòd veriſimilius eſt, iuxta regulam legalem in obſcuris ſequimur, quod veriſimilius eſt.

Itidem attendendum eſt Iudicem nō minus benignum exiſtere Reum condemnando, quā ipſum liberando; nec item minus illum amore proſequi, dum ligat, quàm dum ſoluit: nam omnia tempus habent, iuxta illud vulgatum, *Tempus ligandi, tempus ſoluendi*: Quemadmodum Chirurgus non minus amat ſauciatum, vulneratumuè, dum ferro ſerit ipſius tumentē plagam: ligatq; infirmum membrum, quàm dum illud ſoluit, ſiue pro illo tempore, quo illi applicat antidotum; ſiue dum abſolutè ſoluit tanquam ad priſtinam ſanitatem iam reſtitutū. ita adamuſſim dicendum, de Iudice Fidei ſiue liget, ſiue ſoluat Reum ad tempus, vel ſimpliciter reſpectu illius cauſæ, pro qua tenet, aut tenuit arreſtatum, ſiue incarceratum: nam qui loco alterius ſuccedit eius partibus fungi debet, *l. Quadam. §. 1. ff. de Edendo*: ſucceditq; loco medici ſpiritualis: vnde malitijs, quæ ſunt ipſi⁹ Rei vulnera, nō debet indulgere, vt docet *l. In fundo 38. ff. de Rei vindicatione*. nam ſi huiuſmodi ſpiritualis medicus taliter infirmum non medicaret prædictis, aut alijs modis; perſpicuè cerneretur ipſe quoque eſſe infirmum: qui .n. ab errore alios non reuocat, ſpecialitèr ſi ad hoc ex officio teneatur, vti tenet Fidei Iudex, ſeipſum errare liquidò demonſtrat. *cap. 2. de Hæreticis*, hucq; ſpectat *l. 9. in princip. ff. ad l. Iuliam, De Adulterijs, & Stupro*, .s. amici vitia ſi feras, facis tua: quod nec poteſt, cum iuri publico derogare nemini conceſſum ſit, *l. Teſtandi 13. ff. de Teſtam.* Quare admonendi erunt Rei, ne odio Iudices proſequantur: obijciq; debet, quod multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia, non debent tolerari, *cap. Cum iam, de Præbendis, & Dignitatibus*: item, vt peccatorū ſuorum æquo animo pœnam ſufferant, iuxta *l. De tutela, & rationibus diſtrahendis*: itèm admonendi, vt ſi interdum remittatur peccatū, vtpotè plenè occultum, quod remiſſio illius non dat licentiam delinquendi; ſimilitèr, quod iterantibus delictis exaſperandæ ſunt pœnæ.

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I. LIBER OCTAVVS.

De Edicto gratiæ, quod tangitur in Tex. ibi: *Tempo di gratia.* Incipit: *Perche non deſideriamo &c.*

Huc vſque actum eſt de Edicto Denunciationis, ac eius particulis ſubiectiuis, quæ, vt viſum eſt, ſunt numero ſex: Nunc ſupereſt, vt diſſeramus de Edicto gratiæ, & item de ipſius parte ſubiectiua, quæ tangitur, ibi: Inuitiamo ogni Heretico, ò ſoſpetto d'hereſia &c. *Tractatus de huiuſmodi Edicto conſtituit præſentem librum: tractatus verò de ipſius parte ſubiectiua formabit immediatè ſequentē, hoc eſt, nonum librum, qui non minus alijs libris paucis abſoluemus verbis: vnde hos potius appellarem ſectiones ratione breuitatis, quam libros; niſi hoc modo diſcederem à meo incæpto inſtituto.*

Differt præſens Edictum à præcedenti in multis.

Primum eſt, quia Edictum Denunciationis reſpicit Denunciaturos; Edictum verò temporis Gratiæ reſpicit Denunciandos.

Alterum eſt, quia quos reſpicit Edictum Denunciationis, ligantur cenſura, de qua proloquitur Edictum, ibi: E dalla detta ſcommunica &c. *Quos verò reſpicit Edictum temporis Gratiæ, reſpectu Hæreticorū ligantur præcipuè Bulla Cænæ Domini can. 1. Reſpectu verò ſuſpectorum, ſi exiſtant ſub arreſtatione, aut carceribus Inquiſitorum ligantur excommunicatione, de qua ſupra* Lib. 7. diſt. 4. art. vnico diff. 1.

Tertium eſt: quia quos reſpicit Edictum Denunciationis abſoluuntur diuerſimodè ab his, quos reſpicit Edictum Gratiæ: nam reſpectu ipſorum in abſolutione non fit mentio niſi inobedientiæ, ſi non exiſtant ex his, qui tenentur ad Denunciationem ex officio vt ſupra Lib. 7. *dictum fuit: quos autem reſpicit cenſura Bullæ Cænæ ligantur & ſoluuntur abſolutè.*

Quartum eſt, Edictum Denunciationis complectitur ſub ſe ſex particulas, ſeu libros: hoc verò vnicam tantum particulam, de qua lib. ſequenti.

DISTINCTIO VNICA.

Hæc partitur in quatuor articulos, quorum primus eſt de tempore Gratiæ, & nonnullis differentijs.

Secundus, De vtilitatibus ſponte comparentibus coram Inquiſitore.

Tertius, De præuentione, & gratia, quæ impenditur præuenientibus.

Quartus, De modo recipiendi confeſſionem Reorum, ac eorum abſolutione.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Edictum gratiæ an ab Inquiſitore cū termino triginta, vel quadraginta dierum proponi debeat, & quomodo Edicta s. denunciationis, & gratiæ ad inuicem differant, & conueniant.

Ratio

RAtio difficultatis eſt, quia alicubi proponitur cum termino triginta: alicubi verò cum ſpatio quadraginta dierum.

Reſpondetur hoc Inquiſitoribus arbitrarium eſſe, prout melius eis viſum fuerit, *Simancas de Cathol. inſtitut. onibus, tit. 44. nu. 3. Eymericus in 3. part. Directorij, in titulo de generali ſermone ab Inquiſitoribus habendo: & ibi Frãciſcus Pegna, Commen. 12.* licèt olim eſſet tempus decennij, *cap. Tempora, & cap. His qui, 26. quæſ. 7. cap. Pro qualitate. cap. Hoc ſit, eadẽ cauſa, & quæſt.* Arbitrarium dico, non quod Inquiſitores ex animi ſententia præſcribant ſuæ iuriſdictionis formulas: patet ex *Arſen. S. Inquiſ. part. 1. pag. 9* ſed quia per ius illis licèt, & Catholicæ rei ſic conuenit, ne diuturni temporis mora graſsãdi occaſionẽ Hereticis ſuppeditet.

In Diœceſi Bergomenſi (vbi ſcribimus) Edictum Gratiæ proponitur cum termino ſolummodo triginta dierum. conſtat ex textu, ibi: *Inuitiamo per gratia &c. frà il termine di trenta giorni &c.* Dixi Edictum Gratiæ: nam ad executionem Edicti denunciationis quamprimùm moralitèr poſſumus; tenemur reuelare iuridicè caſibus Sancti Officij annodatos, patet ex illis verbis: *Debbano al S. Officio di queſta Città riuelare quanto prima giuridicamẽte &c.* Vndè conſtat et conſequẽtèr ex ſupradictis diſcrimen inter Edictũ denunciationis, & Edictũ gratiæ: conuenientia verò iſtorum Edictuum conſiſtit præcipuè: quia vtrunque reſpicit, tàm Hæreticos, quàm hereſis ſuſpectos. patet intuenti Edictum Denunciationis, ibi, *Che ſiano Heretici, ò ſoſpetti,* item patet legenti Edictum Gratiæ, ibi, *Inuitiamo per gratia ſingolare ogni Heretico, ò ſoſpetto d'hereſia &c.*

DIFFICVLTAS II.

Tempus gratiæ quando decurrere incipit.

REſpondetur incipere à die notitiæ Edicti noui Inquiſitoris, vt conſtat ex textu, ibi, *Per tanto con paterno affetto inuitiamo per gratia ſingolare ogni Heretico, ò ſoſpetto d'hereſia frà il termine di trenta giorni* (nota) *dopò la notitia di queſto noſtro Editto &c.* vndè ſi ignorantia Edicti S. Officij à principio publicationis illius interceſſit, inchoabit à die ſcientiæ computato æquali termino, & rationabilitèr: quia q ignorauit Edictũ, non debet eſſe deterioris conditionis eo, qui illud nouit. faciunt adducta per *Bonacinam de Cenſu. diſp. 1. quæſ. 3. pun. 4. prop. 2. num. 2.* Idemq; probabilitèr cenſeo dicendum de illo, qui per impotentiam, vel aliam iuſtam cauſam intra terminum præfixum non comparuit; nam hoc in loco ignorantia, & impotentia videntur æquipollentia: æquipollentiũ autem, ſeu parium eadem eſt natura, *l. Si ſocer, ff. Soluto matrim.* Similitèr paria ſunt neſcire, & non poſſe, *l. In actione, verſ. Placuit, ff. de Furtis.* Idem quoque dicendum eſt de illo, qui poſt publicationem Edicti noui Inquiſitoris incipit eſſe illius ſubditus; colligitur ex allatis per *Bonacinam vbi ſupra.* huc ſpectat *l. Aliena, § 1 ff. de Pignoratitia actione,* ibi, pares in tempore ſunt pares in iure. Item paritas rationis paritatem iuris inducit, *l. Illud, ff. ad l. Aquiliã.*

DIFFICVLTAS III.

An differant inter ſe tempus gratiæ, & tempus preuentionis, item tempus gratiæ, & miſericordiæ: itidem tempus reſipiſcentiæ ante ſententiam, & poſt illam.

QVO ad primum, Reſpondeo inter ſe differre tempus gratiæ, & tempus præuentionis: tempus .n. gratiæ taxatur determinatis diebus poſt noui Inquiſitoris aduentum in Prouinciam, ſeu diſtrictum ſuum: tempus verò præuentionis reſpectu primi criminis continuat, nunquam finiendo: quare criminoſus, ſi ſtatim, ac patrauit crimina, de quibus Edictum, priuſquam Iudici fidei deferatur; præueniat illius vultum veniam petendo, integrè illa confitendo, manifeſtandoq; complices; pęna ei debità in pęnitentiam ſalutarem, ac ſecretam commutatur.

Differt ſimiliter eodem modo tempus gratiæ à tempore ſpontaneæ comparitionis: quia ſpõtanea comparitio poteſt ſemper fieri: tempus verò gratiæ ſpirat elapſis diebus ſignatis.

Differt itẽ ſpontanea cõparitio à pręuentione: quia præuẽtio nõ poteſt fieri, quando quis eſt iam delatus: & ſpontanea comparitio poteſt fieri tàm ſi exiſtat delatus; quàm ſi non exiſtat. Itidem ab inuicem differunt tempus gratiæ à tempore miſericordiæ, ſeu pęnitentiæ: quia illud, vt dixi, ceſſat completo tempore taxato: at tempus miſericordiæ ſemper cõceditur verè reſipiſcentibus, vz. relapſis, aut iam cõdemnatis, quod intellige quo ad reconciliationem ſpiritualem, & conceſſionem, ſeu participationem Sacramentorum Pęnitentiæ, & Euchareſtiæ: quod ſecus eſt quo ad pęnam temporalem, *S. Thom. 2. 2. quæſ. 11. art. 4. Eymericus 2. part. Direct. quæſ. 40. nu. 3. & quæſ. 58. nu. 6. vbi Pen. Commen. 148 Farinac. de Hæreſi, quæſ. 193. §. 1. num. 32. & ſeqq. Repertorium Inquiſit. verb. Relapſus. ibi, item nota.*

Tertiò, differt tempus reſipiſcentiæ ante ſententiam, & poſt illam, etiam quo ad pęnas temporales: nam ante ſententiam arbitrariũ eſt Iudici Fidei aliquid de pęna Reo debita diminuere: quod ſecus dicendum eſt poſt datam ſententiam .i. poſtquam Reus traditus eſt Curię ſeculari, ſi ſecularis eſt: vel ſi Clericus item poſtquam iam priuatus eſt omni priuilegio per degradationem actualem, Ita *Repertorium Inquiſ. verb. Miſericordia circa medium. Extrauag. Innocentij Papæ,* incipit, *Superſtitionem,* & ita ſeruat generalis conſuetudo Trib. S. Inquiſ. cuius rationem reddit *Locatus in Iudiciali, verbo Hæreticus, ſub nu. 27* .s. quia tunc non eſt amplius locus pęnitentiæ inconſultò Principe, vz. S. Pontifice; ratio eſſe poteſt, tum quia paria ſunt minus ſoluere, & tardius ſoluere, *l. Solidum. ff. de Solutionibus,* tum quia: paria ſunt

ſunt aliquid non facere: vel facere, non tamen debito tempore, *l. 1. §. Pen. ff. Quorum legatorum*: tum etiam, quia paria ſunt, ipſo iure excludi, & remedium exceptionis amplius non dari, *l. Nihil intereſt ipſo iure, ff. de Reg. iuris*: Vnde etiam non habere remedium, & habere inanè idem ſunt, *l. Nam is, ff. de Dolo.*

DIFFICVLTAS IV.

Quibus generaliter ſuffragatur tempus gratię.

PRimò ſuffragatur illis, qui aliàs beneficio huius temporis non ſunt vſi. ita *Concil. Bitter. c. 2.* ibi, *Quibus aliàs &c.*

Secundò illis, qui veritatē tàm de ſe, quàm de alijs aperiunt, ac de ſuis delictis humilitèr veniam petunt. ex *l. Spontè de muneribus, & honorib. l. 4 §. fin. C. de Siccardis, l. 2. & alibi.*

Tertiò illis, qui ſpontè comparent, .i. non vocati nominatim, nec citati, nec pręuenti. ita notat *Cæſar Carena in Tract. de modo procedendi in S. O. tit. 18. §. 6. num. 19.* qui addit ibidem ex mente *Guidon. Fulcid. quaeſ. 2. in Conſultat. ad Inquiſitores verſ. Certè ſi poſt tempus, quod etiam.*

Quartò ſuffragatur illis, qui ſtatim poſt tempus gratiæ elapſum, concurrentibus tribus illis conditionibus nempè; quòd non ſint vocati, nec citati, nec præuenti ſe præſentant Inquiſit.

Quintò illis, qui probant ſe pendente dicto gratiæ tēpore fuiſſe legitimè impeditos. Probatur verò impedimentum per iuramentum ipſorum. *Rota deciſ. 4. de Iureiurando in Antiq.*

Sextò, etiam relapſis, de quibus *Paulus IV. in ſua Conſtit.* incipit, *Cum quorundam.*

Hoc gratiæ tempus è contra non ſuffragatur ijs, qui dum hoc tempus cæpit concedi, iam erant præuenti, ita *Archid. c. Vt commiſſi, ver. Obedientes nu. 3. & ibi Ioan. Andr. num. 4. de Hæreticis in 6. & Guido Fulcid. loc. cit.* niſi fortè tales inditiati ignoraſſent ſe præuentos: nam tunc vtique beneficio dicti temporis fruerentur, vt notat *Carena loc. cit.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Qui ſunt, qui omninò ſpontè dicuntur comparere coram Inquiſitore.

REſpondeo primò ſunt illi, qui Iudicem .s. fidei adeunt, crimen ei plenè confitendo, veniam humilitèr petendo ante incæptam Inquiſitionē, & acceptas probationes ſeipſos denunciando.

Secundò, iuxta dicta *Farinacij de Hæreſi, quaeſ. 93. 103.* etiam ille dicitur ſpontè venire, qui non vocatus poſt receptas probationes venit.

Tertiò illi, qui infra tempus gratiæ ab Inquiſitore nouo aſſignatum in prima publicatione ſui Edicti accedunt: quia nō ſunt coacti, cum à nullo præuenti fuerint.

Nec obſtat citatio textualis, ibi: *Perche non deſideriamo la confuſione d'alcuno, per tanto frà il termine di 30. giorni dopò la notitia di queſto noſtro Editto &c.* quia illa fit in genere; quæ autem requiritur ad effectū, vt quis coactus dicatur, fit in ſpecie, .i. nominatim, *l. 2. §. Si mater, ff. ad Tertullianum. Ioan. Andræas in cap. Vt commiſſi, de Hæreticis lib. 6. Pegna 3. part. Direct. Inquiſit. ſuper tit. de Sermone generali, Commen. 12. & alij apud Ludouicum à Paramo de Orig. S. Inquiſ. lib. 3. quaeſ. 4. nu. 11.* & quia comparet in termino huius citationis generalis ad gratiam conceſſo. Accedentes autem poſt dictum gratiæ tempus, ſi non fuerint perſonalitèr inquiſiti: nec probationes contra eos receptæ, etiam aliquam conſequuntur gratiam; quamuis non tantam, quantam accedentes infra dictū tempus. *Franciſcus Pegna ad Directorium Inquiſit. par. 3. Commen. 12. & notat Lazarius Can. quaeſ. de Blaſphemia, quaeſ. 12. nu. 8.*

Differunt autem ſpontè comparētes à ſpontè confitentibus; nam iſti ſecundi ſunt citati; ſed nulla Iudicis interrogatione expectata liberè ſuum confitentur crimen; vel etiam interrogati promptè, & plenè illud detegunt, *Farin. de Hęreſi, quaeſ. 8. cap. 5. Pegna Commen. 25.* Primi verò, vz. ſpontè comparentes non ſunt citati, .s. citatione ſpeciali, ſed ſolummodò generali.

DIFFICVLTAS II.

Quantum vtile ſit ligato caſibus S. Tribunalis, ad ipſum ſponte venire tempore gratię.

REſpondeo ſpontè venientem infraſcriptas vtilitates conſequi.

Prima, ſecretò, & non publicè, etiam ſi ſit Hæreticus, reconciliatur Eccleſiæ à ſolo Inquiſitore (nullo facto verbo in Congregatione S. Officij) niſi dubium ſit, quo abiurationis gradu abiurare debeat. *Pegna Comment. 65. 2. par. Direct. Inquiſ. & Comm. 12. par. 3. Simanc. Cathol. inſtit. tit. 13. nu. 22. & 23. item tit. 47. nu. 27. Vmbert. Loc. in Praxi Inquiſ. ver. Abſolutio, Farinac. quaeſ. 86. nu. 12. & quaeſ. 192. nu. 52. Bariola in Aphoriſ. ver. Spontè.*

Secunda, meretur impunitatem tàm de iure, quàm de ſtylo Prætorij; ſi tamen integrè euomat quidquid habet ſpectans ad S. Officiū; tàm contra ſe, quàm contra alios, aliàs de ea fictione puniri poteſt. *Simancas in Enchirid. tit. Si de Abſolutione, & de Cath. inſtit. tit. 47. nu. 48. Vmbertus Locatus in Praxi Iudic. Inquiſ. ver. Abſolutio. Farinacius de Hæreſi queſ. 81. cap. 5. & qu. 193. nu. 28. Pegna loc. cit.*

Tertia, iſta ſpontanea comparitio etiam prodeſt, quod ſi comparens deinde denunciatus fuerit, non recipitur denunciatio; cum iam denunciatus diſceſſerit à S. Tribunali emendatus. *Molpheſius prim. par. Summæ, tract. 7. cap. 24. nu. 45. & 46.* qui addit id procedere, etiam ſi ſpontè comparens fuiſſet denunciandus in vno loco, v. g. Berg. & ipſe ſpontè comparuiſſet ante dictam denunciationem Romæ; tunc non poſſet ab Inquiſitore Bergomi amplius puniri: emendatus enim in vno iudicio; non eſt moleſtandus in alio pro eodem numero delicto, *leg. Senatus, ff. de Accuſatione.* & docet *Tuſch. ver. Condemnatus ſemel; concl. 573.* quod obſeruat *Peirinus de Priuil. Minimorum in Conſtit. 4. Gregor. XV. nu. 33.*

Quar-

Quarta, non ſunt confiſcanda bona talitèr comparentis, licèt fuerit Hęret. ita *Farinac. qu. 190. nu. 138. & 44. Bariola in Aphoriſ. ver. Confiſcanda: Carbonus tom. 3. lib. 1. cap. 58. per tot.* attētis his vtilitatibus, Confeſſarij partes erunt ſuadere pœnitenti aliquo caſu S. Trib. deuincto, vt faciem Inquiſitoris præueniat antequā eius delictum coram ipſo denuncietur, aut ab ipſo euocetur; confitendo illud fidelitèr; quia ſic accepta minus confuſibili pęnitentia ſecreta; effugiet publicam, & confuſibilem, quæ ſibi meritò inſtabat; & edocebitur, quomodò de cætero ſe debeat habere: occulto .n. delicto, occulta quoque pœnitentia iniungitur, vt notat *Aloyſius in Florib. Direct. par. 2. & Commen. 63. Royas de Haret. par. 2. nu. 274.* qui addit eodē in loco *num. 218.* peccati taciturnitatem ex ſuperbia cordis oriri.

Inſuper, temporales euitabit pęnas, & impunitate gaudebit modo dicto. *Conſtit. Iulij III.* incipit; *In multis deprauatis. Concil. Biterenſe, cap. 2. Pegna ad Direct. Inquiſ. par. 3. Commen. 12.* hoc autem intelligitur pro prima vice. Qui verò ſemel comparentis ſpontè beneficium fuerint conſequuti, licèt modò impunitatem omninò non conſequantur: attamen leniter tractabuntur, vti teſtatur *Lazarius Can. q. de Blaſphemia, quæſ. 12. nu. 83.* & Iudicis arbitrio relinquitur quanta pœnæ pars ſit remittenda. *Pegna loc. cit. Menoch. de Arbitr. caſ. 539. nu. 43. & alij.*

Itidem mitè tractantur etiam illi, qui metu probationū ſpontè cōfitentur. Dicitur autem is metu probationis accedere, qui iam ad iudicium vocatus erat, vel nominatim admonitus, vel ſaltem prius fuerat denunciatus. ita *Lazar. loc. cit. nu. 84.* ex dictis non obſcurè colligitur Cenſores fidei pro eorum poſſe nolle alicuius confuſionem, ſolamq; reſipiſcentiam à malis intendere. ita *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. art. 297.* Dixi pro eorum poſſe; quia non poſſunt eis concedere protſus impunitatem, vt dictum eſt: nam publicè intereſt pœnam delinquentibus non remitti .s. in totum. *l. Si Operis, C. de Pœnis.* & item publice intereſt delicta puniri, *l. Ita vulneratus ff. ad l. Aquiliam.*

DIFFICVLTAS III.

An relapſus occultus ſpontè veniens tempore gratię admittatur ad gratiam in Edicto promiſſam.

Reſpondetur affirmatiuè; & ſumitur ratio tum à parte relapſi; tum S. Tribunalis, primò à parte Relapſi, quia præſumendum eſt ipſum non fictè, ſed verè conuerſum; venit enim ſpontè, & crimen ſpontè fatetur, errati veniam precando. Ita *Ioannes Lupus Segonienſis de Hęreticis*, quod notat *Ludouicus à Paramo de Orig. S. Inquiſ. lib. 3. quęſ. 4. nu. 11.*

Secundò à parte S. Tribunalis veſtigia Eccleſiæ emulantis, quæ nulli reuertenti ad eam claudit gremium ſuum. *l. fin. in fine, C. de San. Trinit. & Fide Cath. cap. Duo iſta nomina, 23. q. 4. cap. Quieſcamus, diſt. 42.* hinc *Hieremias cap. 3.* in perſona Dei ſic proloquitur plebi ſuæ Idolatranti: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te.* Eccleſia item in hæc verba proloquitur: *Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.*

Verùm relapſi non adeò mitius tractantur, ac non relapſi: conſequuntur tamen tantam remiſſionem, vt ipſis non relinquatur locus conquerendi ſe ſpontè conſignaſſe in manibus pij Tribunalis, faciunt, quæ docet *Conc. Narbornen. cap. 9. Arnaldus Albertinus in Repetitione cap. Quoniam, de Hęreticis, lib. 6. quaſt. 12. Simancas de Cathol. inſtitut. tit. 47. nu. 27. & alij.* Attendendum eſt autem, quæ ſupra Lib. 3. dicta ſunt, & quæ infra dicētur de relapſo publico; quia non eadē ratio de occulto, & publico.

DIFFICVLTAS IV.

An pœna tempore gratiæ pro delicto in foro S. Tribunalis debita: tollatur per pœnitentiam in foro Sacramentali ſpontè ſuſceptā: vel extra vtrunque forum ſpontè publicè actam.

Reſpondeo negatiuè, patet in ſimili ex *cap. De his, diſt. 50.* vbi homicida non obſtante pœnitentia per Confeſſarium iniuncta, vel, ſpontè publicè ſuſcepta remanet irregularis, poteſt accuſari, & puniri per Iudicem fori contentioſi: quemadmodum è contra contingit, quem eſſe abſolutū in hoc foro, & plenè ſatisfeciſſe Reipub., vel parti læſæ; & non ideò eſſe abſolutum in foro interiori .s. pęnitentiali; ſed imponi illi pęnitentiam, vt Deo ſatiſfaciat; cuius ratio eſt; quia huiuſmodi iudicia ſunt ab inuicem diſtincta: iudicium enim pęnitentiale ordinatur ad placandum Deum, impetrandum veniam, eiuſq; gratiam: Iudicium verò contentioſum dirigitur ad ſatisfaciendū parti læſæ, ſeu Reipub. hinc *Valerus de Differ. vtriuſq; fori, ver. Pœna, differ. 4. ex Iul. o Claro, quaſ. 69. nu. 17.* refert quoſdam, qui perperam accuſauerant quendam tanquam de hæreſi relapſum, falſa teſtimonia inducendo; fuiſſe igni traditos, non obſtante pęnitentia ipſis iniuncta, & per ipſos publicè demonſtrata, legendus eſt *Ioan. Valer. loc. cit.* qui plures cumulat textus, gloſſas, inſignesq; DD. quos ſuperfluum cenſeo afferre, cum ſimus in claris, & quotidiana praxis ſit pro nobis. Verùm lapſo in hęreſim, ſi antequam coram Inquiſitore negeſ veritatem; ipſum errati pęniteat, veniam petendo, condonabitur vita; ſed eius bona confiſcabuntur. Qui, ſi antequam capiatur, vltrò adeat Inquiſitorem, plenè confitendo delictū; etiam bona ei concedentur, quod docet *Valer. vbi ſupra ex mente Royas.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Inquiſitores an preueniri poſſint adeò, vt deinde contra ſibi denunciandos minimè procedere poſſint.

Reſpondeo affirmatiuè, cuius ratio eſt; quia Inquiſitores Sedis Apoſtolicæ delegati, non habent iuriſdictionem in actu contra perſonas denunciandas, cum ſint incertæ; *cap. Paſtoralis,*

ſtoralis, 14. §. *Quoniam de Reſcriptis. cap. Volentes, vbi Abbas, not.* 1. *de Officio legati. Bartol. in l.* 4. §. *Si tam vicinum* 1. *ff. de Damno infecto.*

Roder. Acbuna de Confeſſ. ſolicit. quæſ. 1. *n.* 29. & 30. Vnde quemadmodum ex vna parte, qui præuenit dictos Iudices, antequam denuncietur, facit opus, (vt ſic loquar) ſuper erogationis ſubijciendo ſe illis actu, cum adhuc non teneatur: ita ex alia Inquiſitores contenti ſunt abiuratione ſecreta, ſi opus eſt, & ſalutari pęnitentia abſq; alicuius ſententiæ publicatione; & ita propèmodum inter prçuenientem, & præuentum intercedit pactum prædictum tacitè: qui claudicare non debet, *l. Litigatores, ff. de Arb. cum concordan.* Par .n. eſt virtus (maximè in propoſito noſtro) taciti, & expreſſi, *l. Cum quid, ff. Si certum petatur.*

DIFFICVLTAS II.

An æqualis gratia pręſtetur pręuenientibus Iudicem Fidei, comparentibus ſpontè tempore gratiæ, & extra illud item ſpontè.

RESpondetur negatiuè: præuenientibus Iudicem antequam denuncientur (eſto contra ipſos, nullam apud Inquiſitorem extare denunciationem) tota condonatur pęna eis debita in foro fori: commutata in ſalutari, vt ſupra oſtensũ fuit, quod intellige ꝑ prima vice.

Spontè comparentibus tempore Edicti gratiæ copioſa confertur gratia, adeò vt eos vnquam pœnitebit, conſilio Inquiſitoris obtemperaſſe: Verùm iſtis tota non relaxatur pęna, quemadmodum primis: ſed pro qualitate perſonarum, & criminum, maiori, vel minori benignitate tractantur pœnitentijs ſpiritualibus, & medicinalibus impoſitis. ita *Antonius Souſa in Aphor. Inquiſit.*

Venientibus denique ſpontè extra tempus gratiæ; vel metu probationum, quia erant vocati, vel ſaltem denunciati, aliqua impertitur gratia; ſed minor ſupradicta immediatè, *Lazarius de Blaſph. quæſ.* 12 *num.* 83. *Arſen. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 297. & propterea gradatim tractantur; primi maximam, vt ſic loquar, obtinent gratiam: ſecundi, admodum magnam: tertij, denique magnam, ſeu aliquam, quod etiam ex ſupra allatis vtcunque colligi poteſt.

Hinc colligo ceſſare quæſtionem illam, vz. an vtilius ſit præuenire Iudicẽ Fidei; vel comparere coram ipſo tempore gratię: itidem ceſſare illam, nimirùm an magis conferat Reo, vt ſe præſentet ſpontaneè dicto Iudici tempore gratiæ, aut illo tranſacto. Quare partes cuiuſque cognoſcentis ſtatum Reorum reſpectu criminum ad S. Tribunal ſpectantium; & præcipuè Paſtorum, Confeſſariorum, &c. ſunt omni cum conatu exhortari Reos, vt abſque mora, quæ illis nociua eſſe poteſt; præueniant faciem Iudicis, ſi adhuc non ſunt denunciati; quod ſi iam ſint delati, currente tempore gratiæ, illo vtantur: qui, ſi hoc auxilio etiam deſtituti exiſtant; adhibeant ad minus remedium voluntariæ comparitionis antequam citentur, vt vel ſic à S. O. aliquod conſequantur iuris beneficium.

Dices, ſi tantùm præſtat præuenire faciem Iudicis Fidei? Vnde eſt, quod Paſtores, & Confeſſarij exiſtunt tam ſegniores in exhortando ſubditos, aut pœnitentes reſpectiuè ad hanc præuentionem? Reſpondeo in aliquo minus perito ex ignorantia contingere poſſe: in aliquo accidere ex neſcientia delictorũ ſui ſubditi: in aliquo ex parua cura, quam de ſuis ouibus habet, &c.

Præterea accidere poteſt, quia nimis abundat malitia, refrigeſcitq; multorum charitas: Vnde, ægrè admonent proximum, maximè, cum videant in praxi illum admonitiones, lz. fraternales amarè ſuſtinere: regularitèrq; quiſque non niſi cum difficultate ad hoc munus admonitionis obeundum trahitur.

DIFFICVLTAS III.

Cur ſaltem S. O. ex ſua conditione piſſimũ non exaltat hoc Reorum beneficium illud releuando, ac vbique publicando tum ex ſugeſtu, tũ expoſitione ipſius ad valuas prçcipuarũ Eccleſiarum?

RESpondeo Arcana S. Tribunalis, vt ſupra de correptione fraterna cautũ fuit, ſunt inſcrutabilia: Vnde à nobis non ſunt examinanda, ſed plenè obſeruanda: vnum tamen certum eſt, quod ſunt iuſta, miſericordia, & charitate cohoneſtata, ac condecorata: Coniecturalitèr tamen loquẽdo dicere poſſumus; quod quemadmodum non releuat præceptũ correptionis, cum rariſſimè ſit explendum, vt ſupra de correctione fraterna *Lib.6. diſt.*1: prçludiũ ſextum, fortaſſe, tum quia multa expreſſa nocent, quæ tacita non obſunt. *l. Non nunquam ff. de Condict. & demonſtrat.* tùm quia cũ homines difficilitèr trahantur ad hanc præcepti impletionem; intereà mala denuncianda graſſari poſſent cum graui pręiudicio proximi, immo Reipublicæ.

Sic in propoſito dicere poſſumus; quod pręuentio à S. & Pio Tribunali non releuatur, fortaſſe, ne homines ex antidoto conficiant venenum ad eorum interitum: cum .n. homo ex natura ſit ad malum propenſus; ſi ei notum eſſet, pluſquam oportet; quod ſemel patrato crimine ei aditus ad plenam miſericordiam pateret; præcipitem ſe daret vitio, cui à concupiſcentia impellitur: quare potior huius præuentionis cognitio ei noceret; quod ſuppreſſa non obeſt. vt patet ex citata *l. Non nunquã &c.* potentior eſt .n. diſpoſitio expreſſa, quam tacita, *l. Precibus C. de impuberibus, & ſubſtitut.*

Sed eſto, quod foret huiuſmodi præuentio omnibus publicanda pro noſtro gubernio: quod non admitto; congruum tamen eſt ob citatam rationẽ res ita ſe habere. huc ſpectat *l. Si Fidei iuſſor. in princip. ff. de Lega.* Quare multa tacitè conceduntur, quæ expreſsè fieri prohibentur: fruſtraq; exprimitur, quod tacitè ſubintelligitur, *l. Cornelius, ff. de Hæredibus inſtituendis*: illud item, quod tacitè ſubintelligi

poteſt,

poteſt, habetur pro expreſſo, *l. Fidei commiſſa*, §. *Si filio*, *ff. de Legationibus*. Vnde expreſſio eius, quod noſcitur à Doctis, lz. inſcita à plebe ſatis operatur; nec margaritæ ſunt ante porcos proijciendæ: quia neſciunt ſeparare pretioſũ à vili: hinc Biblia vulgaris licèt ſancta, ac prorsùs Diuina non conceditur paſſim. Quare cõcludendum eſt; quod tàm ea, quæ à S. Tribunali publicè ſcriptura, ſeu Edicto affiguntur ad valuas Eccleſiarum; quàm ea, quæ extant in eius pectore recondita; ſunt iuſta, pia, & pro bono Reipublicæ ordinata.

DIFFICVLTAS IV.

Vnde præuentionis beneficium fundatur.

Reſpondetur probabilitèr fundari in illa æquiſſima lege .s. grauatus in vno, in alio eſt ſubleuandus, *l. Eum qui in prin. ff. de Iureiur.* Reus autem volens præuentionis beneficio vti; ex vna parte tenetur integralitèr ſuum detegere crimen corã Inquiſitore ſuſcipiendo, & adimplendo fidelitèr pœnitentiam ſalutarẽ ei iniunctam ab Inquiſitorẽ; licèt ad id nulla lege obligetur, vti demonſtratum fuit ſupra *Lib.* 4. cùm nemo ſeipſum denunciare teneatur iuxta illud: nemo tenetur edere arma contra ſe: licèt alter illa accipiens contra ipſum iuſtum ſit commiſſurus bellum: repugnat .n. naturę, vt quis contra ſe veniat. Ex altera verò parte ſubleuatur Reus; adeò vt Iudex fidei cõtra ipſũ non procedat ad pœnã: quamuis delictũ graui animaduerſione veniret puniendũ.

Nec obſtat huic detectioni criminis ſpontaneæ, quod allegans turpitudinem ſuam non eſt audiendus: *l. Tranſactione C. de Tranſact.* nam quamuis talis lex regularitèr procedatur: fallit tamen, quando tractatur de ſalute animæ, ſicut in propoſito; cũ agatur de remedio ſuauiori reſpectu denunciantis ſeipſum: & deuitatione periclitationis eius famæ, ac ſuorum conſanguineorum, aut affinium, & facit ad hoc *gloſſ. Per illum. text. in cap. Ex tenore de Teſtib.*

Dices, aliud pro alio inuito creditore ſolui non poteſt, *l. 2. §. 1. ff. Si certum petatur*, item *l. Cum à quo, C. de Poſlhu.* Creditor autèm (vt ſic loquar) eſt S. O. reſpectu Rei, cum inciderit in crimen ad ſuum ius ſpectans: ergo non poteſt ipſo inuito talitèr ſatisfacere S. Tribunali. Reſpõdeo S. Tribunal minimè reijcere huiuſmodi ſatisfactionem: nec admitto, quod tacitè ſupponis, vz. dictũ Tribunal eſſe inuitum reſpectu huius ſatisfactionis; quinimmo ſibi placet, & gratantèr accipit: nihilq; ipſi refert, quid ex æquipollentibus fiat, *l. Si mater, C. De Inſtit. l. Iulianus ff. De Condit. & Demonſ.* modus autem nõ curatur, dummodò effectus habeatur: effectus autem intentus à S. O. eſt ſalus ſubditorum. Nec hoc modo defraudatur S. Tribunal, tum ob allatam rationem: tum quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria; nec dolus, *cap. Scienti, De Reg. iur. in 6.* conſentit .n. liberè, & ſpontè S. Tribunal huic præuentioni.

DIFFICVLTAS V.

An non vſus præuentionis à multis præteritus ceteris preiuditium preſtiterit.

Reſpondeo primò, quod ad quæſtionem facti, qualis eſt illa, non reſpondet *Iuriſconſultus l. Eum quem, § 1. ff. de Iudicibus.*

Reſpondetur ſecundò ad quęſtionem iuris, qualis item poteſt eſſe illa ratione alterius, & alterius conſiderationis, negatiuè: quia non eſt priuilegium perſonale, quod ſequitur perſonam, & extinguitur cum perſona, vt patet *cap. Priuilegium de Reg. iur. in 6.* ſed eſt reale omnibus cuiuſcunque ſtatus indifferentèr cõceſſum. Vnde perpetua firmitate conſtare debet, *cap. Celebritatem, De Conſec. Diſt. 3.* patet de Priuilegio Canonis ſtatui Clericorum conceſſo, cui nullus Clericorum præiudicare poteſt, ſumus in claris. Conſtat item, tum quia factum alienum alij obeſſe non debet, *l. Paterfamilias, ff. De Hæredibus inſtituendis:* tum quia facta inter alios, alijs non præiudicant, *l. 1. & 2. C. Res inter alios acta.* Tum etiam quia factum Principis (in propoſito Sancti Officij) in dubium refricari non debet, *l. Quæris, ff. De Natalibus reſtituendis.* tum præterea, quia nec ille, aut illi, qui omiſerunt præuentionis beneficio vti, minimè cenſendum eſt, voluiſſe perpetuò iuri ſuo cedere: nam contra proprium intereſſe nemini venire conceditur. *l. Poſt mortem, ff. De Adoptionibus.*

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo intelliguntur verba illa, nimirum pro prima vice, an pro primo crimine, vel pro prima punitione.

Reſpondeo interpretanda eſſe pro prima vice punitionis, & nõ criminis, vti docet *Lazarius Canon. qq. De Blaſphemia quæſ. 5. nu. 56.* qui eodem loco addit hoc procedere, ėt ſi pro illa prima vice inquiſitus fuerit, v.g. quòd pluries blaſphemaſſet. facit *cap. Cum non ab homine, & ibi Abb. notabilitèr, nu. 28. De Iudic. l. Capitalium, §. Solent, ff. de Pœnis. Stephanus Quaranta in Summ. Bullarij, verb. Blaſphemia in addit. & Marcus Anton. Genuen. in Praxi Archiepiſc. Neapol. cap. 78.* qui ibi refert, quod, cum quidam Clericus inquiſitus fuiſſet pluries blaſphemaſſe Deum; & in dubio verteretur, an ad triremes condemnari deberet; reſolutum fuit, quòd verba illa Bullæ Pij V. contra blaſphemos .s. pro prima vice; intelligi de prima vice punitionis, & non blaſphemiæ; Vnde dictus Clericus fuit ſolummodò bannitus ad quinquennium. Legendus eſt *Ignatius Lopez ad praxim Diaz, cap. 70. Farinac. in Praxi crimin. tom. 1. tit. De Delictis, & Pœnis, quæſ. 20. nu. 3.* Ratio etiam probabilis aſſignari poteſt, tum quia lex in dubio intelligi debet in caſu habente maiorem rationem dubitandi, *l. Dominus, ff. de Teſtam.* tum quia lex, quę multiplicitèr intelligi poteſt, debet interpretari ſecundum id, quod frequẽtius obſeruatum eſt, *l. Si de interpretatione ff. De legib.* tum præterea, quia leges non ſunt exaſperandæ, ſed molliendæ, facit ad hoc *cap. In pœnis de reg. iur. in 6.*

DIFFICVLTAS VII.

An detur alia præuentionis ſpecies, & quid ſit.

RESpondeo dari quoque aliam, vti docent *Summa Aſteſana, tit. vltimo de Verb. ſignificatione, verbo Præuentio. Vmbertus Locatus in Iudiciali Inquiſitorum, item verbo Præuentio, & alij eodem verbo.* Dicitur autem præuentio cùm iuriſdictio eiuſdem Rei, vel perſonæ eſt apud duos Iudices, & Alter prius cæpit cognoſcere. ita ex *Aſteſana loc. cit.* cauſaturq; ex ſola citatione, *cap. Propoſuiſti, & cap. Quantum de Officio Deleg. & alibi*, vt videre eſt apud *Locatum loc. cit.*

Sed quid Reum agere oportet; ſi eadem hora inchoatum eſt iudicium coram duobus Iudicibus inter quos datur præuentio; ne ab vtroq; diuexetur in ſuo Tribun. cũ in tali cõtingentia fundamentum præuentionis ceſſet.

Reſpondet *Locatus loc. cit.* quod ad Superiorem vtriuſque, ſi exiſtant Iudices ſub eodem, recurrere debet, inſtando, ne ob idem numero delictum duobus in Tribunalibus diuexetur; ſed eius cauſa ad vnum tantùm remittatur; quam petitionem Princeps exaudire debet, qui, ſi in dubio verſetur; ad quem potius illam remittere habeat; Deum præoculis tantummodò habendo; illam committat ad eum, per quem magis iuſtitiæ locus aperiri videatur. ita *Bal. & per eum alleg. in l. Nulli in fine C. De Iud.* Cæterùm, ſi dicti Iudices non eſſent ſub eodem Superiore; tunc fortè quæſ. eſſet dirimenda, *Marian. in dicto cap. Propoſuiſti, De foro competen.* Vel ambo ſimul cognoſcere poſſent ſecundùm *Abb. in cap. fin. De foro competen.* Verùm, quia hìc ſumus in cauſa fidei; potior ratio eſt Inquiſitoris. ita *Locatus loc. citato, & verbo Inquiſitor, nu. 7.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Qualis eſt Confeſſio, quę fit Superiori tempore gratię.

REſpondeo Confeſſionem delicti, ſeu delictorum Inquiſitoribus factæ tempore gratiæ non eſſe Sacramentalem; tùm quia generalitèr integrum non eſt Inquiſitoribus, vt talibus audire Sacramentales Cõfeſſiones ob periculum, quod inde euenire poteſt; ne pœnitens, ſi progreſſu temporis ab aliquo denũcietur, imponat Inquiſitori, quod eius confeſſionem reuelauerit: tum, quia Inquiſitores, quà tales, non ſunt Iudices in foro Sacramenti Pœnitentiæ. *Eymer. 3. par. Direct. tit. de ſpontè venientibus nu. 59., vbi Pen. Comm. 12. Campegius ad Zanchinum cap. 34., verſic. Conſiderent etiam Inquiſitores, Locatus in Opere Iudiciali, verb. Abſoluere nu. 7.* Non eſt itaq; Sacramentalis, ſed iudicialis externa: nam gratia conceſſa ordinatur ad extirpandam hęreſim, quod fit per confeſſionem propriorum criminum contra fidem in ordine ad reconciliationem cum Eccleſia: itèm in ordine ad emendationem, & punitionem; quòd per ſolam iudicialem confeſſionem fieri poteſt; cum ex ſacramentali nullum ſumatur iudicium ad procedendum: *Argumen. text. ex cap. Si Sacerdos de Officio ordin. Bald. in l. Archygerontes, C. de Epiſcopis audiend., Antonius Gomez tom. 3. Var. cap. 13. num. 9. Pen. 2. par. Direct. Comm. 25. verſ. Illud autem.* Ad hanc autem Confeſſionem præmittendum eſt iuramentũ de veritate dicenda tàm de ſe, quàm de alijs; cõfitentes autem ante reconciliationem abiurare debent ſecundum formam Canonicam pro qualitate delictorũ: vz. in occulto, ſi occulta fuerint, vel nõ præuenta ante publicationẽ Edicti gratiæ: ſi verò publica, vel præuenta fuerint, in publico fit: publica enim delicta publicam exigunt ſatisfactionem. *Conc. Biterenſe*, quod ſequitur, & explicat *Pen. de Tempore gratiæ cap. 21. reg. 8.* vti notat *Souſa in Aph. Inquiſ. lib. 4. cap. 13. per totum*; qui etiam notat ex mẽte *Roland. conſ. 63. lib. 3.* quem ſequitur *Pen. loc. cit.* conſiderandum eſſe in imponenda abiuratione adhoc, vt publicè, vel occultè fiat: an ille, cui eſt indicẽda, ſit puer, adoleſcẽs, ſimplex, vel Pater familias habẽs filias nubiles &c.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitor in receptione Confeſſionis ſpontè comparentis aliter, & aliter procedat iuxta varietatem delicti improbabilis, & probabilis.

CEnſeo aliter ſe habere cum illo, cuius delictum eſt omninò occultum, adeò, vt à nullo denunciari poſſit; & alitèr cum illo, cuius delictum non eſt adeò ſecretum, quin ab aliquo ſaltem ſciatur; ita vt denunciationi ſit poſſibile ſubijci; nam delictum prioris generis, vtpotè pęnitus ſecretum, videtur recipiendum in ſpontanea confeſſione abſq; pręſentia Notarij confeſſionem monumentis litterarum tradentis; cuius ratio eſt, quia quod eſt omninò ſecretum ſub tali eſſe ſeruandum eſt: aliòquin aperiretur aditus ad reticentiam criminum coram Superiore, quod non eſt faciendum. Cæterùm delictum ſecundi generis, quod poſſibile eſt denunciari, coram etiam Notario ſcribente confeſſionem recipi debet; cuius ratio eſt, quia delictum huiuſmodi eſt ex ſe denunciabile: nam quemadmodum variatur qualitas extrinſeca iſtius, & illius delicti; ita receptio diuariari debet. Hinc *Camillus Campegius ad Zanchinum Vgolinum de Hæreticis cap. 35. Directorium Inquiſitorum*: proceditq; in hæc verba. Si Inquiſitor agnoſcat illum ſic venientem; iam adeò præuentum eſſe, vt aliàs aduerſus eum indicia aliqua recepta fuerint; confeſſionem eius cum Notario, & teſtibus audiat, & iudiciario ordine procedat: ſed mitiùs cũ illo ſe habeat, quia non vocatus aduenit. Quòd ſi Inquiſitor illum præuentum, vel prius delatũ, aut antea indiciatum non videat; an factum prorsùs .s. per accidens occultum ſit, ab eo diligentèr inquirat; & vbi inuenerit illum neminem infeciſſe; nec alicui ſe prodidiſſe; ſed errores in ſe continuiſſe: v. g. clanculo, & non palam libros .s. prohibitos legiſſe: vel carnes diebus prohibitis manducaſſe; tunc (inquit ipſe) ad iudicialem confeſſionem recipiendã pro-

procedendũ non eſt: ſed ſecretè illum abſoluat, iniuncta ſalutari pœnitẽtia, vt ſupra innui.

Attendendumq; eſt, quod cum Inquiſitoribus, ac eorum Vicarijs facultas hæc abſoluendi Hęreticum tàm publicum; quàm per accidens occultum, tradita ſit; non poſſunt illam quibuſcunq; ſimplicibus Sacerdotibus impertiri; quia Apoſtolica verba ad alios extendenda non ſunt: quare putarem, vt vtar verbis *Campegij loc. cit.*, quod Sacerdotes, quos Inquiſitores veluti ad id munus idoneos iudicauerint, vt Hæreticos abſoluere poſſint; Vicarij in hac parte ab ipſis conſtituantur. ita *Camillus Campegius loc. cit.*

Verùm ille, cuius delictum eſt ſecretum, ſed tamen probabile; tenetur ad præceptum Inquiſitoris coram etiam Notario abiurationẽ præſtare, & iuramẽto promittere; quod in poſterũ à cõmiſſo crimine cauebit, vt ſatisfaciat Iuſtitiæ S. Officij pleniori modo; quod intellige, ſi talis eſt ſtylus illius Tribunalis.

Dices, ſi errant illi Inquiſitores Fidei, qui in omni caſu tàm denũciabili, quàm omninò ſecreto; recipiunt ſpontaneam confeſſionem coram Notario, & itidem abiurationem. Reſpondeo, quòd temerarium eſſet iudicare Miniſtros S. Officij, & maximè Inquiſitores errare in re tanta: tum quia ad hoc munus cenſendum eſt non niſi viros doctrina, & prudentia cõſpicuos eligi. tum quia in foro externo, quale eſt illud S. Tribunalis, non creditur fanti ſuum delictum eſſe omnino occultum, totalitèrq; improbabile. Quod pręcipuè perſuaderi poteſt; cum neſciant Inquiſitores, an ſpontè comparens intendat præuenire denunciationem, vel conſulere propriæ conſcientię; excipe tamen caſum .s. quando ex qualitate criminis de omnimoda occultatione ſatis certificari poſſunt. & ita cenſeo intelligendum *Camillum Campegium de Hęret. loc. cit. & item Inquiſit. Direct.* Sed clarius infra, vbi de receptione Confeſſionis.

DIFFICVLTAS III.

Hereticus occultus per accidens, nimirum, qui hereſim, quam mẽte tenet, externè profert nemine audiente quomodo abſoluitur.

RESpondetur tàm in tempore gratię, quàm extra ſe præſentans ſecretò; abſq; abiuratione abſoluitur ab Inquiſitore. *Simanch. de Cathol. Inſtit. tit. 42. num. 11.*, qui proſequitur in hæc verba: hoc intelligitur, cum hereticus intellectualem hæreſim protulit, vel ſcripſit, nullo audiente, aut vidente, quod dicitur ad differentiam hæreſis purè mentalis; quæ non eget abſolutione Inquiſitorũ, aut abiuratione: cum ſatis ſit eam proprio Sacerdoti confiteri, *Simanch. loc. cit.* Verùm, quæ prodijt in actum exteriorẽ, lz. per accidens exiſtat occulta, eſt excommunicationi ſubiecta; niſi quis illam proferat coram Inquiſitoribus, vel in confeſſione ſacramentali, aut ad petendum conſiliũ, vel auxilium ad eam relinquendam. *Azor. tom. 1. Sum. lib. 2. cap. 10. quæſt. 5. Farinac. de Hæreſi q. 192. §. 1. nu. 4. Graph. 1. par. decis. lib. 2. cap. 9. n. 5. Viualdus in Candelabro in Editione anni 1602. 1. par. tit. 11. n. 15. Eymer. 3. par. Direct. n. 6. Sanchez in Oper. Mor. tom. 1. lib. 2. c. 12. n. 1. & ſeqq.*

Attendendum eſt autem occultum per accidens illud eſſe, quod & ſi ad extra prodierit: tamen probari nõ poteſt ob teſtium carentiã.

DIFFICVLTAS IV.

An petens veniam ab Inquiſitore apud quem denunciatus eſt, delictum fateri videatur.

DOctores primæ claſſis pro vtraque parte reperio: tenent partem affirmatiuam *Hoſt. Anton. de Butrio, Ioan. de Anan. Cardin. & Abbas in cap. Exhibita de Homicid.* quã ſequitur *Roman. in l. 1. §. Nunciato, ff. de Oper. nou. nunciat.*

Partem verò negantem ſequitur *Cæpol. conſ. 21. col. 4. verſ. Sed plus dico*, & ſequitur *Marc. Anton. Blanch. Tract. de Indic. nu. 308.*

Ego puto diſtinguendum eſſe, vel petens locutus eſt abſolutè: vel ſolum conditionalitèr nempè cum aliqua reſtrictione: ſi primo modo dicendum eſt, quòd pars affirmatiua eſt amplectenda: quia, vbi non eſt delictum, veniæ petitio non cadit: priuatio .n. habitum præſupponit, *l. Decem ff. de Verb. obligat.* Cæterùm ſi ſecundo modo, ſecus dicendum eſt, complectendaq; eſt parte negatiua: verbi gr. ſi dixit, Non puto me dixiſſe, vel feciſſe tale quid, ſed ſi in aliquo erraui veniam peto, ita voluit *Abbas in dict. cap. Exhibita. in fin. & ibidem Petrus de Ancha. in quinto notab.* conſtat in ſimili; nam lz. quis petendo abſolutionem ab excommunicatione, delictum fateri videatur .s. eſſe excommunicatum; cum abſolutio vinculũ præſupponat, *cap. Ad diſſoluendum, De Sponſal. in pub.* tamen ſi quis etiam in iudicio abſolutionem petat ab excommunicatione ad cautelã; non ex hoc ſe excommunicatum fatetur, vt dixit *Ioan. Andr. in dicto cap. Exhibita, col. vltima alleg. text. in cap. venerabili, De Sent. excommunicationis.* legendus eſt *Locatus in Opere Iudic. Inquiſ. in addit. quæſ. 32.*

Forma comparitionis ſpontaneæ.

Die talis menſis N.

EGO N. filius de N. Diœceſis N. compareo coram Reuerendiſs. N. Inquiſitore N. ſedente in ſede &c. ad effectum eidem exponendi, & ſignificandi omnes, & quoſcunque errores, in quos hactenus incidi; ab eoq; ſuſcipiendi quamcunque ſalutarem pœnitentiam, quam mihi iniungere voluerit; offerens etiam ex abundanti, & aliàs, & prout melius promittere, & fide iubere poſſum de non recedendo à loco, quem præfatus Dominus Inquiſitor mihi aſſignabit; nec ab eo fugam petere; & alia præſtare prout ei placuerit, proteſtando &c. Legito *Vmbertum Locatum, vbi ſupra in fin. Operis, vbi de formulis.*

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS I. LIBER NONVS.

De particula ſubiectiua Edicti temporis gratiæ, nēpè de Hæretico, aut hæreſi ſuſpecto, maximè occulto: Hæc autem tangitur in textu, ibi: *Inuitiamo ogni Heretico, ò ſoſpetto d'heresia &c.* Abſoluiturq; duplici diſtinctione. Prima eſt tàm de Hæretico, quàm de hæreſi tantùm ſuſpecto ſub triplici ſtatu conſideratis. Secunda eſt de his, quæ vterque Reus in S. O. potiſsimùm attendere debet.

Ne autem, quæ proprijs locis dicenda ſunt, huc transferamus; remittemus Lectorem ad illa: congruum namque eſt, vt hic liber, qui propèmodum ſubſtantialitèr, vel virtualitèr ue inuoluit totum omne, quod in his Commentarijs tractatur; petat ab alijs libris præſentium Commentariorum omnem materiam ad ſe ſpectantem nonnullis exceptis: hac enim methodo, ex vna parte complectemur breuitatem modernis; quàm maximè gratam: & ex altera vtcumq; ſatisfaciemus vltimæ particulæ Edicto ſubiectiuæ iuxta prænotatum librorum ordinem; & inſuper hæc Comment. pars minus reddetur voluminoſa: remittimus itaq; Lectorem, vt, quæ hic deſiderantur; infra à locis proprijs deſumatur demptis infrà ſpecificè ſignandis.

DISTINCTIO PRIMA.
De Hæretico, hæreſiq; ſuſpecto.

Partiturq; in tres articulos iuxta tria de Hæreticis, aut de hæreſi ſuſpectis conſiderata.

Primò, illos conſidero extra manus Sancti Tribunalis.

Secūdò, in eius arreſtatione, vel carceribus.

Tertiò, in mortis articulo, aut periculo.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Pœnitenti plurimùm conferat confiteri ſacramentalitèr Superiori.

PRO Superiore intelligo illum, qui potitur facultate abſoluendi à reſeruatis, ſeu ab excōmunicatione item reſeruata, ſiue ille ſit Sacerdos regularis, ſiue ſecularis, ſiue Inquiſitor contra Hæreticam prauitatem.

Diffic. reſpr̄ affirmatiuè, patet primò, quia quando pœnitens Superiori ſua cōfitetur peccata, & inculpabilitèr obliuiſcitur alicuius criminis, excōmunicationem, vel reſeruationem annexam habentis, ex. gr. blaſphemiæ hæreticalis, tollitur reſeruatio: quia iam bona fide ſe præſentauit coram Superiore. eſt doctrina communis Summiſtarum.

Patet idem ſecundò, quia quędam ſunt peccata; quorum circunſtantiæ in ſententia grauium Doctorum veniunt explicandæ non per ſe, ſed ratione reſeruationis; quando pœnitens confitetur non habenti caſus reſeruatos; quod ſecus eſt, ſi confiteatur Superiori, qui illos habet: exem. gr. circunſtantia conſanguinitatis, affinitatis, & item diuerſitatis graduum non neceſſariò detegitur quando pœnitens Superiori ſe ſubijcit in Sacramento Pœnitentiæ; v. g. illi ſatis eſt confiteri commiſiſſe inceſtum; quia huiuſmodi circunſtantiæ, & gradus conſanguinitatis, aut affinitatis non diffe-

differunt in genere moris: vnde ſi quiſpiam habuiſſet copulam cum ſorore, ſatisfaceret, ſi in confeſſione Superiori facta; diceret, commiſi inceſtum abſq; eo, quod explicaret gradū perſonæ ſibi coniunctæ, ita *D. Thom. 2.2. quaſt. 154. art. 9. Caiet. ibidem Gyptius tract. de Caſibus reſeruatis cap. 8. num. 5., Antonius Diana par. 1. tract. 7. de circunſtantijs aggrauantibus non neceſſariò explicandis in confeſſione reſol. 31. Bartholomaus à S. Fauſto de Sacramenti Pœnitentiæ, tom. 1. lib. 4. quaſt. 96.*

Nec obſtat grauiorem eſſe illum inceſtum, qui v. g. cum matre, vel filia fuit commiſſus, quàm ille cum ſorore vxoris; quia grauitas hæc non excedit malitiam ſpeciei inceſtus; patet in ſimili, quemadmodum grauius eſt furtū mille aureorum, quam centum, & tamen in ſententia multorum determinata quantitas non eſt neceſſariò in confeſſione explicanda; ſed ſatis eſt dicere, prædatus ſum notabilem quantitatem; ita ob dictam rationem ſatis eſt confiteri inceſtū commiſiſſe abſq; graduum diſtinctione: Similitèr, qui rem habuit cum Moniali (quod abſit) per ſe loquendo, ſatisfacit, ſi dicat, ſe habuiſſe copulam cum obſtricta voto perpetuæ caſtitatis; Et qui carnalitèr cognouit Virginem conſentientem, ſatisfacit, ſi dicat, ſe fuiſſe fornicatum; qui tamen gradus, & circunſtantiæ ſunt neceſſariò explicandæ; quandò quis confitetur inferiori Confeſſori, .s. non habenti facultatem abſoluendi ab excommunicatione reſeruata, ſeu caſibus reſeruatis; vnde conſtat, quantum conferat Superiori confiteri.

Tertiò deniq; idem conſtat; quia ſi dictæ circunſtantiæ forent confitendæ, vel hoc eſſet ad tollendam culpam; vel ad tollendam reſeruationem; nō ad tollendam reſeruationem; quia illico, ac quis confitetur Superiori, aufertur; non ad tollendam culpam, quia ſufficientèr explicatur; cum omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei in ſententia prædictorum Doctorum, quorum ſententia multis non placet; vnde cū eis in praxi conſulo à communiori minimè recedendum fore; niſi neceſſitas aliud expoſtulet: indomito equo fręna nō ſunt relaxāda.

DIFFICVLTAS II.

An Superior occupationibus detentus, ſi integram non audiat confeſſionem ſacramentalem; pœnitens idem peccatum, vel peccata: v. g. eandem blaſphemiam, vel blaſphemias teneatur iterum confiteri inferiori Confeſſario.

Ratio difficultatis eſt, quia intentio integritatis confeſſionis ex parte pœnitentis neceſſaria eſt ex Chriſti inſtitutione, conſtat ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5.

Reſpondetur Pœnitentem abſolutum ſacramentalitèr à Superiore ad inferioremq; remiſſum non teneri iterum confiteri inferiori reſeruatum illud, à quo fuit abſolutus ſacramentalitèr: cuius ratio eſt, tùm quia abſolutio per Superiorem inferiori inipertita fuit ſacramentalis, & valida, vt ſuppono: tum quia ſicut in alijs caſibus, in quibus Pœnitens ex iuſta cauſa confeſſionem dimidiat; non tenetur repetere Superiori peccata prius ritè confeſſa, à quibus fuit directè abſolutus ab inferiori; ita non videtur obligandus ad confitendum inferiori Confeſſario peccata reſeruata, quorum ſacramentalem abſolutionem à Superiore obtinuit; cum nulla ſit ratio bis ſubijciendi eadem peccata clauibus Sacramēti Pœnitentiæ, reſpectu .s. peccati, à quo fuit directè abſolutus: & vtraque confeſſio fuerit integra formalitèr, licèt non materialitèr; *Reginaldus de Prudentia Confeſſarij cap. 22. num. 33. citans Suarez tom. 4. diſput. 3. ſect. 1. nu. 10. Zerolam in Praxi Sacramenti Pœnit. cap. 13. ibi decimo quæritur. Vgolinum de Offic. & poteſt. Epiſcop. cap.* 40 §.1. qui hoc pluribus aſtruit rationibus; & nos in Commentarijs ſuper caſus reſer. Diœceſ. Bergomen. *par. 1. diſt. 5. art. 1. differ. 2. per totam cum multis DD.*

Verùm cum *Reginaldo loc. cit. in Praxi*, conſulo integritatem confeſſionis etiam materialem tanquam quid magis tutū; maximè quod doctiſſimi viri hoc tradunt, vt notat idem *Reginal. loc. cit.* & ex hac iteratione eiuſdem peccati, vel peccatorum non paruum pœnitens conſequitur fructum iuxta regulam: qui ſentit incōmodum, & cōmodum ſentire debet. *l. Secundum 20. ff de Reg. iur.*

Difficultas hæc nō reſpicit Cenſorem fidei, ſed alios Superiores; quia quos ille abſoluit, vt Inquiſitor, ſemper abſoluit à Cenſura, vel realitèr contracta, vel præſumptiuè ad cautelam: qui, ſi detineatur occupationibus, & etiam ſi non detineatur, ad Confeſſorem, quos à cenſuris iam abſoluit, remittere poteſt: Quemadmodum .n. pœnitens, qua talis non tenetur confiteri ſacramentalitèr Inquiſitori; cùm ſubijciatur ei præciſè, vt Reus in cauſis fidei: ita Inquiſitor non tenetur, qua talis, illum abſoluere ſacramentalitèr. Sunt .n. Inquiſitor, & Reus in cauſis Fidei correlatiua: Alij verò Superiores, quorum intereſt etiam abſoluere in foro Sacramenti Pœnitentiæ, quatenus tales; niſi intercedente neceſſitate, aut ſatis graui cauſa penitentium confeſſionem minimè dimidiare debent.

Verùm ipſi quoque, ſi peccatum annexum habeat excommunicationem; poſſunt extra Sacramentum abſoluere ab illa Reum, ſeu pœnitentem, remittendo ad Confeſſarium, vt abſoluatur ſacramentalitèr à peccatis. Hinc colligo in pluribus differre Epiſcopum, & Vicarium generalem ab Inquiſitore: primò quia Epiſcopus, & Vicarius generalis, vt tales abſoluunt etiā ſacramentalitèr: Inquiſitor verò, vt talis, minimè ſacramentalitèr abſoluit. Secūdò Epiſcopus, & Vicarius gn̄alis in caſibus ad ſuū forum ſpectantibus, ſi contingat peccatū an-

nexam habere excommunicationem, vt tales abſoluere poſſunt ab vtroque: Inquiſitor verò qua talis, abſoluit tantùm ab excommunicatione; in cuius ſignum dantur Inquiſitores, qui non ſunt Sacerdotes. Tertia differentia patet ſupra.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An arreſtato, cui ab Inquiſitore per aliquos dies conceſſa eſt facultas diſcedendi pro diſpoſitione factorum ſuorum; liceat abſq; peccato intra determinatum tempus ad arreſti locum nō redire, ſeu non ſtare promiſſis.

OCcaſio dubitandi eſt; quia aliqui nihili pendent defectū obſeruationis huiuſmodi promiſſi; putantes minimè peccare, licèt fortaſſe honorem ſe labefactare exiſtiment: Vnde, ſi interdum ad locum arreſti reuertuntur; hoc præſtant potius, ne honori ſuo maculam inferant ratione infidæ promiſſionis, quàm ratione peccati.

Suppono promiſſionem eſſe non gratuitā, ſed onerosam; quia aliter minimè conceſſa fuiſſet licentia.

Qui autem dicantur arreſti, videto *Lucer. Inquiſ. ver. Inquiſitor nu.* 13. in hæc verba. Arreſtare eſt, quando alicui interdicitur, ne certum locum exeat. Differtq; arreſtatio ab incarceratione; quia arreſtatio fit ab Inquiſitoribus abſq; manuum iniectione; incarceratio autem cum manuum iniectione.

Item arreſtatio fit præcisè ad cuſtodiam, nō autem ad pœnā: Incarceratio verò ad vtrunq; *Lucer. Inqu. verb. Carceres nu. 1. citans Clement. 1. de Hæreticis, §. Et quia ſæpè.*

His poſitis. Reſpondeo arreſtatum, qui Inquiſitori promiſit ſe rediturum ad arreſti locū, ad hoc teneri; tum quia promiſſio onerosa, qualis eſt iſta, vt dixi, obligat in conſcientia; nam aliter arreſtatus libertatem non obtinuiſſet exeundi ad diſponendum de rebus ſuis; vnū enim ſine altero minimè conceſſum fuit: tum quia omnis promiſſio, dummodò nō ſit æquiuoca ex ſufficienti cauſa obligat in conſcientia, vti docent *Doctores, & maximè Diana cū alijs multis ab ipſo cit. tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſol.* 9. & notat *Franciſcus Ceſpides in dubijs militaribus*, in ſimili de militibus captis ab hoſtibus; qui itē promittunt ſe redituros, ſi ipſis detur facultas eundi ad propria.

Dices, arreſtos ius ad libertatem ſemper habere: Vnde nihil eis ab Inquiſitoribus conceditur, quod ſuum non ſit.

Reſpondetur verū eſſe, ſed verum eſt, etiam Inquiſitorem ius habere detinendi Arreſtos; cui iuri cum cedat in gratiam arreſti ob promiſſionem ſibi factam ab ipſo; ideò ab ipſa ſine peccato recedere non poteſt. Suppono enim arreſtum ab Inquiſitore talitèr iuſtè detineri.

Verùm diſtinctione melius videtur ſatisfieri poſſe: vel pęna arreſto imponenda eſt ſatis grauis, vt pęna triremium, aut mortis; & ſic integrum eſt illi non reuerti; cùm timor pęnæ cadat in conſtantem virum. *Bannes 2. 2. qu. 69. art. 4. poſt concl. 5.* quem citat *Ceſpedes loc. cit. dub. 60. contra Sanchez in Sum. tom. 2. lib. 6. cap. 8. à nu. 12. vſque ad 17.*

Vel pęna eſt leuis, vt ſi arreſtatus damnandus ſit in ære: & ſic ſecus dicendum eſt: cuius ratio eſt, quia leuis pęna facilè ferri poteſt. Verùm nunc temporis prouiſum eſt periculo infidelis promiſſionis, nimirùm, vt nōn niſi fidei iuſſione dentur licētię, vt patet ex praxi: quinimmo nec ſub fidei iuſſoribus relaxatur ille, qui pęna corporali venit puniendus, maximè ſi vilis perſona exiſtat, vt docet *Zanardus in Direct. Theologorum part. 2. cap. 6. art. 3.*

DIFFICVLTAS II.

An eo tempore, quo Reus manet Arreſtus, vel incarceratus; ipſius litteræ aperiri poſſint ab Inquiſitore.

SVppono, Inquiſitorem Arreſti, ſeu incarcerati litteras aperire ſine animo nocendi; ſed ne ſuum munus, vel in minimo retardetur, aut impediatur, aut ne veritas obſtruatur; inuito tamen arreſto, ſeu incarcerato.

Reſpondeo Inquiſitorem ob iuſtam cauſā Reorum litteras aperire poſſe; hoc tamen pacto, quod ſi litteræ ſui muneris impeditiuæ, aut retardatiuæ non ſint, eas fideliter illi conſignet ſecretum naturale obſeruando, clarum eſt, vide *Graff. lib. 2. deciſ. aure. cap. 35. ibi*: vel Prælatus, aut Prælata, ratio eſt; quia bonum commune anteponendum eſt omni priuato, & iuri particulari; litteræ autem in hoc caſu aperiuntur ob bonum publicum, & commune ad manifeſtationem machinationum, & ſimilium, ſi quæ ſint.

Si dicas Arreſtos, aut incarceratos eſſe inuitos.

Reſpondeo irrationabilitèr eſſe tales, cum Inquiſitores in hoc ſuas exequantur partes inuigilando, ne in ſuo fungendo officio impediantur: quando enim concurrunt duo præcepta naturalia contrariū dictantia, illud prçualere debet, quod fortius eſt: in propoſito autem concurrunt, alterum eſt non violandi alterius litteras per ipſarum aperitionem; aliud iuuandi Dei cauſam; Vnde quia hæc eſt grauior; ideò altera ei cedit: nam ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit, *l. Sunt perſonæ de Reg. & ſumpt. fun.*

Cæterùm, ſi Inquiſitor abſq; dicta cauſa has aperiret, mortalitèr peccaret. *Nauar. in Man. cap. 18. nu. 53. Azor. tom. 3. lib. 13. cap. 31. Rodriquez tom. 2. quæſt. 36. Graff. deciſ. aure. tom. 1. lib. 2. cap. 135.*

Nec quia occultè Inquiſitores Arreſtorum, aut incarceratorum ſuorum litteras aperiunt, fraudatores dici poſſunt; quia ad fraudem requiritur, vt non tantum occultè, ſed & iniuſtè

eas

eas aperiant; non aperiunt autem iniuſtè, vt dictum eſt: quare de ipſis pro hac ſe perperàm conqueruntur.

DIFFICVLTAS III.

An Inquiſitor Hæreticis, aliiſq; ob cauſam fidei in eius carceribus detruſis concedere debeat Confeſſarium, qui in foro Sacramenti Pœnitentiæ eorum confeſſiones excipiat.

RESpondetur concedi debere, totiès quotiès illum petierint, quidquid dicant aliqui, & præcipuè *Simancas de Cath. inſtit. tit. 16. n. 30. in Hiſpania ſeruari. Piaceſius in Praxi Epiſc. par. 2. cap. 4. ar. 6. nu. 7. Inſtructio Tol. 1561. edita Madriti 1574. n. 7. & alij*; ſumitur aũt ratio tũ à parte Confeſſarij; qui non ſupponitur obeſſe, ſed prodeſſe, vtpote, qui eos maximè admonere, & hortari debet; primò, vt Inquiſitoribus ſuum confiteantur delictum; cum ipſo iure id confiteri cogantur; ſeruata tamen ab ipſo debita cautela in periculo ſanguinis. Secundò, vt detegant complices, non obſtante præſtita promiſſione etiam iuramento firmata .ſ. ipſos nunquam detegendi; quia in malis promiſſis reſcindenda eſt fides: & iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis: & ſecretũ quod communi Reip. ſaluti nocet, aperiendum eſt his, qui prodeſſe poſſunt.

Verùm his non quilibet Confeſſarius abſq; delectu aſſignari debet; ſed ille tantùm; qui longa experientia dignoſcitur ſpectatæ probitatis, & doctrinæ; qui tamen abſoluere non poteſt, niſi prius ſit recõciliatus Eccleſiæ, & ablata excommunicatione. faciunt tradita per *Azor. Inſtit. Moral. par. 1. lib. 8. cap. 19. ibi & alio quæritur. Aloyſium in Floribus Directorij Inquiſ. par. 2. excomm. 25.* Sumitur ratio ſimiliter ex parte detenti in carcere; qui ibi non detinetur, vt pœnitens, ſed vt Reus: vndè quatenùs pœnitens ab ipſo veritas denegatione confeſſionis extorqueri nõ debet; extorqueretur autem quodammodo, ſi illi confeſſio ſacramentalis denegaretur; aut nõ poſſet obtinere authoritatem, vt abſoluatur ſacramentaliter, niſi manifeſtando crimen; quod alioquin forſan manifeſtare non teneretur. faciunt tradita à *Pegna ad Direct. Inquiſ. par. 2. Comm. 25. §. Diximus. Zanar. in Direct. Theol. par. 3. cap. 86. Diana 4. par. tract. 8. reſol. 6. Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 128.* vbi docet etiam quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius.

Articulus tertius deſumendus eſt infra *part. 2. lib. 10. diſt. 8. & 9. per totum.*

DISTINCTIO SECVNDA,

De his, quæ Reus in S. Officio attendere debet tàm ante actam cauſam, quàm poſt factam.

Partiturq; in tres articulos, quorum

Primus, reſpicit ea, quæ contingere ſolent, dum fit cauſa Rei.

Secundus, enodat duo dubia circa ſubiectam materiam.

Tertius, tangit duo alia dubia cauſam iam factam reſpicientia.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quæ attendere debet Reus, ne ſumat ſcandalũ paſſiuum ex his, quæ non debet.

RESpondetur debere attendere tria ſequentia. Primum eſt, ne miretur, ſi confeſſo errore; adhuc torquetur ſuper intentionem, quod eſt ſpeciale in S. Officio; ratio autem admirationis facilè illi contingere poteſt; cum Rei intentio ſub oculis, aut auribus Eccleſiæ non cadat; & ſubinde ſuper illam videatur minimè debere torqueri.

Verùm quamuis Rei intentio per ſe ſub Eccleſiæ ſenſibus non cadat: cadit tamen per aliud, nimirùm per ipſius verba, aut facta; ob quæ de leui, vehementi, aut violenti ſufficienter dubitat de intentione ipſius perfida, ſeu de errore fidei in illius mente: ſupponit .n. S. O. tàm verba, quàm facta hæreticalia ex hæreſis infecta radice prodire; & proptereà velut peritiſſimum in medendo ſe profundat ad illam vſque; cum non niſi illa detecta Reus moraliter infirmus plenè ſanari nequeat.

Secundum, alienum à rõne Reo videri nõ debet, ſi confeſſionẽ in tortura factã; extra illã iam ligaminibus ſolutus, ratam habere debeat, cuius ratio eſſe poteſt; tum quia aliter ipſius confeſſio nullius eſſet valoris; tum quia Iudex iniuſtè ſe gereret, ſi præcisè per confeſſionem in tormentis factam illum condemnaret; fit autem dicta ratificatio extra locum torturæ à die confeſſionis decurſo ſaltem ſpatio viginti quatuor horarũ, aut ad plus trium dierũ, *Pen. p. 2. Comm. 59. nu. 158.* ſatiſq; eſt, ſi ſubſtãtialitèr repetat dictam confeſſionẽ, quæ illi à Notario ſcribi, & legi debet. Ex *Arſen. S. Inquiſit. par. 6. pag. 157.*

Notandum autem torturam Reo dupliciter dari poſſe; nempè in caput proprium; & in caput alienũ .ſ. ſuper complices delicti. Inquiſitorq; illi proteſtari debet, quòd illud torquet non ſuper iam confeſſis; ſed pro vlteriori veritate indaganda, vz. vt manifeſtet, quos habuit complices in crimine: nam, ſi Reus (omiſſa prædicta proteſtatione) negaret in tortura totum factũ perſiſtendo in negatiua; liber, tãq; inſons, dimitti deberet: idemq; obſeruandũ eſt ob dictam cauſam; cum torquetur ſuper reliquos articulos, quos adhuc non eſt confeſſus: ita ex *Arſen. S. Inquiſ. part. 6. pag. 137.*

Ter-

Tertiũ, ipsũ pꝛterea ſcire opt maioris pōderis eſſe defenſiones, q̄ ex improuiſo fiũt, dũ ipſe conſtituitur: & ſimiliter illas, quæ procedunt ex proceſſu informatiuo, ſiue ex officio; quam illæ, quæ fiunt, dum ipſe ſuas dat defenſiones: Vnde notandum, quod quemadmodum duplex eſt proceſſus, nimirùm informatiuus, & defenſiuus. Informatiuus eſt ille, quem Iudex facit ex officio pro illuminatione ſui ipſius: Defenſiuus verò fit pro Rei defeſione: ita duplex eſt defenſio: alia, quam adducit Denunciator, vel Fiſcalis; ne videatur calumniator: alia, quæ fit ad inſtantiam Rei pro exculpatione ſibi obiectorum: Defenſio naſcens ex proceſſu informatiuo regularitèr magis valet; quia in eo ſolet candidius procedi, quàm in defenſiuo, qui fit Reo inſtante: nam in informatiuo teſtificatio fieri ſolet zelo fidei, ſeu tuendi bonum publicum, ſeu Tertij: in defenſiuo autem ſæpius contingit fieri amore, amicitia, intereſſe: claret; Quare non miretur Reus, ſi Iudices tanti ac ipſe vellet, non faciunt ſuas defenſiones.

DIFFICVLTAS II.

Reum, quæ attendere oportet, ne cadat in peiorem ſtatum.

RESpondeo ſequentia. Primum eſt, quod licèt de leui tantum ſic ſuſpectus: attñ ſi iam carceratus fugerit; vel citatione vocatus renuerit redire; incidet in excõmunicationẽ; qua feriretur (in ſordeſcendo anno integro ex cauſa fidei) & de violenti ſuſpectus euadet. Ex *Arſen. par. 8. pag. 223. & 224.* violenta autẽ de hæreſi ſuſpicio eſt validiſſima præſumptio iuris, & de iure: quæ ſanè prçſumptio contingit; quando ius non ſolùm præſumit; ſed etiã aliquid contra illã ſtatuit; vt ſi quis dediſſet fidẽ mulieri de contrahendo cum ea matrimoniũ, (ſubſequuta copula) ante Conc. Triden. prçſumebatur matrimonium: nec probatio in contrarium admittebatur. *Extra de Sponſ. cap. 15. qui fidem, ex Sum. Aſteſ. de Signif. verb. tit. 41. verb. Præſumptio*: poſt autem dictũ Conc. plura neceſſariò requiruntur, claret.

Secundùm, Reum abſque legitima cauſa Inquiſitori, vt Iudici reſpondere renuentem haberi pro confeſſo, *cap. fin. de Confeſſis in 6. gloſſ ver. Reus*, quod notat *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 2. cap. 20. nu. 52.*

Attendatq; ad recuſandum Inquiſitorem non quamlibet cauſam eſſe ſufficientem; ſed ſolùm capitalem, aut grauem inimicitiam; vel illud ex quo talis facilè oritur. *Eymer. 3. par. Direct. rubrica: De Recuſantibus Inquiſit. nu. 120. vbi Pen. Comm. 20. Farinac. de Hæreſi quæſ. 185. §. 15. num. 238.*

Tertium eſt, Inquiſitorum ſententiã, etiam diffinitiuam in rem iudicatam minimè tranſire; Vnde ſemel abſolutus poteſt iterum proceſſari, & iudicari, prioraq; teſtimonia vim ſuã integram conſeruant; adeò vt cum his, quæ ſuperuenerint; ad faciendam plenam probationem coniungi poterunt. *Eymer. 3. part. rubrica, de Modo terminandi proceſſum, num. 141. vbi Pen. Commen. 37. & alibi*: quare cenſeo in Sancto Officio tranſactionem minimè locum tenere: quid autem ſit, vide *Par 1. lib. 3. diſt. 3. art. 4.* vbi etiam reperies, quomodo, & quando ſententiç diffinitiuç tranſeunt in rem iudicatã.

Quartum eſt, abſolutũ in foro conſcientiæ, adhuc iudicialitèr in foro fori puniri poſſe, niſi abſolutio facta fuerit à Summo Pontifice per modum gratiæ, aut diſpenſationis; quibus in caſibus requiritur adimpletio pœnitentiæ impoſitæ, & conditionũ diſpenſationis. *Simanch. de Cathol. Inſtit. tit. 3. nu. 5. Pen. ad 2. part. Direct. Commen. 25. verſ. Item quæritur.*

Quintum, Reum ſcire oportet ob Confeſſarij fidem, quòd ipſe Reus humilitèr pœnitentiam ſibi iniunctam acceptauerit, plenèq; adimpleuerit; minimè excuſari à iudicio externo: ſed tantum iuuari, vt cum ipſo mitius agatur. *Pen. dicto Comm. 25. verſ. Breui ergo, n. 12.*

Nec Inquiſitores Confeſſarijs aſſerentibus Reum eſſe Innocentem credere tenentur. *Pen. dict. Commen. 25. verſ. Atque in hoc*: ſed tenentur ſtare legitimis probationibus.

Sextum, aduertat paritèr, quòd tàm abſens, quàm fugitiuus tunc dicitur contumax, quando citatus ad reſpondendum de fide, (elapſo citationis tempore) comparere renuit. *Eymer. 3. part. rubr. de 3. modo terminandi proceſſum. 212. Vbi Pen. Commen. 49. Simanch. de Cathol. Inſtit. tit. 12. nu. 1.*

Septimũ, Reus notare debet, ꝙ in carcere ob hæreſim detentus, ſi ſe ipſum occidat; obinde præſumi conuictum; Eccleſiaſticaq; carere ſepultura; niſi filij, aut hæredes probent ipſum minimè ex criminis conſcientia ſe occidiſſe; *Farinac. de Hæreſi, quæſ. 197. §. 4. nu. 90. Pen. ad Direct. Inquiſit. par. 3. Commen. 92. verſ. Quod ipſum, & Comm. 89.* quos ſequitur *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 50. nu. 4. & lib. 3. cap. 3. nu. 2.* qui ibidẽ quoad carentiã Eccleſiaſticæ ſepulturæ, comprçhendit etiam ſuſpectos de hçreſi.

Octauum, Reus contumax anno integro in excommunicatione ex cauſa fidei perſiſtens, ipſo elapſo ſi moriatur; damnatur eius memoria. *Clar. in Pract. crimin. §. Hæreſis nu. 21. Decianus crimin. lib. 5. cap. 57. num. 6. Farinac. loc. cit. §. 4. nu. 93.* Dicitur ex cauſa fidei: nam S. Trib. nõ procedit contra perſiſtentes in excommunicatione per annum ratione alterius cauſæ. *Arſen. part. 10. admon. 133.*

Nonum, vehementèr ſuſpectus, ſi iterùm in vehementem ſuſpicionem incidat, efficitur violentèr ſuſpectus. *Locatus in Iudiciali Inquiſ. verb. Vehemens ſuſpicio &c.* Violentèr autem ſuſpectus in excommunicationem ipſo facto incurrit, à qua poſt abiurationem abſoluitur. *Eymer. 3. part. rub. de ſexto modo terminandi proceſſum nu. 177. Souſa in Aphor. Inqu. lib. 2. c. 42. nu. 5.* Licèt autem violentèr ſuſpectus à parte

rei

rei poſſit non eſſe Hęreticum; vt Hæreticus tamen habendus eſt, Hæreticorumq; pœna puniendus, *Eymer. 3. par. Direc. rubrica de ſexto modo terminandi proceſſum, nu. 174. & 2. par. Direc. quæſ. 55. vbi Pen. Commen. 80.*

Decimum, nouerit itidē, quod poteſt capi, & incarcerari: & à priuata perſona, ſi reperiatur in flangranti crimine; modo hoc præſtet ad effectum, vt illum ad Inquiſitorem deferat, illumq; non retineat vltra 20. horas. *Antonius Gomez tom. 3. variar. cap. 9. nu. 3. Arſen. S. Inq. par. 10. admon. 197.*

DIFFICVLTAS III.

Quæ Reo concedi ſolent Iudices fidei.

RESpondeo in primis duo proximè ſequentia. Primum, ſi voluerit probare errorē confeſſionis à ſe factæ (quantumcunque extiterit iurata, & confirmata coram Iudice competente) admittitur ad illam probandam; quo probato nō nocebit ei confeſſio facta. faciunt tradita à *Iulio Claro in Practica quæſ. 55. §. finali, nu. 18.* & hoc tàm ab ipſo confitente, quàm ab eius conſanguineo, etiam ipſo confitente renuente. ita *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 20. nu. 51. allegans Farinac.*

Verùm error confeſſionis plenè probare debet; quod dico, quia in dubio confeſſio præſumitur vera, *Maſcar. lib. 1. concl. 350. num. 6. & 6. & 7. Farinac. crimin. cap. 9. nu. 335.*

Secundum eſt, quod ſi petat alium Aduocatū à deputato per S. O. cōceditur ei, dummodò iuſta interſit cauſa; Sed is eas qualitates habere debet, quæ in Aduocatis cauſæ Dei requiruntur, vz. vt ſit vir probus, fidei zelator, nō ſuſpectus de fide, nec de genere ſuſpectorum. ita *Eymer. 3. par. Direct. rubr. de defenſione Reorū nu. 117. verſ. & ſic*: quare aduocans pro hæretico ſciens eſſe talem; nō eſt idoneus; ſed infamis, ipſo facto excommunicatus, vtpotè hæretici defenſor, ſuſpectusq; de hæreſi, *Decianus lib. 9. crimin. cap. 51. n. 13. & alibi, Eymer. 3. par. Direct. quæſ. 39. vbi Pen. Commen. 88.* faciunt quæ dixi *Lib. 3. diſt. 2. art. 1.* ibi alterum eſt.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ iuuant Reo.

REſpondetur præcipuè ſequentia. Primùm eſt, ſpontanea cōfeſſio, etiam metu probationum facta: quia ſic minus punitur, lz. pęna à lege ſit taxata. *Antonius Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 2. cap. 20. nu. 34. poſt Farinac. crimin. quæſ. 81. cap. 5.* addens illum, quæ liberè, & ſpontè confertur delictum, præſumi ſine dolo deliquiſſe, *ver. amplia.* Quis autem dicatur ſpōtè confiteri, vide ſupra *Lib. 8. diſt. vnica art. 2. diff. 1.* de Edicto gratiæ. Vnde notandum Inquiſitores in remittendis pœnis maiorem habere poteſtatem; quam alios Iudices, vti teſtatur *Pen. ad 3. par. Eymer. Comm. 23. nu. 106.*

Secundùm eſt, ſpontanea comparitio, s. cū Reus adhuc non eſt delatus, ſed ſpontè ſe offert, confitens factum, aut verba hæreticalia: quia tunc iuſtè negando intentionem, non eſt cogendus abiurare, niſi ex circunſtantijs aliqua oriatur ſuſpicio. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 48. nu. 18.* Item dicta comparitio multum iuuat: quia ſic Hæretico venienti ante lapſum temporis gratiæ bona non auferuntur. *Simanc. loc. cit. tit. 47. nu. 16. Farinac. vbi ſupra nu. 149. Repert. Inquiſ. ver. Bona, & ver. Gratia.*

Tertium eſt pœnitentia: nam Hæretico occulto pœnitenti non auferuntur bona, quando ſpontè ſe defert. *Simanch. de Cathol. inſtit. tit. 13. n. 22. Farin. de Hær. quæſ. 190 §. 10. n. 138.* Dices, quæ bona auferuntur Reo pęnitenti.

Primum eſt, reconciliatio, & abſolutio: nam qui verè pœnitentiæ ſigna dedit, abſolutionemq; petijt, ſi per ipſum non ſtetit, quominus abſolueretur, ēt poſt mortem poteſt recōciliari, & abſolui, *Simanch. de Cathol. inſtit. tit. 3. num. 4. Azor. Inſtit. moral. par. 1. lib 8. cap. 19.*

Secūdum eſt, admiſſio ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtię, nam licèt pœnitens ſit relapſus, & iam traditus Curiæ ſeculari ad luēdas pœnas temporales: admittitur tamen ad reconciliationem ſpiritualem, & conceditur ei Sacramentum Pęnitentiæ, & Euchariſtiæ. *Eymer. 2. part. quæſ. 40. nu. 3. vbi Pen. Comm. 83.* eſt autē hìc ſermo tantùm de relapſo publico, in ſecūdo autem articulo dicetur de occulto.

Similitèr, quamuis confitens animum hęreticalem in patratione criminis; v. g. in deturpatione imaginis Chriſti Curiæ ſeculari tradendus ſit; cum tantùm ſcelus impunitum nō debeat manere: tamen ſi miſericordiam petit, vnioni Eccleſiæ, vt ſupra dixi, reconciliatur. *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 2. cap. 42. nu. 17.*

Item ſi Reus incarceratus ſpontè confiteatur reincidiſſe in vnam, vel plures hæreſes, de quibus non conſtabat in proceſſu, nec dubitabat; recipitur ad miſericordiam. *Ex Arſen. par. 10. admon. 131.*

DIFFICVLTAS V.

Quid attendi debet circa abſolutionem Rei.

REſpō tria ſequentia. Primū eſt, ꝙ Reus abſolutus à cenſuris ab Inquiſitore in cauſa fidei; tenetur poſtea eadem peccata etiā ſacramentalitèr Confeſſario aperire. *Ex Arſen. loc. cit. admon. 28.* & nos pluries in his Commentarijs.

Notandum verò ab hæreſi purè externa: aut quæ ſigno externo non ſufficientèr explicatur; quemlibet habentem iuriſdictionem abſoluendi à peccatis, abſoluere poſſe; niſi fortè in aliquo Epiſcopatu ſit reſeruata, *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. cap. 4. nu. 9. Farinac. de Hæreſi quæſ. 192. §. 4. nu. 60.*

Verùm in hac annotatione non eſt ſermo de exiſtēte in fortijs S. Inquiſ. quia nemo tunc

audere

ſudere debet ſine facultate ſpeciali quemuis abſoluere, lz. non hæreticum; ſed tantùm ſuſpectum.

Secundum, abſolutio Hæretici paſſiua .s. ab excõmunicatione, ſiue ab Inquiſitore, ſiue ab Ordinario, ſiue à S. Pontifice, non eſt valida, ſi Hæreticus finxit cõuerſionẽ; qui q̃uis poſtea ad cor redeat, non tñ manet abſolutus; quia Iudex ex falſa cauſa motus fuit; Vnde illum nõ abſoluiſſet, ſi fictionem cognouiſſet. *Ex Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admon.* 157. Hinc, quæ illi prodeſſe debebant, ratione fictionis nihil proſunt; ſed tenetur iterum habere recurſum ad Sanctum Tribunal: quia non eſt abſolutus ab excommunicationibus; niſi pro hæreſibus confeſſis: remanens adhuc ligatus ratione aliarum fictè ſuppreſſarum.

Dicitur fictè, quia ratione oblitarum ſecus dicendum eſt: idemq; cenſendum, ſi actus eſſentiales externos, lz. occultos ſubticuit; vt ſi ex mẽtis errore tacuit accepiſſe cœnam Caluiniſticam; pedibus Sacramentum Euchariſtiæ iniurioſè calcaſſe; ſacras deturpaſſe Imagines &c. hinc in abſolutione ipſius iure additur clauſula illa: dummodò corde redierit, & iniunctam pœnitentiam adimpleuerit. *Ex Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon.* 158. 159. 225. tenetur nanque illam implere, pręcipuè, quando conſiſtit in actibus ſuæ culpæ contrarijs, v. g. ſi iniunctum fuit ei ſcribere, aut prædicare contra Hæreticos, *Ex Arſen. loc. cit. admon.* 240.

Tertium, abſolutus in foro Sacramenti Pœnitẽtiæ, licèt à Summo Pontifice; ſi de crimine à quo fuit abſolutus, externè accuſetur; punitur etiam in foro fori: nam pœna in foro Sacramenti Pœnitentiæ impoſita ſoli Deo ſatisfacit, illiq; conciliatur: quare vt ſatisfiat etiam Reſpublica, requiritur publica pœna, quæ tamen ceſſat, ſi abſoluatur à S. Pontifice per viam gratiæ, aut diſpenſationis. *Arſen. S. Inqu. vbi ſupra admon.* 153.

DIFFICVLTAS VI.
Quæ, & quot attendere debet Reus circa torturam ſibi inflictam.

RESpondetur duo. Primum eſt, quod non dicitur cõfeſſio vi tormentorum extorta, ſi Inquiſitor præciſè dicat Reo, aut confiteri, aut adducam te ad locum tormẽtorum, niſi reuera (quod abſit vel ſuſpicari) exiſtat crudelis, ſolitusq; exequi, quod minitatur. *Ex Arſen. loc. cit. admon.* 260.

Alterum eſt, quod tàm Reus, quàm teſtis, ob torturam illis datã in S. Tribunali ad eruendam veritatem, ipſos infamia minimè affici: ſed ſolùm ob illam, quæ datur in pœnam delictorum patratorum. ita *Arſen. loc. cit. admon.* 254. *Binſpheldius in tit. C. de Maleſ. & Math. lib. 7. quæſt. 1. concl. 17. in fine*, faciunt tradita ſupra *Lib. 2. diſt. 3. art. 3. diff. 6.*

DIFFICVLTAS VII.
Iudex Reo torturato, quid proteſtari debet, vide ſupra difficultas 1.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
Occaſione illius termini, .s. relapſus, de quo ſupra difficultate quarta ſub numero ſexto, quæritur, qualis relapſus admittitur ad remiſſionem pœnæ temporalis.

NOtandum duplicem eſſe relapſum, vz. alium occultum: alium publicum: Loquendo de occulto, dicendum eſt, quod admittitur ad gratiam in Edicto promiſſam, ſi ſpontè venit. vide tradita *Part. 1. lib. 3. diff. 4. & lib. 8. art. 3. diff. 2. Repertorium Inquiſitorum verb. Relapſus circa medium.* Itidem notatur infra, vbi de differentijs inter tempus Edicti gratiæ, & tempus miſericordiæ.

Secus verò dicendum de relapſo publico; vt autem quis verè ſit talis; debet conſtare de primo, & ſecũdo relapſu, vti habetur expreſsè in quadam Conſtitutione Alexandri Papæ, incipit, *Quod ſuper*, ex qua eſt ſumptum *cap. Accuſatus de Hæreticis, in 6. Repertor. loc. cit.* dicitur autem verè relapſus ad differentiã fictè relapſi, ex. gr. ſi de hæreſi non fuit conuictus: ſed ob vehementem ſuſpicionem, quæ erat contra ipſum, abiurauit; & poſt abiurationem deprehenditur in eadem; ideò fingit ius talem fuiſſe à principio, qui poſtea talis eſſe conuincitur, iuxta illud vulgatum: actus præſens præteritã declarat intentionem. Item talis præſumitur cauſa, qualis ab effectu dignoſcitur. *l. Cum de in rem ff. de vſuris*, *C. de Adulter. l. Si quos Adulterio*, ſuper quã lege fundatur iſta fictio, vt notat *Petrus de Ancharano in cap. Accuſatus in principio.* huc ſpectant, quæ tradidi ſupra *Lib. 3. diſt. 2. art. 1. ibi ſextum.* item quæ docui dicto *Lib. diſt. 4. art. 2.* Vbi de relapſo propriè, & relapſo tantùm fictè. Circa fictionem autem iuris, de qua *Lib. 3.* vbi de terminis, nota non dari extenſionem ad caſus non expreſſos in iure. *l. Pater. ff. de Captiuis.*

Iuris fictio autem differt à præſumptione; quia iuris fictio non poteſt ſtare cum veritate Rei: præſumptio verò poteſt: vti rectè notat *Syluester, verb. Iuris fictio.*

DIFFICVLTAS II.
An confeſſio iudicialis à Reo facta, ſed incidentèr emanata s. de crimine, ad quod non agebatur; ſufficiat ad illum condemnandum. Quæritur idipſum de confeſſione criminis à Procuratore facta abſque Rei mandato.

REſpondetur diſtinctione, & breuitèr, vel loquimur de condemnatione ad pœnã ordinariam, vel ad extraordinariam: ſi primo modo, dicendum eſt, quod dicta confeſſio nõ ſufficit, ſicut nec illa, quæ fit per viam exceptionis; & hoc tàm reſpectu confitentis, quam alte-

alterius. Si autem ſecundo modo loquamur, ſecus dicendum eſt. *Maſcardus lib. 1. concl. 345. nu. 1. & ſeqq. & concl. 383. nu. 15. & ſeqq. Farinac. de Reo confeſſo quaeſ. 81. cap. 7. per totum,* quos ſequitur *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 2. cap. 20. nu. 38.*

Verùm notandum confeſſionem à Procuratore factam, Reo minimè nocere poſſe, niſi habeat expreſſum, & ſpeciale mandatum ad confitendum. *Folerius in Pract. crimin. part. 1. num. 39. Farinac. de Hęreſi cap. 1. quaeſ. 81. nu. 60.* quos notat *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 2. cap. 2. num. 17.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Reus, qui poſt torturam dimittitur, aut canonicè ſe purgat, iuſtè ad expenſas condemnetur.

RESpondetur affirmatiuè; ratio eſt, quia huiuſmodi expenſæ ei ob eius crimina obtigerunt, quibus iudicialitèr imputatis Fiſcus iuſtam habuit occaſionem contra illum agendi: nam ſi indicia contra ipſum fuerunt (vt ſupponendum eſt) ſufficientia ad torturam; vel ad indicendam purgationem; cur non ſufficient ad condemnationem in expenſas ob publicam vtilitatem factas? quod in primis notat *Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admonitione 73.* quare, ò N. ne iraſcaris aduerſus Sanctum Tribunal, vel eius Miniſtros; nec mireris, ſi ad has expenſas condemneris, ita exigente iuſtitia; ſed æquo, mitiq; animo feras, quæ tibi ob publicum bonum, & ſalutem animæ tuæ acciderũt: nam qui facit, quod nõ debet, ei obuenit, quod nõ credit: ſtultusq; in culpa, fit ſapiens in pęna, memorq; exiſtere debebas notabilis illius admonitionis: ab omni ſpecie mali abſtinete vos. Vnde quamuis fortaſsè reſpectu cauſæ ob quam condemnaris exiſtas inſons: non tamen ab illius ſuſpicione; nec item ab alijs multis peccatis, quarum mulctam callidè pluries effugiſti: nam reſpectu fori diuini ſpinæ, tribuliue perperàm alias diſſeminati nõ illicò colliguntur, ſed ſuo tempore, quod reſpectu tui nunc eſt: vnde patientiam actita, quæ magnam habet remunerationem.

Verùm emanarunt à S. Tribunali Romæ anno 1611. quidam pietatis ordines in fauorẽ Reorum, maximè longè pauperum; ex quibus clarè emicat non minus pietas, quam integritas dicti Tribunalis, ſub quo alia regulantur Tribunalia; ſunt autem infraſcripti.

Ordini generali, quali ſi deuono oſſeruare inuiolabilmente da tutti gl'Inquiſitori, Officiali, Fiſcali, & Notari nelle cauſe del S. Officio, ſotto pena della priuatione de gl'officij, & altre pene ad arbitrio dell'Eminentiſs. Signori Cardin. Generali Inquiſitori.

CHE *gl'Inquiſitori, Vicarij, Fiſcali, & Notari non poſſino, ne debbano far pagare coſa alcuna dalli Rei per gl'eſſamini de teſtimonij del proceſſo offenſiuo; ne meno per li Conſtituti de Rei, anco che foſſero nell'eſſame rigoroſo; ne per ſcritture prodotte, ne per altri atti, che in qualſiuoglia modo ſi fanno per il Fiſco dell'Inquiſitione contro li Rei.* Cæteris omiſſis &c.

Che gl'Inquiſitori non promettano, che li Rei poueri paghino coſa alcuna, ne anco à Notari: mà ogni coſa ſi faccia gratis. Cæteris omiſſis &c.

Dat. in Roma nel Palazzo della Santiſſima Venerabile Inquiſitione Romana 13. Agoſto 1621.

DIFFICVLTAS II.

Si Reo ex ſententia concedatur gratia, vt oſtendat ſuam innocentiam purgatione Canonica, quali forma vti poterit.

REſpondeo, quod ſequenti, vz. Ego N. de tali loco &c. talis Diœceſis coram vobis Reuerendiſs. D. N. Inquiſitore, & Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. N. Epiſcopo, ſeu Vicario Epiſcopali in iudicio poſitus.

Vt omnem hæreſis ſuſpicionem de me ortam; tàm ex veſtris, quàm aliorum mentibus eijciam, atque omnino euellam; dico, ac corde, & ore fateor, ac iuro, quòd non obſtantibus habitis in proceſſu, .s. informatiuo; me eſſe, fuiſſeq; immunem ab omni hæreſi, ac iuro me talia, & talia N. mala intentione minimè feciſſe; ideò precor Reuerendiſs. dominationes veſtras, quatenus hos, quos huc adduxi Dominos, tanquam meos Compurgatores, admittatis. Qui quidem Domini iurabunt ſimilitèr infraſcripto modo, vz.

Ego N. iuro me credere ſupraſcriptum N. veritatem dixiſſe ac iuraſſe.

Ego N. &c. iuro me credere, vt ſupra.

Ego N. &c. iuro me credere, vt ſupra, quibus peractis Inquiſitor pronunciat ſententiã declaratiuam &c. ac iniungit aliquid pro ſalutari pœnitentia, vt cautius in futurum viuere diſcat; & ne malis exemplis mala de ſe amplius ſuſpicari permittat. Inquiſitor ſententiæ ſe ſubſcribit hoc modo.

Ita pronunciamus Nos Fr. N. Inquiſitor &c.

Ita ex *Vmberto Locato in Opere Iudiciali Inquiſitorum de Formulis in S. Inquiſitionis Officio agendorum*, ibi: *Forma purgandi ſe canonicè. Aretinus in Practica criminali pro Regularibus in fine.* Quid ſit autem purgatio, & quotuplex, vide ſupra *Lib. 3. diſt. 3. art. 4.* quomodo verò purgatio Canonica ab abiuratione diſtinguatur pręquirendum eſt eodem *Lib. diſt. 4. art. 1. diff. 3.* item ex *cap. Ego Berengarius, Ioan. Andræas, & Dominico in cap. Accuſatus, §. 1. de Hæreticis in 6.*

DIFFICVLTAS III.

An, qui pœnitentiæ ſalutari iniunctæ non ſatisfaciunt, illas minimè adimplendo, veniant puniendi.

REſpondetur affirmatiuè, quòd puniri debent vt impęnitentes, periuri, & fictè cõuerſi:

uerſi: ſunt .n. impœnitentes, quia pœnitentiã non peragunt: Periuri, quia violant iuramentum, quo promiſerunt ſe mandatis Eccleſiæ obtemperaturos: Fictè conuerſi, quia nec veram pœnitentiam agunt; nec permanent in debita obedientia Eccleſiæ. *cap. Non ſufficit cum ſeq. de Pœnitentia diſt. 1. Calder. conſ. 2. tit. de Hæreticis. Decius conſil.* 137. Vnde longè falluntur DD., qui aſſerunt non poſſe Inquiſitores cognoſcere, an pœnitentes iniunctam pœnitentiam peragant: id .n. ad eorum officium pertinet perindè ac alia omnia, ſine quibus eorum iuriſdictio pleniſſimè exerceri nequit: nam aliquo conceſſo; ea omnia intelliguntur conceſſa, ſine quibus eo commodè vti, ſeu ea exerceri nõ poſſumus, *l. Verbo victus, ff. de Ver. ſignif. l. Legatis ff. De alimentis legat. cum ſuis concordan.* quòd ſanè axioma procedit in coniunctis: & vbi militat eadem ratio, ſicut in propoſito; illuderetur nanque auctoritas Inquiſitorum ſine vi coactiua pro legis conſeruatione, collata: Faciunt tradita à *Simanch. de Cathol. inſtit. tit.* 48. *nu.* 29. *&* 30. *Carena De modo procedendi in cauſis S. O. tit.* 2. §. 4. *nu.* 16. Notandumq; alleganti ſe adimpleuiſſe pœnitentias ſibi iniunctas incumbere onus probandi: tum quia pœnitentiæ implementum, eſt quid facti, & facta nõ præſumuntur, niſi probentur; *l. In bello, §. Factæ, ff. De captiuis, & poſtliminio, redemptis ab hoſtibus. cap. Cum in iure, De officio delegati. Carena vbi ſupra nu.* 25. tum quia affirmanti incumbit probatio, non neganti. *l. 2. C. de Probat. l. Qui accuſare, C. De edendo, l. fin. ff. De rei vendicatione.* Quare Iudex fidei in ſuo foro, & item Confeſſarius in ſuo charitate moti admoneant pœnitentia ſalutari grauatum, vt illã adamuſſim expleat; tum ne culpa oneretur; tum ne puniatur: ſtultus nanq; in culpa, fit ſapiens in pœna: admoneant itidèm, quod improbè accuſat Neptunum, qui iterum facit naufragiũ: & quòd vulpes ſemel in laqueum.

Verum, quia obiter dictum eſt neganti probationem non incumbere; propterea in huius dicti explicationem; attendendum eſt triplicem eſſe negatiuam, vz. facti, iuris, & qualitatis: negatiua facti non debet probari, vt qñ nego me interfeciſſe hominem. Negatiua iuris debet probari ab eo, qui eam proponit, vt ſi dico, nego hunc teſtari poſſe. Itidem negatiua qualitatis à proponente probari habet, vt quando dico iſte nõ eſt dignus; non eſt idoneus; non eſt legitimus, vt obſeruant DD. & notat *Gloſ. in l. 2. C. de Probation.* hucq; ſpectat vulgatum illud; *Qui clamat, ſui clamoris rationem reddere debet.*

Nec obſtat in propoſito difficultatis afflictis non eſſe addendam afflictionem iuxta *l. D. Marcus in principio, ff. de Offic. Præſ. cap. Cũ percuſſio, 9. quæſ.* 1. quia licèt procedat vt plurimùm: fallit tamen, ſi vna pęna, ſeu afflictio veniat in conſequentiam alterius, vt *cap. Ab eo. de Sequeſtra. poſſeſſ. & fructuum.* & ità venit in propoſito punitio ad culpam.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PARS
SECVNDA
COMMENTARIORVM
EDICTI S. OFFICII.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS II. LIBER X.

Vbi per extenſum diſſeritur de primo, & ſecundo caſu S. Officij, nimirùm de hæreſi, eiuſq; ſuſpicione concretiuè, hoc eſt de Hæreticis, & de hæreſi ſuſpectis.

Partiturq; in quinque libros iuxta ab initio notata in diuiſione generali totius operis.
Primus eſt, de hæreſi præcipuè ſecundũ quod denuncianda, confitenda, & abſoluenda &c.
Secundus, de caſibus cum hæreſi fraternizantibus.
Tertius, de virtute hæreſi oppoſita, vz. de Fide Catholica.
Quartus, de communicatione cum infidelibus, generaliter ſumpto nomine infidelium.
Quintus, de ſuſpectis de hæreſi, eorumq; ſpeciebus in textu implicitis, vel explicitis.
Præſens liber in duas ſecatur particulas. Altera reſpicit ſingulis caſibus communia: Altera verò hæreſi ſpeciales, frequentioresq; caſus, qui in excipiendis confeſſionibus ſacramentalibus contingere ſolent: Vnde notandum, quod de hæreſi, ſeu Hæreticis non loquimur in ſua latitudine: ex. gr. de ipſorum inhabilitate, tortura, examine, confeſſione iudiciali, notorietate, infamia, præſumptionibus, indicijs, citatione, incarceratione, & his ſimilibus, de quibus forum fori: ſed præcisè loquimur de hæreſi, & Hæreticis, quo ad ea, quæ exigit Edictum, nempe reſpectu Denunciantis, vel Denunciandi; item loquimur de Confeſſario reſpectu pænitentis Hæretici, vel ſuſpecti quo ad ipſorum abſolutionem ſacramentalem tàm extra, quàm in mortis articulo; diuidimusq; librum hunc in nouem diſtinctiones.
Prima eſt, de communibus cuique caſui S. Officij.
Secunda, de hæreſi, & Hæreticis comparatiuè ad alios criminoſos, de quibus Edictum S. Inquiſitionis.
Tertia, de qualitate hæreſis denunciandæ.
Quarta, de hæreſis eſſentia, ac de multis, qui primo acceſſu cenſentur Hæretici.
Quinta, de Hæretico mentali.
Sexta, de Hæretico occulto.
Septima, de quibuſdam obligationibus Hæretici.
Octaua, de Hæretici abſolutione in articulo mortis.
Nona, de abſolutione item Hæretici reſpectu Confeſſariorum inferiorum.

DISTINCTIO I. GENERALIS.

Circa caſus S. Officij.

Diuiditur hæc in tres articulos.

Primus reſpicit numerum caſuum.

Alter facit collationem inter ipſos quoad cenſuras, & grauitatem criminis.

Tertius tangit horum abſolutionem in dubio facti etiam reſpectu Regularium priuilegijs gaudentium.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An caſus Sancti Tribunalis ſint plures, vel vnus.

RESpondetur diſtinctione eſſe procedendum, ſi ſumatur hæreſis, quatenus complectitur etiam eius ſuſpicionē, ſic vnus eſt: quia ſinguli caſus ad S. Officium ſpectantes reſpiciunt, vel hæreſim, vel eius ſuſpicionē; vel ſumitur hæreſis, prout diſtinguitur ab ipſius ſuſpicione genericè; & ſic ſunt duo: vel quatenus hæreſis comparatur ad ſingulas ſpecies hæreticæ ſuſpicionis; & ſic ſunt ſex, videlicèt, hæreſis, fautoria, &c. ſuperſtitio, blaſphemia hæreticalis, offenſio Miniſtrorum S. Officij, eidemq; reſiſtentia, & lectio, aut retentio librorum hęreticorum de religione tractantium.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An criminoſi reſpectu delictorum S. Officium reſpicientium æqualitèr ligentur cenſuris.

REſpondetur negatiuè, nam Hæretici, & Fautores Hæreticorum, ſub quibus comprehenduntur Credētes, Receptatores &c. duplici annodantur cenſura, altera eſt illa communis omnibus criminoſis caſuū S. Tribunal reſpicientium; dum tamen ſunt detenti ab ipſo, vel ratione ſpontaneæ comparitionis, aut coactæ comprehenſionis; quod patet ex praxi, cū omnes, & ſinguli ab excommunicatione abſoluantur; à qua ſanè minimè dicerentur abſolui, niſi prius forent ligati; nullus enim abſoluitur à vinculo, niſi ligatus exiſtat; cuius abſolutio ab Inquiſitore alteri ſubdelegari poteſt, vt viſum eſt *Lib. 2. diſt. 2. art. 1.*

Verùm, cum hæc ſit excommunicatio præſumpta; & præſumptio ceſſet in foro Sacramenti pœnitentiæ; quando in eo cōſtat de veritate, quæ ibi attenditur, & ſolo dicto pœnitentis probatur; conſequentèr à quouis Confeſſario auferri poterit, niſi exiſtat ex ſuſpectis de hæreſi in Bulla Cænæ expreſſis, vt conſtat ex dictis *Lib. 4. diſt. 4. diff. 1. in fine, & diff. 2.*

Altera verò excommunicatio eſt ſpecialis reſpectu Hæreticorum, illorumq; Fautorum, Receptatorū, Credentium &c. eſt illa, de qua Bulla Cænæ, à qua ſolus Summus Pontifex, & Inquiſitor hær. prau. in ſuo foro externo abſoluere poteſt: nam delegato officio omnia illa delegata eſſe intelligūtur, ſine quibus munus ſuum nō poteſt iuſtè, & ſalubritèr exequi.

Attende tamen hac excommunicatione minimè ligari Fautores ſuſpectorum hæreſis: à diuerſis enim non fit illatio; vnde non ſequitur; annodantur excommunicatione Bullæ Cenæ, Fautores Hereticorum: ergo & Fautores ſuſpectorū hęreſis: ſumus in pęnalibus, vbi non fit extenſio. *l. Cū qdā, ff. de Liber. & Poſthu.*

DIFFICVLTAS II.

An peccata S. Officium reſpicientia cæteris alijs extent grauiora.

REſpondeo affirmatiuè, quod ſatis conſtat, tum ratione maioris culpæ; tum maioris infamiæ, quam comparatiuè ad alia delicta, poſt ſe relinquunt, quarum altera in alterius conſequentiam venit.

Patet maioritas culpæ diſcurrendo per ſingula: grauius eſt peccatum hæreſis, ipſiusq; diſſeminatio (cæteris paribus) quàm furtum, homicidium, adulterium &c. attento obiecto contra quod perpetrantur; hinc *Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. nu. 26.* aſſerit nulla crimina coequari hæreſi.

Ob eandem cauſam grauius peccat, qui fert auxilium, aut fauorem ad firmandas hæreſes, quàm ad firmanda, aut fouenda delicta ſecundam tabulam reſpicientia. Blaſphemia itèm hæreticalis, de qua S. Tribunal; collata cū ſimplici, de qua alia Tribunalia, maiorem illa iniuriam Deo irrogat.

Prætereà grauius peccat (cęteris paribus) q init pactū tacitū, vel expreſſum cū Dęmone; vt regulr habent ſuperſtioſi diabolici, vz. Malefici, Venefici, Sortilegi, Magi &c. quam habere pactum cum Latrone, Homicidiario, Adultero, &c. ob allatam rationem.

Denique ſceleſtius eſt offendere Dei Miniſtros, & præcipuè eos, qui immediatè defendunt eius partem, quales ſunt omnes, & ſinguli Coadiutores S. Tribunalis; quàm offendere, vel perſequi Curiæ temporalis Miniſtros, cæteris tamen paribus. patet ex diuerſitate obiecti plus, vel minus præſtantioris.

Comprobatur etiam grauitas horum criminum collatiuè ex parte maioris infamię, quam contrahunt: nam longè diffamatur apud homines Hæreticus, quam latro, homicida, adulter &c. item Fautor Hæreticorum, quam Fautor ſumentiū vindictam de inimicis ſuis; idem patet de alijs, & maximè de Maleficis, Veneficis, Magis, Sortilegis &c. qui communitèr habentur fęces terræ. Sumus in claris.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An in dubio facti à caſibus Edicti Confeſſarius abſoluere poſſit.

RAtio difficultatis eſt, quia caſus in dubio facti reſeruatus non eſt reſeruatus. DD. communitèr, ſed in primis *Sà ver. caſ. reſer. nu. 5.*

Reſpondeo, quòd quamuis circa quatuor vlti-

vltimos caſus S. Tribunal reſpicientes;ſi illorũ patrator non habeat errorem in mente;procedat illa regula DD. vniuerſalis, vz. caſus in dubio facti reſeruatus, non eſt reſeruatus; fallit tamen circa primum, & ſecundum caſum S. Tribunalis, .s. circa hæreſim, & èius fautoriã, credentiam, receptionem Hæreticorum &c. de quibus Bulla Cęnæ; quia in ſpecie diuetitũ eſt per Decretum S. Congreg. ſuper caſus reſeruatos,incipit, *Sacra Congregatio*, vbi expreſsè habentur hæc verba, vz. nec ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè contentis in Bulla Cęnæ abſoluere audeat .s. Confeſſarius.

Verùm hæc intelligas,nõ quatenus exiſtunt caſus S. Officij, ſed prout ſunt contenti in dicta Bulla, quod dicitur; quia differt hęreſis, & Fautoria, de quibus Bulla Cęnæ ab hæreſi, & Fautoria, de quibus Sanctum Officium; quia qua caſus Bullæ reſpiciunt forum internum .s. Sacramenti: qua verè caſus Edicti forum externũ: itèm quia,qua caſus Bullæ reſpiciunt abſolutionem: qua verò caſus Edicti denunciationem.

DIFFICVLTAS II.

An Regulares virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere poſſint à caſibus contentis in Edicto Dominorum Inquiſitorum.

NON eſt hìc ſermo,ſi poſſint abſoluere ab excommunicatione, de qua Edictũ; quia de illa dictum eſt ſupra *Lib. 7. diſt.* 1. ſed q̃r an abſoluere poſſint à criminibus, de quib. facit mẽtionem Edictũ. Refert *Diana tract. de Abſolutione ab hæreſi, reſol.* 8. opinionem ſuſtinentium partem affirmatiuam, dempto caſu hæreſis formalis, aliorumq; criminum,de quibus Bulla Cęnæ; rationem aſſignat *Trullench. in Exp. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 6. *nu.*4. quia Regulares abſoluere poſſunt à quibuſuis peccatis, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis (demptis illis ſex) de quibus Declaratio Sac. Congr. ſuper caſus reſeruatos: & item dẽptis caſibus, & cenſuris Epiſcopalibus.

Horum ratio eſt, quia,cum abſoluere poſſint à reſeruatis Papæ: poterunt etiam à contentis in Edicto, ita *Freitas in Addit. ad tract. de Confeſſ. ſolicit. Roder. Achuna quæſt:*21. *num.* 31. *Zambellus in Repert. caſuum conſcientiæ ver. Confeſſor nu.* 13. ego autem non probo argumentũ ſupradictum: quia ſæpè conceditur maius, & negatur minus: v.g. conceduntur Regularibus caſus Papales,& tamen nõ conceduntur Epiſcopales, vt notum eſt; ita in propoſito, licèt concedantur Regularibus pro foro Sacramenti Pœnitentię caſus Papales;non ſequitur concedi ipſis pro eodem foro caſus,de quibus Edictum, ſi reſeruentur in Tabella Epiſcop., vnde ſi *Trullench*, & alij intelligant Regulares poſſe abſoluere ab excommunicatione, præmiſſa denunciatione à pęnitentibus: aut quod poſſint in eodem foro à quibuſdam excommunicationibus reſpicientibus S. Officium non reſeruatis; ſto cum illis; immo addo non ſolùm Regulares priuilegiatos;ſed quemlibet Confeſſarium abſoluere poſſe; quia, vt alibi notauimus, & patet ex Edicto; dicti caſus Inquiſitori non reſeruantur: ſed benè ipſi reſeruatur excommunicatio ob omiſſam denunciationem Denunciandorum. vide quæ dixi *Lib.* 5. *de Denunc. in ſpecie diſt.* 1. *art.*1. *diff.*1. *in fine,& diſt.*4. *art.*3. ſi verò caſus,ſeu crimina, de quibus Edictum, reſeruentur in Tabella Epiſcopali; non poſſunt abſolui,niſi ab habente facultate ſuper dictos caſus reſeruatos.

Comprobatur veritas,quia,vel Regularibus conceſſum eſt, vt à dictis caſibus abſoluant in foro exteriori, aut interiori .s. in Sacramento Pęnitentię: ſed neutrum iſtorum eſt dicendũ; non in foro exteriori; quia sìc Inquiſitorum forus confunderetur,quod non eſt dicendum; nec in foro interiori; quia Inquiſitorum forus non eſt interior; ſed ſolùm exterior, vt concorditèr tradunt Doctores, ſed præcipuè *Eymericus in Direct. Inquiſ.* 3. *par. nu.* 59. *vbi Pen. Comment.* 12. *& quæſt.* 122., *vbi idem Pen.* 171. quod notat *Caſtrus Palaus tract.* 4. *diſp.* 41. *§.*6. *num.* 3. & in hoc foro interiori,ſeu Sacramenti Pęnitentiæ reſeruantur Ordinario.

Verùm, ſi aliqui ex illis non ſint in Tabella Epiſcopali reſeruati;ab illis abſoluere poſſunt: ſed non vi alicuius Bullæ, nec priuilegiorum Mendicantibus conceſſorum: ſed quia ablata ſunt impedimenta, ſcilicèt,excommunicatio, reſpectu ſubiectorũ excõmunicationi:& itèm reſeruatio reſpectu caſuum in Epiſcopali Tabella exiſtentium.

DISTINCTIO SECVNDA, De hæreſi comparatiuè ad alios caſus Edicti, & extra Edictum.

Circa quam tres formantur articuli.

Primus ponit diſtinctionem inter primum, & reliquos caſus Edicti.

Secundus reſpicit comparationem hæreſis ad reliquos caſus Edicti.

Tertius facit comparationem inter Hæreticos, & alios facinoroſos.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An primus caſus S. Inquiſitionis, nimirum hæreſis diſtinguatur à primo Canone Bullæ Cęnæ, quæ itidem eſt hęreſis,tàm in ſe conſideratus, quàm comparatus ad excommunicationem.

RESpondetur affirmatiuè, conſtat primò, in ſe .i. ratione ſuæ eſſentiæ: quia ad hæreſim,de qua Bulla Cęnę requiritur neceſſariò error in intellectu: cum ibi reſeruetur præcisè hæreſis formalis, vt communitèr tradunt Doctores: ad hæreſim verò,de qua Edictum S. Inquiſitionis mini-

minimè requiritur error in intellectu; cuius ratio eſt; quia in hoc non ſolùm eſt ſermo de hæreſi formali, vz. quæ eſt coniuncta cum errore intellectus, ſed etiam de illa, quæ eſt abſq; illius errore cótra Arſenale Inquiſitorũ circa principium; qui enumerans caſus S. Inquiſitionis, ſolummodò mentionem facit de formali; patet primò; quia ſi in Edicto tantùm foret locutio de formali; nullus eſſet apud S. Tribunal denunciandus, niſi ipſe prius Denunciaturo declararet ex errore in mente perpetraſſe hęreticale factum, vel dictum: quod abſurdũ eſt. Secundò hæreſis, de qua Bulla Cænæ reſpicit primariò Hæretici abſolutionem in foro Sacramenti Pęnitentiæ, & per accidens .ſ. ratione illius manifeſtationis, & delationis ad S. O. reſpicit abſolutionem in foro fori, ac illius punitionem; & ſic tantùm ex cõſequenti: illa verò primi caſus Sancti Officij è contra reſpicit primariò denunciationem, abſolutionem in foro externo, & punitionem: ex conſequenti autem abſolutionem ſacramentalẽ: ex his patet non fruſtra tàm in Bulla, quàm in Edicto agi de hæreſi. Diſtinguitur etiam hæreſis, de qua Bulla, & de qua primus caſus Edicti quo ad excommunicationem. Nam ad incurrendum in excommunicationem Bullæ Cænæ plures requiruntur conditiones, quàm ad incidendum in excommunicationem, de qua primus caſus S. O.

Ad incidendum in excommunicationem Bullæ Cænæ quatuor conditiones copulatiuè requiruntur. Dico copulatiuè: nam plura, vbi ſimul copulantur eſſentialitèr ad aliquid; omnia concurrere debent, aliàs impoſſibile eſt illud eſſe. ita *Meda in Comment lib. 2. Ariſt. Poſter. Analyt.* & facit iuris regula, nimirùm, ad veritatem verborum copulatiuè prolatorum, requiritur concurſus omnium copulatorum, *l. Si Hæredi plures, ff. De Conditionib. inſtitut.*

Prima conditio eſt hæreſis formalis.

Secũda, vt exterius ſignificetur ſufficientèr hæreſis interna.

Tertia, vt actio externa, per quam hæreſis interna ſignificatur, mortalitèr mala ſit; quare ille non incidit in excommunicationem; qui prodit hæreſim internam gratia conſilij, aut inſtructionis.

Quarta, vt manifeſtetur animo illam aſſerendi, vel profitendi. ita *Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 13. qui alios citat.*

Cæterùm ad incidendum in excommunicationem, de qua primus caſus Edicti, tres tantummodò requiruntur conditiones.

Prima eſt dictum, vel factum hæreticale externum.

Secunda eſt, vt actus iſte exterior ſit de ſe malus: & mortalis ſecundum operis externi quantitatem.

Tertia eſt, vt Reus exiſtat ſub Arreſtatione, aut Carceribus Inquiſitoris. faciunt tradita à *Sanchez in Opere Morali lib. 2. cap. 8. num. 7.*: ratio verò diſcriminis petenda eſt tum ex diuerſitate obiecti vtriuſque hæreſis, vt ſupra viſum fuit; tum ex diuerſitate modi procedendi in foro Sacramenti à modo procedendi in foro fori: ibi Confeſſarius ſequitur veritatem: hìc verò Iudex ſequitur præſumptionem.

Verùm, quia contingit Hæreticus formalis .ſ. ſimul internus, & externus incidere in manus Iudicis Fidei; in tali caſu, dum ab ipſo Iudice abſoluitur externè à dicta excommunicatione; abſoluitur quoque ab alijs excommunicationibus, quibus ligantur Rei, & maximè Hæretici in S. Tribunali exiſtentes, vt dictum fuit ſupra *Lib. 7. diſt. 2.*

DIFFICVLTAS II.

An differant hæreſis, & propoſitio hæretica: item infidelitas ab hæreſi.

RESpondetur affirmatiuè: comparantur .n. ad inuicem, vt inferius & ſuperius: nam quidquid eſt hæreſis, eſt propoſitio hæretica, ſed non è contra: quoniam propoſitio hæretica eſt fidei contraria, ſiue ſit cum pertinacia aſſerta, ſiue non: hæreſis verò ſemper eſt cum pertinacia: vnde hæreſis denominat hominem hæreticum; quia reperitur cũ pertinacia, quæ eſt in ſubiecto eam aſſerente: propoſitio verò hæretica ſolummodò de poſſibili poteſt eum talitèr denominare .ſ. quando fuerit coniuncta cum pertinacia. ita ex *Capuleo ſuper prim. ſent. D. Bonau. diſt. 27. quæſt. 4. puncto vnico circa medium.*

Differt item infidelitas Iudæorum, & Gentilium ab infidelitate Hæreticorum: nam ad infidelitatem tàm Gentilium, quàm Iudæorum non requiritur Baptiſmus: quod ſecus eſt ad infidelitatẽ Hæreticorũ; ad quam præter pertinaciam requiritur Baptiſmus: propterea error Iudæorum, & Gentiliũ, quo falſo putant Chriſtum Redemptorem noſtrum non eſſe verum Deum, quamuis ſit infidelitas: non tamen eſt hæreſis ob aſſignatam rationem .ſ. ob carentiam dictarum conditionum .ſ. Baptiſmi, & pertinaciæ inſimul copulatiuè requiſitarum. *Capuleus loc. cit.*

DIFFICVLTAS III.

An diſtinguatur hæreſis à blaſphemia hæreticali, vide infra Part. 4. lib. 13. diſt. 1. art. 2. diff. 1.

DIFFICVLTAS IV.

Hæreſis formalis, in quibus differt ab alijs caſibus S. Tribunalis.

REſpondetur primò differre, quia ad incidendum in hæreſim requiritur error in mente: ad incidendum verò in alios quinque minimè requiritur; patet diſcurrenti per ſingulos.

Patet reſpectu ſecundi, v. g. fautoriæ ad quã incurrendam ſat eſt, vt quis faueat hæretico, vt tali, minimè requiſito errore in mẽte Fautoris.

Patet reſpectu tertij: nam multi ſunt verè

Male-

Malefici, Venefici, Magi, Sortilegi &c. qui tamen nullum habent errorem in mente contra fidem.

Patet idem reſpectu quarti, .s. Blaſphemantium hæreticalitèr, qui regularitèr ſunt ſani in fide, & abſoluuntur à Pœnitentiarijs; licèt careant facultate abſoluendi ab hæreſi.

Idem conſtat reſpectu quinti .s. offendentium Miniſtros S. Tribunalis, aut eidem reſiſtentium; qui regularitèr non ob hæreſim formalem: ſed ob odium in Miniſtros S. Officij: aut ob priuatam inimicitiam hoc præſtant. idem denique patet reſpectu legentium, aut retinentium libros Hæreticorum continentes hæreſes: aut tractantes de religione: cum ſæpè illos legant pręcisè ob curioſitatem: vel retineant ob incuriam purgandi eorum Bibliothecas. Secundò differunt, quia ad hæreſim formalem non requiritur opus ad extra, ſed ſat ſignum ſufficientèr deſignans errorem mentis: in alijs verò caſibus non ſat eſt ſignũ, ſed requiritur neceſſariò externum factũ, aut dictum: patet inductione. In fautoria hęreticorum non ſatis eſt ſignum illis fauendi; ſed requiritur actualis fauor externus; cuius tamen fauoris non requiritur, vt ſequatur effectus ſecundum probabiliorem ſententiam: v. g. vt quis ſit Fautor Hæretici; non requiritur, vt Hęreticus domi exceptus ad effectum, vt non capiatur à S. O. fuerit captus; ſed ſat eſt, vt exceptus fuerit motiuo hæreſis. Verùm attende, quæ infra *lib. 14. Diſt. 2. Art. 1. diff. 5.* In ſuperſtitione item diabolica non ſatis eſt ſignum patrandi ſortilegia, maleficia &c. ſed requiritur opus ſaltem attentatũ: nam ſignum, vel voluntas non ſufficit, vbi opus eſt facto, *c. 1. de eo, qui mittit in poſ.* In blaſphematore etiam hęreticali non ſufficit incepiſſe proferre maledictum contra Deum, ſi poſtea aduertens ſe continuit, antequam illud impleret euomere.

Item non ſufficit, vt quis dederit ſignum externum peruerſi animi in Miniſtros S. Tribunalis, ſi defuit factum, aut dictum. Demum nõ ſat eſt N. procuraſſe habere, vel legere libros, de quibus Edictum, ſi non legit, nec retinuit. Tertiò differunt, quia in primo caſu diſſeritur de eſſentia rei, .s. de hæreſi: in alijs verò de accidenti .s. de ſapore, aut odore ipſius .i. de dicto, vel facto hæreticali: quemadmodum itaque aliud eſt venenum, aliud venenatum: ita aliud eſt hæreſis: aliud factum, aut dictum hęreticale. Verùm quique iſtorum grauitèr peccant: nam tàm dicta, quàm facta hęreticalia non carent, vt plurimùm ſcandalo, nec culpa. Quarto differunt, quia omnis hæreſis iure definita dicitur manifeſta, *cap. Erit autem lex diſt. 4.* factum verò, vel dictum hęreticale non eſt neceſſe, vt ſit manifeſtum; id .n. iudicialibus probationibus reſultat ad notata in *cap. Excommunicamus, §. Adijcimus, de Hæreticis, cap. 1. De Offic. Delegat. Roder. Achuna de Confeſſ. ſolic. quaſt. 4. num. 48.*

DIFFICVLTAS V.

An hæreſis collatiuè ad alia peccata S. Tribunal reſpicientia maiorem inuoluat culpam.

RESpondetur diſtinctione ſic. Tribus modis poteſt conſiderari vnum quodque delictum, de quo Edictum. Primo modo quatenus eſt ſub proprio actu; & ſic pernicioſior eſt actus Hæretici dogmatizantis omni alio actu: cum hęreſis nedum vt alia peccata inficiat animam, ſed etiam ſerpat vt cancer.

Secundo modo prout delictum eſt in ſua propria eſſentia; & hoc modo etiam hęreſis eſt alijs criminibus grauior; cùm inuoluat maiorẽ culpam, maioremq; receſſum à Deo.

Tertio modo, prout .s. cætera delicta S. Tribunalis interdum cõiunctam habent hęreſim in mente Delinquentium; & ſic è contra dicendum eſt .s. quod ſingula alia delicta, de quibus Edictum ſunt grauiora ipſa hæreſi; cum ſupra ipſam aliquam addant malitiam.

Secundus caſus addit ad hæreſim, fauorem.

Tertius addit diabolicam ſuperſtitionem, v. g. maleficium, veneficium, incantationem, faſcinationem, pactum cum Dęmone explicitum, vel implicitum &c.

Quartus addit irrogationem iniurię in Deũ.

Quintus ſuperaddit offenſam in Miniſtros Inquiſitionis, vel iniuriam in S. Officium.

Sextus denique ſuperaddit lectionem, aut retentionem librorum, de quibus Edictum, peccaminoſam. faciunt tradita à *Sprenger in Malleo Maleficiorum par. 1. quaſ. 2.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An peccatum Hæreticorum peccato Homicidarum, Furum, Adulterorum &c. ſit pernicioſius.

RESpondetur affirmatiuè, cuius ratio eſt, quia Chriſtiana pax eſt duplex: vna Eccleſiaſtica, quę cõſiſtit in vnitate fidei, & Sacramentorum, *Ephe. 4. vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma*: altera politica; quæ conſiſtit in externa iuſtitia, & tranquillitate: vtrãq; turbant Hæretici: alteram tantum homicidæ, fures, adulteri &c. ergò Hæreticorum peccatũ eſt pernicioſius, quàm peccatum Homicidarũ, Furum, Adulterorum &c.

Turbant (inquam Hęretici) primò quidem, ac per ſe pacem Eccleſiæ: deinde ex conſequenti turbant pacem Reipub. quæ ſine vnitate fidei conſeruari nõ poteſt: Vbi enim publica animorum diſſenſio; ibi publica pax eſſe non poteſt. Teſtantur exempla vetera, & noua. Arriani turbarunt totum Orientem. Macedoniani Gręciam: Donatiſtæ, & Circumcelliones Aphricam: Ichonomachi, & Albigenſes Romanum Imperium: Huſſitæ Bohemiam: Caluiniſtę Angliam, Galliam, Belgiã, Poloniam &c. Res nota eſt omnibus.

Nec mirùm, nulla vnquam familia fuit; in qua diſſentiens religio pacem non turbarit; patet ex diſcordia inter Iſaac, & Iſmaelem in familia Abrahę: inter Iacob, & Laban in Meſopotamia: inter Moyſen, & vxorem eius Sepho-

Sephoram, dum irent in Aegyptum; cuius ratio eſt, quia vbi hereſis, ibi ſuperbia; vbi autem ſuperbia, ibi diſſentio; quę exindè ſequitur etiam inter magis coniunctos; cõſtat, qui olim coniunctiores quam Iudæi, & Iſraelitę? fratres erant; at poſtquam altare contra altare: templum contra templum extructum eſt; mox inexplicabili odio diſſociati ſunt. faciunt, quę tradit *Beccanus de Controuerſijs huius temp. lib.* 5. *cap.* 15. *per totum*.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An ſit diſcrimen inter Hereticos, & alios criminoſos, de quibus Edictum quo ad denunciationem.

Reſpondetur affirmatiuè: nam Hęretici .s. publici ſunt denunciandi à quolibet, qui eorũ hęreſim nouit; quamuis ſub iuramento, vel ſecretò promiſerit illos minimè reuelaturos (excepto confeſſionis ſacramentalis) item licèt ſint coniuncti etiam in primo conſanguinitatis, aut affinitatis gradu, ſi actu hęreſim diſſeminent: bono enim publico omnia veniunt poſtponenda, vt ex communi teſtantur DD.

Cæterùm alij criminoſi non adeò rigorosè veniunt denũciandi; ſed ponendum eſt diſcrimen inter coniunctos conſanguinitate, aut affinitate ab his, qui non ſunt tales: nam primis non denegatur, quin fraternè corripiant ſuos coniunctos; licèt crimen ſit publicum, & adhuc non emendatum, antequam deueniant ad iudicialem denunciationem: quod negandum eſt reſpectu aliorum minus coniunctorum; qui ſolùm in quibuſdam caſibus poſſunt præmittere denunciationi correptionem fraternam, vt in occultis: & iam tàm certò emendatis, vt nullatenus dubitetur &c. *Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 197. § 2. *nu.* 52. quem ſequitur *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 13., qui, cum loquatur de certa Hæreticorum emendatione; à fortiori procedit ratio in alijs (cæteris paribus) minus criminoſis, quales ſunt pręcisè de hęreſi ſuſpecti. Dixi, ſi certò conſtet; quia in dubio veniunt denunciandi: nam poſſeſſio ſtat pro Edicto, quod obſeruare tenemur.

Dices Edictũ pręcipit denunciationem nedum exiſtentium de pręſenti obſtrictorum delictis S. Officij; ſed etiam illorum, qui iam fuerant, & adhuc non ſunt denunciati; quod patet ex text. ergo videtur denunciandos eſſe illos, etiam, quod emendati exiſtunt.

Reſpondeo eſſe quidem denunciandos, ſi certò non conſtet eorum emendatio, vt notat *Royas de Singul. fidei, ſing.* 3. *nu.* 32. quòd ſecus eſt, ſi conſtet; ſicut enim ſe habet oppoſitum in oppoſito; ita propoſitum in propoſito.

Vrgebis Edictum ordinari ad punitionem maleſactorum, non autem ad gratiam, concedo; ſed venit intelligendum reſpectu eorum, qui iam denunciati extiterunt, quibus emendatio minimè ſuffragatur; nam poſita denunciatione proſequitur S. Officium vſque ad diffinitiuam ſententiam: non autem de illis, qui non ſunt adhuc denunciati; & omninò certum eſt eſſe occultos, & emendatos.

Inſtabis fortaſſe nec publicos tranſgreſſores in caſibus S. Officij eſſe denunciandos, quando conſtat de eorum emendatione; quia ceſſat omnis motus habito termino .s. acquiſita ſanitate, & prouiſo Reipub. malo. Reſpondetur primò, quod quamuis vi iuris naturæ ceſſet obligatio denunciandi ob dictam rationem: tamen ex vi iuris poſitiui .s. Edicti adhuc perſeuerat. faciunt quæ docet *Suarez de Fide, diſp.* 20. *ſect.* 4. *nu.* 13. *Simancas de Inſtit. Cath. tit.* 19. *nu.* 12. ratio eſt, quia quamuis ſatis prouiſum ſit occultæ plagę per integram ſanitatem infirmi: tamen non ſatis prouiſum eſt hoc modo plagæ publicè: requiritur .n. vt ſicut offenſa nocuit publico; ita medicina illi proſit; quod ſit publicè puniendo delictum, ne defectu punitionis ſuccreſcant mala.

Aliud aſſignatur diſcrimen inter primum caſum S. Officij, & reliquos, nempè, quòd præcisè veniunt denunciandi ſuſpecti de Hęreſi .s. Fautores Hæreticorum, Superſtitioſi, Blaſphemi hęreticales, Offendentes Miniſtros S. Officij, aut ei reſiſtentes, &c. ſuſpecti verò ſuſpectorũ .s. minimè ſunt denunciandi, aliòquin daretur proceſſus in infinitum in denunciatione: Vnde, ſi non venit denunciandus ſuſpectus de blaſphemia, ſed requiritur vt blaſphemauerit. ſi non venit denunciandus ſuſpectus de vindicta contra Miniſtros Sancti Officij: ſed requiritur, vt offenderit, aut reſtiterit S. Tribunali in ſpectantibus ad eius conſeruationem, augmentum &c. à fortiori non venit denũciandus, qui benè facit Blaſphemo hæreticali, Sortilego diabolico, Offenſori Miniſtrorũ S. Officij, aut Lectori, vel Detentori librorũ quouis modo prohibitorũ: Verũ Benefactores huius farinæ hominũ accuratè attẽdant; quod tametſi non veniant denũciandi, ex hoc, quòd iſtis benefaciũt; cum ex alijs motiuis, quam ex illis, quæ deduci poſſunt ex illorũ perdita vita, illos beneficijs proſequi poſſint: tamen ſi alio fine, quam vt illos ad cor conuertant, vel vt prouideant eorum naturæ, infirmitati, paupertati &c. ſuccumbenti; non parum propriæ famę nocent: nam quid communicabit cacabus ad ollam: cum .n. quiſque ſibi ſimili libentèr cohereat; videntur ex beneficijs, & cõmunione cum illis, quod ſapiant de eorum erroribus iuxta vulgatum illud prouerbium: Graculus graculo. Elephans non capit, nec comitatur, nec proſequitur muſcas: Qualis quiſque eſt, tales vult ſocios: & quemadmodũ ex lingua dignoſcitur quiſque ex cuius natione exiſtat; ità ex conuerſatione intrinſeca cum malis cognoſcitur quiſque, cuius ſit conditionis, vel cupiat eſſe: niſi ex longa experientia; perfectaq; vita talitèr conuerſantis, aliud prudentèr colligi poſſit.

DISTINCTIO TERTIA.

De hæreſi S. Tribunali denuncianda.

Tex. *Commandiamo &c. che debbano al S. Officio di queſta Città riuelare &c. quelli che &c. ſiano Heretici.*

Diſtinguimus autem hanc in quinque articulos, quorum

Primus tangit qualitates hæreſis denunciandæ.

Secundus oſtendit ſub quo periculo tenemur denunciare Hæreticum dogmatizantẽ.

Tertius demonſtrat, ſi filius patrem Hæreticum denunciare teneatur.

Quartus deſignat qualem obligationem habeat Confeſſarius, cui ab Hæretico inter confitendum ſuadetur hæreſis.

Quintus oſtendit an Hæretico correptio fraterna ſit facienda. Singuli autem articuli huius diſtinctionis, vnica abſoluuntur difficultate.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Qualis ſit hæreſis S. Tribunali denuncianda.

NOtandum, quòd hæreſis diuiditur in internam tantùm: externam tantũ, & internam, & externam ſimul. Interna tantùm dicitur illa, quam quis mẽte retinet nullo ſigno ipſius exterius oſtenſo. Externa tantùm dicitur illa, quam quis oſtendit agendo aliquid contra fidem abſq; errore in intellectu, vt cõculcando, quod Deus auertat, Sacramentum venerandum. Interna, & externa ſimul eſt illa, quam quis non ſolùm retinet mente, ſed etiam ſigno exteriori demonſtrat; vt cum quis non credendo verè Sacramentum, illud pedibus terit.

Hæreſis merè interna non venit, nec poteſt denunciari vllo Tribunali, vt de ſe notum eſt; nam probari non poteſt, nec eſt probabilis; cũ nullum ipſius ſignum cadat ſub ſenſibus. Cæterùm externa tantùm: & externa, & interna ſimul venit S. Officio denuncianda. De externa, & interna ſimul, cum ſit formalis, nullũ extat dubium. De externa etiam ſatis conſtat per hoc, quòd S. Officium in præſumptione fundatur; aliòquin videns factum hæreticale: vel tale verbum audiens minimè obligaretur ad denunciationem, quòd non eſt dicendum.

Verùm, ſi denunciaturus ſatis dignoſceret factum, vel dictum hæreticale ex ſola ſimplicitate, ignorantia, aut inaduertentia procedere; non teneretur Reum deferre, niſi habita correptione illam reſpueret.

Obſeruandum eſt autèm latum intereſſe diſcrimen inter hæreſim externam tantùm, & externam, & internam ſimul; nam qui deturpatur hęreſi tantum externa, eſt ſolummodò de formali ſuſpectus: ſed non formalitèr talis .s. Hæreticus, qui verò fœdatur externa, & interna ſimul; eſt verè Hæreticus; cum habeat errorem in intellectu, & pertinaciam in voluntate, quæ ſunt qualitates Hæretici formalis potiſſimum denunciandi iuxta commune Doctorum placitum.

Sciendum inſupèr nõ modicum diſcrimen eſſe inter hæreſim per accidens occultam, & hæreſim intrinſecam: nam occulta per accidens non poteſt probari ex teſtium carentia; cum nemo adſit, qui eam percipiat; ſed tamen eſt probabilis de ſe, .i. ex natura ſua; quia ad actus externos proceſſit: vt ſi quis in vaſta ſolitudine ſolus exiſtens hæreſim proferat, quam mente tenet.

Dicitur occulta per accidens ad differentiã occulte per ſe, & abſolutè, quod nihil habet, vnde ab hominibus cognoſci poſſit .i. cognitioni ſenſitiuæ ex ſua natura non ſubditur; cuiuſmodi ſunt actus mentales, qui nec voce, nec ſcripto, nec opere ad extra prodeunt. Eſt doctrina *Caiet. 2.2. quæſt. 11. art. 3. & 4. Tabienæ ver. Excommunicatio, 5. caſ. 4. §. 4. Syluef. verb. Excommunicatio, 7. excom. 2.* Hęreſis verò intrinſeca, ſeu merè interna idem eſt, ac occultum per ſe, de quo ſupra; & propterea illa per accidens occulta venit S. Tribunali denuncianda: hæc verò per ſe occulta, ſeu intrinſeca minimè: quia non cadit ſub iuriſdictione Eccleſię, quæ actus merè internos non iudicat, ſed ſolũ eſt ſub iudicio Confeſſarij.

Vlterius obſeruandum eſt ſigna, ſiue nutus, qui poſſunt manifeſtare internam hereſim eſſe in duplici differentia: nam alij inſufficientèr illam manifeſtant; alij verò ſufficientèr: ſufficientèr, vt ſi Hæretico propoſita Catholica propoſitione: ex. gr. Chriſtus eſt homo, ſtatim caput in alteram partem deflectat: inſufficientèr verò, ſi ille incipiat librum legere.

Itidem eadem prorsùs diſtinctio tradenda eſt de verbo: nam aliud ſatis deſignat hęreſim, aliud verò non: Nunc ad propoſitum dico, quòd tantummodò venit Iudicibus fidei deferenda hęreſis coniuncta ſigno, verbo, aut opere ſufficientèr manifeſtante hæreſim.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Hæreticum dogmatizantem ſub imminenti periculo, v. g. vitæ, facultatum &c. denunciare teneamur.

REſpondeo affirmatiuè, quia damnum publicũ, quale eſt huiuſmodi; magis vitandum eſt, quam priuatum: affert autem diſſeminatio hęreſis damnum publicũ, quia ſerpit, vt cancer: Vnde tota illa myſtici corporis Chriſti pars, vbi Hæreticus iſte degit; ſubeſt periculo, vt inficiatur. Procedit reſponſio, etiam ſi ſequatur detectio ipſius denunciantis,

ciantis,

ciantis, tanquam complicis; ratio eſt, quia (vt dixi) vtilitas publica priuatæ præferenda eſt, *cap. Bonæ de Poſtulat. Prælatorum*; exigit autem publica vtilitas, vt tollatur de medio Hæreticus diffundens ſuę nequitię virus; ex cuius ablatione reſultat quoque vtilitas priuata, licèt fortaſſe nō illa, quā exigit denunciantis ſenſus; & hoc docet natura ipſa patiens ſecturas ferri cādentis in vno mēbro, vt cōſeruetur corpus.

Vrgebis Edicta S. Inquiſitionis eſſe benignè explicanda, Eccleſiamq; ſuis præceptis non obligare ad denunciationem, cum graui incōmodo dennnciaturi. Reſpondeo verum eſſe, dummodò omiſſio præcepti denunciationis non cadat in perniciē Reipublicæ; cadit autē, vt dictū eſt ſupra, cū hęreſis ſemper ſerpat, vt cancer. faciunt tradita per *Naua. in Man. cap. 25. nu. 10. Auila par. 2. cap. 5. diſp. 5. Bonacina de Cenſ. diſp. 2. q. 6. pun. 1. nu. 2.*

Nec excuſat à denunciatione iuramentum præſtitum de non denunciando huiuſmodi Hæretico: quia ipſum non eſt vinculum iniquitatis: & de re illicita præſtitum, nō eſt obligatorium. *DD. commun. ſed potiſs. Praxis Neap. cap. 2. n. 2. Arſen. S. Inquiſit. part. 10. art. 225.*

Nec obſiſtit reſolutioni denunciationem huiuſmodi Hæretici non poſſe probari: tum quia deſeruiet ſaltem Superiori, vt magis inuigilet; tum quia poteſt eſſe, quod contra huiuſmodi Hæreticum aliæ exiſtant denunciationes, ex quibus à Iudice de facili ad iuris remedia deueniri poterit: quod notat in primis *Lælius Zecchius de Caſ. reſer. caſ. 2. ibi ampliatur.*

DIFFICVLTAS II.

Quæ ſunt qualitates, ex quibus reſultat obligatio ſtatim denunciandi Hæreticum, etiam ſub dicto imminenti periculo: ego has duas aſſigno: Hęreticum formalem publicum non emendatum, & Hęreticum actualitèr dogmatizantem, licèt ſecretum.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An filius patrem in cauſa hęreſis denunciare teneatur.

ALiqui Doctores ita diſtinguunt, vel crimen eſt iam patratum, & in futurum minimè pendet; aut adhuc eſt in fieri, vel ſatis probabile periculum recidiui imminet. Si primo modo non tenetur, eo quod filius vna perſona cum ſuo patre iuris fictione cenſetur: nemo autem ſeipſum vnquam denunciare tenetur, vti concorditèr tradunt Doctores. Quod ſecus dicendum ſi ſecundo modo, quia potius communi bono, quam priuato conſulendum eſt. faciunt tradita per *Farinacium de Hæreſi, quæſ. 197. num. 40. Maſcardum De Probat. concl. 857. num. 18. Bonacina de Onere denunc. diſp. 6. punc. 1. § 3. nu. 6.*

Alij verò ita diſtinguunt: vel hæreſis eſt ſecreta, & ſoli patri nociua; & ſic filius non tenétur, tum ob reuerentiam parentibus debitam: tum quia pater, & filius vna reputatur perſona. *Alenſis par. 3. memb. 4. verſ. 2. Tol. in Summa lib. 5. cap. 1. num. 10.* Vel hæreſis eſt quoque alijs pernicioſa, vtpotè quia Hæreticus alios actualitèr inficit; & ſic ob allatam rationem tenetur ipſum denūciare, accuſare, quinimmò contra ipſum eſſe teſtis: faciunt, quę docet *Say. in Clauis lib. 12. cap. 29. num. 24. Sylueſter, ver. Correctio, quæſito 7. in Inſtit. Cathol. tit. 29. num. 25. Reginaldus in Praxi, tom. 2. lib. 20. num. 26. & Ghiſilerius de Iudice regular. cap. 16 n. 40. & alij.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An Confeſſarius, cui à docto Hęretico ſub titulo confeſſionis perſuadetur aliqua hęreſis ad confeſſionis ſigillum teneatur, vel illum denunciare poſſit.

REſolutio ex probabilibus coniecturis petenda eſt, cum alitèr haberi nō poſſit. Si itaque Confeſſarius coniecerit Hæreticum ad confeſſionem acceſſiſſe animo ſubijciendi ſe clauibus Eccleſiæ, accuſandiq; ſe de peccatis; & interim deprędenderetur animo adhęrere hęreſi; à qua dum ipſe Confeſſarius vellet eum amouere, Hæreticus è contra ſuam defenderet hæreſim; conaręturq; errorem ſuum Confeſſario perſuadere, Confeſſarius ad ſigillum ſacramentale teneretur, tum quia talis confeſſio foret ſacramentalis; quamuis imperfecta, & inualida ob contritionis defectum; & propterea, quæ obitèr in ipſa dicta ſunt, ſub ſigillo Sacramenti veniunt celanda. ita colligitur ex *Soto 4 Sent. diſt. 18. qu. 4. art. 5.* tum quia peccata, quæ in excipienda confeſſione ſacramentali cognoſcuntur; Deo ſunt reſeruata, extraq; humanum iudicium, vti notant *DD. communitèr, & præcipuè Zerola in Praxi Sacramenti Pænitentiæ. cap 20. ibi tertio quæritur:* tum etiam quia tranſgrederetur ius charitatis, & fidelitatis, vti teſtatur *D. Thomas 2. 2. quæſ. 33. art. 7. in corpore, & quæſ. 68. art. 3.* quo fit, vt Confeſſarius à quouis interrogatus de ſcientia alicuius criminis præcisè per exceptionem confeſſionis ſacramentalis ſibi noti; æquiuocatione vti poteſt aſſerendo ſe nihil ſcire, *Syl. ueſ. verb. Confeſſio, 3. §. 5. Nauar. in Manu. cap. 18. nu. 130. Zerola, vbi ſupra. ibi vndecimo quæritur:* in caſu tamen, quod pœnitens actu hæreſes diſſeminaret; præcisè conceditur ipſi Confeſſario; vt admonere poſſit fidei Cenſorem in genere ad vigilandum ſuper gregem ſuum, qui in dies inficitur hæreſi. *Nauar. conſ. 27. De Pænitentia, & Remiſſione.*

Cęterùm, ſi Confeſſarius ſatis euidentèr cōiecturauerit Hęreticum diabolica verſutia ductum acceſſiſſe ad confeſſionem non animo peccata ſua accuſandi; ſed ad ipſum peruertendum; non ligaretur ſigillo cōfeſſionis: quia nullatenùs eſt confeſſio ſacramentalis, nec perfecta, nec imperfecta; & perindè deſtructo fundamento ſigilli, ipſum quoque deſtruitur. faciunt, quæ tradit *Iacob. Simanca de Cathol. Inſtitut. tit. 42. nu. 15. Praxis Neapol. Gennen. cap. 18. nu. 16. Sanchez lib. 2. Oper. Moral. cap. 8. nu. 20. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 3. nu. 15. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæſ. 5.*

Dixi ſi ſatis coniecturauerit: quia, ſi non ſatis, poſſeſſio eſt pro ſigillo confeſſionis ſeruando,

uando, quod ei nullo modo licet aperire, aut frangere: quia nunquàm poteſt tàm graue periculum Eccleſiæ imminere; quo non ſit grauior violatio ſigilli confeſſionis ſacramẽtalis. faciunt, quæ docet *Hoſtienſis lib. 5. de Pœnitentijs, & Remiſſionibus, nu. 53. incipit, In quo tenetur, Albertinus de Agnoſcendis aſſertionibus Catholicis, quæſ. 25. nu. 8. Archidiaconus in cap. Sacerdos, de Pęnitentia, diſt. 6. Martinus Nauarrus in eodem cap. Sacerdos, nu. 119. Ioan. Medina de Pęnitentia tit. de Confeſſione celanda.*

Præterea, ſi liceret tales Hęreticos deferre, à Sacramento Confeſſionis deterrerentur; & proindè pęnitentiam non agerent, nec alios proderent: quod è contra probabilitèr contingere poteſt ſeruato illis integro cõfeſſionis ſigillo: nam ſic Confeſſarij illis prodeſſe poſſunt ſalutari monitione; & ſubindè bono communi conſulere.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An Hęretico ante denunciationem fieri debeat correptio fraterna.

OBſeruo cum *Roderico Acbuna de Confeſſ. ſolicit. quęſt. 18. nu. 1.* circa hãc difficultatem DD. minimè cõuenire; ſed alios affirmare correptionẽ præmittendã eſſe, alios verò negare. Affirmantes, qui primam conſtituunt ſententiam, his nituntur fundamẽtis.

Primum, quia fraterna correptio inter opera miſericordiæ ſpiritualis cõnumeratur, *D. Tho. 2. 2. quæſt. 32. art. 3. Nauar. in Manu. cap. 23. n. 4.*

Secundum, quia *Paulus ad Titum cap. 3.* ita proloquitur: *Hęreticum poſt vnam, & alteram correptionem deuita.*

Tertiũ, quia fraterna correptio præcipitur à Dño in Euãgel. *Si peccauerit in te frater tuus*: à iure naturali, ibi, *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*, quod notat *Sotus de Rat. tegendi ſecret. n. 2. qu. 1. concl. 1.* & à iure poſitiuo, vt obſeruat *Roder. loc. cit. nu. 6. & 7.* ſubdens Edicta denunciationẽ præcipientia intelligi præmiſſa correptione fraterna, omittẽtemq; illam abſq; ſufficienti cauſa mortalitèr peccare, citans *D. Tho. loc. cit. art. 7. ad 5. & Quodlibeto 11. art. 3. & in 4. diſt. 19.* idem ſentit *Peirinus de Priuil. Mendic. to. 2. in Conſtit. 4. Gregorij xv. nu. 6. Graff. prim. part. Deciſ. cap. 69.* Quibus ſi iſtis obijcias D. Tho. non loqui de criminibus S. Tribunal reſpiciẽtibus: negant, dicendo, quòd loquitur in ſpecie de hæreſi, quæ alijs peccatis dicti Tribunalis eſt grauior. Vndè ſi correptio fieri poteſt Hæretico; à fortiori fieri poterit reſpectu aliorum criminum minus grauium, iuxta regulam, ſi de quo minus, & de quo magis.

Quibus ſi inſtes prędictum Doctorem nõ extitiſſe tẽpore, quo S. Inquiſitio vigebat: Reſpondebunt fortaſsè ipſam incępiſſe à tempore S. Dominici, vt ſupra viſum eſt 3. lib. diſt. 1. qui præceſſit pluribus annis D. Thomam, vt de ſe notum eſt.

Verùm nota primò hãc ſentẽtiã, put iacet, his temporibus, in quibus accuratius proſpectum eſt, quid magis conferat ſaluti ãnimarũ, bonoque Reipublicæ, ſeu communi in praxi omittendam eſſe; nota ſecũdò expoſitionem huius ſententiæ, quam colliges intra, ibi, Tertia ſententia; vbi traditur qualitèr ſit intelligendus D. Thom. & Patriciorum Aſſeclæ.

Negantes, qui formant ſecundam, quam probabiliorem graues DD. affirmant, his fulcitur rationibus; prima, quia Hęreticus, qui ex malitia, & non ex ignorantia in fide errat, cenſetur pertinax: *ita Freitas in Additionibus ad Roder. loc. cit. ann. 3. vſque ad 37.*

Altera eſt, quia cum Hęreticus non audiat Eccleſiam; nec particularem corrigentem audiet; quæ ſanè ratio communitèr ab his DD. affertur.

Tertia eſt, quia Chriſtus in Euangelio pręcipiens correptionem fraternam; ſolummodò loquitur (aiunt iſti) de peccatis, in quibus corripientem animæ, & ſaluti correpti hominis conſulere oportet; cum ſint ſolùm cõtra ipſum: non autem de peccatis, quæ vergũt in damnum publicum, qualitèr ſunt regularitèr, quæ in Edicto Sanctæ Inquiſitionis præcipiuntur denũciari. additq; *Roder. loc. cit. n. 39.*

Quarta, quia Hęreticus ſua hęreſi, aut hęreſibus non peccat in fratrem; ſed in Deũ; ideò maiori remedio indiget correptione fraterna; iuxta illud ſcripturæ ſacræ: *Si vir peccauerit in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autèm in Deum, quis orabit pro eo.* idem ſentit *Henriquez de Pęnitentia lib. 4. cap. 13. §. 6. l. 5. Bernardinus de Areaual. in tract. de Correptione fraterna, concl. 2. & alij.*

Tertia ſententia eſt illorum, qui (*teſte Roderico quæſt. cit.*) putant huic difficultati poſſe adhiberi modum ſequendo mediam viam, ſic: aiunt ſolummodò præmittendã eſſe correptionem; quando quis firmitèr ſentit, quòd Hæreticus correptus reſipiſcat ſtatim. Dicitur firmitèr; nam in dubio dicunt Hæretico non eſſe præmittendam; quòd omninò certum eſt.

Hinc ex *Arſen. S. Inquiſ. colligo part. 10. admon. 21.* Hæreticum denunciandum eſſe, lz. emẽdatum, niſi adſit plena certitudo de ipſius emendatione; ſed intellige, niſi eius crimen ſit publicum: quia tunc vi Edicti prorsùs venit Iudici Fidei deferendus.

Dicitur etiam ſtatim, quia ſi aliquod temporis conſumendum ſit in adducendo errantē cum periculo damni publici, ſimilitèr ſtatim denunciandus eſt; dicunt iſti hanc eſſe veram, & propriam opinionem *D. Thomæ 2. 2. quæſ. 33. art. 7. in corpore, Sot. De ratione tegendi ſecretum, memb. 2. quæſ. 4 con. 2. Tolet. lib. 5. cap. 57. Nauar. in Sum. cap. 28. num. 56. & cap. 24. num. 14. & alij*, quod notat *Roder Acbuna de Confeſſ. in confeſſione ſolicit. quæſ. 18. nu. 14.*

Mihi in hac arduiſſima difficultate videtur ex circunſtantijs, quæ hìc, & nunc contingunt, reſolutionem eſſe petendam, & iuxta illas cõtrarias ſententias eſſe conciliandas, vìdeto quæ

ſupra

ſupra tradidi lib. 6. conſulendaq; ſunt, quæ circa correptionem fraternam tàm Hæreticorũ, quàm de hæreſi ſuſpectorum, traduntur in Synodo prima Auguſtini Priuli Epiſcopi Bergomen. celebrata 4. Maij 1628.

DISTINCTIO QVARTA.

De hæreſi quo ad eſſentiam.

Vt ſciat Confeſſarius, quem ex Hæreticis abſoluere poſſit, & quem remittere debeat ad Superiores; ideò dicemus priùs requiſita ad intrinſecum eſſe hæreſis formalis: deindè deſcendemus ad ſpeciales, & præcipuos caſus, in quibus quis videri poteſt Hæreticus formalis: & ſic diſtinctio hæc partitur in tres art. Primus reſpicit eſſentiam hæreſis. Alter verò quoſdam ſpeciales caſus. Tertius ponit diſcrimen inter excõmunicatum ob hæreſim, & alias cauſas.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Vt quis propriè ſit Hæreticus quot requiruntur?

REſpondeo tria requiri. Primum eſt Baptiſmi ſuſceptionem, vt.s. homo ipſum ſuſceperit.

Alterum eſt error in intellectu, tanquam materiale.

Tertium verò eſt pertinacia in voluntate, tamquam formale. ità colligitur ex communi DD. ſententia.

Verùm ſciendum eſt, quòd quemadmodũ fides prætèr intellectus aſſenſum; requirit etiã quandam piam voluntatis affectionem, quæ mouet ipſum intellectum ad aſſentiendum reuelatis, & facit promptitudinem in ipſo ad aſſentiendum, vt communitèr tradunt Theologi; ſic hæreſis præter errorem intellectus requirit etiam prauam affectionem in voluntate; cum hoc tamen diſcrimine, quòd fides magis cõſiſtit in aſſenſu intellectus, quam in affectione voluntatis: Hæreſis verò magis cõſiſtit in praua affectione voluntatis, quàm in errore intellectus: Vnde, qui aſſentit falſitati; quia .s. putat eſſe contra fidem, Hæreticus eſt; è contra verò, qui bona fide aſſentit falſo; quia putat eſſe verùm, & ſecundum doctrinam Eccleſiæ; non eſt Hæreticus, vide infra diff. 2. item art. 2. diff. 1.

Pertinax (ad propoſitum hęreſis) nõ dicitur quis pcisè ex perſeuerãtia in errore; quia põt fieri talis in breuiſſimo tẽpore; ſed dicitur, ẽt, & eſt in facto pertinax; quia potius vult proprio ſenſui adhærere, quam determinationi Eccleſiæ Cathol. quæ errare non poteſt: fit itaque pertinax, ſi non reſipiſcit ſtatim, vt cognoſcit aſſertum, vel negatum à ſe eſſe contra determinationem Eccleſiæ: & parum refert, quod pertinacia ſit contra determinatum ab ipſa de fide immediatè, vt ſunt articuli fidei, aut mediatè; vti ſunt ea, quæ habentur in Sacra Scriptura: & omnia alia, quæ de fide decreuit credenda; Quemadmodum enim alia immediatè ad fidem pertinent: & alia mediatè; ita quæ ad hęreſim ſpectãt, alia immediatè opponuntur propoſitionibus de fide immediatis; alia verò ſolùm mediatè.

Verùm notandũ, quòd ſæpè ſæpius cõtingit ex negatione propoſitionis de fide mediatè, vt quis neget conſequentèr immediatam: ex. gr. qui negat Chriſtum eſſe riſibilem, quæ eſt de fide mediatè; negat conſequentèr Chriſtum eſſe hominẽ, quæ eſt immediatè de fide: nam negata riſibilitate negatur humanitas, à qua neceſſariò deriuatur: ex oppoſito .n. conſequentis ſequitur oppoſitũ antecedentis: eſſet itaque Hæreticus, qui negaret Chriſtum eſſe riſibilem; non minus ac ſi negaret Chriſtũ eſſe hominem: vtranque enim propoſitio eſt de fide, licèt vna immediata, altera mediata.

DIFFICVLTAS II.

An ad hęreſim neceſſariò requiratur error in intellectu ſimul materialitèr, & formalitèr, vel ſufficiat formalitèr?

REſpondeo, quod non requiritur, vt in intellectu ſit error materialitèr, nempè, vt credat aliquid eſſe contra fidem Catholicam, quod non eſt; ſed ſufficit error formalis .s. error putatus: v. g. Petrus putans aliquam propoſitionem eſſe contra diffinitionem Eccleſiæ; illi aſſentitur, quamuis de facto non ſit; immo quamuis à parte rei eſſet articulus fidei, & ab Eccleſia tanquam talis definitus. patet in ſimili de mendatio, circa quod, ſi quis putet falſum eſſe; quod aſſerit; quamuis à parte rei verum ſit; nihilominus mentitur. ita *Bannes 2. 2. quæſ. 11. art. 2. Corol. 3. Henriquez lib. 3. Sum. cap. 17. §. 3. Say. lib. 3. Theſau. cap. 4. n. 14. & alij apud Boſſ. De Priuil. Iubilæi, ſect. 1. caſ. 10.* §. 4. *num.* 82. contra nonnullos, quos citat vbi ſupra. Illuſtro rem exemplo. Titius eſt Hæreticus credens Iſaac eſſe Abrahæ filium, quæ eſt propoſitio Catholica; ſi putat Eccleſiam alitèr credere, vel docere; ratio eſt, quia ſua exiſtimatione tenet id, quod credit pugnare cum ſcriptura, & doctrina Eccleſiæ. È contra poteſt quis in Fide Catholica manere credendo propoſitionem minimè Eccleſiæ conſonantem: ex. gr. ſi Idiota credat Angelos eſſe coloratos, habere alas materiales, nutriri cibis corporalibus; quia vidit fortaſſe illos varijs coloribus pictos cum alis in actu diſcurrendi per aera, conuiuandi, citharizandi, exultandi, &c. exiſtimans bona fide Eccleſiam ita tenere, & docere. faciunt allata per *Azor. par. 1. lib. 1. cap. 14. ibi quinto quæritur circa medium*; ratio eſt, quia ignorantia probabilis non ſolùm excuſat à culpa; ſed etiam efficit, vt opus malum ſit bonum, laude, & præmio dignum; quatenus .ſ. eſt bona fide factum. No-

Notandum inſuper,quòd circa res fidei triplex genus hominũ peccat: alij peccant mortalitèr, & ſunt Hȩretici: alij item peccãt mortalitèr, ſed non ſunt Hæretici: alij verò non ſunt Hæretici, nec peccant mortalitèr; ſed ad ſummum venialitèr tantùm: ex. primi generis, vt qui credit aliquem errorem; v.g. animã non eſſe ſubſtantiam ſciens, & aduertens ab Eccleſia Catholica Romana contrarium teneri; ex. ſecundi,vt qui credit dictum errorem ignorans, vel nõ aduertens ab Eccleſia Catholica contrarium teneri;quòd ſi ſciret, & aduerteret, non teneret; hoc tamen pacto,quod tenetur ſcire, & aduertere: v.g. ratione officij; cuius ratio eſt,quia ignorantia iuris,quod quis tenetur ſcire, non excuſat à mortali in re graui; vti ſatis oſtendit *Innocen. De Reg. Iur. in 6.* dũ ſentit Clericos differre à laicis in materia credendi articulos Fidei: ex. tertij,vt homines rudes,ac ſimplices, qui credunt prædictum errorem, neſcientes contrarium ab Eccleſia ſuſtineri: nec obligati ſcire prædictum errorem. ita *Nau. De Eſſentia animæ prælud. 1. nu. 17.*

DIFFICVLTAS III.

Ad hæreſim an requiratur neceſſariò, vt homo per actũ elicitum aſſentiatur errori, ſiue verò, ſiue putato; vel ſatis ſit, ſi ſolùm ſuſpendat aſſenſum rebus Fidei; deliberatè volens dubitare, donec inueniat aliquam rationem, quę ſuo ſatisfaciat intellectui; & coincidit difficultas iſta cum illa, an dubius in Fide ſit Hæreticus.

REſpondetur DD. admodum inter ſe controueſari circa hanc difficultatem. Qui tenẽt ad hæreſim ſufficere, vt ſuſpendatur aſſenſus circa res Fidei; nituntur præcipuè, vt reor, *cap. 1. De Hæreticis,* vbi dicitur, quòd dubius in Fide eſt infidelis. DD. hanc partem ſequentes citat *Sanchez in 2.lib.Decal. cap.7.n.11.* quos breuitati conſulens omitto.

Verùm ipſe *Sanchez loc.cit. cum alijs,* videlicèt cum *Cano, Emmanuel Sà, Laurentio Portello ver. Hæreſis, nu.4.* ſequitur negantem,quæ nititur his fundamentis. Primum eſt, quia de ratione hæreſis eſt electio erroris contra Fidẽ, ille autem qui dubitat, nondum aliquid eligit, ſed manet anceps, .s. pendulus non aſſentiendo, vel diſſentiendo circa res Fidei. Alterum eſt; quia hæreſis eſt error Fidei contrarius; ſed dubitans adhuc non contrariatur Fidei, cum nihil aſſerat,aut neget contra ipſam. Tertium eſt,quia ad hæreſim requiritur pertinacia, quæ hic deſideratur, vt ſuppono. ita *Nau. Conſ. 5. nu.12.ver. Emptio,& Vend.Clarus §.Hæreſis, verſ. Ad hoc. Repertorium Inquiſit. ver. Hæreticus, c. 1. de Hæreticis.* Ad *cap. 1. de Hęret.* citatum pro parte oppoſita,reſpondet *Sanchez cum Cano loc. cit.* dubium in Fide eſſe quidèm Infidelem,ſed non Hæreticum;cum non habeat actum Fidei contrarium, ſed ſolùm priuatiuum; quia caret certitudine aſſenſus ad habitũ Fidei neceſſaria.

Ego diſtinctioni innixus dico duobus modis poſſe aliquem dubitare deliberatè de rebus Fidei.Primò modo,quando intellectus vtriuſque partis rationibus perpenſis pendulus, & ſuſpenſus permanet nullum omninò actum, vel iudicium eliciens. Secundò modo, quando intellectus reflectens ſe ſuper actum ſuum dubitandi actu elicito iudicat Fidei propoſitionem eſſe dubiam.

Dubitantem deliberatè primo modo .s. ſolummodò ſuſpendendo aſſenſum rebus Fidei dicendum eſt non eſſe Hæreticum,ſed præcisè Infidelem;quod ſecùs eſt ſecundo modo,quia non ſubeſt dubium in rebus Fidei Catholicæ.

Differunt autem ad inuicem Hæreticus, & Infidelis: quia Hæreticus habet actum poſitiuum diſſenſus, vel aſſenſus contra res Fidei: Infidelis verò reſpectu rerum Fidei Catholicæ nullum habet actum poſitiuum, ſed tantùm priuatiuum: *S. Thom. 2. 2. quæſt 10. art 5. item quæſt. 11. art. 1. Say. lib. 3. cap. 4. nu. 10.* vnde hæreſis eſt ſubiecta excommunicationi, vt de ſe conſtat,& tenent communitèr DD.; infidelitas verò hæc minimè;cum careat conditionibus formalis hæreſis. Verùm placet adnotare aliam eſſe infidelitatem, de qua ſupra in pendulo minimè eliciente iudicium, quæ contingit etiam in habente Baptiſmum: aliam verò eſſe infidelitatem Gentilium Baptiſmate carentium ſaltem quo ad formalitatẽ vtriuſque.

DIFFICVLTAS IV.

An ad conſtituendam hæreſim aliquam requiratur auctoritas, vel determinatio Eccleſiæ.

REſpondetur negatiuè: nam quemadmodum quantum ad ea, quæ ad Fidem pertinent, nec Romanus Pontifex, nec tota Eccleſia poteſt de aſſertione vera facere non veram: aut de non falſa falſam; ita non poteſt de aſſertione non Catholica Catholicam facere: nec de aſſertione non hȩretica hȩreticam facere, nec è conuerſo; quia ſicut veritates Catholicæ abſq; omni approbatione Eccleſiæ ex natura rei ſunt immutabiles,& immutabilitèr veræ: ita immutabilitèr Catholicæ ſunt reputandæ: & idem dicendum eſt de hereſibus: quia ipſæ abſque omni determinatione Eccleſiæ ſunt hereſes: nam, vt dicit *Phylosophus 1.Perih. ab eo,quod res eſt, vel non eſt oratio dicitur vera, vel falſa:* vnde noſtrum negare, vel affirmare non facit veritatem alitèr ſe habere;quia omne verum eſt neceſſarium. facit *cap. Conſuetudo, diſt. 8.* quod notat *Arnald. Albert. de Agnoſcendis aſſertionibus Cathol., & Hęret. quæſt. 1. nu. 12.*

Verùm S. Pontifex licèt declarando,aut approbando non faciat aliquam veritatem de nouo Catholicam;nec damnando errorem faciat de nouo hęreſim: determinat tamen denuò dudum veritatem antea fuiſſe Catholicã: & errorem dudum ante fuiſſe hæreſim. Inde eſt,quòd Grçci,vt habetur in *cap. Fideli de Sum. Trin., & Fide Cathol. lib. 6. & Abbas Ioachim, de quo in cap. Damnamus de Sum. Trin.* ante Eccleſiæ determinationem de facto fuerunt Hæ-

retici, ſi fuiſſent pertinaces; quia aſſertiones, quas firmitèr tenuerunt; de facto .i. ex natura rei ſunt Hæreticæ; ſed quia eorum hæreſes non erant declaratæ; non fuerunt Hæretici ab Eccleſia deputati, niſi poſt factam declarationem à Conc. Generali. ita notat *Arnald. loc. cit. nu. 13. ex mente grauiſſimorum DD.*

Vnde notanda ſunt tria.

Primum eſt, quod nulla hęreſis eſt noua, niſi aliqua veritas Catholica de nouo incipiat eſſe vera. ex. gr. illa .s. Deus eſt homo incępit eſſe vera ab inſtanti Incarnationis, quæ prius erat falſa; cum adhuc non fuiſſet incarnatus; & in eodem inſtanti Incarnationis hæc eadem propoſitio, .s. Deus non eſt homo; incępit eſſe contraria veritati Catholicæ; & ſubindè cępit eſſe hęreſis.

Alterum eſt, quòd aliqui errores, ſeu hæreſes dicuntur nouæ; non quia priùs non fuerint errores, aut hæreſes: ſed quia priùs non fuerunt aſſerti, aut aſſertæ, vel defenſæ. ita prædictus *Doctor loc. cit. nu. 9. & 10. citans D. Thom. in 4. diſt. 13. quęſt. 2. art. 1. ad 8.*

Tertium eſt, quòd veritas Catholica eſt, quę ex Diuinæ reuelationis lumine ſupernaturali immediatè, vel mediatè eſt habita, vel explicitè in propria verborum forma; vel implicitè deducta in bona, & neceſſaria conſequentia pertinens ad Religionem. ita *Arnaldus loc. cit. quęſt. 4. per totam, qui quęſt. 5.* ponit octo gradus Catholicarum veritatum.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ſit Hęreticus, qui inuitus patitur cogitationes hęreticas contra Deum, & Sanctos (ſuppoſito, quod ſibi videatur conſentire hiſce hęreticalibus cogitationibus.)

RAtiò dubitandi eſt, quia hæreſis à qua quiſque Hęreticus exiſtit; eſt conſenſus contra res Fidei, qui patienti talia videtur ineſſe.

Difficultati reſpondetur negatiuè; tum quia actus peccaminoſus debet eſſe voluntarius; prędictæ autem tentationes ſunt inuoluntarię, quod ſatis claret: tum quia patiens has tentationes dolet, nititurq; omni conatu illas à ſe repellere; & ſubindè illis minimè conſentit: Hęreticus verò non dolet: tum quia iſte talia patiendo timet falſum credere: quo timore caret Hęreticus: tum pręterea quia Hęreticus aſſentit errori cum pertinacia: videlicèt ſciens Eccleſiam Catholicam oppoſitũ tenere: iſte autem caret pertinacia, vt ſuppono, & conſtat ratione; quare dicendum eſt minimè Hęreticum eſſe.

Rationi dubitãdi reſpondetur primò, quòd verbum videtur eſt verbum fictionis, *l. 1. §. Deieciſſe autem videtur, ff. de Vi, & vi armata,* & procedit regularitèr, & ibi Expoſitores. Reſpondetur ſecundò, quòd aliud eſt conſentire errori contra fidem cũ pertinacia; aliud verò, quod videatur illi conſentire; ſicut aliud eſt eſſe talis, & aliud videri ſibi talis, vel haberi pro tali ab alijs, *l. Si maritus, §. Legis Iulię & ibi Bartol. ff. De Adult. cum ſimil.* ita *Laur. Portell. ver. Hęreſis num. 1.* qui teſtatur de communi. *Torres de Trinit. quęſ. 32. art. 4. p. 2. Comment. in fin. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 2. nu. 7.*

Remedium contra prędictas cogitationes hęreticales eſt primò ita ſe habere ad illas, ac ſi prorſus non vexaretur; hinc *Seraphicus D. Bonaventura in Opuſculo de Profectu Religioſorum c. 3. ita proloquitur:* tentationes contra Fidem, ac de ſpiritu blaſphemię, & ſimiles, nec fugere poſſumus, nec repugnando vincere; quia quanto plus indignamur nobiſmetipſis, & diſputamus cum eis, magis refricatur eorum rabies, & accenditur; & rariſſimè hæ tentationes viris malis accidunt: quia eos vinctos, & quaſi ſuos Dæmon poſſidet; ſed ſolùm eueniunt viris bonis, vt vel ſic illos ab oratione, & via Dñi retrahat, ac deterreat. Secundò attẽdere oportet; quod bonarum mentium eſt, culpã temere, vbi culpa non adeſt. *Clemen. Exiui §. Quia verò plerumque, De verb. ſignif.* Tertiò notare debent timorem filialem habentes: huiuſmodi timorem contra lapſum omnem fortiſſimam eſſe turrim: aciemq; ordinatam aduerſus callidi hoſtis verſutias. Quartò enixè eum precari oportet, vt Deus pro ſua bonitate, & clementia in ipſo fidei feruorem, immo ipſam fidem augere dignetur, iuxta illud Euangelij, *Mar. cap. 9. Domine adauge fidem,* & iuxta illud: *Domine vim patior, Iſa. c. 34.* & item iuxta *Iudic. c. 13. Cõfirma me in hac hora Domine Deus Iſrael, & reſpice &c.* & pro certò exaudietur, vel ad vocem: vel ad mentem ſecundũ quod ipſi magis expediens fuerit: quod ſi ad mentẽ contingat exaudiri: Dicetur illi interius, iam dictum D. Paulo alijs afflicto tentationibus .s. ſufficit tibi N. gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Et præter hoc, quod exaudietur, vt dictum eſt; ſplendebit in ipſo virtus iſta fidei, quæ cæteris alijs potiùs emicat; nihil enim eſt, quod magis fulgeat in homine, quã recta fides. *l. Inter claras, C. de Summa Trinit. & Fide Cath.* ſecuruſq; exiſtet; quod in morte ipſi non objicietur illud *l. Cum proponas, C. de Pactis.* nimirùm, frangenti fidem, fides frangatur eidem: hoc eſt: tu non ſeruaſti fidem viuam, quam mihi in Baptiſmo ſpopondiſti: nec ego cuſtodiam pactũ, quod tibi item in Baptiſmate repromiſi, .s. tradendi tibi bona æterna.

Quod deciſum eſt de patientibus inuitè cogitationes hæreticas; illud idem decidendum eſt de patientibus ſpiritum blaſphemiæ, ac turpiſſimas cogitationes contra Deum, Beatiſſimam Virginem, & Sanctos; iſti enim, cum ſentiant ſe vexari, & affici pęna his cogitationibus; ſignum clariſſimum eſt eis minimè aſſentire; oritur. n. tàm pœna, quàm diuexatio ex diſſenſu voluntatis, & amore in fidem, & Sanctos, tanquàm ex radice. Quare non eſt malum pati contra voluntatem dubia circa res Fidei; Immo *Gloſſ. Ioan. Andreæ in Nouell ſuper tit. de*

Hære-

Hæreticis in volum. maiore, cap. Dubius, ſentit illum mereri, qui ſe benè firmat in fide motibus dubitationis reſiſtendo; ſicut etiam meretur, qui carnis ſtimulis reſiſtit: errat ille tantū, q̃ tenet res fidei eſſe dubias, vel ſub opinione.

DIFFICVLTAS II.

An ſit Hæreticus, & excommunicatus à iure; qui tenet illud, quod vna Eccleſia particularis iudicat Hæreticum: v.g. Eccleſia Græcorum, Eccleſia Gallicana, Eccleſia Mediolanenſis, &c. ſed adhuc tale non iudicatur ab Eccleſia vniuerſali.

RESpondetur negatiuè: ratio eſt, quia definire aliquid eſſe Hęreticum pertinet pręcisè ad vniuerſalem Eccleſiam, qualis eſt Romana; vndè quandiù homo adhęret Fidei huiuſmodi Eccleſiæ; licèt quęcunq; alia Eccleſia particularis teneat oppoſitum; nunquam eſt Hæreticus. *cap. Damnamus in fin. de Summa Trinitate*; quia illa ſola eſt, quæ errare non poteſt in his, quæ ad fidem pertinent; vt ſcribit *D. Thom. in quolib. 9. quæſt.* 16. & notat *Arnaldus Albertinus de Agnoſcendis aſſertionibus Catholicis & Hæreticis, quæſt. 9. nu. 9.*

Idem dicendum eſt de articulis damnatis Pariſijs, .s. vt contra illos tenens non incurrat excommunicationem iuris; è contra verò in excommunicationem incurrunt omnes; qui ſcientèr, & pertinacitèr tenent, quòd à Romana Eccleſia ſub anathematæ damnatum eſt: patet ex *cap. ad Abolendam de Hæreticis.*

Nec obſtat hoc capitulum in eo, quod nominat illos Hæreticos, quos Epiſcopi iudicauerint: quia intelligitur de Hæreticis tenentibus hæreſes ab Eccleſia Romana damnatas: vide *Bonifacium de Vitallinis in Clementina ad noſtrum, de Hæreticis colum. penult.*

Notandumq; eſt aliud eſſe condemnare errantem circa Fidei articulos, quod Epiſcopus poteſt, vt in dicto *cap. ad Abolendam*: Aliud verò determinare quid iuris, cum de articulis dubitatur, vt in *cap. Maiores de Baptiſmo, Arnal. loc. cit.*

DIFFICVLTAS III.

An ſit Hęreticus, & excommunicatus, qui adorat Idolum ſolo actu externo: vel abnegat Chriſti Fidem ſolo itē verbo vocali abſq; errore in intellectu.

QVO ad primam particulam. Bellant regularitèr Doctores contra *Caietanum loc. infra cit.* circa huiuſmodi difficultatem: tenent ipſi partem negatiuam, quorum ratio præcipua eſt, quia ad hæreſim formalem, de qua hìc loquimur; requiritur eſſentialis diſſenſus à Fide non ſolùm facto, aut verbo externo, ſed etiam mente: iſte autem non diſſentit mente, vt ſupponitur; ideò non eſt Hæreticus. *Caiet. è contra 2. 2. quæſ. 94. art.* 1. tenet partem affirmatiuam, cuius ratio eſſe poteſt; tum quia in S. Tribunali huiuſmodi Idolatra, Fideiq; abnegator punitur tanquam Hæreticus, quod notant *Trullench in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 2. nu. 3. Simancas De Cathol. inſtit. tit. 13. num. 15. Caſtrus Palaus de Hæreſi tract. 4. diſp. 3. pun. 2. num.* 17. tum quia ex prolatione externa, vel facto exteriori præſumitur interior conſenſus. Huic celeberrimo Doctori reſpondent DD. oppoſiti; quòd Inquiſitores puniunt huiuſmodi; quia præſumunt Idolatram: Abnegantemq; Fidem externè à Fide etiam defeciſſe internè, quemadmodum exterius deſignauit.

Mihi probatur diſtinctione opus eſſe: notādum itaque duplicem eſſe forum, vz. animæ, & Eccleſiæ: quo ad forum animæ loquuntur, qui ſunt prioris ſententiæ; quo verò ad forum Eccleſiæ loquitur Caiet. & ſequaces.

Quo ad forum animæ prædictus Idolatra, aut Fidei abnegator non eſt Hæreticus; Quo aũt ad forū Eccleſię cēſetur Hæreticus: venitq; denunciandus nō minus alijs Hęreticis formalibus, tàm in ſententia communi, quàm Caiet.

Hac diſtinctione conciliātur DD. inter ſe: nam ſępè contingit aliquem eſſe ligatum quo ad Deum, & non quo ad Eccleſiam: & è conuersò, vt probat *text. in cap. à Nobis. 2. De Sent. excom.* quod in primis notat *Valerus de Differ. vtriuſque fori, differ. 2. & 4. ver. Hæreſis. Nau. in Manuali, cap. 11. nu. 25. Aragonius 2 2. quæſ. 11. art. 3.* in terminis proprijs *Paulus Comitolus lib. 4. reſp. moral. quæſ. 51. nu. 1.*

Quo verò ad ſecundam particulam. An .s. huiuſmodi externus Hęreticus ſit excommunicatus. Reſpondeo eſſe quidem excommunicatum *in ſenten. Caiet. & ſequacium* quo ad Eccleſiam: verùm non excommunicatione Bullæ Cęnæ, quia ad ipſam eſſentialitèr requiritur etiam error in mente, qui hìc deficit, vt ſupponitur; ſed excommunicatione *Extrauagantis Ioannis 22.*, quam refert *Direct. Inquiſit. 2. par. quæſ. 43. nu. 9* incipit, *Super illius ſpecula*, nullique eſt reſeruata: non eſt tamen excommunicatus in foro conſcientiæ, quia nō reſpicit tale forum.

DIFFICVLTAS IV.

An adorans Dæmonem ſit Hęreticus.

AD mentem Canoniſtarum talis cenſetur Hæreticus, & vt talis puniendus: eorum ratio eſt; quia fundantur in præſumptione iuris; ius autem Canonicum ſupponit talia patrantes habere errorem in intellectu; ita vt credant Dęmonem adoratione dignum.

Ad mentem verò Theologorū non ſtatim iudicatur Hæreticus; ſed diſtinguunt de ſeriò adorante, .s. de illo, qui credit Dęmonem adoratione dignum: & de illo, qui tantùm fingit, vt ab ipſo ſuum obtineat intētum; definientes illum præcisè eſſe Hæreticum; qui tenet Dęmonem dignum eſſe adoratione; quorum ratio eſt; quia fundātur in intrinſeca natura rei; ad intrinſecam autem conſtitutionem adorationis formalis, de qua hìc loquimur; duo inſimul requiruntur, vz. adoratio externa de ſe cognoſcibilis: & error in intellectu, quorum altero deficiente impoſſibile eſt N. eſſe Hæreticum: quia dato oppoſito, quod ſine

illo poſſit eſſe; iam non neceſſariò requiritur ad conſtitutionem ipſius: v. g. quia ad conſtitutionem domus requiritur neceſſariò fundamentum, paries, & tectum; ideò altero deficiente, non habētur domus; ſi ergò ad adorationē formalem requiritur error intellectûs; nullū factū abſolutè ſine errore illius facit Hæreticum: v. g. in propoſito adoratio Dęmonum; baptizatio Imaginum; conculcatio Corporis Chriſti, & ſimilia. Quare Confeſſarium, qui pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe crederò debet; oportet ipſum interrogare an ſeriò, vel fictè Dęmonem adorauerit; vt indè eliciat, quomodo cum illo ſe gerere debeat, an tanquam cum Hæretico, vel præcisè ſicut cum ſortilego; quem etiam antequam à ſe dimittat, ad cautelam interroget, an cognouerit hoc grauiſſimum crimen fuiſſe contra determinationem Eccleſiæ: an ſolummodò peccatum fuiſſe: nam errare quis poteſt, in his quæ ſunt fidei; & tamen non eſſe Hæreticus: iuxta illud Auguſtini; *Errare potero, & tamen Hæreticus non ero*; vt ſi contingat neſcire Eccleſiæ determinationem: itèm interroget, an cognouerit excōicationē latam cōtra adorantes Dęmonē; quia non ligatur quis excommunicatione; ſi ipſam ignoret. faciunt, quę docet *Sprenger par. 3. q. 1.*

Verùm, ſi prædicta facta fuerint nota Eccleſiæ; punietur ab ipſa tanquam Hæreticus, cum ipſa non videat noſtra intima; fundeturq; in præſumptione.

Attendetq; Confeſſarius, num huiuſmodi impiæ actiones externæ reſeruentur in tabella caſuum reſeruatorum; ne mittat manum in alterius meſſem.

DIFFICVLTAS V.

An qui credendo intus fornicationem eſſe licitam, exterius fornicatur; Hæreticus ſit cenſendus.

Ratio difficultatis eſt, quia fornicator opus externum, nimirùm fornicationem internæ hæreſi coniungit; ad hæreſim autem nō deſideratur niſi hæreſis interna, & opus externum illam ſatis indicans, vt ex communi teſtantur DD.

Reſpondetur difficultati negatiuè; & ratio eſt, tum quia fornicatio de ſe ſcilicèt ex natura ſua: non eſt ſignum ſatis demonſtratiuum hęreſis mentalis; aliòquin omnes fornicatores poſſent haberi de hęreſi ſuſpecti, quod abſurdum eſt; cum fornicari non ſapiat hęreſim. ita *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 2. num. 11. Sanchez lib. 2. Oper. Moral. cap. 8. nu. 15.*

Notandum eſt autem pro intelligentia triplicem conditionem requiri, vt verbum, vel factum, aut ſignum externum dicantur confirmare hæreſim internam.

Prima eſt, vt verbum ſcriptum, vel ſignum externum manifeſtet ſufficientèr hęreſim internā; adeò, vt ſi quis adeſset, poſſit illam percipere, vel ratione temporis, vel ratione circumſtantiarum; ſi enim ſigno, verbo, vel ſcripto nòn manifeſtet hęreſim; adhuc purè interna dicitur: ita *Henriquez lib. 6. de Excom. cap. 14. nu. 6. Emanuel Sà in Aphoriſ. verbo Excommunicatio in Bulla Cęnæ Domini. nu. 3.* & nouiſſimè *Laurentius Portel. ver. Hæreſis. num. 11.* qui teſtatur ſententiam hanc ferè communem eſſe, illamquè declarans ità proſequitur: vndè ſi quis apud ſe tantùm legens librum Hęreticum circa rem, de qua vacillabat in Fide alicui errori intus aſſentiendo; exterius palma, aut genu percutiat menſam, vel aliquid ſimile volens inferre per illud ſignum externum, quod ità ſit; ſicut reperit in libro; talis manifeſtatio non facit eius hæreſim verè externam, & ſubiectam cenſuræ reſeruatæ: quia percuſſio iſta ex natura ſua illam hęreſim nō manifeſtat: niſi fortè ſi quis adeſſet, ex circunſtātijs, & perſona; noſset N. per illud ſignū tale quid velle exprimere. Altera conditio eſt, vt actus ille externus, ſeu ſignum ſit de ſe opus malum, & mortale non ſolùm ex relatione ad talem actum internum; ſed ex ſe, & quantitate operis mali; & ratio eſt; quia cum Eccleſia non excommunicet niſi actum externum; operè pretium eſt, vt iſte actus ſit malus, & mortalis exterius. ita *Portel. loc. cit. citans Henriq. & Eman. Sà.* Tertia conditio eſt, vt actus ille externus ſit hęreſis confeſſio; hinc ſequitur Hęreticum externum minimè eſſe, qui hęreſim per actus externos indifferentes manifeſtat: ex. gr. ſi hęreſi internæ aſſentiendo femur percutiat, vel ſimilem actum indifferentem efficiat, aut verbo pronunciet, quod de ſe non eſt magis ſignificatiuum veri, quàm falſi; quia tunc ille actus externus licèt ſit malus ex malitia operantis; non eſt tamen malus ex malitia obiecti externi: nec de ſe habet vllam relationem, & coniunctionem cum actu interno, & Eccleſia ſolùm damnat obiectum externum cum actu interno coniunctum: ità *Portel. loc. cit.* qui allegat *Sanch. lib. 2. Decal. cap. 8. nu. 9* Ex his conditionibus ſatis conſtat non eſſe Hęreticum externum, qui credens intus fornicationem eſse licitam; fornicatur exterius: & ex dictis itidem conditionibus claret, quomodo ſit ſatisfaciendum difficultati allatæ: nullus enim poteſt per fornicationem externam dignoſcere ſufficientèr hęreſim internam; cum plurimi in fide ſani ſe hoc vitio deturpent: nec fornicatio externa eſt hęreſis confeſſio.

Verùm hìc non reticebo hęreſim mentalē interdum fieri externam non ſolùm per opus externum; ſed etiam ex alicuius operis debiti omiſſione. Illuſtro rem exemplo, ſi quis non credens Euchariſtię myſterium coram illam omitteret genuflectere: aut nunquam templum ingrederetur, & ſic de ceteris operibus, quorum omiſſio; vel ex natura ſua, vel ratione temporum, vel hęreſū tunc vigentium, internum oſtendat errorem.

Itidem notandum eſt illum; qui erroneè

putans licere in Quadrageſima ędere carnem, illius tantillũ, manducat exterius: ſz. talis actus externus ſit pro tunc manifeſtatiuus erroris interni: nihilominus nõ erit Hęreticus externus ad incurrendas pœnas; quia illa comeſtio externa ex parua materia fuit venialis; Eccleſia autem (prout ſupra retuli) nõ excommunicat opus internum, niſi opus externum illi reſpõdens ſit de ſe quantitas grauis, & mortalis; ità *Portel. loc. cit. nu.* 16. qui citat *Sanchez vbi ſupra nu.* 17.

Denique etiam obſeruandum eſt illum non eſſe Hęreticum externum, qui manifeſtat ſe olim aliquid contra fidem credidiſſe (quod modò non credit) quia iſte non manifeſtat hęreſim pręſentem, ſed pręteritam, quam nunc non habet. Itidem nec ille eſt cenſendus Hęreticus externus, qui dicit exterius ſe habere propoſitum amplectendi aliquam hęreſim, quod quidem propoſitum de facto habet; non eſt (inquam) Hæreticus externus, quia verba illa non declarant hæreſim præſentem internam; ſed propoſitum futuræ; ex *Sanchez loc. cit. nu.* 22. quem ſequitur *Portel. loc. cit. nu.* 17.

DIFFICVLTAS VI.

An ſit formalitèr Hæreticus, qui dicit fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum mortale.

SVppono primò fornicationem quatuor accipi modis; primo pro omni concubitu humano illicito, vt 1. *Cor.* 5. auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes (loquitur de inceſtu) ità vt vxorem patris ſui aliquis habeat.

Secundo, pro quocunque peccato lethali: *Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te, Pſal.* 72.

Tertio, pro idolatria, & infidelitate, Oſeæ ſecundo: Fornicati ſunt à Deo.

Quarto, pro concubitu venereo ſoluti cum ſoluta; ſoluti autem dicuntur, qui à vinculo matrimonij, conſanguinitatis, affinitatis, voti continentiæ, religionis, & ordinis ſacri ſunt liberi.

Suppono ſecundò aſſertionem iſtius eſſe cum pertinacia, vz. ſciens ab Eccleſia definitũ fornicationem eſſe peccatum mortale: nam, ſi ignoranter hoc aſſerit, paratus corrigi; non eſt formalitèr talis: peccat tamen mortalitèr ob ignorantiam circa ea, quæ communitèr ſcire tenetur. ità *Trullench. in Expoſ. Decal. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *dub.* 3.

Modò reſpondetur huiuſmodi temerarium eſſe Hęreticum; quia eſt iure Diuino prohibita (quidquid obloquantur Hęretici, ſ. Nicolaitæ, Anabatiſtæ &c.) patet *Actuum* 15. *Abſtinete vos ab omni fornicatione.* 1. *Cor.* 6. *Fugite fornicationem, & alibi. ex Clement. ad noſtrum, De Hæreſi, error* 7. *ità communis ſent. cum S. Thom.* 2. 2. *quaſ.* 154. *art.* 1. vide dicta *Part.* 1. *lib.* 5. *diſt.* 9. *art.* 3. *diff.* 2. contradicitq; bonæ educationis filiorum: per incertos n. parentes non benè educatur proles, regularitèr loquendo. Dico regularitèr: quia ſi interdum contingit rectè educari, hoc eſt per accidens: per ſe autem eſt damnum prolis. faciunt tradita per *Gryſaldum in Deciſionibus Fidei Cathol. & Apoſt. verbo Fornicatio.*

Admitto tamen ignorantiam inuincibilem dari poſſe de fornicatione ſimplici ſaltẽ apud gentes Doctoribus deſtitutas; Sed apud Chriſtianos vix dari poteſt. Admitto ſimilitèr fornicationem peccato carere in duobus caſibus, vz. vbi non adeſt vſus rationis; vt ſi fornicans ſit amens: aut ebrius; modo antea illam non præuiderit. ſic *Trullench loc. cit. nu.* 7. *poſt Say. in Clau. Reg. lib.* 8. *c.* 2. *nu.* 6.

DIFFICVLTAS VII.

Qui in mente tenet hæreſim: v. g. quòd Eccleſia erret in precepto abſtinendi ab eſu carnium diebus Veneris, & Sabbati; & hoc motiuo dictis diebus carnes comedit, an ſit Hæret. formalis.

NOtandum primò, quòd hic non quærimus; ſi iſte ſit denunciabilis S. Officio, ſed ſi eſt Hæreticus; multi enim ſunt denunciabiles, qui tamen Hæretici non ſunt; cum non habeant errorem in mente: ad denunciationẽ enim apud S. Tribunal ſat eſt, vt quis de hæreſi ſit ſuſpectus: plura autem requiruntur ad cõſtituendum formalem Hæreticum, de quo hic quærimus, quàm ad conſtituendum de hæreſi ſuſpectum, vt patet ex diſcrimine caſuum S. Tribunalis.

Notandum ſecundò, huiuſmodi difficultatẽ minimè coincidere cum illa, qua quærimus, ſi comedens carnes diebus ieiuniorum; quia non credit Eccleſiæ præcipienti abſtinentiam ab illis, incidat in Bullam: ſed benè ſequitur ex hac: qui enim eſt Hæreticus formalis; ex cõſequenti afficitur excommunicatione Bullæ Cęnæ. vide infra diſt. immediatè ſequenti.

Difficultati reſpondetur negatiuè; ratio eſt, quia eſus carnium diebus dictis non eſt ſignum ſatis demonſtratiuum internæ hęreſis; cum tranſgreſſor huius Eccleſiæ præcepti ab alio capite, quã ab hæreſi interna ſumere poſſit motiuum edendi carnes talibus diebus: v. g. à vitio gulæ, vel debilitate corporis: eſt enim carnium eſus ſignum æquiuocum non minus deſignans vitium gulæ, quàm internam hæreſim; tamen intellige, vt infra *diſt.* 5. *art.* 2. *diff.* 3.

Dices ad conſtituendum Hæreticum duo præciſè requiruntur, nimirùm, hęreſis in mente, & actus hæreticalis ſatis demonſtrans internam hæreſim; quæ inſimul concurrunt in illo, qui motiuo hæreſis internæ comedit carnes dictis diebus. Reſpondetur vti prius, ſ. quod carnium eſus dictis diebus eſt ſignum nõ vniuocum, vt requiritur, ſed æquiuocum; cùm aliud, quàm hæreſim deſignare poſſit.

Verum ſi ex alijs circunſtantijs fouetur præſumptio; obediendum erit *Synodo Triulætinæ* præcipienti denunciationem talium.

Vrgebis quemadmodum, qui in loco remoto, v. g. in ſylua ſolus exiſtens ſi proferat hęreſim, eſt verè Hæreticus formalis, ſuppoſito

 errore

errore in eius mente: ergò à ſimili, imò à fortiori eſt propriè Hæreticus; qui motiuo hæreſis publicè, vel ſatis manifeſtè carnes comedit. Reſpō negando ſimilitudinem, cuius ratio eſt; quia prolatio hęreſis eſt ſignum vniuocum nō deſignans, niſi hęreſim; eius verò carnium dictis diebus; cum ſit ſignum æquiuocum, vt dictum eſt, plura deſignare poteſt: & parùm refert hęreſim euomitam fuiſſe in loco publico, vel ſecretò; quia vtroq; modo, cum ſit externa, ſatisq; cognoſcibilis, conſtituit Hęreticum formalem; quòd ſecùs eſt de comedente carnes prohibitis diebus.

Verùm hęreſis publica à ſecreta differt tàm quo ad probabilitatem; cum publica ſit probabilis: & ſecreta minimè defectu teſtium: quàm quo ad punitionem, vt notum eſt.

Attendendum eſt tamen ad propoſitū difficultatis propoſitæ; quòd quamuis carnis comeſtio in die interdicto ſecundum ſe ſit res indifferens; nec ſufficientèr hęreſis internæ proteſtatiua: per accidens tamen ratione circunſtantiæ ſecus eſſe poteſt; ex. gr. ſi ab aliquo manducaretur hoc motiuo, vt dignoſceretur ab Eccleſia Catholica Romana diſcretus, ac cum Hęreticis ſentiēs; nam in hoc caſu incideret in excommunicationē Bullæ Cęnæ, etiam ſi ſolummodò tantùm carnis comederet, quæ in diuerſo caſu non poſſet aliqua ligari cenſura ratione paruitatis materiæ.

Patet in ſimili ſic: quia quemadmodū percuſſio de ſe leuis, interdum fit grauis ratione perſonæ .s. Clerici: ità in propoſito, & ſi comeſtio carnis ratione paruitatis materiæ præcisè conſtituat veniale: ratione tamen circunſtantiæ mortale conſtituere poteſt; & ſubindè ſubijcere comedentem excommunicationi. *Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 13. nu. 2. & Sanchez apud ipſum.*

DIFFICVLTAS VIII.

An ſi quis in die Veneris delectetur ſenſibilitèr de eſu carnis mente tantum concepto, mortalitèr peccet.

Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 5.* duas affert ſententias diametralitèr oppoſitas: ſed ipſe cum DD. infra citandis ſequitur negatiuam, cum quibus etiam ego ſto: quia præceptum poſitiuum per ſe actus internos non prohibet, ſed ſolùm externos: vndè delectari de rebus prçcisè iure poſitiuo vetitis, non eſt tale peccatum .s. mortale: ex. gr. cum quis delectatur aſpectione ludi dicto iure prohibiti; lz. tantam capiat voluptatem, quantam ludentes. Dico de rebus prçcisè iure poſitiuo diuetitis, ad differentiam rerum iure naturæ prohibitarum; quæ cum ſint per ſe malæ ſecundum communiorem ſententiam; delectatio ex ipſis adeò prohibita eſt; vt nec quidem imaginariè, ſeu moroſè (dummodò voluntariè) percipi poſſit. legendi ſunt *Roſella verbo Ludus. §. 2. Tannerus in prima ſecundæ. D. Thom. diſp. 4. quaſ. 8. dub. 7. num. 137. Layman. in Theol. Mor. lib. 1. tract. 3. cap. 2. num. 9. Villalobos in Sum. lib. 1. tract. 3. dub. 3. nu. 5. Malderus in prim. 2. D. Thom. qu. 74. art. 10. Leſſius lib. 4. cap. 3. dub. 15. nu. 114. Vaſquez in prim. 2. diſp. 110 cap. 1.*

Dixi ſecundum communiorem ſententiā; nam aliqui tali procedunt diſtinctione. Vel delectationis obiectū eſt ipſa res, vel eſt phantaſma rei, ſeu notitia phantaſtica; ſi primo modo percipiatur delectatio, voluntaſq; in eā conſentiat; erit peccatum mortale, vel veniale pro ratione obiecti mortiferi, vel venialis. Secus verò ſi ſecundo modo: quia delectatio ſapit naturam actus, ex quo ſequitur, iuxta traditā ab *Ariſt. 10. Ethicorum cap.* 4.; ſed huiuſmodi delectationis actus interdum deriuatur ex indifferenti, ſeu licito obiecto, vt ex copula licita, cui quis imaginatione ſe facit præſentem.

Dixi per ſe nō eſſe peccatum: nam ratione curioſitatis, vel alterius circunſtantiæ poteſt ibi eſſe; facit ad hoc, quod interdum quis notitia rei delectatur; lz. obiectum maximè execretur: v. g. delectantur homines lectione, vel narratione præliorum, duellorum, rerumq; admirandarum, quæ per artem magicam fiunt, quamuis iſta deteſtentur.

Notandum verò notitiam rei duplicitèr apprehendi poſſe, vno modo vt bonum delectabile: alio prçcisè vt habens naturam veri, rari, admirandi; & hoc modo eſt obiectum notitiæ, qua mediante hominem oblectat. Verùm ex conſenſu in delectationem non neceſſariò infertur determinatè conſenſus in opus, vt re ipſa exequendum; ſed ſolùm ſub diſiunctione, vz. re, vel imaginatione. vide *Leſſ. loc. cit.*

DIFFICVLTAS IX.

Licentia comedendi lacticinia, vel carnes temporibus diuetitis exiſtente neceſſitate à quo dari poſſit.

Reſpondent aliqui DD. (ſuppoſita probata conſuetudine) dictā licentiam dari poſſe à Parocho. ità *Sylueſter, ver. Ieiunium, q. 7. Caiet. 2. 2. quaſ. 147. art. 3. & in Sum. ver. Ieiuniū.*

Alij iudicant à ſolo Epiſcopo, ſeu Ordinario dari poſſe: mouenturq; ex eo, quod Parochi habent ius præcisè in his, quæ ad forum pœnitentiæ interius pertinent: ſed diſpenſare ab obſeruatione ieiunij, aut Quadrageſimæ nō eſt ex ſpectantibus ad forum interius, ſed exterius: ergo. *Hoſtien. & Butrius in cap. Conſilium de obſeruat. ieiuniorum.*

Ego verò duabus reſpondeo propoſitionib.

Prima, qui iuſtam, & ſufficientē habet cauſam, vel non ieiunandi: vel carnes in diebus vetitis comedendi talitèr à Medico iudicatam; non eget diſpenſatione: quia obligatio legis tollitur ſuperueniente neceſſitate: nam impoſſibilium nedum phyſicè; ſed etiam moralitèr nulla eſt obligatio *ff. de Reg. iur. ità Filliucius quaſ. moral. tom. 2. tract. 27. cum alijs ab ipſo cit. Carena tract. De Modo procedendi in S. Offic. tit. 15. nu. 6. Bonac. De Legibus diſp. 10. quæſ. 1. punc. 2. nu. 5. Abbas c. Conſilium §. Prçterea De Obſeruatione ieiunij.*

Secunda, ſi Medicus dubitet de ſufficientia

cauſæ; recurrendum eſt ad Epiſcopum, ſeu Ordinarium; & vbi illius copia haberi non poſſit; ad Parochum recurſum haberi debet iuxta primam ſententiam; nam conſuetudo eſt altera lex, *c. Conſuetudo 1. diſt.* faciunt tradita à *Bonac. vbi ſupra. Azor. Inſtit. Moral. tom. 1. lib. 7. cap. 18. quæſ. 3. Graff. in Deciſ. part. 2. lib. 2. cap. 16. num. 20. Pariſ. conſ. 169. num. 68. vol.* 4. In dubio autem an aliquod animal ſit ex genere piſcium, vt vulgò Lodria; ſtandum eſt iudicio Medicorũ; vnicuique .n. experto in ſua ſcientia credendum eſt. legendus eſt *Fagundez 4. Eccleſię Pręcepto lib. 1. cap. 2. nu. 9. Carena loc. cit.*

Notandum verò, quod ſi Confeſſarius pœnitentem finxiſſe infirmitatem cognouerit; interroget primò an ex vitio gulæ, vel ex errore in mente perperã ſentiens de ieiunijs, .s. quòd non poſſint, vel ſaltem non benè ordinentur ab Eccleſia; quia ſic excommunicatur Bulla Cęnæ; notum eſt.

Secundò, inquirat an ex contemptu.

Tertiò demum, ſciſcitetur, num aliquem hac ſua guloſitate ſcandalizauerit, & quoties: itemq; an alium ad hanc, vel has tranſgreſſiones efficacitèr induxerit.

In Diœceſi Bergomenſi interdum à Vicario Generali .s. quando opportunum ſibi viſum fuerit; Parochis conceditur in ſpecie facultas pro inſtanti Quadrageſimâ, vt vſum ouorum, butiri, ac lacticiniorum permittant, habita illorum licentia; illis tamen tantùm, quos ſuo arbitrio iudicabunt talibus indigere, ſiue ratione ætatis, vel infirmitatis, paupertatis, aut neceſſitatis euidentis; Verùm deuetito illis, facultatẽ concedendi alicui, lz. infirmo abſque fide Medici, aut manifeſtiſſimæ neceſſitatis, carnium vſum; onerando circa hoc eorum conſcientiã. patet ex ſequenti facultate data ex Curia Epiſcopali Bergomi die 16. Februarij 1647.

Reuer. come fratello.

Si concede à V. S. che poſſa permettere à gli ſottopoſti alla ſua Cura l'vſo dell'oua, butira, e latticini nella Proſſima Quareſima; à quelli però ſolo, che giudicherà hauerne biſogno, sì per età, ò infermità, pouertà, ò neceſſità euidenti à giuditio ſuo: l'vſo poi delle carni concederà ſolamente à quelli, che la lei conſcienza conoſcerà in manifeſtiſſima neceſſità, ò che dal Medico n'haueranno la fede. Dal Veſcouato di Bergamo li 16. Febraro 1647.

Di V. R. come fratello.

Gio. Battiſta Medolaco Vic. Gen.

DIFFICVLTAS X.

An ſit Hæreticus, qui paratus eſt Eccleſiæ conſentire, ſi argumentis conuincatur.

RAtio difficultatis eſt, quia huiuſmodi homo, quamuis ſentiat oppoſitum illius, quod nouit Eccleſia tenere; paratus tamen eſt aſſentire Eccleſiæ; ſi rationibus conuincatur.

Reſpondetur talem vtique Hęreticum eſſe, tum quia ſequitur contrarium; quod nouit Eccleſiam tenere: tum quia potius credit rationi, quàm Eccleſiæ à S. Sancto edoctæ; quæ circa fidem errare nõ poteſt, iuxta illud Euangelij: *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*; quòd ſanè dictum lz. intelligitur immediatè de D. P. intelligendum tamen eſt, etiam de Eccleſia.

Nec obſtat iſtum paratum eſſe Eccleſiæ cõſentire, ſi argumentis conuincatur: hæc enim præparatio animi non tollit; quin iſte iam ſentiat contra Eccleſiam ſcientèr, & aduertentèr. Nec poteſt dici, quin ſit pertinax; cum pertinacia non requirat moram temporis, ſed in inſtanti haberi poſſit; quemadmodum cætera peccata mortalia abſque mora ſolo conſenſu pleno committi poſſunt: Vnde notandum ſemper adeſſe pertinaciam; quoties N. noſcens, & aduertens errorem ſuum eſſe contra fidem Eccleſiæ, illi aſſentit. faciunt allegata per *Caietanum ſuper D. Thom. 2. 2. quæſ. 11. art. 2. Arſenale S. Inquiſit. par. 10. admon. 32. & 217. Bonac. De Cenſ. diſp. 2 quæſ. 1. punc. 1.*

Ob eandem rationem eſt itidem Hæreticus ille, qui aliquid ſentit contra fidem ſciens contrarium ab Eccleſia teneri; licèt ſit diſpoſitus ad credendum, quod tenet Eccleſia, ſi inſtruatur ab aliquo docto: quia ſic magis credit homini particulari, qui poteſt fallere, & falli; quàm Catholicæ Eccleſiæ, quæ nec fallere, nec falli poteſt, cum ab ipſamet veritate recipiat inſtructionem: ità Doct. citanti, vbi ſupra: quòd ſecus dicendum eſt de illo, qui contrarium ab Eccleſia teneri ignorat; licèt ex ignorantia craſſa; paratus tamen errorem deponere; ſi Doctorem habuerit, qui ipſum inſtituat; ratio eſt, quia ad hęreſim requiritur electio volũtatis, & aſſenſus intellectus cum certa ſcientia eius, quod tenet Eccleſia; iſte autẽ, qui craſſa ignorantia detinetur; quomodo habere poteſt certam ſcientiam eius, quòd Eccleſia de Fide definit; & pinde electionẽ? profectò non poteſt. ità *Azor. Inſtit. Morali tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæſ. 8. Nauar. in Manuali cap. 10. nu. 22. Aragonius 2. 2. quæſ. 11. art. 1. Simancas de Cathol. Inſtit. cap. 31. nu. 10. & alij.*

Eſt item Hęreticus, qui credit præciſè ob miracula, aliter non crediturus: quia non credit ob rationem formalem credendi, quæ eſt reuelatio diuina.

Dubius verò in fide voluntarius, qui dicit, ſi meliorem fidem, quam Chriſti inuenirem, illam reciperem; quamuis, ſi non habeat actũ poſitiuum fidei contrarium, non ſit Hæreticus: tamen infidelis eſt: quia nec fidei Catholicæ, nec alteri adhuc firmiter adhæret: vnde ferè dicendus eſt Atheiſta: nam quemadmodũ iſte in corde ſuo nullum credit eſſe Deum, dicens cum inſipiente non eſt Deus: ità ille nullam firmiter amplectitur religionem. *Ledeſma 2. tom. tract. 1. cap. 6. dub. 2.*

Præterea Hæreticus eſt, qui res fidei, vt quã-

dam

dam DD. opinionem tenet: patet ratio: quia Fidei aſſenſus eſt certiſſimus, & infallibilis: opinio autem eſt incerta, & fallibilis. *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. præcep. 1. cap. 2. dub. 2. n. 4.* immo totus Theologorum conſeſſus, & cõſenſus.

DIFFICVLTAS XI.

An ſit Hæreticus in foro conſcientiæ ille, qui per fidei Cenſorem admonitus tale quid eſſe contra fidem; ſi ipſe credendo non contradicere Eccleſiæ, aliud ſentiat.

RESponſio eſt negatiua; ratio eſt, quia talis non eſt pertinax contra Eccleſiam; cum putet ſe nõ contradicere ipſi; tum quia neſcit Eccleſiam determinaſſe illud credendum: tum etiam, quia paratus eſt, vt ſupponitur, ab ipſa corrigi, ità *Sanch. 2. l. Decal. cap. 7. nu. 25. cum Cano, Torres, Valentia, Sayro,* quos ſequitur *Laurentius Portel. ver. Hæreſis nu. 7.* tum prætèrea, quia ſolius S. Põtificis eſt res fidei tenẽdas definire; cęteri autẽ, & fallere, & falli poſſunt, vt notat in primis *Trullench. in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 2. nu. 14.* qui tamen addit, quòd in foro externo iudicabitur pertinax, & Hæreticus.

Nec obſtat reſolutioni Inquiſitorem oppoſitum aſſerere; quia Inquiſitor non eſt caput Eccleſiæ, errareq; poteſt; licèt Officio S. Inquiſitionis non niſi viri ſcientia, & conſcientiâ præditi pręficiantur. Secùs tamen dicendum eſt, ſi iſte renuat aſſentire poſtq̃ oſtenſum eſt illi à ſe creditum, vel dictum eſſe contra Eccleſiæ determinationem.

Similitèr Hæreticus eſt, qui opinionibus nondum definitis ab Eccleſia, adeò tenacitèr adhęret; vt paratus ſit Eccleſiæ contrarium aſſerenti non aquieſcere: nam licèt opinio, quã talis tenet, non ſit hęreſis; tamen, quia paratus eſt non obedire Eccleſię oppoſitum tenenti, ex tali animo Hęreticus eſt. ità *Sanchez 2. lib. Decal. c. 7. nu. 29.* quod notat *Portel. loc. cit. nu. 8.*

DIFFICVLTAS XII.

An Hæreticus ſit, qui pertinacitèr non aſſentitur propoſitioni; quam certò, & euidentèr nouit ex reuelatione ſibi à Deo ſpecialitèr facta.

REſpondetur huiuſmodi hominem eſſe quidem Hereticum; licèt propoſitio ſibi reuelata non ſit propoſita ab Eccleſia tanquã credenda; ratio eſt, tum quia Eccleſia proponit omnibus credendam ſummam Dei veritatem, quam iſte talis negat diſſentiendo pertinacitèr reuelationi clarè ſibi factę: tum quia impoſſibile eſt, vt quis pertinacitèr diſſentiat tali reuelationi; niſi etiam mente ſaltem virtualitèr neget Deum eſſe veracem; & conſequentèr abijciat obiectum fidei formale ab Eccleſia propoſitum. faciunt, quę tradit *Carbonus tom. 3. cap. 3. circa finem. Azorius part. 1. lib. 8. c. 17. ibi decimo ſeptimo quæritur, item lib. 9. cap. 26. & alij.*

Verùm mihi placet diſtinctio de duplici hęreſi .s. quo ad Deum, & quo ad Eccleſiam: eſt quidem Hęreticus quo ad Deum quia ſupponimus hunc certò agnoſcere reuelationem eſſe ſibi à Deo factam ex altiſſima diſpenſatione: nõ tamen eſt Hęreticus corã Eccleſia: tum quia ipſa nõ proponit credenda, quę priuatim alicui à Deo reuelantur; ſed quę ex Apoſtolis, & Prophetis tradita ſunt: tum quia hęreſis propriè dicta non eſt, niſi contra veritatem Catholicam .i. vniuerſalem, quam omnibus credendam proponit; huic autem reuelationi ſpeciali non pręſtatur aſſenſus per habitum fidei Catholicę omnibus communem, ſed per aliam fidem particularem; & proinde hic ab Eccleſia puniri non poterit: quia, vt ſupponimus, ſpecialis hæc reuelatio alijs non conſtat. *Suarez de Fide diſp. 19. ſect. 5. num. 12. Caſtrus Palaus de Hæreſi, tract. 4. diſp. 3. punc. 2. num. 15. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 2. nu. 15. ſub fine.*

Nec iſte itidem erit excommunicatus.

DIFFICVLTAS XIII.

An Cathecumenus habens errorem in intellectu, quem cognoſcit eſſe contra illud, quod docet Eccleſia Catholica, ſit Hęreticus.

DVas reperio ſententias diametralitèr oppoſitas: alij namque tenent partem negatiuam, vt *Tolet. lib. 4. cap. 3. Sayr. lib. 3. cap. 6. nu. 11.* alij verò tenent affirmatiuam, vt *Suarez tom. 5. ſect. 2. nu. 4. Bannes 2. 2. qu. 11. art. 2. & c.*

DIFFICVLTAS XIV.

Hæreſis, & error circa fidem an differant. vide Part. 4. lib. 3. diſt. 2. p. 2. art. 5. diff. 4.

DIFFICVLTAS XV.

An retinens libros damnatos de hęreſi ſit Hęreticus, Remiſſiuè, Part. 4. lib. 3. diſt. 2. par. 2. art. 1. diff. 1.

DIFFICVLTAS XVI.

An qui libros Catholicorum falſificant, vel corrumpunt aut ſacrę doctrinę hęretica dogmata immiſcent, cenſendi ſunt Hęretici. Remiſſiuè, Part. 4. lib. 3. diſt. 2. par. 1. art. 1. diff. 4.

DIFFICVLTAS XVII.

An ſit Hęreticus ille, qui ſcientèr docet falſum, ſuppoſito, quòd illud non teneat: ex. gr. perſuadet mulieri libidinis tactum non eſſe peccatum; non quia ità ſentiat, ſed vt facilius illam ad ſe pelliceat.

REſpondeo *Camillum Campegium ad Zanchinum cap. 22.* partem affirmatiuam ſequi; cuius ratio eſt, quia Eccleſia talitèr dogmatizantem punit ad inſtar Hæretici, niſi contrariũ ſatis probet; habetq; pro ſe *cap. ad Abolendam de Hęreticis,* vbi traditur Hæreticos eſſe, qui aliter ſentiunt, vel docent, quam Sacroſancta Romana Eccleſia prædicat, & obſeruat: ad veritatẽ autem propoſitionis diſiunctiuæ ſufficit alteram partem eſſe veram, *l. Si ita quis. ff. de Verborum obligationibus:* Vnde cum iſte impudicus aliud, quam ſentiat Eccleſia, doceat, cenſetur Hæreticus.

Simancas verò in adnotationes ad dictum Camillum apud Zanchinum in fine tractatus de Hæreticis, cap. 13. tenet prædictum dogmatiſtam non eſſe Hære-

Hæreticum; cuius ratio eſt; quia de ratione Hæretici eſſentialitèr requiritur error in mente, quo iſte caret; hancq; rationem communitèr ſequuntur tàm Theologi, quàm Summiſtæ. Nec obſtat fori externi præſumptionem contra ipſum: nam aliud eſt eſſe tale, aliud pręſumi tale, *l. Si maritus*, §. *l. Iulię, & ibi Bartbolus, ff. de Adult. Cum ſimilibus*: Vnde prædictus extra Tribunal S. Officij in foro Sacramenti Pœnitentiæ abſolui poteſt; ſi veritas præſumptionem eneruet, niſi obſtet alicuius Diœceſis reſeruatio; quòd ſecùs foret, ſi dicta dogmatizatio cum errore intellectus foret coniuncta: ſicut.n. ſe habet oppoſitum in oppoſito; ità propoſitum in propoſito, *l. fin. in princ. ff. de Legibus 3. l. Is qui contra, ff. de Vulgari, & pupillari ſubſtitutione*. Verùm Confeſſarius in ſuo Tribunali regularitèr neutram oppoſitarum fori externi abſolutè amplecti debet ſententiam; quià vtraque illum ad errorem trahere poteſt; quare ſemper ſuæ partes erunt attendere veritati, quę creditur pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra, vt de cōmuni tràdunt *DD. Summiſtę*; hæc autem ſicut verborum adminicula non deſiderat; neç imaginibus obumbrari debet; ità rerum geſtarum erroribus non vitiatur, *l. Illicitas* §. *Veritas ff. de Officio Pręſidis*.

DIFFICVLTAS XVIII.

An captus pro hereſi fugiens è carcere, vel illam frangens ſit Hęreticus.

RESpondet *Camillus Campegius in Additionibus ad Zanchinum Vgolinum de Hęreticis cap. 10.* illius mentem ſequens prædictum Reū his actionibus haberi pro conuicto; adeò vt tanquam Hęreticus damnari poſſit, fundatus fortaſſè in præſumptione; quia fugit vtpotè conſcius ſuæ conſcientiæ: Ego verò inherens *Simancę in adnotationibus ad dictum Camillum*, quas habes in fine *Tractatus de Hęreticis dicti Zanchini, cap. 8.* ſecùs ſentiendum puto: tum quia Camilli ſententia, nec Pontificia lege, neque ciuili probatur: tum quia à carceribus fuga, ipſorumq; carcerum effractio nihil cum hæreſi commune habet; quis.n. hoc argumentum admittet? Reus fugit è carcere, vel ipſum fregit: ergo Hęreticus; cum potiùs ſit interprętandum illum fugiſſe ex carceris tędio; vel ob naturalem libertatis appetentiā: tum quia clarum eſt dictum Reum ob ſolam fugam, aut fractionem carceris non incidiſſe in hęreſim. Quis vnquam audet dicere huius fugam, vel carceris fractionem conſtituere ipſum Hęreticum? poſſumus quidem dicere, quod per hanc conſtituatur impœnitens; qui, ſi pœnitentiam peragere voluerit; aliaſque pœnas arbitrarias pro culpa fugæ impoſitas ſubire verè pœnitendo, nec tanquam impœnitens Hęreticus damnabitur. ità *Simācas loc. cit.* recedens à ſententia *Zanchini, & Campegij, Arſen. S. Inq. par. 10. admonit. 25. & alij*. Verùm neutra illarum ſententiarum ſuffragatur Confeſſario pro ſuo foro; nam cùm fori externi præſumptionem relinquere teneatur, nixus præciſè pœnitentis confeſſione; quæ ab ipſo ſyncera credenda eſt, niſi contrarium inuincibilitèr conſtet.

DIFFICVLTAS XIX.

An ad conſtituendum hereſiarcam; ſufficiat, vt ille opponatur Eccleſiæ ob lucrum, vanamgloriam, aliumue temporalem finem diſſeminando hereſes fide in mente retenta.

RAtio difficultatis eſt; quia iſte, vt ſupponitur, teſtatur ſe fidem Catholicam illibatā tenere; rēq; de facto ità ſe habere ſuppono.

Reſpondeo, quòd talis hæreſum diſſeminator in foro fori omninò cenſetur Hæreticus, Hæreticorumq; pœnis aſſiciendus: alioquin omnes, & ſinguli Hæretici pœnas iure ipſis debitas effugerent, vt notat *Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admon. 147. & 208.* diſſeminans.n. hęreſes; negat conſequentèr irrefragabilem Eccleſiæ auctoritatem: Vnde notandum; quòd verba perperàm prolata, & item ſcripta, iudicantur ab Eccleſia perperā præmeditata: quare minimè credendum eſt huiuſmodi ſacrilegum euomiſſe, quòd non priùs mente cogitauerit, prout docet *Arſen. loc. cit. admon. 199.* quinimmò iſtius verba, lz. dubia deteriorem in partem eſſent accipienda, cùm ſint à perſona ſuſpectà; interpretatioq; aliter facta non foret veriſimilis: quemadmodum.n. arbor bona vt talis non poteſt malos fructus facere: ità mala quatenus talis non poteſt bonos producere fructus: iuxta illud Philoſophi: cuius cauſa bona eſt, ipſum quoq; bonum eſt .i. effectus productus, ſicut è contra: cuius cauſa mala eſt, ipſum quoque .s. productum à tali cauſa, vt talis eſt malum. Item ſicut ſe habet oppoſitum in oppoſito; ità propoſitum in propoſito: vide *Arſen loc. cit. admon. 97.*

Nec releuatur quis ex eo quod non habeat errorem in mente: quia ab Eccleſia mens non videtur: nec item proteſtatione vlla; nam proteſtatio factis contraria proteſtantem non releuat.

Verùm in foro poli diſtinctione opus eſt: attendendum eſt.n. an huiuſmodi delictum ſciatur, vel ſit omninò occultum, quouiſmodo exiſtat. Dico primò ſemper ſatisfaciendū eſſe damnis tàm Eccleſiæ, quàm priuatorum: Dico ſecundò quo ad abſolutionem; niſi caſus foret omninò occultus, & veritas eneruaret pœnitus pręſumptionem; non auderem ob ſcandalum, tali, tantoq; ſacrilego abſolutionem impertire. Dico tertiò ſuppoſito autē, quòd ſciretur, nulli (Papa excepto) integrum eſſet talem abſoluere; quia licèt iſte errorem non habuerit in mente; hoc tamen eſt ignotū Eccleſiæ, vt ſupra innui; vnde quouſque abſoluatur publicè; ſe debet gerere coràm Eccleſia, vt publicè excommunicatus: quod ſi de facto à Confeſſario in foro Sacramenti fuiſſet abſolutus, fundato in hoc, quod errorem non habuerit in mente, in eiuſq; neceſſitate, cum

non

non poſſet de contritione ſe aſſicurari: dicta tamen abſolutio non ſuffragaretur ipſi; quin denunciari, accuſari, & puniri poſſet in Sancto Officio.

DIFFICVLTAS XX.

An qui fictè ſuſcepit Baptiſmum .s. non habens intentionem illum ſuſcipiendi; diſcedens à Fide Catholica ſit Hæreticus.

Reſpondetur negatiuè, quia licèt coram Eccleſiam, cui fictio eſt occulta; habeatur formalis Hæreticus; & ſubinde ab ipſa excommunicetur: & afficiatur Hęreticorũ pœnis: attamen in facto eſſe, non eſt talis: quia non habuit intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum eſſentialitèr requiſitam; vt ex communi notant *DD. ſed præcipuè Tol. lib. 2. c. 2. num.* 5. & conſequentèr incapax eſt hæreſis, cenſuræ, & ſubiectionis Eccleſiæ Catholicæ. *Arſen. par.* 10. *admon.* 193. Secùs verò dicendum, ſi habuit intentionem illum ſuſcipiendi; nam ſicut ſe habet oppoſitum in oppoſito; ità propoſitum in propoſito. Qui itidem cenſetur Hereticus, in foro fori; ſi dictam intentionem habens defecit à Fide Catholica; lz. in Miniſtro baptizante fortaſsè defuerit debita materia, aut intẽtio: ità ex *Arſen. loc. admon.* 164. Dixi in foro, fori, quia hæc procedunt coram Eccleſia, cui dicti defectus fuerunt, & ſunt occulti. Formalitèr tamen iſte non eſt Hęreticus, cum ad conſtituendum talem deficiat fundamentum eſſentialitèr requiſitum, nempè formalis, & legitima Baptiſmi ſuſceptio. Ratio eſt euidens, quia actus efficaces fieri nequeunt; niſi ſeruatis eſſentialitèr requiſitis, vti præcipuè ſunt intentio recipiendi baptiſmum, baptizandi, & materia; facit ad hoc *l.* 1. *in princip. ff. de Stilatio. l. Traditionib. C. de pact.*

Quemadmodum .n. neglecta forma quicquid agitur, infirmatur, teſte *l.* 1. *C. de Prædijs Decurionum ſine decreto non alienandis*: ità neglecta prædicta intentione, aut materia: nam de ſimilibus idem iudicium.

DIFFICVLTAS XXI.

An baptizatus, ſed nutritus inter Infideles cenſendus ſit Hereticus.

Reſpondetur in foro Eccleſiæ externo, qualis eſt S. Tribunal; non ſtatim talem cenſeri; ſed prius ei proponuntur tradita ab Eccleſia Catholica, quæ ſi reſpuit, talis cenſetur: in foro verò Sacramenti Pœnitentiæ, qui præſumptionem fori externi minimè ſequitur; attendendum eſt, num errorem contra Eccleſię determinationem in eius mente voluntariè, & ſcientèr teneat; & ſic habendus eſt eſſentialitèr Hęreticus; vnde à Confeſſario dimitti debet, cum ſit ſubiectus excommunicationi S. Pontifici reſeruatę in Bulla Cęnę, Can. 1. E contra Cathecumenus, qui corde iam ſuſceperat fidem; ſi ante ſuſceptum Baptiſmum diſcedat partialitèr, aut totalitèr; non cenſetur Hereticus, aut Apoſtata, ſed Infidelis; cum non ſit adhuc Eccleſię Catholicę per Baptiſmum incorporatus; nec fidem ſolemnitèr ſit profeſſus. *Ex Arſen. S. Inquiſ. part.* 10. *admon.* 160. & 161.; ratio eſt, tum quia forma eſt, quæ dat eſſe rei, *l. Iulianus, ff. de Exhibendis, & tranſmittendis Reis*: forma autem, quæ conſtituit Chriſtianum, eſt Baptiſmus: tum quia omiſſio formæ vitiat actum, ipſaq; neglecta nil agitur.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An ſit diſcrimen inter excommunicatum ob cauſam hęreſis, & aliam cauſam.

Reſpondetur affirmatiuè, nã qui eſt excommunicatus ob aliã cauſam, quã hęreſis, ſi reſipiſcat; vt ſuorũ bonorũ dominiũ recuperet; noua Eccleſiæ conceſſione expreſſa, vel tacita non indiget. patet ex *Canon. Iuratos, & Canone Nos Sanctorum,* 15. *q.* 6. Cęterùm, qui ob hęreſim eſt excommunicatus, licèt reſipiſcat: eget tamen noua Eccleſiæ conceſſione expreſſa, vel tacita; vt ſuorum bonorũ dominium recuperet, patet ex *Canon. loc. cit.* quod notat præcipuè *Ludouicus Carbonus, tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 58. *per totum.*

DISTINCTIO QVINTA.

De Hæretico purè mentali.

Licèt verùm ſit Confeſſarium, vti ſupra (diſtinctione immediata) oſtenſum fuit; minimè abſoluere poſſe Hæreticum; ſed ad S. Pontificem ſpectare eius abſolutionem: non tamen idem eſt reſpectu cuiuſcunque Hæretici; idcircò dicendum de Hæretico, quem abſoluere poteſt; vz. de Hæretico purè mentali: aut purè externo. Verùm quia interdum contingit nec dictos Hæreticos purè mentales à Confeſſario abſolui poſſe; propterea ponuntur caſus in ſpecie, quando non poteſt, nam l. generalitèr, & indiſtinctè loquens non refertur ad caſus ſpecialitèr notatos, l. Sanctio legum, ff. De Pœ. l. Doli clauſula, ff. De Stipulatione ſeruorum.

Circa hanc diſtinctionem duos formabimus articulos.

Quorum alter erit de Hæretico mentali in genere.

Alter verò erit de Hæretico purè mentali in ſpecie.

ART.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Hæretici purè mentales afficiantur excommunicatione Bullæ Cœnæ contra Hæreticos lata.

NOtandum actum interiorem eſſe in duplici differentia, videlicèt actum interiorem ſolum: & actum interiorem coniunctum: actus interior ſolus, vt cum quis malum aliquod excogitat, vel aliquem odio habet; diciturq; ſolus, dum non coniungitur cõmiſſioni, vel omiſſioni ad extra: è contra verò coniunctus dicitur; dum vnitur commiſſioni, vel omiſſioni extrinſecæ.

His habitis reſpondetur omittentem, vel committentem actum ad extra ſatis oſtenſiuũ hæreſis internæ excommunicatione contra Hæreticos lata affici; quod ſecùs eſt de illo, cuius actus interior non coniungitur cum aliqua commiſſione, aut omiſſione ad extra: ratio eſt, quia Eccleſia non habet iuriſdictionem ſuper actus purè internos; conſequentèr non poteſt de ipſis iudicare: nec pœnam ſumere; quod ſatis cõſtat: quia, ſi Eccleſia poſſet ſupra dictos actus mentales; nulla ſupereſſet ratio probandi neceſſitatem diuinæ legis; quam ponimus neceſſariam; vt Deus per illam iudicet de internis actibus; ad quos Eccleſia ſe extendere non poteſt.

Verùm aduerte, quòd licèt Eccleſia non habeat iuriſdictionem directè, & per ſe circa actus internos: habet tamen per accidens, & indirectè ſecundum quod (vt dixi) coniunguntur actibus externis; quemadmodũ etiam habet ſuper actus exteriores per accidens occultos.

Vnde poteſt de illis non modò præcipere; ſed etiam ſtatuere pœnas: v. g. excommunicationem, etiam in foro conſcientiæ: Quare, ſi quis percutiat Clericum in nemore (ſz. nullo ſpectante) mox tamen in excommunicationem incidit; tum quia actus iſte percuſſionis ex natura ſua eſt ſenſibilis: tum quia probatio nõ eſt neceſſaria pro pœnis iam ſtatutis, ſeu latis in generali, ſed pro inferendis in particulari. Aduerte itidem diſcrimen eſſe inter actum præcisè mentalem: & occultum per accidens: nam primus non punitur ab Eccleſia, quòd ſecùs eſt de ſecundo.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Hæreticus mentalis hæreſim confitendo ſacramentalitèr incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

TOTA difficultatis ratio eſt; quia ad incidendum in dictam excommunicationem duo præcisè requiruntur, vz. hęreſis in mente: & ſignum externum ſatis ſignificatiuum internæ hæreſis; quales conditiones inſunt Hæretico mentali hęreſim cõfitenti, vt de ſe conſtat.

Ante reſponſionem ſupponitur confeſſionem à dicto Hęretico non fictè fieri; ſed animo obtinendi abſolutionem ſacramentalem; quod ſanè dicitur ad diſtinctionem confitentis, v.g. animo abducendi Confeſſarium à veritate Catholica, qui abſque dubio in dictã incideret excõicationem, vt ſupra ẽt viſum fuit.

Reſpondetur difficultati negatiuè nempè huiuſmodi Hęreticum nõ incidere in Bullam iuſtè ſuum peccatum confitendo; ratio eſt primò, quia cum huiuſmodi confeſſio fiat homini Deum repræſentanti; relinquit crimen occultum, nõ minus ac erat prius; cognoſciturq; ab ipſo, vt Deus.

Secundò, quia aliter confeſſio redderetur odioſa; faceret enim pœnitentem peccatum ſuum confitentem deterioris conditionis illo, qui illud ſubticet; quod ſatis patet, ſi ille incidat, & iſte non.

Tertiò patet, quia iſte actus rectè confeſſionis eſt bonus, & ad bonum finem; idcircò minimè excommunicationi ſubiectus; cum non ſint ſubiecta excommunicationi niſi mala; & per hac rationes ſatisfit difficultati obiectæ.

Idem ſimilitèr reſoluitur de illo, qui Confeſſario ſuam hęreſim conſilij gratia reuelat, idem quoque de illo, qui ſecreto ſuam detegit hæreſim Inquiſitori; patet, tum quia alium cõſulens non habet pertinaciam ad hæreſim requiſitam: nec aliter dici poteſt, aliòquin aditus ad conuerſionem Hæreticis præcluderetur. Verùm attendendum eſt, an dictus pœnitens abſque animo conſilium petendi, vel cõfitendi ſacramentalitèr; ſed ſolum capiendi occaſionem ex confeſſione ſuam manifeſtauerit hæreſim; vt ſic commodè, ac ſecretè Confeſſarium peruertere poſſet: nam in tali euentu incidiſſet in excommunicationem; quia ad extra manifeſtauit ſuam internam hęreſim ſine actu moralitèr bono: nec ad bonũ ordinatum, vt notat in primis cum multis DD. *Angelus Boſſius de Priuilegijs Iubilæi, ſect.* 1 *caſ.* 10 §. 4. *nu.* 139. *&* 140. Nec obſtat, quòd Hęreticus prædictus poſteà petierit conſilium; quia, vt dictum eſt alibi; non fuit petitum ad illum ſequendum: ſed ad ſeducendum Confeſſarium, hoc eſt, ad deducendum ipsũ à ſententia Catholicorum in illam Hæreticorũ: Quare Hæreticus eſt ex ſua perfidia fructum euitandi excommunicationem minimè colligere debet, nunquid ex tribulis ficus?

DIFFICVLTAS II.

An qui hæreſim, quam animo conceptam gerit in ebrietate euomit; incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

SVppono hunc ſciuiſſe in ebrietate ſe ſolitum eſſe talia effutire; & proindè à nimietate vini ſibi abſtinendum eſſe.

Reſponſio eſt negatiua, cuius ratio eſt; quia hæreſis eſt in intellectu, non minus ac fides, quæ eſt ſuum oppoſitũ: nam oppoſita habent fieri circa idem obiectum, ſeu ſubiectum, & in eo eſſentialitèr perficitur; per verba verò exteriora non perficitur; ſed tantummodò manifeſtatur; & ſubindè prolatio Hæretici dogmatis non erit hæreſis formalis; niſi ab interna intellectus hęreſi procedat, & exprimatur:

tur: cum ergo opera ab ebrio patrata non ſint directa ab intellectu: nec imperata à voluntate; ſed potius à phantaſia, vel à conſuetudine; conſequentèr nec talis exterior hæreſis prolatio ab ebrio erit hæreſis formalis, nec ſubiecta excommunicationi: nam non datur conſequens abſque ſuo antecedente: tranſit nanque res cum ſua cauſa, *l. Si conuenerit*, §. *Si fundus*, *ff. De pignoratitia actione*.

Dices, occidens Clericum in ebrietate fit irregularis, & incidit in excommunicationem (facta ſuppoſitione, vti ſupra, de ſcientia ſuæ prauæ conſuetudinis in dicto ſtatu) ergo in ſimili etiam ebrius hæreſim, quam in mente tenebat euomens, in excommunicationem Bullæ Cænæ incidere debet.

Reſpondeo diſcrimen eſſe inter peccatum occidentis, & eructantis hæreſim in ebrietate. Primò, quia ad effectum, vt quis incidat in excommunicationē propter occiſionem; ſufficit, vt occiſio volita ſaltem in cauſa actu exiſtat, quòd de facto actualitèr exiſtit; ad incurrendum autem in excommunicationem ob hæreſim formalem duo inſimul vnita requiruntur, videlicèt; primò quòd concurrat error intellectus cum pertinacia: ſecundò, quòd ſit aliquo ſigno externo ſufficientèr demonſtratus: quæ cum inebrio inſimul non exiſtant, vt de ſe conſtat; ſed vnum ab alio maneat ſeiunctum; propterea ebrij hæreſis potius procedit ab illius phantaſia, quam cum beſtijs communem habet; quam à voluntate ab intellectu directa; & ſubindè non eſt formalis, nec conſequentèr excommunicationi ſubiecta.

Secundò differt; nam occidens in ebrietate; licèt non operetur humano modo: tamen peccat non ſolùm ratione ebrietatis voluntariè ſaltem in cauſa alienando ſe à mente, ſed etiam ratione præuiſæ occiſionis, vel alterius mali, quod formalitèr nocet; quod ſecùs dicendum eſt de euomente hæreſim, qui peccat tantum primo modo .s. ratione ebrietatis, in cauſa volitæ; dum non abſtinet à nimietate validi vini: non autem ratione hæreſis in ebrietate eructatæ, licèt præuiſæ: tum quia tunc formalitèr nulli nocet: tum quia apud homines recipiuntur cum riſu, & tanquam facetia; tum quia ad earum rationem requiritur, vt proferantur ſcientèr, & deliberatè, alitèr non habentur communitèr, vt contumeliæ &c. ſic *Vaſq. 1.2 q. 76. art. 3. diſp. 123. cap. 3. num. 11. Sayrus lib. 2. Clauis Regiæ c. 9. nu. 42.*

Verùm doctrina hæc non integrè placet *Sanchez lib. 1. Summæ c. 16. num. 44.* vbi ait: (quamuis hoc mihi placeat quoad contumelias contra hominem, .s. quod euomitæ ab ebrio, non debeant haberi, vt contumeliæ: at diſplicet de blaſphemijs contra Deum, cuius ratio eſſe poteſt; quia licèt ea maledicta non ſint voluntaria; nec ſcientèr fiant; attamen; quia in cauſa ſunt præuiſa, & libera; idcircò fortaſsè Deus ea ad peccatum imputat. Placet tū reſpōdere huic eximio Doctori: aliàs prius dictū .s. quod licèt peccata ſint in cauſa; nulli tamen nocent, quod ſecùs eſt de percuſſione, vt cautum fuit ſupra.

Vnum tamen certum eſt (vt optimè idem *Sanchez 2. 47.* docet) ebrium non incurrere in excommunicationem: nec in reſeruationem caſuum; cum tunc prolata in ebrietate in ſe non ſint peccata; vtpotè non ſubiecta pro tunc libertati; ſed ſolùm ſint effectus peccati, ſcilicet ratione præuiſionis illorum ante ebrietatem voluntariam.

DIFFICVLTAS III.

An Catholicus habens propoſitum amplectendi hæreſim, ver. gr. Lutheri incidat in excommunicationem.

Reſpondetur negatiuè, ratio eſt, quia talis, vt ſuppono, de præſenti non profitetur illius Hęreſiarchæ hæreſim: ſed habet præcisè propoſitum illam in futuro profitendi, nunc veram fidem retinendo. ità *Simancas De Cathol. Inſtit. tit. 42. num. 9. & 10. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 10. 10. quaſ. 6. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 8. nu. 2. 21. & 22. Sayr. de Cenſ. lib 3. cap. 4. nu. 31. apud Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 14 nu. 2.* Verùm extra dubium eſt hunc tali propoſito grauiſſimè peccare: Confeſſariumq; cum illo ſe gerere debet, ac cum voluntariè in fide dubioſo; huiuſmodi enim propoſitum deſignat iſtū in Fide Catholica Romana minimè ſtabilem eſſe: quare partes ipſius Confeſſarij ſunt ipsū cōfortare, & cōſeruare in Fide Cath.; omninò ipsū à dicto propoſito auocando, attenderecq; debet, quod quoſq; manet in hoc; non poteſt illi impertire abſolutionem ſacramentalem; quia ſic ſubindè manet in grauiſſimo peccato.

Nec obſtat, quòd propoſitum in mente retentum nihil operatur; quia quamuis nō operetur in propoſito noſtro, vt quis afficiatur excommunicatione Bullæ; operatur tamen, vt proponens annodetur vinculo peccati mortalis: tum quia velle peccare, peccatū eſt: tum quia peccata cordis, oris, & operis ſunt eiuſdē ſpecie, ſecundum *Nauar. in Manuali c. 26. n. 9.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Hęreticus purè mentalis ſeriò, aut per iocum dicens ſe eſſe in aliqua hęreſi, in qua de facto eſt, an incidat in Bullam Cęnę.

Tota difficultatis ratio in hoc ſtat; quia iſte non aſſerit ſuam hæreſim; ſed ſolùm illam narrat, aut refert; vndè meritò mouetur difficultas.

Quidquid placeat Victoriæ citato à Boſſio, vbi infra; Reſpondetur huiuſmodi Hęreticum per eius verba, quouis prædictorum modorū euomita; in Bullam Cęnæ incidere. Probatur primò, quia communis eſt ſententia illorū, qui dicunt actum exteriorem ſufficere ad inducendas cenſuras in materia hęreſis; ſi exiſtat per ſe ſatis declaratiuus interioris; nec refert, quòd hęreſi coniungatur ioco; quia ridentem dicere verum quid vetat?

Dices huiuſmodi Hęreticum ſeriò cōfiteri

poſſe

poſſe Sacerdoti hęreſim; & etiam ab ipſo item ſerio; bonoq; animo petere conſilium manifeſtando hęreſim internam abſq; periculo incidendi in Bullam, vtſupra oſtenſum fuit: ergo etiam dicere poteſt iocosè; quòd exiſtit in hęreſi abſq; tali periculo. Reſpondetur non currere ſimilitudinem hinc,& indè: nam quādo quis ſubijcit hęreſis peccatum ſub clauibus Sacramenti, aut ſecreti conſilio: bonoq; animo illā euitandi; actus huiuſmodi eſt moralitèr bonus; qualis nō eſt actus detegendi hęreſim ſiue ſeriò,ſiue per iocū abſq;dictis bonis finibus; vt conſtat: quare refellitur ſimilitudo per diſſimilitudinem. Dicendum verò è contra illum minimè incidere; qui præcisè narrat ſe iam aliàs extitiſſe annodatum aliqua hęreſi; ſed modò gratia Dei liberatum manere: nam qui narrat non aſſerit, nec negat: ſed præcisè relata refert *Boſſius De Priuileg. Iubilæi, ſect. 1. caſ. 10. §. 4. nu. 141. & 142. & 144.*

DIFFICVLTAS II.

An Hæreticus mentalis exprimens hereſim quibuſdam caracteribus, vulgò Zifre, aut verbis æquiuocis, ſeu amphibologicis incidat in excommunicationem Bullæ.

VAriant DD. circa hanc difficultatem alij tenentes partem affirmantem, alij negantem;quæ ſanè varietas prouenit ex diuerſitate ſuppoſitionis: qui aiunt,ſupponunt zifras, & item verba æquiuoca eſſe tantummodò per accidens occulta: poſſeq; dari aliquem præter Auctorem,qui ea intelligat,faciunt,quę tradit *Suarez de Cenſuris, tom. 5. diſp. 4. ſectio 3. n. 17. Bonac. item de Cenſ. diſp. 2. quæſ. 5. punc. 1. nu. 6. Boſſius De Priuil. Iubilæi, ſect. 1. caſ. 10. §. 4. nu. 136.* qui de communi teſtatur. Qui verò negant ſupponunt zifras: & item verba æquiuoca nō ſatis exprimere hæreſim: vt autem quis incidat in Bullam ob hæreſim,requiritur,vt zifræ ab alio præter Auctorem intelligi poſſint; quod hìc non contingit;cum tàm zifræ,quàm verba æquiuoca non poſſint intelligi ab alio, quàm ab Auctore: ità *Sanchez, & Ricciullus citati à Boſſio, vbi ſupra*, quæ profectò ſententia ipſi non videtur improbabilis. Huiuſmodi ſententiæ ſi attentiùs perpendantur,ſtatim intelligemus non controuerti; ſed idem ſentire, ſi concordentur in ſuppoſitis: nam diuariatis ſuppoſitis,ſeu principijs,diuariari oportet,quę ab ipſis pendent.

DIFFICVLTAS III.

Hæreticus purè mentalis, qui internè negat .i. non tenet Eccleſiæ auctoritatem in ieiunijs inſtituendis; an comedens carnes in diebus ieiuniorū hoc motiuo incidat in Bullam.

DIfficultas reſoluitur diſtinctione. Vel carnis comeſtio dictis diebus eſt talis; vt inducere poſſit hęreſis ſuſpicionē,qualē induceret ille,qui ordinariè in Quadrageſima, ac alijs ieiuniorum diebus abſque cauſa illas comederet: vel eſt ſolummodò extraordinaria; de ſe nullam inducens hæreſis ſuſpicionem; primò modo Hæreticus purè mentalis comedens carnes etiam occultiſſimè annodatur dicta excommunicatione; ratio eſt, quoniam ex interiori hæreſi cauſatur carnium comeſtio; tanquam eius effectus illam ſufficientèr exprimens ratione hæreſum nunc vigentium, vt notauimus ſupra *Diſt. 4. art. 2. diff. 4. verſ. Verùm*; ſecundo autem modo comedens carnes dictis diebus minimè incidit in excommunicationem ex oppoſita ratione: quemadmodū enim ſe habet propoſitum in propoſito; ità oppoſitum in oppoſito: comeſtio enim carnium in diebus vetitis; ſi non ſit ordinaria; ſed ſolùm interdum contingat; non reddit comedentem ſufficientèr de hęreſi ſuſpectum; cum aliundè,quam ex hæreſi interna cauſari poſſit; vt ex guloſitate, aut infirmitate. ità *Boſſius de Priuilegijs Iubil. caſ. 10. ſect. 1. §. 4. à num. 128. vſq; ad 133.* plures accumulans DD. contra nonnullos.

Dices ex huiuſmodi comeſtione extraordinaria apud ſcrupuloſum,aut puſillū comedens habetur de hæreſi ſuſpectus; & ſic ſaltem ex alterius ſcrupuloſitate, aut puſillitate incidet in Bullam. Reſpondeo non ſatis eſſe; vt comedens carnes talibus diebus habeatur ſuſpectus ab aliquo: ſed neceſſe eſt, vt illas comedens regularitèr à quouis ex huiuſmodi actu de hæreſi habeatur ſuſpectus. Ratio eſt; tum quia lex fit de his, quæ vt plurimum. *l. Nam ud ea, ff. de legibus*: tum quia lex, quæ multiplicitèr intelligi poteſt; interpretari debet ſecundum id; quod frequentius obſeruatum eſt; *l. Si de interpretatione, ff. de Legibus, Antonius de Butrio in cap. fin. extra de Conſuetud.*

Idem reſoluitur de Hæretico; qui ex imperio internæ hæreſis omittit aliquem actum externum reddentem ſatis ſuſpectum de hæreſi omittentem: ex. gr. Si tenens in Sacramento Euchariſtiæ non eſſe veram, & realem preſentiam corporis Chriſti nunquam interſit Miſſæ: aut nunquam illud ſumat in Paſchate; incidit in Bullam ratione huiuſmodi omiſſionis; quia ſatis deſignat ſuſpicionem de hæreſi, ità *Boſſius vbi ſupra*, & notatum fuit ſupra *Diſt. 4. diff. 4. verſ. Verùm, art. 2.*

DIFFICVLTAS IV.

An Hæreticus purè mentalis afficiatur irregularitate?

REſpondetur negatiuè. ità *Nau. in Sum. cap. 27. num. 249. Suarez tom. 5. de Cenſuris, diſp. 43. ſect. 1. num. 3. Sanchez in Oper. Morali tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 4. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 192. §. 5. nu. 69.*

DISTINCTIO SEXTA.

De Hæretico occulto.

Quoniam Hæreticus occultus interdum eſt excommunicatus, & interdum non; item aliquando irregularis, aliquando

non; ideò dicendum eſt de illo, vt ſciat Confeſſarius; quando illum abſoluere poſſit, & quando non; & quia Hæreticus occultus contingere poteſt etiam inter Regulares; idcircò illum (ſi opus eſt) docere oportet; ad quem ſpectat eius abſolutio: & an illam ab Epiſcopo obtinere poſſit, & hæc quatuor tangentur in quatuor articulis.

Primus reſpicit excommunicationem.

Secundus, irregularitatem.

Tertius, Regulares.

Quartus, enodat quandam difficultatem.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Hæreticus occultus in foro poli ſit excommunicatus.

TOTA ratio difficultatis eſt, quia variant DD. circa difficultatem iſtam, vt videre eſt apud *Farinacium de Hæreſi. quaeſ. 192. §. 1. num. 4. 5. & 6. & communitèr apud Summiſtas.*

Ante reſolutionem notandum eſt primò, difficultatem non moueri de Hæretico purè mentali: nam ſi quis interius tantùm aliquid ſentiat contra fidem; ſed nullum ſignum animi ſui exterius exhibeat; non incurrit excommunicationem; ratio eſt, quia Eccleſia non habet iuriſdictionem in actus merè internos, cũ non iudicet de occultis. patet ex *cap. Chriſtiana. 32. q. 5. item ex cap. Conſuluiſti. 1. quaeſ. 6.*

Secundò notandum difficultatem non tractari niſi in foro conſcientiæ; cum certum ſit in foro fori nullum abſolutè abſolui ab excommunicatione, niſi cognita hæreſi; vt inprimis notat *Farinac. vbi ſupra.* Dico abſolutè; nam in S. Officio; qui ſatis non probantur Hæretici, abſoluuntur præcisè ſub conditione; vt cautum fuit ſupra *Part. 1. lib. 7. diſt. 2. art. 2. diff. 1.*

Modò ad difficultatem deueniendo reperio Canoniſtas, ſeu Iuriſtas contrariari Theologis: Iuriſtæ volunt Hæreticum occultum etiam purè mentalem ſubijci excommunicationi: Theologi verò negant; mihi probatur amplectendam eſſe Theologorum ſententiã: diſtinguendumq; eſſe de Hæretico occulto, .s. per ſe, & per accidens; Hæreticus occultus per ſe dicitur ille; qui attentis circunſtantijs humano modo talis cognoſci nequit; cum non ſufficientèr exterius manifeſtet mentem ſuã; vti contingit de illo, qui intus credens fornicationem licitam eſſe, extra fornicatur. ita *Azor. part. 1. lib. 8. cap. 9. 12. Bannes 2. 2. q. 11. art. 4. quaeſ. 5. punc. 2. prop. 1. nu. 3.* Fornicari enim non eſt ſufficiens ſignum defectus Fidei. Hæreticus verò occultus per accidens eſt ille; qui non poteſt probari talis defectu teſtium; licèt ex ſignis ſufficientèr internam hæreſim manifeſtantibus talem ſe manifeſtauerit: ex. gr. hæreſim nullo præſente proferendo. ità *Simancas de Cathol. inſtit. tit. 42. nu. 7. Azor. loc. cit. q. 4. & alij apud Bonac. vbi ſupra nu. 8.* Concludendum eſt itaque Hæreticum occultum per ſe non eſſe excommunicatum; & ſubinde per quemlibet Confeſſarium abſolui poſſe; quod ſecus dicendum eſt de occulto tantùm per accidens: fauētq; huic diſtinctioni Neoterici Doctores, qui relatis, & reprobatis rationibus Iuriſtarum inſimul canonizant Theologorũ ſentẽtiam iuxta traditam diſtinctionem: teſtãturq; iſtam magis, quàm illam Iuriſtarum communem eſſe: Vnde cumulant copioſum DD. numerum illam ſequentes; quos hic reſcribere longum eſſet, ſuperfluum, minimèq; neceſſarium: nam ſicut, quod patet expreſsè, probare non eſt neceſſe, vt tradit *Baldus conſil. 370. col. 2. vol. 3.* ita referre, quod eſt omninò notum.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Hæretici formales .s. inſimul interni, & externi; ſi exiſtant occulti, ſint irregulares: idemq; petitur de Hæreticis tantùm externis, ſed occultis.

DVAE ſunt ſententiæ altera affirmatiua: altera verò negatiua, vt videre eſt apud *Dianam tract. 2. de Irregul. reſol. 4. 6. & apud Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 9. dub. 9. nu. 1. & 2.* Affirmatiuæ ratio eſſe poteſt deteſtatio hæreſis; cui non obſtat, quòd Hæretici iam de peccato egerint pœnitentiam, illiusq; abſolutionem obtinuerint: nam etiam poſt vulnus ſanatum .i. poſt abſolutionem remanet cicatrix, vti habetur *c. Venenum, 1. quaeſt. 1. c. Si quis omnes. 1. quaeſt. 7.* Hanc ſequitur *Nau. cap. 27. nu. 205. Sanchez tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 2. Caſtrus Palaus de Fide tract. 4. diſp. 4. punc. 4. n. 2. Sousa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 3. c. 5. n. 1.*

Negatiua verò ſentit tantũ Hæreticos, aut Apoſtatas publicos, & notorios per euidentiã facti, vel iudicis ſententiam, vel propriam cõfeſſionem in iudicio, (quamuis non ſint denunciati) hanc pœnam incurrere. ità *Henriquez lib. 14. cap. 15. quaeſ. 13. & alij infra cit.* quorum ratio eſt; quia hæc irregularitas non habetur expreſsè in iure; ſed ideò Hæretici irregulares dicuntur; quia crimen enorme depoſitione dignum committunt. Hinc fit irregularem eſſe; tum qui publicè profeſſus eſt, ſe eſſe Hæreticum; vel Saracenorum, aut Iudæorum ſectæ adhæſiſſe, qualis .s. eſt ille, qui manifeſtè Idolis cultum detulit; etiam ſi interius fidem retineat. ità *Azor. lib. 8. cap. 15. quaeſt. 13. Emanuel Sà, ver. Irregularitas ex defectu animæ, 2. Say. in Teſauro lib. 7. cap. 12. num. 26. Auila de Cenſ. part. 7. diſp. 4. dub. 2. Trullench. loc. cit. nu. 1. & 2.*

Hanc autem irregularitatem contrahunt; etiam ſi metu mortis hæc præſtiterint. *Sanchez loc. cit. nu. 6.* contra aliquos, quos citat *Azor. vbi ſupra*, volentes dictos excuſari metu mortis;

tis; quoniam Eccleſia cum tanto graui damno non obligat.

Verùm mihi probatur diſtinguendum eſſe de foro poli, & foro fori concedoque, quòd prædicti ſunt præciſè irregulares in foro fori, ſi contingat caſus occultus detegi: non autem in foro poli, dum manet occultus.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Ad quem ſpectat abſoluere Regularem in hæreſis crimen lapſum tàm publicum, quàm occultum; an ad Regularis Superiorem, vel ad Inquiſitorem.

Reſpondeo diſtinctione de iure antiquo & nouo opus eſſe: attentoq; iure antiquo, quod abolitum eſt per Paulum Quintum; Regularis abſolui poterat etiam in foro fori tàm à ſuo Superiori, quàm ab Inquiſitore: quia tunc dabatur locus præuentioni: ſpectato verò iure nouo pertinet ad Inquiſitorem abſoluere ab hæreſi publica (ſeueriſſimis taxatis pœnis religionum Superioribus) ſe quo ad hanc cauſam intromittentes: patet ex Conſtitut. Pauli Quinti, incipit, *Romanus Pontifex*.

Regulares verò pœnitentia affecti pro delictis ad S. Inquiſitionis Officium pertinentibus priuati exiſtunt ſuis officijs, & voce actiua, & paſſiua, vt patet ex Decreto S. D. N. Vrbani dato ſub feria v. primæ Octobris 1626. incipit *Sanctiſſimus D. N. iuſtis de cauſis*, vt videre eſt apud Collectorem Bullarum, & Decretorum nouiſſimorum, pag. 205.

Quo verò fauore potiatur regularis, qui aliquem apud S. Officium deponit; habes in Decretis Congregationis S. Officij Romæ, quæ colligit *Aloyſius Bariola in Floribus Directorij, pagina vltima*, *& Naldus verbo Hæreſis*, nu. 24.

Loquendo verò de hæreſi occulta. Quo ad forum ſecretum conſcientiæ alij aiunt, alij negant iuxta ea, quæ tradita ſunt de Epiſcopis, quorũ alij ſuſtinent adhuc ipſos poſſe in foro cõſcientiæ abſoluere vi *Cõcilij de refor. ſeſſ.* 24. *c.* 6. non obſtante Bulla Cænæ; alij negant: idẽ de Prælatis Religionum præſumendum eſt; ratio eſt, tum quia Prælati regulares nomine Epiſcoporum comprehenduntur in dicto *cap. Concilij, vti tradunt DD. maximè Boſſius de Priuil. Iub. caſ.* 10. §. 10. *num.* 211. *Barthol. à S. Fauſto lib.* 3. *Theſau. relig. quæſ.* 125. *Portel. ver. Prælati nu.* 36. habent enim iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos in vtroque foro: tum quia illud Decretum Trid. eſt fauorabile; cum non exorbitet à iure communi; ſed reducat ad ius antiquum; quo attento Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, quæ poteſt Papa in toto orbe; cum itaq; ſit fauorabile extendendum eſt ad dictos Prælatos religionum; maximè cũ reſultet in bonum religionis, cui certum eſt Summum Pontificem fauere velle. ità *Boſſ. loc. cit. ſequens Caiet.*, *& Rodriquez*; tum prætereà, quia religioſi eſſent peioris conditionis quàm ſæculares; cum ſic remanerent deſtituti conueniente remedio animarum ſuarum, cogerenturq; adire S. Pont., vel alios Prælatos extra relig.: Nec obſtat Conſtitut. Pij V. incip. *Romani Pontific.* cõcedens Prælatis Reg. quod iam conceſſerat. *Conc. Trid. Epiſc. in d. cap.* quia facta fuit ad tollendam dubitationẽ omnem: ſæpè .n. Summi Pontifices ad tollendos ſcrupulos, & ad maiorem conſcientiæ quietem; aliqua in iure ipſis religioſis conceſſa; eadem per Breue ſpeciale etiam confirmant. vide *Compendium Societ. Ieſu, verb. Abſolutio, Lauren. Portel. in Dubijs Reg. verb. Hæreſis*, §. 4. *ver. Prælati, nu. item* 4. *Peirinum in tabula, ver. abſoluere, & alios.*

An verò Prælati Reg. valeant alteri committere dictam facultatem abſoluendi, & diſpenſandi in ordine tum ad proprios ſubditos: tum ad ſeipſos. Reſpondeo affirmatiuè, vt in ſimili dictum eſt de Epiſcopis: & idem poteſt Præſes Capituli nomine eiuſdem. vide *Boſſ. loc. cit. nu.* 209.

DIFFICVLTAS II.

An Religioſi ab Hæreſi occulta, de licentia ſuorum Prælatorum ab Epiſcopis abſolutionem obtinere poſſint.

Ad difficultatẽ reſpondetur affirmatiuè, quia in *Decreto Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de Reformatione*, nomine ſubditorum comprehenduntur etiam Religioſi exempti: ità vt ex ſui Prælati licentia Epiſcopis ſe ſubijcere poſſint; vt ab eis abſoluantur ab hæreſi occulta: & etiam, vt cum eis diſpenſent in caſibus; in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis: ità *Nauar. lib.* 1. *Conſil. tit. de Offic. Ordinar. conſ.* 8. *Graff. lib.* 4. *c.* 39. *nu.* 32. *Moli. tom.* 4. *de Iuſt. diſ.* 6. *num.* 4. *Filiucc. prima part. tract.* 7. *c.* 19. *nu.* 286. *& tract.* 20. *num.* 27. *Floron. de Caſibus reſer. par.* 1. *c.* 4. §. 7. *nu.* 12. *Boſſius de Priuil. Iub. ſect.* 1. *caſ.* 10. §. 4. *nu.* 159. qui refert prædictos DD. & teſtatur de communi contra *Garziam, trac. de Beneficijs par.* 7. *c.* 11. *nu.* 20. & alios; ratio eſt, quia licèt Religioſi ſint exempti: attamen in fauorabilibus nomine ſubditorum illius Diœceſis, in qua habitant; pro tempore habitationis rectè comprehendi poſſunt.

Probatur ſecundò, quia regularis ex Superiorum licentia ſaltem in his, quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis; vt ſunt abſolutio, & diſpenſatio poteſt cedere priuilegio exemptionis, & ſic ſubijcere ſe Epiſcopo; vt ab eo abſoluatur, & ſecum diſpenſet. Probatur tertio, quia Religioſorum exemptio potiſſimùm inducta fuit in fauorem Religionis; ne ſcilicèt Religioſi ab Ordinarijs perturbarentur; quapropter in his, quæ pertinent ad fauorem Religiogionis; non debent eſſe deterioris conditionis alijs de eadem Diœceſi non exemptis: ità *Boſſ. de Priuil. Iub. ſect.* 1. *caſ.* 10. §. 4. *num.* 159. *poſt Sanchez lib.* 2. *Summæ c.* 11. *num.* 8. *& 9. apud ipſum.* Dixi, quod Religioſus poteſt ſe ſubijcere Epiſcopo de licentia Prælati; quia abſque illa non poteſt, vti tradunt DD. quos ſupra citaui. Verùm interdum ſufficit licentia tacita: v. g. ſi Prælatus ſit impeditus; quia eſt excom-

municatus, denunciatus; aut longè abeſt: nec alius eſt, qui illius vices gerat. Itidem poteſt Religioſus ſubditus in caſu, quo Prælatus iniuſtè denegaret licentiam adeundi Epiſcopum pro caſibus, à quibus ipſe nequit abſoluere; & ratio eſt, quia (penſata epicheia) nō eſt cenſendum voluntatem Romani Pontificis, & Religionis eſſe; quòd Epiſcopus in eo euentu non abſoluat; alioquin Religioſus vagari cogeretur petendo Sedem Apoſt. pro abſolutione.

Dixi, ſi Superior iniuſtè licentiam denegaret: nam ſi iuſtè illam denegaret; vel foret dubium, an iuſtè illam denegauerit, ſecus eſſet concludendum: cum in dubio ſtandum ſit Superioris iudicio. Verùm prædicta veniunt intelligenda ſolummodò; quando facultas abſoluendi, & diſpenſandi, quæ in immediato Superiore, vt in Guardiano, aut Preſidēte familię nō eſt: nec in Prouinciali, aut alio Supiore Religionis repitur; nam, cū intra Religionem præſtò ſit remedium; non cenſetur velle cōſentire, vt extra illam illud petatur.

Denique notandum, quòd ſi etiàm ipſe Prelatus tali abſolutione, aut diſpenſatione Epiſcopi indigeat; ſeipſum eidem ſubijcere poterit; nam poteſt vti licentijs, quas etiam ſubditis ſuis concedere poteſt: ità *Suarez de Cenſuris diſp. 31. ſect. num. 12. Boſsius loc. cit. nu. 162.* & alij apud ipſum eodem in loco.

Amplector hanc ſententiam; quia notum eſt Eccleſiam Catholicam Romanam non ignorare diuerſitatem opinionum; & poſſe occurrere parti affirmanti Epiſcopum in foro ſecreto conſcientiæ abſoluere poſſe; quod tamèn non præſtat ſatis manifeſtè, vti oporteret; ſi nullatenùs vellet illam haberi pro probabili.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An præter prædictas Hæreticorum ſpecies de quibus hucuſque actum eſt, dentur aliæ.

REſpō affirmatiuè, ſed pro noſtro inſtituto ſufficit dixiſſe de illis: dico tñ breuitèr Hereticorū alios eſſe manifeſtos, alios ſecretos: manifeſti ſunt, qui contra fidem publicè prædicant, aut profitentur, aut defendunt errorem. Secreti ſunt, qui eorum, quæ ſunt Fidei, errorem in mente habent cum pertinacia in voluntate: quam tamen verbo, vel facto exteriori non oſtendunt, vt notat *Rubert. Tuitien. ſuper Apoc.*

Manifeſti intelliguntur per Magog, quòd interpretatur detectū: Secreti verò per Gog, quod interpretatur tectum, vt notat *Bernardus Lutzenburgus in Catalogo Hereticorum lib. 1. c. 12.* hæc Hæreticorum diſtinctio coincidit cum alijs ſpeciebus ſupra relatis.

Secundò, quoſdam dici affirmatiuos, quoſdam verò negatiuos. Affirmatiui ſunt, qui in mente habent errorem eorū, quę ſunt fidei; & verbo, vel facto cum pertinacia illum oſtendunt. Negatiui ſunt, qui coram Iudice fidei, per teſtes legitimos de aliqua hæreſi, rectè ſunt conuicti; ſed non confitentur; imò conſtantèr negant: verboq; ſolo Fidem Catholicam profitentur.

Tertiò, quoſdam eſſe impęnitentes: quoſdam autem pœnitentes: Impęnitentes ſunt, quib. dum mandatū eſt, vt reſiliant ab errore, illum abiurando; nolunt obtemperare, pertinacitèr perſeuerantes. E contrario autem dicuntur Hæretici pœnitentes.

Quartò, quoſdam eſſe relapſos: quoſdam tantùm lapſos; relapſi ſunt, qui poſtquam, vt pœnitentes hæreſim abiurarunt; in eandem, vel aliā hæreſim ruerunt: Lapſi tantùm ſunt, qui, poſtquam abiurarunt; permanent in Fide Catholica.

Quintò, alios eſſe tantùm Hæreticos: alios eſſe ſimul Hæreſiarchas; Hęretici tantùm ſunt; qui hæreſim, quam in mente retinent, alios nō docent. Hereſiarchæ verò è contra ſunt; qui Fidei contraria inuenerunt, vel confinxerunt: aut inuentam, vel confictam, alios docendo Magiſtri, & Principes errorum efficiuntur; ità *Lutzenburgus loco cit. ferè in proprijs terminis.*

DISTINCTIO SEPTIMA.

De his, à quibus excuſatur Hæreticus.

Sunt aliqua, à quibus contingit Hæreticum excuſari: & aliqua, à quibus ille minimè excuſatur; quæ Confeſſarius ignorare non debet: Unde de his quoque aliquid dicemus.

Sed primo loco dicemus illa, à quibus excuſatur Hæreticus verus, vel putatus, & hæc conſtituunt primum articulum. Secundo verò loco ponemus, quæ illum minimè excuſant, maximè à conuerſione; hæc autem conſtant ſecundum articulum; & proindè iuxta duo notata in præſenti diſtinctione duos habebimus articulos.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An qui ab initio; v.g. à pueritia perperàm in fide fuerunt instructi; excuſentur ab hæreſi.

REſpondet *Ioan. Sanchez in ſelectis diſp. 19. num. 3.* affirmatiuè, ſcilicèt quòd excuſantur; donec illis ſufficiētèr ſit propoſita fides Catholica; quia vſq; ad illud tempus illius ignorantia detinentur inuincibili: cum à parentibus eorum fuerint malè Edocti: & videant eam in ſua Eccleſia ita publicari, à maiorique parte recipi; tunc autem ſufficientèr proponitur Fides Catholica; quando ipſius myſteria confutatione Hæreticorum errorum ſufficientèr con-

cõfirmatur vitæ ſãctitate, talibuſq; rationibus, quæ ipſis ad deſerendum propriam, & amplectendum Catholicam.

Dico ſufficientes: quia nec Hæreticus propriè ſumptus, nec Infidelis, ſiue ſit Gentilis, ſiue Iudæus cuilibet rationi credere tenetur: nam ſufficientes eſſe poſſint, *Qui citò credit, leuis eſt corde, Eccleſ. c. 19.* Quinimmò ſi inualidis rationibus moueretur ad diſerendam ſectã ſuam, lethalitèr inficeretur; cum legem, quam ſalutarem iamdiù eſt arbitratus, abſq; ſufficiẽti ratione deſerit: Vnde notandum eſt, quod licèt quis non delinquat amplexando id, quod verùm eſt materialitèr, & formalitèr ſimul, quale eſt fides Catholica; poterit tamen delinquere, ſi ſequatur illud, quod inſufficientèr probatur verum: Quare Infideli, cui noſtra fides ſufficientèr non eſt propoſita: & adhuc ratione minimè eſt conuictus; quouſque Fidẽ Catholicam exiſtimat falſam, vel minus probabilem, propriam nõ tenetur deſerere: nam quamuis Catholica ſit omninò certa materialitèr, & formalitèr: tamen non eſt talis ſibi: nam res inter alios acta, alijs præiudicare nequit. *l. 1. C. Res inter alios acta.* Verùm attende, quod differt difficultas hæc ab illa, quæ quæritur, an quiſque in ſua religione ſaluari poſſit, ſi credat in Chriſtum; quam habes infrà *Lib. 12. diſt. 2. art. 4. diff. 1.* Differt item ab illa, quâ inquiritur, An Gentiles Fidem Catholicã non recipiendo damnentur, vide infra *Lib. 11. diſt. 4. art. 1. diff. 3.*

DIFFICVLTAS II.

An in aliquo caſu, quis exiſtat Hæreticus, ſed excuſetur ab excommunicatione in foro conſcientiæ.

RESpondet affirmatiuè *Sanchez in Summa lib. 2. cap. 10. nu. 6. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. quæſ. 1. punct. 1. nu. 7. & alij*, & tunc contingit cum quis ex altera parte nouit errorem ſuum eſſe contra determinationem Eccleſiæ; ſed ex altera ignorat contra Hæreticos latam eſſe excommunicationem; quæ licèt ſit ſatis vulgata; tamen contingere poteſt caſus, vt ab aliquo inuincibilitèr ignoretur; & ex conſequenti dicendũ eſt talem Hæreticum in foro conſcientiæ ſuæ non eſſe excommunicatum; cum nullus incidat in excommunicationem, niſi ſuppoſita malitia mortali, & inſimul, cognitione cenſuræ, vt communitèr tradunt DD. Dixi excuſari in foro conſcientiæ; quia in foro fori nullus ab ea excuſatur, niſi ſatis ignorantiam inuincibilem demonſtraret: Coueniunt DD. & conſtat *ex cap. Si verò de ſent. excommunicat.* vndè qui inuincibilitèr ignorans N. eſſe Clericum, illum percuſſit; non contraxit excommunicationem, licèt peccauerit contra præceptum Decalogi: notandum verò ignorantiam inuincibilem idem eſſe cum ignorantia probabili, vt notat in primis *Tol. lib. 1. cap. 9. nu. 16.* vbi eius Marginator ponit differentiam ignorantiæ à neſcientia: quia ignorantia dicit priuationem ſcientiæ: neſcientia autem ſimplicem ſcientiæ negationem.

DIFFICVLTAS III.

Innocens de hereſi iuridicè conuictus, an excuſetur à mortali ſe Reum eſſe concedendo: v. g. ad euitandam torturationem, quam ſuſtinere nequit.

RAtio difficultatis eſt, quia ſcriptum eſt: *Curam habe de bono nomine; Ecc. 41.* item *nè des alienis honorem tuum, Prou. 5. Fama plus eſt cuſtodienda, quam oculi, l. Infamia, C. de Decurion.* Difficultati ſatisfaciendum eſt diſtinctione; Vel talis innocens ignorat ſe eſſe conuictum; & ſic mortalitèr peccat confitendo crimen à ſe non commiſſum; tum quia ſuæ famæ, & honoris nimis prodigum ſe facit; tum quia damnum grauiſſimum infamiæ irrogat ſuæ ſtirpi, ac deſcendentibus. ità *Hieronym. Roder. reſol. 73. nu. 16. poſt Nauar. cap. Inter verba, Conc. 6. Coroll. 44. Soto de Iuſtitia lib. 4. quæſ. 2. art. vlt. Couar. lib. Variar. c. 2. nu. 8. ab ipſo relatos*: Vel huiuſmodi innocens nouit ſe de hereſi eſſe conuictum: atq; ſecundum allegata, & probata, velut reum de hæreſi publicè fore puniendum; & his ſtantibus à mortali excuſatur; cuius ratio eſſe videtur; quia ex tali confeſſione non videtur oriri ſcandalum graue; cum iam ex hoc, quòd eſt conuictus, famam, & honorem ſuum amiſerit; non tamen à veniali culpa illũ excuſant prædicti DD., cum diffidat de diuino auxilio: quod opportuno tempore præſto eſt ipſum inuocantibus; vt iam præſto fuit Suſannæ iam de crimine per falſos teſtes conuictæ; ac ſecundum allegata, & approbata publicè puniẽdæ: Abrahæ ipſũ de manu Chaldeorum liberando. Danieli ipſũ à Leonibus defẽdẽdo. Sidrach, Miſach, & Abden. ipſos illęſos cõſeruãdo. Moyſi, Aaron, & pop. Iſr. ipſos de manu Pharaonis, & de ſeruitute Aegypti educendo.

Nec concluſioni obſtant textus à principio allati; nam iſte nõ contemnit honorem ſuum; cum amplius illum non retineat, extiteritq; conuictus; nemo autem proijcit, quod non habet: *l. Nemo ff. de Reg. iur.* ſed proijcit, vel donat, quod retinere nequit: iuxta *l. Donari. ff. de Reg. iur. Donari videtur, quod (nullo iure cogente) conceditur.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An qui iurauit ſe manſurum vſq; ad mortem in aliqua Hæreticorum ſecta; excuſetur perſeuerando, vt obſeruet iuramentum.

OCcaſio difficultatis eſt, quia nonnulli Hæretici maximè ſimplices benè affecti erga Fidem Catholicam non audent illam publicè profiteri; quia ſe in tali ſecta, vſque ad mortem perſeueraturos iuramento promiſerunt; v. g. parentibus ſuis.

Reſpondeo difficultati, quod non excuſantur; quia non tenentur præſtare hoc promiſſum, licèt iuramento firmatum; quia quando iuramentum eſt de re turpi, & illicita; nõ obligat, nec ſeruandum eſt. *l. Imperialis de Nuptijs 22. quæſ. 4.* tum quia tolerabilius eſt iuramentum non implere, quam turpitèr facere. tum quia iuramenta illicita laudabilitèr ſoluuntur, & dam-

& damnabilitèr obſeruantur: tum etiam quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis; præterea; quia tolerabilius eſt non implere Sacramentum, quàm permanere in turpi flagitio; quæ rationes ex 2.2. *quaſ.* 4. colliguntur. Idipſum conſtat manifeſtiſſimis exemplis. Primò exemplo Herodis, qui peccauit ſeruando illicitum iuramentum, amputando ſ. caput Ioannis Baptiſtę, vt ſeruaret promiſſũ Saltatrici, vt cõmunitèr notant Expoſitores Sacræ Scripturæ. Secundò, è contra exemplo Dauidis, qui laudatur, quòd non ſeruauerit atteſtatum iuramento, nempè ſe interfecturum Nabal; cedendo precibus Abigail dicti Nabal vxoris; quę ſupplicitèr ipſum exorauerat, vt ei condonaret ingratitudinis noxam.

Eſt itidem alius caſus, quo iuramentum ſeruari non debet, vz. quando legibus, aut canonibus contrarium eſt. *l. Si quis Inquilinos, ff. de Legat. & fideicom.* §. *fin. & cap. Si diligenti; de Foro competenti*; Ratio eſt, quia maior eſt obligatio publicæ legis, quàm priuati iuramenti; hinc *Innocentius loc. cit.* ait, pactione priuata iuri publico minimè derogatur. *Et Papinianus l. Ius publici, ff. de Pactis*, inquit, *Ius publicum priuatorum pactis mutari non poteſt*. Item priuatorũ conuentio iuri publico non derogat. *l. Neque pignus, ff. de Regulis iuris*.

Idem ob eandem rationem dicendum de illo, qui ſimilia vouiſſet.

Idipſum ex eadem ratione dicitur de illo, qui idem pollicitus eſt ſub aliquo pacto, vel pœna: hinc ſequitur à fortiori nullum teneri in dubio, an promiſerit tale quid ſiue proprijs parentibus, ſiue alijs: nam excuſatio dubia non tollit obligationem certam: omnium, & ſingularum iſtarum concluſionem ratio elicitur ex Euangelio, ibi: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur: animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua? quaſi dicat, nullam*.

Forſan petes; quomodo pœna, & pactum differant; reſpondeo hoc eſſe petendũ à *Summiſtis verbo pactum, & verbo pœna*: nam ad propoſitum noſtrum eodem modo deobligaris tàm ſi ſub pœna, quàm ſi ſub pacto pollicitus es permanere in religione ſectæ N.

Verùm fungendo Summiſtæ officio breuitèr dicendum eſt pactum, & pœnam differre ad inuicem ſaltèm quo ad hoc: quia ad pœnã nullus tenetur, niſi poſt ſententiam (loquendo de pœna corporali) *ver. gratia pecuniaria, abdicatione ab officio, beneficio &c.* ad pactum verò obligaris, vt primum tranſgreſſus es legem intèr partes ſtatutam. facit ad hoc, quòd tradit *Poſſeuinus de Officio Curati cap. 15. num. 30. poſt multos DD.*: Vnde quemadmodum ſtrictior eſt contractus conditionalis, quàm modalis: nam conditionalis non ſubſiſtit, niſi ſubſiſtente cõditione: modalis verò adhuc ſubſiſtit, licèt nõ ſubſiſtente modo: ità dicendum eſt de pacto; & pœna: vz. quod illud longè ſtrictius eſt, quã pœna: nam ad pactum tenemur ante ſententiam; quod ſecus eſt ad pœnam.

Verum quædam ſunt pœnæ, vz. cenſuræ, quæ, dum fulminãtur ſub his modis, ſ. ipſo iure; ſtatim legi contrauenìens ligatur ante pœnæ, & criminis declarationem (loquendo in foro conſcientiæ) & in foro fori requiritur præcisè à Iudice commiſſi criminis declaratio.

DISTINCTIO OCTAVA.

De abſolutione ab hæreſi reſpectu inferiorum Confeſſariorum tàm Iubilæi, aut alterius gratiæ tempore, quàm extra.

Diſtinctionem iſtam diuidemus in tres articulos.

Quorum primus reſpicit priuilegia, quibus interdum Confeſſoribus integrum eſt abſoluere ab hæreſi.

Secundus decernit, quos Hæreticos in ſpecie abſoluere poſſint Parochi, & ſimplices Confeſſarij.

Tertius verò ponit praxim obſeruandam ab ipſis circa exceptionem Hæreticorũ.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Iubilæi tempore abſolutio ab hæreſi occulta ab omnibus Confeſſoribus impertiri poſſit.

Loquimur hìc de hæreſi formali, quæ ſimul internam, & externam complectitur.

Suppono primò, quòd in Iubilæo concedatur facultas abſoluendi pœnitẽtes ab omnibus caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; etiam in proceſſu litterarum Cœnæ Domini contentis.

Suppono ſecundò, vt in Iubilæo non excipiatur crimen hæreſis, velut interdum ſolent Summi Pontifices.

Suppono tertiò facultatem hanc concedi tantùm pro foro interiori; reſeruata Inquiſitoribus facultate procedendi in foro exteriori.

His ſuppoſitis dico duas eſſe DD. ſententias circa hanc difficultatem, & vtraque ſupponit tria prædicta: altera tenet partem negatiuam; altera verò affirmatiuam. Negatiua his innitur fundamentis. Primum eſt; quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie veriſimilitèr non eſſet conceſſurus, *cap. Generalitèr, de Reg. iur. in 6.* hæreſis autem, cum ſit maximum crimen, habet ſpecialem grauitatis modum; & ſubindè ſtrictiſſimam continet reſeruationẽ; adeò, vt veriſimile ſit S. Pontificem nec in Iubilæo illam concedere. Item, quia Princeps inſolita non præſumitur concedere. *Boer. deciſ. 243. num. 11. verſ. Quod facit.*

Alterum eſt, quia ſtylus Curiæ Romanæ habet, vt ſub clauſula generali, .s. à quibuſcunq; caſibus Bullæ Cœnæ, non comprehendatur hæreſis.

Tertium eſt, quia fertur ità fuiſſe declaratũ à Gregorio XIII. anno 1576. ad petitionem Inquiſitorum Hyſpaniæ.

Cæterùm opinio affirmatiua fundatur in ſequentibus rationibus. Prima, quia in Iubilæis interdum excipitur hæreſis; ergo quando non excipitur; probabile eſt S. Pontif. concedere facultatem abſoluendi ab ipſa. Item, quia lex generalitèr loquens, generalitèr eſt intelligenda. *l. de Pretio, ff. de Public. in rem. act.* item quia beneficium Principis eſt latiſſimè interpretandum, quãdo .s. in damnũ tertij non vergit, *l. Si ff. de Conſtit. Princip. cum ſimilibus*. Itidèm quia cõceſſio indefinita; qualis eſt illa caſuum Bullæ Cœnæ, æquipollet vniuerſali; ideò compræhendit hæreſim, niſi expreſsè excipiatur.

Secunda eſt, quia id exiget fauor animarum; vt omnes .s. vti poſſint beneficio Iubilæi, maximè, quod vocatur vniuerſale, .i. pro omnibus datum; ſi autèm Hæretici occulti non poſſent abſolui, quomodo complecteretur omnes? quomodo vniuerſale?

Tertia, quia huiuſmodi abſolutio in foro Sacram. Pœnitentiæ non tendit in præiuditiũ tertij, nempè S. Officij, in quo caſu beneficiũ Pontificis congruentèr extendi poteſt; & ità fuiſſe reſponſum in Sacra Pœnitentiaria anno 1617. occaſione Iubilæi Pauli V. refert *Boſſius loc. infra cit. ex mente Filliuc. prim. par. tract. 8. cap. 10. num. 265. & Polacchus in Comm. Iubil. fol. 41. n. 61.*

Quarta, quia in Sacra Pœnitentiaria in praxim redactam eſſe hanc ſententiam, teſtantur *Graphius, Zerola, & Filliuc. apud Boſſium loc. infra notando*; qui addit hanc ſententiam à Magiſtro Sacri Palatij, in indice librorum expurgandorum amplecti; in expurgatione *Sum. Emanuel Sà, pag. 184. num. 20.* ità corrigente, conceſſis omnibus caſibus huius Bullæ .s. in Cœna Domini intelligitur etiam conceſſa hæreſis .s. occulta: ità declarauit Sacra Congregatio.

Qui voluerit ſequi hanc ſententiam fundamentis negatiuè ità occurrere poterit. Ad primũ .s. quod in generali clauſula, &c. reſpõdetur hoc procedere in odioſis, & pœnalibus; maximè, quæ ſunt in præiuditium Tertij: Iubilæum autem eſt fauorabile; cum tendat in vtilitatem omnium Chriſti fidelium.

Ad ſecundum de ſtylo Romanæ Curiæ; reſpondetur, quòd ſtylus dictæ Curiæ varius eſt pro S. Pontificum varietate; nec fundatur dictum placitum in aliquo iure, vt teſtantur multi; ſed ſolùm nititur probabilitate ſententiæ negatiuæ, minimè tollendo probabilitatem affirmatiuæ, quod notat *Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 2.*

Ad tertium .s. ad declarationem Gregorij XIII. Reſpondet *Boſſius loc. cit.* de huiuſmodi declaratione nihil authenticum haberi; idem *Trullench. loc. cit. & Diana, trac. de Abſolutione ab hæreſi reſol. 1.*, & ſuppoſita huiuſmodi declaratione opponitur ipſi declaratio, de qua ſupra teſtatur *Sacri Palatij Magiſter*. Legendus eſt *Boſſius de Priuilegijs Iubilæi ſect. 1. caſ. 9. & 10. & deinceps.*

Tannerus tom. 4. de Pœnitentia. diſputat. 6. quæſ. 9. num. 123. cum alijs, diſtinguit de loco concedens partem affirmatiuam pro locis, vbi crebriùs reperitur indigentia, vtpotè in Germania: partem verò negantem pro locis, vbi non apparet tanta abſolutionis ab hæreſi indigẽtia, vt in Italia: hæreſim .n. apud Germanos magis, quàm apud Italos graſſari, conſtat.

Verùm huiuſmodi expoſitio, cum nõ reſpiciat totam Eccleſiam, ſed ſolùm partẽ: & Iubilæum cõſueuerit eſſe vniuerſale toti Eccleſiæ; ideò placet aliter, & vniuerſalitèr diſtinguere.

Notandum itaq; Hæreticorum aliquos eſſe nominatim declaratos: aliquos non item; aſſeroq; probabilẽ illos abſolui poſſe, qui nõ ſunt nominatim declarati; probatur pluribus rationibus; Prima, quia quidam S. Pontifices hoc manifeſtiſſimè demonſtrarunt in eorum Iubilæis, patet ex Iubilæo Sixti V. anno 1589. menſis Decemb., & Clemen. VIII. ann. 1596. vbi expreſsè exceperunt Hæreticos denunciatos; idemq; oſtendit Vrbanus VIII. in Iubilæo anni 1629. patetq; ex eiuſdem Bulla Cœnæ; vbi expreſsè excipiuntur Hæretici denunciati; exceptio autèm firmat regulam in contrarium. *l. His, vbi Gloſ. & Bart. ff. de Legib.*

Secunda, quia in Bulla Iubilæi poſt conceſsã facultatem abſoluendi à caſibus etiam in proceſſu litterarum Cœnæ Domini; additur hæc clauſula .s. non tamen Hæreticos declaratos, & nominatim denunciatos, vt ſuppono: ergo à cõtrario ſenſu, qui nõ ſunt declarati, vel ſpeciatim denunciati abſolui poſſunt; quòd ſubtilitèr notat *Capeauilla de Caſibus reſer. part. poſter. caſ. 1. quæſ. 3. & Georgius Polacchus loc. infra cit.*

Tertia eſt, quia lex pœnalis, vti eſt Bulla Cœnæ; non eſt amplianda, ſed potius reſtringenda; ſuppoſito itaque quòd illa ſolummodò faciat mentionem de Hæreticis prædictis, qua ratione illam extendemus generalitèr? & ſuppoſito, quòd nullam mentionem faciat de Hæreticis; non videtur cur excludi debeant. ità *Georgius Polacchus in Comm. ad Bullam S. D. Vrbani VIII. pagina mihi 326. nu. 61. Boſſius loc. cit. & alij.*

Quod notatum eſt de Hæreticis nondũ declaratis, aut ſpeciatim denunciatis, .s. vi Iubilæi abſolui poſſe à Confeſſarijs approbatis; idem quoque dicendum eſt de Apoſtatis à Fide, adhuc non declaratis, aut ſpeciatim denunciatis: nam de ſimilibus idem eſt iudicium; quæ intellige iuxta prædicta .s. reſpectu fori Sacramenti Pœnitentiæ; quia quemadmodum per Iubilæum nolunt Summi Pontifices præiudi-

care

care foro externo; ità nullatenus illi foro præiudicatur p abſolutionẽ Hęreticorũ in ſecreto foro pœnitentiæ impertitam, lz. ſint publici; qa sũt fori diuerſi; vnuſq; aliũ minimè impediẽs. Verũ nõ poſsũt abſolui, ſi sũt in manu s.o.

DIFFICVLTAS II.

De qua hæreſi loquitur Iubilæum, cõceſſis caſibus Epiſcopalibus, Pontificijs, etiam Bullæ Cęnæ (hereſi excepta) an de publica, vel occulta.

SEnſus eſt, an Iubilęum illa clauſula reſtrictum, nempè (hereſi excepta) adimat facultatem abſoluendi ab omni hereſi, etiam occulta, vel tantum excipiat publicam.

Notandum differre difficultatẽ hanc à præcedenti; quia illa procedit, quando in conceſſione caſuum Bullæ Cenæ, heręſis nulla fit exceptio; hæc autem ſupponit illius ſpecificam exceptionem. Reſpondeo tenentes, quod loquatur Iubilęum de publica hęreſi iaciunt duo ſequentia fundamenta, quæ in terminis proprijs ponit *Mazuchellus de Caſib. reſer. diſp. 1. qu. 4. differ. 6. nu. 13.*

Alterum eſt, quia illa Iubilęi reſtrictio, vz. (hæreſi excepta) conſtat eſſe odioſam, & vt talem reſtringendam: Sciendum eſt autèm Hęreticorum tres eſſe ſpecies. Prima eſt publicorum, ſed non ſpeciatim declaratorum, vel denunciatorum. Secunda eſt publicorum, & ſpeciatim declaratorum, aut denunciatorũ. Tertia eſt ſolummodò occultorum.

Hoc ſuppoſito, qui ſunt huius ſententiæ dicunt dictam reſtrictionem fore intelligendam præcisè de primis duabus Hæreticorum ſpeciebus, quorum crimen ob publicum ſcandalum aliorum fidelium reſeruatur etiam in Iubilęo: non autem de tertia ſpecie, .s. occultorum; maximè cum Iubilęum ſit fauor Principis: nec Communitati, nec Tertio præiudicialis, vt conſtat.

Alterum eſt, quia Iubilęum cuique Confeſſario ab Ordinario admiſſo impertitur caſus Epiſcopales in foro Sacramenti Pœnitentiæ, inter quos eſt hæreſis occulta, vti conſtat ex Conc. Triden. à qua (non obſtante Bulla Cęnæ) in probabili ſententia grauium DD. adhuc abſolui poteſt, vt aliàs oſtenſum fuit. ità *Boſſius de Priuilegijs Iubilæi, ſect. 1. caſ. 9. 10. & quam plures apud ipſum loc. cit.*

Pręterea ſciendũ eſt facultatem abſoluendi ab hereſi non eſſe priuilegium Conc. Trid. Epiſcopis conceſſum; cum omnes caſus etiam Bullę Cenæ competant ipſis iure ordinario; ſintq; perpetuò annexi eorũ dignitati Epiſcopali; adeò, vt eos etiam alijs ſubdelegare poſſent; niſi eos in ſpecie Summus Pontifex ex plenitudine ſuæ poteſtatis ſibi reſeruaſſet; ſed eſſe quandam relaxationem reſtrictionis iuris ipſorum.

Nec obſtat hęreſim dici caſum Papalem: nàm ità vocatur; quia S. Põt. illũ ſibi reſeruat reſpectu Hęreticorũ primæ, & ſecũdæ ſpeciei.

Hanc ſententiam licèt probabilem, quam *Mazuchellus loc. cit. ſub verbo Videtur, aſcribit Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 27.* non amplector: quia in vltima clauſula Bullę Cęnę ſignantèr ponitur; vt à caſibus ibi expreſsis nulla perſona etiam Epiſcopali dignitate prędita abſoluere poſſit pretextu cuiuſcũque facultatis; ẽt per cuiuſuis Conc. decreta in genere, vel in ſpecie conceſſa: Vndè ſecundũ has rationes, nec Iubilęi tempore, poſita dicta reſtrictione; ab occulta hęreſi quiſquam Confeſſariorum abſoluere poteſt.

Verùm, qui ſequuntur affirmatiuam, reſpõdent; quòd dicta reſtrictio denegat tantum abſolutionem caſuum Bullę, quando publici ſunt: quod notat prędictus *Doctor loc. cit. n. 13.* Porrò tu cum adſit via, ſemitam ne quęras: tum quia melius eſt intacta iura ſeruari, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quęrere *l. fin. C. In quibus cauſis in integ. reſtit.* tum quia meliꝰ eſt pauca agere cautè, quã multa periculosè; huc ſpectat *Authentica 4. C. de Tabellionib.*

DIFFICVLTAS III.

An etiam virtute litterarum Apoſtolicarum Bullæ Cruciatæ Confeſſarius ab hereſi abſoluere poſſit.

RAtio dubitandi eſt, quia in his litteris conccdi ſolet facultas abſoluendi ab omnibus peccatis etiam in Bulla Cęnę contentis, in qua primum locum habet hereſis.

Ante reſponſionem notandum eſt, quòd prędictę litterę appellantur Bullę Cruciatę; quia gratię per illas collatę ſunt ſimillimę his, quę fuerunt conceſſę ab *Innocentio III. in Concilio Lateranenſi Chriſtianis militibus*; qui ſuſcepto Sanctiſſimo Crucis ſigno proficiſcebantur ad liberandam Terram Sanctam ab inimicis nominis Chriſtiani. ità *Hoſtienſis in cap. Ad deliberandum, column. 2. de Iudic. Fernandez in Examine Theologiæ moralis, par. 3. cap. 9. §. 1.*

Ad difficultatem reſpondetur negatiuè, vz. Confeſſarium virtute dictę Bullę ab hęreſi minimè abſoluere poſſe: tum quia talis eſt ſtylus, & vſus Romanę Curię, vt .s. vi harum litterarũ minimè concedatur facultas abſoluendi ab hęreſi: tum quia huiuſmodi conceſſiones minimè pręiudicantijs, quę ſpecialem requirunt delegationem; vti eſt abſolutio ab hęreſi. ità ex *Azor. part. 1. Inſtit. moral. lib. 8. cap. 19. ibi ſecũdò quæritur*. Deniq; quia ità ſatis colligitur ex *Greg. XIII.* vt videre eſt apud *Cherub. tom. 2. Bullarum in Conſtit. dicti Greg. Conſtit. 37.* incipit, *Officij noſtri*; quam notat *Peirinus de Priuil. Minim. tom. 1. pag. 48. nu. 45.* idem ſentit *Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 6. nu. 3.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An à Parochis abſolui poſſint, qui à ſecta: v. g. Lutheri, Caluini &c. quam profeſſi ſunt; recedere volunt, & quid obſeruandum.

REſpondeo affirmatiuè duabus attentis cõditionibus, quarum altera eſt, ſi examinati inuincibili, vel ſaltèm mortalitèr non culpabili ignorantia laborare dignoſcantur: altera verò eſt, niſi aliud aliquarum Eccleſiarum con-

conſuetudo exigat, nempè, vt tales etiam tantùm materialitèr Hæretici ad eos mittantur; qui ab hæreſi abſoluendi poteſtatem habent: vel relinquantur examini, aut iudicio Epiſcopi, aut Vicarij eius; hanc autem conſuetudinẽ in hac Bergomenſi Diœceſi intellexi obſeruari: ratio autem cur abſolui poſſunt, eſt; quia cum huiuſmodi tenerētur ignorantia inuincibili, aut mortalitèr inculpabili; non inciderunt in aliquam excommunicationem; nam excommunicatio non cadit niſi ſuper peccatum mortale, vt ex communi tradunt DD.: hinc *Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 13. num. 4.* docet in abſolutione horum non oportere vti hac forma: nimirùm abſoluo te ab excommunicatione.

Verùm Confeſſarius, cui in ſpeciali impertita eſt facultas abſoluendi ab hæreſi; ad cautelã vti poterit tali forma .s. Abſoluo te à vinculo excommunicationis ob hæreſim (ſi eam incurriſti) in quantum poſſum, & tu indiges.

Porrò ante abſolutionem aliqua obſeruare debet. Primũ eſt, vt ſufficientèr inſtruat abſoluẽdum de his, quæ Catholica Eccleſia edocet.

Secundum eſt, vt faciat illũ coram teſtibus, (ſi id fieri poſſit) emittere Fidei profeſſionem.

Tertium, quia multi fictè accedunt ob timore Magiſtratus, vel ob aliam cauſam; ideò quærat ab abſoluendo, an ex animo, firma Fide credat ea, quæ Catholica Romana Eccleſia credenda proponit; & vtrùm in hac Fide ſemper perſeuerare, & mori paratus ſit; qui ſi affirmare renuat, vlterius non procedat; ſed dimittat eũ (denegata ſchedula factæ confeſſionis) ne ſi ſchedulam teſtimonialem accipiat; tanquam verè fidelis habeatur, & ad S. Euchariſtiam admittatur. Neque enim eſt hìc periculum violandi ſigillum ſacramentale; cum illius acceſſus non fuerit ſacramentalis, ſed ficticius, & ſimulatus. ità *Layman. loc. cit. qui fuſius procedit.*

Quartum, reſpectu veræ Hæreticorum, & Apoſtatarum dico attendendam eſſe *Extrauagantem Clementis VII. quam habes in fine Directorij Inquiſitorum in litteris Apoſtol. pro Officio Sãctiſs. Inquiſ.* incipit: *Cum ſicut ex relatione circa medium*, in hæc verba: Vobis .s. Inquiſitoribus, ac Vicarijs veſtris extraiudicialitèr Lutheranos occultos, & non inquiſitos per Ordinariũ, vel alios Iudices; ac alios quoſcunque Hæreticos, Fautores, Credentes, Defenſores, & Receptatores, nec non à S. Fide Apoſtatas; eoſq; qui contra inhibitionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, tenuerunt, vel legerunt libros Lutheri, vel aliorum, aut eidem, vel eiſdem, quomodolibet adhæſerunt; ſi ad cor reuerſi pœnitentes humilitèr id petierint; poſtquam hæreſi; qua polluti, aut infecti erant, abiurauerint: medioq; iuramento promiſerint de cætero ab huiuſmodi hæreſi pęnitùs abſtinere; facultatẽ concedimus abſoluendi; illiſq; pro præmiſſis pœnitentiam iniungendi ſalutarem; eoſq; ad gremium S. Matris Eccleſiæ reſtituendi, & reducendi.

Dixi attendendam eſſe dictam Extrauagantem; quæ quamuis videatur obſtare reſolutioni, tamen non obſtat; quia reſolutio procedit præcisè reſpectu laborantium ignorantia inuincibili, vel ſaltem non mortalitèr culpabili: prædicta verò Extrauagans loquitur generalitèr reſpectu tàm laborantium, quàm non laborantium ignorantia: tàm peccantium mortalitèr, quàm non: totum patet attenta dictæ Extrauagantis littera.

DIFFICVLTAS II.

An reconciliatiò verè Hæretici, & verè Apoſtatæ à fide per Vicarium Generalem Epiſcopi etiam fieri poſſit.

Reſpondetur negatiuè, niſi ad hoc ſpeciale obtinuerit priuilegium à S. Pontifice; patet tum per dictam Extrauag. ibi, & Vicarijs veſtris (loquitur de Vicarijs Inquiſitorum) nam ad ipſos ſermo eſt directus: tum quia *Conc. Triden. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.* ſic illam permittit Epiſcopis, vt non eorum Vicarijs, prout videre eſt loc. cit. quòd communitèr notant DD. maximè *Regin. in Praxi Caſuum Cõſcientiæ difficilium par. 2. cap. 1. & 2. Capeauilla de Caſib. reſer. par. poſteriori, cap. 22. quaſ. 1.*

In caſu verò, quod alicui Confeſſario concederetur dicta facultas; antequam abſoluat prædictos, obſeruet conditiones per *Regin. loc. cit. annotatas*. Primò exigat hæreſum abiurationem, Fidei profeſſionem; cuius formula præſcribitur in Bulla Pij V. incipit, *Iniunctum nobis*; quam habes apud *Quaranta in Summa Bullarij, ver. Fidei profeſſio.*

Secundò, exigat promiſſionem iuratam nõ relabendi in hæreſim; parendi mandatis ipſius; & item ſatisfaciendi pro offenſa.

Tertiò, illos admoneat, quòd manent irregulares, & Ordinum Sacrorũ incapaces, nihil obſtante, quòd obtinuerint abſolutionem ab excommunicatione ob hæreſim; aut apoſtaſiam à fide contractam. ità ex *Regin. vbi ſupra.*

DIFFICVLTAS III.

An Hæreticus, qui in foro externo aliquas hæreſes corã Inquiſitore faſſus eſt, & alias tacuit; maneat in conſcientia liber, vt deinde à tacitis per Confeſſorem abſolui poſſit?

Reſpondeo diſtinctione, vel hæreſes ſubticuit bona fide credens pęnitùs ignorantèr ſibi ſufficere confeſſionem illarum, ſupra quas fuit interrogatus: vel dolosè tacuit, ne, v.g. ipſius aggrauaretur pœna. Si primo modo ſe habuit; dicendum eſt talem Hæreticum manere deinceps liberum; ſed à ſola excommunicationum reſeruatione; adeò vt ab alijs per quemcunque Confeſſarium abſolui poſſit; cuius ratio eſt, quia talis cenſetur eſſe mens Inquiſitoris iudicialitèr abſoluentis, ne animæ illaqueentur. ità *Sayr. de Decem Præceptis lib. 2. cap. 12. num 9.* Cæterùm, ſi ſecundo modo ſe geſſit, oppoſitum credendum eſt: primò, quia idem operatur oppoſitum in oppoſito, quod pro-

propoſitum in propoſito, *l. Si in princip. ff. de Legib.* 3. *& alibi, Arſenale S. Inquiſit. part.* 10. *art.* 158. Secundò, quia in Inquiſitore defuit intentio abſoluendi fictè comparentem, *l. Si quis*, §. *Non videtur, ff. de Reg. iur.* vbi *Decius, & Cagnolus*, quòd notat *Homob. de Exam. Ecc. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *quaſt.* 7. *circa finem*; & conſequentèr ſic abſolutus ad Eccleſiæ gremium; adhuc non eſt admiſſus, niſi apparentèr; quare requiritur, vt pœniteat: & nouam, ac legitimã abſolutionem obtineat. *Suarez tom.* 5. *diſp.* 7. *ſect.* 7. *nu.* 12. *Sayrus de Cenſ. lib.* 21. *cap.* 21. *nu.* 26. *Sanchez de Decem Preceptis, cap.* 12. *num.* 8. *Bonacina de Legibus, diſp.* 1. *quaſ.* 2. *pun.* 2. *n.* 11. *& alij*. Hoc autẽ procedit, etiam ſi per S. Pontificem fuerit abſolutus. *Arſen. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 157. *vbi admon.* 159. additur hoc idẽ contingere; quando Hæreticus, qui omnes hæreſes confitetur (data opera) actus externos notabiles circa hæreſes ſubticet; vtpotè tacendo, quod imaginibus ſacris iniuriam intulit. vide ſupra *Lib.* 4. *diſt.* 3. *art.* 1. *diff.* 2.

DIFFICVLTAS IV.

An ſimplex Confeſſarius in foro Sacramenti Pœnitentiæ ab hæreſi tantum intrinſeca, vel tantum extrinſeca abſoluere poſſit.

RESpondetur affirmatiuè, quia nulli reſeruatur, vt notant infraſcripti DD. *Tolet. lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 6. *Facundez Precep.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *nu.* 39. *Suarez tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 4. *ſect.* 2. *num.* 22. *& diſput.* 21. *ſect.* 2. *num.* 3. *Sanchez in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 8. *in fine*. *Filliuccius tom.* 2 *tract.* 22. *cap.* 6. *num.* 164. *Siluius in Comment. ad* 2 2 *Diui Thomæ quaſt.* 11. *art.* 3. *concluſ.* 2. *Michael Zanardus in Direct. Theologorum par.* 2. *Precep* 1. *cap* 11. *Turre Blanchus de Magia lib.* 4. *cap.* 5 *nu.* 8. *Bannez ſecunda* 2. *Diui Thomæ, qu.* 9. *art.* 4. §. *Quæritur* 2. *concluſ.* 3. *argum.* 2. *Homob. in Exam. Ecc. par.* 1. *tract.* 7. *quaſt.* 1. *Valerus de Differentijs vtriuſq; fori, verb. Hæreſis diff.* 2. *nu.* 1. *Bartholomæus Gyptius in tract. de Caſibus reſeruatis caſ.* 4. *nu.* 83. *&* 84. *& alij apud Dianam in Reſolut. moralibus part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 143. *videto Armillam verb. Hæreſis nu.* 4. Nec obſtat Hæreticos extrinſecos in foro fori ab Eccleſiaſticis Iudicibus reconciliari; à cenſuris abſolui, quinimmò & puniri tanquam Hæreticos; nam ex illorum operibus diſſenſum à fide habuiſſe præſumunt: quod ſecus proceditur in foro Pœnitentiæ; vbi Confeſſarius præſumptione minimè nitur credens Pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe; Vnde reperiens illum abſq; errore in intellectu abſoluit, *Felinus in cap. Dignum num.* 4. *de Homicid. Bartholomæus Gyptius trac. de Caſibus reſer. caſ.* 4. *nu* 62. tum præterea, quia in foro Sacr. Pęnitentiæ Confeſſ. credit pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe loquenti, vt docet *Repertorium Inquiſitorum ver. Confeſſio*. Verùm Confeſſarius pœnitentem admoneat; quòd per abſolutionem hanc non eximitur, quin in foro externo S. Tribunalis puniri poſſit; ſi deprehenſus fuerit patraſſe actus hęreticales; lz. non habuerit errorem in mente: quia fundatur in pręſumptione, .s. quod actus externi menti ipſius cõformentur: abſolutioq; ſacramentalis forum fori minimè impedire conſtat.

DIFFICVLTAS V.

Pœna contra ſimplices Sacerdotes verè Hæreticum præſumentes abſoluere quæ?

REſpondeo eſſe infra notatas.

Prima, excommunicationis ſententia annodantur.

Secunda interdicitur eis officium prędicandi, legendi, Sacramenta adminiſtrandi, & confeſſiones audiendi.

Tertia illorum abſolutio eſt nulla; vnde pœnitentes non ſunt abſoluti.

Quarta eſt, quòd ignorantia dictis Confeſſarijs non ſuffragatur; cum quilibet tranſumptum Bullæ Cęnæ pœnès ſe habere teneatur: eaſque legere attentè debeat. lege *Bullã Cęnæ: & Camillum Campegium ad Zanchinum de Hæreticis cap.* 34.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Quam praxim Confeſſarius obſeruare debet; cum Hæreticum à S. Officio dimiſſum in foro ſacramentali excipit abſoluendum .s. à peccatis.

PRimò, illũ interrogabit, ſi quem ſeduxerit; & ſuppoſita ſeductione, an illum ab errore reuocauerit, pro quãto in ſe fuerit; an item denunciauerit complices.

Secundò, quandiù in hæreſi perſeuerauerit, &c.

Tertiò, ſi amputauerit relabendi occaſionem; v. g. ſi ſe ab hæreticis ſequeſtrauerit.

Quartò, impenſa ſacramentali abſolutione; ſi pœnitens fuerit Eccleſiaſticus; admonebit manere irregularem, ordinum, ac beneficiorũ incapacem; niſi à S. Pontifice: vel ab alio de eius commiſſione diſpenſationem obtinuerit. item bonis temporalibus priuari poſt ſententiam; qua ſecuta, teneri bona Fiſco adiudicare .i. aſſignare; ſi in ipſa exprimatur; nec illa (tuta conſcientia) alienare poſſe, niſi duabus conditionibus concurrentibus; quarum altera eſt ſtricta neceſſitas ad quotidianũ victum ſui ipſius: altera, vt ille, cui bona v. g. vendũtur; moneatur de periculo publicationis imminente. ità *Pegna in* 3. *par. ad Direct. Inquiſ. quaſ.* 109. *Farinacius de Hæreſi; quaſ.* 82. *Sanchez in Oper. Moral. lib.* 2. *cap.* 7. *Reginal. lib.* 17. *nu.* 62. *Duardus in Bullam Cænæ lib.* 2. *quaſ.* 27. *& alij*.

DIFFICVLTAS II.

An Hæreticus qualitatem hæreſis in confeſſione ſacramentali exprimere teneatur: ver. gr. an ſit hæreſis Lutheri, Caluini, vel alterius.

REſpondeo admodum controuertere DD. circa hanc difficultatẽ, alij tenentes partem affirmatiuam: alij negatiuam, vt in primis notat *Naldus ver. Hęreſis, num.* 22. Ego cenſeo partem negatiuam probabiliorem eſſe; ratio eſt, quia diuerſitas hæreſum non eſt diuerſitas moralis; ſed ſolummodò phyſica. hanc ſequitur

tut Sotus in 4. ſenten. diſt. 18. quaſ. 2. art. 4. concl. 6. Reginal. lib. 6. nu. 114. Bonac. de Sacramentis diſp. 5. quaſ. 5. ſect. 2. punc. 2. §. 3. nu. 5. vide, & attende, quæ infra dicemus *Lib. 11. diſt. 1. art. 4.*

DIFFICVLTAS III.

Confeſſarius quibus motiuis retrahet pænitentem ab hæreſi.

RESpondetur, quòd hoc præcipuè præſtabit obijciendo illi grauitatem culpæ, & pœnæ; Culpæ oſtendendo illi cum *Bernardo Lutzenburgo in Catalogo Hæreticorum, lib. 1. cap. 6.* hereſim eſſe grauiſſimum peccatum, omnium bonorum ſubuertens fundamentum: & cum *Lirano ſuper Epiſtolam 2. Petri Apoſtoli, cap. 2. ſub littera K.* quòd ſecundum genus ſuum omnibus peccatis carnalibus eſt grauius: tum quia eſt peccatum infidelitatis contra Deum directè militans: tum quia omnibus infidelitatis ſpeciebus illa Hæreticorū eſt grauior: nam grauius eſt ſuſceptam fidem corrumpere, vel negare, vti faciunt Hæretici; quàm illam non ſuſcipere; quales ſe habent Iudæi, & Gentiles. Patet in ſimili quemadmodū apud nos peius eſt promiſſum denegare, quàm nolle promittere aliquid alicui: ſicut etiam e contra melius eſt non vouere: quàm factum votum non adimplere.

Obijciat ſecundò pœnarum grauitatē; quæ venit in conſequentiam ad grauitatem culpæ, iuxta illud Scripturæ S. *Iuxta delictum erit, & plagarum modus*; Vnde notandum eſt Catholicos DD. aſſerere; quòd quemadmodum homines iuſti per merita ſunt aſſumendi ad ſingulos Angelorum ordines, .s. ad eorum æqualem gloriam: ità peccatores per demerita ſecundum plus, minuſuè coæquandi ſunt Dæmonibus in gradibus pœnalibus; Quare cum hæreſes ſit peſſima infidelitatis ſpecies; ſequitur quòd Hereticorum pena ſit grauior, quam multorum Demonum; maximè ſi fuerint hæreſiarchæ, vel alijs vitijs preter hereſim irretiti, ità *Bernardus Lutzenburgus loc. cit.*

Addat tertiò filios committentium crimen leſæ Maieſtatis Diuinæ, vel humanæ amittere nobilitatem: fieriq; incapaces cuiuſcunque hæreditatis. *Sanchez lib. 2. cap. 29. nu. 1.*

DIFFICVLTAS IV.

Confeſſarius, quibus motiuis inducere poſſit pænitentem ad euitandum Hæreticorum conſortium.

PRimò, illum inducere debet exemplo Sanctorum.

Ioan. Euang. *Fugit Cherintum.*

Ignatius in Epiſtolis ſuis ſæpè inquit, *Fugite Hæreticos Diaboli Soboles.*

S. Antonius nunquam ſe immiſcuit eorum communioni, & ſanctè quidem; quia ſicut ab vna ſcintilla ignis augetur; ità ab vnius Hæretici malitia perditio multorum.

Secundò, ſunt vitandi; quia, vt fallaces Medici ſub ſpecie medicinæ miniſtrant venenū.

Tertiò, quia, vt leproſi contagioſi inficiunt praua doctrina cum eis communicantes, iuxta illud, *Morbida facta pecus, totum corrumpit ouile; qui tetigerit picem, inquinabitur ab illa.*

Verùm, nota cum D. Aug. in reg. hanc fugam non fieri crudelitèr, ſed miſericorditèr; ne peſtifera contagione plurimos perdant. Vnde Ambroſius quandam dicit eſſe miſericordiam iniuſtam; quando .s. facilitas veniæ incentiuum præbet delinquenti: *Quiſquam ne eum miſericordem dicere audet, qui, vt vnum leuius puniat, catervas hominum deijcit in voragine peccatorum?* immo Deus in quo maximè miſericordia excellit, interdum miſericordiam execratur; ait *Deut. 69. Non miſereberis eius, & auferes noxium ſanguinem de Iſrael. & 3. Reg. c. 20.* ait, *Quia dimiſiſti virum morte dignum; erit anima tua pro anima eius; & talis eſt Hæreticus, qui aure Diabolum excipit.*

Verùm his non obſtantibus, notanda ſunt verba *D. Aug. in Epiſtola ad Vincentium relata 23. quæſt. 7. c. 2.* ſic proloquentis: *Nonnullos toleramus, quos corrigere non poſſumus; nec propter paleam relinquimus aream: nec propter piſces malos rumpimus retia Domini: nec propter hædos in fine ſegregandos, deſerimus gregem Domini: nec propter vaſa facta in contumeliam migramus de domo Domini*; ratio eſt, ne colligendo zizaniā, eradicetur triticum. ità *Bernardus Lutzenburgus in Catalogo Hæreticorum lib. 1. cap. 13. & 15.*

DISTINCTIO NONA.

De abſolutione Hæretici in mortis articulo, aut periculo.

Circa diſtinctionem huiuſmodi quinque formabimus articulos.

Primus reſpicit obligationem Hæretici in articulo, aut periculo mortis abſoluti.

Secundus eius poteſtatem circa electionem Confeſſarij.

Tertius ponit extenſionem poteſtatis Confeſſarij circa Hæreticum extra articulum mortis.

Quartus praxim obſeruandam in abſolutione ipſius.

Quintus ponit inualiditatem abſolutionis à Sacerdote Hæretico, aut ab Eccleſia præciſo impertitam.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Hæreticus ſiue occultus, ſiue publicus à ſimplici Sacerdote in proximo mortis periculo ab excommunicatione abſolutus, ſi conualeſcat, teneatur iterum ſe præſentare, quibus de iure.

REſpondeo quibuſdam dictis. Primū, tenetur ſe præſentare, vt Eccleſiæ mandatis pareat; alioquin ob inobedientiam incideret in eandē ſpeciē excom-

excommunicationem qua prius abſolutione detinebatur: dico in eandem ſpecie, non in eandem numero; quia in illo ſtatu fuit verè abſolutus.

Secundum, non tenetur ſe præſentare, vt abſoluatur à peccatis, vel à cenſuris; quia ab his fuit abſolutus directè: cum quilibet Sacerdos pro illo articulo habeat auctoritatem; licèt imponat pœnitenti præſentationem reſpectu cenſurarũ, ſi conualuerit; ad recipiendum mãdata à Prelatis, quibus de iure, faciunt adducta per *Capeauill. de Caſibus reſer. par.* 1. *cap.* 10.

Tertium, ſi Hæreticus, qui in dicto articulo, ſeu periculo fuit à ſimplici Sacerdote abſolutus, eſt occultus; non tenetur niſi in foro ſecreto ſe præſentare; quòd ſi de facto ſe præſentet, & in iſto Iudex renuat illum audire; ad nihil vltra tenetur: nam ſecretum relinquere debet in ſuo ſtatu; cum non deſeruiat ſibi pro foro fori, *cap. Quis aliquando, §. Item illud Ioannis de Pœnit. diſt.* 1. *Arch. in cap. Filij, de hæret. lib.* 6. *Pegna Comm.* 12. *par.* 3. *Lazarius de Blaſph. queſ.* 12. *nu.* 86.

Quartum, pœnitentia à Cõfeſſario inſinuata Hæretico occulto; ſi conualuerit quantumcunque magna, & quamuis publicè illam perſoluerit; non tamen ipſum liberat à pœna ſiue canonica, ſiue ciuili in foro exteriori luenda, ſi contigerit fieri publicus; ratio eſt, quia pœnitentia per Confeſſarium in Sacramento pœnitentiæ impoſita, conſtituta eſt, vt is, quem ſui peccati pœnitet; per eam Deo ſatisfaciat: at verò iuris ciuilis, & canonici pœna in foro exteriori imponitur, vt Reus ſatisfaciat Reipublicæ, quam delinquendo ſcandalizauerat. ità ex *Azor. Inſt. moral. par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *ibi ſexto quæritur.* ex *Abbate in cap. De his accuſat. Gyptio de Caſib. reſer. par. poſter. caſ.* 1. *queſ.* 3. *diff.* 3. *& alijs.*

Quintum, nec iſtum iuuabit Confeſſarij atteſtatio de eius innocentia; quia in foro exteriori ſecundum ea, quæ ſunt legitimè in iudicio probata, ferenda eſt ſententia; non autem ſecundum priuata iudicia, vt docet *Angelicus Doctor* 2. 2. *quaſ.* 67. *art.* 2. *Pegna par.* 2. *Comm.* 25. quod notat *Bariola in Floribus Direct. Inquiſ. loc. cit.*

Sextum, Hereticus publicus, cui ob criminis grauitatem infligenda eſt mors, vel alia grauis pœna; abſolutus in articulo, vel periculo mortis; non tenetur obſeruare diſpoſitionem *cap. Eos qui*, quatenus obligat taliter abſolutos, vt ſe preſentent coram Superioribus quamprimùm, ſi conualeſcant; tum quia nemo tenetur illud exequi, vnde mors ſibi ſequitur; tum quia lex poſitiua non obligat, cũ tam graui incommodo ad eius obſeruationem: & præterea, lex non obligat in caſu metus cadentis in conſtantem virum; quod notant communiter *DD. ver. Lex, & maximè Suarez ver. Lex.* ità *Polacchus in Commentaria ad Bullã S. D. N. Vrbani Papæ VIII. pro Sacro Iubilæi anni* 1625. *Valerus de Differentijs inter vtrunque, ver. Hæreſis differentia* 3. Neceſſitate .n. vrgente, maximè cadendi imminentem mortem, multa licent, quæ alias non licerent, *cap. Diſcipulos, de Conſecratione, diſt.* 5.

DIFFICVLTAS II.

An Confeſſarius Hæretico in articulo, vel periculo mortis exiſtenti ſi non imponat onus ſe præſentandi; abſolutio illi impertita ſit inualida.

RESpondeo negatiuè, ratio eſt, tum quia abſolutio nullibi in iure inuenitur irrita ob omiſſum prædictum onus: tum quia Eccleſia noluit valorem abſolutionis in tanta neceſſitate, ex negligentia, aut ignorantia Confeſſarij amitti poſſe. ità *Syluef. ver. Abſolutio* 3. *nu.* 3. *Say. lib.* 2. *de Cenſu. cap.* 18. *nu.* 5. *Sanchez lib.* 2. *Oper. moral. cap.* 13. *nu.* 35. *& alij*, qui fortè nituntur axiomate illo communi, .s. multa mandantur fieri, quæ omiſſa non irritantur, tanquã minimè eſſentialia, *l. Patre furioſo, ff. de His qui ſunt ſui, vel alieni iuris, l. Tutor, ff. de Sponſalibus, l. Iudex, ff. de Iudi.*

Notant verò DD. aliquos caſus, in quibus Confeſſarius non tenetur imponere hoc onus pœnitenti.

Primò, habenti impedimentũ perpetuum, conſtat *cap. Quamuis, de ſent. excom.* vbi declaratur hoc onus præcisè imponendum eſſe patienti temporale impedimentum. Quinimmò ſi auferatur, ſed miraculosè: v. g. ſi laboranti morbo incurabili contingat tribui miraculosè ſanitatem priſtinam; ab hoc onere liber eſt; miraculum enim non producit hanc obligationem, ſi omninò conſtet; non tamen hoc ſentio in dubio, an ſanitas fuerit abſolutè miraculoſa.

Dices, quid iuris, ſi Confeſſarius per ignorãtiam alicui dictum onus impoſuiſſet.

Reſpondetur adhuc non teneri: quemadmodum enim ſi Confeſſarius exiſtimans pœnitentem ad reſtitutionem teneri, inuento errore ille ad reſtitutionem non teneretur; ità in propoſito, ſi Cõfeſſarius impoſuiſſet hoc onus habenti perpetuum impedimentum; cognita deobligatione ille ad hoc non teneretur, quod ſatis de ſe patet.

E contra quemadmodum teneretur pœnitens ad reſtitutionem; licèt Confeſſarius illam ſibi non impoſuiſſet ex obliuione, inaduertentia, aut malitia: ità tenetur ad hoc onus, ſi cognoſcatur, quamuis Confeſſarius illud ipſi pœnitenti non impoſuiſſet.

Secundò, non eſt imponendũ illi, qui ſana loquela, vel vſu rationis deſtitutus eſt, *Nau. cap.* 27. *nu.* 47. *Say. in Theſauro tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 25. *nu.* 4. *Henriquez lib.* 6. *de Pœnitentia cap.* 10.

Tertiò, quando quis vi Iubilei, Bullæ, aut alterius priuilegij abſoluitur: quia abſolutio vi Bulle impertita non eſt ad reincidentiam; alioquin Bulla, aut priuilegium nihil quo ad hoc præſtarent.

Quartò, non imponitur ei, qui abſoluitur, .s. in dicto articulo, aut periculo à caſu reſeruato,

uato, cui non eſt annexa excommunicatio, quia abſolutio à Confeſſario impertita directa fuit.

Quintò, quando excommunicatus parti ſatisfecit, aut cum ea ſe compoſuit: vel ſi poſt abſolutionem, hæc præſtitit. ità *Nau. cap. 26. nu. 26. Henriquez lib. 3. de Excommunicatione, cap. 29. nu. 3. contra Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 3, nu. 6. Sanchez lib. 2. Oper. moral. cap. 33. nu. 29.* quorum ratio eſt, quia onus comparendi non eſt præcisè ſatisfactio partis; ſed eſt quaſi pars pœnæ delicto impoſitæ, quòd ſatis conſtat; quia in abſolutione cuiuſuis excommunicationis reſeruatæ hoc onus imponitur: cum tamen quælibet excommunicatio annexam non habeat ſatisfactionem partis.

Notandum eſt autem præſentationem fieri poſſe per Procuratorem; quia re vera tu diceris comparere; quando per Procuratorem, aut litteras compares: ea. n. quæ tuus Procurator facit, tu facere cenſeris, *cap. Episc, diſt. 18. Syluest. ver. Excom. §. 8. quæſ. 7. Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 7. nu. 16.* ab hac doctrina generali excipitur excõmunicatio ob percuſſionẽ Clerici, propter quam, niſi iuſta cauſa excuſet; teneris perſonalitèr Romam ire præſentando te Sum. Pontifici; quòd intellige, ſi abſolutus fuiſti à non habente aliàs facultatẽ, *cap. Quod de ijs, de Sent. excom.* nam quod ab initio non valet, tractu temporis non reconualeſcit, *l. 1. ff. Commodati. cap. Placet de Conuer. Coniug.*

Notandum inſuper in ſententia *Claudij Miſcardij in Summa Parochorum de Pœnit. cap. 97. nu. 10.* onus præſentandi ſe coràm Superiore, ceſſaſſe poſt *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 17.* quam doctrinam *Caleſtinus in Compend. Theolog. mor. tract. 1. cap. 7. nu. 3.* putat tutà conſcientia ſequi poſſe; quando excommunicatio non eſt notoria: vel deducta ad forum externum; & ſcitur tantùm à duabus, vel tribus; illãq; obſeruat *Diana par. 5. tract. 14. reſol. 59.*

DIFFICVLTAS III.

An Hæreticus publicus, qui in articulo mortis à ſimplici Sacerdote fuit abſolutus in foro Sacramenti Pœnitentiæ; iterum poſt mortem in foro fori abſolui debeat.

Reſpondetur affirmatiuè; quia quamuis Hæreticus à ſimplici Sacerdote in Sacramento Pœnitentiæ ab omnibus peccatis, & cẽſuris fuerit abſolutus: attamen etiã poſt mortem abſolui debet iterum à cenſuris, & reconciliari Eccleſiæ; ſuppoſito, quòd abſolutionem petierit: neque per ipſum ſteterit, quominus ante obitum etiam in foro exteriori abſolueretur; ratio eſt, quia ità vſu receptum eſt, vt docet *Azor loc. infra cit.* tum quia ità habetur *cap. A nobis 2. de Sent. excom. & ex Con. Carthaginenſi, can. 76.*

Abſoluitur autem huiuſmodi Hæreticus poſt mortem à cenſuris in foro exteriori, vt poſſit in loco ſacro ſepeliri, & pro eo preces, & ſacrificia offerri. Ità *Azor. Inſtit. moral. par. 1. cap. 19. ibi Quinto quæritur, Gyptius de Caſib. reſer. caſ. 3. cui annexa eſt excommunicatio num. 77. Capeauilla de Caſibus reſer. caſ. 1. quæſ. 3. diff. 3. & alij.*

Verùm dices, à quo huiuſmodi publicus Hæreticus poſt mortem à cenſuris abſolui poteſt, an ab omni Sacerdote, à quo etiam in articulo mortis abſolui poterat; vel ſolum ab eo, qui extra periculum poterat.

Reſpondeo omninò requiri; vt abſoluatur ab eo, ad quem abſolutio ſpectabat extra articulum mortis: nam *Conc. Trid. ſeſſ. 14 cap. 7.* tribuit cuilibet Sacerdoti facultatem abſoluẽdi à peccatis, & cenſuris pro mortis articulo; ne defectu auctoritatis aliquem contingat perire: extra verò illum articulum, .s. poſt mortem; non manet amplius illud periculum; & proptereà non extenditur facultas vltra illum caſum.

Quæres an ſit aliquod diſcrimen inter publicum, & occultum Hæreticum quo ad abſolutionem in periculo, ſeu articulo mortis impertitam.

Reſpondeo affirmatiuè, quia publicus eſt iterum abſoluendus à cenſuris ad effectũ ſupradictũ: quòd ſecus dicendũ eſt de occulto; qui nec à cenſuris poſt mortem eſt abſoluendus; ne hereſis occulta detegatur, & cõſequentèr odioſa reddatur confeſſio.

Itidem diſcrimen eſt inter Hæreticum publicè relapſum, & occultè quoad forum exterius; nam publicè relapſus iudicio ſeculari relinquitur, patet ex *cap. ad Abolendam de Haret.* Ceterũ relapſus occultè: & itèm ſpontè rediẽs ad Eccleſiam prò abſolutione; ſæpius abſolui poteſt. ità *Syluester, Capeauilla de Caſib. reſer. parte poſteriori caſ. 1. quæſ. 3.* nam prout quis delinquit; ità puniri debet; qui plus, plus punitur; & qui grauiùs, grauiùs puniri debet: nam pœna eſt menſura delicti. *l. Sancimus, ff. de Pœnis.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Hæreticus morti proximus adhuc non incæpta confeſſione, & præſente ſuo Parocho pro abſolutione eligere poſſit ſimplicem Sacerdotem.

Reſpondetur affirmatiuè, minimè obſtante; quòd confeſſio non ſit adhuc incæpta: & adſit Parochus; cuius ratio eſt, quia *Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7.* concedendo cuilibet Sacerdoti facultatem abſoluendi in tali caſu; non limitauit illam exiſtẽte altera, vel vtraq; dictarum conditionum; ſed ſimplicitèr impertitur facultatem. ità *Henriquez de Pœnit. lib. 3. cap. 12.* quem ſequitur *Capeauilla de Caſib. reſer. par. 1. c. 7. diff. 9.* Verùm *Azor. prim. part. Inſtit. moral. lib. 8. cap. 19. ibi quinto quæritur. Arſenale S. Inquiſit. par. 10. admonit. 29.* exiſtimant hunc locum *Conc. Trid.* fore intelligendum; dummodò Epiſcopus, vel fidei Iudex nõ ſint præſentes; ſed (ſalua eorum reuerentia) non placet reſtringendam eſſe facultatẽ iſtam; quia tàm articulus, quàm proximum mortis

P peri-

periculum ex communi DD. placito; ſunt longè fauorabilia: & fragilitati humanę, quę maior eſt, quàm litterarum monumentis traditur; vnde nullum pro illo ſtatu obijciẽdum eſt obſtaculum, ne ſuccumbat; ſed omnis aperiendus eſt aditus; vt ſaluetur (vt ſic loquar) omnis caro; facitq; *l. Omnis, ff. de Verb. obligat.* .s. vltimus dies termini totus debitori conceditur, eſt vz. totus in ſalutem hominis morti proximi; hæc autem maximè cenſeo procedere; ſi Hæreticus morti proximus ſit occultus; nam ſi in hoc ſtatu ad huiuſmodi electionem obligaretur; facilè ſuboriri poſſet ſuſpicio hæreſis occultæ: reddereturq; odioſa confeſſio; ideò æquitas rigori, maximè in hoc caſu, præferenda eſt: iuxtà *l. Placuit, C. de Iudicibus*. *ità Henriquez cum Capeuilla loc. cit.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An poteſtas Confeſſarij abſoluendi Hæreticum ab excommunicatione in mortis articulo extendenda ſit; vt poſſit quoque illum abſoluere, quando alia ratione impeditur, vt paupertate, inimicitijs, ſenectute, egritudine, aut ſimilibus impedimentis; ne S. Pontificem adire valeat.

RESpondeo multos DD. ductos ex *cap. Ea noſcitur & ex cap. Quod de his de Sent. excom. in 6.* exiſtimare ſic impeditos abſolui poſſe perindè, ac in mortis articulo aut periculo exiſtentes; vt notat *Sanchez in Opere moral. lib. 2. cap. 13. num. 36 Syluest. ver. Abſolutio 3. & abſolutio 4. §. 5. dub. 1. Nauar. cap. 27. nu. 89 Couarr. in cap. Alma mater, 1. par. §. 11. nu. 15 Henriquez lib. 13. de Excom. cap. 27. nu. 5 & lib. 6. de Pænit. cap. 16. num. 1. & alibi; Say. in Theſau. tom. 1. lib. 3. cap. 28. nu.* 30. Horum DD. exiſtimatio non mihi placet; tum quia capitula ab ipſis allata loquuntur præcisè de excommunicatione ob Clerici percuſſionem; à diuerſis autem non fit illatio: tum quia cùm in illis capitulis non exprimatur hæreſis; non cenſentur illam comprehendere extra mortis articulum ob eius ſtrictiſſimam reſeruationem. ità *Sotus in 4. diſt. 22. quaſ. 2. art. 3. Viualdus in additionibus anni* 1602. *prim. par. tit. 11. de Abſolutione, num.* 14. vnde Hæretico occultò prædictis impedimentis: aut ſimilibus detento extra mortis articulum nullũ ſupereſt remedium; niſi ad Inquiſitorem confugiat: vel ad Summum Pontif. per Procuratorem, aut litteras, ſuppreſſo nomine proprio, & cognomine: alijsq; circunſtantijs, ex quibus facilè dignoſci poſſet. Dixi ſuppreſſo nomine &c. quia vt ſeruetur ius humanum; diuinum naturale de cuſtodia boni nominis non eſt violandum.

Alij DD. diſtinguunt de impedimento temporali, & perpetuo; volentes detentum perpetuo impedimento adeundi S. Pontificem: vel alium, qui nomine ipſius abſolutionem concedat; abſolui poſſe à quolibet Confeſſario. ità *Caſtrus Palaus in Opere Moral. tract. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 5. nu. 4. citans Felinum in cap. Quamuis de Sent. excom. & Abbatem in cap. De cætero n. 1. eodem tit.* immò teſtatur de communi in omnibus excom. Papæ reſeruatis.

Rationes huius Doct. ſunt. Prima, quia poteſtas vtendi hoc priuilegio fundatur in neceſſitate pœnitentis; & quo delictum grauius; grauiorem habet neceſſitatẽ: vnde (dicit ipſe) non ob grauitatem hęreſis limitandum eſſe.

Secunda eſt, quia ſupponit neceſſitatem pęnitentis mortis periculo æquiualere.

Tertia, quia ſupponit dictum pœnitentem non teneri vti Procuratore: aut litteris ad impetrandum abſolutionis beneficium ob periculum, quòd in ſe fert ſcriptura; & ſic ſtantibus rebus nec iura, nec Superior cenſetur eſſe inuitus, quod notat *Trullench. in Expoſit. Decalogi lib. 1. cap. 3. dub. 7. nu.* 19. Mihi pace tanti Viri non ſatis placent dictæ rationes nec diſtinctio; tum quia plures DD. quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 2. cap. 13. nu. 37. Suarez diſput. 21. de Fide, ſect. 4. in fine* non audent priuilegiũ pro caſu mortis, aut periculi extendi ad impedimenta perpetua adeundi S. Pontificem: vel alium à ſe delegatum pro abſolutione ab hæreſi: tum quia ad iſtos litteræ trãſmitti poſſunt talibus circunſtantijs fultæ; vt pænitens perſonalitèr cognoſci nequeat: tum quia prædicta impedimenta non ſatis æquiparantur articulo mortis: cum, vt plurimùm temporis longum tractum habeant; vnde reſcriptum abſque iactura, vt ſuppono, expectari poteſt: tum etiã quia praxis, quæ eſt optima legum interpres, aliud oſtendit: Quare Confeſſarius neminem abſoluere debet; niſi copulatiuè concurrant conditiones, de quibus infra difficultate proxima ſequenti.

DIFFICVLTAS II.

An detur aliquis caſus, in quo Hæreticus occultus per ſimplicem Confeſſarium abſolui poſſit.

REſpondent *DD. infrà cit.* affirmatiuè nonnullis neceſſariò ſuppoſitis, quæ requiruntur non diſiunctiuè, ſed copulatiuè.

Primum eſt, quòd pęnitens fecerit quantũ in ſe fuerit; vt obtineret ab Inquiſitore abſolutionem, quam obtinere non potuit.

Secũdum, quòd vrgeat neceſſitas: v. g. euitandi infamiam alicuius grauis criminis, de quo ſuſpectus eſt: vel immineat graue ſcandalum; ſi non celebret, ſi eſt Sacerdos: vel ſi non recipiat Euchariſtiam, ſi eſt laicus.

Tertium, quòd pęnitens probabilitèr ſit dubius, an habeat contritionem.

Quartũ, quòd non ſit ei pręſto alia via vitandi prædicta mala. faciunt tradita per *Caſtrum Palaum tract. 4. diſp. 4. §. 6. num. 4. D. Thom. 4. Senten. diſt. 17. quaſ. 3. art. 3. item quaſ. 4. ad quintum. Valentia tom. 4. diſp 7. quaſ. 9 punc. 1. Suarez de Pænitentia diſp 23. ſect. 2. n. 1. & alios.*

Reginaldus de Prudentia Confeſſarij addit alium caſum; qui ſe tenet ex parte Superioris, vel Commiſſarij; quando nimirùm periculoſum eſt ob aliquam circunſtantiam actualitèr concurrentẽ crimen eis detegere: vel quando

ipſe

ipſe Superior malitioſè, .i. abſque cauſa; quòd abſit vel ſuſpicari, nec ipſe vult ligatum abſoluere: nec alteri idoneo facultatem impertire. lege prædict. *Doct. loc. cit. cap. 22. nu. 18. item in Praxi lib. 8. nu. 85. Henriquez lib. 6. cap. 15. n. 6. Rodriquez in Sum. par. 1. cap. 55. nu. 12. Manzinus, pract. de Caſib. reſer. in addit. nu. 25.*

Prædictorum DD. doctrina abſolutè accepta, prout iacet; non plenè mihi ſatisfacit, niſi addatur; quòd neceſſitas ſit adeò vrgẽs, vt nullatenus patiatur recurſum ad Epiſcopum; qui relicta probabiliori, & communiori ſententia, quod vi Bullæ Cœnæ non poſſit abſoluere Hæreticum; poteſt in hoc caſu ſequi probabilem abſoluendo exiſtentem in hac contingentia.

Verùm quæres, in caſu, quòd Pœnitens tentauerit omnia, & ſingula media; & tamen nihil obtinuerit: qua auctoritate poterit Confeſſarius ſimplex. Reſpondet *Reginaldus loc. cit.* Cõfeſſarium tunc poſſe ex tacita Summi Pontif. commiſſione; qui ob vrgentem neceſſitatem, quæ facit licitum, quod eſt iure illicitum; licentiam iniuſtè negatam cõcedere cenſetur; nam minimè cõſentaneum eſt piam Matrem Eccleſiam, tanta cum ſeueritate cum filijs procedere velle; vt quantumcunque faciant, quidquid in ipſis eſt ad ſalutem neceſſarium; nihilominùs eis denegare velle remedium: velleq; permittere imminens ſcandalũ, quòd aliter, quàm abſolutione ligati: euitari non poteſt: Nam ipſa, quemadmodum nec eius ſponſus vnquam deficit filijs ſuis in neceſſarijs: quare Medico, aut medicina deſtituti nunquã reperiuntur; ſi faciant, quantum in ipſis eſt.

Sed quomodò in hac contingentia ſimplex Confeſſarius Pœnitentem abſoluet. Satisfacit quæſito idem *Doctor loc. cit. Suarius de Pœnit. diſt. 31. ſect. 4. num. 7. Filliuccius tract. 7. de Confeſſ. cap. 10. num. 310.* quòd nouiſſimè notat *Mazuchellus de Caſ. reſer. diſp. 1. quæſ. 3. diff. 23. nu. 81.* abſoluet ab excommunicationibus non reſeruatis directè: à reſeruatis verò præciſè indirectè.

Dicunt præciſè indirectè: quia Confeſſarijs intra Italiam etiam in caſu neceſſitatis, & impedimenti ſublata eſt facultas abſoluendi directè, quòd in primis notat *Homob. de Examine Eccleſ. tract. 5. cap. 5. quæſ. 6. & nos in Comment. ſuper Caſus reſer. par. 1. diſt. 1. art. 2. diff. vnica, nu. 4.* & tunc Confeſſarius pœnitenti tenetur imponere; vt quàm citiùs moralitèr potuerit, Superiori ſe præſentet, alitèr reincidet. *cap. Eos, qui, de Sent. excomm. in 6. Nauar. cap. 26. nu 26. Tolet lib 1. cap. 10. nu. 5. & alij communitèr.*

Caueantq; Confeſſarij, ne in his caſibus alitèr abſoluant; aliòquin, vt temerarij, ligantur; primò ſententia excommunicationis.

Secundò, interdicuntur ab Officio adminiſtrandi Sacramenta.

Tertiò, abſolutio eſt nulla: nec excuſantur ignorantia; cum teneantur habere penès ſe Bullam Cœnæ. lege *Camillum Campegium ad Zanchinum de Hæreticis cap. 34.*

Denique aduertere debent Confeſſarij pœnitentes, qui in dicto caſu erunt abſoluti; quòd dicta abſolutio non ſuffragabitur ipſis; quin adhuc denunciari, ac puniri poſſint: nam forus internus externum non impedit: nec è contra.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Confeſſarius in articulo mortis abſoluendo excommunicatum ob hereſim, vel aliud crimen, quam praxim ſeruare tenetur.

Reſpondetur præter prædicta in præcedenti difficultate attendenda; teneri primò exigere ab exiſtente in huiuſmodi periculo iuramentum de parendo mandatis Eccleſiæ iuxtà *cap. Tenore, & cap. De cętero, de ſent. excomm.*

Verùm non tenetur exigere generale iuramentũ de ſeruandis Eccleſiæ mandatis reſpectu cuiuſcunque materiæ: ſed ſatis eſt ſpeciale reſpectu materiæ ob cuius violationem excommunicatus manet. ità *Caiet. ver. Abſolutio, cap. penultimo, Syluester ver. Abſolutio, 3. n. 3. & alij eodem ver.*

Secundò, admonere debet abſolutũ; quòd ſi non paruerit (ceſſante periculo) præſentando ſe coram Superiore, quam primùm moralitèr poterit; ob contumaciam in eandem excommunicationem incidet; patet ex *cap. Eos, qui de Sent. excom in 6 facit cap Quamuis, & cap. Ea noſcitur de Sent. excom.*

Tertiò, attendat ipſe Confeſſarius, quod abſoluendo ab excommunicatione virtute alicuius Bullæ, vt Iubilæi; aut alterius priuilegij; non erit exigendum iuramentum: nec item imponendum onus ſe præſentandi; quia priuilegium in hoc conſiſtit, vt abſolutus abſq; vllo grauamine dimittatur; aliòquin priuilegium nihil concederet. Ità *Medina lib. 2. Sum. cap. 12. Suarez tom. 4. in 3. diſp. 30. ſect. num. 6. Sanchez lib. 2. Oper. Moral. cap. 13. nu. 31. apud Candidum, diſquiſit. par. 1. diſq. 3. art. 8.*

Quartò, ſi tale delictum ſpecialem etiam requirat ſatisfactionem; quæ nondum ſit exhibita: neque alia ſufficiens cautio, vt pignoratitia, aut fideiuſſoria; tunc etiam iuramentum erit exigendum de ſatisfactione danda, *Caiet. cap. 77. de Excomm.* quem ſequitur *Suarez tom. 3. part. 3. diſp. 21. ſect. 3. nu. 1. Sanchez lib. 2. Oper. moral. cap. 13. nu. 23. & alij.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An Sacerdos Hæreticus, aut præciſus ab Eccleſia impediri poſſit, ne validè abſoluat.

Nte reſponſionem notandum hìc nõ agi de abſolutione paſſiua Hæreticorum, velut in ſupradictis articulis; ſed agi de ipſorum abſolutione actiua.

Reſpondetur difficultati affirmatiuè: Ratio eſt primò, quia ad abſoluendum validè prçter Sacerdotium requiritur iuriſdictio; quç Sacerdoti datur iure humano, & Eccleſiaſtico. Secundò, quia ratio iudicij, qualẽ requirit abſo-

lutio ſacramentalis intrinſecè, & eſſentialitèr poſtulat; vt ſententia non feratur niſi in ſubditos, erga quos iuriſdictionem habet; quam cū Sacerdos habeat ab Eccleſia; per conſequens eam ab ipſo auferre poteſt in caſibus hæreſis, & præciſionis ab ipſa, vt doctè comprobat *Nauar. argumento textus in cap. Ad probandum de iure iud. item in Manuali cap. 9. nu. 8. Henriquez 2. part. lib. 13. cap. 10. §. 2. & ſeqq. Caſar Sebaſtianus in relectione de Eccleſiaſt. Monarchia diſp. 8. §. 5. num. 25.* licèt enim poteſtas ordinis Sacerdotalis ſit fundamentum poteſtatis iuriſdictionis, vt ſine ea nequeat cōſiſtere: eſt tamen diſtincta ab ea, vt notat *Suarius tom. 4. de Pœnit. diſp. 24. ſect. 2. nu. 7.*

Dices Sacerdotem ab Eccleſia præciſum validè cōficere Euchariſtiæ Sacramentum: item Sacramentum Ordinis ab Epiſcopo præciſo validè conferri, vt in primis notat prædictus *Caſar loc. cit.* ergo, & Sacramentum Pęnitentiæ ab vtroq; conferri poteſt.

Reſpondeo negando conſequentiam; ratio eſt, quia in confectione Sacramenti Euchariſtiæ adeſt materia approbata, ideſt panis, & vinum: & in collatione ordinis adeſt character Epiſcopalis; qui eſt poteſtas conferendi ordines; in Sacramento verò Pęnitentiæ deficit materia remota, .s. ſubiectio perſonarū, quibus conferat Sacramentum Pęnitentiæ: hanc enim materiam non recipiunt Sacerdotes in ſuſceptione Sacramenti Ordinis; ſed conceditur illis ab Eccleſia, dum ſubditi eis traduntur: ex. gr. quando Sacerdos cōſtituitur Parochus; vel aliter ad id Superior Sacerdoti iuriſdictionem impertit. ità *Soto in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. Nau. cap. p. de Pœnit. diſt. 6. & in Man. c. 4. nu. 1. & alij relati à Caſare loc. cit.* requiritur enim auctoritas abſoluendi ordinaria, vel delegata *Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.*

Vrgebis, Epiſcopus Hæreticus, quamuis illicitè non ſubditum ordinet; tamen validè illum ordinat: ergo in ſimili, quamuis Sacerdos Hæreticus nō ſubditum licitè abſoluere nequeat: tamen validè illum abſoluit.

Reſpondeo, quòd non procedit ſimilitudo; quia ad ordinandū validè vnum ſufficit, nempè character; qui Epiſcopo Hæretico, aut præciſo non deficit, ſicut etiam cuique Sacerdoti non deficit character Sacerdotij: quo ſemper validè conficere poteſt Sacramentum Euchariſtiæ; ad abſoluendum verò à mortali requiruntur neceſſariò duo copulatiuè, videlicèt character Sacerdotalis; & iuriſdictio ſuper perſonas Superiori concedenti iuriſdictionem ſubiectas: ab ipſoq; Sacerdoti concedi neceſſum eſt.

Inſtabis, in collatione Sacerdotalis ordinis conferri claues diſcernendi, & abſoluendi, ſcil. iuriſdictionem ad vtrumq; actum: iuxta illud *Io. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.*

Reſpondet *Caſar loc. cit. nu.* 19. allatis diuerſis iuribus, & Doctoribus grauibus; Sacerdotes in eorum ordinatione, prædicta recipere tantū in habitu; ab Eccleſia verò recipere prædictorum vſum, ſeu exercitium; ad quem tamen vſum iuxta commune Theologorum placitū requiritur; vt Superior ſuper ſibi ſubiectos Sacerdoti facultatem concedat, cum in ſuſceptione ordinis Sacerdotalis non recipiat ſubditos, ſeu materiā, ſuper quam exerceat iuriſdictionem *Bal. in l. 1. num. 15. ff. iuriſdict. contra Armaianum lib. 11. de Quaſtionibus Armenorum à principio. Almaianum in 4. diſtinct. 18. quaſt. vnica, & alios.*

Notandum eſt autem duplicem eſſe differentiam inter iuriſdictionem fori interioris, & fori exterioris.

Prima, quia interior competit ſolis Sacerdotibus reſpectu Sacramenti Pęnitentię: exterior verò competit per ſe, ideſt abſq; reſpectu alicuius Sacramenti.

Secunda, interior competit Sacerdotibus Chriſti, in quantum eſt Deus: quia dicta iuriſdictio ordinatur ad remittēda peccata, & iuſtificandum; quod eſt proprium Dei; quis enim remittit peccata, niſi ſolus Deus, tanquam agens principalis? Exterior verò competit ipſis in quantum eſt homo: quia ſic remittit peccata meritoriè. ità *Caſar loc. cit. à numero 10. vſque ad 14.*

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS II.

LIBER VNDECIMVS.

De peccatis, quæ propemodùm cum hæreſi fraternizant, vz. de Apoſtaſia, Schiſmate, Idolatria, & Infidelitate.

Hic liber reducitur ad primum caſum Edicti S. O. .s. ad hæreſim, ſi in dictis criminibus contingat error in mente: vel ad eius ſuſpicionem in genere; ſi illa patrans non habeat errorem in mente; tangitur verò materia huius libri in textu, ibi.

O habbiano adherito, ò adheriſchino a' riti de' Giudei, ò Mahometani, ò Saraceni, ò de' Gentili: ò habbiano apoſtatato dalla S. Fede Chriſtiana: ò in qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio, ò gli habbiano preſtato, ò preſtino honore.

Verùm non agemus de his abſolutè, ſed præciſè, quatenus ſpectant ad denunciationem, de qua Edictum: vel reſpiciunt munus Confeſſarij; Reuocamus autem hunc tractatum ad quatuor diſtinctiones, iuxta numerum prædictorum delictorum.

Prima eſt, de Apoſtaſia.

Secunda; de Schiſmate.

Tertia, de Idolatria.

Quarta, de Infidelitate.

DISTINCTIO PRIMA.

De Apoſtatis à fide loquor non generalitèr; ſed ſpecificè, prout facit ad propoſitum. Tex. *O habbiano Apoſtatato dalla S. Fede Chriſtiana.*

Circa quam ſex percurremus articulos.

Primus eſt conuenientia, & diſcrimen inter Apoſtaſiam, & hæreſim.

Secundus; de conditione ad dictam Apoſtaſiam neceſſariò requiſita.

Tertius, de cenſura, quæ conſequitur Apoſtaſiam.

Quartus eſt, de circunſtantia Apoſtaſiæ, an .s. in confeſſione ſit aperienda.

Quintus ſoluit difficultatem pænès Apoſtaſiam à religione.

Sextus, quid præcipuè adnotare debet Lector, ſeu Confeſſarius circa Apoſtaſiæ materiam.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Apoſtata quid, & quotuplex: & qualem conuenientiam habet cum Hæretico.

Apoſtata grecè idem eſt, ac deſertor ſuſceptæ religionis.

Triplex eſt Apoſtata; nimirùm à Religione, à Clericatu, & à Fide; & de hoc vltimo eſt ſermo in præſentiarum.

Apoſtata à Fide eſt, qui ſuſceptam Fidem in toto deſerit: & eſt triplex, nempè purè internus, ſeu mentalis: purè externus, ſeu materialitèr tantùm: internus, & externus ſimul; qui poteſt eſſe occultus, vel publicus eo modo, quo dicitur de Hæretico. Pœnæ itèm, quas contrahunt Apoſtatæ ſunt eædem cum his, quas itidem contrahunt Hæretici; eò quòd hæreſis, & Apoſtaſia eiuſdē ſunt ſpeciei. Vndè

ſicut hæreſis purè mentalis: & item purè externa à quolibet Confeſſario abſolui poteſt; ſic Apoſtaſia purè interna, aut externa: quia non ſunt excommunicati; licèt autem Apoſtatæ ſolùm externi non ſint verè, & formaliter Apoſtatæ in foro conſcientiæ; in foro tamen exteriori, & illi cenſentur formales Hæretici, & iſti formales Apoſtatæ, & vt tales puniuntur. Vtrique quoque, ſi ſint occulti, nō puniſitur in foro externo; quia vt tales nō poſsūt eſſe noti Eccleſiæ: quòd ſecùs eſt, ſi exiſtant publici; quia vtriuſq; crimen, velut depoſitione dignum, venit puniendum. Aduerte tamen rarò cōtingere poſſe Apoſtatas eſſe occultos; Vide *Direct. Inquiſ. par. 1. quæſ. 9. Commen. 24. Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 1. dub. 17. nu. 2.* Recipit itidem Eccleſia non minus Apoſtatas pœnitentes, quàm Hæreticos. *Azor. lib. 8. c. 21. quæſ. 9.* De tempore autem gratiæ cōceſſo reuertentibus ab hæreſi, vel Apoſtaſia, & ſpontè confitentibus: itèm de concedente illud, & de ipſius effectu, vide *Pennam 3. par. Direct. Comm. 12. Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 4. per totum.*

DIFFICVLTAS II.

An Apoſtata à fide differat ab Hæretico.

REſpondetur differre; quia Apoſtata à fide eſt Hæreticus: ſed non è conuerſo: nam poteſt quis eſſe Hæreticus abſq; hoc, quòd deſerat totalitèr fidem, vti facit Apoſtata, *cap. contra Chriſtianos lib. 6.* quòd notat *Ludouicus Carbonus in Summa Summarum, tom. 3. cap. 1. nu. 56. Bannes 2. 2. quæſ. 12. art. 1.* Hæreticus enim ex parte deſerit fidē: Apoſtata autem ex toto.

Verùm notandum, quòd nomen Apoſtatæ .s. à fide interdum ſumitur largè; & ſic ſub hoc nomine comprehenditur etiam Hæreticus; quo nomine vti ſolent Inquiſitores in ſuo iudicio Apoſtatas appellando Hæreticos; etiam ſi in vno solummodò articulo fidei deficiant. Strictè verò ſumptum dicitur præcisè de illo, qui totalitèr receſſit à fide Chriſti. Eſt doctrina communis, quam obſeruat in primis *Ludouicus Carbonus vbi ſupra cap. 58. per totum.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Apoſtaſia in foro conſcientiæ conuerſionem ad aliam ſectam neceſſariò requirat.

DVO in Apoſtaſia conſiderantur .s. receſſus totalis à Fide ſuſcepta; hoc autē eſt eſſentiale in ipſa: & conuerſio ad aliam ſectam; hoc verò eſt accidentale: eo quòd prima conditio poteſt reperiri ſine ſecunda: nam poteſt quis eſſe verus Apoſtata ex ſolo receſſu a fide abſque conuerſione ad aliā ſectam: ità *Sanctarellus de Hæreſi cap. 2.* alios cumulans, quòd notat *Carena de Modo procedendi in cauſis Fidei tit. 3. §. 1. num. 3.* Notandum eſt autē, quòd huiuſmodi difficultas eſt prorsùs Confeſſarijs ſcitu neceſſaria; ne mittant falcem, in quem non habent poteſtatem: talis enim Apoſtata, licèt ad nullam ſectam tranſierit; attamen minimè abſolui poterit; cū huiuſmodi Apoſtaſia S. Pontifici reſeruata maneat: ſupponitur tamen, quòd iſte dederit aliquod ſignum extra internæ Apoſtaſiæ ſatis oſtenſiuum; doctrina autem de hæreſi tradita quo ad abſolutionē prorsùs hìc adaptatur; quemadmodùm enim non poteſt abſolui Hæreticus; qui internæ ſuæ hæreſis ad extra dedit ſignum ſatis oſtenſiuum: cum ipſius abſolutio remaneat S. Pōtifici reſeruatā; ità adamuſſim dicendum eſt de Apoſtata: nam de ſimilibus idem eſt iudicium. Concordant *DD. & iura;* patet tum, quia vbicunque militat eadem ratio; idem ius ſtatui debet, *l. Illud, ff. ad Legem Aquiliam*; tum quia, vbi diuerſa ratio reddi nō poteſt, diuerſum ius induci non debet, *l. 3. §. 1. ff. de Iniuſto, rupto, irrito facto teſtamento*; tum præterea, quia paritas rationis induit paritatē diſpoſitionis. *l. A Titio, ff. de Stipulatione ſeru.*

DIFFICVLTAS II.

An Apoſtata à Fide veniant deferēdi Cenſoribus Fidei.

DE hoc quæſito nullus relinquitur ambigendi locus; quod ſatis conſtat, tum ex textu, ibi: *O che habbiano Apoſtatato dalla S. Fede Chriſtiana*; tum ex vi argumenti à minori ad maius: nam ſi Hæreticus, qui (cæteris paribus) minus graſſatur contra Fidem Chriſti, cum ſolùm neget: aut non credat aliquem articulum ab Eccleſia propoſitum; venit dictis Cenſoribus denunciandus: quomodò non erit denunciandus; qui totalitèr à Fide Chriſtiana recedit? res de ſe conſtat, etiam ex praxi: tum præterea quia Epiſcopi, & Inquiſitores ius habent inquirendi in eos; qui è Chriſtianis ad aliam religionem tranſierint: v. g. ad Iudæos, Gentiles, &c. ob Baptiſmum abnegatum: & nedum in ipſos, ſed etiam contra talium Receptatores, Fautores, Defenſores &c. Iudæi verò tranſeuntes ad Saracenos, ſeu ad alios Infideles; quemadmodùm non veniunt Inquiſitoribus denunciandi: ità ab illis minimè puniuntur. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 37. nu. 27. Penna 2. par. Direct. ad quæſt. 44. Comm. 69. Farinac. de Hær. qu. 178. n. 132. & 133.*

Notandum verò hìc nomine Infidelium intelligi omnes, qui Mahumeticę ſectę inhęrent ſiue ſint Turcæ, ſiue Tartari, ſiue Perſes, ſiue Arabes, ſiue Aegyptij, Africani, Mauri, aut alterius cuiuſq; nationis exiſtant. Voluntque Saraceni à Sara vxore Abrahæ, ità vocari, quaſi ab ipſa deſcendant; cum potius appellari deberent Agareni ab Agar Ancilla dictę Saræ, à qua verè originem traxerunt. legendus eſt *Azor tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæſ. 1. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 21. num. 1. & 2.* Pagani autem dicuntur à Pago; quia olim Gētiles, dum ab Imperatoribus Catholicis oppugnabantur; ſe ſe in pagis, & villis abſcondebant; vt ſuos Deos colerent; latiusq; eſt nomen Gentilis, quàm Pagani: nam Gentilis eſt genus, & Paganus eſt illius ſpecies: vterque verò negatiuè contrariatur Fidei Catholicæ. *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 24. quæſ. 1. Trullench in Expoſ. Decal.*

Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 19. num. 1. Saracenus; item qui eſt altera ſpecies Gentilium eſt differens ſolùm à Gentili, vt ſpecies à ſuo genere.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Apoſtatæ i. tranſeuntes ab Eccleſia ad aliquam ſectã abſq; errore in intellectu ſint excommunicati?

CAietanus *2. 2. quæſ. 11. art. 1. ad 2. & qu. 94. art. 1.* quem multi ſequuntur, tenet partem affirmatiuam; aſſerens nedum excommunicatione, ſed etiam cæteris pœnis contra Hæreticos latis affici exterius negantes aliquam Fidei veritatem: aut ab ea recedentes, licèt nullum habeant errorem in intellectu: motiq; metu graui i.s. cadente in conſtantem virum, hæc præſtiterint.

Alij verò tenent partem negatiuam, aſſerentes minimè cenſuris: v.g. excommunicatione, alijsuè pœnis ligari; niſi ob delictum perfectè conſumatum; quale non committunt tranſeuntes ad aliquam ſectam abſq; errore in intellectu. Idemq; dicendum de illis, qui adorant, genuflectunt, aut thurificant Dęmonem, aut Mahumetum externa tantùm adoratione abſque errore in intellectu. legito DD. infrà citandos.

Verùm mihi placet diſtinguere, videlicèt de duplici foro .i. Eccleſiæ, & Dei: quo ad forum Eccleſiæ, quæ fundatur in præſumptione; dicendum eſt prędictos ligari excommunicatione, alijsq; pœnis: quò verò ad forum Dei, qui cognoſcit interna cordis noſtri, ſecus dicendũ eſt; & hac diſtinctione conciliari poſſunt oppoſitæ ſententiæ.

Excipitur autem à prædicta doctrina caſus ſingularis, in quo per actum hæreſis purè exteriorem quis incurrit excommunicationem Bullæ Cęnæ, i. cum quis actu extrinſeco fauet Hęreticis animo illis fauendi: licèt ſine errore in intellectu. Verùm is non eſt excommunicatus, vt Apoſtata à fide, aut Hæreticus; ſed tanquam fautor Hæreticorum. *Nau. in Sum. cap. 11. nu. 27. Sanchez lib. 2. Sum. c. 7. num. 1. Riciullus de Iure perſonarum extra gremium Eccleſię exiſtentium, lib. 5. cap. 3. & alij apud Boſſium de Priuilegijs Nobilgi ſect. 1. caſ. 10 §. 4. n. 66. & 69.*

DIFFICVLTAS II.

Apoſtatæ an duplici ligentur excommunicatione altera reſpectu hæreſis, altera verò reſpectu Apoſtaſiæ?

RAtio difficultatis eſt: quia Apoſtatæ eiſdẽ pœnis ſubiacent, quibus Hæretici; Heretici autem ſunt excommunicati, quemadmodum ſunt etiam Apoſtatæ; ideò videntur duplici excommunicatione annodari, tum quatenus Hæretici: tum quatenus Apoſtatæ. Ante reſponſionem adnotandum eſt, quinam nomine Apoſtatarum intelligantur. Reſpondetur propriè intelligi Chriſtianos, ad impias Iudęorum, vel Gentilium ſectas ſiue tranſeuntes, ſiue redeuntes. ità *Canoniſtę in cap. Contra Chriſtianos de Hęret. in 6. Eymericus in Directorio, par. 2. quæſ. 44. & ſequen. Pegna Comm. 69. & 70. Farinacius de Hęreſi, quæſ. 183. num. 19. & alij.* legendę ſunt Bullæ Pontificię, altera *Nicol. IV.* incipit *Turbato corde:* altera *Gregorij XI.* incipit *Admodum dolenter.*

Reſpondetur, quòd quamuis Apoſtatæ ſint etiam verè Hæretici: & tam illi, quam iſti ſint excommunicati: attamen nõ duplici excommunicatione, i. Bullæ Cęnæ, ſed vna ligantur; omiſſis tamen pro nunc illis, de quibus in litteris Apoſtolicis, quas habes poſt *Eymericum.* ità *Layman lib. 2. tract. 1. cap. 16. nu. 4. Ceſar Carena de Modo procedendi in cauſis S. Officij tit. 3. §. 7. nu. 57.* ratio eſt, quia Apoſtaſiæ crimẽn nõ eſt ſpecie diſtinctum ab hæreſi; ſed tantùm dicit circunſtantiam magis aggrauantem intra tamen eandem ſpeciem: nam Apoſtaſia eſt receſſus à Fide totalis; hereſis verò partialis; magis autem, & minùs non variant ſpeciem: legendus eſt *Sanchez in Sum. lib. 2. c. 7. nu. 16. Alphonſus à Caſtro de Iuſta Hęreticorum punitione lib. 1. cap. 7. Pegna par. 2. Commen 74. Suarez de Fide diſp. 16. & 5. in fine. Sanctarellus de Fide c. 2. nu. 2. alios cumulans.*

Mihi probatur difficultati ſatisfieri poſſe tribus propoſitionibus. Prima, Apoſtata à Fide, licèt ſit etiam Hæreticus: ac pro vtroque crimine, vz. Apoſtaſiæ, & Hæreſis excommunicetur: attamen, ſi priùs apoſtatet, Fidem Catholicã totalitèr deſerendo; in vnam tantummodò excommunicationem incidit: nam ipſius receſſus, quamuis contineat etiam hæreſim formalem: tamen denominatur à grauiori culpa, nimirùm ab Apoſtaſia, ab illaq; accipit vnitatem.

Secunda propoſitio. Qui ſucceſſiuè poſt retentam aliquam hæreſim; deinde apoſtatat; vti ſe habet Hæreticus, qui fit Turca; vel Iudeus. incidit in duas excommunicationes, in altera ratione hæreſis: in altera verò ratione Apoſtaſiæ. ità *Vgolinus tract. Bullę Cęnę, part. 2. cap. 11. verſ. & à Chriſtiana Fide Apoſtata: Lucas Floranus in Expoſit. prohibitionis Duelli* §. 3. *nu. 4.*

Tertia, quo ad peccatum ſimilitèr eſt difficultas, i. an recedens à Fide Catholica, & recipiens fidem Gentilium, aut Iudęorum vnum, vel duo committat peccata ſpecie diuerſa: aliqui ſentiunt eſſe duo neceſſariò in confeſſione ſacramẽtali explicanda: alterum recedendo à Fide; quam ſolemnitèr profeſſus eſt: Alterum amplectendo ſectam Gentilium, aut Iudęorum: à quibus tamen DD. Beccanus videtur recedere: volens, quòd ſit tantùm vnũ *2. 2. cap. 13. quæſ. 2. nu. 5.* quòd notat *Bonac. de Decem Præceptis, diſp. 3. quæſ. 3. punc. 6. nu. 3.*

DIFFICVLTAS III.

An Apoſtata à fide grauitèr peccet: & num aliqua ratione excuſari poſſit.

PRimæ parti difficultatis reſpondetur abſolutè affirmatiuè: Patet clarè: tum quia Apoſtata opprimit veritatem: *cap. Error, diſt. 83.* opprimitur autem veritas quatuor modis; vz. timore, cupiditate, odio, & amore, *cap. Quatuor, 11. quæſ. 3.* tum quia illius

fit

ſit proditor, *cap. Nolite timere* 11. *qu.* 3. tum quia Apoſtaſia relinquit Deum, & ſequitur Diabolum, iuxta illud: *Qui non eſt mecum contra me eſt*: relinquens .n. veritatem; ſubindè Deum, qui eſt ipſamet veritas, relinquit; *Ego ſum via, veritas, & vita*: tum prætereà, quia ſcandalizat veritatis aſſeclas, .s. Catholicos: væh autem homini per quem ſcandalum venit, &c. bonum erat Apoſtatæ, ſi natus non fuiſſet; proijciendus nanque eſt in profundum Inferni.

Secundę item parti reſpr̄ Apoſtatā nō excuſari. Primò nō excuſatur ob timorem ſuppliciorum: quia melius eſt pro veritate ſuppliciū pati; quàm pro adulatione beneficium conſequi, *cap. Nemo petitorum*, 11 *quæſt.* 3. potiusq; tolerandum ſit omne malum, quàm, quòd veritas fidei relinquatur, *cap. Qui ſcandalizauerit, de Reg. iur. in antiquis*. Secundo, ſi, qui metu alicuius poteſtatis veritatem occultat, non excuſatur, *c. Quiſquis*, 11. *quæſ.* 3.; quomodò excuſabitur; qui relicta veritate in Baptiſmo iam profeſſa, illam abnegat? Tertiò, ſi, qui tacet verum, non excuſatur, *l. Presbyteri citra, C. de Epiſcopis, & Clericis*: qui negat verum, quonammodò excuſabitur?

Quartò, nec itèm quis excuſatur enixa parentum, aut amicorum ſupplicatione &c. inquit .n. Chriſtus, *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non eſt me dignus*; & à fortiori, non eſt dignus, ſi ob amicū Deum relinquat: tenetur .n. plus amare veritatem Catholicā, quàm cætera alia iuxta illud: *Inter amicos ſanctius eſt præferre veritatem*: & iuxta illud vulgatum: *Amicus Plato, Amicus Socrates, ſed magis amica veritas*.

Nec obſtat veritatem Catholicam mori nō poſſe, cum Chriſtus orauerit, & obtinuerit, vt non deficiat: *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: quia licèt nō patiatur mortem patitur tamèn vulnera ab Apoſtatis, Hæreticis, Gentilibus, Iudęis, notum eſt; quæ tamen tandèm ſanabuntur: tempus nanque eſt parens veritatis: & tunc fiet vnum ouile, & vnus paſtor.

DIFFICVLTAS IV.

A quibus cauendum eſt, ne quis ruat in Apoſtaſiā à fide.

Reſpōdeo, ꝙ multa poſſent aſſignari, à quibus foret abſtinendum; & præcipuè à ſuperbia, à proprio ſenſu, à vitio carnis; ſed pro nunc dico prorsùs cauendum, & præcauendū eſſe ab hæreſi: tum quia ſerpit, vt cancer: tum quia eſt via directè ad illam ducens: eſt nanq; via illa, de qua Pſaltes ità proloquitur: *Viam iniquitatis amoue à me*: itidem eſt ille abiſſus, de qua idemmet Pſalmiſta inquit; *Abiſſus abiſſum inuocat*: Abiſſus .s. hæreſis inuocat abiſſum Apoſtaſiæ: nam quemadmodum à parte ad totum fit tranſitus; ità ab hæreſi, quæ ſolùm negat partem credendorum ad Apoſtaſiam, quę totam Fidem Catholicam abnegat: abnegat quippè nedum Fidem ſuſceptā; ſed etiam Chriſtum, qui eſt principium Fidei; ſine quo nihil ſanctum, nihil iuſtum: nec .n. eſt aliud nomen ſub Cęlo datum hominibus, in hoc oporteat nos ſaluos fieri: ipſe .n. ſolus eſt via, veritas, & vita: via, à qua nefas eſt declinare ad dexteram, vel ſiniſtram: veritas, quæ nec fallere, nec falli poteſt: vita ſemper permanens, mors illi vltra non dominabitur.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An Hæreticus à Fide apoſtatans circunſtantiam Apoſtaſiæ in confeſſione ſacramentali aperire teneatur.

Reſpondetur, vt plurimū Doctores partem negantem ſequi: quorum ratio eſt; quia Apoſtaſia ab hæreſi non differt ſpecie; ſed præcisè ſecundum plus, & minus: plus autem, & minus nō variant ſpeciem. videndus eſt *Bannes 2.2. quæſ. 2. art. 1. Valent. tom. 3. diſp. 2. quæſ. 11. punc. 1. & quæſ. 12. punc. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 21. quæſ. 3. Diana tract. de Circunſtan. aggrau. reſol. 44. & alij contra Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 175.* docentem in vtroque foro eſſe aperiendam.

Verùm etſi dicta Apoſtaſiæ circunſtantia non ſit neceſſariò, & per ſe manifeſtanda in Sacramento Pœnitentię; cum ſolùm circunſtantiæ ſpeciem mutantes; ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 7.* ſint confitendæ ex neceſſitate; tamen in foro fori cenſeo prorsùs eſſe aperiendas; qui ſi publicus extiterit; etiam publicè ſe retractare tenebitur; nam iuxta modum delicti, plagarū quoque modus eſſe debet, vt dictat æquiſſima naturæ lex. Quinimmò ſi interfuit ſcandalum illius circunſtantiam in Sacramento Pœnitentiæ aperire tenetur. Inſuper *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 17. nu. 1. & cap. 2. dub. 2. nu. 22. ex mente Sanchez* docet Apoſtatam explicare etiam debere ad quam ſectam tranſierit; vt Confeſſarius illi debitam poſſit applicare medicinam, quod ſatìs conſentaneum eſt: ſi Medici manus expectas, oportet vt vulnus detegas tuum. *Boetius de Conſolatione Philoſophica.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An exitus Sanctimonialium, aut Religioſorum extra Conuentum abſq; licentia Superioris vi Dæmonū factus Apoſtaſiam à Religione conſtituat?

Iste caſus contingit, cum Monialis, vel Religioſus (quòd abſit) extra Conuentum ad ludum, ſeu montem veneris portatur à Dęmone.

Suppono delationem Monialis, aut Religioſi fuiſſe realem; & non tantùm imaginariam, vt plurimùm contingere ſolet.

Suppono item ſermonem eſſe de Apoſtaſia à Religione ſecundum ius commune: nō autem ſecundum ſpecialia iura iſtius, vel illius Religionis particularis; vbi ſecundum diuerſitatem Religionum; diuerſæ etiam fiunt Conſtitutiones, aliæ latiores, aliæ ſtrictiores.

Suppono itidem egreſſionem, ſeu portationem Monialis: aut alterius Regularis extra ſeptām Conuentus per Diabolū eſſe conſiderabilem, ſeu notabilē; qualis eſt illa, quæ apud Conſtitutiones cuiuſque Religionis taxatur

talis;

talis; vel quæ ex ſtylo, aut conſuetudine, vſu recepta, & approbata cenſetur huiuſmodi.

His ſtantibus, reſpondetur difficultati negatiuè; cuius ratio eſt, quia ad Apoſtaſiam à Religione duæ copulatiuè requiruntur conditiones, altera eſt, vt Monialis .ſ. profeſſa, aut Religioſus profeſſus exeat à Conuentu, vel Monaſterio temerè nimirùm inconſulto Prælato, aut Prælata reſpectiuè; altera verò, vt egrediatur animo deſerendi Religionem in genere; In propoſito autem vna tantùm conditio concurrit .ſ. egreſſio abſque licentia (conditione altera .ſ. deſerendi Religionem in genere deficiente) ad veritatem autem propoſitionis copulatiuæ requiritur, vt vtraq; pars ſit vera, *l. ſi quis ita ſtipulatus fuerit, ff. de Verb. obligat.*.

Dixi deficiente animo deſerendi Religionē in genere: in cuius gratiam obſeruandum eſt Religionem poſſe dupliciter conſiderari, nimirùm in genere, & in ſpecie: in genere quatenus .ſ. comprehēdit omnes Religiones particulares, vt Auguſtinianam, Dominicanam, Franciſcanam, &c. in ſpecie .ſ. prout deſignatur in particulari aliqua Religio, vt Franciſcana: ad effectum autem Apoſtaſiæ non ſat eſt Monialem, vel Religioſum habuiſſe animum deſerendi Religionem, cuius regulam profeſſus eſt: vel aliquem Conuentum ipſius; ſed requiritur neceſſariò, vt habuerit animum deſerendi Religionem in genere; ducendiq; merem vitam laicalem. Faciunt, quæ docet *Roder. in qq. regul. tom. 1. quaſ. 30. art. 1. Farin. de Hæreſi quaſ. 183. Miranda in Manuali Prælatorum tom. 1. qu. 51. art. 1. & alij*. Quo fit, vt ſi Monialis, vel Religioſus ad aliam Religionem, vel ad alium Conuentum Religionis, quàm profeſſus eſt, ſe conferret; vel à Diabolo ad ipſius præceptum portaretur; non poſſet iure Apoſtata à Religione appellari (attento præcisè iure communi) faciunt tradita ab *Arſen. S. Inquiſ. part. 7. pagina mihi* 182.

ART. VI. DIFFICVLTAS VNICA.

Quid potiſſimùm adnotare debet tum Lector, tum Confeſſarius circa Apoſtaſia materiam.

RESpō debere adnotare, an Apoſtaſia à DD. tractetur in foro externo: vel in foro Sacram. Pœnitentiæ; quia ſæpè eſt in vno foro, & non in altero: ex. gr. *Arſen. S. Inquiſit. part. 10. admon.* 15. ità proloquitur. *Colui, che per timor della morte, ò per troppo mali trattamenti, rimoſſa la credulità, paſſa a'riti de Mahometani, ò Saraceni, non ſi dee hauer per Apoſtata formale; mà ſolamente per ſoſpetto d'apoſtaſia.* Hæc doctrina, ſeu admonitio (prout iacet) nō ſubſiſtit pro foro Sacramenti Pœnitentiæ: quia, cum in hoc attendatur veritas, & non præſumptio; ſi Apoſtata mente errauit, contra *Arſen.* eſt formalis Apoſtata, & non tantùm ſuſpectus: concurrunt .n. eſſentialia ad Apoſtaſiam formalem; nimirùm error in mente, & actus externus illum ſatis deſignans: quare dicta proloquutio procedit ſolummodò pro foro externo. E contra idem *Auctor Arſen. loc. cit. admon.* 176. inquit, *Apoſtata dalla Fede, ſi dice eſſer colui, che ſacrifica, ò commanda altrui, che ſacrifichi à gl'Idoli, ouero al Demonio; &c.* quæ ſanè verba reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ abſolutè non ſunt vera; ſi talia patrans non habeat errorem in intellectu: reſpectu verò fori externi ſecus dicendum eſt; nam cū Eccleſia nitatur præſumptione ſupponit actus apoſtaſiacos menti corriſpondere. Habet ſimilitèr idem *Doctor vbi ſupra admonit.* 241. hæc verba: *Colui, che per timore, ò per forza haurà apoſtatato dalla Fede; all'hora ſolamente vien'iſcuſato, quando il timor, e la forza è graue; come à dire di morte, e di tormenti, &c.* Huiuſmodi excuſatio non admittitur pro foro Sacramenti Pœnitentiæ; ſi timore, lz. graui prçterritus mēte errauit: vnde in hoc foro, niſi à S. Pontif. abſolui poteſt; quare dictus Doctor venit prçcisè intelligendus in foro externo, quādo (ceſſante timore) ſtatim recurrit ad S. Trib. qa in tali caſu nō punitur pœna ordinaria, vt loc. cit. notatur.

DISTINCTIO SECVNDA.

De Schiſmaticis.

De his non eſt hic loquendum, niſi quatenus conueniunt, & differunt ab Hæreticis: omiſſis alijs, quæ de ipſis dici poſſent, tanquàm alienis à propoſito noſtro: v. g. de eorum poteſtate conferendi Ordines Sacros, Beneficia Eccleſiaſtica &c.

Diuiditurq; in ſeptem articulos.

Primus, reſpicit Schiſmatis originem, eſſentiam, & differentiam inter ipſum, & hereſim.

Secundus, demonſtrat quis ſit verè Schiſmaticus.

Tertius, qualis Schiſmaticus S. Tribunali veniat deferendus.

Quartus, aſſignat Schiſmatici poteſtatem.

Quintus, eius oſtendit irregularitatem.

Sextus, ponit, quis eum, eius Fautores, Receptatores, Deffenſores, &c. abſoluere poſſit.

Septimus deniq; quomodò circa Schiſmaticum ſe gerere debeat Confeſſarius.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Schiſma vnde prouenit, quid eſt, & quot modis cōtingit?

REſpondet *Liranus ſuper Epiſtolam D. Pauli ad Epheſios cap. 4.* Schiſma prouenire ex pluralitate Dominorum contraria volentiū. Schiſma nomen

Grçcum

Græcum eſt, latinè ſciſſurã ſonat: Verùm apud Catholicos infame nomen eſt, ſignificans illicitam diſceſſionem ab Eccleſiæ vnitate. ità *Simancas de Cathol. Inſtit. tit. 58. nu. 1.* Propriè autem loquẽdo, eſt diſiunctio; per quam quis ſeparatur ab vnitate Eccleſiæ; in quantum eſt quoddam corpus conſtans ex vniuerſis fidelibus, vt membris: & Romano Pontifice tanquã capite; vnde Schiſmaticus eſt, qui ſic diſiungitur; *S. Tho. 2. 2. q. 39. ar. 1. Ven. 2. par. Direct. cõment. 73. ad quæſt. 48.* cõtingit ãt ſchiſma duob. modis: Primò, cum quis inſimul à capite Eccleſiæ, cæterisq; membris ſeparatur; vt quando Sum. Rom. inſimul Pontifici Eccleſiæ capiti ſubeſſe renuit; & membris Eccleſiæ communicare. Secundò, cum à ſolo capite: vel à ſolis membris ſeiungitur: velut ſi ſpirituales actiones exerceat non tanquam pars Eccleſię; ſed quaſi eſſet quoddam totum ſeorſum. *Caiet. in ver. Schiſma, Sanchez lib. 2. moral. cap. 36. n. 2. Farinac. de Hæreſi quæſt. 184. nu. 9. & 44.*

DIFFICVLTAS II.

Quomodo Schiſma ab hæreſi differat.

RESpondetur diſtinctione; differt Schiſma ab hæreſi ratione maioris grauitatis criminis: nam hereſis per ſe eſt grauius delictum Schiſmate; cùm opponatur Deo ſecundum quod in ſe eſt veritas prima, cui Fides innititur; Schiſma autem Eccleſiæ vnitati opponitur; quæ eſt quoddam bonum per participationẽ, dico per participationẽ ad diſtinctionem Dei, qui eſt bonus eſſentialitèr: Cęterùm (loquendo per accidens) Schiſma eſt maius peccatum ratione .ſ. circunſtantiarum; v. g. ſcandalorũ, contentionum, &c. quæ ex ipſo ſuboriri ſolẽt. Item grauius eſt ratione oppoſitæ virtutis: nam hæreſis opponitur Fidei: Schiſma verò Charitati, quæ maior eſt fide (teſte *Apoſt. ad Chorint. 1. cap. 13.*) maior autem horum eſt Charitas. legendus eſt *Viualdus in Candelabro, part. 2. prim. caſ. nu. 95. & 100*

Notandum eſt autem; quòd omnis Hæreticus eſt verus, & formalis Schiſmaticus, non verò è contrà: Verùm tamen eſt, quòd Schiſmaticus eſt in diſpoſitione ad hæreſim; quod notat *Layman. lib. 2. tractat. 3. cap. 6. num. 4. Simanchas de Cathol. inſtit. tit. 50. nu 9. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 20. quæſito 4 Sylueſt. ver. Schiſma, Caiet. eod. ver. Antonin. par. 2. tit. 3. cap. 11. §. 6. & 10. & alij.*

Prætereà notandum eſt Schiſmaticum merè externum incurrere in excommunicationem Bullæ Cęnæ; ſi facto ab Eccleſiæ vnitate ſe ſeparat; quamuis mente Fidem retineat, *Farinac. de Hæreſi, quæſt. 184. §. 2. nu. 1. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. c. 2. nu. 4.* Hæreticus verò merè externus minimè incurrit: ratio autem diſcriminis eſt; quia hæreſis non conſumatur in ſolo actu externo; ſed neceſſariò requirit errorem internum: at Schiſma ſatis in ſua ſpecie conſumatur per ſolũ actũ externũ, ità *Sanchez lib. 2. Oper. moral. cap. 36. nu. 14. cum Suarez de Cenſuris diſp. 2. ſect. 2. nu. 3.* quos citat *Trullench in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 17. num. 5.* qui cum *Suarez loc. cit.* infert Catholicos in Anglia ſolùm exterius obedientes Regi, tanquàm Vicario Chriſti in ſpiritualibus; qualem ipſe ſe profitetur; eſſe verè Schiſmaticos; & proindè non euadere excommunicationem Bullæ Cęnæ; licèt mente nõ credant eſſe Chriſti Vicarium.

Cõueniunt verò ad inuicem Schiſmaticus, & Hæreticus. Primò, quia neuter excommunicatur Bulla Cęnæ; ſi purè interior talis exiſtat; ad incurrẽdam .n. excommunicationem non ſufficit actus internus, *Tolet. lib. 4. cap. 11. num. 50.*

Secundò, quia neuter ammittit poteſtatem ordinis; quod notat *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 17. num. 5. poſt Caſtrum Palaum de Charitate; tract. 6. diſp. 4. punct 6. nu. 2., Suarez item de Charitate diſp. 12. ſect. 2 nu. 2.*

Tertiò, quia Schiſma eſt ſoror hęreſis: vnde nullum eſt Schiſma; quòd ſibi non confingat aliquã hæreſim; vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur, vti notat *Siman. de Cath. inſt. tit. 58. n. 2.*

DIFFICVLTAS III.

An ad Schiſma requiratur directa, ſiue expreſſa intentio ſe ſubtrahendi à Pontificis Obedientia; vel à Communione aliorum membrorum: vel ſufficiat indirecta.

ANte reſponſionem notandum eſt; tunc directè te diuidis; cum expreſsè, & formalitèr intendis non recognoſcere Pontificẽ, vt Superiorem: indirectè autẽ, cum facto ipſo oſtendis illum minimè recognoſcere. ità *Palaus loc. infra citando nu. 3.*

Reſpondetur non requiri directa, ſiue expreſſa intentio; ſed ſufficere indirectam, & interpretatiuam: ex. gr. ſi quis externum opus Schiſmatis exerceat; licèt non ex intentione ſeparandi ſe à capite, vel à membris eius: vtpotè, ſi Epiſcopi generalem Synodũ abſq; Summi Pontificis auctoritate congregare præſumerent. ità *Caiet. ver. Schiſma cit. à Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 6. nu. 4* aut ſi generalem Synodũ iam diſſolutam proſequerentur abſq; Summi Pontificis auctoritate. *Caiet. loc. cit. D. Thom. 2. 2. q. 31. art. 1. Sanchez lib. 2. moral. cap. 36. nu. 5.* Idipſum dicendum eſt de illis; qui alium Pontificem præter illum, quem indubitatum; & verè electum eſſe conſtat, inſtituunt: aut qui Schiſmaticè electum ſequuntur, *Souſa in Aph. Inquiſ. loc. cit. nu. 7. Carena de Modo procedendi in cauſis Sancti Officij tit. 3. §. 14. num. 51.* hinc ſequitur prædictos ligari excommunicatione Bullæ Cęnæ, *Palaus in Oper. mor. tract. 6. diſp. 4. punc. 5. nu. 3.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Vtrum Schiſmaticus ſit, qui ab Epiſcopo ſuo; vel à particulari aliqua Eccleſia ſe ſegregat; interim volens eſſe ſubiectum Summo Pontifici: & cum alijs membris Eccleſiæ vniuerſalis communicare.

Ratio

RAtio difficultatis eſt; quia *Bellar. lib. 3. de Eccleſia c. 5. & alij Doctores* cenſuerunt huiuſmodi eſſe Schiſmaticum; vt notat *Layman. lib. 2 tract. 3. c. 6. nu. 6.*

Reſpondetur negatiuè,.s.huiuſmodi hominem non eſſe Schiſmaticum; nec perindè ſubiectum pęnis canon. contra Schiſmaticos; ratio eſt, quia ſchiſma propriè, ac ſimplicitèr ſignificant ſeparationem ab Eccleſia vniuerſali: ab eiuſuè viſibili Capite in terris; certum enim eſt poſſe, quem ex maligno affectu ſe ſeparare ab Eccleſia particulari, eiuſuè Paſtore; interim intendens, ac palàm proteſtans ſe manere in communione Eccleſiæ vniuerſalis, & ſub Obedientia Summi Pontificis: igitur talis non erit propriè, & ſimplicitèr Schiſmaticus; cum adhuc Eccleſiæ vniuerſalis membrum permaneat. *Palaus in Oper. mor. tract. 6. diſp. 4. punc. 5. nu. 6. Lorca diſp. 48. num. 11. Farinacius de Hæreſi quæſ. 184. nu. 27. & 30.*

Nec obſtat dictum Bellarmini; aut aliorum DD. quia eorum dicta intelligenda ſunt de Schiſmaticis largè: non autem propriè, & ſtrictè: ità *Layman loco cit.* & ante ipſum *Vgol. de Cenſ. par. 2. c. 1. verſ. Nec non Schiſmatici, nu. 3. Sanch. & Azor.* ità colligitur ex *c. Quia diligentia, de Electione, & ibi Abbas nu. 7.* legitò *Layman loc. cit. nu. 7.*

DIFFICVLTAS II.

An ſit Schiſmaticus, qui ob odium in Summum Pontificem v.g. quia ipſum non elegit in Epiſcopum, aut Cardin., illi obedire renuit?

SVppono prædictum credere Summum Pontificem eſſe verum Chriſti Vicarium.

Reſpondetur N. non eſſe Schiſmaticum: primò, quia in rigore loquendo duo tantùm ſunt genera Schiſmaticorum: Primum eſt eorum, qui ſunt ſimul Heretici: ſecundum eſt illorum; qui nundum in aliquam inciderunt hæreſim; ſed tantùm diſcedunt ab vnitate Eccleſiæ: ac Summi Pontificis obedientia, vt Pōtifex eſt, vel vt caput Eccleſiæ: parumq; iſti ab Hæreticis diſtant; nam, & ſi Chriſtiani eſſe profiteantur: re tamen ipſa palàm oſtendunt ſe credere; quòd extra Eccleſiam Catholicam Romanam ſit ſalus; quòd Pontifici non eſt parendum: quòd ſcindi poteſt vnitas Eccleſiæ: & alia errōnea ac impia; hìc autem de quo ſermo, nō eſt Hæreticus; nec recedit ab obedientia Summi Pontif. vt talis; vel, vt caput Eccleſiæ cum adhuc ipſum recognoſcat Superiorē. *Reginal. lib. 9. nu. 26. Caiet. 2. 2. q. 39. ar. 1. dub. 2. Bonac. de Decem Præceptis, diſp. 3. quæſt. 4. punct. vlt. §. 5.*

Patet ſecūdò, quia Schiſma, à quo Schiſmaticus deriuatur; eſt rebellis diuiſio, & ſeparatio ab Obedientia vniuerſalis Eccleſię: vel Summi Pontificis, vt Pontifex eſt: hìc autem, qui ob offenſam, quam à Summo Pontifice ſe putans pati; recuſat illius præceptum; non dicitur rebellis Summo Pontifici, vt Pontifex eſt: cum ipſum, vt dixi, recognoſcat tanquàm Principem vniuerſalis Eccleſiæ.

Hinc ſequitur primò ob eandem rationem; nec illum eſſe Schiſmaticum; qui rem à Summo Pontifici pręſcriptam non vult adimplere, quia ſibi grauis, vel incommoda eſt. Secundò nec ſubditum Iuriſdictionis temporalis Papæ; qui non vult ipſi ſubijci, tanquàm illius Domino, ſed alteri Principi. Verùm duo ſunt ab inobediente cauenda: Primum, ne præſtet aliquid, quo ſe oſtendat ſaltem indirectè à Summo Pontifice, vt tali ſe ſubtrahere; alterum; ne pertinacitèr ſe ſubtrahat: quia ſic ex primo defectu eſſet Schiſmaticus; ex ſecundo autem incideret in cenſuram Bullæ Cęnæ, vt ſupra dictum eſt; ibi enim fit mentio non tantùm de illis, qui ſe ſubtrahunt à Summo Pontif. tanquàm à capite, ſed etiam de ſubtrahentibus ſe pertinacitèr ab obedientia Papæ pro tempore exiſtentis. patet ex littera *Bullæ, can. 1. & ibi Memoriale ſciendorum à Clericis in appendice ad Cathalog. excom. excom. 1. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 11. nu. 6. & 7. Palaus in Oper. mor. tract. 6. diſp. 4. punc. 5. nu. 7. qui plures cumulat DD. Diuus Thom. 2. 2 quæſt. 39. art. 1. ibi Caiet. dub. 2. Bannes ibidem ad finem.*

DIFFICVLTAS III.

An pro Schiſmatico, vel pro Hęretico habendus ſit, qui aſſerit non eſſe de Fide Papam hunc numero: v.g. Sanctiſs. D. N. Innocentium X. eſſe verum Pontificem?

REſpondetur huiuſmodi temerarium, Sacrilegum habendum eſſe pro formali Hæretico: quemadmodum enim Eccleſiam Dei viſibilem eſſe hanc numero eſt de Fide; vti validiſſimè probant plura Concilia, Summorū Pontificum Conſtitutiones, & PP. Auctoritates; ità etiam eſt de Fide illius caput viſibile; cui ſubeſt, & obedire tenetur; eſſe hunc hominem viſibilē pro Summo Pontifice cōmuni Eccleſiæ conſenſu habitū: quòd, ſi hoc eſt de Fide; contrarium aſſerens eſt Hæreticus. Legēdus eſt *Suarius de Fide, diſp. 10. ſect. 5. Turrianus in Selectis diſput. par. 1. diſp. 35. dub. 1. Pueronus ad Bullam Cęnæ cap. 1. nu. 142.* quos citat *Carena de Modo procedendi in cauſ. fidei tit. 3. §. 14. nu. 63. qui num. 62.* tradit etiam; quid Confeſſarius pęnitenti conſulere debeat, exiſtentibus duobus Summis Pontificibus eodem tempore; ſi dè alterutrū canonica electione minimè conſtet; nempè illum pro verò Pontifice eſſe cognoſcendum; quem pro tali approbabit Conc. Generale. *Marius Alterius de Cenſ. lib. 5. diſp. 2. c. 9. ver. Si poſtules, & verſ. Addo etiam.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Qui Schiſmatici veniunt S. Officio denunciandi.

NOtandum eſt Schiſmaticorum duplex eſſe genus; alterum eſt eorum, qui ſolummodò ab Eccleſia ſunt diuiſi quoad obedientiam; nullum de credendis habentes errorem in intellectu: nec in voluntate pertinaciam. Alterum eſt eorum, qui ab Eccleſia extant diuiſi, nedum quoad obedientiā; ſed etiam quoad credenda, renuentes credere,

per

per Romanam Eccleſiam decernuntur credenda: ex. gr. nolentes credere Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, prout definitum eſt de *Summa Trinitate, & Fide Cathol. lib. 6. cap. vnico*.

Modo deueniendo ad rem noſtram; dicendum eſt Schiſmaticos primi generis non eſſe denunciandos: quia licèt ſint de hæreſi ſuſpecti ratione inobedientiæ; ſunt tamen præciſè ſuſpecti leui ſuſpicione, vt notat *Pegna ſuper Direct. Inquiſit. par. 2. q. 48. Comment. 73. lit. B. contra Palaum in Oper. mor. tract. 6. diſp. 4. pun. 6. nu. 19. nu.* 19. ob ſuſpicionem autem de leui non venit aliquis denunciandus, vt infra *caſ. 2. ex profeſſo dicam*. An autem poſſint fieri ſuſpecti de vehementi; vide *Souſam in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 20. nu. 13. Simancam de Cathol. inſtit. tit. 58. nu.* 8. Cæterùm Schiſmatici ſecundi generis; non modò ſunt de hæreſi ſuſpecti; ſed ſunt verè Hæretici; cum circa credenda habeant errorem in intellectu, & pertinaciam in voluntate: Quare abſq; vllo dubio veniunt denunciandi, concordant iura, & DD.

Verùm notatum eſſe velim denunciandos eſſe non ratione Schiſmatis, ſed præciſè ratione hæreſis; & ob hanc cauſam fortaſſe Edictũ S. Inquiſitionis nullam facit mentionem de Schiſmaticorum denunciatione: nec propriè in his Commentarijs agitur, an Schiſmatici interdum annodẽtur hæreſi, aut eius vehementi ſuſpicione: quia Schiſma propriè poteſt eſſe ſine hæreſi; eiuſuè ſuſpicione vehementi: vt quando quis re vera cõfitens Summum Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, caputq; totius Eccleſiæ; recuſat ei obedire ob aliquam cauſã rationabilẽ; talis autem cauſa contingit, quanco duo, vel plures contendunt de Papatu: & ſe pro Summis Pontificibus gerunt, quiſq; credens vnitatem Eccleſiæ eſſe apud ſe; minimè impugnando Romanam Eccleſiam: quo caſu, qui legitimo numero Cardinalium non eſt electus; & qui illum ſequuntur, ſunt puri Schiſmatici, & tàm ipſi, quàm eorum ſequaces excuſantur à peccato; dummodò parati ſint ad determinationem Concilij à Papatu ſe abdicare, & eius determinationi acquieſcere; ità ex *Say. in Theſ. lib. 3. cap. 5. nu.* 22. quem ſequitur *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 17. nu. 4. Simancas de Cathol. inſtit. tit. 58. nu.* 9.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Schiſmatici, quam auctoritatem habeant circa Sacramenta.

Reſpondet *Lelius Zechius de Caſib. reſer. circa principium, vbi de ſuſpenſ. num.* 18. Schiſmaticos habere facultatem conferendi ordines quoad characterem; ſicut verè conficiunt etiam alia Sacramenta; excepto Pœnitentiæ Sacramento extra articulum mortis; quia non habent vſum iuriſdictionis; dico extra articulum mortis: quia pro illo omnes Sacerdotes omnem habent poteſtatem neceſſariam ſaluti perpetuæ proximorum. Idem dicitur de Hæreticis excommunicatis, & depoſitis publicè. *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ibi omnes Sacerdotes. Capeauil. de Caſ. reſer. cap. 7. diff.* 3. qui teſtatur de communi.

Verùm, qui ordines à Schiſmaticus denunciatis ſuſcipit; ſuſpenſionem ab vſu ordinum incurrit. *cap. 1. de Schiſmaticis*, vbi irritantur collationes ordinum; non quia collatio eorũ quoad ſubſtantiam non teneat; ſed irritantur quoad vſum; quatenus ſcienter recipiens ordinem à Schiſmatico impeditur; ne illũ exerceat. Qui verò ſuſcipit beneficium, vel dignitatem à Schiſmatico; priuandus eſt beneficio, vel dignitate Eccleſiaſtica reſpectiuè. ità *Sanchez in Summa lib. 2. cap. 36. num. 20. Suarez de Cenſ. diſp. 23. ſect. 3. num. 4. Duardus in Commen. Bulla Cœna cap. 56. num. 14. & alij*: Schiſmatici namq; licèt non ſint priuati poteſtate ordinis; ſunt tamen priuati poteſtate iuriſdictionis, *c. Didicimus, 24. q. 1. Sanchez in Summa lib. 2. cap. 30. num.* 10. An autem hæc pœna habeat locum in Schiſmatico non denunciato; controuertunt Scribentes. vide ſupra *Par. 2. lib. 10 diſt. 9. art. 4. difficul. 2. Palaum in Oper. mor. tract. 6. diſp. 4. punc. 6 num. 2. Extrauag. ad euitanda ſcandala, Concilij Conſtant.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An Schiſmaticus occultus ſit irregularis; & priuatus ipſo iure beneficijs ante Schiſma adeptis.

Reſpondetur probabile eſſe occultum Schiſmaticum Eccleſiæ reconciliatũ non indigere diſpenſatione; quia pœna inhabilitatis non cuilibet Schiſmatico impoſita videtur; ſed publico, & manifeſto; quare occultus, & maximè emendatus, & conuerſus hanc pœnam nullo modo contrahit; vt multi probant etiam de Hæretico occulto. *Garcia 11. par. de Benef. cap. 10. num. 83. Sanchez lib. 2. Oper. mor. cap. 39. nu. 19. Caſtrus Palaus de Charitate tract. 6. diſp. 4. punct. 6. nu. 15. apud Trullench in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 17. nu.* 5.

Nec item ipſo iure Schiſmaticus priuatus eſt beneficijs ante Schiſma adeptis, vt latè probant *DD. citati apud Trullench loco cit.*

ART. VI. DIFFICVLTAS I.

An inobediens Summo Pontifici à Confeſſario, qui non eſt fultus auctoritate ſpeciali caſuum in Bulla Cœnæ reſeruatorum; abſolui poſſit.

Diſtinguendũ eſt de inobediente Summo Pontifici; vel eſt tantummodò inobediens in aliqua re Summo Pontifici ob aliquam paſſionem: v. g. ob odium: tamen ipſum recognoſcens, vt Papam; talis ſi reſipiſcat ab inobedientia; & ſcandalum non obſtet; abſolui poteſt: quia non eſt Schiſmaticus. Dico, & ſcandalum non obſtet; quia, ſi externè ab omnibus haberetur, talis; non poſſet pro tunc publicè abſolui; quouſq; populus fuerit edoctus: (poſſet tamen ſecretè) quod in primis notat *Carbonus, tom. 3. lib. 1. cap. 35. per totũ*; vel iſte eſt inobediẽs Papæ; quia Papa, & caput Eccleſiæ; & hic eſt verus Schiſmaticus,

ticus, qui ſi exiſtat etiam Hæreticus; annodatur excommunicatione Bullæ Cenæ, tum ratione ſchiſmatis, tum ratione hæreſis, à ſoloq; Sum. Pont. abſolui poteſt. Verùm nota, quòd aliud eſt cum contumacia non obedire S P. in vna, vel altera rè: Aliud verò ſubtrahere ſe pertinacitèr ab illius obedientia: qui primo modo ſe habet, ſi reſipiſcat poteſt abſolui: quòd ſecus eſt, qui ſecundo modo.

An verò Confeſſarius Schiſmaticum abſoluere poſſit, vide infra *art. 7. diff. 1. num. 6.* ibi, Schiſmatici, qui Hęretici non ſunt.

DIFFICVLTAS II.

An Fautores, Defenſores, Receptatores Schiſmaticorũ incurrant Bullam Cenæ.

RAtio difficultatis eſt; quia Bulla Cęnæ excommunicantur, tàm Hæretici, quàm Schiſmatici: ergò videtur, quòd ſicut Fautores, &c. Hæreticorùm excommunicantur; ità Fautores, Defenſores, Receptatores Schiſmaticorum excommunicati cenſeantur dicta cenſura.

Reſpondē difficultati negatiuè, rō eſt; quia Fautores, Defenſores &c. Hæreticorũ exprimuntur in Bulla (nullo facto verbo de Fautoribus, Defenſoribus, Receptatoribus Schiſmaticorum) in odioſis autem non eſt facienda extenſio vltra verborum proprietatem; quòd notat *Sanchez lib. 2. Oper. mor. c. 36. nu 14. Laymann lib. 2. tract. 3. cap. 11. nu. 5. Antonius Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 20. n. 17. Trullench poſt ipſos in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 13. dub. 17. num. 5.*; hinc patet diſcrimen inter Hæreticorum, & Schiſmaticorum Fautores, Receptatores, Defenſores. quòd, ſi Schiſmatici ſint etiam Hæretici; eadem erit ratio vtrorumq; Fautorum, &c. ſed non quà Schiſmatici, ſed quà Hæretici.

Verùm, licèt non incidant in excommunicationem Bullæ: incidunt tamen excommunicationem Pauli IV. incipit, *Cum ex Apoſtolatus officio*, ſed nulli eſt reſeruata; quare à quocunq; Confeſſario auferri poterit; quòd notat in primis *Carena de Modo procedendi in cauſis Fidei, tit. 3. §. 14. num. 61. 37. poſt Duard. in Bulla Cænæ lib. 2. can. 1. q. 56. nu. 18. verſ. Benè verum eſt, Abbatem Tueronum ad Bullam Cenæ c. 1. n. 246.*

ART. VII. DIFFICVLTAS I.

Quomodò ſe habebit Confeſſarius cum irretito Schiſmatis crimine: & quid pro ſui inſtitutione aduertere debet.

PRimò illi obijciat Schiſma eſſe peccatũ mortale grauiſſimum ex ſuo genere, quòd patet; tum quia aduerſatur principali virtuti nimirùm charitati, cuius proprium eſt vnire, & conciliare: tum, quia grauiſſimis pœnis punitur: tum prætereà, quia interdum eſt grauius hæreſi, vt ſupra cautum fuit: & videri poteſt apud *D. Thom. 2. 2. quæſt. 39. art. 2.*

Secundò, ſignificabit illi huiuſmodi peccatum ex paruitate materiæ non poſſe fieri veniale: Schiſma .n. conſiſtit formalitèr in diuiſione, & rebellione ab vnitate vniuerſalis Eccleſiæ, aut Capitis; talis autem rebellio, aut diuiſio etiam in re leuiſſima; grauiſſimam continet inordinationem; eſt .n. ſumma arrogantia, diabolica ſuperbia, & Eccleſiæ grauiſſimus contemptus. ità *Valentia 2. 2. diſp. 3. punct. 2. in principio, Sanchez in Summa lib. 2. cap. 36. nu. 6. Bonacina de Decem Præcep. diſp. 3. quæſt. 4. punct. vltim. §. 5. Palaus in Oper. moral. tract. 6. diſp. 4. punc. 5. nu. 5.*

Confeſſarius verò pro ſui inſtructione primò animaduertet; quòd habentes facultatem abſoluendi à caſibus Bullæ Cænæ; ſicut contingere ſolet in Iubilęis; abſoluere poterunt purè Schiſmaticos; qui .ſ. non ſunt Hæretici: quia ſolius excommunicationis ob hæreſim contractæ proprium eſt; vt abſque ſpeciali expreſſione nequeat auferri, vt notat *Bonac. loc. cit. nu. 6. citans Sanchez, & Suarez.*

Secundò, animaduertet eum, qui per peccatum mortale ſeparatur ab vnione charitatis, qua Chriſti fideles inter ſe: & cum Deo connectuntur, non eſſe Schiſmaticum; alioquin quiſq; mortale patrans, foret Schiſmaticus, quod abſurdum eſt.

Nec item illum eſſe Schiſmaticum; qui per excommunicationem arcetur à communi fidelium cętu.

Tertiò, è contra notet præter Schiſmaticos ſupra nominatos; illum etiam eſſe Schiſmaticum; qui alios auocat à ſubiectione Summi Pontificis, vt Pontifex eſt. Item illum, qui non vult cum aliquibus communicare hac ſolùm de cauſa; quia ſunt ſubditi Papæ, vt Papa eſt; nam (facto ipſo) eſt reus Schiſmatis. ità *Reginal. lib. 9. nu. 259* quem citat *Bonac. loc. cit.* ſicut enim eſt Reus damni, qui illius cauſam dat: aut qui facit opus; ex quo damnum facilè ſequi poteſt: ità reus eſt Schiſmatis, qui facit aliquid ex quo ſequitur diuiſio ab vniuerſali Eccleſia, vel à Capite, *Caiet. ver. Schiſma. Reginal. loc. cit. Suarez de Cenſuris diſp. 21. ſect. 2. nu. 13. Bonac. loc. cit.*

Tertiò, notet cum *Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admon.* 280. illi, qui non ſeruat vnitatem Eccleſiæ; non prodeſſe Baptiſmũ, nec eleemoſynā; immò nec Chriſti paſſionem: quia extra Eccleſiam non eſt ſalus: quo circa Auctor prædicti *Arſen. loc. cit.* ſubſequitur in hæc verba, vz. non poteſt eſſe particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt Chriſtianæ vnitatis.

Quartò, notandum eſt, non eſſe de eſſentia Schiſmatis ſeparationem à S. Pontifice; cum ſede vacante committi poſſit; ſufficit .n. eſſe ſeparationem ab vnitate, quam fideles inter ſe: & cum Chriſti capite habent. ità *Valen. diſp. 3. quæſ. 15. part. 1. propoſ. 5. Corinthus diſp. 30. n. 41.*

Quintò, ſi Schiſma notorium ſit, illo durante; Schiſmaticum irregularem eſſe irregularitate generali proueniente ex crimine notorio depoſitione digno: hæc tamen irregularitas per pœnitentiam aboletur. *Palaus vbi ſupra punc. 6. nu. 16.*

Sextò, Schiſmatici, qui Hæretici non ſunt; abſolui poſſunt ſemel in vita, & ſemel in morte virtute Cruciatæ; & ſimilitèr abſolui poſſunt virtute Iubilei; vel priuilegij caſus Bullæ Cenæ concedentis: quia ſola hæreſis ob eius grauitatem reſeruatur, *Sanchez lib. 2. cap. 36. num. 17.*

Septimò, Schiſmatici non poſſunt excommunicare, abſoluere, indulgentias, aut beneficia conferre: nec alia, quæ iuriſdictionem requirũt; ſed omnia illa inualida ſunt; niſi aliunde (Nota) ex communi errore ob titulũ præſumptum iuriſdictio concedatur. ſic *D. Thom. 2. 2. quæſ. 39. art. 3. Azor. prim. par. lib. 8. cap. 20. quæſ. 9. & 12. Decian. tract. crimin. lib. 5. cap. 67. num. 8. & ſeq. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 184. num. 43.* probatur ex *tex. in cap. 1. de Schiſmaticis*, vbi dicitur ordinationes ab Octauiano, & Guidone Hæreſiarchis factas; & ab ordinatis ab eis irritas eſſe cenſemus .s. quoad executionem earum legitimam, vt notat *Gloſſa*; ibiq; additur; & qui dignitates Eccleſiaſticas, ſeu beneficia per dictos Hæreſiarchas acceperunt; careant impetratis.

DIFFICVLTAS II.

Quæ, & quot ſunt pœnæ Schiſmaticorum.

Reſpondetur eſſe octo infra poſitas.

Prima eſt, priuatio poteſtatis iuriſdictionis. *cap. Nouatianus, 7. quæſ. 1.*

Secunda eſt, excommunicatio ipſo facto. patet ex Bulla Cænæ, tàm ſi Hæretici, quàm ſi non exiſtant.

Tertia eſt, inhabilitas ad beneficia Eccleſiaſtica in poſterùm habenda, ex *tex. in cap. Quia diligentia de Electione.*

Quarta, enumeratur ab aliquibus irregularitas, ſed non approbatur. vide *Sanchez lib. 2. cap. 30. nu. 20. in fine.*

Quinta eſt, ſuſpenſio ordinis à Schiſmatico ſcientèr recepti. ex *cap. 1. & 2. de Schiſmaticis, & cap. Ordinationes, 9. quæſ. 1.*

Sexta, vt collatio beneficiorum Schiſmaticis facta irritatur, *cap. 1. de Schiſmaticis, ibi careant impetratis.*

Septima, eſt ſuſpicio hæreſis, vt benè notat *Pegna 2. par. ad Direct. quæſ. 48. Comm. 73.*

Octaua eſt, ſubiectio Eccleſiaſticis Iudicib. pro pœna ſuſtinenda. legendus eſt *Caſtrus Palaus in Oper. mor. tract. 6. diſp. 4. pun. 6. per totũ*, qui affert declarationem cuiuſq; prędictæ pœnæ, *Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 6. nu. 7. item cap. Quia diligentia, de Electione, & ibi Abbas num. 7. ex capit. de Liguribus, 23. quæſ. 5. cap. Non vos, cap. In nomine Domini, diſt. 23.*

DISTINCTIO TERTIA. De Idolatria.

Hæc diſtinctio in ſeptem partitur articulos, quorum

Primus eſt de eius quidditate, & multiplicitate.

Secundus, de grauitate huius criminis.

Tertius, de ſimulata Idolatria.

Quartus, de ignorata.

Quintus, de abſolutione paſſiua iurantis per idolum.

Sextus, ſoluit dubium.

Septimus foret addendus .s. de delatione Idolatræ ad Sanctum Officium; Sed quia ſumus omninò in claris ex notatis in textu, ibi: O in qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio, e gli habbiano preſtato, ò preſtino honore; *ideò meritò omittitur.*

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Idolatria vnde dicatur, quid, & quotuplex.

Idolatria dicitur ab Idolo, quod eſt effigies alicuius falſi numinis. Dicitur falſi numinis ad diſtinctionem imaginis Dei, Sãctorum, aut Angelorum lucis. ità *Carolus Baucius in Miſcellaneis practicis, tractatu de ſuperſtitione.* Idolatria eſt exhibitio diuini cultus erga falſum Deum: colere .n. pro Deo, eum, qui non eſt Deus; ipſum laudando, aut inuocando, aut illi ſacrificando, aut aliquo modo ſe proſternendo, idolatrare eſt.

Itidèm idolatrare eſt quærere familiaritatẽ, amicitiam, aut auxilium Dęmonis quouis modo: v. g. mediantibus artibus magicis, maleficijs &c. ità *Articulus Pariſienſis primus de ſuperſtitionibus.* Verùm ſicùt vera adoratio Dei, vt obiectum eſt ſupernaturale; eſſe non poteſt, niſi fides pręcedat in intellectu; per quam illius ſupernaturalẽ excellentiam recognoſcamus, cui nos ſubijcimus; ità etiam adoratio falſa nõ eſt Idolatria; niſi error præcedens ſit in mente; quo dignũ honore iudicamus Deum falſum; & in hoc caſu Idolatra ſubiectus eſt excommunicationi Cęnæ, vt Hæreticus: quòd ſecus eſt, ſi minimè credat honore dignum.

Verùm notandum, quòd Idolatria exterior; quamuis abſq; errore intellectus excommunicationi in Bulla Cęnæ nõ ſit ſubiecta; cũ Bulla ſupponat Idolatram habere errorem in mente: vt de hæreſi cautum fuit, cum communi DD. & ſignanter cum *Tolet. lib. 4. cap. 14. nu. 2.* eſt tamen ſubiecta excommunicationi, de qua *Ioannes 22. in Extrauag.* incipit, *Super illius ſpecula.* quam habes apud *Eymer. in Direct. part. 2. quæſ. 43. nu. 9.* quæ ſanè excommunicatio vtrũ ſit reſeruata nec ne, dicam ſequenti difficultate, ibidemq; tradam, an ſit vſu receptam.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Quot modis committitur Idolatria.

RESpondeo tribus committi modis. Primò committitur ex errore infidelitatis circa Deorum multitudinem, vt quando Idolatra credit aliquam diuinitatem eſſe in Idolo: v. g. in Idolo Iouis, Martis, &c. hìc autem, ſi non exiſtat baptizatus, eſt Gentilis: Si autem exiſtat baptizatus; eſt Hæreticus excommunicatus in Bulla Cænæ, quamuis nihil ore proferat; ſed tantum ſigno externo Idolum colat, vt notat *Trullench in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 2. *nu.* 3. *poſt Ledeſm. in Sum. tract.* 1. *de Fide, cap.* 1. *conc.* 12. ratio eſt, quia ille cultus exterior ſufficientèr internam deſignat hæreſim.

Secundò committitur; quando abſque mẽtis infidelitate creaturæ honor diuinus tribuitur; illam adorando ex effectu voluntario; vti faciunt Striges Dęmonem adorantes ad conſequendum ſuum intentum; Hæc autem eſt Idolatria purè externa.

Tertiò committitur; quando quis non ex affectu voluntario, nèc ex credulitate; ſed ad euitandum malum: ex.gr. imminentem mortem Idolum fictè adorat; hìc autem Idolatra, quamuis nõ committat Idolatriam internam; committit tamen externam, quæ intrinſecè mala eſt; peccatq; contra confeſſionem Fidei; verum Deum negando; & ſubindè committit crimen lęſæ maieſtatis: legendus eſt *Trullench loc. cit.*

Verùm aduerte, quod etſi N. (vt ſupra dictum fuit) qui abſque errore fictè adorat Idolum; minimè ſit excommunicatus Bulla Cęnæ; quia illa fertur contra Hæreticos; non autèm contra Idolatras præcisè externos: vt notat *Say. in Clau. lib.* 3. *cap.* 5. *& lib* 4. *cap.* 4. *n.* 11. *Suarez lib.* 2. *de Relig. tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 20. 21. & 22. excommunicatur tamen excommunicatione lata à *Ioanne* 22. de qua ſupra, quæ non eſt reſeruata, nec vſu recepta, vti obſeruat *Ferdinandus in Opere moral. part.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *punc.* 16. §. 5. *nu.* 1.

Notandum autèm dictam excommunicationem fulminari reſpectu eorum, ſeu contra illos, qui volũtariè Idolum adorant, licèt fictè; nam reſpectu eorum, qui coactè ad euitandã mortem inſtantem ad Idolatriam compelluntur; variant DD. an contrahant dictam excommunicationem *Ioan.* 22. vtramque autem opinionem probabilem iudicat *Trullench loc. cit. num.* 5.

DIFFICVLTAS III.

An differat cultum Dęmoni exhibere ex effectu illum reuerendi; vel metu, auaritia, aut alio affectu, quam ipſum adorandi, ſeu reuerendi.

REſpr̃ affirmatiuè: nam qui primo modo Dęmonẽ adorat eſt verus Idolatra; vndè præter alias pœnas incurrit excõmunicationẽ *Io.* 22. incipit ſuper illius ſpecula: qui autem reuereretur Dęmonẽ, ſecundò modo .s. ex metu, auaritia, vel alio affectu, quàm ipſum adorãdi; dictam excommunicationem non incurrit: quia non eſt verus Idolatra. ità *Ferdinandus in Opere morali, par.* 1. *tract.* 4 *diſp.* 8. *punc.* 16. §. 5. *nu.* 1. *poſt Sanchez lib.* 2. *in Decal. cap.* 7. *nu.* 10. *Trullench in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 5. vbi notat aliquos ſentire prædictos irretiri dicta excommunicatione: ſentitq; vtramque opinionem probabilem eſſe.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Idolatria peccatum an omnium peccatorum ſit grauiſſimum.

DVplex eſt grauitas .s. per ſe, .i. ex natura rei: & per accidens ob aliquod extrinſecum rei. Loquendo de grauitate per ſe, reſpondeo affirmatiuè. Patet primò; quia in cæteris peccatis homo opponitur Deo ſolummodò partialitèr: in peccato verò Idolatriæ repugnat ipſi totalitèr: illuſtro rem exemplo: Quemadmodum, ſi Regi iubenti aliquid, reſpondeat quis hoc modo nõ teneor, vel nolo facere hoc; repugnat quidem Regi, ſed tamen ſolùm partialitèr; quia non negat per hoc, quin ſit dignus; vt ei præſtetur obedientia: quod ſi reſpondeat ipſi, tu nõ es Rex, repugnat ei totalitèr; quia per hoc tota ei obedientia adimitur; cum auferat ab ipſo (quantum in ſe eſt) fundamentum obedientiæ in Regia dignitate fundatæ. Ita in propoſito, qui aliquod ex præceptis Dei non obſeruat; agit profectò contra eius obedientiam; ſed repugnat ei (vt ſic loquar) ſolùm partialitèr: ſi verò committat Idolatriam; denegat ſaltem implicitè, ipſum eſſe Deum; quia, cum vnus tantùm ſit Deus; & ille adoret Idolum, vt Deum; conſequentèr excludit verum Deum eſſe talẽ; & ſubindè opponitur ipſi plenè, & totalitèr.

Secundò patet, quia in tranſgreſſione præceptorum proximum reſpicientiũ tranſgreſſor contemnit ſolummodò legem Dei indirectè: ſed in peccato Idolatriæ directè contemnitur non ſolùm lex de non colendo Deos alienos; ſed etiam Deus ipſe; cum loco Dei adoret alium, vt ſuppono, adoratione latriæ, quæ ſoli Deo debetur. Loquendo itaq; per ſe, Idolatriæ crimen eſt omnium peccatorũ grauiſſimum. Cæterùm, loquendo per accidens, contingit aliud peccatum Idolatria grauius eſſe: ex. gr. ſi comparetur Idolattia ſolùm extrinſeca .i. abſq; errore in intellectu hæreſi formali; aut apoſtaſiæ item formali: in quibus inſimul coniunguntur opus externum hæreticale cum errore in mente: attendat igitur Confeſſarius, ne erret. faciunt, quæ habet *Toſtatus ſuper Matth. cap.* 4. *quæſ.* 53.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An liceat per ſimulationem ſaltèm ad euitandam mortem Idola colere.

REſpondetur negatiuè, primò, quia qui per ſimulationem adorat Idola; committit mendacium, non quidem verbo, ſed facto; quia ſignificat ſe eſſe Idolatram, licèt non ſit; at mendacium nullatenus licitum

 eſt,

eſt, præcipuè iniurioſum Deo, cuiuſmodi eſt omne mendacium in rebus Fidei: quia, quæ intrinſecè,& ex natura ſua mala ſunt; nunquã benè fieri poſſunt; etiam ſi ob bonum finem fiant: ſed mendacium intrinſecè ex natura ſua malum eſt: ergò nunquàm benè fieri poteſt; etiam ſi fiat ob bonum finem. Maior patet, quia quòd intrinſecè, .s. ex natura ſua malum eſt; per nullam circunſtantiam extrinſecam poteſt fieri bonum: nam circunſtantiæ extrinſecę, & accidentales non mutant intrinſecam rei naturam.

Secundò, non licèt, cum Apoſtolus damnet huiuſmodi cultum, 2. *Cor.* 6.

Tertiò, quia multi Martyres ſimulatoriè mortem euadere potuiſſent; qui tamen noluerunt, iuſtè iudicantes non licere.

Quartò, denique, quia conſtat Marcellinum Pontificem grauitèr peccaſſe; licèt ob mortis metum Idolis ſacrificauerit, quod ipſemet cognouit.

Verùm adoratio duplicitèr contingere poteſt; vel intuitu religionis: vel ciuilis obſequij. prima eſt cęrimonia religioſa: ſecunda verò eſt politica. prima eſt illicita, altera autem licita: de vtraque extat exemplum in ſcriptura Sancta 4. *Reg. cap.* 5. in Rege Syrię, & in Naaman eius ſeruo. Rex Syrię in templo Remmon flectebat genua, vt Idolum coleret: Naaman verò Syrus itèm genua flectebat in eodẽ templo; verùm non ad colendum Idolum; ſed vt Regi ſuo prẽſtaret ſeruitium politicum.

In huius gratiam notandum fuiſſe morem Regis Syrię; vt inniteretur humeris alicuius famuli, ſiue in templo, ſiue in foro; ideoq; famulum, cuius humeris Rex innitebatur, ipſo ſtante, ambulante, vel genu flectente neceſſe erat etiam ipſum famulum ſtare, ambulare, vel genuflectere ratione obſequij ciuilis: tamen maxima erat inter vtriuſque adorationem differentia. ità *Abulenſis lib.* 4. *Reg. c.* 5. *quæſt.* 25. *Liranus ibidem circa textum. Azor. lib.* 8. *Moralium cap.* 27. *q.* 7. *Beccanus in Compend. controuer. huius temp. lib.* 5. *cap.* 5. *nu.* 6.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An Dęmon, ſaltem cum transfiguratur in Angelum lucis, vt in formam Chriſti Crucifixi; abſq; Idolatria adorari poſſit; ab illo, qui credit verè ipſum eſſe Chriſtum.

RAtio difficultatis eſt, quia ignorantia facti à peccato excuſat; intercedit autèm talis ignorantia, vt ſuppono, cum Dęmon in Angelum lucis trãsformatur.

Reſpondeo, quòd duæ ſunt ſententiæ totalitèr oppoſitæ. Negatiua fundatur in his rationibus; prima, quia quilibet per S. Scripturam præmonitus eſt interdum tenebrarum Angelum in Angelum lucis ſe transformare, vt habetur 2. *Corin. c.* 11. & facit illud *Matth.* 24. *Multi venient in nomine meo, & dicent ego ſum, & ſeducent multos.*

Secunda, quia leui negotio poteſt quiſque ſe tueri in tali euentu, addendo adorationi cõditionem, vtpotè dicendo: adoro te duliæ reuerentia; ſi es ex numero Sanctorum Angelorum: vel latria, ſi tu es Chriſtus. ità *Theologi communitèr, & præcipuè Alexander Alenſis* 3. *par. Sum. quæſ.* 16. *art.* 4 quòd notat *Bartholomęus Sybilla in Speculo perg. quæſtionum, cap.* 2. *Decadis* 3. *queſ.* 5 vti in ſimili ſe habuit D. Petrus *Matth.* 14. ibi, *Si tu es .s. Chriſtus, iube me venire ad te ſuper aquas.*

Tertia, quia huiuſmodi apparitio, cum ſit quid rarum, & inſolitum; quiſque Dei auxilium implorare tenetur; qui non permittit nos tentari ſupra vires noſtras (Apoſtolo teſte): omiſſis itaque prædictis, aut æquipollentibus cautelis; abſque Idolatria Dęmon, licèt transformatus, non adoratur. eſt doctrina Theologorum communis.

Quarta, quia cum Maria Virgine ante conſenſum cogitare debemus, qualis ſit huiuſmodi apparitio.

Alij, ſed præcipuè *Medina, quem citat Binsfeldius de Confeſſione Malef. præludio* 12. *Nal. ver. Angeli nu.* 2. *Azor. tom.* 1. *lib.* 1 *cap.* 6. *verſ.* 10. *quæritur, & alij*. Sentiunt .N. non niſi materialẽ Idolatriam patrare, quorum ſententia mihi probatur; quia non eſt Idolatria formalis; niſi intercedente malitia, quæ hìc pœnitus deficit, vt ſuppono: non .n. genu, vel lingua eſt rea, niſi prius mens ſit talis.

Nec obſtat prima ratio in contrarium; quia licèt ipſum non adorauerit expreſsè conditionalitèr; tamen tacitè talitèr adorauit, quòd patet ex ipſius credulitate.

Non obſtat ſecunda; quia quamuis admoneamur de fallacia Dęmonis: tamen non ſemper præſto ſunt memoriæ, quæ obſeruanda ſunt, vt notum eſt: & per hanc reſponſionem ſatisfit etiam tertiæ rationi; quia non ſtatim occurrit memoriæ, orationis remedium.

Nec denique obſiſtit vltima ratio: quia perſpicacitate M. V. pauci prędicti ſunt.

Verùm placet admonere, vt in contingentia huiuſmodi caſus; ità ſe gerat ſpectator viſionis. Dicat cum Petro: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*: vel quid ſimile mentis humilitatem præferens: v. g. vide ad quem mitteris: neque enim talis ſum, vt Chriſtum videre digner: vel clauſis oculis dicat: Nolo Chriſtum videre in hac præſenti vita; ſed in futura. Quòd, ſi appareat in veſtimentis auro textis, aut diademate gemmis ornato, dicat cum Sancto Martino Chriſtum minimè conſueuiſſe talibus indui. facit ad hoc hiſtoria, quam refert Breuiariũ in feſto Exaltat. S. Crucis, vbi fertur Chriſtũ repudiaſſe Heracliũ, vt talitèr indutũ.

DIFFICVLTAS II.

Quibus ſignis apparitiones veræ à falſis diſcernuntur; illæ nimirùm, quæ ſunt ab Angelo lucis; ab illis, quæ ſunt à Cacodęmone.

REſpondetur tribus ſignis apparitio an ſit à bono ſpiritu, vel à malo diſcernitur.

Pri-

Primum; Dęmon quando ſe transformat in Angelum lucis: v. g. Ieſu Crucifixi, Beatæ Virg. vel alicuius Sancti, ex diuina prouidentia fert ſecum aliquam deformitatem: vtpotè caudam, cornua, vel aliquid ſimile; cuius rationem reddit *Seraficus Doctor in 2. ſenten. diſt. 21. art. 1. quæſt. 2. item Naldus ver. Columbus num. 2.* vt .s. ex ſimilibus ſignis ſuſpectam habeamus apparitionem; Vndè venerabilis Beda (vt notat prædictus *Doctor loc. cit.*) ſentit Serpentem; qui tentauit Euam illi apparuiſſe habentem quidem faciem Virginis; ſed retenta Serpentis forma in reliquis corporis partibus; vt vel ſic deprehendi poſſet eius fallacia ſub ſpecie faciei Virginis occultata.

Alterum ſignum eſt, quod Angelus tenebrarum poſt apparitionem recedendo relinquit hominem confuſione plenum: Angelus verò lucis relinquit illum ſpirituali gaudio refertum; conſtat ex apparitionibus Danieli Mariæ Virgini, & alijs Sanctis factis. *Daniëlis* 10. *Lucæ* 1. faciunt tradita à *D. Thom. 3. par. Sum. quæſ. 30. art. 3. Barthol. Sybilla in Speculo Peregrin. 99. c. 3. primæ decadis.*

Tertium denique ſignum eſt: quia ille, cui apparet Angelus malus; ex apparitione induratur; in ſuperbiam eleuatur: ſecus contingit ex apparitione Angeli boni, vbi cor hominis mollificatur. Claret ex apparitione Dęmonis in forma Chriſti Crucifixi facta B. Rufino Seraſici Franciſci ſocio; quem adeò obduratum reliquit; vt nec ipſi S. Franciſco reſpondere dignaretur: Verùm ex Dei gratia cognita à dicto Sancto cauſa inſolitæ ſuperbiæ F. Rufini ſapientèr illum liberauit. Alia quoque ſigna, & differentias ponit *Naldus ver. Angeli num. 3.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An abſolui poſſit per Confeſſarium, qui iurauit per Idolū.

Reſpondeo diſtinctione; vel pœnitens per Idolum ſeriò iurauit; vti fieri ſolet in iudicio, Idolum inuocando tanquàm Deum in teſtimonium veritatis; quia interius credit Deum eſſe: vel tantùm ex leuitate, aut praua conſuetudine abſq; animo inuocandi, vt Deum in teſtem veri; vt fieri contingit, quando quis iurat extra iudicium.

Si primo modo iurauit, ad S. Pontificem pro abſolutione remittēdus tanquā hereticus excōicatus in Bulla Cęnæ; altero verò modo abſolui poteſt; ſi huiuſmodi iuramenta in Diœceſi non ſint reſeruata. faciunt allata per *S. Bonau. 3. ſenten. diſt. 39. art. 2. quæſ. 2.*

ART. VI. DIFFICVLTAS VNICA.

Cur Chriſtus de Idolatria tentari voluit.

Reſpondet *Toſtatus ſuper Matth. cap. 4. qu. 51.* voluiſſe in hoc facto tradere nobis doctrinam; ne mirentur viri boni, ſi interdum de vitijs peſſimis tentētur; cum ipſe de Idolatria, quæ eſt vitiorum omnium peſſima; à Dæmone tentari voluerit.

Deſtitit verò Dęmon ipſum vlterius tentare ob ſuperbam verecundiam; quia licèt ſit malignus, & inuidus; ſemperq; nocere deſideret, & quò aliquis fuerit melior; eò magis, & acriùs in eum nititur: eſt tamen ſuperbus valdè, & erubeſcit ſuperari; ideò quando pluries ab eorum homine ſuperatus fuerit, erubeſcit eum amplius tentare. ità *Toſtatus ſuper Matthæum cap. 4. quæſ. 60. circa finem, citans S. Ambroſium ſuper Lucam.*

Poteſt etiam eſſe, vt ob inuidiam eum amplius non tentauerit; ne (putans ipſum purum hominem) ipſi accreſceret coronam ex noua victoria, quam ſemper timebat.

DISTINCTIO QVARTA.

De Infidelitate, ſeu de Infidelizantibus, de quibus in tex. ibi: *O adheriſcono à' riti de' Giudei, ò Mahometani, ò Saraceni, ò de' Gentili.*

Tres articulos format hæc diſtinctio.

Alter de peccato Infidelitatis.

Alter de operationibus Infidelium.

Tertius verò de circunſtantia, ſeu ſpecie Infidelitatis in confeſſione ſacramentali detegenda.

Antequàm aggrediamur explicationem difficultatum præſciendum eſt diſtinctionem præſentem potius inſcribi debere de Infidelizantibus, quàm de Infidelibus, aut Infidelitate, ratio eſt: quia Edictum S. Inquiſitionis non militat contra Gentiles, aut Iudæos, iuxta cap. de his, qui foris ſunt quid ad nos; Vnde ipſi non veniunt denunciandi, niſi in caſibus in iure expreſſis: ſed inuehit contra Catholicos ritibus Iudæorum, aut Gentilium adhærentes; hoc eſt contra Iudaizantes, Gentilizantes, v. g. Mahumetādo, Saracenando, Paganizando &c. patet ibi. Che adheriſcono a'riti de'Giudei, ò Mahometani &c. *debet attamen etiam inſcribi de Infidelitate, & Infidelibus: de hiſq; tractari oportet, quia niſi præſciamus Infideliū peccata; cuiuſue qualitatis ſint eorum opera; potiſſimùmq; an ſpeciem Infidelitatis cōfiteri teneamur; inutilitèr inſumeretur labor iſte: nam ſcire non valemus infi-*

delizantes, niſi peccata infidelitatis præſeramus. Verum de prædictis non diſſeritur in ſua generalitate; ſed præciſè prout faciunt ad noſtrum inſtitutum, .s. pro declaratione Edicti, & muneris Confeſſarij; quod obſeruatū volo etiam in alijs tractatibus.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An infidelitas ſit peccatum commune ad omnia crimina Fidei contraria.

RESpondetur affirmatiuè: eſt enim genus trium ſpecierum infidelitatum particularium, nempè Gentilium, Iudæorum, & Hæreticorum. quod obſeruat nouiſſimè *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 1. dub. 7. nu. 6.* nihilq; eſt in genere, quod nō ſit in aliqua eius ſpecie: Vnde in propoſito, quæuis infidelitas eſt aliqua trium dictarum ſpecierum: quare remota infidelitate, remouetur gentilitas, iudayſmus, & hæretica perfidia, quòd ſanè notandum erat; quia ad ſpecierum cognitionem generis cognitio præcedere debet *l. Si certum petatur ff. de Iuſtitia, & iure.* Verùm, quia ſermo generalis non ſatis mentem illuminat, ideò dicam in ſpecie.

DIFFICVLTAS II.

An infidelitas Gentilium ſit peccatum.

RAtio difficultatis eſt, quia nonnulli Doctores: & maximè *Adrianus, Victorinus, & Guglielmus Pariſienſis, & alij apud Ludouicum Carbonem loc. infra cit.* ſentiunt omnem infidelitatem peccatum eſſe.

Notandum infidelitatem duplicem eſſe, nimirùm aliam negatiuam, poſitiuam alteram. Negatiua ità vocatur; non quia neget potentiam Fidei in ſubiecto; ſed quia in ſubiecto ad Fidem recipiendam apto nulla eſt fides: nec aliquid Fidei contrarium; & talis eſt infidelitas paruuli non baptizati: Infidelitas autem poſitiua dicitur tàm illa, quæ habet actum Fidei contrarium; quàm illa, quæ non producit actū, quem producere deberet; & talis eſt infidelitas illorum, qui de Fide Catholica ſatis audierunt, & ſua culpa illam recipere renuerunt.

Hæc infidelitas, .s. poſitiua ſubdiſtinguitur in cōtrariam, & priuatiuam: contraria eſt, qua homo actu negat, quod credere deberet, habens actum Fidei contrarium: priuatiua verò eſt, qua homo interpretatiuè contemnit ea, quæ poteſt, & debet credere. His attentis

Reſpondetur infidelitatem Gentilium negatiuam minimè peccatum eſſe (quicquid aliqui DD. tradiderint) probatur, quia, qui detinetur hac infidelitate; de Fide Catholica ignorantiam habet inuincibilem: quod patet, cum de Fide Catholica nihil audierit.

Verùm licèt infidelitas huiuſmodi nulli ob dictam cauſam imputetur; imputatur tamen cuiquam culpa contra præcepta naturalia; quia ex lumine naturæ, & præueniente gratia Dei, quæ nulli deeſt; quiſque ex horum tranſgreſſione ſe peccare ſatis intelligit.

Notandum eſt autem infidelitatem iſtam .s. negatiuam nihil ponere in intellectu, vel in voluntate, quia dicit puram negationem, nullum includendo actum.

Cæterùm infidelitas poſitiua, quæ .s. complectitur cōtrariam, & priuatiuam, eſt peccatū mortale iuxta illud *Ioan. 3. & 15. Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo .s. infidelitatis.* Et de hac intelligitur illud *Marci vltimo: Qui non credit, iam iudicatus eſt.* quod notat *Ludouicus Carbonus in Sum. Summ. tom. 3. lib. 1. c. 6. per totum, qui teſtatur de communi.*

Verùm, vt quis hac infidelitate annodetur; requiritur primò, vel vt Fides Catholica infideli ſit ſufficientèr propoſita: quia nemo tenetur illam acceptare; niſi illi ſufficientèr proponatur; vti nunc obſeruatur apud Indos; vbi Catholici adhibitis rationibus ſufficientibus; eos ad verum cultum adducere conantur: vel vt proponatur tanquam euidentèr credibilis ob aliquod euidens miraculum.

Secundò opus eſt, vt proponatur tanquam magis credibilis omni ſecta; quam infidelis cogitatam haberet; nam ex duobus credibilibus non tenetur quis alterum credere; quod eſt minus, vel æquè credibile, ſed quòd eſt veriùs.

Verùm ſummoperè attendendum; quod in hac contingentia nulli integrum eſt amplecti ſententiam minus probabilem; quia hîc non agitur de aliquo actu exercendo; ſed de ſumma rerum .s. de re, in qua periculum eſt; ne quid contra honorem Dei: & ſalutem propriā committatur. Ad rationem autem in oppoſitum dicendum eſt aliam eſſe ignorantiam inuincibilem; qua detinentur Infideles negatiui: aliam verò ignorantiam vincibilem; qua ligantur Infideles poſitiui tàm contrariæ, quàm priuatiuè; quare lz. poſitiua, vtroq; prædictorum modorum, vz. contrariè, ſeu priuatiuè ſit peccaminoſa: ſecus tamen eſt de negatiua.

DIFFICVLTAS III.

Infidelitas, in qua potentia reponitur, vt in ſubiecto.

REſpondeo infidelitatem .s. poſitiuam inchoatiuè eſſe in voluntate; quia annodatus ipſa circa res Fidei: v. g. circa incarnationē deliberatè dubitat; & ſic ſanè tacitè repugnare vult: Verū non importat neceſſariò habitum in ipſa voluntate; ſed aliquam actualem deprauationem: v. g. ſuperbiæ, pertinaciæ, impietatis, arrogantiæ: quemadmodum enim Fides inchoatiuè requirit bonam affectionem in voluntate: ità infidelitas aliquam prauitatem. Cæterùm huiuſmodi infidelitas conſumatiuè eſt in intellectu: nam contraria ſunt circa idē ſubiectum: ſed fides eſt in intellectu: igitur & infidelitas. *Carbonus loc. cit. cap. 47.* & quemadmodum ad Fidem conſumatiuè requiritur habitus

habitus charitatis in voluntate: ità ad infidelitatem conſumatiuè opus eſt aliquo prauo habitu in voluntate.

Verùm plura requiruntur ad Fidem: quàm ad infidelitatem; nam Fides, cum ſit quoddam bonum; cõſtituitur ex concurſu omnium circunſtantiarum: Infidelitas verò, cum ſit quoddam malum; oritur ex ſingulis defectibus.

DIFFICVLTAS IV.

An Gentiles Fidem Chriſti, .s. Sanctæ Catholicæ Eccleſia non recipiendo (mediante Baptiſmo) damnati pereant.

DIfficultati reſpondeo tribus propoſitionibus.

Prima, Gentiles non minus, ac cæteri homines ob peccatum primi parentis; in quo omnes peccauerunt ratione pacti; naſcuntur filij iræ, filij vindictæ, &c. ideò niſi ipſi quoque renaſcantur Baptiſmo ſaltem flaminis, aut ſanguinis; ſi illo fluminis ablui non poſſunt; excluduntur ab ingreſſu Cæleſtis Patriæ; æquè, ac illi; qui inter fideles naſcentes nõ baptizantur: eſt enim omnibus æquè communis lex illa, ſcilicèt, *niſi quis renatus fuerit .s. Baptiſmo; non intrabit in Regnum Cælorum*; ſine aliquo enim trium Baptiſmorum impoſſibile eſt placere Deo: aut aliquod opus fieri dignum vita æterna: in illo nanque promittimus ei fidelitatem, renunciato Diabolo.

Secunda, Gentiles præter pœnam damni puniuntur etiam pœna ſenſus propter peccata; quæ contra præcepta legis naturæ omnibus communia, committunt. *Leſſius in Appendice conſultationis de religione prior quæſ. circa finem. D. Thom. 2. 2. quæſ. 10. art. 1. Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 9. nu. 4. Tolet. lib. 4. cap. 2. nu. 2. & alij*: patet in ſimili de Chriſtianis; qui ob peccata contra diuinam, & humanam legem perpetrata ad vtranq; deputantur pœnam; niſi prius ſe correxerint: & per pœnitentiam illa aboleuerint.

Tertia; non congruit, vt Rex ſempiternæ gloriæ Deus Benedictus aperiat aditum ad feliciſſimum Regnum gloriæ ſuæ militibus ſui aduerſarij: nam (inquit ipſe) qui nõ eſt mecũ, .s. ſuſcepto ſigno mei famulatus (ſcilicèt Baptiſmo, abnegatoq; Diabolo) ſtat cõtra me; hoc eſt manet cũ ipſo Diabolo ſignatus filius iræ, vindictæ, &c. Quare, ſi Gentilis cupit, vt ſibi quoque pateant Cæleſtia Regna; admoueat manum ad remediũ, nempè ad Baptiſmũ.

Dices, quemadmodũ Deus facit oriri ſolem tàm ſuper infideles, quàm fideles: & æqualitèr pluit ſuper vtroſque, videlicèt, tàm ſuper carentes Baptiſmo, quàm Baptizatos; ità æquè ad ſuum Regnum gloriæ admittere debet, non minus infideles, quàm fideles.

Reſpondeo, quod nõ valet ſimilitudo; quia priora præſtare debet indifferentèr; quia etiam indifferentèr concurrit effectiuè ad eſſe tàm fidelium, quàm infidelium: iuxta illud vulgatum; *Deus, Sol, & homo hominem generant*; quod ſecùs dicendũ reſpectu poſterioris; quia ſicut non concurrit cùm primo homine effectiuè ad cauſam occluſionis Cæli, nempè ad peccatum: ità non tenetur concurrere ad eius aperitionem; quam tamen ex ſua ſumma bonitate (deuicta morte) omnibus ſuſcipientibus Baptiſmum aperuit; quem ſi ſuſcipere negligimus; meritò dicitur nobis, & omnibus: perditio tua ex te.

DIFFICVLTAS V.

An Deus partialis dici poſſit; eò quòd non æquè omnes poſuit in Eccl. Cathol. Rom. vbi datur Baptiſmus.

REſpondetur negatiuè; quia pro hac ſeruanda æqualitate, quæ ſuam decent ſapientiam; minimè omittere tenetur; immò nec congruum fuit; aliòquin hæc inferiora, quæ ſpecie diſtinguuntur, vt numeri; debuiſſet facere vnius præcisè ſpeciei; quod non eſt dicendum.

Item debuiſſet condere omnes cæleſtes ſpiritus vnius ſpeciei abſq; Hyerarchiarum diſtinctione. Item debuiſſet omnes Sanctos, & Sanctas eodem dono cumulare, quod eſt contra illud: *numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Prophetæ, &c.* Item contra illud: *varia ſunt dona Spiritus Sancti.*

Prætereà omnes Virgines Sanctiſſimæ Matri ſuæ coequales efficere deuinctus fuiſſet; quę, cùm appareant manifeſtiſſimè abſurda; conſtat Deum minimè eſſe partialem ex huiuſmodi diuerſitate. Argumentum valet ab abſurdo vitando, *l. Nam abſurdum, ff. de Bonis Libertorũ*: abſurdum .n. ſemper euitari debet; patet dicta *l. Nam abſurdum, & l. conuenticulam C. de Epiſcopis & Clericis*. & ſolummodò toleratur; cum agitur de euitando abſurdius, *l. Quotiens, ff. de Reg. iuris*, quod non contingit in propoſito.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Infidelium opera (retenta infidelitate) an omnia exiſtant peccaminoſa.

SVppono infidelem operari de ſe laudabilia & honeſta: vt honorare parentes, ſuccurrere miſeris, erogare eleemoſinas, pauperibus &c. minimè illa referendo in honorem Idoli, nec actualitèr, nec virtualitèr; ſed ſolùm habitualitèr: aut ſi actualitèr excuſari ignorantia inuincibili.

Reſpondetur negatiuè; niſi infideles ex infidelitate ad operandum moueantur, vt notat *D. Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 4.* immò quilibet infidelis multa bona opera moralitèr præſtare poteſt; & ſæpè præſtat, vt elargiri eleemoſynas &c. ità *D. Thom. loc. cit. communitèr receptus, vt teſtatur Paulus Grillandus de Hæreticis quæſt. 2. nu. 10. Ferdinandus tract. 4. diſp. 11. punc. 3. nu. 2. Suarez de Fide, plures referens, diſp. 17. ſect. 3. n. 1. Bellarminus de Gratia, & lib. arbitrio cap. 9. & alij cit. à Ferdinando, vbi ſupra.* ratio eſt, tum quia plura ſunt opera ex ſe laudabilia, & honeſta, vti ſupra patet; quæ ſi gratia ſui fiant, honeſtam reddunt actionem; nec ad hanc honeſtatem requi-

requiritur relatio actualis in Deum; ſed ſufficit tacita, & virtualis, quàm habet honeſtas operis; tum quia peccatum, ſcilicet infidelitatis non corrumpit totum bonũ naturæ; ſed relinquit in homine lumen naturale; quo bonum ex genere operari poteſt: v. g. ieiunare ad euitandã fornicationẽ: tum præterea, quia diuinæ ſcripturæ eorum opera ex genere bona approbant, patet Exodi 1. de bono opere obſtetricum ægyptiarum, quæ erant Gentiles; hinc Daniel dixit Nabucodonoſori gentili: peccata tua eleemoſynis redime: tum etiam quia cõmunitèr idẽ comprobant *DD. vt teſtatur Carb. loc. inf. cit.*

Ad has rationes addo, ſi infidelium opera omnia eſſent peccaminoſa; aut hoc eſt, quia nõ referuntur ad Deum tanquàm in vltimum finem; ſed hoc non, quia ſufficit illa ad ipſum referre tanquàm naturalitèr cognitum: aut hoc cõtingit, quia infideles carent auxilio ſpecialis gratiæ: ſed nec iſta eſt ratio, quia opera bona ex genere fieri poſſunt ante iuſtificationem, vti colligitur ex *Trident. ſeſſ. 6. can. 7.* legendus eſt *Carbonus in Sum. Summarum tom. 3. lib. 1. cap. 47. Iacobus Sprenger in Malleo maleficarum par. 1. quæſt. 14. circa finem &c.* Concludo itaque negatiuè .s. infidelium opera (retenta infidelitate) non eſſe omnia peccaminoſa.

Dices, infideles in actionibus ſua opera referre ad honorem Idoli habitualitèr. Reſpondeo ad conſtituendas actiones peccaminoſas non ſatis eſſe; vt infideles habitualitèr illas talitèr referant: nam opera ab habitu non denominantur moralitèr: ſed tantùm ex actu, aut virtute; immo nec erunt mala, ſi aliàs ſint honeſta; ſolum quia referantur etiam actualitèr in cultu Idoli (ſuppoſita in infideli ignorantia inuincibili, & bona fide) qua exiſtimat ſe benè, & laudabiliter operari.

Vrgebis rursùs, ex Auguſtino habetur totã infidelium vitam peccatum eſſe, quod notat *Carbonus in Sum. Summ. tom. 3. lib. 1. cap. 47.* Reſpondetur hoc dictum intelligendum eſſe iuxta communem loquendi modum: ex. gr. cum dicimus alicuius vitam eſſe totam in ſtudijs; non eſt intelligendum, quod nunquàm ceſſet à ſtudio; ſed vt plurimùm; itaut plurimũ infidelium opera ſunt cum peccato: non tamen aſſerendum eſt omnia .s. eorum opera cum peccato fieri: in eodemq; ſenſu veniunt intelligendi etiam alij DD idem aſſerentes.

Verùm quamuis aliqua infidelium opera, videlicet, quæ ſunt de genere bonorum; non ſint peccaminoſa: tamen ob infidelitatem nulla ſunt vitæ æternæ meritoria.

DIFFICVLTAS II.

An infideles in ſtatu infidelitatis exiſtentes orare poſſint.

Ratio difficultatis eſt, quia Gentiles, Iudæi, & Hæretici ſub nomine infideliũ comprehẽſi; nõ minus ac Catholici multa à Deo petũt.

Triplicitèr ſumitur oratio iuxta *D. Bonauent. 4. ſent. diſt. 15.* .s. cõmuniſſimè, cõmunitèr, & propriè. Cõmuniſſimè comprehẽdit omnem actũ bonũ, vt ſeruire altari, facit *Gloſſa in Epiſt. ad Timot. c. 5.* Cõmunitèr cõplectitur præcisè actũ ad Deũ relatũ abſq; charitate. Propriè verò eſt affectus in Deum relatus, charitate formatus. His ſuppoſitis.

Reſpõ Infideles minimè orare poſſe in ſtatu infidelitatis (loquendo propriè, quia eorũ petitiones nõ fulciũtur Charitate, vti exigit oratio propriè: quare nec Catholici in mortali propriè orant. *Lexicon Theolog. verb. Oratio, Aug. in Sermone de Oratione, & ieiunio. Bruleſer in 3. diſt. 17. quæſ. 4.*

Nec obſtat reſolutioni, quod infideles multa à Deo petunt: quia magnum intereſt diſcrimen inter orationem propriè ſumptam, & petitionem: nam primum eſt ſolius exiſtentis in gratia; ſecundum verò eſt commune iuſtis, & peccatoribus, quod conſtat ex *Lexicon. & Bonau. loc. cit.* non negamus tamen; quin infideles orare poſſint cõmuniſſimè, & cõmunitèr.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An in confeſſione aperienda ſit ſpecies infidelitatis: vel ſatis ſit pœnitenti explicare ſe incidiſſe in infidelitatẽ.

Vpponendum eſt tres eſſe infidelitatis ſpecies, nempè Gentiliſmum, Iudaiſmũ, & Hæreſim, iuxta tres modos repugnandi fidei, videlicèt, vel non adhuc ſuſceptæ: vel tantum per figuram ſuſceptæ, vel iam in Baptiſmo ſuſceptæ; harum autèm infidelitatum grauior eſt illa Hæreticorum, quia repugnat Fidei iam ſuſceptæ, quod non contingit reſpectu infidelitatis Gentilis, aut Iudæi: Verùm tamen eſt infidelitatem Gentilium ex altera parte grauiorem eſſe, ex parte .s. corruptionis eorum, quæ ad Fidem pertinent: quia totũ corrumpit. Modò ad difficultatem: Reſpondeo in confeſſione ſacramentali aperiendum eſſe ſpeciem infidelitatis; quia ex *Conc. Trident. ſeſſ. 14. can. 7.* circunſtantiæ mutantes ſpeciẽ, quales ſunt illæ infidelitatis; ſunt neceſſariò aperiendæ. Quinimmò aliqui volunt, quod ſit etiam explicanda qualitas erroris in particulari: nam multum refert ſcire; an quis negauerit Trinitatem: vel præcisè, quod Tobias habuerit canem, vti notat *Carbonus loc. infra cit.*

Præterea, ſi caſus cõtingat, vt quis in duabus infidelitatis ſpeciebus inſorduerit; refert ſcire, an ſimul, aut ſucceſſiuè; v. g. ſi Catholic⁹ fieret Iudæus; deindè Hæreticus, & finalitèr Gentilis; ſingulæ ſpecies infidelitatis in Sacramento Pœnitentiæ manifeſtare teneretur. ità *Ludouicus Carbonus in Sum. Summ. tom. 3. lib. 1. cap. 48.* vide dicta *par. 2. lib. 1. diſt. 8. art. 3. diff. 2. & hoc lib. ſup. diſt. 1. art 4. diffic. vnica.*

De alijs duabus infidelitatis ſpeciebus foret diſſerendum: ſed ne multiplicentur paginæ abſque neceſſitate, omittuntur: nam de infidelitate hæreticæ prauitatis ſatis dictũ eſt Lib. 10. & de infidelitate Iudæorũ dicam infra Lib. 13. vbi de communione cum Iudæis.

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS II.
LIBER XII.
De Fide Catholica.

Facto tractatu de hæreſi, ac criminibus, quæ potiſſimùm cum ipſa ſtrictiſſimam habent cognationem; conſequens eſt, vt agamus de virtute ipſis oppoſita: tum quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina: tum quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: Verùm de hac non agam ſimpliciter, vz. in ſua latitudine; ſed præcisè ſecundum quod his conſonat Commentarijs; circa cuius conſeruationem Edictum in primis euulgatur, patet ibi: Deſiderando, come ricerca il carico di queſto noſtro Officio à noi impoſto, che la Sacroſanta Fede Catholica, ſenza la quale è impoſſibile piacere à Dio in queſta noſtra giuriſdittione &c. ſi conſerui immacolata, e pura. *Et meritò quidem: nihil .n. eſt, quod magis fulgeat in homine, quàm recta fides,* l. Inter claras, C. de Sum. Trin. & Fide Cath.

Diuiditur autem liber iſte in quinque diſtinctiones.

Prima eſt de principalibus intentis ab Edicto.

Secunda, de conſequentibus, ſeu minus principalibus.

Tertia, de explicitè credendis; & de his, quæ præcipuè Confeſſarius edocere debet.

Quarta eſt de his, quibus Magiſtri, & Diſcipuli vacare debent.

Quinta, de diſcrimine inter Fidem Hæreticorum, & Catholicorum.

DISTINCTIO PRIMA.
De principalibus ab Edicto intentis.

Huiuſmodi diſtinctio plures complectitur articulos.

Primus reſpicit Fidei generaliora.

Secundus, abnegantem Fidem.

Tertius, eius denunciationem.

Quartus denique eius abſolutionem, ſi exiſtat occultus.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quomodò in Edicto agatur de Fide, & Infidelibus: quomodo itèm diſtinguatur huiuſmodi tractatus de Fide ab illo Theologorum,

Reſpondeo hìc tractari de Fide primariò quoad denunciationem deficientium in ipſa vel totalitèr, vel partialitèr; totalitèr, vti faciunt apoſtatæ ab ipſa: partialitèr, prout ſe habent Hæretici: præſumptiuè, vt Fautores Hęreticorũ, Diabolicè Superſtitioſi, Blaſphemi Hæreticalitèr, Offendentes S.O. Miniſtros, aut reſiſtentes S. Tribunali. Secundò verò, & quaſi ex conſequenti tractatur de abſolutione peccantium contra Fidem. Tertiò tractatur hìc de Fide practicè, cum Edictum præcipiat denunciationem; ſpeculatiuè verò de illa tractat Theologus; quærit enim de ipſius quidditate, qualitate, & quantitate &c.

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex differentia reperitur inter Fidei doctrinam, & Theologiam.

Reſpondetur triplicem reperiri differentiã. Prima, Fides ſe habet reſpectu articulorum ſicut habitus primorum principiorum: Theologia verò eſt habitus, ſeu cognitio concluſionum, quæ rectè deducuntur ex articulis Fidei.

Secũda eſt, quia Fides eſt habitus, quo aſſentimus articulis Fidei; & reuelatis à Deo: at theologia eſt facultas, qua neceſſariò deducimus concluſiones ex articulis Fidei.

Tertia, Fides immediatè innititur auctoritati dicen-

dicentis. Theologia verò (ſuppoſita Fide) innititur rationibus, & argumentis. ità ex *Petro Capulco ad primũ S. Bonau. in prologo, qu. 3. pun. 2.*

Verùm quamuis, qui aſſentit Fidei propter rationem conuincentem, diminuat meritum: tamen illud minimè diminuit; ſi ratio ſe habeat tantum vt conſequens; vti contigit, cum N. (non obſtante, quòd innitatur auctoritati diuinæ) tamen cogitat, ſi aliquam rationem inueniat; non quidem vt firmius credat; ſed vt credita magis intelligat, & defendat; hoc autẽ ſignificatur in Euangelio *Ioann. c. 4.* vbi Samaritani ad mulierem (per quam ratio humana figuratur) dixerunt, iam nõ propter loquelam tuam credimus, vt obſeruat *S. Tho. 2. 2. quaſ. 2. art. 10.* Vndè nota circa illam auctoritatem primæ *Epiſtolæ D. Petri cap. 5.* parati reddere rationem de ea, quæ in nobis eſt Fides, & ſpes. (per ly rationem) Petrus non intelligit probationem per medium naturale; ſed per mediũ diuinum, quod eſt eſſe reuelatum; quaſi dicat, ſi quis petat à nobis; quare tenemus Deũ eſse incarnatum: parati ſumus reddere rationem; quia reuelatum eſt à Deo, à quo non poteſt eſſe falſum. *Ex Capuleo ad prologum D. Bonau. quaſ. 2. pun. 3.*

DIFFICVLTAS III.

Fides quid, an ipſius vna ſit tantũ diffinitio: differatq; eius obiectum ab illo ſcientiæ.

Primæ particulæ reſpondet *D. Paulus ad Hebræos cap. 11.* in hæc verba: *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum.*

Dicitur ſubſtantia; nõ quia ſit in primo prędicamento, in quo ipſa collocatur: nam Fides non eſt ſubſtantia propriæ; ſed qualitas quædã, quæ reducitur ad ſecundam ſpeciem qualitatis; eſt nanque habitus infuſus: ſed dicitur ſubſtantia ſperandarũ rerum: quia quemadmodum ſubſtantia propriè dicta ſuſtentat accidẽtia; ità Fides .s. formata ſpem ſuſtentat: & exiſtit fundamentum, cur vita æterna; & ea quæ ad ipſam diriguntur; ſperentur à nobis: niſi .n. per Fidem crederemus dari vitam æternam; non poſſemus ſpe eam ſperare: credimusq; æterna ſupplicia, vt aſſequamur bona æterna, vt notat *D. Bonau. loc. infra citando.*

Dicitur argumentum rerum non apparentium; vbi per argumentum intelligo cõuictionem intellectus noſtri ad aſſentiendum non apparentibus .i. rebus, quæ ſenſibus noſtris minimè ſubſtant.

Dicitur itidem argumentum in ſenſu prædicto; quia compellit intellectum noſtrum ad differentiam opinionis, ſuſpicionis, & dubitationis; quæ non cogunt intellectum noſtrum, velut ipſa facit.

Dicitur ſimilitèr argumentum modo dicto ad diſtinctionem ſcientiæ, & intellectus .i. primorum principiorum: quia hæc, licèt cogant intellectum noſtrum ad aſſentiendum: non tamen cogunt illum ad aſſentiendum non apparentibus, ſicut Fides; ſed tantum apparentibus. faciunt tradita à *D. Thom. 2. 2. quaſ. 2. ar. 1. D. Bonau. 3. ſent. diſt. 23. art. 1. qu. 5.*

Dicitur denique argumentum non propriè ſumptum .s. pro ſoligiſmo integro: ſed dicitur tranſumptiuè: quia arguit, hoc eſt, illuminat mentem ad intelligendum occulta; quemadmodum .n. capitulũ ſic dicitur, quia capit ſuccintè totam materiam ſub illo: ità Fides compendioſè capit ſub ſe omnia credibilia, & clarificat mentem ad illorum intelligentiam.

Item fides eſt ſicut titulus, qui ità vocatur à Titan, .i. à Sole: nam ſicut Sol materialis illuminat, & expellit omnes mundi tenebras corporales: ità Fides, vt Sol ſpiritualis illuminat totum Emiſpherium noſtræ mentis, expellendo ab illa omnes errorũ, & hæreſum tenebras.

Breuius Fidei definitionem ità abſoluimus: Fides eſt lumen à Deo infuſum, quo credimus ea eſſe vera; quæ Eccleſia (reuelante Spiritu Sancto) nobis credenda proponit. ità *Bizozerus in Sum. par. 2. cap. 1. membro 1. nu. 1.*

Quo ad ſecundam particulam .s. an vna tantùm ſit Fidei definitio, vel plures.

Reſpondetur diſtinctione ſic, vel loquimur de ipſius definitione ſtrictè, vz. de eſſentiali; & hoc modo vna precisè eſt definitio: nam vnius rei, vna eſt definitio; quemadmodum .n. cuiuſque rei vnum eſt eſse; ità vna definitio: Vel loquimur de ipſius definitione largè, quæ datur per accidentalia, hoc eſt de notificatione, ſeu deſcriptione; & ſic Fidei plures ſunt definitiones: diuerſimodè .n. conſiderari, ſeu comparari poteſt: comparatur nanque ad genus proprium, ad vltimum finem, ad actum proprium, ad ſubiectum, & ad habitum diſparatum. ità *D. Bonau. in 3 diſt. 23. in dub. litter. dub. 1.*

Quo ad tertiam verò particulam abſolutè.

Reſpondetur affirmatiuè: nam obiectum ſcientiæ, ſeu ſcientia verſatur circa verum viſum: Obiectum verò Fidei, ſeu Fides circa verum non viſum, & ſalutiferum.

Dico primò Fidem verſari circa verum .s. ſub ratione veri; quoniam Fidei eſt aſſentire primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia.

Dico ſecundò non viſum ad differentiam ſcientiæ, quæ eſt, vt dixi, rei viſæ.

Dico tertiò ſalutiferum: quia ordinat ad ſalutem, & vitam æternam ad differentiam ſcientiæ, quæ firmatur in theorica. ità *Seraph. Doctor 3. ſent. diſt. 23. art. 1. quæſt. 1.*

Denique ſciendum maiorem certitudinem eſse in Fide, quàm in ſcientia (loquendo de certitudine adhęſionis, non autem ſpeculationis) quia doctrina Fidei magis veracitèr eſt tradita, quàm aliqua ſcientia phyloſophica; tum quia eſt à Spiritu Sancto, qui nõ poteſt errare; quod nemo audet dicere de doctrina ab aliquo Phyloſ. tradita: tũ quia facit magis adhærere ipſi: Vnde verus fidelis pro defenſione Fidei mortem ſubiret: quod certè nullus Phyloſophorum faceret pro defenſione ſcientiæ phyloſophicæ: Quare ſtultus eſset Geometra,

qui

qui pro defenſanda concluſione geometriæ vellet ſubire mortem, *S. Bonau. 3. ſent. diſt. 23. art. 1. quæſ. 4.*

DIFFICVLTAS IV.

Fidei cauſa quæ.

REſpondetur Fidei cauſam propriè, & ſtrictè loquendo, illam dici; quæ Fidem tollit, vel in totum, vt apoſtaſia: vel in partem, vt hæreſis, fauorq; Hæreticorum; de quibus ſunt primi duo caſus S. Officij: vel quæ importat ſpecialem infamiæ notam ipſi Fidei; vti faciunt cæteri caſus, videlicèt, Superſtitio, Blaſphemia hæreticalis, Offenſio Miniſtrorum S. Tribunalis, eidemq; reſiſtentia, & denique lectio, aut retentio librorum Hæreticorum de religione tractantium. Dixi ſpecialem infamiæ notam: quia ſingula delicta, quantum eſt ex illorum natura; non parum derogant noſtræ Fidei, iuxta illud S. Scripturæ: *Per vos blaſphematur nomen meum in gentibus*, quòd notat *Zanardus in Direct. Theologorum par. 2. cap. 5. pagina mihi* 60.

DIFFICVLTAS V.

Excommunicati ob Fidei cauſam qui dicuntur.

REſpõdetur illos dici excommunicatos ob Fidei cauſam, qui de Fide reſponſuri ſub excõmunicatione ipſo iure fuerũt citati, & noluerunt reſpondere, ſeu comparere: hæc autẽ citatio neceſſariò ſupponit citatum de hæreſi ſuſpectum eſſe, diffamatumq;; & non quauis ſuſpicione, ſed probabili, vt benè dixit *Geminianus in cap. Cum contumacia de Hæreticis in 6. nu. 8. verſic. Quæro, an propter quamlibet ſuſpicionem. Gundiſaluus tract. de Hæreticis quæſ. 12. nu. 4. Farinac. de Hæreſi quæſ.* 192. *nu.* 126.

Notandum eſt autem; quòd ille, qui ſuſpectus eſt leuitèr de Fide; & ob eam cauſam citatus eſt, vt reſpondeat; ſi intra terminum aſſignatum reſpondere neglexerit; illa ſuſpicio leuis tranſit in vehementem: qui ſi per annum perſeueret in contumacia; vehemens ſuſpicio tranſit in violentam, ex *cap. Cum contumacia de Hæreticis in* 6. ac proindè, vt Hæreticus condemnari poteſt. *Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 192. *nu.* 14. *Salzedo cap.* 116. *concl.* 5. *Sigiſmundus Saccia de Iuditijs, cap.* 98. *nu.* 4. *Menoch. de Arbitrarijs lib.* 2. *caſu* 374. *nu.* 10.

DIFFICVLTAS VI.

Fidei Conſtitutiones an fauorabiles.

REſpondetur affirmatiuè; quia non ideò latæ ſunt, vt imponantur pœnæ, ſed, vt delegetur iuriſdictio; Fides ſeruetur integra, Sacramenta colantur, animatum caſus vitentur. *Roder. Athuna de Confeſſatys ſolicit. quæſ.* 6. *nu.* 7.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Fidem negans ore tantum, ſed non corde ſit Hæreticus.

OCcaſio mouẽdi hanc difficultatem eſt; quia aliqui Chriſtiani inter Turcas: aut Hæreticos ad vitandam mortem, vel graues labores, aut ærumnas ſeruitutis Fidẽ exterius negant, illam interiùs ſeruando. Hæc difficultas ſupra viſa fuit, licèt ad aliud propoſitum; ideò hìc breuitèr tangitur remittendo vos ad illam, vide ſupra lib. 10. vbi de Hæreticis quo ad eſſentiam.

Reſpõdeo diſtinctione opus eſſe; vel loquimur quo ad forum Dei: vel quo ad forum Eccleſiæ: ſi primo modo. s. quo ad forum Dei, qui cordium eſt rimator, & ſic non eſt Hæreticus: ſi verò loquamur ſecundo modo, vz. quo ad forum Eccleſiæ; & ſic cenſetur Hæreticus: quia ipſa fundatur in præſumptione operis hæreſim internam deſignantis; cum. n. non videat corda hominum; iudicat quemquã talem eſſe, qualem exterius ſe demonſtrat; & conſequentèr debet cauere à communione fidelium in publico; quo ad vſque fuerit publicè abſolutus; nec mirùm videri debet; quia etiam è conuerſo ſępè contingit, vt ligatus apud Deum; exiſtat ſolutus apud Eccleſiam; erit tamen denunciandus, niſi iuxta doctrinam traditam ſupra *Par. 1. lib. 5. diſt. 5. art. 2. diff. 1.* certa cognitiò ante actę bonę vitę, ac cęterarũ eius qualitatum elidat præſumptionem fori externi apud meam conſcientiam; itaut meritò credere poſſim id egiſſe ex ſolo timore, ſeu metu in virum conſtantem cadente: aut alia ſimili excuſante cauſa: & ſine vllo errore in intellectu; maximè cum Edictum denunciationis fundetur in præſumptione defectus Fidei; lexq; fundata in præſumptione ceſſet in caſu etiam particulari; lege in eo caſu particulari ceſſante.

DIFFICVLTAS II.

Qui fidem negauit verbis, aut factis vi cadente in conſtantem virum; an incidat in Bullam Cœnæ.

SVpponimus tanquàm omninò certũ menti vim non poſſe inferri, ſemperq; remanere liberam, vt ex communi conſenſu tradunt Theologi.

Controuertuntur Doctores circa hanc difficultatem, alij tenentes partem affirmantem: alij defenſantes negantem. Qui tenent affirmatiuam, innituntur huic fundamento: quia bonum particulare propriæ vitæ bono communi Fidei ſeruandæ cedere debet. ità dictantè iure tum naturali, tum diuino. legendus eſt *Suarius lib. 3. de Legibus cap.* 30 *num.* 4. *Sanchez in Summa lib.* 1. *cap.* 18 *num.* 4. *Syluest. ver. Excommunicatio* 5. *quæſito* 14. *Rodriquez in Summa cap.* 194 *concl.* 5. *Bonac. de Cenſ. in communi, diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punc.* 3. *num.* 2. Qui verò negatiuam ſequuntur, ducuntur hoc fundamento; quia quamuis, qui talitèr abnegauit Fidem; peccauerit mortalitèr contrà virtutem religionis; & proindè contra ius diuinum; tamen non fecit contrà ius poſitiuum, à quo poſita eſt excommunicatio Bullæ Cœnæ; quod quidem ius in periculo vitæ non obligat. ità *Valentia part.* 2. *diſp.* 7. *quæſ.* 5. *punc.* 6. *Salas de Legibus, diſp.* 11. *ſect.* 1. *nu.* 5. *verſ. Ex hàc concl. Sancius in Selectis diſp.* 51. *nu.* 2. *ver. Sed quanàm ratione.*

Mihi probatur procedendũ eſſe diſtinctione: vel abnegatio Fidei nociua erit communi-

tati

tati fidelium; qui ex hac graue patientur ſcandalum; vel allatura eſt grauem iacturam cordibus infidelium; ipſos ex hac magis, magisq; firmando ſe in eorum errore (penſata grauitate perſonæ negantis) & ſic ſto cum opinione affirmante: & procedit eius ratio: vel tantùm ſequuturum eſt damnum innocentis, ſeu iuſti; vti contingit, quando quis nō publicè, ſed priuatim: v. g. Turca Catholicum vult occidere priuatim, niſi abneget Fidem Catholicam; & ſic ſum cum negatiua (Epichea hoc dictante) nam non video, cur innocens teneatur ſubire mortem ſub periculo excommunicationis ob improbitatem nocentis: ratione tamen abnegationis Fidei; nō nego, quin abnegator mortalitèr peccet: cum quodlibet membrum ob defenſionem capitis .s. Fidei, morti exponendum ſit: debet tamen denunciari S. Officio, ſi crimen ſciatur; quod intellige iuxtà dicta in fine præcedentis diffic.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Fidem negans tantum ore, ſed non corde, veniat denunciandus Inquiſitoribus: itèm an excommunicatus exiſtat.

SVpponit hæc difficultas; vt prædictus Fidei abnegator publicè proteſtetur omnibus minimè negaſſe Fidem internè, ſed tantum externè.

Quo ad primam particulam, reſpondeo denunciandum eſſe; quia negatione Fidei externā euaſit manifeſtè ſuſpectus de Fide, vt de ſe notum eſt: talitèr autem ſuſpectos claret ex Edicto eſſe denunciandos.

Nec obſtat delinquentis proteſtatio: quia factū manifeſtè ſapit hæreſim; cor autem proteſtantis non videtur.

Quo ad ſecundam particulam de excommunicatione, an .s. exiſtat etiam excommunicatus; reſpondetur itidem affirmatiuè: quia ob cauſam .i. ob ſuam culpam exiſtit excommunicatus; & ſubindè Eccleſiæ ſuffragij priuatus; patet ex *cap. à nobis 2. de ſent. excommunicationis, cap.* 1. 11. *quaſ.* 3. quibus teſtibus non obſtat, quod interius N. fidem non negauerit: quia Eccleſia, quæ interiora cordis non videt; ex manifeſtis ſignis aliud ſentit: Quod ſecus dicendum foret, ſi abſque cauſa .i. abſque culpa fuiſſet excōmunicatus; in quo etiam caſu, dum talis haberetur ab Eccleſia; cenſuræ illius parere debet, quo ad vſque N. innocentia cognoſcatur: cuius ratio eſſe poteſt; ne ex inobedientia iſtorum ſcandalum contingat.

Dices, blaſphemans, ſi ſtatim ſe retractet: v. g. ſuum percutiendo pectus, aut os; non venit denunciandus; ſicut nec ille, qui aduertens ſe ruere in blaſphemiam, illam minimè proferre compleuit: ergo nec ille denunciari debet; qui proteſtatur aſtantibus minimè Fidem negaſſe internè. Reſpondeo negando ſimilitudinē: nam qui blaſphemauit prædicto modo plenam non habuit aduertentiam, vt ſuppono; quod ſupponere nequimus de negante Fidem verbo, aut facto abſque intentione; niſi tamen tales coniecturæ concurrant; quæ meæ conſcientiæ ſufficientes ſint, vt credam caruiſſe defectu interno Fidei, vt notaui *art.* 2. *in fine diff.* 1. aut ſaltem tales coniecturæ (de quibus *Par.* 1. *lib.* 6. *diſt.* 4. *art.* 1. *diff.* 1. & 2.) quæ illū mihi perſuadeant prorsùs emendatum; niſi tamen ſatisfacienda eſſet Eccleſia ob publicum crimen: quia ſic Edicto parendum foret.

DIFFICVLTAS II.

An Catholicus aduerſarijs Fidei Catholicæ Romanæ interrogatus veniat denunciandus; ſi neget ſe Catholicum.

RESpondetur affirmatiuè, Verùm attende; quòd non venit denunciandus ratione mendacij abſolutè; alioquin omnis mendax Sancto Tribun. foret denunciandus; ſed ratione talis mendacij contra obligationē confeſſionis Fidei: ratio magiſtralis eſt, quia, qui negat ſe Catholicum; idem eſt perinde, ac ſi Chriſti fidē negaret; Catholicus autem Fidē Chriſti negans eſt denunciandus, vt notum eſt: ergo etiam denunciandus eſt Catholicus, qui negat ſe eſſe talem. ità *Beccanus in Compendio de controuerſijs huiuſce temporis, lib.* 5. *cap.* 2. Porrò, ne error nos capiat; notandum primò, aliud eſſe negare ſe eſſe Catholicum, ſeu Chriſti Fidem, quæ eſt Catholica: aliud diſſimulare, tacere, occultare ſe eſſe Catholicum: qui negat, vt dictum eſt; deferri debet apud Sanctū Tribunal: quod ſecus dicendum eſt de illo; qui præcisè diſſimulat, tacet, aut occultat ſe eſſe Catholicum. *Becanus loc. cit.* (Verùm ſequentem annotationem attendere debes.)

Secundò notādum eſt, interrogationem duplicitèr contingere poſſe, vel à perſona publica, vel à perſona priuata; ſi Catholicus interrogetur à publica; non poteſt tacere, nec ambigue tergiuerſare: ſed tenetur apertè confiteri, quod res eſt, etiam cum vitæ periculo: ſi autem à priuata; tacere poteſt, aut illum eludere, dicendo quid ad te? quorſum me interrogas: ratio eſt, quia publica perſona poteſtatem habet interrogandi, qua caret priuata. *Sanchez lib.* 2. *moral. cap.* 4. *nu.* 6. *& alij ibidem. Becanus loc. cit. cap.* 3. *Trullench in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. *nu.* 6. *Suarez de Fide, diſp.* 14. *ſect.* 3. *nu.* 6. *& cum eo Caſtro Palao tract.* 4. *de Fide, diſp.* 1. *pun.* 14. *nu.* 2. *Villabos tom.* 2. *tract.* 1. *diff.* 5. *n.* 5. *Azor. lib* 8. *cap.* 27 *quaſ.* 1. *& alij.*

Notandum tertiò, quòd quamuis, vt dictum eſt; liceat Catholico diſſimulare, tacere: aut occultare Fidem ſuam modo aſſignato: attamen minimè ei licitum eſt ſimulare alienam ſectā, aut religionem; nec verbis: v. g. dicendo ſe eſſe Arianum, aut Iudęum, aut Turcam: nec ſignis externis, vt adorare Idolum &c. ratio eſt, tum quia eſt apertum mendacium: tum quia hoc eſt negare Fidem Chriſti.

Verùm ſigna, quibus ſimulari poteſt falſa religio, ſunt in duplici differentia; quædam propoſita, ac ſpeciatim inſtituta ad cultum falſæ reli-

religionis; alia verò tametſi propria ſint infidelium: non tamen inſtituta ad falſum religionis cultum, ſed ad alium finem; prima ſunt illicita, confeſſioniq; Fidei cõtraria, ſed non poſteriora. Ità *Alexander, Nauar. D. Antoninus, Bannes, & alij apud Valentiam to. 3. quaſ. 3. par. 2. dub. 4. Beccanus loc. cit. cap. 4.*

DIFFICVLTAS III.

An Concionator, qui è ſuggeſtu aliquid contra Fidem, aut bonos mores aſſeruit, ſit denunciandus.

DIſtinctione opus eſt, vel dictus Concionator admittit correptionem fraternalem ſe in concione retractando, & excuſando; & ſic non venit denunciandus: quia præſumendum non eſt ipſum iudicio Eccleſię occurrere voluiſſe; ſed ex lapſu linguæ, quæ eſt in lubrico incidiſſe in errorem: nemo .n. præſumitur ſuę ſalutis immemor; niſi qñ cõtrariũ cõſtaret. *l. fin. Cod. ad l. Iuliam.* Vel Concionator renuit ſe correptioni ſubijcere; & ſic ſecùs dicendum eſt. Patet primò à parte populi, qui audiuit errorem: quia bonũ publicum priuato incommodo præualere debet: tale autem bonum exigit, vt Concionator ſe retractet ab errore diſſeminato; ne populus illo imbutus remaneat; ſiue contigerit aduertentèr, & ſcientèr: ſiue inaduertentèr, & ignorantèr.

Idem patet à parte Concionatoris; qui manet in periculo damnationis æternæ, niſi per ſe: vel per alium pro poſſe occurrat errori palinodiam habẽdo, ꝙ notat *Tolet. de Septem peccatis mort. cap. 6.* Nec eximitur ab hoc onere ob periculum perdendi integritatem laudis apud populum: quia vtilitas publica priuatæ præualet. idem *Doctor loc. cit.* in hæc verba ità proloquens: *peccat mortalitèr, qui errorem docuit pernicioſum: & non vult ſe retractare, ne perdat laudẽ.* hæc doctrina procedit quoq; in alijs; qui, cum habeantur docti; aliquem errorem contra Fidem, aut bonos mores diſſeminarunt: nam de ſimilibus idem eſt iudicium. Nec à retractatione liberantur; quia in loco priuato error fuerit diſſeminatus: quia in hoc caſu eadem eſt ratio totius, & partis, publici, & priuati: nec minus eſt contra iuſtitiam vnum, quàm aliud; licèt ſit minus peccatum errare coram vno, vel paucis, quàm in præſentia multorum. *Petrus Nau. de Reſt. lib. 2. cap. 4. num. 80. Alphonſus de Caſtro de Iuſta Hæreticorum punitione, lib. 2 n. 25. concl. 2. Caſtrus Palaus de Hæreſi tract. 4. diſp. 3. punc. 4. nu. 7. apud Ioan. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 2. diſp. 5. nu. 10. & alij.*

DIFFICVLTAS IV.

An qui fecerunt, vel faciunt Conuenticula in materia Fidei, ſeu Religionis denunciandi veniant.

PRius notare oportet, quid ſint Conuenticula: & quid Conuenticula facere. Conuenticulum igitur, quamuis interdum ſumatur in bonam partem, vt videre eſt apud *Calepinum, verb. Conuenticulum*: tamen plerumque ſumitur in malam partem, nempè pro Cõuentu improborum: & idem ſentit *Vocabul. Eccl. eodem verbo*; & ſic ſumitur in hac difficultate, iuxta illud *Pſalmi 15. Non congregabo Conuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Conuenticula autem celebrantes in materia Religionis, ſiue Fidei dicuntur illi, qui voluntariè dubij in rebus Fidei, cum alijs item dubijs occultè ſe abdunt de Fide diſſerendo; contra illud, quod egit Chriſtus; qui de ſe ipſo teſtimonium perhibens, dicit: *Ego palàm locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil.* his prænotatis.

Reſpondeo affirmatiuè, & patet expreſsè ex *Textu, ibi: Che habbino celebrato, ò celebrino occulti Conuenticoli in materia di Religione.*

Huc ſpectat Littera Apoſtolica pro Officio S. Inquiſitionis Innocentij IV. Vbi iubet coerceri eos; qui translationi ſacrorum librorum vulgari operam dabant: & ſecreta Conuenticula celebrabant: ac ſine Superiorum auctoritate prædicationis officium temerè vſurpabant: Incipit. *Ea eſt in fouendis virtutibus &c.* quam habes apud *Eymericum in litteris Apoſtolics pro S. Inquiſitionis Officio pag. 2.* quare omnia huiuſmodi Conuenticula ſunt prohibita. Vide *Locatum in Op. Iudiciali Inquiſ. verb. Collegium, nu. 2.*

Ratio autem in propoſito cur Conuenticula ſint prohibita, præter alias eſt, quia non plus tribuendum eſt ſingulorum opinionibus de Fide arbitratu ſuo diſputantium; quam definitis in Synodis legitimè congregatis; in quibus nutu Spiritus Sancti Patrum corda reguntur: ità *Pegna ad Eymericum part. 2. Comm. 6*; quam rationem obſeruat *Aloyſius Bariola in Flor. Direct. Inquiſit. par. 2. Comm. 6.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An ſuſpectus de Fide, ſed prorſus occultus, v. g. blaſphemus hæreticalis; qui ab Inquiſitore abſolutionem occultè obtinere non potuit; teneatur iudicialitèr ſuas blaſphemias illi aperire; vt vel ſic abſolutionem conſequi poſſit.

NOtandum peccatum prorsùs occultũ appellari illud; quòd à nullo denunciari poteſt; ad differentiam occulti, quòd ſaltem vnico teſte denunciari poteſt.

Reſpondeo ſuſpectum de Fide prorsùs occultum minimè obligari in propoſito caſu ad detegendum iudicialitèr ſuum crimen: ratio eſt, tum quia iugum Chriſti ſuaue eſt; foret autem graue, immò grauiſſimum; ſi peccator occultus teneretur manifeſtare ſeipſum in propoſito caſu: cum nec Hæreticus occultus teneatur ad hoc. ità *Royas de Singularibus Fidei, ſingulare 3. 4. & 5. nu. 35. D. Thom. 2. 2. quaſ. 96. art. 1. Dominicus Soto de ratione tegendi ſecretum memb. 2. quaſ. 7. Iacobus Simancas de Inſtit. Catholicis, tit. 42. nu. 12.*

Tum quia in generali ſermone nõ venit id, quòd expreſsè mandari non poteſt; *argumento capitis, dilecto de Præbendis*: non poteſt autem alicui expreſsè, & ſpecificè mandari, vt ſeipsũ

denunciet; niſi id pœnitùs neceſſarium eſſet bono publico;cuius periculo alitèr occurri nõ poſſet, vt dictum eſt *Par. 1. lib. 5. diſt. 4. art. 3. diff. 2. & 3.* tum etiam quia quemadmodum, qui accipit mandatum denunciandi excommunicatos non tenetur ſeipſum denunciare; licèt cum alijs, qui denunciandi ſunt, commiſerit delictum: ità in propoſito, immo à fortiori idem dicendum eſt in caſu noſtro; vt notum eſt ex *cap. Non deceat, de Electione in 6. Simancas de Cathol. Inſtit. tit. 3. nu. 5.*: hìc .n. caſus per Epicheam cenſetur exceptus; maximè quòd nunquam præſumitur Superiorem velle tale præceptum tradere; cum ſit prorsùs iniuſtum. Nota tamen praxim Inquiſitorum eſſe; vt nullum abſoluant, niſi prius iudicialitèr confiteatur delictum ſuum coram Notario,vt dictum eſt *Par. 2. lib. 1. diſt. 6. ar. 2. diff. 1. & 4.*

DISTINCTIO SECVNDA.

De medijs pro conſeruatione Fidei Catholicæ.

Diſtinguitur autem in quatuor articulos.

Primus diuetat indoctis diſputationem circa Fidem.

Secundus oſtendit reſtitutionem, ad quam obligatur, qui alterum auocauit à Fide, aliaſq; obligationes in ſubiecta materia.

Tertius deſignat qualem facultatem quiſque habeat pro inductione proximi ad Fidem Catholicam.

Quartus ſoluit principale dubium in hac Fidei materia.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An liceat cuique cum Hæreticis diſputare de Fide.

NON mouetur difficultas reſpectu cauſæ finalis; quia notum eſt, quod diſputatio de Fide fieri poteſt licita, vel illicita reſpectu finis cuiuſque: iuxta illud Phyloſ. .s. cuius finis bonus eſt; ipsũ quoque bonũ eſt: & è contra, cuius finis malus eſt,ipſum quoque malum eſt.

Item non mouetur difficultas reſpectu cauſæ formalis; quia ſimilitèr conſtat ipſam fieri poſſe licitam, aut illicitam reſpectu diuerſi modi: vz. modeſti,aut contentioſi; ſed præcisè mouetur reſpectu cauſæ efficientis; nempè an indifferentèr ab omnibus Fidei diſputatio aſſumi poſſit:aut ſolùm ab Eccleſiaſticis doctis.

Reſpondetur difficultati tribus propoſitionibus.

Prima, eſt illicita diſputatio Fidei cuique Catholico,tàm laico,quàm Eccleſiaſtico;quãdo eſt periculum ex parte auditorum; qui adſunt,ne peruertantur *D.Thom.2.2.quaſ.10.ar 7.*

Secunda, diſputatio eſt regularitèr illicita laico,licèt ſit doctus;patet quia illi interdicta eſt ſub excõmunicationis pœna tàm publicè, quàm priuatim; ſiue ſit inter Catholicos: ſiue inter Catholicum,& Hæreticum *Trullench loc. infra cit. num. 1. cap. Quicunque de Hæreticis in 6. Beccanus de controuerſijs huius temporis,lib. 5.cap. 12. Sanchius lib. 2. moral. cap. 6. nu. 6. citans Nauar. & alios.* Dixi regularitèr,quia vbi Catholici, & Hæretici permixti ſunt; non eſt vſu recepta ſupradicta inhibitio; ſed per contrariam conſuetudinem eſt abrogata, ac proindè non obligat. ità *Becanus loc.cit.Valentia tom.3. quaſ. 10. aſſertione 2.* Dixi item regularitèr,quia prędicta prohibitio non videtur extendi ad caſum neceſſitatis, vel magnæ vtilitatis; modò laicus ſit doctus: aliæq; circunſtantiæ requiſitæ concurrant; vti interdum aliqui fecerunt contra Caluinum,Lutherũm,& alios non ſolùm verbis, ſed etiam ſcriptis; & præcipuè in caſu, vbi ſimpliciores ab Infidelibus,vel Hæreticis ſeducti; vel ſolicitati fuiſſent; quinimmò in tali caſu tenerentur,vt colligi poteſt ex *1. Petri, cap. 1.* & ex illa *Pauli ad Titum cap. 1.* hinc *Ambroſius lib. 1. de Officijs,cap. 3. citatus à Ludouico Carbone in Sum. Summarum, tom. 3. lib. 1. cap. 50.* ità proloquitur: *Si pro otioſo verbo reddenda eſt ratio,* iuxta illud: *De omni verbo otioſo,quod locuti &c. videndum eſt, ne pro otioſo ſilentio etiam reddatur.* Huc ſpectat illud S. Scripturæ: *Vęh mihi, quia tacui*: & ſanè niſi ſuſciperetur in tali caſu diſputatio de Fide; Hæreticus inſoleſceret,& populus vacillaret; verùm non eſt ſuſcipienda, niſi à viro prorsùs docto, vitæq; integritate eminentèr conſpicuo; hinc & Plato Phyloſ. non permittebat iuuenibus; ſed tantũ ſenibus,vt de legibus diſputarent.

Tertia, illicita eſt diſputatio de Fide Eccleſiaſtico iure naturali,ſi ſit indoctus, tum ob errandi periculum; tum quia contrarij ſolent eſſe parati ad ſuos tuendos errores: aç veritates Catholicas impugnandas; hinc Apoſtolus loquens de Epiſcopo volebat ipſum eſſe talẽ, vt in doctrina ſana exhortari poſſet: & arguere eos, qui contradicunt; aliòquin plus diſputando noceret,quàm prodeſſe poſſet.

Cæterùm (ne error nos capiat) notandum prædictam inhibitionem *cap. Quicunque, &c.* intelligẽdam eſſe de diſputatione publica formali; quia ſi quis ſolùm diſputet publicè materialitèr exercitij cauſa;non facit contra dictã prohibitionem, quòd notat *Carbonus loc. cit.* Verùm, ſi auditores fuerint ſimpliciores; plerunque diſputatio huiuſmodi etiam materialis,redditur illicita; cum ſemper immineat periculum; ne ex argumentis contra veritatem, eorum apparentiam veritatis percipientes; aliquid detrimenti in Fide capiant. Vnde *Liranus* ad illa verba *Thimot. c. 1. Noli contendere verbis,* habet:

habet: ad nihil vtile eſt contendere: nam ſimplices aſſiſtentes credunt magis loquaces eſſe intelligentiores, quod falſum eſt: quia vbi plurima ſunt verba, ibi frequentèr ægeſtas, *Prou. c.* 14. hinc Patres antiqui magis diſceptabant virtutibus, quàm verbis: quapropter in locis publicis ab huiuſmodi diſputationibus coram ſimplicioribus cauendum eſt; quinimmò etiã in concionibus; niſi fortaſſe aliquis vir excellens adeſſet; qui omnem apparentiam argumentorum dilucidè explicare noſſet, & vellet. ita *Carbon. vbi ſupra.* faciunt, quæ tradit *Trullench in Expoſ. Decal. Præcep.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 2. & 3.

DIFFICVLTAS II.

Licet ne Clerico docto publicè diſputare de Fide Catholica, de ea dubitando.

Reſpondetur negatiuè: ratio eſt, tum quia peccatum eſſet infidelitatis: tum quia ex diſputatione ſeriò facta .s. vt magis, magiſq; veritas diſcuſſione eluceſcat; iam definita in dubium reuocantur; non poteſt autem reuocari in dubium; quod iam per Eccleſiam eſt definitum. *Petrus Cenedus collect.* 20. *ad* 6. tum quia nõ plus tribuendum eſt ſingulorum opinionibus de Fide arbitratu ſuo diſputantium; quam definitis in Synodis legitimè congregatis; in quibus nutu Spiritus Sancti Patrum corda reguntur. ità ex *Peg. par.* 1. *Comm.* 6. & 25. *eiuſdem partis.*

Veruntamen dubia in ſcripturis declarare licèt; vt dogmatum controuerſię inter Catholicos, & Hæreticos componantur: veritas Catholica magis confirmetur: hæreſesq; ei oppoſitæ confutentur: item ad exercitationem, vt veritas intelligatur; ſed hoc præſtandum eſt coram Sapientibus in Fide firmis: Vndè triplici ex cauſa diſputatio de Fide ſuſcipi poteſt.

Prima, vt ſimpliciores in veritate inſtruãtur, & confirmentur.

Secunda, vt impij conuicti reducantur ad Fidem.

Tertia, vt decepti ab erroribus liberentur: *Peg. par.* 1. *Comm.* 25.

Ex. gr. Si quis malè imbutus auderet fari paruulos vſu rationis carentes non eſſe baptizandos; Suſcipienda eſſet diſputatio à viro apprimè docto, oſtendendo oppoſitum: nam quemadmodum paruuli ſine proprio conſenſu per peccatum Adæ originale contrahunt peccatum; ità per paſſionem Chriſti (mediante Baptiſmo) ſine proprio conſenſu liberantur: qui enim ſenſit incommodum ſine proprio conſenſu: debet etiam ſine illo commodum ſentire. Hinc Eccleſia Catholica diuinitùs inſtructa: & à Chriſto edocta paruulos baptizare ſemper conſueuit.

DIFFICVLTAS III.

An æquè peccet Clericus indoctus, ac laicus item indoctus de Fide diſputando.

Reſpondeo, quòd non eſt par ratio vtriuſq; quia Clericus indoctus non peccat contra prohibitionem Eccleſiaſticam; de qua dictũ eſt difficultate immediatè ſuperiori; quia illa comprehendit ſolùmmodò laicos: ſed peccat contra ius naturale; quia exponit ſe periculo erroris: hinc ſequitur tàm laicũ, quam Clericum indoctum peccare: ſed laicum contra legem naturalem, & Eccleſiaſticam: Clericum verò contra naturalem tantum. Item laicum excommunicationi ſubijciendum: ſed non Clericum: quod notat in primis *Becanus in Comp. controu. huiuſce temporis, lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 4. nam vbi maius periculum; ibi cautius eſt agendum, *l.* 1. §. *Si quis, ff. de Carbon. Edict. l. Manifeſtiſſimi C. de Furtis.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Imbibens alicui errorem contra Fidem, aut mores; an tenetur ad reſtitutionem, nimirum ad detegendam veritatem.

Ratio difficultatis eſt; quia ex peccatis contra charitatem nulla oritur reſtitutionis obligatio; niſi ſit ibi cõiuncta aliqua iniuſtitiæ ratio; vti ex communi tradunt DD. & maximè *Tolet. lib.* 5. *cap.* 19. *nu.* 4. qui autem imbibit alicui errorem; non videtur agere contra iuſtitiam: ſed contra charitatem, ideo &c.

Reſpondeo, poſſemus hìc diſtinguere de cauſa: nam duplex eſt cauſa, altera efficax, inefficax altera: loquendo de inefficaci; dico N. non teneri ad reſtitutionem; quia per ipſam nullum contingit damnum, vt conſtat ex vi vocabuli; vbi autem nulla læſio, ibi nulla reſtitutio. Verùm nos loquimur de N. qui efficacitèr iam imbibit alicui errorem; vnde quoquo modo fuerit cauſa efficax .i. ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè; poſitiuè, vt ſi aliqua actione poſitiua efficacitèr concurrat ad alterius damnum: negatiuè omittendo actionem ex iuſtitia debitam; tenetur ad reſtitutionem, ideſt ad retractandum dicta docendo oppoſitum: itidem diſtinguendum eſt; vel imbibens errorem eſt doctus: verbi gr. Theologus, Parochus, vel Concionator; & ſic hi, licèt ſine dolo, aut fraude docuerint falſa in materia Fidei, vel morum; tenentur ad retractandum errorem, docendo ſanam doctrinam: quòd ſecus dicendum eſt de impertitis, & Idiotis; ſi bona fide contingat aliquem ipſorum falſam doctrinam docuiſſe; etiam ſi propria ſpontè ad talia ſe ingeſſerit; ratio eſt, quia ab huiuſmodi recipiens inſtructionem damnum ſuæ leuitati aſcribere debet. faciunt, quæ communitèr tradunt *Doctores de Reſtitutione*; & præcipuè *Bonac. diſp.* 1. *quæſ.* 2. *punc.* 7. *nu.* 24.

DIFFICVLTAS II.

An Parochi, & alij, qui ex officio tenentur impedire alterius damna, obligentur ſtrictiori modo.

Reſpõ affirmatiuè: nam hi, vt dixi ſupra, tenentur ad reſtitut. etiam ſi ſolùm negatiuè ad alterius damnum concurrant omittendo actionem; quàm ex iuſtitia exequi tenentur, ne ſequatur: vt ſi Parochus in ſua parętia

prauorũ morũ diſſeminationẽ non impediret: aut ſi Princeps, belli Dux, aliusq; publicam poteſtatem habens grauia communitatis damna præſertim ſpiritualia, vt hæreſes, blaſphemias, &c. non impediret; cum teneantur ex officio; etiam cũ vitæ periculo talia impedire. faciunt tradita per *Leſſ. lib. 2. nu. 59. Rebell. Molin. Vaſquez. & alios apud Bonac. loc. cit. punc. 11. num. 5.*

Nec excuſantur per hoc, quod alius Parochus, vel alius Dux idem malum permiſiſſet; nam ipſi proximè, & realitèr influunt in damnum; & conſequentèr in ſe transferunt obligationem, quam alij ſubijſſent.

Addo prædictos, ne dum teneri ad impediẽdum errores aperiendo falſitates; ſed etiam tenentur rationibus conuenientibus: alijsq; medijs operari, vt deceptus curetur; cuius ratio eſt, quia ex eadem virtute tenentur diſſeminatos errores auferre; qua tenebatur illos non inficere; ſed ex iuſtitia tenebantur non inficere: ergo ex iuſtitia etiam tenentur infectionem curare. Idem dicendum eſt, ſi prædicti conſilio, vel auxilio ad dicta mala: vel ſimilia cum ſibi ſubiectis cõcurriſſent *Medina in ſimili de Reſtitutione rei corporalis, quæſ. 7. Reginal. lib. 24. nu. 130. Nauar. cap. 17. & alij.*

Verùm non tenentur Parochi ad dictam reſtitutionem poſtquam deceptis ſatis detecta fuit veritas per Doctos, vel per ſe ipſos.

Itidem non tenẽtur Duces Exercituum, qui v. g. blaſphemando, vel habendo conſuetudinem cum ſortilegis, &c. extiterunt occaſio alicui; vt erroribus contra Fidem imbueretur; quia cauſa occaſionalis nõ ſatis influit; quamuis grauitèr peccauerint abſq; neceſſitate occaſionẽ dando. DD. cõmunitèr. Verùm, ſicut hi non peccauerunt contra iuſtitiam, ſed contra charitatem; ità licèt non teneantur ſe corrigere ex iuſtitia; nihilominus tenentur ex charitate debita proximo.

DIFFICVLTAS III.

An teneatur quis cum periculo amittendi Fidem baptizare infantem in diſcrimine vitæ poſitum.

RAtio difficultatis eſt, quia ſi nemo tenetur alterum baptizare cũ periculo vitæ corporalis; à fortiori non tenetur cum periculo amittendi vitam ſpiritualem; quæ amittitur perdendo Fidem.

Reſpondet *Sanchez in Selectis* affirmatiuè; cuius ratio eſt, quia, qui inuoluntariè periculo peccandi ſe exponit (cauſa vrgente) nullum committit peccatum: nam tunc non amatur periculum; ſed permittitur, & patitur: patet in ſimili de Chirurgo, qui tenetur verenda fœminæ curare; ſi neceſſitas illam medendi vrgeat, etiam cum periculo extrinſeco labendi; quia ſimplicitèr manet liber ad non peccandum: cum voluntas minimè cogi poſſit.

Verùm talis determinare debet peccato nolle conſentire, idem *Doctor diſpu. ſuprad. n 9.*

Item patet, quia, ſi ad ſuſtentandam vitam fœminæ viro eſſet omninò neceſſariũ portare illi cibum (non obſtante periculo labendi) ob rationem allatam, adhuc teneretur; quia videlicèt ſemper liber manet ad non peccandum; maximè, quòd Deus non permittit nos tentari ſuper vires. Nec valet obiectio de periculo mortis corporalis; quia huiuſmodi periculum euitandi mortem non eſt in noſtra poteſtate; quemadmodum eſt periculum euitandi mortem ſpiritualem: nam hac nullus moritur niſi volens .i. voluntate conſentiente, vt notum eſt; à diuerſis autem non fit illatio, *l. Inter ſtipulationem*, *§. Sacram. de verb. obligat.* poteſt quidem cogi manus, vel pes &c. ſed non voluntas, vt ex cõmuni placito docent Theologi.

DIFFICVLTAS III.

An duabus opinionibus exiſtentibus circa moralia v. g. circa obſeruantiam Quadrageſimæ teneatur ſubditus ſequi opinionem, quam v. g. Reuerendiſſ. Inquiſitor ſequitur.

NON eſt hìc difficultas; ſi in dubijs tenetur ſubditus Superioribus obedire; quia teneri, communitèr tradunt DD.

Reſponſio eſt negatiua, ratio eſt; primò, quia in actibus puris intellectus, & voluntatis, (vt in propoſito) hanc, vel illam opinionem ſequi, nullus tenetur obedire Superiori. *Tolet. tract. 1. de Septem peccatis mortalibus cap. 15.* Vndè abſque ſcrupulo peccandi timidam cõſcientiam euincere poteſt.

Secundò, quia quiſque quamlibet opinionem probabilem .s. ab Eccleſia ſcitam, & admiſſam; tanquam probabilem ſequi poteſt; vt de communi tradunt DD. nam in ſubordinatis conceſſum à ſuperiore, ab inferiore auferri non poteſt, vt de ſe patet, iuxta illud euulgatũ axioma: ſi vinco vincentem te; à fortiori vinco te; ſi Eccleſia vincit Inquiſitorem in auctoritate; à fortiori tuam conſcientiam ſcrupuloſam euincere debet.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An filio, vel alteri licitum ſit mentiri, vt pater ſuus, vel alius ad viam veritatis, videlicet, ad Fidem Catholicam reducatur.

REſpondeo negatiuè; primò, quia Deus noſtro nõ indiget mẽdacio. Secundò, qa veritas .i. Fides verborũ adminicula nõ deſiderat, *l. 1. C. Si minor ſe maiorem dixerit.* Tertiò, credere debemus nullum à malo per falſi ſuggeſtionem conuerti; ſed per Spiritus Sancti inſpirationem: nam Gregorio S. teſte, *In vanum laborat ſermo prædicatoris, niſi intus operetur gratia Saluatoris*, quod notat *S. Bonauentura in 3. ſent. diſt. 38. quæſ. 7. ad vltim. argum.*

DIFFICVLTAS II.

An filius patrem ſuum occidere poſſit, ſi ad Fidem Catholicam deſerendam ipſum cogat.

REſpondetur affirmatiuè (obſeruatis tamen prius duabus conditionibus, quarũ altera eſt, vt pater filium omninò compellat; altera, vt ipſe filius moderamen inculpatæ tutelæ obſeruet; cuius ratio eſt; quia in tali caſu, eius pater conſtituit ſe tanquàm hoſtem naturæ iura violantem. Ve-

Verùm non poteſt filius patrem taliter ſe habentem; famis morte occidere; cum ad talem mortem inferendam regularitèr intercedat tempus, vt ſuppono, ſe eripiendi ex manibus oppreſſoris: adeundiq; Fidei Cenſores. ità *Epiſcopus Oriolanus ad cap. 2. lib. 2. Machab.* quod notatur in additionibus ad *Tolet. cap. 1. lib. 5. addit. 1.* Verùm, ſi iſtius alimentatio foret in damnum Fidei ineuitabile, ſecùs dicendum eſt: ità ex *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon. 265.* nec ità occidens incidit in pœnas contra filios Hæreticorum. *Arſen. loc. cit. admon. 204.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.
An omnes in ſua Fide ſaluari poſſint, ſi credant in Chriſtum.

NOtandum ad quatuor reduci neceſſaria ad ſalutem ex communiori Doctorum. Primum eſt, vt in Chriſtum, & in duodecim Articulos Symboli ſecundum legitimum Eccleſiæ Catholicæ ſenſum diſtinctè credat.

Dico diſtinctè credendo: s. Chriſti diuinitatem, humanitatem, natiuitatem ex Virgine, paſſionem, reſurrectionem, & alia myſteria Symboli Apoſtolorum.

Dico iterùm diſtinctè; quia ſi intelligas omnes ſaluari poſſe; licèt confuſè in Chriſtũ credant; nimirùm abſq; Fide in particulari præcipuorum myſteriorum, de quibus ſupra, falſum eſt; quia aliòquin, cum Hæretici ad minimum confuſè credant in Chriſtum; ſaluari poſſent, quod non eſt verum; cum ſit contra Euangelium; vbi Zizania, hoc eſt Hæretici; iubentur alligari in faſciculos ad comburendum: *Matth. cap. 23.*

Secundum eſt, vt reliquos articulos, qui nõ ſunt in Symbolo; ſaltem credãt implicitè, credendo generatim, quod Eccleſia tenet: parati inſupèr credere in particulari quidquid ab ipſa credendum proponitur.

Tertium, vt nullum habeant errorem Fidei Catholicæ contrarium.

Quartum denique eſt, vt obſeruent Dei mandata, iuxta illud Euangelij: *Hæc fac, & viues.* E contra aduertendum eſt nullum cum defectu alicuius dictarum conditionum ſaluari poſſe; propterea manifeſtiſſimum eſt nullum Hæreticorum in ſua Fide ſaluari poſſe; quia, vt taceam de alijs articulis; non credunt hunc s. Sanctam Eccleſiam Catholicam: nec ſunt parati credere alios articulos; qui ab ipſa proponuntur credendi. Vnde falſum eſt omnes in ſua Fide ſaluari poſſe: legendus eſt *Becanus de Controuerſijs inter Hæret. & Cath. huiuſce temporis lib. 5. cap. 1. per totum, Leſſius in Appendice conſultationis de Religione, prior quæſ. per tot.*

DISTINCTIO TERTIA.
De credendis explicitè, & de his, quæ Confeſſarius edocere debet.

Diſtinctio præſens diuiditur in tres articulos.

Primus reſpicit credenda explicitè.

Secundus, ea quæ potiſſimum Confeſſarius edocere debet pœnitentem.

Tertius ſoluit dubium, vz. num quilibet Chriſtianus teneatur mittere memoriæ Symbolum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An diſtincta, & explicita cognitio Myſteriorum Sanctiſsimæ Trinitatis, & Incarnationis Chriſti ſit neceſſaria neceſſitate medij; aut tantum neceſſitate præcepti.

PRO reſponſione ſcire oportet, quid ſit vtraque neceſſitas.

Neceſſarium neceſſitate medij eſt illud, ſine quo finis vnquam obtineri poteſt: E contra neceſſarium neceſſitate præcepti eſt illud, ſine quo finis obtineri poteſt.

Modò ad propoſitum dicendum eſt explicitam cognitionem dictorum Myſteriorum, etiam poſt ſufficientem Euangelij promulgationem nõ eſſe neceſſariam primo modo, ſcil. neceſſitate medij; patet in ſurdis, & mutis à natiuitate baptizatis; qui ſaluari poſſunt, ſi cætera requiſita adſint. faciunt tradita per *Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 9. num. 5.* Fides enim habitualis infunditur à Deo in Baptiſmi ſuſceptione omnibus fidelibus, ſiue iuſtis, ſiue peccatoribus, ſiue amentibus, ſiue infantibus; hæc autẽ duplex eſt, vz. alia explicita, alia implicita: & vtraque ſufficit ad ſalutem reſpectu tamen diuerſorum: nam reſpectu ſurdorum, & mutorum à natiuitate, infantium, & amẽtium ſufficit implicita; reſpectu verò aliorum requiritur explicita.

DIFFICVLTAS II.
An omni tempore fuerit neceſſarium ad ſalutem explicitè credere Chriſti Incarnationem.

REſpondetur affirmatiuè; ſed alitèr ante peccatum, & alitèr poſt: Ante peccatum fuit neceſſarium credere explicitè Chriſti Incarnationem; prout ordinabatur ad conſumationem gloriæ; non autèm ſecundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato per paſſionem, & reſurrectionem: Cæterùm poſt peccatum fuit neceſſarium illam explicitè credere non ſolùm quatenùs ordinabatur ad conſumationẽ gloriæ; ſed et prout ordinabatur ad paſſionem, & reſurrectionem; quibus genus humanum à peccato, & à morte liberatur. ità ex *Capuleo ad primum ſententiarum D. Bonauenturæ in præludijs; prælud. 9.*

Verùm notãdum DD. celeberrimos, nimirùm *Doct. Angelicum, & Scotum* ſubtilem circa fundamẽtum huiuſce difficultatis longè diſſidere: vult *D. Thom. 3. part. quæſt. 1. art. 3.* quòd, ſi Adam non peccaſſet, Deus non fuiſſet incar-

natus; cuius ratio eſt, quia in Sacra Scriptura, vbique Incarnationis ratio ex peccato Adam aſſignatur; ità vt peccato non exiſtente Incarnatio non fuiſſet: loquiturq; de facto; tenens de poſſibili, quod potuiſset, etiam peccato nō exiſtente; quia potentia Dei non limitatur ad hoc, vt .s. Incarnatio ſit in remedium peccati neceſſariò.

Cæterùm *Scotus 3. ſent. diſt. 7. quæſ. 3.* probabilitèr aſſerit, quòd licèt Adam non peccaſſet; adhùc verbum fuiſſet Incarnatum, reddit rationem; quoniam, quamuis non veniſſet, vt Redemptor; veniſſet tamen vt Glorificator: Vnde Tataretus eius Expoſitor ad dictā quæſtionem notat, quòd Chriſtus veniſſet quatuor modis, vz. primò, vt Redemptor præſeruatiuus, .s. ad præſeruandum nos à malis. Secundò, vt caput Eccleſiæ. Tertiò, vt Glorificator. Quartò, vt immortalis, & impaſſibilis. An verò de facto Incarnatio facta fuerit ad tollendum omne peccatum, .s. illud actuale primorum parentum, quòd deindè traductum fuit, & eſt originale in poſteros; ſed etiam ad deletionē omnium peccatorum, quæ poſtmodū ſuperaddita ſunt.

Reſpondetur affirmatiuè, Verùm hoc intelligendum eſt non ſecundum effectum; cū peccata multorum effectualitèr non remaneant deleta: v.g. peccatum Iudæ traditoris, multorum Iudęorum, &c. ſed ſecundum ſufficientiam remedij: nam filius Dei ex parte ſui fuit ſufficiens Redemptor ad delationem omnium peccatorum: licèt non omnia deleantur ob defectum hominum, qui Chriſto nō inhęrent. ità *D. Thom. 3. part. quæſ. 1. art. 4* quem ſequitur *Paulus Franzoſus in reſol. Theologicis ſuper tertio ſent. reſol. 5.*

DIFFICVLTAS III.

An æqualitèr omnes ad fidem explicitam obligentur.

Reſpondetur negatiuè: nam primò Prælati plura quàm ſimplices, & communis hominum vulgus ſcire tenentur: vnde ipſos ſcire oportet tum quæ ad ſe; tum quæ ad gregem ſibi creditum neceſſaria ſunt; attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, *Actuum* 20. Secundò DD. in ſacris litteris profeſſores, qui plures veritates Scripturæ Sacræ, & aliàs ex ea deductas, quàm ſeculares ſcire tenentur. Tertiò, ex ſecularibus plura teneatur ſcire Rectores populorum, Conſiliarij, Aſſeſſores tàm in criminalibus, quàm in ciuilibus, quàm ipſis ſubiecti: Vnde regula eſt, quod nullus ea, quæ ſunt ſui officij ignorare debet. Demùm Dominus ab vno quoque exiget, quantum dedit, *Thom. 2.2. quæſ. 2. art. 6.*

DIFFICVLTAS IV.

An Doctus laborando probare Trinitatis Myſterium naturali ratione dignitati Fidei deroget.

Diſſentiunt D.Thomas, & Scotus. *D.Thom. prim. par. quæſ. 32. art. 1.* tenet affirmatiuam: Scotus negatiuam. Rationes D.Thomæ ſunt; tum quia, qui nititur talitèr probare hoc Myſterium Fidei dignitati derogat: nam dignitas Fidei eſt, quod ſit de rebus inuiſibilibus, quæ rationē humanam excedunt: Vnde Apoſtolus ad *Roman. 11.* dicit, quòd Fides eſt de non apparentibus: tum quia, cum aliquis ad probandum Fidem induit rationes, quæ nō ſunt cogentes; cadit in irriſione infidelium: credunt .n. quòd huiuſmodi rationibus innitamur, & ob eas credamus: Vnde dicit ea, quæ ſunt Fidei probanda eſſe, niſi per auctoritates his, qui eas ſuſcipiunt: his verò, qui illas non ſuſcipiunt; ſufficit demonſtrare non eſſe impoſſibile, quod fides Catholica tenet.

Scotus in 2. ſent. diſt. 1. quæſ. 3. in corp. tenet negatiuam. Primò, quia D. Auguſtinus, D. Anſelmus, & alij S. DD. qui articulos Fidei contra infideles laborauerunt probare rationibus; nō putauerunt ſe derogare dignitati Fidei, ſed mereri. Secundò, quia quamuis ſtando præcisè in lumine naturæ ſit impoſſibile venire in cognitionem Trinitatis: aut aliorum articulorum: tamen præmiſſo lumine Fidei laborando, fortaſsè (inquit Philippus Faber aduersùs impios Atheos *diſp. 4. cap. 2. num. 45.*) non eſt impoſſibile, nota tamen, quòd vtitur dictione, .s. fortaſsè.

Ego ſentio tantummodò non eſse inutile inquirere rationes pro articulis Fidei; quia licèt demonſtratiuè probari non poſſint: poſſunt tamen probabilitèr: hanc autem veritatē omnes concorditèr Theologi ſequuntur, nec mirandum, ſi dictum Trinitatis Myſterium: ſicut nec alij articuli demonſtratiuè probātur: nam neque etiam ſingulæ concluſiones Phyloſophicæ talitèr probantur: congruumq; eſt, vt potior cognitio potioribus in meritis, & virtutibus reſeruetur .s. Sanctis, qui ſunt in Cęlo.

Dices, fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum; Reſpondetur rationes probabiles non præbere experimentum; ſed tantum probare cōgruum eſſe, quod tradit Fides: minimèq; ei repugnare; & ſubindè neminem pro hoc labore amittere meritum.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Confeſſarius quid in primis pœnitentem circa Fidei articulos edocere tenetur?

Reſpondetur teneri illū inſtituere, quòd in materia Fidei non datur paruitas: quare, ſi quis ſeriò verbis cōtendat ad impugnandū aliquem Fidei articulum; quicunque ille ſit, mortalitèr peccat. *Suarez de Legib. lib. 3. cap. 28. nu. 33. Bonac. de Decem precep. diſp. 3. quæſ. 4. punc. vlt. §. 4. prop. 3. num. 5. Sanchez apud ipſum in Opere morali lib. 1. c. 4. nu. 1.* Vndè notandum, quòd ſemper ex ſuo genere inuenitur culpa mortalis in ea materia, in qua reperitur integra ratio iniuriæ, & offenſæ; licèt ſit modica, vel parua res: ex. gr. in materia ſimoniæ, ſi quis vendat rem ſpiritualem, licèt valdè modicam, & paruam, peccat mortalitèr: quia rem ſpiritualem impretiabilem pretio æſti-

æſtimat; & conſequentèr illi grauem iniuriam arrogat; idem ob eandem rationem dicendum eſt in Idolatria, Infidelitate, Hæreſi, Blaſphemia, Sortilegijs, Magia, Solicitatione ad venerea ex parte Confeſſarij. *Diana in Sum. ver. Materia leuis.*

DIFFICVLTAS II.

An profiteri Fidem exterius cadat ſub præcepto.

RESpondetur affirmatiuè, obligatq; huiuſmodi præceptum ſemper quidem, ſed non ad ſemper, cum ſit affirmatiuum præceptum; ſed tantùm, dum ex omiſſione cõfeſſionis libera diſpendium Fidei, vel ſalutis detrimentum probabilitèr immineret; quod ſi è contra interdum neceſſitas honoris Dei, vel proximi vtilitas Fidei confeſſionem nõ expoſtulet; poſſum occultare Fidem meam abſque peccato: Vnde Hæreticis, Iudicibus, populis Fides eſt diuerſimodè confitenda, teſtificanda, prædicanda. ità D. Auguſt. ſuper illud Apoſtoli: oportet hæreſes eſſe 1. *ad Chorin.* 2. *& recitatur* 24 *quæſ. vlt. cap. fin. D. Thom.* 2. 2. *qu.* 3. *art.* 2. Præceptum verò de Fide non neganda eſt negatiuum: vnde obligat ſemper, & ad ſemper: quare attende diſcrimen inter non confiteri Fidem: quod interdum licèt: & negare Fidem, quòd nunquam licitum eſt.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An teneatur quilibet Chriſtianus ſub pœna peccati mortalis diſcere, & memoria mandare Symbolum Apoſtolicum vulgari, vel latina lingua.

RAtio difficultatis eſt, tum quia quilibet Chriſtianus tenetur explicitè credere articulos Fidei ſub mortali: tum quia ſæpè in noſtra Bergomen. Eccleſia præcepitur Confeſſarijs, ne excipiant cõfeſſiones eorum, qui primò non recitauerint Symbolum, Decalogum, & alia ſimilia.

Difficultati reſpondetur, quod, ſuppoſita poſſibilitate illud addiſcendi; quæ vt plurimũ omnibus communicatur; ſi non eſt peccatum mortale, ſaltèm eſt graue veniale; nam huiuſmodi ignorantia eſt admodùm culpabilis: non audeo tamen abſolutè aſſerere peccatum eſſe mortale: illud non mandare memoriæ; dummodò illud aliquo modo ſciat, quod dignoſcitur hoc euidenti ſigno; ſi ſaltèm ſciat reſpondere ad interrogationes de illius articulis propoſitas. Superiores verò præcipiendo; vt illud omnes diſcant, mandentq; memorię; deſignãt, quod maximè vtile eſt illud memoria retinere: & quod illius retentio, nequit ſatis excuſari. *Nau. in Man.* c. 11. *nu.* 18. quem ſequitur *Bizozerius par.* 2. *c.* 1. *nu.* 7. Vndè nullo modo excuſo ignorantiam illius, ſi homo eſt capax: licèt aliquo modo excuſari poſſit defectus memoriæ, quo ad ordinem.

Verùm tamen eſt non omnes Catholici ęqualitèr teneri habere explicitam Fidem credendorum; ſed maiores, quorum intereſt minores inſtruere in his, quæ fidem reſpiciunt, tenentur magis explicitè credere, & ſcire articulos Fidei, & etiam alia, quæ explicitè non continentur in eiſdem Fidei articulis. *D. Thom.* 2. 2. *quæſ.* 2. *art.* 5. *Nau. loc. ſup. cit. Tabiena in Sum. ver. Credere*, §. 4. vti ſupra cautũ fuit art. 1. diff. 3.

DIFFICVLTAS II.

An omnia credibilia ad Fidem ſpectantia ad Fidei Symbolum reuocentur.

REſpondetur affirmatiuè: quemadmodũ .n. omnia, quæ facienda ſunt, explicitè, vel implicitè reducuntur ad Decalogum. Omnia explicitè, vel implicitè ſperanda ad orationem Dominicam: ità omnia, quæ credenda ſunt implicitè, vel explicitè reuocantur ad Fidei Symbolum: nam ſicut charitas verſatur circa Decalogi præcepta: Spes circa petitiones Dominicas; ità Fides, ſeu credenda circa Fidei Symbolum. ità *D. Thom.* 1. 2. *quæſ.* 100. *art.* 3 *&* 11. Ex. gr. tenemur credere Myſterium S. Euchariſtiæ, de quo, lz. non fiat in Symbolo expreſſa mentio; fit tamen implicitè: nam credendo dari in Eccleſia Cathol. remiſſionem peccatorum explicitè; cõſequitur implicitè credimus dari media; quibus remittuntur peccata; interque media ponimus dignam perceptionem Sanctiſs. Euchariſtiæ.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An Fides, & Spes alijs donis in patria euacuandis ſint excellentiores.

REſpondetur affirmatiuè, ratio eſſentialis eſt, quia ſunt virtutes Theologicæ; quæ deſuper conferuntur ad coniungendum nos Deos: alia verò dona ſunt quædam diſpoſitiones nobis datæ, vt à Spiritu Sancto reddamur benè nobiles; & ſic ordinantur ad virtutes Theologicas, vt ad fines. Verùm cum virtutum Theol. ſit maior charitas, iuxta illud *Corinth* 1. *cap.* 13. *manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum eſt Charitas*, ſequitur ipſam non tantùm Fide, & Spe eſſe maiorem; ſed etiam cœteris donis: quod .n. eſt maius maiore, eſt maius minore, iuxta illud, *Si vinco vincentem te, à fortiori vinco te. l. de Acceſſorib. ff. de diuer. & tempore præſcript. Liranus ad Corinth.* 1 *cap.* 13.

DISTINCTIO QVARTA.

De Magiſtris, ac Diſcipulis circa ea, quæ ſunt Fidei.

Diuiditur autem præſens diſtinctio in tres articulos.

Primus reſpicit tum diſputationẽ actualem: tum expoſitionem concluſionum de Fide.

Secundus reſpicit proteſtationem Magiſtrorum, aut Studentium circa concluſiones de Fide.

Tertius

Tertius verò edocet modum; quo ſe gerere debent; cùm agitur de Phyloſophica, vel Theologica quæſtione.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Magiſtri, ac Diſcipuli diſputando de rebus Fidei, circa quas Ariſtoteles errauit; benè ſe habeant diſtinguendo de duplici veritate .ſ. phyloſophica, & theologica.

RESpondetur malè ſe gerere: ſed vt res clareſcat, ſit exemplũ: eſt quæſtio, an mundus incæperit,ſi ſoluãt quæſitum, quòd ſecundum veritatem Phyloſophi non incepit: ſecundum veritatem autem Theologi incepit, malè ſe habẽt; quia ſic inferũt duplicem eſſe veritatem, ꝙ eſt falſum: nam vna tm eſt veritas: vndè,quæ dixit Ariſt. Fidei aduerſantia,ſunt abſolutè, & abſq; vlla diſtinctione falſa. ità notant *DD. Pariſijs, vt patet ex præfatio articulorum,ibi damnatorũ; quos habes collectos: coniunctoſq; operi Magiſtri ſent. ad calcem operis*. legenda ſunt *quarto tom. tradita,vbi de erroríb. Ariſt. eiuſq;Commentatorũ.*

DIFFICVLTAS II.

Exponentes concluſiones de Fide, quid cauere debent.

RESpõ,quòd pręcipuè cauere debent;ne illas, quibus proſecutio maximi boni retardari poteſt; problematicè ſuſtinere promittant: v. g. illam de immortalitate animæ rationalis, ſimplici fornicatione ſub mortali prohibita &c. nam ad ipſos in primis Fidei Cathol. infallibilem veritatem tueri pertinet,vti notat *Ioan. Gerſon.de Proteſtat. conſiderat. 6. in fine.*

Secundò euitare debent, ne concluſiones .ſ. theologicas, maximè de Fide, quæ in proprijs terminis ſunt proponendæ; extendant ad improprios nimis releuando, quòd ſobriè dicendum eſt: ex. gr. lz. auguſtiſſimum Altaris Sacramentum ſit adorandum cultu latriæ,vbicunque exiſtat:attamèn inſcitè exponetur cõcluſio hæc: Euchariſtia non minus ac in Altari, aut Tabernaculo, in ſtomacho ſuſcipientis, vel in mure, ſi ab ipſo comeſta extiterit, adoranda eſt: lz. .n. non ſit falſa (ſuppoſita ſpecierum ſacramentalium exiſtentia in formali eſſe) tamen eſt nimis expreſſa: facilius .n. aliquid conceditur in genere,quàm in ſpecie: Quo circa ſecundum Ariſt. aliqua ſunt clara in generali,quæ in particulari aliquam patiuntur obſcuritatem,aut dubietatem.

Tertiò attendere debent N. interdum ob rationabilem cauſam concluſionem primo acceſſu minus congruentem, potius illa, quæ congruentior videtur, ſuſtineri poſſe: ex. gr. videtur, quòd potius cultu latriæ imago Chriſti viua: v.g. Maria Virgo, quàm picta ipſius Chriſti ſit adoranda; & tamèn è contra res ſe habet ob minus periculum errandi: quia honor, quo adoratur Chriſti imago picta; refertur ad ipſum, ſicut ad obiectum talis adorationis: honor verò,quo adoratur imago viua, v. g. Virgo Maria facilè referri poſſet ad illam: vbi autem maius periculum, ibi cautius procedendum eſt. ità *S. Bonan: 3. ſent. diſt. 9. quaſ. 3.*

DIFFICVLTAS III.

Magiſtri,& Diſcipuli Grãmaticę quid notantèr cauere debent iuxta ſubiectam Fidei materiam.

PRimò, conſiderationem Theodori Foreſti attendenda eſſe, *tract.de Sanctiſs.Trinitatis Myſterio* 4. 1.quam tradit Magiſtris Grãmaticę, ne .ſ. concedant Diſcipulis vti (elegantiæ gratia) illa phraſi, vz. ſi Dijs placet; vt euitent credulitatem plurium DD.

Similitèr notandũ, quòd docet idem Doctor in præfatione dicti tractatus .ſ. quod ad acquiſitionem cuiuſque ſcientiæ, maximè Theologicæ humilitatem, ſuiq; cognitionem non minus in Magiſtro, quàm in Studente prærequiri.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An proteſtatio generalis, vel ſpecialis de Fide inferat; quòd proteſtans errauerit: idemque quæritur de reuocatione conditionali.

REſpondetur negatiuè ad vtraque quęſiti partem: primò, nam homo quantumcunque fidelis dicere poteſt; proteſtor, quod nihil intendo dicere, nec putò dixiſſe contra Fidem; & ſi oppoſitum contingeret,vel contigiſſet illud ex nunc reuoco, vel retracto: Vnde non ſequitur librorum Editores ob proteſtationem: vel conditionalem reuocationem eſſe, vel fuiſſe de errore notatos. ità *Ioan. Gerſon. tract. de poteſtat. circa materiam Fidei, conſideratione 2.*

Secundò, quia proteſtatio generalis de Fide ſtare poteſt cum errore particulari circa eam: nam ſecundum etiam Ariſt. contingit aliquid ſcire in generali; & illud vel neſcire, vel de illo in ſpeciali dubitare: exem.gr̃a, cõtingit,vt aliquis Hæreticus credat, quòd Fides Catholica eſt vera; & pro huius defenſione mori vellet: qui nihilominus in ſpeciali teneat pertinacitèr aliquid contra ipſam. *Gerſon. loc. cit. conſideratione 3.* Vndè,ſi vult iuſtificari (cognito contra Fidem Catholicam errore) requiritur ſpecialis proteſtatio de Fide, & abſoluta erroris reuocatio.

Dixi ſpecialis, quia nulla proteſtatio, aut reuocatio omnibus Catholicis communis ſufficit; ſicut nec ſufficit reuocatio conditionalis, quæ nihil ponit .ſ. reſpectu illius, qui in Fide particularitèr, & explicitè errauit. *Gerſon. loc. cit. conſid. 9.*

Verùm proteſtatio ſpecialis de Fide: & abſoluta reuocatio ſpecialis non fit neceſſariò ab illo; qui neſcientèr in Fide errat: nam nullus mentiri tenetur: neſcientèr autem errans, ſi diceret ſe errare; mentiretur ſtante tali conſcientia. Cõſtat exẽplo D. Auguſt. qui multa prius neſcientèr errata; poſtmodum abſolutè correxit ſub nomine retractationis; vel alio æquiualenti modo: v. g. temerè dictum eſt, minus

minus conſideratè; hoc improbo; hoc non approbo, *Aug. ad Vincentium. 34. quaſ. vlt. cap. fin. & Gelaſius ibidem quæſ. 2. cap. Negatur.*

DIFFICVLTAS II.

An errent tum Magiſtri, tum Diſcipuli; qui exponendo concluſiones theologicas certiſſima credulitate firmas: ex. gr. Deus eſt Omnipotens; Deus eſt Trinus, & vnus: proximus eſt diligendus &c. in præfatione, huiuſmodi faciunt proteſtationem: nihil intendo aſſerere, ſed tantummodò diſputatiuè loqui.

Reſpondetur ipſos errare manifeſtè: nam huiuſmodi proteſtatione deſignant has infallibiles concluſiones tantùm probabilitatē habere: vel circa ipſas aliquam ſuboriri difficultatem: ità *Gerſon. tract. de proteſt. circa materiam Fidei, conſid. 3.* nam vtrunq; error eſt.

Vndè addit huiuſmodi Magiſtros, vel Diſcipulos nedum irridendos, ſed corripiendos. videto *Lucernam Inquiſit. in addit.*

Verùm huiuſmodi proteſtatio ab Aduerſario veritati firmiſſimę contradicente legitimè, & congruentiſſimè fieri poterit; ſi interdùm circunſtantiæ hìc, & nunc concurrentes hoc expoſtulent, iuxta illud: *Omnia tempus ſuum.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Cum de phyloſophica quæſtione agitur quid à Magiſtris, & Diſcipulis in phyloſophia conſiderandum eſt.

Reſpondetur nō modo conſiderandum eſſe, quid alij ſenſerint, etiam ipſe Ariſt. vel propriè Scholæ Magiſter; ſed etiam conuertendi ſunt mentis oculi ad abſolutam Dei potentiam, ad myſteriaq; Fidei; & tunc illa eſt eligenda, quæ theologiæ conformior exiſtit; quæ poſteà etiam rationi magis conſona inuenietur: ex. gr. quæſ. eſt de materia prima, vz. an ſit ſimplicitèr pura potentia abſque vllo proprio actu: vel è contra habeat actum exiſtentiæ proprium, in potentiaq; ad ſpecificum; potius ſequi debes ſententiam aſſerentium illam habere actum exiſtentiæ proprium, quàm oppoſitam; quia ſic nulla ſequitur impoſſibilitas à parte potentiæ abſolutæ Dei; quin poſſit facere illam exiſtere cum ſolo proprio actu exiſtentiæ abſque ſpecifico, ad quem ordinatur; itemq; nulla ſequitur impoſſibilitas, ſeu contradictio à parte rei, nempè, quod exiſtat actu ſuo naturali, & non exiſtat: adhùc .n. eſt extra nihil; quare ſequitur eſſe quoque conformiorem Theologię, vtpotè conſonam omnipotentiæ Dei, rationiq; naturali: itèmq; ab implicatione contradictionis ſe elongantem. faciunt tradita à *Coſmo Phyliarco de Officio Sacerdotis part. 3. lib. 24.*

DIFFICVLTAS II.

Cum de theologica quæſtione differitur, quid à Magiſtris & Diſcipulis huius facultatis notandum erit.

Reſpondetur in primis notandū eſſe, quod abſque neceſſitate non ſunt multiplicanda miracula; Vnde, quæ vni miraculo tribui poſſunt; duobus non tribuantur; cuius ratio eſt, quia quemadmodum Deus non deficit in neceſſarijs; ità non abundat in ſuperfluis: quare dum hæc regula non ſeruatur; dupliciter errare contingit: nam aliqui, vt difficultates ſoluant; facile omnia miraculis aſcribunt: Alij nolentes quicquam miraculo aſcribere; rei naturā peruertunt, ac deſtruunt: v. g. eſto, quòd ſpecies panis ſacramentalis iam à quingentis annis aliquibus in locis permaneant; vt notat *Coſmus Phyliarcus loc. ſup. cit.* Quæro, quomodò ſub illis Chriſti corpus remaneat, an vi ſpecierum, vel miraculi? ſi ſentias vi miraculi; vnum eſt miraculum: ſi verò vi ſpecierum; duo ſunt .ſ. miracula: alterum eſt, quòd tot annis perſeuerent propria panis accidentia; alterum, quòd dimenſiones ſint illæ eędē; quæ iam tot annis extiterant, nō obſtante corruptibilitate quantitatis: Vndè potius tenendum eſt ibi ipſas remanere vi miraculi, quàm vi ſpecierum.

Verùm ſciendum eſt Deum interdum miraculoſum effectum oſtendere: rationem verò, ac modum, nobis ad exercitium relinquere còntemplanda. ità ex *Coſmo Phyliarco vbi ſupra.*

DIFFICVLTAS III.

Ad quid teneantur Lectores phyloſophiæ publicè illam profitentes ratione dictæ lecturæ, remiſſiuè 4. par. lib. 25. diſt. 2. par. 2. art. 4. diff. 1.

DIFFICVLTAS IV.

An errores Priſcorum Phyloſophicorum contra Fidem Cathol. hæreſes dici poſſint, remiſſiuè loc. ſup. cit. diff. 2.

DISTINCTIO QVINTA.

De diſcrimine Fidei Chriſtianæ Hæreticorum, & Catholicorum.

Pænès hanc diſtinctionem quatuor complectemur articulos, quorum

Altero manifeſtatur qualis ſit Hæreticorum credulitas.

Altero oſtenditur quale malum ſibi cauſet, qui tenet Fidem Catholicam eſſe falſam, aut Scripturam Sacram.

Tertiò demonſtratur qualis ſit Fides Catholicorum informis.

Quartò, an Catholicorum collectio ſecta dici poſſit.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An credulitas Hæretici aliquem articulum Fidei diſcredentis reſpectu aliorum, quos credit, ſit virtus.

Ratio difficultatis eſt, quia quemadmodum Fides informis fidelis Catholici, vt infra probabitur, eſt virtus: ità credulitas informis Hæretici reſpectu articulorum Fidei, quibus aſſentit, videtur eſſe virtus.

Reſpon-

Reſpondetur negatiuè; ratio eſt, quia ſpecies cuiuslibet habitus dependent ex ratione formali obiecti (qua ſublata) ſpecies habitus manere non poteſt; formale autèm obiectum Fidei eſt veritas prima, ſecundùm quod manifeſtatur in Scriptura Sancta, & in doctrina Eccleſiæ: Vndè quicunque non inhæret doctrinæ Eccleſiæ, ſicut infallibili,& diuinæ regulæ; Fidei habitum minimè habet; ſed tenet ea,quę ſunt Fidei aliter,quam per Fidem. Quo fit, vt etſi Hæreticus habeat aliquam illuminationē reſpectu verorum articulorum, quos credit: & itèm aliquā habilitatem ad illos credendos: attamen tàm illa illuminatio, quàm credulitas non habent dici virtus: quia nec potentiā rectificant, nec vigorant: non rectificant potentiam; quia non captiuatur intellectus eius plenè in obſequium veritatis ſummæ: item non vigorant, quia per illas non reſpuitur falſitas veritati oppoſitam; quæ ambo deſiderantur ad hoc, quòd habitus ſortiatur nomen, rationemq; virtutis. Nec obſtat ſimilitudo de Fide informi,quæ eſt in malis Chriſtianis; quia ipſi aſſentiunt primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia, in eorumq; habitu Fidei informis eſt rectificatio,& vigor,quales conditiones nō habet credulitas Hæreticorum: Vnde ſola Fides Catholici, qua creduntur omnes articuli Symboli Apoſtolici: & qua etiam reſpuuntur omnes errores,& virtus. ità *D. Bonauentura 3. ſententiarum diſt. 23. art. 2. quaſ. 1. ad 4.*

Item Fides illorum, qui ſolummodò aſſentiunt veritati Fidei humana perſuaſione moti, vtpotè propter amorem, vel reuerentiam dicentis: vel ob miracula euidentia moti non eſt virtus, vt docet *Pelbartus in Roſario theologiæ tom. 2. verb. Fides. § 4. cum alijs Theol. eodem ver.*

DIFFICVLTAS II.

An Hæreticus voluntariè diſſentiens vni articulo Fidei totam Fidem Catholicam perdat. Hæc quæſtio ex præcedenti pendet, eſtq; eius affinis.

Ratio difficultatis eſt: quia hæreſis dicitur contraria Fidei non quidem in toto; ſed in parte ad differentiam apoſtaſiæ à Fide; quæ in toto ab ipſa recedit.

Reſpondeo affirmatiuè, cuius ratio eſt, primò,quia Fides eſt vna, & indiuiſibilis. Secundò,quia vnius articuli diſſenſus ęquè repugnat Fidei, ac quodlibet peccatum mortale charitati; ſed quodlibet mortale totalitèr repugnat charitati adeò, vt ipſo præſente ipſa non maneat: ergò etiam diſſenſus cuiuslibet articuli Fidei tantùm repugnat ipſi Fidei, vt tota Fides perdatur. Tertiò, quia vna ſola eſt ratio credendi .s. quia ſic dicit Deus per Eccleſiam ſuā, vt notat *Tolet. lib. 4. cap. 1. nu. 6.* Quartò, quia in propoſito verificatur illud Iacobi: *Qui peccauerit in vno .s. articulo, factus eſt omnium reus, ideſt totam Fidem .s. infuſam perdit*: nam reſpuitur à Deo,& ab Eccleſia non minus,ac ille,qui plures articulos diſcredit. faciunt,quæ habent *Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 15. Paulus 1. ad Thimotheum 1. c. S. Thom. 2. 2. quaſ. 5. art. 3. D. Auguſt. lib. 4. contra Donatiſt. c. 8. Synaxis cura animarum Iulij Calui, vbi de Fide*: cuius ratio eſt: quia Hęreticus propriæ innititur volūtati.

Verùm dices N. poſt diſsēſū alicuius articuli eodem modo aſſentitur reliquis Fidei articulis, ac antea aſſentiebatur: ergò non eſt verum ex diſſenſu voluntario vnius articuli totalitèr fidem amitti. Reſpondeo diſtinctione, duplex eſt Fides,altera infuſa, & eſt illa, de qua eſt ſermo;altera verò acquiſita: argumentum procedit de acquiſita,quę remanet,ſicut prius, licèt diſcredam alicui articulo Fidei; ſecùs dicendum eſt de infuſa,quæ perditur totalitèr ex negatione alicuius articuli. Itèm notandum, cum dicitur perdi Fidem totam per diſſenſum alicuius articuli, ſicut loquimur de Fide formalitèr: ità etiam loquimur de hæreſi formalitèr: nam hæreſis ſolummodò materialis nō pugnat contra Fidem: ſicut nec error Gentilium ſolummodò materialis. legendus eſt *Ferdinandus tract. 4. diſp 2. punc. 2. per totum, Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 1. dub. 1. nu. 20.* qui doctè addit in Hæreticis nō reperiri ſpem: ſperamus enim,quæ credimus; ſpes autem nō poteſt eſſe ſine Fide, vti docet etiam *Auguſ. in Enchiridio cap. 7. & 8.* adeò, vt illorum ſpes ſit præſumptio. Nec obſtat reperiri in Hæreticis credulitatem reſpectu eorum articulorum, quos amplectuntur: quia talium credulitas nō eſt Fides ſupernaturalis, qualis requiritur; ſed naturalis, ſicut eſt illa Dęmonum; de quibus Iacobus cap. 2. ità proloquitur: *& Dæmones credunt,& contremiſcunt.*

DIFFICVLTAS III.

Differunt ad inuicem Fides, quæ eſt in Hæretico, & in verè Catholico.

Reſpondetur affirmatiuè; primò, quia illa Hæretici eſt acquiſita, hoc eſt præciſè credulitas humana: ſicut eſt credulitas (vt vtar verbis Philippi Fabri aduerſus impios Atheos *diſp. 4. cap. 3. nu. 70.* ad mentem Scoti) quòd Oceanus ſit, citatq; *Molinam 1. part. quaſ. 32. art. 1.* Hacq; credulitate Hæreticus poteſt exire in actum Fidei.

Fides verò, quæ eſt in verè Catholico eſt infuſa: verùm ſola Fides infuſa de lege ordinaria in adulto mentis compotè non ſufficit; ſed requiritur quoque Fides acquiſita: & ratio eſt, quia ex ſola Fide infuſa de lege ordinaria nemo exire poteſt in actum credendi: Vndè ſi puer baptizatus nutriretur inter Infideles: nullamq; haberet doctrinam de credendis; in dictum actum minimè exiret.

Differuntq; in Trib. Fides acquiſita ab infuſa: primò, quia Fides acquiſita, licèt non habeat euidentiā ex terminis: habet tamen euidentiam aliquam, nimirùm per auditum,& teſtimonium aſſerentium: Vndè res creditæ per hanc Fidem dicuntur eſſe aliquo modo præſentes per teſtimonium aliorum,quibus credimus: Fides verò infuſa inclinat ad credendum

ea, quæ non habeat euidentiam ex terminis.

Secundò, quia Fides acquiſita interdum falſa eſſe poteſt; quia innititur teſti, qui deficere poteſt: Fides verò infuſa nunquam falſa eſſe poteſt ſemper inclinando ad actum verum; cuius ratio eſt, quia dirigitur lumine ſupernaturali.

Tertiò, quia per Fidem acquiſitam cognoſcit quis Fidem habere: itemq; habere actum credendi: per Fidem autem infuſam nequaquam: quia ſi quis cognoſceret ſe habere actũ credendi ſecundum Fidem infuſam; cognoſceret ſuum actum credendi eſſe verum: nullus autèm experitur ſe habere huiuſmodi actũ infallibilitèr verum. ità colligitur ex *Philippo Fabro loc. cit. nu.* 71.

Differunt ſimilitèr ad inuicem Fides acquiſita Hæretici ab illa Catholici: quia Hereticus, vt ſupra innui, innititur teſti, qui errare poteſt: v.g. Luthero, Caluino &c. Catholicus verò innititur Eccleſiæ à S. Sancto edocte, quę errare non poteſt. Hinc *D. Auguſtinus cit. à Fabro, vbi ſupra nu.* 67. ità proloquitur: *Ego Euangelio non crederem; niſi me Eccleſiæ Catholicæ auctoritas compelleret.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Quale malum ſibi cauſat, qui tenet Fidem Catholicam: aut Scripturam Sacram eſſe falſam.

RESpondeo, quòd adimit ſibi regulam, per quam habet dirigi, aut reuocari ab infidelitate; Vnde tali non adeſt aditus ad ſalutem, dum perſeuerat in tali ſtatu. Idem ſentiendum de illo, qui recipiendo Fidem Catholicam, Sacramq; Scripturam deuiat à ſenſu, quam ipſa ſequitur ſequendo contrarium: idem ſimilitèr ſentiendum de pertinaci contra Catholicam Eccleſiam; vnde quantumcũque poſteà clamet: peto iudicium Eccleſiæ, vel Sacri Concilij, huic me ſubmitto, hanc audio, non auſcultatur; Verùm Inquiſ. iſti reſpõdere poſſet: quod iam diffinitum eſt, diffiniendum non expectes. ità ex *Ioan. Gerſone in tract. circa materiam Fidei conſiderat.* 10. *nu.* 8.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Fides informis, quam habet Chriſtianus Catholicus in mortali exiſtens ſit virtus.

REſpondẽ affirmatiuè primò; quia per talem habitum Fidei quodammodò rectificatur hominis voluntas; dum captiuatur in obſequium Chriſti ad aſſentiendum primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia. Secundò, quia item per huiuſmodi Fidei habitum vigoratur hominis voluntas; vt credat nõ apparentia, quales ſunt articuli Fidei: & vitet hæreticas prauitates, claret in multis in mortali detentis. Tertiò, quia idem eſt habitus Fidei informis, & formatæ: nam idem numero habitus, qui per charitatem dicebatur Fides formata; charitate abſente, dicitur Fides informis. ità *Pelbartus in Roſario Theolog. tom.* 3. *verb. Fides primo.* §. 3. & 5.

Verùm aliqua veniunt notanda pro maiori cognitione. Primum eſt, quod duplex eſt Fides informis; altera virtuoſa, altera verò omni carens virtute: virtuoſa eſt theologica formalitèr exiſtens in intellectu viatoris etiam extra charitatem exiſtentis, inclinans, vt dixi ſupra, ad aſſentiendum voluntariè primę, & ſummæ veritati propter ſe, & ſuper omnia. Secunda verò eſt tantùm quædam credulitas de credibilibus Fidei noſtræ quadam neceſſitate, & coactione per euidentia miracula, & experimẽta extorta; de iſta dicitur: & Dęmones credunt, & contremiſcunt. ità *Brulifer. in 4 diſt.* 1. *par.* 2. *quaſ.* 1.

Alterum, duplex ęſt item dubitatio circa Fidem, altera vincens, trahens in oppoſitum, & ſtans cum hæreſi; & perindè omni virtute caret; altera eſt admirationis; & iſta ſtat cum Fide, & ſubindè cum virtute. ità *Brulefer ſuper ter. ſent. Seraf. Doc. diſt.* 23. *art.* 1. *quaſ.* 3. *ibi duplex dubitatio.*

Tertium, Fides licèt diuidatur in perfectam, & imperfectam; tamen Fides à charitate ſeiuncta non dicitur imperfecta; quia in ſe res aliqua imperfecta ſit; cum ſit habitus ſupernaturalis perfectiſſimus: ſed quia caret perfectione, ad quam ordinatur: cum .n. Fides ordinetur ad beatitudinem: & ſine charitate illam conſequi non poſſimus; efficitur ſine ipſa imperfecta; qua ratione dicit *D. Paulus* 1. *Cor. cap.* 13: *quodlibet donum ſine illa nihil eſſe.*

Huiuſmodi autem habitus Fidei ſiue cum charitate, ſiue ſine illa eſt duplex .s. practicus, & ſpeculatiuus, & vtroq; modo ęſt virtuoſus: eſt ſpeculatiuus quatenus inclinat ad aſſenſum merè ſpeculatiuum rerum cognoſcibilium: v.g. ad credendum Deum eſſe trinum, & vnũ; eſt verò practicus, quia inclinat ad credendum res operabiles: ex.gr. ad caſtè viuendum, temperatè comedendum, ad benefaciendum &c. ſic *Caiet.* 2 2. *quæſ.* 4. *art.* 2. & *Bannes ibi, cum D. Thom. Valentia diſpu.* 1. *qu.* 4. *punc.* 2. *Ferdinandus par.* 1. *tract.* 4. *diſput.* 1. *punc.* 6. *nu.* 1.

DIFFICVLTAS II.

Cur habens Fidem certus eſt ſe illam habere: habens verò charitatem nequit ſcire illam ſe habere iuxta illud Eccleſ. cap. 9. Nemo ſit vtrum amore, vel odio dignus ſit.

REſpondẽ cauſam eſſe, primò, quia vnctio Spiritus Sancti docet nos de neceſſarijs ad ſalutem eo modo, quo ſunt neceſſaria: Vnde charitas, quamuis ſit neceſſaria ad ſalutem: tamen ſolummodò quo ad habere eam: non autem quo ad ſcire illam habere; fortaſsè ad remouendum præſumptionem ab hominib. & excitandum eos ad illam: Sed Fidem & habere, & ſcire, ſicut & profiteri pro loco, & tempore neceſſarium ad ſalutem.

Secundò, quia fides .s. infuſa eſt habitus purus .i. non neceſſariò coniunctus acceptationi diuinæ; cum ſtet cum peccato mortali excepto peccato infidelitatis: Charitas verò eſt habitus è contra neceſſariò coniunctus acceptationi

tationi diuinæ, quæ ignoratur. Vnde non valet arguere exiſtens in peccato mortali, poteſt certitudinalitèr hoc cognoſcere: ergò etiam exiſtens in charitate poteſt idem ſcire: nàm peccanti mortalitèr notum eſt (ſtante diuino, vel humano præcepto) quod adhæret ſuæ voluntati, relicta diuina; & ſubindè pro bono incommutabili adhærere commutabili. Exiſtenti verò in charitate ignotum eſt diuinum beneplacitum: ſeu acceptatio diuina ob ſui luminis immenſitatem. legendus eſt *Capuleus ad primum ſententiarum D. Seraphici diſt. 17. q. 3. punct. 3. per totum*, hinc inde doctrinam colligendo.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An Catholicorum collectio ſecta dici poſſit; ſicut vocatur Hæreticorum collectio.

RAtio difficultatis eſt, quia Diuus Paulus ſuam religionem, quam nos ſequimur, appellauit ſectam, ibi: Confiteor autem tibi, quòd ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim; ego &c.

Reſpondeo negatiuè, primò, quia hoc nomen (Secta) idem eſt, quod hæreſis: vnde in Sacro Codice, vbi littera Græca habet (Hæreſis) latina habet (ſecta) quare vnum eſt dicere variæ Phyloſophorũ ſectæ, ac dicere variæ Phyloſophorum hæreſes. Secundò, quia nomen (Secta) idem importat, ac nomen diuiſa; Catholicorum autem collectio, cætusuè ſecta minimè dici poteſt; cum non ſit in varias partes diuiſa; ſed vna, eademq; ſemper integra perſeuerat. Tertiò, quia Corpus Chriſti myſticũ, quale ſunt Catholici, vnum eſt non minus, ac Corpus Chriſti reale; quo fit, vt Catholici non poſſint vocari Sectarij. i. in plures diuiſi partes, quemadmodum meritò vocantur noſtrorum temporum Hæretici. Nec obſtat Paulum religionem Catholicorum ſectam appellaſſe; quia dictio illa (Secta) non ſumitur ibi pro rè diuiſa: ſed pro via, ac doctrina Chriſti.

Reſpondetur itaque diſtinctione, quòd dupliciter ſumi poteſt nomen ſecta, .s. propriè, vel impropriè: propriè idem valet ſecta, ac diuiſa: & hoc modo Catholicorum collectio vocari non poteſt ſecta, quia non ſunt diuiſi circa credenda: alio verò modo idem valet, ac via, & doctrina, & ſecundum hunc ſenſum Catholicorum collectio vocari poteſt ſecta; cum ſequatur verè Chriſti viam, ac doctrinam. legẽ traditam eſſe nouimus rebus .i. perſonis, non verbis, *l. Vnica, C. Communia*.

DIFFICVLTAS II.

Chriſtianis cur non liceat ſectam eligere.

REſpondet *Pegna loc. inf. cit.* quia cum lex mandata ſit ab Omnipotenti Deo per Ieſum Chriſtum Filium eius, non autèm ab hominibus electa; hinc, qui aliam Fidem, aliamq; doctrinam eligit, meritò Hæreticus eſt, & infamis habetur. Quare circa ea, quæ ad Fidem ſpectant; nihil Chriſtianis pro eorum arbitrio eſt eligendum; ſed quæ diuinitùs tradita ſunt, illos ſequi oportet.

Ipſi namque Apoſtoli nequaquam aliquid, quod inducerent, ſuo arbitrio elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fidelitèr Nationibus tradiderunt. Itaq; etiamſi Angelus de cęlis alitèr euangelizaret, anathema à nobis haberi deberet. *Peg. par. 2. Comm. 26. ſub litt. E. poſt Tertullianum in lib. de Præſcript. aduerſus Hæreticos: Iſidorum Etymolog. lib. 6. cap. 3.* Vndè ſequitur Religionem Chriſtianam, Euangelicamq; doctrinam, neque hæreſim, neque ſectã appellari poſſe: tum quia non eſt Commentũ, aut inuentum noſtrum; cum eam habeamus ex diuina reuelatione, & traditione: tum quia Chriſtiana Religio Catholica, & vniuerſalis eſt, ad omnes æquè pertinens; omneſq; eam omni tempore tenuerunt, ac tenent; qui de Deo, diuinaq; veritate rectè ſenſerunt: hæreſis autèm, & ſecta priuatam diſciplinam ſignificant, quam quiſq; ſibi eligit: ità ex Pegna loc. cit. propemodum in proprijs terminis.

DIFFICVLTAS III.

Confeſſarius quando occaſio ſe illi offert alicuius in Fide debilis, ſeu dubij; quomodò ſe geret.

SVppoſita Prælatorum diligentia in excolẽdo agrum ſuarum Eccleſiarum; ne naſcantur, vel ſuccreſcant zizaniæ hæreſum: demptiſq; ſcrupulis, circa ea, quæ ſunt Fidei, quibus interdum etiam iuſti anguntur; cenſeo pœnitentem edocendũ eſſe tàm debilitatem, quàm dubietatem exoriri ob peccata, quibus lumen diuinæ influentiæ præpeditur, iuxta illud *Iob. 24. ipſi facti ſunt rebelles lumini*; ſed præcipuè ob ſuperbiam, qua homo præſumit ſe, omne intelligibile ſupra ſe, ſuo ingenio naturali poſſe intelligere; cum tamen ſecundum *Aug. ſup. Ioan. Credere ſit ianua ad intelligere*, iuxta illud *Iſa. Si non credideritis, nõ intelligetis*; vnde idem Doctor *in lib. Confeſſionum*, ſic proloquitur de ſe ipſo reſpectiuè ad tempus, quo erat Manichęus: *tumore meo, .i. ſuperbia ſeparabar à te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos, & & Cirillus lib. 2. in Euang. Ioan.* Nemo abſque illuminatione ſpiritus veritatem cognoſcere poterit: nec diuina dogmata humana virtute conſequi: excedunt enim mentem hominis Fidei Chriſtianæ myſteria, ingenſq; donum eſt Chriſtũ cognoſcere: Nec à credulitate ipſorũ excuſatur quis ratione altitudinis credendorũ: quia ea, quæ ratione inueſtigari non poſſunt; Fide tenenda hominibus proponuntur, vt probat *S. Thomas contra Gent. cap. 7.* & notat *Bernardus Lutzenburgus in Catalogo Hæreticorum lib. 1. cap. 2.*

Item doceat, quod peccatum impuritatis .s. carnis, maximam habet affinitatem cũ hæreſi ex *D. Chryſoſtomo in illud Apoſtoli*: *impoſſibile eſt* (inquit) *impoſſibile profectò, ſi vitam impuram habeas, in Fide non vacillare*: Quare ſi vis in Fide perſeuerare, te oportet prius perſeuerare in pugna contra carnem: quod potiſſimè notat *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. quæſ. 2. cap. 6.*

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS II.

LIBER XIII.

De communione Catholicorum cum Hæreticis, Iudæis, & Gentilibus.

Pro abſolutione primi caſus Edicti S. Officij viſis tractatibus de Hæreſi, & Hæreticis omnibus modis, quo nobis conueniebat conſiderari .s. reſpectu tum pœnitentis, tum Confeſſarij: item de criminibus, quæ cum hæreſi cognationem habent: ac de virtute ipſis oppoſita, vz. de Fide Catholica; nunc ſupereſt, vt primò dicamus de communione; quam nos Catholici cum Infidelibus in genere habere poſſumus; ſed in primis agam de communione cum Hæreticis; maximè ad hoc impellente vicinitate, ſeu potius neceſſitate vicinitatis locorum; eſt .n. Ciuitas Bergomi, vbi laboro, ex altera parte in confinio Hæreticorum. Secundò, agemus de communione cum Iudæis, & Gentilibus, qui magis diſtant à Ciuitate Bergomen.

Multis autem modis poteſt attendi huiuſmodi communio cum Hæreticis.

Primò, reſpectu Sacramentorum.

Secundò, reſpectu aliarum rerum ſpiritualium .s. Sacramentalium.

Tertiò, reſpectu ciuilis conuerſationis.

Quartò, Principum ad ſubditos.

Quintò, ſubditorum ad Principes.

Sextò, de Principibus reſpectiuè ad ſubditos tàm Catholicos, quàm Infideles, ſumpta infidelitate in genere.

DISTINCTIO PRIMA.

De communione Catholicorum cum Hæreticis reſpectu Sacramentorum.

Diuiditurq; in ſex articulos.

Primus reſpicit communionẽ in Baptiſmo.

Secundus, in Sacramento Pœnitentiæ.

Tertius, in Euchareſtia.

Quartus, in Sacramento Matrimonij.

Quintus, in alijs Sacramentis.

Sextus denique oſtendit à quo abſolui poſſit; qui habuit taliter commercium cum Hæreticis.

Sumitur interdum iſte terminus .s. Hæreticus largè, & idem eſt, ac terminus Infidelis: continetq; ſub ſe Iudæum & Gentilem: interdum verò ſumitur ſtrictè, vz. quatenus condiuiditur à Iudæo, & Gentili; & hoc modo accipitur in præſenti diſtinctione. Gentilis autem dicitur, qui ſic eſt, qualis eſt genitus; ſicut eſt omnis Infidelis qui non eſt regeneratus Baptiſmo, Abbas in cap. Nouit ille, de Iudic. Locatus in Iudiciali Inquiſitorum, verbo Gentilis. *Nomen verò Iudæi ſumitur largè, prout comprehendit Hæbreos, Iſraelitas, ac cæteros omnes quouis nomine nuncupatos; qui præciſè ſequuntur legẽ Moyſis.*

Secatur hæc diſtinctio in quatuor articulos.
Quorum primus reſpicit communionem reſpectu Sacramenti Baptiſmi.
Secundus reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ.
Tertius reſpectu Sacramenti Euchariſtiæ.
Quartus denique reſpectu Sacramẽti Matrimonij, aliorumq; Sacramentorum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An ab Hæreticis Baptiſmi Sacramentum petere liceat: ſupplendæq; ſint cærimoniæ Eccleſię Catholicæ in Hæretico iam baptizato; qui ad Catholicam Fidem ſe conuertit.

AD primam particulam difficultatis reſpondetur non licere extra neceſſitatis caſum; ratio eſt, quia licèt Hæretici verum Baptiſmum adminiſtrent, ſi adhibeant debitam materiam, & formam cum intentione baptizandi; tamen, cum Baptiſmum poſſimus petere à Catholicis; impium & ſcandaloſum eſt confugere ad Hæreticos.

Dixi extra neceſſitatis caſum: nam ſi foret vrgens neceſſitas: minimèq; adeſſet Catholicus, qui Baptiſmum conferret; illum ab Hæretico accipere licèret; vti benè docet *Becanus in compend. de Controuerſijs huius temp. lib. 5. cap. 8.*

Ad ſecũdam reſpondetur diſtinctione: poteſt enim hæc pars duplicitèr intelligi, videlicèt; vel quòd cærimoniæ ſint ſupplendę de neceſſitate Sacramenti: aut tantùm de neceſſitate præcepti: ſi primò modo intelligatur falsũ eſt, quod ſint ſupplendæ: tum, quia, vt ſupra dictum fuit, verum, & validum eſt Sacramentũ Baptiſmi ab Hæreticis impertitum: tum ne oriatur ſuſpicio apud fideles, aut infideles Baptiſmũ eſſe reiterabile: ſi autèm ſecundò modo intelligatur; verùm eſt, quòd ſunt ſupplendæ: patet ex *Rituali nouo de Baptiſmo Adultorũ,* pręcipiẽs in adultis ſupplẽdas eſſe cęrimonias.

DIFFICVLTAS II.

An Catholicis filios Hæreticorum de Sacro Baptiſmatis fonte ſuſcipere liceat.

REſpondetur licere in loco, vbi Catholici cum Hæreticis commixti ſunt; ratio eſt, quia Catholici nõ tenentur vitare Hæreticos, niſi ſint nominatim denunciati: aut Clericorũ notorij percuſſores; quòd dicitur ad differentiam illorum; qui ſunt tantùm generalitèr excommunicati.

Verùm hoc intelligitur ſolùm pro loco; vbi Baptiſmus ritu Catholico adminiſtratur; non autem ritu Hæretico, aut Schiſmatico. ità *Nauar. lib. 1. Conſil. conſ. 1. de Conſtit. num. 66. Azorius loc. infra cit.* Non licèt tamen vllo modo Catholicis admittere Hæreticum in patrinum filiorum ſuorum; nam etſi factum teneat: peccatum tamen eſt Eccleſiæ lege interdictum: qui enim ſacro fonte aliquem ſuſcipit iuxta Eccleſiæ Canones, Decreta, & Mores; docere debet ſuſceptũ prima Fidei; & religionis Chriſtianæ elementa, & præcepta. Ità *Nauar loc. cit. & Azor. 1. par. lib. 8. cap. 11. ibi quintò quæritur.* Hæretici autem patrini, quam doctrinam ſuſceptis filijs traderent, niſi qua ipſi prius imbuti fuerunt? nemo dat, quòd non habet, *l. Nemo poteſt, ff. de Reg. iur.* nunquid ex tenebris lux? legendus eſt *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. dub. 2. nu. 8. Ledeſma tom. 2. Sum. tract. 3. cap. 12. concl. 11. diff. 3. Sanchez lib. 2. Oper. mor. c. 9. n. 11.*

DIFFICVLTAS III.

Confeſſarius ſimplex an pœnitentem, qui ſuſcepit filium Hæretici de ſacro fonte; abſoluere poſſit.

RAtio difficultatis eſt ea, de qua præcedens difficultas; quia .s. cum Hæreticis ratione excommunicationis commercium interdicitur; & ab illa dependet, nimirùm, ſi fas eſt Catholico filium Hæretici de ſacro fonte ſuſcipere.

Reſpondeo ſuppoſito, quòd Hæreticus, cuius filius de fonte ſacro leuandus eſt; ſit tantummodò generalitèr excommunicatus: & quòd in loco Baptiſmus adminiſtretur ritu Catholico; poterit vtiq; Confeſſarius excipere confeſſionem iſtius: quia Patrinus in hoc nullum commiſit peccatum; nam (vt ſuperius diximus) nullo iure interdicitur Catholicum eſſe Hæretici Patrinum. ità DD. ſupra relati præcedenti difficultate. Cæterùm, ſi pœnitens leuauit de fonte ſacro puerum Hæretici nominatim excommunicati: aut ſuſcepit puerum, vbi Baptiſmus adminiſtratur ritu Hæretico, aut Schiſmatico; iuxta tradita in præcedenti difficultate; illum interrogare debet, quo motiuo ipſum leuauit: quid ſentiat de ritibus Hæreticorum, & alia id generis; ne temerè mittat falcem in meſſem alienam, & regularitèr ſimplices Confeſſarij, (dempto articulo, aut periculo mortis) debent doctioribus difficiliora remittere: nam attẽdere debent, quòd fieri debet, non quod fit, *Extra. de Elect. c. Cum cauſam,* itèm, quòd melius eſt pauca cautè agere, quam multis intereſſe periculosè, *in Auth. de Tabellio. circa medium col. 4. &c. lege Doct. cit.* in præcedenti difficultate immediatè ſuperiori.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Catholicus ab Hæretico in extremo vitæ periculo Pœnitentiæ Sacramentum percipere poſſit.

DVas de hac difficultate opiniones reperio, quarum altera eſt negatiua, altera affirmatiua: negatiua his innititur rationibus. Prima, Baptiſmus, quia eſt ſimplicitèr, & abſolutè neceſſarius: ideò poteſt quiſque illum à quolibet ſuſcipere etiam Iudęo, Gentili, & Hæretico, ſiue denunciato, ſiue non: Pœnitentiæ verò Sacramentum non eſt ſimplicitèr re ipſa neceſſarium; quia poteſt recuperari ſalus per verè cordis pœnitentiam: ideò nec in articulo mortis poteſt ſuſcipi ab Hæretico; cum ſatis ſit, vt quemque ſui peccati ſatis pœniteat inſtante mortis periculo.

Secunda, quia Hæreticus Sacerdos extra Eccleſiam eſt omni iuriſdictione Eccleſiaſtica ad abſolutionem peccatorum requiſita, priuatus; & extra illam peccatorum remiſſio non eſt: ideò à Presbytero Hæretico non eſt procuranda ſalus; licèt pœnitens exiſtat in dicto articulo.

Tertia, quia *in c. Arianos* 1. *q.* 1. legī Hæreticos ſolummodò Baptiſmū poſſe conferre: cū ſit Sacramentum non voluntatis, ſed neceſſitatis; quod etiam patet in *cap. Verbum de Pœnitentia, diſtinct.* 1. Hanc opinionem ſequitur *Sotus in 4. diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 4. *Sylu. ver. Confeſſor.* 1. *quæſito* 20. *Nau. in Man. c.* 26. *nu.* 26. *Coar. in c. Alma mater, par.* 1. §. 6. *nu.* 8. *& alij*.

Opinio affirmatiua nititur potiſſimùm his rationibus. Prima, eo quòd Pœnitentiæ Sacramentum eſt neceſſarium his; qui poſt Baptiſmum ſunt prolapſi in peccata mortalia; potiſſimùm, quia non eſt in poteſtate hominis habere donum contritionis extra Sacramentum.

Secunda, quia, cum hæc impotentia nota ſit Eccleſię, probabile eſt, vt de huiuſmodi remedio in ſtatu illo extremo prouiderit peccatori, relinquendo .s. ei facultatem confitendi ſua peccata cuilibet Sacerdoti; licèt Hæretico, & nominatim denunciato, vt notat *Trullench in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 2. *nu.* 6. *Sanchez lib.* 2. *Oper. moral. cap. num.* 3. *Suarez tom.* 5. *diſp.* 9. *ſect.* 2. *nu.* 10., *& de Fide, diſp.* 22. *nu.* 6.

Verùm extra illam neceſſitatem malū eſſet ſuſcipere Sacramenta ab Hæreticis, etiam non declaratis nominatim excommunicatis ratione ſcandali, aut periculi, cui ſe exponeret.

Sequens hanc ſententiam talitèr ſatisfaciet rationibus negatiuè. Ad primam .s. quòd Sacramentum Pœnitentiæ non eſt ſimplicitèr neceſſarium; cum poſſit pœnitens recuperare gratiam per contritionem; reſpondetur vti ſupra, quòd extrà Sacramentum nimis difficilè, & incertum, vt pęnitens illam conſequatur.

Ad ſecundam, .s. de carentia iuriſdictionis in Sacerdote Hæretico; reſpondetur, quòd eam illi non ſubtrahit Eccleſia reſpectu Pœnitentis in articulo mortis.

Ad tertiam, vbi dicitur ſolum Baptiſmum Hæreticos poſſe conferre; cum ſuſcipiatur ratione neceſſitatis. Reſpondeo Sacramentum etiam Pœnitentiæ in articulo mortis eſſe ad ſalutem neceſſarium; ſi pœnitens ſit ſolùm attritus; vt ſæpius contingere poteſt.

Vtraque ſententia eſt probabilis, ſed affirmatiua probabilior, illiq; fauent plures DD. *Palud. in 4. diſtin.* 25. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *Antonin. par.* 3. *tit.* 14. *c.* 19. *Maior in 4 diſt.* 19. *quæſt.* 1. *Angelus ver. Confeſſio* 3. *nu.* 2. *Roſella ver. Confeſſio* 3. *nu.* 35. *& alij*.

Foueturq; (attenta Matris Eccleſiæ pietate) quæ omnibus modis pœnitentibus, maximè in extremo vitæ periculò exiſtentibus, ſuccurrere ſtudet; aſſentit *Coar. in c. Alma mater, par.* 1. §. 6. *nu.* 8. *Piſana ver. Confeſſio* 3. 9. *& alij*.

Verùm placet aduertere (tempore concedente) quàm diligentiſsimè inuigilandū eſſe, cuius fortitudinis ſit Pœnitens: & item cuius prauitatis præter hæreſim ſit Confeſſarius; ne in re tanta error contingat.

Opinio affirmatiua ſupponit nullum adeſſe periculum ſubuerſionis: negatiua verò è contra adeſſe graue periculum; ne Pœnitens veniat ſeductus, adducaturq; ad perfidiam, & impietatem; Verùm, cum hæ opiniones procedant ex contrarijs ſuppoſitis; ipſis conciliatis, illæ etiam ad inuicem conciliantur.

DIFFICVLTAS II.

Quomodò intelligitur Hæreticos eſſe priuatos omni iuriſdictione.

NOtandum difficultatē poſſe intelligi vel reſpectu ipſorum Hæreticorum, vel reſpectu aliorum.

Reſpondeo Hæreticos, quantum eſt ex eorum parte; ipſo iure priuatos eſſe omni iuriſdictione; & ſubindè eorum acta eſſe inualida; vndè nec ligare, nec ſoluere poſſunt: *cap.* 1 *ante de Conceſſ. præbenda*: *cap. Audiuimus*. *cap. Ait Celeſtinus*: *cap. Apertè*: *& cap. Miramur* 24. *qu.* 1. Ratione autèm aliorum, cum quibus ex publico officio agunt; valent eorum acta cum illis; & ſic in aliorum fauorem illis remanet iuriſdictio neceſſaria, ſaltem quo ad poſſeſſionē; licèt quo ad ius, & titulum per hæreſim ſublata ſit: *Azor. lib* 8. *cap.* 14. *quæſ.* 7. quod procedit, tàm ſi Hæreticus eſt occultus; quàm ſi eſt publicus, & manifeſtus; dummodò ſit toleratus, & nō denunciatus: nam probabile eſt, donec toleratur in publico munere; ratione aliorum valere eius acta, *cap. Nonne*, 4. *quæſ.* 4. *Syl. ueſ. excomm.* 3. voluit enim Eccleſia, vt valerent ob bonum aliorum. Cum exiſtente autem in articulo mortis ſupponitur valere iuriſdictionem Hæretici etiam denunciati; quia Tridentinum pro articulo illo; qui ſummæ fauorabilis eſt; nullam ponat limitationem, vt ex communi tradunt Doctores. faciunt notata per *Ioannem Egidium Trullench in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 12. *per totum, Capeauillam de Caſib. reſer. par.* 1. *cap.* 7. *diff.* 7. nam valor Sacramenti per ſe non pendet ex fide, vel ſanctitate Miniſtri; ſed à Chriſto; & proindè validum eſt Sacramentum collatum ab Hæretico, aut Schiſmatico; dummodò reliqua neceſſaria eſſentialia concurrant. quod notat *Diuus Auguſtinus contra Cyprianum & Donatiſtas*; *& de verbis Domini ſer.* 11. diffinitumq; fuit in varijs concilijs; vt animaduertit *Becanus de Sacramentis in communi, quæſ.* 5. *nu.* 4. *& Faber. de Sacram. in genere cap.* 7. *nu.* 71.

DIFFICVLTAS III.

An è contra Hæretico, Apoſtatæ à Fide, & Schiſmatico liceat percipere in extremo vitæ diſcrimine Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato Catholico Presbytero; nominatim denunciato, vel notorio Clerici percuſſore.

RESpondetur affirmatiuè, ratio eſt, quia veriſimilitèr non eſt Eccleſiam dictis peccatoribus reſipiſcentibus in tàm graui periculo ſalutis, vel in minimo deficere; quin potiùs velle illis omni via ſuffragium dare; & perindè cuique Sacerdoti collatam poteſtatem ligandi, & ſoluendi ad executionem relinquere. ità *Syluеſ. ver. Confeſſor pri. quæſ. 20. & Confeſſor 3. quæſ. 6. Maior in 4. diſt. 19. quæſ. 1. Sot. in 4. diſt. 18. quæſ. 4. art. 4. Antonin. par. 3. tit. 14. Paludanus in 4. diſt. 25. quæſ. 1. art. 3. ad tertium, & alij*. Non deſunt tamen, qui oppoſitum ſuſtinent; quorum ratio eſt, quia excommunicatus omni caret iuriſdictione; quod verum eſt; ſed non pro illo articulo, aut periculo, in quib. pijſſima Mater Eccleſia omni conatu filijs ſuis ſuccurrere ſtudet. Aſſentit *Coar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 6. Piſana ver. Confeſſio 3. num. 9. & alij*.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Catholico Euchariſtiam à Miniſtro Hæretico ſumere liceat.

RESpondetur negatiuè; tum quia ſic teſtatur ſe agnoſcere Miniſtrum illum, tanquam verę Fidei Miniſtrum, quod eſt intrinſece malum. ità *Ferdinandus par. 1. tract. 4. diſp. 1. punc. 17. nu. 14. in fine*, qui ibidē teſtatur de celebrante matrimoniū per huiuſmodi Miniſtrum: tum quia Hæretici, vel non habent verum Euchariſtiæ Sacramentum ex Sacerdotum cõſecrantium defectu: vel ſi aliquando habent, quod rarum eſt; profitentur peculiarem errorem circa idem Sacramentū; nam Caluiniſtæ negant corpus, & ſanguinem Chriſti realitèr adeſſe in Sacramento: Lutherani verò concedunt quidem adeſſe; ſed ſimul aſſerunt manere ſubſtantiam panis, & vini cū ſubſtātia corporis, & ſanguinis Chriſti; Si ergò Catholici ab Hæreticis Euchariſtiam ſumerent; deſignarent fauere ipſorum errori, vt docet *Becanus de Controuerſijs huius temp. lib. 1. c. 8.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An liceat Catholicis matrimonia contrahere cum Hæreticis nondum denunciatis, nec Clericorum publicis percuſſoribus.

NOtandum eſt primò hìc minimè moueri difficultatem, ſi matrimonij contractus Catholici cum Hęretico poſtquàm celebratum eſt; teneat: quia conſtat valere, *Gloſſ. in cap. Non oportet, 28. q. 1.* & iuxta communem Theologorum doctrinam, multa prohibentur fieri, quæ facta tenent.

Secundò notandū hanc difficultatem moueri præciſè reſpectu locorum; in quibus reſpublica ciuilis commixta eſt ex Catholicis, & Hæreticis.

Difficultati reſpondetur ſic; generatim loquendo, certum eſt nō licere Catholicis cum Hæreticis matrimonia contrahere. Primò, quia eſt contra Eccleſiæ prohibitionem, *Can. Caue, & Can. Non oportet, 28. quæſ. 1.* Secundò, quia eſt ſcandaloſum. Tertiò, quia eſt admodum periculoſum; nam Catholicus, qui Hæreticam ducit ſe, ſuosq; filios ſubuerſionis periculo exponit. An verò etiam cum periculo ob publicum bonum interdum liceat, vide *Baſilium Pontium de Matrimon. in Appendice cap. 6. Dianam 3. par. reſol. 269. Sanchez in Summa, tom. 1. lib. 6. cap. 20. concluſ. 1. & 4.* vbi reſponſionem affirmatiuam habes: quia non amatur periculum: ſed illud ingens bonum publicum, ad quod ſine eo periculo perueniri nō poteſt, & peccatum caueri poteſt.

Vndè (loquendo ſpeciatìm) s. reſpectu locorum; vbi iam vſu receptum eſt, vt in Germania; multi DD. tenent licitum eſſe, vt videre eſt apud *Becanum de Controuerſijs huius temp. lib. 5. cap. 9. nu. 2.*

Primò, quia Canones illi, qui prohibent talia matrimonia; vel non ſunt recepti in illis locis: vel certè per contrariam conſuetudinem ſunt iam abrogati; conſuetudo autem moribus vtentium recepta vim habet contra legē, & Canones. ità *Azor par. 1. lib. 8. cap. 11. ibi quintò quæritur, citans Nauar. conſ. 1. de Conſtitutionibus, nu. 59 & 60.*

Secundò, quia matrimonium eſt quidam ciuilis contractus; qui ſanè celebratur non propter hæreſim; ſed propter leges, & iura amicitiæ: aut propter neceſſitatem cognationis, & generis conſeruandum: aut ad communem Reipublicæ ſtatum, & conditionem tuendam.

Tertiò, quia in illis locis ceſſat ſcandalum.

Quartò, quia fieri poteſt, vt Catholicus ſit tàm firmus in Fide; vt ſubuerſionis non ſubſit periculum: & ab initio contractus poteſt excipere, vt proles Catholicè edoceatur.

Verùm viro, ſiue fęminæ Catholicæ cum Hæreticis matrimonium contrahenti, conceſſum eſſe oportet; vt ſpontè omninò, ac tutò profiteri poſſit in omnibus Fidem, & religionem Catholicam; aliòquin iure diuino interdictus manet matrimonij contractus Catholicorum cum Hæreticis. Oportet item, vt dicta conſuetudo ab Eccleſia ſciatur, & toleretur; & hoc modo defendi poteſt circa huiuſmodi Sacramentum matrimonij non committi ſacrilegium.

Non licèt tamen pactum inter Catholicos, & Hæreticos, nempè; vt quidam ex filijs procreandis educentur in Fide: alij verò in hęreſi. *Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſp. 72. nu. 5. & 6.* quod notat *Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 2. nu. 5.*

DIFFICVLTAS II.

An Mulier ſcientèr contrahens cum Hęretico; de hæreſi ſit ſuſpecta. vide infra lib. 14. diſt. 6. diffic. 16.

DIFFICVLTAS III.

An ſaltem Catholico liceat matrimonium celebrare coram Miniſtro Hæretico ex præſcripto Regis id præcipientis; ſi ſecretò prius coràm Miniſtro Catholico contraxerit.

RESpondetur negatiuè; quia cæremonia illa teſtatur agnoſcere Miniſtrum illum tanquam

quam

quam veræ Fidei Miniſtrum: eiuſque cæremonias honorat:& in illis communicat; quæ omnia intrinſecè mala ſunt. ſic *Malde. 2.2. quaſ. 3. art. 2. memb. 3. Coninch. diſp. 15. dub. 3. num. 63.* vbi aduertit ſecùs eſſe, ſi coram Magiſtratu ciuili contraheret: aut coram illo teſtaretur ſe contraxiſſe; modò ritu Catholico anteà, vel poſteà contrahat: quia ibi ſolùm interuenit præceptum politicum obligans;vt publicè cõſtet contrahentem matrimonio copulatũ eſſe.

Poteſt ſimilitèr conuiuiis nuptialibus aſſiſtere; etiam ſi ritu Hæretico contrahant; quia conuiuium nuptiale licitum eſt; etiam ſi contractus,in quo fundatur,illicitus ſit: Vndè aſſiſtens conuiuio optimè poteſt intelligi non voluiſſe honorare contractum, qua talis eſt; ſed conuiuium, quod ſubſequitur. ſic *Malder. & Coninch. loc. cit.* quos ſequitur *Ferdinandus par. 1. tract. 4. diſp. 1. punc. 17. ſub fine.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

Quo ad alia Sacramenta, vz. Chriſmatis, Ordinis, & Extremæ Vnctionis, quomodò communicant nobiſcum Hæretici?

RESpondeo,quo ad Sacramẽtum Chriſmatis attendenda ſunt; quę ſupra tradidimus circa leuantem de Baptiſmatiſmatis fonte: nam vbi eadem ratio, ibi eadem iuris diſpoſitio,vulgatis iuribus.

Quo ad Sacramentum Ordinis dicendum eſt Hæreticos exiſtere priuatos vſu iuriſdictionis:ſed non caractere Ordinis, *cap. Didicimus 24. quaſ. 1. Sanchez in Summa lib. 2. cap 36. num. 10. Tuſc. practic. concluſionibus, tom. 7 l. 5. concluſ. 55. num. 1. Suarez de Charitate, diſp. 12. ſect. 2.* Vndè habent poteſtatem conferendi Ordines quo ad caracterem; Verùm licèt validè illos conferant: illicitè tamen hoc præſtant; cum iure ſint priuati vſu iuriſdictionis, vt dixi; hoc autem procedit non ſolùm reſpectu Hæreticorum; ſed etiam Catholicorum publicè depoſitorum, & Schiſmaticorũ.

Quo ad Sacramentum denique Extremæ Vnctionis; cum non ſit de neceſſitate ſalutis; nullatenùs recurrendum erit ad Hæreticos. *quid n. communicabit cacabus ad ollam?* poſſunt tamen etiam illud conferre: quia,quamuis nõ habeant vſum iuriſdictionis: ſintq; impediti ab Eccleſia; & conſequentèr illicitè illud adminiſtrent: validè tamen præſtant. eſt doctrina communis.

ART. VI. DIFFICVLTAS VNICA.

An Confeſſarius ſimplex Pœnitentem, qui cum Hæreticis commercium habuit, abſoluere poſſit.

NOtandum in primis, quòd difficultas hæc ab illa pendet, videlicèt; an poſſimus abſque peccato cum Hæreticis communicare.

Notandum ſecundò Hæreticos eſſe in duplici differentia,vtſupra innui; quidam ſunt tãtùm generalitèr excommunicati, vt Lutherani;qui generalitèr excommunicantur in Bulla Cœnæ: quidã verò ſunt nominatìm excommunicati, vt ſi modò aliquis detegeretur Hæreticus; & nomine proprio eius manifeſtato, per Eccleſiam notificaretur eſſe excommunicatus. Hæretici generalitèr excommunicati non ſunt neceſſariò vitandi; quia in Concilio Conſtantienſi conceſſum eſt fidelibus; ne teneantur vitare excommunicatos;qui non ſunt nominatìm denunciati, aut notorij Clericorũ percuſſores; hoc autem eſt intelligendum ex vi excõmunicationis. Dicò ex vi excommunicationis; quia ex vi ſcandali omninò vitandi ſunt: Cæterùm Hæretici excommunicati nominatìm ſunt neceſſariò vitandi; nedùm ex vi ſcandali,ſed etiam ex vi iuris poſitiui;ſecùs eſt pro bono animæ illorum (periculo ceſſante) *Extra. de Hæret. cap. Sicut ait, & ibi Panor.* quod notat *Armilla verb. Hæreſis, nu. 4. vide Sotum lib. 9. de Iuſtitia, quaſ. 1. art. 8. Henriquez lib. 13. cap. num. 4. Suarez diſput. 9. ſec. 2. nu. 10. contra Sanchez in Summ. lib. 2. cap. 9. nu. 4. Nauar. lib. 5. Conſil. tit. de Hæret. conſ. 15. nu. 2. Regin. lib. 1. num. 118. & alios apud Bonac. de Cenſuris diſp. 2. qu. 2. punc. 1. §. 1. nu. 2.* Sentientes pro euitando Hæretico requiri; vt ſpecialitèr denuncietur excommunicatus.

Verùm hìc notãdũ, ꝙ Hæretici habitare,vel morari nõ poſsũt in Italia per Bullã Greg. XV. incipit, *Romani Pont.* ſed (ly habitare,& morari) intelligitur; cũ quis transfert ſe ad aliquem locum intentione, & animo ibi perpetuò morandi: ità *Bariola in Aphoriſmis, verb. Hæreſis poſt Nauar. conſ. 10. de Tempore ordin.* requiriturq; temporis continuatio. *Syluest. excomm. 9. quaſ. 24. nu. 53. item quaſ. 38. nu 73.*

Itali ſimilitèr ſecundum hanc expoſitionẽ non poſſunt in partibus Hæreticorum habitare,ſeu domicilium tenere, quod notat idem Doctor *in Aphoriſ. ver. Habitare.*

Modò veniendo ad propoſitum noſtrum dicendum eſt Confeſſarium etiam ſimplicem abſoluere poſſe Pœnitentem illum; qui communicauit cum Hæreticis ſolummodò generalitèr excommunicatis; quia habere commercium cum iſtis; nullum eſt peccatum, dempto ſcandalo, & periculo; quinimmò Confeſſarius illum Pœnitentem etiam abſoluere poteſt;qui communicauit cum Hęretico nominatìm excommunicato; quia per huiuſmodi excommunicationem non annodatur, niſi excommunicatione minori, quæ per ſimplicem quoque Confeſſarium auferri poteſt.

Verùm vnum ſummopère not. eſt; quòd hìc non eſt ſermo de illo; qui cum Hæretico cõmunicauit in crimine alicuius hæreſis; quia huiuſmodi in foro exteriori tanquam Hæreticus,vel Hęreticorum fautor tractandus eſt; in foro autèm interiori pœnitentiæ; ſi Confeſſarius Pœnitentem detegat hæreſis impietatem habere in intellectu; nullatenùs abſoluere poterit: quia iſtius abſolutio ſpectat ad S. P.

Item obſeruandum eſt, an Pœnitens communicauerit cũ Hæreticis animo ipſis fauendi,

vt Hæretici ſunt; quia hoc intrinſecè malum eſt, adeò, vt nulla ratione, nullouè timore excuſari poſſit, quòd docet *Sanchez lib. 2. c. 9. n. 7.* nec ab aliquo abſolui poteſt in foro Sacramẽti Pœnitentiæ præterquàm à S. Pontifice.

DISTINCTIO SECVNDA.

De conſortio Catholicorum cum Hæreticis in Sacramentalibus.

Partitur hæc diſtinctio in tres articulos.

Primus reſpicit conſortium Catholicorum cum Hæreticis reſpectu concionum, ac ſepulturæ.

Secundus reſpectu orationum.

Tertius reſpicit conſortium cum Græcis in illorum Miſſarum auditione.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Catholici Hæreticorum conciones audire poſſint.

Ratio difficultatis eſt: quia ex Bulla Cœnæ can. 1. & Edicto S. Inquiſitionis Catholici libros Hæreticorũ de religione tractantes ex profeſſo apud ſe minimè habere poſsũt: ergò à fortiori Hæreticorũ cõciones auſcultare non poſſunt; cũ ad ſeducendũ efficacior ſit vox prędicantis, quàm eius libri, aut ſcripta, vt de ſe notum eſt.

Reſpondetur, Hæreticorum conciones à Catholicis minime audiri poſſe, niſi aliquibus conditionibus copulatiuè obſeruatis; quarum prima eſt, vt penſata qualitate perſonæ auſcultantis, nullum ex hoc ſuboriatur ſcandalum apud Catholicos.

Secunda, vt auſcultans Hæreticorum cæremonijs non communicet.

Tertia, vt proprię perſonę nullum ſubuerſionis periculum immineat.

Quarta, vt præciſè Hæreticorum conciones audiantur ad eorum confutandos errores .s. qui implicitè in dictis cõcionibus inuoluũtur.

Quinta, vt perſona, cui fit licentia audiendi huiuſmodi conciones; ſit ſumma ſcientia, & conſcientia prædita; à qua fructus vniuerſalis probabilitèr ſperetur. faciunt tradita per *Azor. inſtit. moral. par. 1. lib. 8. cap. 11. quæſ. 4. nu. 26. Pegnam Commen. 75. part. 2. Direct. Inquiſ. Repertorium Inquiſ. verb. Credentes. Farinacium de Hæreſi, quæſ. 182. 12. 115. 120.*

Sexta, licentia intelligitur, vbi Catholici cum Hęreticis permixti ſunt: vt in Germania, Polonia, Belgio &c. ità *Becanus in Controuerſijs huius temporis, lib. 5. c. 7. num. 1. & 2. Azor. lib. 8. cap. 27 quæſ. 5.*

Nec reſolutioni obſtat vocem Prædicantis potiorem eſſe eius libris, aut ſcriptis; tum quia libri, & ſcripta ſe habent per modum permanentis: vox verò Predicãtis ad inſtar tranſeuntis: tum quia præceptum poſitiuum Bullæ, & Edicti Inquiſitionis eſt reſpectu librorum, & ſcriptorum Hæretici; non autèm reſpectu auditionis concionum; à diuerſis autèm non fit illatio: arcemur tamen ab horum concionibus ex præcepto naturali; cum inde malum probabilitèr ſequi poſſit.

DIFFICVLTAS II.

An Catholico in Italia liceat ad ſepulturam comitari Hęreticos.

Ratio difficultatis eſt; quia ſepelire mortuos, ſi ex interno miſericordiæ affectu fiat; eſt opus miſericordiæ.

Reſpondetur negatiuè primò, quia in Italia prohibitum eſt Catholicis cõuerſari cum Hęreticis ſub pœna excommunicationis. Secundò, quia talis prohibitio, cum ſit iuſta, obligat in conſcientia. Tertiò, quia, qui hoc facit, videtur illorum hæreſim approbare; & exindè ſcandalum apud Catholicos ſuboriri poſſe: ergò nõ licet Catholico Hæreticorum funera comitari. Nec obſtat obiectio, quia quamuis ſepelire mortuos ſit opus miſericordiæ; quando procedit ex interno miſericordiæ affectu; non tamen eſt laudabile, ſi fiat contra prohibitionem Eccleſiæ, probat in ſimili *Becanus loc. infra cit.* ſumpto exemplo ex *primo Reg. c. 25. & c. 15. in Saule,* qui licèt ex affectu diuini cultus obtulerit Deo holocauſtum, opus pium, ac religioſum tempore legis Moſaycæ; attamen, quia illud obtulit contra prohibitionem Samuelis, grauitèr peccauit; & in pœnam peccati Regno priuatus eſt. quòd notat *Becanus in Compendio controuerſiarum huius temporis lib. 5. cap. 10. nu. 1. & 2.*

Dixi in Italia; quia in locis, vbi Catholici cũ Hæreticis promiſcuè viuunt ſine prohibitione, aut excommunicatione (ſi præciſè ſpectetur ſepultura) fecùs dicendum eſt: nam ſi ibi Catholico licitũ eſt ducere vxorem Hęreticã, vt graues DD. tenẽt, teſte *Becano loc. cit.* ergò poteſt illam poſt mortẽ ſepelire; hìc .n. minùs malũ apparet, quàm ibi, & ceſſat ſcandalum.

Verùm hoc intellige; dummodò non fiat animo fauẽdi Hæreticis, vt Hæretici ſunt; quia hoc intrinſecè malũ eſt. *Trullench in Expoſ. Decal. lib. cap 3. dub. 2 nu. 4. ex mente Nau. lib. 5. Conſ. tit. de Hæret. Conſ. 12. nu. 9.* Notandumq; Catholicos minimè ſepelire poſſe Hæreticos in loco ſacro, *cap. In initio de Hæret. in 6.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Catholicis licitum ſit cum Hæreticis publicè orare

Reſpondetur hoc non eſſe per ſe malum, ſed indifferens: poteſt enim ratione circumſtantiarum benè, vel malè fieri: malè quidem; ſi fiat, vel animo profitendi falſam religionem: vel cum aliorum offenſione, & ſcandalo: vel cum noſtro, vel alieno periculo. Benè, ſi his omnibus ſeclusis, bona intentione oremus Deum; & aliundè ſit aliqua rationabilis neceſſitas; cur ibi potiùs, quàm alibi opus ſit orare; ex. gr. ſi Princeps Catholicorum, & Hæreticorum ſit Hæreticus, & mandet; vt omnes

nes

nes ſubditi cuiuſcunque ſint Fidei; orationis tempore ad vnum conueniant templum; modò non mandet hoc in odium religionis Catholicæ: ſed ob alium finem licitum, & honeſtum. ità *Azor. lib. 8. moral. cap. 27. quæſ. 5. Becanus loc. cit. cap. 6. num. 2.* patet idipſum exemplo ſerui Christiani apud Turcas capti: nam ſi illius Dominus vti velit ipſius ſeruitio; nedum domi, ſed etiam in Templo Turcarum, ſeruitium illi ibi præſtare poteſt; & dum præſtat, ſimul animum ad Deum attollere; ſicut iam ſe habebat Naaman ſeruus Regis Syriæ. *Azor. ibidem, quæſ. 7. Becan. item loc. cit.* non poterit itaque licitè orare cum Hæreticis publicè, niſi ſecluſis prædictis periculis: & exiſtente rationabili neceſſitate, prout ſupra.

DIFFICVLTAS II.

An pro Hæreticis excommunicatis publicè orare liceat.

Ratio difficultatis eſt; quia Eccleſia, quæ exiſtit veritatis magiſtra; in die Paraſceue publicè orat pro huiuſmodi.

Non quærimus hìc, an licitum ſit orare priuatìm pro publicè excommunicatis; quia conſtat hoc licitum eſſe; v. g. vt conuertantur; ſed difficultas mouetur; an orationibus publicis orare poſſimus pro ipſis.

Reſpondetur nõ eſſe licitum cuiq;, ſed peccaret mortalitèr; quia faceret contra Eccleſiæ prohibitionem in re graui applicando communia ſuffragia Eccleſiæ excommunicato: vide *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 2. punc. 1. nu. 5.*

Nec obſtat reſolutioni; quod Eccleſia orat pro ipſis in die Paraſceue; tum quia omnis regula patitur exceptionem. *l. Omnis diffinitio ff. de Reg. iur.*; tum quia iuxtà vulgatum prouerbium, vna hirundo nõ facit ver: tum prętereà, quia fortaſsè hoc in tali die pręſtat; vt ſui Sponſi Chriſti, qui in tali die pro omnibus nedum paſſus eſt; ſed etiam orauit; imitetur veſtigia: exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis.

DIFFICVLTAS III.

An Catholicis ſacrum in loco, vbi ſepultus fuit Hęreticus, liceat celebrare: templaq; Hęreticorũ inuiſere.

Reſpondetur Catholicis prædicta licita eſſe; ſi Hæreticus non erat nominatìm denunciatus, nec notorius Clericorum percuſſor: nam quem viuum vitare nõ tenemur, nec mortuũ deuitare oportet. *Nau. conſ. 15. nu. 4. de Hæret. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 11. & cap. Eccleſia 1. & cap. Eccleſia 2. de Conſec. diſt. 1. & cap. Sacris de Sepulturis. cap. Conſuluiſti de Conſecratione Eccleſiæ cap. Ad hęc de priuil. Clemen. 1. de Sepult.* hæc quo ad celebrationem.

Quo ad viſitationem etiam reſpondetur affirmatiuè; ſi item Hæretici non ſint expreſsè denunciati, aut notorij Clericorum percuſſores. *Nauar. loc. cit. nu. 3. & conſ. 16. nu. 8. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 11. ibi 2. quęritur.*

Verùm ad hæc tres copulatiuè deſiderantur conditiones; quæ propemodùm ſunt impoſſibiles ſimul exiſtere, quarum prima eſt; ne in Catholicorum animis vlla offenſio, aut ſcandalum generetur.

Altera, ne vlla ritus, cærimoniæ, ac impietatis hæreticæ ſit communicatio.

Tertia, ne vllum periculum proprię ſubuerſionis, & Catholicæ religionis contemptus immineat. ità *Azor. loc. cit. ibi quarto quęritur. Nauar. conſil. 15. 2. & 4. de Hęreticis.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Catholici tutà conſcientia Miſſarum ſacrificijs Græcorum intereſſe poſſint.

Reſpondeo affirmatiuè (loquendo de illis Græcis, qui cum latinis ſolent eſſe admixti, vti sũt Armeni; intereſsẽteſq; ſatisfaciunt Eccleſiæ præcepto audiendi Miſsã in diebus Dominicis, & alijs feſtis de præcepto: ratio autèm eſt, quia licèt Græci ſint notorij Schiſmatici: non ſunt tamen vitandi, cum non ſint nominatìm denunciati; & præceptum Eccleſiæ non imponat; vt rem diuinam audiamus hoc, aut illo ritu; ſed ſimplicitèr, vt Dominicis, & feſtis diebus illam audiamus. ità *Azorius par. 1. lib. 8. ibi 10 quæritur.*

DISTINCTIO TERTIA.

De conſortio Catholicorum cum Hęreticis in ciuilibus.

Diuiditur hæc diſtinctio in tres articulos.

Quorum alter eſt de conſortio cum Hæreticis in genere.

Alter de conſortio in ſpecie, vz. in ſcholis, contractibus, in copula carnali tum matrimoniali, tum fornicaria.

Tertius verò de modo tenendo à Confeſſario in excipiendo confeſſionem iſtorum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Catholico, qui cum alijs Catholicis ratione excommunicationis non poteſt conuerſari; ſaltem cum Hæreticis id ſibi integrum ſit.

Ratio difficultatis eſt; quia licet Catholicis in caſibus in iure non exceptis cõuerſari cum Iudęis, & Gentilibus, ex *cap. Omnis Chriſtianus, 11. quæſ. 3. & ex cap. Engeltrudam, 3. quæſ. 4. Vgolinus de Cenſuris tab. 2. cap. 22. §. 1. Suarez de Cenſuris, diſp. 15. ſect. 1. nu. 9. Say. lib. 2. c. 11. n. 35. Filiuccius tract. 13. cap. 5. nu. 83. Bonac. de Cenſuris, diſp. 2. quæſ. 2. punc. 16 §. 1. & alij.*

Reſpondeo Eccleſiam ſeparare Catholicũ excommunicatum nedum à conſortio Fidelium; ſed etiam à conſortio Hæreticorum; cuius ratio eſt; quia etiam Hæretici ratione Baptiſmi ſunt ipſi Eccleſiæ (velint, nolint) ſubiecti; quod ſecùs eſt de Gentilibus, & Iudæis,

de

de quibus meritò dicitur, *2. quæſ. 1. nihil ad nos de his, qui foris ſunt:* quare huiuſmodi infideles non excommunicãtur ab ipſa Eccleſia Catholica, ſicut Hæretici; qui iure merito expulſantur ab ipſa; quia ratione Baptiſmi quodammodò ſunt intra ipſam: minimè verò expulſantur Gentiles, & Iudæi; quia omninò ſunt extra ipſam; qui .n. extra ipſam eſt; repugnat, vt expulſari poſſit: ſicut etiam repugnat, vt interfectus interficiatur, & mortuus occidatur (regularitèr loquendo).

Verùm notandũ eſt excõmunicationis duos eſſe effectus; alterum eijciendi extra Eccleſiã: alterum verò detinendi extra illam: licèt autẽ iam excommunicatus extra Eccleſiam eijci non poſſit; cum iam ratione excommunicationis quo ad participationem ſuffragiorum, ſit iam expulſus: tamen poteſt plus, minusuè extra illam detineri iuxtà numerum excommunicationum: nam annodatus plurimis vinculis abſolutus ab vno; reſtat, vt abſoluatur ab alijs; quod notum eſt.

DIFFICVLTAS II.

Quo iure diuetitur Catholico communicatio cum Hæretico, an diuino, aut eccleſiaſtico.

Reſpondetur duabus propoſitionibus. Prima, & ſi poteſtas excommunicandi ſit immediatè à Xpo conceſſa; & perindè ſit iuris diuini: ipſa tamen excommunicatio, & determinatio effectuum eſt ab ipſa Eccleſia.

Secunda, itèm & ſi iure diuino Hæretici nõ ſint excommunicati: prohibemur tamen cum illis communicare iure naturali, & diuino ratione ipſius Fidei, & præcepti charitatis. Ratione ipſius Fidei. Primò prohibemur cõmunicare in doctrina. Secũdò in ritibus .s. Hæreticis. Tertiò in familiaritate, ne .s. ſit tãta, aut talis cõmunicatio, vt reddamur de Fide ſuſpecti.

Item ratione præcepti charitatis triplici de cauſa. Prima, ad vitandum ſcandalum propriũ .s. periculum infectionis. Secunda, ad vitandũ ſcandalum proximorum; qui exemplo ad familiarem communicationem inducentur, & in periculo conſtituentur. Tertia ad vitandum nocumentum ipſius Hæretici; qui per huiuſmodi communicationem fit audacior, & in ſuo errore pertinacior; ſic ſunt intelligendi DD. aſſerentes Hæreticos iure diuino eſſe excommunicatos. Quorum ſanè excommunicatio ex duplex. altera habetur in *cap. Achatius, 14. qu. 1. de Hæreticis, & cap. Ad abſoluendam, & cap. Excommunicamus 1. & 2. de Hæreticis, & c. Quicunque de Hæreticis in 6. & cap Nouerit de ſent. excommunicationis*, quæ excomcommunicatio ipſo facto incurritur, vt ex dictis capit. *Caiet. in Sum. verb. Excommunicatio, cap. 1. & communi DD.* Altera eſt excommunicatio in Bulla Cœnæ.

DIFFICVLTAS III.

Quorum Hæret. conſortium Catholici euitare tenentur.

Reſpondetur, quòd olim Catholici omnẽ publicum, & notorium excommunicatum euitare tenebantur: publicum quidem tum publicè, tum occultè: occultum verò tantum ſecretè, vt videre eſt in *Cõcilio Baſilienſi 20.* vbi promulgata fuit Conſtitutio; vt euitarentur excommunicati, etiam tantum generalitèr denunciati, & item omnes notorij; quam Conſtitutionem recepit etiam *Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11.* ex qua ſequitur Catholicos teneri ad deuitandum quemque Hæreticum; licèt non denunciatum nominatìm; ſed ſolùm generalitèr, quod in primis notat *Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 24. & 35. Adrianus in 4. de Clauibus, quæſ. 3. Coarruuias in Alma mater, Medina de Pœnit. tract. 2. quæſ. 22. & alij.*

Poſteà verò edita fuit in Concil. Coſtantiẽſi Conſtitutio ſuauior, vz. vt Catholici non teneantur euitare omnes excommunicatos; ſed tantùm denunciatos in ſpecie, & notorios Clericorum percuſſores; qui vz. nulla tergiuerſatione celari poſſunt; ex qua colligitur Catholicum tutã conſcientia poſſe colloqui cum Hæreticis: ac etiam cum illis commercia habere; quamuis ſint generalitèr denunciati, & notorij excommunicati; quales ſunt degentes in Angliã, Germania, Polonia &c. legendi ſunt DD. *D. Antoninus par. 3. tit. 25. cap. 3. Syluef. ver. Excom. 5. quæſ. 3. Maior in 4. diſt. 18. & alij apud Azor. prim. par. lib. 8 cap. 11. ibi primò quæritur. Nau. lib. 5. Conſ. tit. de Hæreticis, con. 10. Caſtrus Palaus de Pœn. ſpirit. Hæret. tract. 4. diſp. 4. pun. 1. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 2. nu. 3.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An vbi Catholici cum Hæreticis admixti ſunt, filij Hæreticorum ad Scholas Catholicorum admitti poſſunt, & è contra.

Reſpondeo, vel filij Hæreticorum ſunt nominatìm .s. in particulari denunciati pro excommunicatis, aut notorij percuſſores Clericorum: vel tantùm generalitèr denunciati, nec notorij percuſſores Clericorum. Si primum non poſſunt: quia cum talibus conſortium eſt omninò diuetitum: & cõtrafacientes ſunt ipſo facto excommunicati minore excommunicatione, ſuſpectiq; de hæreſi redduntur. *cap. Sicut de Hæreticis*, à quibus, ne quidem litteras accipere integrum eſt; vti in primis notat *Bariola in Aphoriſ. Confeſſariorum ver. Commercium*, plena manu DD. colligens. Legendus eſt *Nau. conſ. 1. de Conſtit. num. 64, Azor. par. 1. lib. 8. cap. 11. ibi octauò quæritur. Ledeſm. 2. tom. Sum. tract. 3. cap. 1. 2. diff. 3. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 2. num. 7.*

Si verò ſecundum, ſecus dicendũ eſt: ſicut enim ſe habet oppoſitum in oppoſito: ità propoſitum in propoſito.

Verùm mihi probatur inſtructio D. Antonij Abbatis, de qua in eius Hiſtoria Breuiarij Romani, Sanctus (inquam) iſte, ne propè quidem ad eos .s. ad Hæreticos accedendum eſſe admonuit: quare Confeſſariorũ partes erunt pro poſſe pœnitentes inſtruere; vt omninò ſuos

ſuos arceant filios à conſortio filiorum Hæreticorum: nam conuerſanti cum inquinato, vt plurimùm imminet periculum, ne ſimilitèr coinquinetur.

E contrà verò filijs Catholicorum minimè integrum eſt adire Scholas Magiſtrorum Hæreticorum ob peruerſionis periculum, vt notat *Ledeſma, Nauar. & Sanchez poſt ipſos, lib. 2. Oper. mor. cap. 9 nu. 3. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 2. nu. 7.*

DIFFICVLTAS II.

An celebrans contractum: v. g. emptionis cum Hæretico nominatim declarato; Fiſco Eccleſiæ rem emptam tradere teneatur.

RAtio difficultatis eſt; quia huiuſmodi Hęretici in pœnam delicti ab Eccleſia ſuorum bonorũ priuantur dominio: & applicâtur eius Fiſco, vt patet ex *cap. Cum ſecundum leges, de Hæreticis in 6.* Quinimmò bonorum confiſcatio ad diem commiſſi criminis retrotrahitur, vt loc. cit. videre eſt; & ità habet praxis S. Inquiſitionis, vt notat *Ludouicus Carbonus tom. 3. lib. 1.*

Reſpondetur difficultati negatiuè, videlicèt; quòd non tenetur ad huiuſmodi traditionem; quia Eccleſia ſciens iſta negotiationis commercia; illa permittit, conſentireq; videtur iuxtà regulã illam: qui tacet cõſentire vidr; quòd contingit maximè; quando, qui tacet loqui poteſt, qualis eſt Eccleſia: quare eius ſubditi Fiſco minimè obligati videntur. faciunt, quæ habet *Carbonus loc. cit.*

Verùm cum Hæreticis non facilè ineundi ſunt contractus, conuentiones, pacta, ſiue publica, ſiue priuata (etiam ſi aliàs licita, & honeſta ſint) propter tres cauſas.

Prima, propter periculum ſubuerſionis, iuxtà illud S. Scripturæ: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Secunda, propter ſcandalum; quia infirmi ſcandalizantur videntes Catholicos cum Hæreticis inire pacta, & conuentiones.

Tertia, propter perfidiam Hæreticorum; nõ enim facilè paciſcendum eſt cum ijs; qui Deo non ſeruant Fidem, quales ſunt Hæretici, res ipſa loquitur; hinc infero, ſi tàm improbi ſunt, vt pro nihilo ducant violare Fidem Deo promiſſam: quomodò nobis promiſſam ſunt ſeruaturi? ità *Becanus in Manuale cõtrouerſiarũ huius temporis de Fide, & religione, lib. 5. cap. 13. per totum.*

Dixi nõ facilè cum Hæreticis paciſcendum eſſe; ſi tamen cum eis initus eſt contractus: nihilq; aliud obſtat, quàm hæreſis; fides ſeruanda eſt, non minùs, quàm ſi cum Catholicis pactum inijſſes; ratio eſt, quia obligatio pacti, ſeu mutuæ promiſſionis oritur ex veritate, fidelitate, & iuſtitia. Veritas ad hoc obligat, vt ſincerè, & nõ fictè promittas, .i. vt quod verbo promittis; etiam animo promittas, ne mendax ſis. Fidelitas, vt opere præſtes, quod promiſſum eſt, ne perfidus ſis. Iuſtitia ad hoc, vt alteri cum quo initùs eſt contractus; tribuas ius ſuũ, quod illi debetur ratione contractus; ne iniurioſus ſis. Hæ virtutes æquè te obligant, ſiue cum Hæreticis, ſiue cum Catholicis paciſcaris. *Becanus loc. cit. cap. 14.*

DIFFICVLTAS III.

Catholicus, qui vult habitare, vel domicilium tenere in locis Hæreticorum, quæ obſeruare tenetur?

REſpondeo plura illum obſeruare oportet, primum eſt, vt in dictis locis non exiſtat; niſi ibi ſit aliqua Eccleſia cum Parocho, ſeu Sacerdote Catholico; in qua liberè, & ſine omni periculo palàm, & publicè celebrari, & audiri poſſint Sacroſanctæ Miſſæ: & alia diuina officia, conciones, & Sacramenta Eccleſiæ miniſtrari: mortuorum corpora ſepeliri: & cætera fieri iuxtà ritum S. R. E.

Secundum eſt, vt Catholici abſtineant à matrimonijs cum Hæreticis mulieribus, ab Hæreticorum ſepulturis. Itèm ne permittant filios ſuos de ſacro fonte per Hæreticos leuari: nec ipſi viciſſim Hæreticorum filios, niſi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, leuare præſumant.

Tertium eſt, Medicorum Hæreticorum opera (neceſſitate ceſſante) .i. ſi adeſt copia Catholici idonei, non vtantur.

Quartum, cum recedunt ex Italia; ſignificare debent ſuis Ordinarijs, vel Inquiſitoribus locorum ſuum diſceſſum.

Quintum, denique ſingulis annis de eorum ſacramentali peccatorum confeſſione: & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione per eos facta; fidem, ſeu teſtimonium ipſis Ordinarijs, ſeu Inquiſitoribus in Italiam tranſmittere tenentur. ità ex Conſtit. Clem. VIII. contra Catholicos Italię adeuntes ad loca Hęreticorum, incipit *(Cum ſicut non ſine magno animi noſtri dolore) &c.* quam probat Gregorius XV. in Cõſtit. contra Hæreticos in Italia commorantes, eorũq; Fautores: incipit, *Romani Pontificis &c.*

Verùm placet dicere non paſsim, nec ſempèr cuilibet Catholico cõcedendã eſſe huiuſmodi licentiam; ſed tantummodò; quando ratio, & occaſio hoc expoſtulauerit; ne ex conceſſione ſine delectu aliquod ſuboriatur periculum: hinc conſultò in *Conſtit. Synodi Priuli Epiſcopi Bergomen. tit. 1. de Hæreſi, & Hæreticis;* monẽtur Mercatores; cæteriq; omnes fideles; iuxtà dictam Conſtit. Clem. VIII. ne ad Hæreticorum loca accedant abſq; Epiſcopali, vel Inquiſitionis licentia in ſcriptis obtenta. Inhibetur inſupèr diſtrictè; ne Patres filios ſuos in Hæreticorum locis, domibusuè, ſub quouis prætextu, aut artis addiſcendæ, aut mercaturæ exercendæ educari patiantur.

DIFFICVLTAS IV.

An circunſtantia copulæ fornicariæ Catholici cum Hæretico, aut Infideli ſit neceſſariò in confeſſione aperienda, & an oriatur affinitas.

DVas particulas habet hæc difficultas, altera reſpicit circunſtantiam: altera verò affini-

affinitatem. Quo ad circunſtantiam ſciendum eſt huiuſmodi circunſtantiam in confeſſione ſacramentali neceſſariò aperiendam eſſe; ratio eſt, inquit *Naldus loc. infra cit.* quia hæc pertinet ad peccatum tum infidelitatis, tum ſacrilegij, ac periculi ſubuerſionis à Fide; patet in Salomone, cuius cor deprauatum fuit per mulieres alienigenas. *Naldus verbo Fornicatio nu. 2. citans Lopez. Sanchez de Matrimonio, tom. 2. lib. 7. diſp. 5. nu. 12. Henriquez lib. 2. de Pænit. cap. 6. num. 3. in gloſſa. Bellochius de Caſibus reſer. par. 2. quæſ. 1. num. 169.*

Quo ad affinitatem diſtinguendum eſt de copula Fidelis cum Hæretico: & Fidelis cum Infideli: ex copula Fidelis cum Hæretico oritur affinitas cum vterque ſit baptizatus, & ligetur Eccleſiæ vinculis: ex copula verò Fidelis cum Infideli minimè.

Verùm, ſi Infidelis habeat conſanguineos, aut affines in primo, aut ſecundo gradu, qui ſint Fideles; cum ipſis Fidelis affinitatem contrahit; quam item contrahet cum Infidelibus, ſi fiant Fideles.

Dixi ex copula Fidelis cum Infideli; quia ex copula inter ipſos Infideles ad inuicem, notũ eſt non oriri affinitatem; quia, cum affinitas non ſit vinculum naturale, ſed ab Eccleſia introductum; non contrahitur ab ipſis, dum manent Infideles; cum Eccleſiæ minimè ſint ſubiecti, iuxta illud; *de his, qui foris ſunt, quid ad nos. Sanchez de Matrimonio tom. 2. lib. 7. diſp. 65. num. 10. item diſp. 63. item in additionibus ad Tolet. lib. 7. c. 11.* Quoniam verò ipſi Infideles ex copula fornicaria non contraxerunt affinitatem; hinc ſequitur non impediri matrimonium inter ipſos contractum; licèt poſteà conuertantur ad Fidem ſuſcipiendo Baptiſmum. *Sanchez loc. cit.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Modus obſeruandus per Confeſſarium antequam abſoluat annodatum hoc caſu.

CONfeſſarius obijciat pęnitenti, qui cum Hęreticis conuerſationem habuit; primò; quòd Deus imperauit populo Iſraelitico iam ex Aegypto egreſſo; ne cum Infidelibus communicaret. *Deuter. 7. & 31.*

Secundò, quòd Deus iratus fuit Regi Ioſaphat; quia cum inimicis amicitiam inierat: & caſtigauit Amaſiam, & Aſa item; quia amicitia copularentur cum impijs. *Paralipomenon 16. & 26. cap.*

Tertiò, quòd Concilia Sacra clamant; ne cũ Hæreticis aliquatenus commiſceamur; hoc prorsùs. S. Antonius Abbas obſeruauit, patet ex hiſtoria, quam Breuiarium Romanum de eius vita ponit. Idem Ioan. Euangeliſta facto comprobauit: nam cum apud Epheſum balnea lauandi gratia fuiſſet ingreſſus; vidiſſetq; ibi Cherintum; continuò diſceſſit non lotus, dicens: *Fugiamus hinc, ne & balneæ ipſæ nos corrumpant, in quibus Cherintus veritatis inimicus lauatur.* ità refert *Ludouicus à Paramo de Orig. S. Inquiſ. lib. 2. cap. 3. nu. 41. citans Policarpum Ioannis auditorem.* Hinc *Theodoſius, & Valentinus in l. 64. C. de Hæreticis*, imperant, vt Hæretici procul à Ciuitate habitent; ne illorum peſſima contagione Fideles inficiantur, eorumue præſentia contaminentur.

Quartò deniq; illũ aduertat; quia, qui inijt amicitiam cum ſerpente, hoc eſt cum Hæreticis; inimicitiam cum Deo conſtituere, vt ſcribit S. Cirillus, Patriarchaq; Hieroſolymitanus.

Quintò, præterea pœnitentem admoneat; vt de cæterò ab ipſis Hæreticis caueat, tum quia per dulces ſermones innocentium ſeducunt corda. ità *S. Ireneus lib. 3. cap. 3.* tum quia ſanctitatem, & pietatem ſimulant: & S. Doctorum libros pro poſſe deprauare contendunt.

DISTICTIO QVARTA.

De Conſortio Catholicorum cum Gentilibus, vel Iudæis reſpectu Sacramentorum.

Partitur præſens diſtinctio in quatuor articulos.

Primus eſt reſpectu Sacramẽti Baptiſmi.

Secundus reſpectu Sacram. Matrimonij.

Tertius reſpectu adminiſtrationis carnis diebus vetitis.

Quartus eſt aſſignatio aliquorum caſuum; in quibus non licet Catholico conſortium habere cum Iudæis.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An inuitis parentibus pueri Iudæorum, vel aliorum Infidelium ſint baptizandi.

REſpondetur. diſtinctione, vel Pueri Iudæorum, aliorumq; Infidelium, aut ſunt adulti, vel nõ: ſi ſunt adulti, rationis vſum habentes; tunc ſunt ſui iuris .i. in ſua poteſtate, Domini ſuæ voluntatis; & ſic ipſis aſſentientibus, licet inuitis eorum parentibus baptizari poſſunt; & à fortiori integrum eſt illos monere, ac inducere ad ſuſcipiendum Baptiſmum: Si verò adhuc liberi arbitrij vſum non habent, exiſtentes ſub cura parentum; & ſic (inuitis eorum parentibus) non expedit eos baptizare; quinimmò periculoſum eſſet; ne ob naturalem affectum ad parentes de facili ad infidelitatem redirent: Quo circa *diſt. 45. cap. de Iudæis*, dicitur Iudæos ad Fidem minimè cogendos eſſe. *D. Thom. 3. part. quæſ. 68. art. 10.*

DIFFICVLTAS II.

An Parochus Catholicus Infideli, vt Turcæ, aut Iudeo aſſerenti adultum Infidelem in mortis articulo Baptiſmum poſtulaſſe, credere poſſit.

REſpondetur affirmatiuè, & magis, quàm fideli; cuius ratio eſt, quia Infidelis potius

vellet

vellet Baptiſmum non miniſtrari; cum non credat Baptiſmo, ſicut nec alijs Sacramentis. videndus eſt *Zambranus de Caſibus in articulo mortis cap. 4. dub. 2. qui teſte Ioan. Sanchez loc. infra cit.* plura adducit decreta, quòd teſtimonio vnius ſit Baptiſmus miniſtrandus adulto. Cæterùm Infideli teſtificanti Infidelem baptizatum fuiſſe in illius pueritia minimè credendum eſt: quia præſumendum eſt nolle ferre teſtimonium in fauorem Baptiſmi, ſiue baptizandi; ſed in odium, vt .s. remaneat ſine Baptiſmo. ità *Ioan. Sanchez in Scelectis diſp. 34. nu. 8. item diſput. 44. nu. 9.* nollet .n. vt alicui conferretur Baptiſmus; ſed potius, vt quiſque ritus, & cęrimonias ſuæ ſectæ ſequeretur: Verũ cautè agendum eſt baptizando ipſum ſub cõditione; quia ſic non irrogaretur iniuria Sacramento (dato, quod N. baptizatus fuiſſet.)

DIFFICVLTAS III.
An Gentilis baptizare poſſit.

Reſpondetur poſſe validè modo intentionem habeat baptizãdi, ſeu faciendi, quòd facit Eccleſia, *cap Romanus, diſt. 30.* peccat tamen adultus recipiendo Baptiſmum à Gentili ob periculum non recipiendi illum defectu ipſius intentionis, & item ob periculum ſcandali: Verùm non peccat illum ſuſcipiendo neceſſitatis tempore: in hac .n. Miniſter Baptiſmi eſt omnis homo habens vſum rationis; potensq; & ſciens debitam formam proferre, & materiam applicare. ità *S. Thom. 3. par. qu. 66. num. 2. Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum*; ratio eſt, quia cum Baptiſmus ſit Sacramentum magnæ neceſſitatis; Chriſtus iure optimo voluit cõſtituere pro Miniſtro quemlibet hominem rationis vſum habentem.

DIFFICVLTAS IV.
An Gentilis, vel Hebræus firmitèr tenens ſe baptizatũ, lic. non fuerit; in hæreſim incidat.

A*Rsen. S. Inqu. p. 10. admon. 146.* Reſpondet incidere, quod intellige iuxta præſumptionem Eccleſiæ; quæ nititur firmitati aſſerentis ſe baptizatum fuiſſe: nam ipſa credit nullũ ſpontè, ac omninò voluntariè contra ſe agere velle: cum hoc ipſi naturæ repugnet.

Dixi iuxta Eccleſiæ præſumptionem; quia ſecundum veritatem, qui Baptiſmo caret; adhuc non eſt ſubiectus Eccleſiæ: ſed Infidelis: nam ſublatis fundamentis; auferuntur, quæ ſuper his fulciuntur; Baptiſmus autem eſt fundamentum ſubiectionis Eccleſiæ: cum autem iſte ſecundum veritatem non ſe ſubiecerit Eccleſiæ, non agit contra ipſam. Verùm, ſi detegatur veritas; prius erit baptizandus, quàm ad alia Sacramenta admittatur: nam Baptiſmus eſt Sacramentorum ianua.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An matrimonium inter Fidelem, & Infidelem non baptizatum ſit licitum, & validum.

Reſpondeo matrimonium Fidelis cum Infideli .s. non baptizato, nedum eſſe illicitum; ſed etiam inualidum iure Eccleſiaſtico. Dico iure Eccleſiaſtico; quia iure naturali, vel diuino minimè eſt inualidũ: ità *Bonac. loc. cit. poſt Sanchez, Gutirez, Coninchum apud ipſum.* Dixi Fidelis cum Infideli; quia matrimonium Infidelis cum Infideli eſt validum; adeò, vt ſi vtrique conuertantur ad Fidem; non ſint ab inuicem ſeparandi; niſi obſtet aliud impedimentum inualidans iure naturæ eorum matrimonium: vel niſi contraxerint cum aliquo impedimento dirimente ab eorũ Principibus inducto; poſſunt enim Principes Infidelium inducere impedimenta: & formam ſub qua celebretur contractus Matrimonij. ità *Bonac. de Matrimonio, quæſ. 3. punc. 7. propoſit. 1. nu. 3. qui alios citat.*

DIFFICVLTAS II.
An Salomon peccauerit accipiendo in vxorem filiam Pharaonis.

Ratio difficultatis eſt; eo quod Iudæis prohibitum erat contrahere matrimonium cum mulieribus alienigenis; vti habetur *Deut. cap. 7. & 3. Reg. cap. 11.* vbi repræhenditur Salomon reſpectu mulierum alienigenarum, cum quibus copulatus eſt.

Reſpondetur diſtinctione. Sciendum igitur, quod mulieres alienigenę erant in duplici gradu; nam aliquæ erant de populis habitantibus Terrã promiſſionis; anteq̃ Iſraelitæ in illam intrarent; quarũ aliquæ cum eis in dicta terra remanſerant, vt notat *Liranus 3. Reg. c. 3.* & cũ illis non poterant Iſraelitæ licitè contrahere, niſi ex ſpeciali cauſa; v. g. ob Fidem vnius veri Dei; cum alijs verò mulieribus alienigenis poterant contrahere; maximè ex rationabili cauſa (gentilitate tamen prius relicta) vndè Booz ſic contraxit cum Ruth Moabitide, prout habetur Ruth vltimo cap.; & hoc modo ẽt Salomon cum filia Pharaonis ad confirmationem Regni ſui contraxit; & credendum eſt (licèt non ſit expreſſum) vt obſeruat *Lyranus loc. cit.* quod ipſa reliquerit gentilitatem; antequam Salomon cognouerit eam: quia tũc ipſe Salomon diligebat Dominum, & ſic nõ peccauit. Ad rõnem autèm dubitãdi ſciendũ eſt primò, quòd mulierum alienigenarum aliæ erant de genere Cananeorum; & iſtæ erant magis, quã aliæ interdictæ; ideò cum illis non erat licitum contrahere; niſi relicta gentilitate, & ſimul pro aliquo magno facto; in ſpeciali ob Fidẽ vnius veri Dei: cum alijs autem alienigenis licitum erat contrahere ex minori cauſa; relicta tamen gentilitate, vt dicitur *Deut. 21.*

Secundò ſciendum, quòd in prædicto c. 11. non reprehẽditur Salomon; quia ardentiſſimo amore copulatus ſit alienigenis mulieribus: ſed quia ad ſatisfaciendum eis coluit Deos earum, eiſque ædificauit templum: & quantum ad primam conditionem .s. amoris nominatur ibi filia Salomonis, quæ fuit ab ipſo dilecta præ omnibus; non autem quantum ad idolatriam, quia illa reliquerat Idolatriæ cultum: Alię verò, quibus ædificauit templum, non reli-

que-

liquerant: & iſtis Idolatris mulieribus coniunctus fuit Salomon in Senectute: Si autem dicas, quòd eodem modo ſe habuit reſpectu filię Pharaonis; eo quod ibidem ſubditur; atq; in hunc modum fecit Salomon vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis. Poteſt reſponderi, quod intelligitur reſpectu mulierum alienigenarũ, quæ non reliquerant Idolatriam. Si vrgeas, quod filia Pharaonis redijt ad Idolatriam videns Salomonem idolatrare cum alijs vxoribus; per hoc non colligitur, quin matrimoniũ cum ipſa à principio licitum fuerit. ità ex *Lirano loc. cit. ferè ad litteram*.

DIFFICVLTAS III.

Quando Infidelis cum Catholico ex vna parte ſine iniuria Creatoris habitare conſentit: ſed ex altera ad Fidem conuerti renuit; an ab inuicem ſeparari debeant.

ANte reſponſionem notandum eſt; quid ſit habitare cum iniuria Creatoris; vt indè à contrario eliciamus, quid ſit habitare ſimul abſq; Creatoris iniuria. Sciendum itaq; quòd tunc Infidelis cum Fideli cum iniuria Creatoris habitat; quando ipſum, vel ipſam compellit ad peccatum: ver. gr. quando ipſum, vel ipsã à Chriſti Fide retrahit: vel quando impedit, vt debitus honos, aut laus Deo exhibeantur: ità *Bonac. de Matrimonio quaſ. 3. punc. 7. propoſit. vnica, num. 5.* alios citans, & proſequitur alios aſſignando modos; quibus Infidelis cum Fideli cum iniuria Creatoris habitat.

Satisfacitq; difficultati duas aſſerens DD. ſententias: alteram negantem, affirmantem alteram. Negatiua nititur auctoritate *Apoſtoli ad Corint. 7 ſic proloquentis: Si quis Fidelis vxorem habet Infidelem: & hæc conſentit habitare cum illo; non dimittat eam: & ſi qua mulier virum habet Infidelem: & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat illum, &c.*

Affirmatiua verò fundatur in auctoritate *Conc. Flor. 3. cap. 4* vbi Fideli ob peruerſionis periculum vetitum eſt habitare cum Infideli; hunc aliquibus in locis certum quoddam tempus præſcribitur Infideli ad Fidei Catholicæ ſuſceptionem; quo elapſo, niſi illam ſuſceperit, fiat ſeparatio.

Inſuper in ſententia, *Sanchez loc. inf. cit.* Fidelis conuerſus poterit contrahere aliud matrimonium cum Fideli abſque Papæ diſpenſatione contra *Baſilium Pontium de Matrimonio lib. 7. cap. 48. nu. 22.* qui tenet requiri diſpenſationem S. Pontificis: verùm vtramq; ſententiam exiſtimat probabilem. *Diana 3. par. tract. 4. de Sacramentis reſol. 264* idemq; ſentiunt alij ab ipſo citati.

Poterit item ad religionem tranſire: caſtitatis votum emittere: ac ſacris ordinibus initiari; quinimmò conſenſum coniugis ad hæc minimè tenetur requirere; ſi adeò diſtet; vt commodè requiri nequeat: nec itèm illum admonere, vt ſe conuertat ad Fidem: quia moralitèr certũ eſt, quòd renuet cõuerti. ità *Sanchez de Matrim. tom. 2 lib. 7. diſp. 74. nu. 12. cum alijs*. Reſpondetur ſententiæ negatiuæ; dictum Apoſtoli intelligendum eſſe (ſecluſa Eccleſiæ ordinatione, & periculo peruerſionis proximi).

Vtrum verò matrimonium non ſolùm ratum, ſed etiam conſumatum per profeſſionẽ Fidelis in religione emiſſam diſſoluatur, vide *Bonac. loc. cit. nu. 9.* qui affirmatiuè reſpondet, vbi etiam *nu. 11.* ſatiſfacit quæſito; qualem ex parentibus ſequantur filij .s. quando vnus ad Fidem conuertitur: altero in Infidelitate permanente; docens filios doli capaces in manu proprij concilij remitti: alios verò ſequi debere Fidelem Catholicum.

DIFFICVLTAS III.

An inter coniuges, quorum alter eſt Fidelis: alter verò Infidelis oriri poſſit impedimentum criminis matrimonium dirimentis.

NOtandum priùs crimen impediens, & dirimens matrimonium eſſe adulterium, & homicidium: & vnum alteri mixtum, quòd contingit in quatuor caſibus, vt paſſim tradunt *DD. verb. Impedimentum criminis. lege Tol. de Matrimonio cap. 6. nu. 1.*

Reſpondetur difficultati diſtinctione: Quemadmodum matrimoniũ cum Infideli eſt tàm illicitum, quàm inualidum ſolummodò ex parte ipſius Fidelis: ità impedimentum criminis præcisè ex parte Fidelis oritur; ratio eſt, quia hæc impedimenta ab Eccleſia ſunt inducta; cui non ſunt ſubiecti Infideles; quamobrẽ, qui infidelitatis tempore altero dictorum criminum ſe coinquinauerunt; poterunt non ſolùm ante conuerſionem validè contrahere matrimonium; ſed etiam poſt conuerſionem; nam adhoc, vt conuerſus ab infidelitate ad Fidem contrahat hoc impedimentum; requiritur, quòd delictũ ſit commiſſum totalitèr poſt Baptiſmum .i. quòd poſt ipſum interceſſerit adulterium, vel cũ promiſſione matrimonij; vel cum homicidio: nam ſi vnum præcisè delictum commiſit ante, & alterum poſt; non punitur ab Eccleſia dicto impedimento: legendus eſt *Bonac. de Matrimonio quaſ. 3. punc. 6. prop. 3. nu. 2. 1. & alij apud ipſum*.

Sunt quoque alia crimina, quæ tantum impediunt matrimonium, ſed non dirimunt; & de his etiam idem dicendum eſt, ac de præcedentibus; nimirùm, quòd contrahuntur à Fidelibus ob rationem allatam .s. quia ſunt ſubiecti Eccleſiæ.

Obijcies, Fidelis non contrahit affinitatem ex copula cum Infideli: ergò neque impedimentum ex crimine cum ipſa. Reſpondetur, quòd per eam partem, per quam non contrahitur affinitas; per eam etiam non contrahitur impedimentum ex crimine.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Catholici Gentilibus, aut Iudæis in diebus ieiuniorũ, aut Veneris, vel Sabbati carnes adminiſtrare poſſint.

Ratio

Ratio difficultatis eſt; quia nec Hæreticis:nec item Catholicis,quamuis perpetuò amentibus, vel ebrijs, aut paruulis poſt ſeptēnium licitum eſt illas adminiſtrare: ergò in ſimili videtur; quòd nec Gentilibus,aut Iudæis ſint adminiſtrandæ.

Reſpondeo Catholicos, v. g. Tabernarios, aut Caupones tàm Gentilibus, quàm Iudæis ſupradictis diebus carnes adminiſtrare poſſe: ratio eſt,quia dicti Infideles nulla Eccleſiaſtica lege obligantur; quod vniuerſa DD. Schola teſtatur: & in terminis proprijs *Sanchez in Selectis,diſp. 51. nu. 29. Azor tom. 1. lib. 7. Suarez de Legibus lib. 5. cap. 33. num. 2. Thomas Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 12. num. 14. Diana de Ieiunio, reſol. 42. Facundez præcep. 4. lib. 1. cap. 8. num. 8. & alij.*

Nec obſtat ſimilitudo de Hæreticis; quia iſti ratione Baptiſmi ſuſcepti ligantur legibus Eccleſiæ Catholicæ: nec item obſtat ſimile de perpetuò amentibus, ebrijs, aut paruulis poſt ſeptēnium: quia huiuſmodi abſolutè,& per ſe obſtringuntur lege Eccleſiaſtica de abſtinentia à carnibus dictis diebus: & per accidens .i. ob rationis defectum contingit ipſos à peccato excuſari carnes edendo; quod in primis animaduertit *Sanchez lib. 9. cap. 12. nu. 1.* aliud .n. eſt non obligari legibus: aliud excuſari à legis tranſgreſſione.

Quemadmodum itaq; ſinguli prædicti obligantur lege Eccleſiaſtica, vt dictis diebus abſtineant à carnibus: ità obligantur adminiſtratores, vt illas ipſis minimè adminiſtrent: nam obligatio adminiſtrantis ex obligatione illius, cui adminiſtratur, pendet: quare Caupones,& Tabernarios oportet quàm diligentiſſimè attendere;an quibus adminiſtrant carnes ſint Iudæi,Gentiles,vel Hæretici.

DIFFICVLTAS II.

Quale conſortium, cum Gentilibus, v.g. Saracenis &c. prohibitum eſt Catholicis,ſeu Fidelibus.

SVppono, quòd Eccleſia poſſit interdicere Fidelibus communicationem cum Infidelibus ratione periculi ſubuerſionis ex ea iminentis, *S. Thom. 2. 2. quæſ. 10. art. 9. Sanchez Decal. lib. 2. cap. 31. nu. 1.*

Primò prohibitum eſt Catholicis inuiſere Gentilium templa, maximè temporibus, quibus ſuperſtitioſa ibi celebrantur: item cum eis ludos,& choreas agitare, *Abbas cap. Quam ſit, nu. 3. de Iudæis, & alibi.*

Secundò, habitare cum eis .s. familiaritèr; vnde quamuis liceat Chriſtiano habere Infideles ſeruos intra domum: non tamen poteſt habere eos familiares: *cap. Nullus 28. quæſ. 1. & alibi*: Verùm, quia difficile eſt illos habere ſeruos in domo,& non habere familiares;ideò conſultius eſt abſtinere ab hac ſeruitute.

Tertiò, prohibitum eſt Fideli manducare Idolothyta Infidelium abſque neceſſitate extrema; aliòquin redditur ſuſpectus de Fide. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. cap. 36. nu. 24.* Vnde in tali caſu illa manducare debet, non vt Idolothyta; ſed velut panē *dicto cap. Nullus.*

Datur tñ caſus, in quo integrū eſt Catholico manducare, ſeq; familiarem facere cū Infidelibus; nimirùm, quando Catholici ad conuerſionem Infidelium mittuntur, vt familiaritate cum eis contracta faciliùs eos ad veram Fidem adducant: *Souſa vbi ſupra, num. 13. poſt Sanchez Decal. lib. 1. cap. 31. nu. 16.* idem procedit,cum Catholici mittuntur ad Iudæos &c.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An ſit interdictum conſortium Catholicorum cum Iudæis.

LOquor de aſſiduo; nam de illo,qui interdum contingit: v. g. ratione mercaturæ, claret ex praxi, quæ legis eſt optima interpres,quòd non interdicitur.

Interdicitur autem aſſiduū in multis caſibus. *cap. Ad hæc de Iudæis.*

Primò,habitare cum eis;vnde licèt Catholicus poſſit illos habere ſeruos intra eandem domum:non tamen familiares, vt ſupra cautū fuit, *c. Nullus, 28. quæſ. 1. c. de Iudæis, c. Etſi Iudæi eodem tit.* ſed tutius eſt nō habere tales ſeruos.

Secundò, Iudæorum Medicos accerſere: intellige tamen extra caſum neceſſitatis: vt ſi non ſit alius Medicus, aut non ſufficientèr peritus: aut ſi morbi grauitas multis Medicis indigeat; & non ſit copia Catholicorum, *dicto cap. Nullus.*

Tertiò,à Iudeis medicinas exhibitas accipere: intellige, vt Iudæi ipſi eas ægrotis exhibeāt extra caſum neceſſitatis: non tamen prohibetur eas emere ab ipſis,aut ipſis vendere.

Verùm eas ipſis gratuitò donare extra caſū pietatis interdicitur. *Archid. in d. c. Nullus.*

Quartò, cum Iudæis in Balneum ingredi. *dict. cap. Nullus*; quod ſic intelligitur,vt Catholicus non accedat ad Balneum cum Iudeo,nec propter Iudæum: nec ſe in Balneo familiarem exhibeat: non prohibetur tamen,quin ratione neceſſitatis, aut recreationis intrare poſſit Balneum, in quo Iudæus ſimul ingreditur. *Philiarcus de Officio Sacerdotis, tom. 1. par. 2. lib. 3. c. 12. & alij.*

Quintò, Iudæos inuitare, ad eorumue conuiuia accedere, *cap. Omnes, 28. quæſ. 1.* item ad eorum nuptias, dies feſtos, Synagogas accedere,eas frequentando: *Abbas cap. Quam ſit, n. 3. de Iudæis.*

Sextò Catholicorum filios in domibus Iudæorum nutrire: immò etiam extra domum; niſi talitèr nutriantur; vt familiaritas omninò vitetur, *cap. Ad hæc de Iudæis.*

Septimò,Iudæis famulari,ſiue in domo,ſiue extra,ſiue frequentèr,ſiue rarò: *d. cap. Ad hæc.*

Octauò, nequit Chriſtianus Iudæis aliquid legare in teſtamento, *cap. Sanè 2. 24. quæſ. 2.* verùm alicui particulari in extrema, vel graui neceſſitate aliquid legare poteſt: nunquam tamen vniuerſitati. *Souſa loc. cit. nu. 17.*

Nonò,ſeruitutis vinculo ſubijci Iudæis, *dict. cap. Ad hæc.*

Decimò, Iudæos publicis officijs fungi inter Chriſtianos. *cap. Conſtituit* 17. *quaſ.* 4. Pœna communicantis cum Iudæis in dictis caſibus prohibitis eſt, vt Clericus deponatur: laicus verò excommunicetur; non tamen incurrit excommunicationem ipſo facto. *dic. cap. Nullus*. Solus Papa diſpenſat in dictis caſibus, ſtando in terminis iuris communis, non verò Epiſcopi. *Souſa loc. cit. nu.* 21.

DIFFICVLTAS II.

Quale conſortium Catholicorum cum Iudæis non eſt prohibitum.

RESpondeo, primò operas ſuas locare Iudæo, ſiue extra, ſiue intra domum, vt colere agros, fabricare ædificium &c. quod intellige; dummodò Iudæus non ſit præſens, ità vt ferè ſemper aſſiſtat. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 36. *nu.* 16.

Secundò, res ſuas, vt currus, boues &c. locare *Souſa loc. cit.*

Tertiò, in extrema neceſſitate Iudæorum azymis veſci; dummodò non comedantur, vt azyma Iudæorũ; ſed vt quidam panis, *cap. Nullus*, 28. *quaſ.* 1. *cap. Iudæi de Iudæis, cap. Et ſi Iudæi eod. tit.* qui verò extra neceſſitatem illis neſcitur; redditur vehementèr ſuſpectus de Fide. *Souſa loc. infra cit. nu.* 23.

Quartò, intrare Synagogas Iudæorum, dummodò non frequentet: v. g. vt ſtructura, aut ornatus templi ſpectetur; vel vt commodius, confutentur eorũ vana, & ſuperſtitioſa. *Azor. lib.* 9. *cap.* 11. *quaſ.* 3. *tom.* 1. *& alij.*

Quintò, miſſi ad conuerſionem Iudæorum, aut Paganorum cum illis manducare poſſunt; vt familiaritate cum eis contracta faciliùs eos ad veram Fidem attrahant. *Sanchez Decal. lib. cap.* 31. *nu.* 16. *& alij.*

Sextò, non prohibetur ipſis in mercibus emendis, vel vendendis cum Iudæis, vel Gentilibus contractus inire. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 36. *nu.* 18. *cum alijs ibi.*

Septimò, ſpectata ſpecialis iuris prohibitione, iuſtum bellum gerentibus non eſt prohibitum aduocare in adiutorium quoſcunque Infideles: ſed regularitèr nefas eſt id facere ob ſcandalum. *Molina tom.* 1. *de Iuſt. diſp.* 112. *Souſa lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 19. Quæres fortaſſe.

Quales ritus Iudæorum non poſſunt tolerari in terris Chriſtianorum? breuitèr dico; qui ſunt intrinſecè mali: aut contra rationem naturalem: alij verò, qui exercentur ſine ſcandalo Catholicorum ſeruatis debitis modificationibus, quas ponit *Souſa loc. cit.* tolerari poſſunt, communis eſt opinio. *Pen. ad Eymer.* 2. *par. Direct. quaſ.* 46. *Comm.* 71. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. cap.* 37.

DIFFICVLTAS III.

Quam praxim Confeſſarius obſeruare debeat cum pœnitentibus, qui cum Infidelibus conſortium habuerunt.

PRimò interroget, an illis miniſtrauerint, quæ ad actus infidelitatis, & ritus ſuperſtitioſos proximè conducunt; vt ſi vendiderint illis, quæ offeruntur Mahumeto.

Secundò, qua intentione vendiderint illis indifferentia; quibus etiam ad bonos vſus vti poſſunt; quia, ſi hoc præſtiterunt, vt eorum prauam, & contra Fidem voluntatem exequãtur; actus eſt contra Fidem ad idolatriam, vel hæreſim ſpectans. *S. Thom.* 2 2. *q.* 169. *ar.* 2. *ad* 4. *Syluester ver. Infidelitas, quaſt.* 4. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 1. *quaſt.* 10. *punc.* 5. *Sanchez Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 1.

Tertiò, an iuſta ſubſtiterit cauſa adminiſtrandi, aut vendendi talia. *Azor. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 27. *quaſt.* 6. *& alij.*

Quartò, admoneat illos conſortiũ cũ Infidelibus in caſibus iure expreſſis diuetitũ excommunicationi ſubiectum eſſe; ſed in eam non incurritur ipſo facto. *cap. Nullus*, 28. *quaſt.* 1. in alijs verò caſibus ſæpè præcisè leuem inducit ſuſpicionem malæ credentiæ, ſcilicèt contra Fidem; ſed per hanc nullus denunciatur. faciunt notata per *Souſam in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 36 *nu.* 22. *&* 24.

Quintò, illos edoceat, quòd veſcentes aximа Iudæorum, vel Idolothyta abſq; neceſſitate redduntur vehemẽtèr ſuſpecti de Fide; vndè Cenſoribus Fidei veniunt denunciandi. legendus eſt *Souſa loc. cit.*

Sextò, denique obſeruet Infideles .s. Gentiles, & Iudæos non excommunicari: nam excommunicatio ſignificat ſeparationem ab aliquo; nõ poteſt autem ſeparari, niſi quod prius erat cõiunctum: ſed prędicti Fideles nunquam fuerunt cum Eccleſia coniuncti: idcircò non poſſunt ab ea ſeparari.

Verùmtamen eſt ipſos eſſe excommunicatos, ideſt, ab ipſa Eccleſia ſeparatos, quatenus non ſunt ipſius membra. Illuſtro rem exemplo: Equus non dicitur ſeparatus à corpore hominis; quia conſtat ad ipſum minimè pertinere; cum non ſit ipſius membrum: & tamen eſt ab ipſo realitèr, & eſſentialitèr diſiunctum; ità *Marginator ad Tolet. lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 7. Quare communicantes cum prædictis nõ contrahunt excommunicationem minorem, quam contrahunt abſque legitima cauſa communicantes cum excommunicatis maiori excommunicatione.

DISTINCTIO QVINTA.

De Catholicis inter Gentiles, vel nutritos; vel conuerſantes, & de ipſorum obedientia erga Principes Gentiles.

Tres figuramus articulos in hac diſtinctione.

Quorum primus reſpicit baptizatũ apud Catholicos; ſed nutritum inter Gentiles.

Alter

Alter agit de Catholicis inter Infideles conuerſantibus.

Tertius verò diſſerit de obedientia Catholicorum erga Principes Gentiles.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An ab infantia baptizatus, & poſteà inter Infideles nutritus ignorantiam inuincibilem myſteriorum ſupernaturalium habere poſſit.

RESpondetur affirmatiuè, ver. gr. Myſteriorum Incarnationis, Trinitatis, & ſimilium: ratio eſt primò, quia hæc cognoſci non poſſunt, niſi proponantur; ſæpè autem non proponuntur; ideò ſciri non poſſunt. Itèm ignorantia inuincibilis haberi poteſt circa quodlibet Myſterium Fidei; licèt lumine naturæ notum ſit: ver. gr. circa Dei omnipotentiam, iuſtitiam, bonitatē, quatenus ab ipſo reuelata ſunt; quia hæc eſſe à Deo reuelata obiectum eſt ſupernaturale; obiectum autem tale viribus naturæ cognoſcere non valemus; ideò indigemus aliquo diuinam proponente Fidem; quo carere poſſumus. ità *Ferdinandus, tract. 4. diſp. 2. pun. 2. per totum*; idem enim ſub vna conſideratione notum eſſe poteſt: ſub alia verò ignotum; vt patet in dicto exemplo de omnipotentia, iuſtitia, & bonitate Dei; quæ altero modo naturæ notæ ſunt: altero modo eidem naturæ ignotæ: vi enim naturæ cognoſcimus non ſolùm Deum eſſe; ſed etiam eſſe omnipotentem, iuſtum, & bonum: non tamen pertingimus ad cognoſcendam dicta eſſe ab ipſo Deo reuelata, & ſupernaturalia: quare baptizatus inter Gentiles nutritus ignorare poteſt inuincibilitèr abſque peccato Myſteria ſupernaturalia. idem Doct. qui ſupra, & vbi ſupra.

DIFFICVLTAS II.

Baptizatus, inter Gentiles nutritus vſque ad annos diſcretionis repugnando Fidei, an ſit Gentilis, vel Hæreticus.

REſpondit *Ludouicus Carbon. in Summa ſummarum tom. 3. cap. 48.* ſic, ſi iſte repugnando Fidei ignoret ſe eſſe baptizatum, eſt Gentilis; quia ex ſua conſcientia non peccat contra Fidem: ſi verò nouit ſe baptizatum fuiſſe: aut de hoc habet ſolummodò ignorantiam vincibilem, eſt Hæreticus.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Catholicis (graui vrgente neceſſitate) ſignis, ver. gr. veſtibus alterius religionis vti liceat: ex. gr. ad ſe occultandos: & ſubindè quando ex taliū vſu veniant, aut non veniant denunciandi.

TRiplex ad propoſitum reperio ſignum: primum eſt teſtificatiuum alterius religionis: ſecundum, teſtificatiuum obſequij ob religionem facti: tertium verò eſt diſtinctiuum vnius religionis ab alia: ex. primi, vt ſi Princeps Infidelis non ſolùm Infidelibus; ſed omnibus habitantibus in ſuo Regno: vel aliquo modo commorantibus præciperet vti veſte: vel ſigno in honorem ſuæ falſæ ſectę: exem. ſecūdi, vt genuflexio coram Idolo, thurificatio, tunſio pectoris, geſtatio veſtium; quibus in ſacrificijs impijs vtuntur Infideles: ex. tertij, vt veſtes deſtinatæ ad diſtinguendum Infideles à Fidelibus. his habitis.

Reſpondetur, quòd primo, & ſecundo genere ſignorum nullatenus Catholico vti licèt, quamuis vrgente grauiſſimo periculo vitæ perdendę; nec quidem ad ſe occultandum .s. vti poteſt: eſſet enim talis vſus falſæ Fidei proteſtatio; Vndè quemadmodum Catholicus; ſi Princeps Infidelis ſingularitèr illi præciperet ſub pœna mortis; vt in proteſtationem ſuæ falſæ ſectæ portaret aliquod ſignum; obligatus eſſet potius mori, quàm tali fędari ſigno: quia illius geſtatione conſequentèr profiteretur falſam ſectam, ſaltem in apparentia; quòd nunquàm licet: ità dicendum eſt, quando Edicto generali imperatur omnibus, prout ſupra, indui veſte falſę Fidei proteſtatiua; ſic *Ferdinandus, tract. 4. diſp. 1. punc. 17. nu. 4. ſequens Coninch. de Fide, diſp. 15. dub. 3. nu. 72.*

Idem patet, quia huiuſmodi ſigna nulla ratione honeſtari poſſunt; cum ſint intrinſecè mala.

Nec obſtat, vt quis non intendat illis ſignis falſam Fidem proteſtari; quia ſufficit, quòd in facto id demonſtretur; cum quiſquis Fidelis obligetur profiteri Fidem etiam exterius.

Cæterùm, ſi loquamur de tertio genere ſignorum; dico, quòd (graui neceſſitate cogente) ſignis inter Infideles diſtinctiuis vti integrum eſt: ratio eſt primò, quia attentis circunſtantijs, nullo modo eorum vſus demonſtrat talitèr ſignatum Infidelem eſſe; neque talem videri voluiſſe; ſed ſolummodò ob mortis periculum euitandum ſe occultare voluiſſe; patet in ſimili de Monaco; qui non fit apoſtata à religione; ſi vrgente neceſſitate ad euitandū ſcandalum mutat habitum; cum huiuſmodi habitus mutatio non ordinetur ad negandum ſtatum Monachalem; ſed ad alium finem.

Secundò, quia huiuſmodi ſignorum vſus non eſt intrinſecè malus; cum poſſit portari ob alium finem; quam ob Fidei Catholicæ deteſtationem: v.g. vt ſupra innui, ad diſtinguendum Fideles ab Infidelibus; quę diſtinctio Reipublicæ vtilis eſt. faciunt, quæ habet *Ferdinandus, tract. 4. diſp. 1. punc. 16. per totum, qui plures cumulat DD. Sanchez lib. 2. Decalogi, cap. 4. nu. 14. Tolet. lib. 4. cap. 2. nu. 7. & alij*, quidquid aliquibus videatur; ſuppono tamen ex tali ſigno apud Catholicos ſcandalum minimè oriri; nec prouocari ad deſerendam Fidem Catholicam.

Item licet Catholico (vrgente neceſſitate) adire templa Hæreticorum, & concionibus, aut precibus illorum aſſiſtere, .s. quando non ratione falſi cultus, ſed obſequij cuiuſdam ciuilis adiret; vt ſi Catholicus Dominum ſuum

ingredientem comitetur: aut aliquod officiũ politicum ibi præſtare teneretur; vt ſuſtentare illius veſtem, dum genufleɛtitur coram Principe Infideli. *Naldus, ver. Seruus num. 2. verb. Obedientia, nu. 5. verb. Superſtitio, nu. 9. Sanchez in Sum. cap. 7. nu. 2. verſ. 4. deducitur*; ratio eſt, quia hic ingreſſus non eſt formalitèr religioſus: ſed ciuilis,& politicus: nec talis aſſiſtentia eſt falſæ Fidei proteſtatiua, cum ex alia cauſa procedat: aduerto tamen curioſitatem non eſſe legitimam cauſam aſſiſtendi cõcionibus, aut precibus Hęreticorum: quia vti ſignis Hęreticorum proprijs abſq; graui cauſa; eſt occaſio reputandi illis vtentẽ, vel Hereticum eſſe, vel talem velle videri. Item ob dictas cauſas exiſtente graui neceſſitate; liceret etiam vti cibis vetitis ad ſe occultandum: *Bonac. de Legibus diſp. 3. quæſ. 2. punc. 3. num. 27. DD. communitèr ver. Commeſtio.*

Et quemadmodum licitum eſt vti dicto tertio ſignorum genere exiſtente neceſſitate; ità licitum eſt omittere ex dicta cauſa ſignum à lege conſtitutum ad ſignificandum profeſſionem Fidei Chriſtianæ: ratio eſt primò, quia illa omiſſio non eſt negatio Fidei Chriſtianæ; ſed ſolùm occultatio; quæ (exiſtente iuſta cauſa) licita eſt.

Secundò, quia præceptum poſitiuum confitendi Fidem non obligat in dicta occaſione: nam (vt ſupponitur) ex omiſſione illius non ſubtrahitur notabilitèr honor diuinus; nec ſcandalum generatur.

Tertiò, quia præceptum in propoſito non negandi Fidem obligat Fidelem; ne aſſumat aliquod ſignum proteſtatiuum negationis Fidei: ideò ſolum dici poteſt; quod nõ proteſtatur in illo caſu Fidem: ſed tamen illam non negat: nam illa ſigni omiſſio alias habet ſignificationes: quare ſolùm inferre poſſumus illum non proteſtari Fidem. ità *Ferdinandus loc. cit. pun. 18. per totum*, qui ſecum habet copioſum DD. numerum contra aliquos.

1 Verùm duo veniunt notanda; primum eſt, quod non poteſt Catholicus vti veſte; in qua figura Mahumeti, vel Idoli depicta eſſet; quia geſtatio illius figuræ per ſe eſt quidam cultus, & veneratio, quæ ſemper eſt illicita. *Sanchez lib. 2. cap. 4. nu. 21. & 23. in fine. Suarez de Fide, diſp. 14. ſect. 5. nu. 8.* quos ſequitur *Ferdinandus, tract. 4. diſp. 1. punc. 17. nu. 4.* intelligeq; de geſtatione publica, & honoraria. *Bonac. de Legib. diſp. 3. quaſ. 2. punc. 3. num. 27. DD. communitèr ver. Veſtes.*

2 Alterum eſt, quod minimè vti poteſt verbis quantumuis ambiguis, & reſtrictiuis; dicendo ſe eſſe Iudæum, Mahumetanum; quia ex his intelligerent audientes ipſum ob mortis timorem, negaſſe Fidem; aut ſic apparere voluiſſe: quia verborum ſignificatio eſt ſtrictior,& limitatior, quàm alia ſigna. Ex dictis ſatis colligĩ; quibus ſignis vti poſſit Catholicus; & proinde patet denũciandum eſſe, qui vſus eſt veſtibus, aut ſignis teſtificatiuis falſæ religionis, ſeu illius cultus; niſi tales coniecturæ concurrant, quæ ſufficientes ſint meæ conſcientiæ; vt rationabilitèr credere poſſim id egiſſe ex timore: aut alia cauſa abſq; vllo errore in intellectu contra Fidem: vel tales adſint coniecturæ; quæ mihi perſuadeant illius emendationem. vide dicta *Part. 2. lib. 12. diſt. 1. art. 2. diff. 1. & art. 3. diff. 1.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An à Catholicis Principi Infideli, aut Hæretico obedientia licitè præſtari poſſit.

RESpondetur, quòd Catholici Principi Hæretico, aut Infideli obediendo, non peccant; licèt illis præcipiat, vt ſeruent quoſdam ritus ſectæ, vel infidelitatis ſuæ, quinque tamen attentis, ac ſeruatis.

Primum eſt, vt huiuſmodi ritus legi diuinæ non repugnent: v. g. ſi præcipiat obſeruationem quorundam dierum; quos Eccleſia Catholica Romana minimè præcipit.

Secundum eſt, vt eorum hæreſibus, aut infidelitatibus nullatenus faueant.

Tertium eſt, vt huiuſmodi ritus, ſeu actiones non ſint proteſtationes Fidei Catholicæ contrariæ; ſed actus per ſe indifferentes.

Quartum eſt, vt fine bono, nempè ad euitanda mala; quæ Catholicis ex defectu horum rituum, ſeu obſeruationum probabilitèr contingere poſſent.

Quintum denique eſt, vt illos ſeruent tantummodò extrinſecè, iuxta *cap. Non ſemper, & cap. Qui reſiſtit, 11. quaſ. 3.* & in his terminis conſuluit *Nauar. Conſ. 12. rep. 2. de Hæreticis, in nouis*, quòd notat *Naldus verb. Obedientia n. 5.* faciuntq; quæ docet *Liranus ad Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 5.*

DIFFICVLTAS II.

Si Rex Edicto publico dicat, qui ſunt Catholici ſe prodant; an teneatur, qui talis eſt, ſe prodere.

REſpondeo minimè teneri, niſi quãdo ſpectatis circunſtantijs; alij meritò ſuſpicarentur illum Fidem deſeruiſſe; ratio eſt, quia in hoc caſu, nec honor Dei, nec vtilitas proximi periclitatur, vt ſuppono. ità *Suarez de Fide diſp. 14. ſect. 3. nu. 6. Caſtrus Palaus tract. 4. de Fide diſp. 2. punc. 14. nu. 2. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 1. dub. 7. nu. 6.*

DIFFICVLTAS III.

An Chriſtiani captiui Turcarum mortis metu contra alios Chriſtianos agere poſſint: v. g. remigare, illos occidere.

REperio DD. pro vtraque parte; à parte negatiua in primis ſtat *Nauar. cap. 27. nu. 63.* A parte verò affirmatiua maximè habetur *Azorius Inſtit. moral. tom. 1. lib. 1. cap. 17. q. 56.*

Mihi placet diſtinctio de actione; nam alia eſt indifferens: alia per ſe mala. Actione indifferente, qualis eſt remigatio, agere poſſunt: quia, cum ſint captiui; ſunt Turcarum ſerui: proptereà, qua tales; ſuis dominis abſque peccato obedire queunt: Actione verò per ſe mala, cuiuſmodi eſt occiſio, minimè poſſunt; & hac

& hac diſtinctione leui negotio DD. diſſidentes conciliantur: procedunt .n. diuerſis ſuppoſitis: ipſis autem diuariatis diuariantur inſiſis fundata. facit *l. de Iuſtitia, & iur. ff. de non alien. aut permutan. reb. Eccl. Dynus in Reg. nulla ff. de Reg. iur.*

DISTINCTIO SEXTA.
De Principibus Catholicis reſpectiuè tum ad ſubditos Catholicos; tum ad ſubditos Hæreticos, Iudæos, aut Gentiles.

Diuiditur hæc in quatuor articulos.

Primus reſpicit obligationem Principum Catholicorum verſus ſubditos Catholicos.

Secundus reſpicit eorum potentiam contra ſubditos infideles.

Tertius item reſpicit eorum potentiam, ſed in ipſorum fauorem.

Quartus aſſignat praxim Confeſſarij dictorum Principum.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.
An Principes teneantur potius punire homicidiarios, & latrones &c. an verò blaſphemos ſuperſtitioſos, diabolicos &c.

Difficultas hæc alibi fuſius viſa fuit lib. jv. diſt. 2. art. 2. diff. 1. *; propterea hic breuiter me expediam.*

RESpō abſolutè Principes magis obligari ad punitionem Hæreticorum, & blaſphemantium; quàm homicidiariorum, aut latronum: primò, quia illi peccant contra præcepta primæ tabulæ: iſti verò contra illa ſecundæ; magis autem peccant, qui aduerſantur præceptis primæ; cum reſpiciant honorem Dei; quàm illi, qui contrariantur mandatis ſecundę, quæ reſpiciunt iuſtitiam inter homines obſeruandam.

Secundò, quia cæteris paribus magis flagellatur Reſpublica ob crimina contra honorem Dei; quàm ob delicta contra quietem ipſius; nam iuxta grauitatem delictorum eſt plagarū modus.

De hæreſi patet, quia ſerpit, vt cancer, ac velut occulta peſtis inficit corda hominum.

De blaſphemia item conſtat ex DD. eſſe præcipuam cauſam peſtilentiarum, bellorum, & famis in Chriſtianitate, legendus eſt *Lexicon Theologicum, ver. Blaſphemia;* hinc D. Hieronymus ſuper Iſaiam ità proloquitur: *Blaſphemiæ peccatum omni alio eſt horribilius, & Gloſſa ſuper Iſaiam c.* 18. propemodum idem habet his verbis: *Omne peccatum blaſphemiæ comparatum leuius eſt*; quo fit, vt leuius illa ſit peccatū comedentis carnes in die Veneris, aut Sabbati, vel Quadrageſimę. vt notat *Lexicon Theolog. loc. cit.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An Principes Catholici tutâ cōſcientia debellare poſſint Infideles ob peccata præcisè contra Deum, quę directè non vergunt in preiudicium proximi.

NOtandum crimina in damnum proximi directè ſunt furta, rapinæ, homicidia &c. crimina verò contra Deum ſunt idolatria, blaſphemia, & alia id generis.

Occaſio huius difficultatis eſt; quia nō pauci ineptè, & perperā conquęruntur de Principib. Catholicis; potiſſimùmq; de Summo Pontifice: eo quod non ſumunt arma contra Infideles, non rectè cogitantes, quid poſſint nec ne.

Reſpondetur negatiuè .s. Principes Catholicos minimè poſſe debellare Infideles ob crimina; quibus ipſi, vel ſubditi directè non damnificantur: nam (teſte *Auguſtino lib. 6. ſuper Ioſue, quæſ.* 10.) *Iuſta bella ſunt, quæ iniuſtitiam vlciſcuntur*; ſed Infideles Catholicis ob peccata præcisè contra Deum non faciunt iniuſtitiam: quare Catholici Principes contra Infideles arma ſumere non poſſunt.

Item quemadmodum ſubditus in ſubditum poteſtatem non habet: ità neque Princeps in Principē (iniuſtitia minimè intercedēte) par .n. in parem non habet imperium. *l. Ille à quo, §. Tempeſtiuum, ff. ad Treb.*

Verùm ſunt duo caſus, in quibus Princeps Catholicus Principem Infidelem oppugnare poteſt. Primus, cum iniuſtè impedit Euangelij prædicationem; quam omnes, & ſinguli recipere tenentur; ſed nota, quòd Princeps non dicitur impedire Euangelij prædicationem: eo quòd illam audire, vel recipere renuit: ſed ſolùm, quando pòſitiuè oppugnat Euangelij promulgationem.

Idem poſſet Princeps Infidelis; qui Euangelij prædicationem admitterè vellet, ſi eius populus nō obſiſteret: & è cōtra populus volens audire Euangelij prædicationem poſſet reſiſtere Principi Euangelij emulgationem deneganti. Alterum eſt, quando Princeps infidelis communitèr per vim inducit ſuos ſubditos ad iniuſtè, maléq; viuendum; quòd dico, quia ſi tantū induceret ſuaſione, vel ſcandalo; tunc non liceret Principi Catholico aſſumere arma contra Infidelem: quia ſic nulla ſufficiens intercedit iniuria; immò, illa etiam exiſtente, adhuc ſumere non debet, niſi præmiſſa monitione, attentaq; emendatione; quæ ſi non prodeſt; tunc tenetur; cum ad ipſum primò, & per ſe conſeruatio legis pertineat.

Porrò in his duobus caſibus ſemper attendi debet; quid euētus afferre poſſit incommodi: nam arma, non niſi magna cum prudentia, maturoq; conſilio ſunt accipienda: attento item tempore, & hinc inde viribus. ità ex *Carbone, Sum. ſummarum tom. 3. lib. 1. cap. 53.*

DIFFICVLTAS II.

An Infideles ſubditi .ſ. non baptizati ab eorum Principe Chriſtiano Catholico,ad deſerendam idolatriam compelli poſſint.

RESpondetur affirmatiuè; ratio eſt, quia Principes compellere poſſunt ſuos ſubditos ad ſeruandam legem naturalem, quæ omnes obligat; cum indita ſit naturæ intellectuali, prohibeatq; idolatriam. ità *Malderus in 2. 2. D. Thom. q.* 10. *ar.* 8. *prop.* 3. quòd nouiſſimè notauit *Ghilinus, ver. Idolatria. Valentia ibidem pun.* 6. *D. Thom. loc. cit.* Ob hanc cauſam ſimiliter filij ſeruorum Infidelium ab eorum parentibus ſeparari poſſunt, vt baptizentur; ſed poſteà diligentia adhibenda eſt, ne ab ipſis ſubuertantur. *Vaſquez in* 3. *part. tom.* 3. *diſſ.* 155. *nu.* 50. *Gregorius Ruiz in Controuerſijs Theol. contro.* 19. *Luſius Turrianus in* 2. 2. *tom.* 1. *diſp.* 54. *dub.* 2. vt obſeruat *Ghilinus in Reſol. caſuum conſcientiæ, ver. Baptiſmus*, *nu.* 15. qui addit dictos filios baptizari poſſe, etiam dum exiſtunt ſub parentum cura. Verùm attende, quæ ſupra diſt. 1. & 4. tradidi de Sacramento Baptiſmi.

DIFFICVLTAS III.

An Chriſtiani Principes cogere poſſint Infideles ad audiendam Fidem.

DIſtinctione duplici opus eſt: prima, vel loquimur de Infidelibus minimè ſubditis dictis Princip. vel loquimur de Infidelibus ipſis ſubditis. Secunda, vel loquimur de coactione directa, vel de indirecta; quid ſit autem coactio directa, notum eſt: Coactio verò indirecta (in propoſito) fit Infidelibus, quando, ad hoc, vt conuertantur; maiora, quam alijs imponuntur tributa. his habitis,

Reſpondeo duabus propoſitionibus, prima. Nullo modo licet Principibus Chriſtianis ſæcularibus Infideles non ſubditos cogere ad Fidem audiendam. *Suarius tract.* 1. *de Fide, diſp.* 18. *ſect.* 2. *num.* 6. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 36. *nu.* 9.

Secunda, Chriſtiani Principes Infideles ſibi ſubditos ad audiendā Fidem cogere poſſunt. *Suarius loc. cit. ſect.* 2. *nu.* 3. *Bannes* 2. 2. *quæſ.* 10. *art.* 8.

Verùm nota diſcrimen eſſe inter audiendā Fidem, & illam ſuſcipiendam: quia, quamuis poſſint cogere ſubditos Infideles ad illam audiendam: non tamen ad illam ſuſcipiendam (loquendo directè) dico directè; nam indirecta coactio nō eſt illicita; ſi debitis circunſtantijs veſtiatur; videlicèt, quòd non interueniat aliqua iniuſtitia, & quod ſufficientèr probetur conuerſionem eſſe veram; hoc tamen non fiat frequentèr (inquit) *S. Antoninus* 2. *par. tit.* 12. *cap.* 2. *Valent. tom.* 3. *diſp* 1. *quæſ.* 10. *punc.* 6. *Suarius loc. cit. ſect.* 3. *nu.* 4. *& ſeqq.*

Reſpectu verò Infidelium non ſubditorum nihil poſſunt, niſi per accidens: vt ſi vellent ſacrificare Idolis innocentem, illius defenſionē poſſent ſuſcipere, *Victoria Relect.* 1. *par. nu.* 40. *Soto in* 4. *diſt.* 5. *quæſ. vnica, art.* 10. *& alij*.

Summus verò Pontifex habet poteſtatem mittendi Prædicatores ad diſſeminandū Chriſti Euangelium ad omnes, & ſingulas terrarum partes, *Matt.* 24. *Marci vltimo. S. Thom.* 2. 2. *quæſ.* 108. *Suarius de Fide loc. cit. ſect.* 1. *num.* 2. & etiam expugnandi per vim illos impedientes: ſed ad ſuſceptionem Fidei cogere nequit, *Suar. loc. cit. ſect.* 1. *nu.* 10.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Princeps, ſeu Magiſtratus Iudæis poſſit permittere, ſeu tolerare eorum ritus, vſuras, & odium in Chriſtianos.

QVO ad ritus dicendum eſt tam Principem, quàm Magiſtratum permittere, ſeu tolerare poſſe Iudæis ritus ſuos, ſi adſit ſufficiens cauſa. Hoc facit Pontifex Romæ, & multi Principes in ſuis Prouincijs. ratio? Primò, vt per ritus Iudaicos: v.g. per Circunciſionem, & agnum Paſchalem adumbretur, & confirmetur veritas Chriſtiana de Baptiſmo, & Euchariſtia; hanc autem cauſam approbat *D. Auguſtinus lib.* 8. *de Ciuitate Dei, & cap.* 46. *D. Thom. in* 2. 2. *quæſ.* 10. *art.* 11. Secundò, vt Iudæi qui ſuos exercent ritus intelligēdo à Chriſtianis, inter quos habitant, illos fuiſſe vmbras, & figuras Chriſtianæ religionis; faciliùs ad Chriſti Fidem conuertantur. hanc rationem etiam approbat D. Thom. vbi ſupra. Verùm Princeps, ſeu Magiſtratus Chriſtianus nihil ratione talis permiſſionis accipere poteſt à Iudæis: nam peccata publica, quibus offenditur Deus propter ſolum lucrum temporale, quod ex permiſſione ſperatur, minimè permitti poſſunt. *Becanus loc. infra cit.*

Quoad vſuras item; dicendum eſt Principē, ſeu Magiſtratum poſſe quoque permittere vſuras Iudæorum; ſi adſit ſufficiens cauſa; hinc Pontifex, & multi alij Principes Chriſtiani illā permittunt; cuius ratio poteſt eſſe ad impediendū maius malū; ſi .n. non permitterentur vſuræ; alia multa mala fierent, vt furta, rapinæ, oppreſſiones pauperum, & his ſimilia; ideò ad hæc euitanda, vſurę permitti poſſunt, tanquam minus malum (loquendo de vſuris communibus, quæ non excedunt lucrum; quod lege, vel conſuetudine permiſſum eſt) non autem de vſuris exorbitantibus. Verùm Princeps, ſeù Magiſtratus ob ſolam vſurarum permiſſionē nō poſſunt eſſe participes lucri vſurarij; cenſentur autem eſſe participes; quando eo fine illas permittunt; vt poſſint inde aliquid lucri decerpere: poſſunt tamen exigere à Iudæis annuum tributum, ſeu vectigal, non ratione permiſſionis vſurarum; ſed ratione conceſſæ habitationis inter Chriſtianos,

Notandū autem, quòd Iudæi peccant contra iuſtitiam vſuras committendo: quia iure naturali, & diuino prohibitæ ſunt; & lucrum, quod per vſuras acquiritur, eſt merum furtū: Vnde ſuppoſito, quòd Principes, ſeu Magiſtratus ipſorū nollent vſuras permittere, ſeu tolerare; poſſent eos punire: & lucrum, quod ex ipſis

ipſis iniuſtè acquiſitum eſſet, vel reſtituere ſuis Dominis; vel ſi incertũ foret; in publicam vtilitatem illud conuertere.

Quo verò ad odium; noto duplex eſſe odiũ Iudæorum in Chriſtianos, vnum internum, quòd, cum occultum ſit; à Principe, ſeu Magiſtratu puniri non poteſt; alterum externum, quòd erumpit foras in apertam iniuriam; hoc autem à Principe, vel à Magiſtratu coerceri poteſt, & debet; alitèr grauitèr peccat; nam ex officio tenetur punire omnem iniuriam publicam, vt iuſtitia conſeruetur, quòd notat in primis *Becanus in Compendio controuerſiæ huius temporis lib. 5. cap. 17.*

DIFFICVLTAS II.

An Princeps Catholicus in aliquo caſu poſſit permittere, ſeu tolerare hereſim in ſua Prouincia, in qua Catholici, & Hæretici permixti ſunt.

ALiqui abſolutè negant; primò, quia nullo modo licèt fauere Hæreticis: patet ex *Bulla Cœna Con. 1.* at tolerare, ſeù permittere hæreſim in ſua Prouincia eſt quodam modo fauere Hæreticis; ergò non licet.

Secundò, quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, teſte *Apoſ. ad Rom. 3. at hæreſis ſine dubio mala eſt*; ergò non licèt eam tolerare; etiam ſi aliquid boni inde euenturum ſit.

Tertiò, Reges Hebræorum, qui olim in ſuo Regno permittebant idolatriam; grauiſſimè à Deo reprehenſi ſunt, vt Ieroboam, Ioram, & alij plures; ergò patet per hoc ſignum huiuſmodi permiſſionem Deo diſplicere.

Alij rectius ſentiunt Principem in tribus caſibus hæreſim permittere, ſeu tolerare poſſe.

Primus, quando non poteſt eos vi cogere; quia non eſt ſatis potens: vt quando in Ciuitate, vel Prouincia ſunt multò plures, & potentiores Hæretici, quàm Catholici: Nec alius occurrit impediendi modus; cum ſint pertinaces. ità *Becanus loc. infra cit.*

Secundus eſt, quando ex permiſſione maius ſperatur bonum; & hoc modo etiam Deus permittit non ſolùm hæreſim; ſed omnia alia peccata, quæ in hoc mundo fiunt: quia poteſt inde maius bonum elicere, iuxtà illud Geneſis c. 50. *Vos cogitaſtis de me malum* (inquit Ioſeph ad fratres ſuos) *ſed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me: & ſaluos faceret multos populos:* Vndè *Auguſtinus in Enchirid. cap 27. Melius iudicauit de malis benefacere, quam nulla mala eſſe permittere.*

Tertius caſus eſt, quando ex permiſſione euitatur maius malum, quòd alitèr euitari nõ poteſt: ex. gr. ſi Princeps Catholicus è ſua Prouincia eijciendo Hæreticos; probabile foret, vt ipſi cum vicinis populis, & Principibus Hæreticis (impeto facto) Catholicos opprimerent, & eorum exercitum abolerent.

Extra hos caſus peccant Principes tolerando, ſeu ex mera negligentia permittendo Hæreticos in ſua Prouincia, vel Ciuitate ſenſim irrepere.

Verùm pro maiori intelligentia, & ſolutione argumentorum prioris ſententiæ, not.

Primò, quòd quãuis Princeps faueat Hæreticis, illos permittẽdo in ſua Ciuitate, aut Prouincia ſine legitima cauſa; ſecus tamen eſt, ſi ex legitima cauſa.

Secundò, quòd aliud eſt facere malum: aliud permittere, aut tolerare malum. Verùm etſi non ſint facienda mala, vt eueniant bona: falſum tamen eſt non eſſe permittenda mala, vt eueniant bona: nec permittẽs peccat, dummodò tamen maius ſit bonum, ob quod permittitur malum.

Tertiò, Principes, qui permittunt mala ex negligentia: vel ex reſpectu humano digni ſunt reprehenſione: non item, qui ex imminenti timore periculi, vt Ioſaphat; qui initio Regni ſui nõ auſus fuit auferre excelſa, *3. Reg. 22.* poſteà tamen factus audacior illa abſtulit, *2. Paralip. 17* quo facto fuit commendatus. ità *Becanus in Compend. Controuer. huius temporis lib. 5. cap. 16.*

DIFFICVLTAS III.

An Princeps non ſolum poſſit permittere, ſeu tolerare Hæreticos; ſed etiam promittere, ſeu paciſci ſe permiſſurum, ſeu toleraturum.

REſpondetur hanc regulam eſſe ſeruandã: quandocunque permiſſio, ſeù tolerantia mali licita eſt; etiam promiſſio talis permiſſionis, ſeù tolerantiæ licita eſt. Quando autem permiſſio, ſeù tolerantia eſt illicita; tunc etiam promiſſio illius eſt illicita; patet in ſimili: nam ſi matrimonium inter Petrum, & Catharinam poteſt eſſe licitum; etiam promiſſio talis matrimonij poteſt eſſe licita: Si autem matrimonium ratione alicuius impedimenti non poteſt eſſe licitum; nec promiſſio poteſt eſſe licita. Ratio eſt, quia honeſtas, & turpitudo actionis pendet ab honeſtate, & turpitudine obiecti: promiſſio autem eſt quædam actio: ergò honeſtas, vel turpitudo illius pendet ab honeſtate, vel turpitudine rei promiſſæ, quę eſt illius obiectũ. Prædicta regula colligitur ex doctrina *Ludouici Carbon. in Sum. ſummarum tom. 3. lib. 1. c. 52.* quam teſtatur etiam eſſe ex mente *Caiet.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An Confeſſarius illos, qui ritus Infidelium: v. g. Iudæorum tolerant, abſoluere poſſit.

RAtio difficultatis eſt; quia multi Infidelium ritus ſunt apertè mali, vtpotè vſura, quam exercent Iudæi.

Reſpondetur affirmatiuè .s. quod ritus eorum Infidelium, qui Chriſtianis ſunt ſubiecti, licitè tolerari poſſunt ob diuerſos, ac iuſtos fines; tum ad vitandum maiora Reipublicæ incommoda: tum ne impediatur maius bonũ; vt ſi ex tolerãtia ſperaretur eorum correptio; quia etiam Deus ob has cauſas mala eſſe permittit; & regimen humanum debet imitari diuinum; qua propter hæc regula ſeruanda eſt, quam tradit *Carb. loc. infra cit. ex mente Caiet.*

vt

vtſup. innui art.3. diff.3.; cũ permiſſio ex ſe nõ ſit mala, ſpectandaq; eſt cauſa, ob quam malũ pmittitur,ſi eſt rationi cõſentanea: v. g. ne bonum preponderans impediatur: vel ne grauius malum fiat: ob quam cauſam *Matt.* 13. præcipitur à Patre Famil.ſeruis ſuis,vt ſinant creſcere zizania; ne cum eradicatione ipſius eradicetur ſimul, & triticum: Suppoſito itaq;, quòd neutra cauſa ex prædictis adſit;ſuperſtitioſi,vel mali ritus Infidelium,non eſſent tolerandi;nec Confeſſarius abſoluere poſſet illos tolerantes, cumaliqui eorum ſint contra legem naturæ: cuius cuſtos eſt Princeps: idq; Eccleſiaſtica Conſtitutione præcipitur, *Clemen. vnica de Iudæis*.

Ex dictis facilè colligere potes;cur ritus quidam Iudæorum rectè permittantur; & inuenies, quòd ad bonum finem: v. g. quia confirmant veritatem noſtræ Fidei, cuius fuerunt figuræ. Legenda eſt *Diſt.* 45. *Canon.* Qui ſincera, & ob dictam cauſam, vt notat *D. Aug. de Ciuitate c.* 46. (volente Deo) non fuerunt omninò extincti dicti ritus: Vndè colligere potes nullo modo Iudæos grauibus pœnis ad ſuam legem relinquendam eſſe cogendos.

Dices, Iudæum cogi poſſe ad obſeruandam legem diuinam, & naturalem: ergo, & legem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ in illis fundatã. Reſpondeo,quod non eſt par ratio de lege Eccleſiaſtica, & de lege diuina, & naturali: nam illam omnes æquè ſequi debent: non autem iſtam.

Vrgebis Hæreticos cogi poſſe ad ſeruandã legem Eccleſiaſticam cum dimiſſione ſuorũ rituum:ergò etiam Iudæos.Reſpondeo,quòd non eſt par ratio de Hæreticis, & Iudæis; quia hi aliquando Fidem noſtram ſunt profeſſi, & promiſſis ſtare tenentur: non ſic Iudæi, qui nunquam Fidem Catholicam ſuſceperunt, vt notat *Carb. loc. cit. ex mente Caiet.*

Not. etiam ex mente prædictorum DD. quòd, quemadmodum quidam Iudæorum ritus tolerantur: ità quædam explicationes in ſcripturam; etiam ſi ſint minus bonæ.

Verùm, quæ eorum Rabbini contra Fidem Chriſtianam impiè ſcripſerunt, nequaquam toleranda ſunt: qua propter Superioribus annis ſcripta Talmudicorum fuerunt damnata: nam Eccleſia quoad hanc partem habet facultatem tuendi ſe,& remouendi obſtacula Fidei: ità ex *Lud. Carbon. in Sum. ſummarum tom.* 3. *lib.* 1. *c.* 52. *circa finem*. Quare notandum, quòd nec Iudæi poſſunt habere Talmudicos libros Rabbinorum; qui Scripturas Sacras corruperunt: ſed ſolùm libros antiquorum, qui ſine odio Chriſtianæ religionis ſcripti ſunt. *Suarius tract.* 1. *de Fide, diſp.* 18. *ſect.* 4. *num.* 9. *& ſeqq. Azor. Sum. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæſ.* 12. *ver. Item communis eſt opinio. Pen. ad Eymer.* 2. *par. Direct. quæſ.* 46. *Comm.* 71. *Souſa in Aphor. Inqu. lib.* 1. *cap.* 37. *nu.* 15. Non poſſunt ſimilitèr retineri alios libros Iudaicos quomodolibet damnatos, vel alàs prohibitos; nec item cuſtodire, diuulgare, vel in quæcunque loca deferre: aut ád id operam ſuam accomodare: *Azor. Sum. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæſ.* 12. *ver. Si quis libros. Souſa loc. cit. nu.* 24.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS II.

LIBER XIV.

De ſuſpectis, ſeù diffamatis de Hæreſi; de hoc caſu proloquitur Textus, ibi: *Soſpetti, ò Diffamati di hereſia, ò Credenti, ò Fautori, ò Recettatori, ò Defenſori loro &c.*

Noto in primis caſum iſtum ferè coincidere cum aſſignato ab Arſenali S.Inquiſ. lib. 1. *ibi* : Fautori di Heretici, ò ſoſpetti di hereſia.

Noto ſecundò caſum iſtum in tres diuidi particulas.

Quarum prima eſt de Suſpectis, & Diffamatis de hæreſi in generali.

Altera eſt de Suſpectis in ſpecie, quatuorq; enumerat ſpecies, vt patet intuentibus litteram textualem, ibi: Credenti, ò Fautori, ò Recettatori, ò Defenſori loro.

Tertia verò eſt de alijs Suſpectis, de quibus textus implicite, ibi, Dichiarando che per la ſopradetta eſpreſſione de caſi da Noi ſpecificati &c. non eſcludemo gli altri caſi ſpettanti al S. Officio, che &c.

Noto tertiò ſuſpectorum de hæreſi, alios eſſe annodatos excōmunicatione Bullæ Cœnæ: alios non: Annodantur, qui explicitè, & ſpecificè ponuntur inſimul in textu, & in Bulla Cœnæ, videlicet, Hæreticorum Fautores, Credentes, Receptatores, Defenſores. Verùm non annodantur dicta cenſura, quatenus ſunt in Edicto; ſed quatenus in Bulla, vt aliàs diximus. Nec reponuntur huiuſmodi de hæreſi ſuſpecti in Edicto, & Bulla ſub eadem formalitate, ſed ſub diuerſa: nam in Edicto conſiderantur, vt denunciandi: in Bulla verò, vt abſoluendi, non à quocunque; ſed à ſolo S. Pontifice ratione reſeruationis ſibi factæ.

Diuidimus autem hunc librum in ſeptem diſtinctiones.

In prima agitur de Suſpectis, & de Diffamatis in generali.

In ſecunda de Fautoria Hæreticorum abſolutè.

In tertia item de Fautoria Hæreticorum, ſed comparatiuè ad Bullam Cœnæ.

In quarta de ipſa Fautoria, quo ad denunciationem.

In quinta de alijs quatuor ſpeciebus de hæreſi ſuſpectorum, de quibus textus explicitè.

In ſexta de ſuſpectis, de quibus textus implicitè.

In ſeptima itē quæritur de Suſpectis de hæreſi, de quibus Tex. implicitè, ſed miſcellaneè.

DISTINCTIO PRIMA.

De Suſpectis Fidei in genere.

Quæ in quatuor partitur articulos.

Primus reſpicit communia Suſpectis Fidei.

Secundus, demonſtrat quomodo ſuſpiciones graues mutentur in leues: & è cōuerſo.

Tertius, oſtendit quales Fidei Suſpectos denunciare tenemur.

Quartus, diſſerit de Diffamatis de hæreſi.

ART.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Suſpicio hæreſis quotuplex?

SCiendum eſt, in iure de hæreſi triplicem reperiri ſuſpicionem, nimirùm; modicam, magnam, & maximam. Modica vocatur leuis, tum quia modica, & leui defenſione aufertur; tum quia ex modicis, & leuibus oritur coniecturis; ex. gr. ſi de hæreſi haberentur ſuſpecti; qui vita, & moribus à communi hominum conuerſatione deuiant. *Farinacius de Hæreſi, quæſ.* 187. *nu.* 24. *Lel. Zecch. in Summa par.* 1. *tit. de Fide, rub. de Hæreticis c.* 11. *num.* 5.

Magna vocatur vehemens, ſiue fortis; & ità nominatur; tum quia non niſi magnis, vehementibus, & fortibus defenſationibus repellitur: tum quia ex magnis, vehemētibus, & fortibus coniecturis oritur; vti eſt illa, quæ oritur ex eo, quod aliquis occultat, aut defendit illū, quem cognoſcunt homines eſſe Hæreticum.

Suſpicio maxima in iure vocatur violenta; ſicque appellatur; tum quia violentat, cogit, & arctat Iudicem ad credendum Reum hæreſis labe infectum eſſe: tum quia tergiuerſatione qualicunque refelli non poteſt: vt ſi quis ab Hæreticis communionem reciperet; & proindè ſecundum diſtinctionem hanc ſuſpectos de hæreſi nouimus eſſe in triplici genere diſtinctos, nimirùm alios de leui, alios de vehementi, aliosq; de violenti: ita ex *Director. Inquiſ. qu.* 46. *par.* 2.

Suſpicio de hæreſi itèm alia eſt temeraria: alia probabilis; De probabili autem loquemur.

DIFFICVLTAS II.
Qui in iure ſpecificè ſuſpecti habentur hæreſis.

SAtisfacit quæſito Heliſæus Maſinus in *Arſenali S. Inquiſitionis par.* 1. *cap.* 1. enumerando infraſcriptos.

Primò, qui in materia Fidei proferunt propoſitiones; quæ non declaratæ auditorum aures offendunt.

Secundò, qui Sacramentis, ſacramētalibus, aut rebus ſacris abutuntur.

Tertiò, qui Hæreticorum conciones audiunt, ſaluis, quæ ſupra dixi de audiente dictas conciones.

Quartò, qui ſunt diffamati tanquàm Hæretici ratione habitæ conſuetudinis cū Hęreticis.

Quintò, qui verba hæreticalia in ludis, aut facetijs euomunt. latiùs ſe habet *Mauritius de Gregorio in Praxi S. Inquiſitionis, verb. Blaſphemia. Zanardus in Direct. Theol. par.* 2. *cap.* 5. alios aſſignat de hæreſi ſuſpectos.

DIFFICVLTAS III.
Suſpectus de hæreſi, ipſiusq; ſuſpicio quæ.

SVſpectus de hæreſi, ſeu de Fide ille dicitur, qui dicit, vel facit aliquid; ex quo hæreſis ſuſpicio infertur.

Suſpicio probabilis (de qua eſt ſermo) eſt opinio mali alicuius ex ſignis; ex quibus ad præſumptionem venitur. *Penna* 2. *par. Direct. Comment.* 80. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 10. Secundum *Farinacium verò vbi de tortura, quæſ.* 36. *nu.* 176. Suſpicio eſt opinio mali ex leuibus indicijs procedens.

DIFFICVLTAS IV.
In quot, & quibus differt præcisè ſuſpectus de hæreſi ab Hæretico formali.

PRimò differt quo ad pœnam; nam præcisè ſuſpectus de hęreſi, vel de ipſa diffamatus: non priuatur ipſo iure beneficijs, *cap. Vt commiſſi, §. Priuandi, de Hæreticis in* 6. nec punitur alijs pœnis, niſi quatenus in iure reperitur expreſſum, vide ſupra *Lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *ibi decimum ſeptimum*, quòd ſecùs dicendum eſt de Hæretico formali, *Direct. par.* 2. *quæſ.* 7. *vbi Pegna Commen.* 162. *verſ. Beneficia verò, Sanchez in Summa lib.* 2. *cap* 26 *nu.* 14. quòd notat *Suarez in Enchiridio lib.* 7. *verſ. Hæreticus circa finem.*

Secundò differt, quia ſuſpicionum de hęreſi vna eſt grauior altera: Vndè illarum tres dantur gradus, vz. ſuſpicio leuis, vehemens, & violenta. Hæreſum verò in ratione hæreſum vna non eſt maior, vel minor altera.

Tertiò, Suſpectus de hæreſi ob illius ſuſpicionem præcisè minimè eſt irregularis: ſed benè fit irregularis ob illius infamiam; quando crimen exiſtat notorium. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. *&* 12. *Sanctarellus de Hæreſi cap.* 25. *dub.* 1. *num.* 9. *Bordonus var. reſol. reſolutione* 11. *num.* 42. *&* 44. Hæreticus verò eſt irregularis, iuxtà *cap. Saluberrimum*, 20. *quæſ.* 7. *cap.* 2. *de Hæreticis in* 6.

Quartò, Suſpecto datur Defenſor: non autē Hæretico, conſtat ſupra *Par.* 1. *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 1. *ibi vigeſimum.*

Quintò, Suſpectus, licèt reincidat in eandē hæreſis ſuſpicionem; non dicitur propriè relapſus; quod ſecus eſt de Hæretico, vide ſupra *loc. cit. diſt.* 4. *art.* 2. *diff.* 1.

Sextò, Suſpectus abiurat abſque habitello: Hæreticus verò abiurat cum illo: *Arſen. S. O. part.* 10. *admon.* 9. *&* 10. *& nos lib.* 3. *diſt.* 4. *art.* 2. *diff.* 5.

Septimò, præcisè ſuſpectus de hæreſi ſub manifeſto vitæ diſcrimine non venit denunciandus; quòd ſecùs eſt reſpectu Hæretici actualitèr dogmatizantis: nam publicum bonum priuato anteponendum eſt. patet ſupra *Par.* 1. *lib.* 4. *diſt.* 2. *diff.* 3.

Octauò, ſumitur ratio differentiæ etiam reſpectu omittentis denunciationem vnius, & alterius: nam omittens denunciare ſuſpectū non fit ipſe ſuſpectus: Omittens vero denunciare Hæreticum; ſi omittens ſit ex illis, qui ex officio tenentur; fit ſuſpectus iuxta ea, quæ ſupra tradita ſunt *lib.* 4. *diſt.* 3. *art* 3. *diff.* 3.

Nonò, contra præcisè ſuſpectū non proceditur ipſo mortuo; quòd ſecùs eſt contra Hæreticum; vti cautum fuit ſupra *lib.* 4. *diſt.* 7. *ar.* 6. *diff.* 1.

ART.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An interdum ſuſpiciones vehementes conuertantur in leues, & è conuerſò.

RESpondeo affirmatiuè, vt inter alios obſeruat *Zanardus in Direct. Theol. par. 2. cap. 5. vbi de ſuſpectis de hæreſi*; qui ad hoc cognoſcendum tradit ſequentia.

Primò, inſpiciẽdũ eſt, an ſuſpectus ſit Theologus, vel ſaltem vir eruditus; aut ſimplex, & ignorans: an malè, vel benè viuens: an motus ira, vel cum deliberatione patrauerit dictũ, vel factum ſuſpectum.

Secundò, attendẽdum eſt, an factum, vel dictum ſuſpectum patiatur interpretationem, vel non: an ſit in ore, ſeu familiare Hæreticis, vel non.

Tertiò, conſiderandus eſt locus; ſcil. An ſuſpecta ſint patrata in partibus Infidelium, vel apud Fideles: An voluntariè, vel metu aliquo; An cum ſcandalo, vel ſine: an in loco, vbi homines de facili decipi poſſunt, vel alibi.

Quartò, notandũ eſt tempus, ſcil. an ſuſpecta dicta, vel facta fuerunt, quando defendenda erat Fides: an quando erat periculum ſubuerſionis: an tempus quæſitum nocturnum, vel diurnum fuerit.

Quintò, attendendum eſt medium, quò hæc ſuſpecta dicta, vel facta ſunt; an per ſe, vel per alium; docendo, vel exequendo: item quo ordine, vel diligentia, ſcil. an in aperto, vel clam.

Sextò, deniq; intuendum eſt, quoties hæc facta, vel dicta ſint; an pluribus vicibus, vel paucis: Si denunciaturus iſta attendet, magna cum prudentia ſe habebit in executione ſui muneris, raròq; ſibi errare continget.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An ſuſpectus de hæreſi, ſed ſolùm de leui veniat denunciandus.

NOtandum ſuſpicionem leuem eſſe illam, quæ leuibus coniecturis, aut temerarijs oriri ſolet: vt ſi talitèr haberetur, qui frequentèr peierat. *Menochius de Præſumpt. lib. 1. quæſ. 100. num. 1.* vel mulier, quæ audiendo ſacrum conſueuit accipere cereum accenſum. faciunt adducta per *Eymer. 2. par. Direct. Inquiſ. quæſ. 46. Simancam tit. 50. num. 23. Albertinum de Agnoſcendis aſſert. quæſ. 34. nu. 36. Freitam in addit. Roder. Acbuna, qu. 5. nu. 36. 37. 38. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 187. n. 24.*

Dicitur leuis ad diſtinctionem vehementis, & violentæ; quæ grauibus, & cogentibus coniecturis oriuntur; quarum cenſentur notati blaſphemi Hæreticales: verberantes Sanctorũ Imagines, aut Dei, vel Deiparæ. legenda eſt *Praxis Neapolit. cap. 18. nu. 1. Alphonſus de Caſtro de iuſta Hæret. punitione cap. 15.*

Modò ad reſolutionem deueniendo, loquẽdoq; de leui ſuſpicione, quæ in ſe talis eſt; & non preciſè per ſolam comparationem ad vehementem, & violẽtam; cenſeo leuitèr ſuſpectos de hæreſi minimè denũciandos eſſe: nec Iudici omninò integrum eſſe ob dictam ſuſpicionem (quæ in quolibet ſex caſuum ad Sanctum Tribunal ſpectantium reperiri poteſt) hominem aliòquin bonæ famæ, aut ſanè Fidei ab omnibus regularitèr cognitum; de ſpectantibus ad Fidem inquirere: ità *Praxis Neapol. cap. 23. nu. 11. & cap. 18. ad mentem Alphonſi de Caſtro lib. 2. de iuſta Hæreticorum punitione cap. 25. Simancas tit. 50. nu. 28. Lazarius qq. Canon. de Blaſphemia, quæſ. 12. n. 32. Homobonus de Caſib. reſer. par. 2. caſ. 1. ibi Blaſphemi, quibusnam denũciandi, & alij. & nos ſup. lib. 4. Diſt. 3. art. 2. diff. 3.*

Dices, Inquiſitores ex vi commiſſionis contra hæreticam prauitatem poſſunt: & debent ſe intromittere contra ſuſpectos de hæreſi; nõ ſolùm, vbi vehemens; ſed etiam vbi leuis eſt ſuſpicio, patet ex *cap. Contumacia, cap. Accuſatus in principio, cap. Vt officium in principio, de Hæreticis in 6.* Reſpondetur leuem ſuſpicionem in dictis teſtibus dici per comparationem ad vehementem: in ſe tamen notabilis eſſe debet Iudicis arbitrio, *gloſ. 1. in cap. Excommunicamus 1. §. Qui autem, de Hæreticis*, & ità ſunt explicandi Doctores tradentes in hoc crimine procedi poſſe contra quoſcunque pro quauis etiam leui ſuſpicione: nam ſuſpicio in ſe minima ſufficere non debet in hoc grauiſſimo crimine, in quo cautius eſt agendum. *c. Vt officium, §. Verùm, de Hæreticis in 6.*

Verùm, quia de leui ſuſpicione facta eſt mentio; idcircò in gratiam huius termini cenſeò neceſſariam eſſe ponere differentiam conſimilium terminorum, ne ſimilitudo retardet intelligentiam. termini ſunt iſti: vz. leuis ſuſpicio, præſumptio, indiciũ, ſemiplena probatio.

Leuis ſuſpicio eſt minor coniectura, quam præſumptio; ideò ſi eſt præſumptio; eſt etiam ſuſpicio: ſed non è conuerſo; qua proptèr *Farinacius de Hæreſi, quæſ. 187. §. 2. nu. 23.* aduertit, quòd dicta de præſumptione; de ſuſpicione quoque dici poſſunt.

Indiciũ propriè eſt pluſquam ſimplex præſumptio; & eſt minus ſemiplena probatione *Clarus quæſ. 20. § fin.* Verùm, quia horum explicatio potius facit ad forum externum, quã ad noſtrum: idcircò non laboro vlterius.

DIFFICVLTAS II.

Suſpectus de Fide, ſed prorſus occultus an denunciandus ſit, remiſſiuè. vide part. 1. lib. 5. art. 2. diff. vnica.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

De diffamatis de Hæreſi iuxta Textum, ò Diffamati d'Hereſia.

Diffamatus de hæreſi, quis, & quotuplicitèr dicitur?

AD primam particulam, Reſpondetur Diffamatos de hęreſi dici illos, de quibus extat publica vox, & fama apud omnes: vel ſaltem apud maiorem partem Ciuitatis, vel viciniæ, aut Villæ; quod talem hæreſim prædicauerint, ſeu defenſauerint; vel alitèr illi adhæſerint. *Direct. Inquiſ. par. 2. quæſ. 57. vbi Pegna Commen. 82. Farinac. de Hæreſi. qu. 187. §. 5. nu. 53. Zanardus verò in Direct. Theolog. 22.*

cap.

cap. 38. ſentit Diffamatum idem valere, ac infamia notatum apud probos, & prudentes.

Quo ad ſecundam particulam noto tribus modis poſſe aliquem de hæreſi diffamatū eſſe.

Primò, ſi poſt patratum graue delictum, ver. gr. poſt violata Sacramenta aduersùs illū oriatur infamia; attentis tamen qualitatibus perſonarum, locorum, temporum, *Pegna ad 3. par. Direct. Comm. 38. ver. Sed quaret.*

Secundò, ſi apud probos viros, pluriès, vel paſſim notetur infamia.

Tertiò, ſi à bonorum conſortio repellatur, ac eum boni euitent, additis indicijs, & ſuſpicionibus hæreſis infamiam augentibus. *Pegna vbi ſupra.* In eo autem, qui venit ex Hæreticorum locis; maximè animaduertenda ſunt dicta, facta, conſuetudo, & vita; nam tangens picem, ab illa inquinari ſolet. *Penna Commen.* 82. *verſ. Ad hæc.*

DISTINCTIO SECVNDA.

Da prima ſpecie ſuſpectorum, videl. de Fautoribus Hæreticorum, de qua Textus, ibi: *ò Fautori.*

Diuiditur autem hæc diſtinctio in quatuor articulos.

In primo videntur generalia circa Fautoriam.

In ſecundo differentia Fautoriæ ab hæreſi, & alijs criminibus.

In tertio ſoluuntur aliquæ difficultates.

In quarto traditur modus, quo ſe gerere debet Confeſſarius cum Fautoribus Hæreticorum; & oſtenditur, num illos abſoluere poſſit.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Fautores Hæreticorum diſtinguantur à Dantibus conſilium Hæreticis.

Reſpondetur diſtinctiòne ſic: Fautoria ſumitur duplicitèr; .s. ſtrictè, & largè: ſi ſumatur ſtrictè, condiſtinguitur à Dantibus conſilium: Si verò ſumatur largè; prout ſub ſe comprehendit Conſilium Dantes, Receptatores, Credentes, Defenſores: nō condiſtinguitur; quare nota; cum agitur de Denunciatione ſumitur largè: vndè Dantes Conſilium Hęreticis veniunt denunciandi æquè, ac Hæreticorum Fautores; lz. non fiat mentio de Dantibus Conſilium in Edicto S. Inquiſitionis, vt patet ex *Arſen. S. Inquiſit. par. 1. ibi. Qui ſunt denunciandi*: Cum agitur verò de abſolutione à cenſura Bullæ Cęnæ; ſumitur ſtrictè: Quare licèt Fautores, quatenus tales ligentur Bulla Cœnæ; nō ligantur tamen quatenus Conſiliū dantes; quia in illa minimè numerantur; nam in odioſis, ſicut nec in pœnalibus fit extenſio. *cap. Odia de reg. iur. in 6.* item pœnæ non ſunt exaſperandæ, ſed moliendæ eodem tit. Verùm Dantes Cōſilium prout diſtinguuntur à deſignatis in primo Can. Bullæ Cęnæ; licèt non ligentur dicta Bulla: ligantur tamen illa, de qua dicetur infra *diff. 4. c. Vt Inquiſitionis de Hæreticis in 6.*

DIFFICVLTAS II.

Quando aliqua cenſura comprehendit complices delicti; v. g. Dantes Conſilium, Auxilium &c. An ſi principalis non incurrat, complices incurrant?

Reſpondetur negatiuè: nam acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, *cap. Acceſſorium de Reg. iur. in 6.* Vndè, qui conſulit, vel mandat, ex. gr. percutere Clericum, niſi principalis, .s. percutiens incidat: nec minùs principalis incidit, ex. gr. cōſulens, mādāns &c. principalis autē in propoſito caſu percuſſionis Clerici non incidit, niſi ſequuto percuſſionis effectu: quare nec Dans Conſilium ad hanc percuſſionem. ità *Gloſſ. cap. 2. ad audientiam, §. Iniuriarum de ſent. excom. Coar. in rub. homicid. 2. par. relect. num. 5.* qui teſtatur de communi *Tol. lib. 1. cap 8. nu. 8.*

Hanc regulam ſic intellige, niſi lex in aliquo caſu contrarium exprimat, vt in *cap. 1. de Homic. in 6. & in Bulla Gregor. XIII.* contra duellantes, incipit, *Ad tollendam*, in cuius excommunicationem iuxtà terminos dictæ Bullæ; quamuis non incidant diffidentes ſe ad duellum; ſi pugnam non commiſerint: vel ſi ſteterit per ipſos; quominùs pugna committatur; cum requiratur ſecundum eius intentionem effectus pugnæ .i. pugna: quòd patet ex illa clauſula, Monomachiam commiſerint: attamen in hanc incidunt criminis ſocij, ità diſponente dicto Sum. Pont. in ſupradicta Conſtit.

Dixi iuxtà terminos Conſtitutionis Gregorij XIII. quia iuxtà terminos Conſtitutionis Clementis VIII. contra diffidentes ſe ad duellum, non eximuntur ab excommunicatione Bullæ, lz. pugnam non commiſerint: vel per ipſos ſteterit, ne committeretur: ſicut nec eximuntur Fautores, nec complices, incipit, *Illius vices.* lege *Quaranta ver. Duellum*, dictam Conſtitutionem referentem ad illa verba: *Etiam ſi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus &c.* faciunt tradita à *Bonac. de Cenſuris diſp. 2. quæſ. 6. pun. 2. nu. 16.*

DIFFICVLTAS III.

An in Bulla Cœnæ, & in Edicto prohibeatur fautor cuiuſq; Hæretici formalis.

Reſpondetur affirmatiuè; vndè notandum duplex eſſe Hæreticorum genus; nam alij ſunt denunciati, & declarati tales; alij verò non, vt notat *Capeauilla de Caſ. reſ. part. poſter. caſ. 1. quæſt. 3.* Cenſeo autem probabilitèr intelligi Textum, & Bullam de Fautoria vtriuſq; generis, iuxtà illud axioma: vbi lex non diſtinguit,

guit; nec nos diſtinguere debemus; & lex generalitèr loquens, generalitèr eſt intelligenda.

Nec refert *vi legis* Canonicæ tantummodo denunciatos eſſe euitandos; quia hìc non agitur de cauendo Hereticorum conſortio; quod euitare tenemur præcisè reſpectu denunciatorum; ſed agitur de non fauendo Hereticis, quòd reſpectu cuiuſcunque, vt talis prohibetur, Claret.

DIFFICVLTAS IV.

In dubio, an quis Hæreticis præſtiterit fauorem motiuo hæreſis, vel alterius cauſa veniat denunciandus.

RESpondetur negatiuè: tum quia nemo præſumitur immemor ſuæ ſalutis, *l. fin. C. ad l. Iuliam. Graff. part. 1. lib. 4. cap. 18. n. 36. Arſen. S. Inq. par. 10. art. 233.* tum quia Textus loquitur de illis, qui ſciunt; ibi: *De quali ſappiano &c.* deſeruient tamen multùm ad hanc cognitio indagandam qualitas perſonarum, tempus, locus, occaſio materia circa quam &c.

DIFFICVLTAS V.

An eodemmodo agatur de Fautoribus, Credentibus, Receptatoribus &c. in Edicto Inquiſitionis, & in Bulla Cænæ.

RESpondetur negatiuè: patet primò, nam in Bulla diſſeritur de prædictis in ordine ad abſolutionem; oſtendendo ipſos non niſi à Summo Pontifice abſolui poſſe: in Edicto verò tractatur de eiſdem reſpectiuè ad denunciationem; demonſtrando quomodo ſinguli veniunt S. Tribunali deferendi.

Secundò; quia fautória Bullæ reſpicit forũ internum, & Sacramentalem; ad quem quiſq; Hæreticorum Fautor ſe præſentare tenetur; vt abſoluatur; licèt nullus ſit denunciator, aut accuſator, vt de ſe patet; Fautoria verò Hæreticorum, & alia crimina, de quibus Edictum reſpiciunt externum forum; cui nemo ſe deferre tenetur, ſeipſum denunciando: ſed benè tenentur alij Fautorem deferre; ipſeq; Fautor præter excommunicationem Bullæ Cœnæ, ligatur excommunicatione, de qua *cap. Vt inquiſitionis de Hæret. in 6.* tàm ſi directè, quàm indirectè impedire præſumat iudicium, ſententiam, proceſſum contra ipſos Hereticos.

DIFFICVLTAS VI.

De quo fauore Hæreticorum intelligitur caſus Edicti S. Officij.

RESpondetur, quòd intelligitur præcisè de fauore efficaci, ſcil. de illo, ſine cuius cõcurſu crimen minimè fuiſſet commiſſum; & eodem modo veniunt intelligendæ Conſtitutiones, quæ ſub excommunicatione prohibẽt fauorem. ità *Capeauilla de Caſ. reſ. part. 1. cap. 6.* cuius ratio eſt; quia quando tractatur de pœna temporali, aut de excommunicatione, quæ eſt maxima pœnarum; verba ſunt propriè intelligenda. facit *cap. 1. & 2. de Adult.* Patet in ſimili; quia, quamuis violentia, & preces importunè æquiparentur; quando tractatur de ducenda, & doranda vxore ſeducta, quæ erat virgo: ſecùs tamen eſt, quando tractatur de pœna corporali, vel excommunicatione; & proptereà, qui non rapuiſſet mulierem per vim abſolutam; non ligaretur excommunicatione, de qua in *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformat.*, licèt ſeducta fuiſſet importunis precibus: nam vt dixi, in caſu excommunicationis incurrendæ ipſo facto; qualis eſt illa contra Hæreticorum Fautores; verba debent intelligi propriè.

Verùm notandum, vt Fautor Hæreticorum incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ; quamuis requiratur, vt interceſſerit effectus fauoris, cum nõ ſufficiat prauus animus abſq; effectu: nõ requiritur tamen, vt ſequutus ſit, quem intendebat Fautor: v. gr. N. intendebat impedire incarcerationem Heretici; quem S. Officium quærebat ratione hæreſis: & ad hunc finem fecit, quantum potuit, vt illam impediret; quæ tamen ſequuta eſt; iſte incidit in Bullam ſm ſententiã *Sayr. in Theſa lib. 3. cap. 5. nu. 4. Graſſ. part. 1. Deciſ. lib 4. cap. 18. num. 14. & aliorum*; ratio eſt, quia licèt non ſit ſequutus effectus intentus à Fautore: v. gr. in propoſito impedimentum incarcerationis: fecit tamen quantum in ſe fuit, vt S. O. non incarceraret Hæreticum; & ſubindè interceſſit opus extrinſecum cum praua intentione fauendi Heretico, prout tali, contra *Souſam lib. 1. Aphor. Inq. cap. 23. nu. 19. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 10.* nolentes Fautorem incidere in excommunicationem Bullæ, niſi ſequuto effectu, quem intendebat Fautor; & idem ibidem aſſerunt de Receptatoribus, & Defenſoribus Hæreticorũ. *Arſen. S. Inqu. par. 10. admon. 174.*

DIFFICVLTAS VII.

An ad incidendum in Bulla Cœnæ ratione fautoriæ, &c. requiratur directum motiuum, ſeu intentio propagandi hæreſim; vel ſatis ſit indirectum, videlicèt imputatiuum.

REſpondeo DD. eſſe diſcordes. *Caiet. ver. excommunicatio cap. 1. Sanchez lib. 2. cap. 10. nu. 5. & alij*, ſentiunt requiri directum motiuum, quorum ratio fortaſsè eſt; quia Bulla Cœnæ reſpicit forum Sacramenti Pœnitentiæ, vbi attenditur veritas. *Syluest. verò ver Hæreſ. 1. quæſt. 7. §. Fautores, & alij* tenent ſufficere indirectum, quorum ratio eſt; tùm, quia niſi hanc amplectamur ſententiam; vix vlli erunt Hæreticorum Fautores, Receptatores, Auxiliatores, &c. niſi ſimul exiſtant Hæretici. ità *Laymann, qui teſtatur de communi lib. 2. tract. 1. cap. 13. nu. 5.*; *tum quia l. 2. ff. de Receptatoribus*, Receptatorem Latronis cauſa affinitatis, vel conſanguinitatis puniendum eſſe decernitur, licèt mitius.

Mihi probatur primam ſententiam amplectendam eſſe pro foro poli, vbi attenditur veritas: Secundam verò pro foro fori; quòd nititur præſumptionibus. patet *ex Praxi*. Nec obſtat, quòd hoc modo vix aliquis reperiretur Receptator, Auxiliator, &c. quia, cum S. Tribunal ſequatur præſumptionẽ; ob hanc expoſitionem nihil ipſi aufertur: ſicut nec Confeſ-

ſario; qui pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe credit; vt ſepè dictũ fuit; facit ad hoc *cap. 5. de Regulis iuris.*

DIFFICVLTAS VIII.

An nomine Fautorum Hæreticorum veniant etiam fœminæ.

RESpondetur affirmatiuè, nam quemadmodum in materia hæreſis appellatione filiorum veniunt etiam filiæ: quia maius periculum eſt in fœminis ob eorum imbecillitatẽ intellectus, vt notat *Barboſa in tractat. vat. ſibi, appellatione filiorum nu. 55.* ità in Fautoria Hæreticorum idem videtur; ratio eſt, tùm, quia vbi eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet, *L. illud. ad L. Aquiliam cum ſimilibus*: & in propoſito nõ ſolùm eadem eſt ratio; ſed maior ob maius periculum, vt dixi, in fœminis: tùm, quia vbi lex non diſtinguit, neq; nos diſtinguere debemus, *L. de Pretio, ff. de publi. in rem actio.*

Dices maſculinum concipere fœmininum ſolummodò in materia fauorabili, vel indifferenti; qualis non eſt iſta; cum ſit pœnalis, & ſtricta; reſpondetur euitationem fautoriæ Hæreticorum eſſe fauorabilem; quatenus tendit in fauorem Fidei, quæ eſt fauorabilis, vt ipſa illibata ſeruetur, conſtat; quare dicendum eſt amplecti etiam fœminas: itidem fauorabilis eſt, quatenus tendit in ſalutem animarũ; nihil enim ſalubrius animæ rationali obſeruantia Catholicæ Fidei eſſe poteſt; ad quam in primis tendit huiuſmodi præceptum de cauendo à fautoria Hæreticorum. faciunt tradita per *Roder. Achuna de Confeſſ. ſolicit. in Confeſſ. quæſt. 7. num. 12. & 14.* qui in hæc verba proloquitur: *Pœnalis lex in publicam vtilitatem lata extenditur.*

Vrgebis Bullam Cœnæ regularitèr non eſſe extendendam: nec de facto extendi à Doctoribus. Reſpondetur eãdem legem in vna parte eſſe pœnalem; & proindè minimè extendẽdam; in alia verò eſſe fauorabilem; & conſequenter ampliandam: & ſic eſt in propoſito, vbi illa pars Bullæ de cauendo ab hæreſi, & fautoria Hęreticorum eſt fauorabilis ob dictas rationes; quod ſecùs eſt de multis alijs particulis illius Bullæ.

Inſtabis fortaſsè euitationem fautoriæ, de qua Edictum S. Officij, ſolummodò eſſe fauorabilem; non autem illam, de qua Bulla Cœnæ, cum ad aliud tendat, vti ſupra cautum fuit.

Reſpondetur, quòd etſi euitatio fautoriæ, de qua Bulla, ad aliud tendat: tamen vtraque de ſe ſemper remanet fauorabilis, cum illa vno modo, & iſta altero tum Fidei, tum animabus faueat. quid notius?

DIFFICVLTAS IX.

An Fautoria Hæreticorum extendatur ad Fautores ſuſpectorum de hęreſi, videlicèt, ad Fautores hæreticalitèr blaſphemantium, maleficorum &c.

REſpondetur negatiuè, ratio autem ſumitur: tùm à priori: tùm à poſteriori; à priori quia videlicèt fauens ſuſpectis de hęreſi, non fauet Hęreticis; aliòquin non diſtingueretur Hæreticus à præcisè ſuſpecto de hæreſi, quòd eſt maximè abſurdum, vt potiſſimum obſeruat *Truuench in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 9. §. 3. num. 7. poſt Suarez tom. 5. in 3. par. diſp. 21. ſect. 2. nu. 14.*

Item ſumitur ratio à poſteriori, s. ab effectu; quia Fautor Hæreticorum incidit in excõmunicationem Bullæ Cœnæ; vti conſtat ex prima excommunicatione dictæ Bullæ; quod nullatenus apparet de Fautoribus ſuſpectorũ de hæreſi: cum de ipſis in dicta Bulla nulla fiat mentio; quo fit, vt nec ob pactum cum Dæmone: nec ob abuſum Sacramentorum: nec ob aliud peccatum S. Trib. reſpiciens incurretur in hanc excommunicationem: quare, ſi ſuſpecti de hęreſi in ſpecie nõ expreſſi in Bulla, nõ incidunt: à fortiori nõ incidunt eorũ Fautores, vtpotè minus principales; propterea *Nauar. cap. 27. nu. 55.* obſeruat Magos olim comprehenſos fuiſſe ſub cenſura Bullæ Cœnæ: quia ibique exprimebantur: nunc verò ſecus eſt; quia in ipſa minimè exprimuntur; pœnæ autẽ nõ veniunt ampliandæ, ſed reſtringendæ.

Addo, quòd, vbi imponitur pœna ipſo iure ob delictum, fit ſtricta interpretatio, ita ex Topica iuris Euerardi in loco ab interpretatione; in Bulla autem Cœnæ ponitur pœna ipſo iure contra Fautores Hæreticorum: ergò.

Præterea à diuerſis non fit illatio; diuerſa verò eſt Fautoria Maleficarum, Blaſphemantium &c. à Fautoria Hæreticorum, vt de ſe conſtat: ergò.

Dices, legem pœnalem in fauorem Fidei, & animarum ſalutem debere extendi, vt notant communitèr DD. & maximè *Rodericus Achuna de Conf. ſolicitant. in confeſſione, quæſ. 7. num. 12. & 14.* Reſpondeo verũ eſſe, ſed præcisè, quantum patitur litteræ intelligentia: littera autem tàm Bullæ, quàm Edicti Inquiſitionis non patitur, vt nomine Fautoris hæreſis intelligantur Fautores aliorum criminum condiſtinctorum ab ipſa. ſumus in claris.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Fautoria Hæreticorum differat ab hæreſi, & ab alijs criminibus, de quibus Edictum.

QVo ad diſtinctionem ab hæreſi, reſpondeo abſolutè affirmatiuè: quia Fautor incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ; licèt non habeat errorem in intellectu; Hæreticus verò non habens errorem in intellectu minimè incidit.

Quo ad diſtinctionem verò ab alijs criminibus, de quibus Edictum; Reſpondeo itidem affirmatiuè: quia, qui facit, aut dicit quid hæreticale; ſi careat errore in intellectu, non ligatur dicta excommunicatione Bullæ Cœnæ; & à quolibet Confeſſario abſolui poteſt in foro Sacramenti Pœnitentiæ; ſi tale quid non ſit aliàs reſeruatum in Tabella Ordinariorum; nec expreſſum in Bulla; quod ſecùs eſt de Fautore Hæreticorum, vel hęreſis, quatenus Hæretici,

reſici,vel hæreſis. faciunt tradita per *Tolet. lib. 4. cap. 4. nu. 7.* & communitèr concordant DD. ratio eſt: quia ad incidendum in Bullam Cœnæ ſufficit fauor. *Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admon. 172.*

Eadem differentia intercedit inter hæreſim, & Credentes, Receptatores, & Defenſores Hęreticorum: quia etiam iſti afficiuntur dicta Bulla; tametſi non habeant errorem in intellectu, vt habent hæretici formales: dummodò tamen credant, receptent, & defendant Hæreticos, vt tales, vt infra cauetur; an verò huiuſmodi Fautores differant, dicitur infra difficultate immediatè ſequenti.

DIFFICVLTAS II.

An Fautores Hæreticorum inter ſe differant.

RESpondetur difficultati affirmatiuè, quia alij fauent Hæreticis, vt talibus: alij verò non vt talibus; ſed, v. g. vt Mercatoribus, quibus Catholici vendunt ſuas merces, vtpotè panem, vinum, oleum &c.

Fautores primi generis ligantur excommunicatione tàm Bullæ Cœnæ, quàm aliarũ Bullarũ Apoſtolicarũ S. Off. contra Fautores Hæreticorum inflictarũ, & veniunt denunciandi S. Offic. Fautores verò ſecundi generis nulla ligantur cenſura, nec veniunt deferendi; cuius ratio eſt; tum vt non derogetur maximè pietati S. Tribunalis: tum quia talis cenſetur eſſe intelligentia capituli; *vt officium, in principio, de Hæreticis lib. 6.* fauor enim ſemper debet eſſe in ordine ad hæreſim. *Tol. lib. 1. cap. 20. num. 10. poſt S. Anton. in tract. de Excom. cap. 4. Souſa in Apho. Inq. lib. 1. cap. 25. nu. 13.*

Item alij ſunt Fautores commiſſione; alij omiſſione. Illi ſunt Fautores commiſſione, qui verbis, aut factis fauent: Verbis, vt qui aſſerunt Inquiſitores iniquè procedere contra Hæreticos. *cap. Accuſatus de Hæret. in 6.* Factis, vt qui præſtant illis alimoniam, aut arma; vt ſe liberent è manibus Iudicum, in fauorem ſcil. hæreſis, vel Hæretici, vt talis; vt notat *Tol. cum S. Ant. vbi ſupra.*

Fautores omiſſione ſunt in duplici differentia; nam alij tenentur ex officio: alij verò ex præcepto Edicti S. Inquiſitionis. Qui tenentur ex officio ſubdiuiduntur: quia alij ſunt perſonæ publicæ, vti ſunt Inquiſitores; qui tenentur procedere contra Hæreticos, iuxtà *cap. Ad abolendam, de Hæret.* alij ſunt perſonæ priuatę; quales ſunt ij, qui familiares S. Inquiſitionis dicuntur. his habitis notandæ ſunt aliquæ concluſiones.

Prima concluſio, Fautores commiſſiuè incidunt in Bullam Cœnæ, ſiue verbis, ſiue factis faueant.

Secunda concluſio, Fautores omiſſiuè, qui ſunt perſonæ publicæ, v.g. Inquiſitores, omittendo punire Hæreticos incidunt non ſolùm in Bullam Cœnæ; ſed etiam in excom. Clem. incipit: *Multorum, §. Verum, de Hæreticis*, quæ Papæ reſeruatur, & militat etiam contra alios deputatos ad S. Officij executionem; qui odio, vel amore, vel lucri, aut commodi temporalis gratia omittunt procedere contra aliquem in cauſa hæreſis.

Tertia concluſio, Fautores omiſſiuè; qui ſunt perſonæ priuatæ, ſed tenentur ex officio, vt ex iuramento; omittendo denunciare Hæreticos incidunt in Bullam Cœnæ, vti Fautores; & etiam ligantur excommunicatione, de qua Edictum.

Quarta concluſio, qui tenetur denũciare ſolùm ex præcepto charitatis; omittendo denunciare Hæreticos ligantur præciſe excommunicatione, de qua Edictum: Sed non ligantur Bulla Cœnæ; quia non ſunt propriè Fautores. *Tol.* vbi ſupra, qui alios citat.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Cur in Edicto S. Inquiſitionis, & in Bulla Cœnæ potius ſit mentio de Fautoribus Hæreticorum, quàm de dantibus conſilium ipſis.

RAtio difficultatis eſt, quia de ſimilibus idem eſt iudicium; ſimiles autèm ſunt dantes conſilium, & Fautores; conſilium enim eſt quidam fauor, vt notum eſt. Loquor hìc de dantibus conſilium, prout diſtinguuntur à Fautoribus: fauor nanq; eſt quid communius reſpiciens actionem quouis modo, videl. tàm poſitiuam, quàm priuatiuam: ſeù, vt alijs placet tàm cōmiſſiuè, quàm omiſſiuè: conſilium verò non niſi poſitiuam, verbum ſcil. ad aures ſuſcipientis directum.

Reſpondeo, quòd nullam reperio rationē, niſi ſummam Eccleſiæ benignitatem, fortaſsè attēdentis lubricitatem linguæ potiorem eſſe illa manuum; ex quo ſequitur, conſilium dantes non incidere in Bullam Cœnæ. patet ex prima excommunicatione Bullæ, vbi facto verbo de Fautoribus, nullum fit de dantibus ipſis conſilium, vt innui ſupra art. 1. diff. 1.

Verùm conſilium dantes comprehenduntur ſub illa generali particula Edicti S. Officij, videl. *Dichiarando che per la ſopradetta eſpreſſione de' caſi da noi ſpecificati da reuelarſi, non eſcludemo gl'altri ſpettanti al S. Officio &c.* Et præter grauiſſimum peccatum, quod perpetrant; incidunt etiam in excōmunicationem, *cap. Vt Inquiſitionis de Hæreticis in 6. Azor. part. 1. lib. 8. quæſt. 17. Tol. lib. 1. cap. 38. & 39. nu. 27.* quæ tamèn nulli reſeruatur, vt notat *Sayrus de Cenſ. lib. 3. cap. 34. nu. 18. Catalogus Excommunicationum Ludouiſij cap. 7. excomm. 6. Sauonarola in Cōfeſſionali part. 1. de Excomm. in 6. Decret. Caiet. cap. 2. Sylu. excomm. 9. vide Arſen. S. Inquiſit. lib. 1.* ibi: *Contra quos procedit S. Officium.*

Porrò nota, quòd dicta excommunicatio non eſt illa, de qua Edictum S. Inquiſitionis: tum quia illa eſt reſeruata, & iſta nō: tum quia illa eſt contra omittentes denunciationem; iſta verò contra dantes conſilium Hæreticis in cauſa hæreſis.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitores S. Trib. Fautores Hæreticorum ſint omittendo conſtructionem carcerum pro ipſorum cuſtodia.

NOtandum duplicem eſſe modum fauendi Hæreticis omiſſiuè, videl. motiuo hęreſis, vel alio motiuo ab hæreſi.

Reſpondetur difficultati diſtinctione, vel Inquiſitores alio motiuo ab hæreſi carceres ad Hæreticorum cuſtodiam: v.g. ex auaritia, paupertate, negligentia, inaduertentia; detentione occupationum &c. non conſtruxerunt; & ſic; non ſunt: nec dici poſſunt Hæreticorum Fautores; quia hi defectus non reſpiciunt Hæreticorum fauorem, vt ſuppono: quòd ſecùs dicēdum foret, ſi ex motiuo hæreſis contigiſſent; ſi nimirùm directi eſſent in fauorem Hæreticorum; ſicut enim ſe habet propoſitū in propoſito; ità oppoſitum in oppoſito. *Sylu. verb. Hæreſis 1. quæſt. 7. verſ. Si tamen Prælati nu.* 10. *& incidunt in Bullam Cœnæ Can.* 1.

Idemq; dicendum eſſet de illis, qui obſtrinxerunt ſe iuramento, vel ſtipendio denunciandi Hæreticos; ſi omiſſiuè ex motiuo hæreſis eos denunciare negligant: quod nō eſt dicendum, ſi alia ratione moti illorum denunciationem omitterent. Lege *Tol.* vbi ſupra, cum alijs ab ipſo citatis, & nos vbi ſupra art. 2. diff. 2.

DIFFICVLTAS III.

An renuentes teſtificari in cauſa Fidei reputentur Fautores Hæreticorum.

DIſtinguendū eſt de foro fori, & foro poli; licèt enim nolentes teſtificari in cauſa Fidei reputentur in foro fori Hæreticorum Fautores: pœniſq; ordinarijs, & arbitrarijs, quibus tales affici ſolent, puniantur; niſi ex conſanguinitate, vel affinitate, aut ex magna amicitia, aut ex alia rationabili cauſa excuſentur; vt patet ex *Eymeric. 3. par. Direct. quæſt. 62. vbi Peg. Comm. 3. verſ. Sed opponunt & ſeq.* In foro tamen poli, vbi præſumptioni nō nitimur, ſed veritati; attendenda eſt cauſa, quæ ſi non eſt, vt faueant Hæretico, vt tali; ſed alia, nō poſſunt dici: nec ſunt Fautores: qui tamen abſolui non debent, niſi prius obtemperent præcepto S. Tribunalis.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Quomodò ſe gerat Confeſſarius cum Fautore Hæreticorum.

PRimò illum admoneat, quòd manet annodatus excommunicatione in Bulla Cœnæ Can. 1. à qua illum abſoluere nequit, niſi Iubilæi tempore, & vi Bullæ Cruciatæ, vt infra dicam; quando .s. excipitur tantū hęreſis: nec ad incidendum requiritur, vt Fautor errorem habeat in mente.

Secundò, quòd tenetur deferre ad Inquiſitorem hęreticæ prauitatis, quos nouit eſſe, vel fuiſſe itidem Fautores ſub pœna excommunicationis; quæ interdum in aliqua Dięceſi eſt latę ſententię; vt Bergomi; quòd conſtat ex Edicto S. Inquiſitionis euulgato, & ex Synodo *Triula part. 1. tit. 1.*

Tertiò, dę damnis reſarciendis admoneri debet.

Quartò, de cauendo conſortio Hęreticorū, aliorumq; Fautorum &c.

Quintò, admoneat, vt denunciationis officium pręſtet non vindictę, aut odij liuore; ſed zelo Fidei, ob bonum commune, & emendationem denunciandi. lege in primis *Fernandez in Exam. moral. Theol. parte 4. cap. 6. §. 1.*

Verùm notet, quòd Fautores tantùm ſuſpectorum de hęreſi non ligantur dicta Bulla Cęnę. *Pueronus ad Bullam Cœnæ cap. 1. num.* 168. *Carena tract. de ratione procedendi in S. Officio tit.* 4. §. 12. *nu.* 89. & dictum eſt ſupra *art. 1. diff. 7.*

Sextò, moneat Fautores Hęreticorū priuari Eccleſiaſtica ſepultura; & q eos de facto ſepeliunt incidere in pœnam ſepelientium Hæreticos. *Arſen. S. Inquiſ. par. 10 admon.* 173. itidem ea illis obijciat, quæ faciunt ad cognitionem grauitatis eorum criminis; ſed pręcipuè ſequentia

Primum, quòd ſunt rei morte non ſolùm Hęretici; ſed etiam eorum Fautores, Receptatores, Credentes, &c. iuxta illud ad Rom. c. 1. *Digni ſunt morte non ſolùm, qui faciunt .s. mala; ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Septimò, illi notificet; quod ex Hęreticorū fauore, receptatione, &c. de hęreſi vehemētèr ſuſpectū fieri: conſtat, quia contra hos procedit S. Tribunal: illiq; venit denunciandus, vt patet ex Edicto S. Inquiſitionis.

Octauò, obijciat Hæreticos ob eorum criminis grauitatem meritò morte puniendos ēt multò fortius, quàm incendiarios, falſarios. Et quidem iuſtè Hæretici, qui occidunt animas, affliguntur in corpore, cumq; ſempiterna morte alios afficiant; temporalem ſe perpeti, conqueri non debent.

Nonò, obijciat ſaltē aliquas Hęreticorū qualitates; ſunt nāq; velut arbores autumnales, bis mortuæ, eradicatæ, vt ſcribit Iudas Thadęus.

Dicuntur autumnales .i. ſine fructu boni operis: bis mortuæ .s. in intellectu ſine Fide, & in affectu ſine charitate; eradicatæ ſcilicèt à fundamento Fidei, & à corpore Eccleſiæ, vt exponit *Bernardus Lutzenburgus in Cathal. Hæreticor. lib. 1. cap 7.*

Sunt item ſpinæ, à quibus nullus ſapientum vuam, aut ficum ſanctitatis, aut virtutis reperire poterit; qui tamen, vt tales cruentant ſibi approximantes.

Sunt quoque velut puteus abyſſi ob malitię profunditatem, & conſcientię tenebras. de his apertè dici poteſt *Hieremiam cap.* 6. proloqui in hęc verba: *Malitiæ eorum non conſumptæ, argentum reprobum vocate eos; quia Dominus proiecit illos.*

Decimò, denique effectum hereſum ipſi notificet .s. Hęreſim eſſe portā inferi, quia per eam ad inferos intratur, vt dicit *Ioannes de Turre Cremata 1. q. 3. c. Saluator.*

Sunt itidem illa terra maledicta, quę ſolummodò

modò producit lolium, ſpicas corruptas, & paleas fractas.

Concludo hęreſim eſſe grauiſſimum peccatum ſubuertens fundamentum omnium bonorum: ſeparans à Deo: cōiungensq; Diabolo, & ſequacibus eius; vndè *Hieronymus ſuper illud Iſa. 13. Gigantes veniunt implere furorem meum, &c.* dicit *omnes Hæreſes contraria veritati rebellant Deo*.

Verùm notandum, quòd duplicitèr quis patrocinari poteſt Hęreticis: vz. ad defendendam hereſim, vel occultandā, aut minuendū eorū pœnam: vel ad elucidandam eorum cauſam; ne contra iuſtitiam grauentur in culpa, vel pœna.

Primò modo nullatenus licèt, quod ſatis clarè elici poteſt ex *cap. Si aduerſus, de Hæreticis*, eos declarante ſuſpenſos ab eorum officijs, ac infamiæ perpetuò ſubiectos. Secundò verò modo licèt; niſi cautum ſit, vt Patrocinator prius ſit ad hoc munus ab Inquiſitore deputatus. quòd notat *Zanardus in Direct. Theol. p. 2. cap. 6. §. contra Notarios, & Aduocatos*.

DIFFICVLTAS II.

In dubio fautoriæ Hæreticorum extra Iubilæi tempus, an Confeſſarius pænitentem abſoluere poſſit.

Vide ſupra in primo caſu S. Officij de hæreſi, ibi, in dubio hæreſis, & item fautoriæ ipſius, an quis Confeſſarius ab his abſoluere poſſit; vbi reſpondetur negatiuè; vt patet ex declaratione Decreti, quo prohibetur abſolutio à caſibus reſeruatis, incipit *Sacra Congregatio*, quam habes apud *Bull. Quarantæ, ver. Caſus reſer.* ibi, ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnę legi ſolita contentis.

DIFFICVLTAS III.

Quando in Iubilæo cōceduntur caſus Bullę Cœnę, hereſi excepta, prout de more, an vi illius Hęreticorum Fautores abſolui poſſint.

Reſpondeo difficultati affirmatiuè, vt alibi etiam innui; ratio eſſentialis eſt, quia exceptio firmat regulam in caſibus nō exceptis; Fautores aūt, & alij, de quibus infra, nō ſunt Hæretici, vt ſupponitur: pręterea; quia à diuerſis nō fit illatio *l. Inter ſtipulantē §. Sacrā, ff. de verb. obligat.* ità *Io. Aegidius, Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 6. nu. 4. Diana de Abſolutione ab hęreſi, Suarez tom. 5. in 3. part. diſput. 21. ſect. 7. num. 14. Filliuccius tom. 1. tract. 6. cap. 6. num. 39.*

Item ob eandem cauſam abſolui poſſunt eodem tempore, qui legerunt, aut retinuerunt libros de hęreſi ex profeſſo tractantes: ſatisfacto tamen S. Officio, vt infra penult. lib. videbitur: v. g. traditis libris Inquiſitori, detectiſq; detegendis, &c.

Item eodem tempore ob dictam rationem abſolui poſſunt; qui impreſſerunt, vel imprimi fecerunt libros, de quibus ſupra.

Itidem eo tempore ob allatam rationē abſolui poſſunt Defenſores, & Receptatores Hęreticorum. Item Schiſmatici non Hęretici.

Pręterea exiſtente Iubilęo ob ſupradictam rationem abſolui poterunt Sortilegi, Malefici, blaſphemi hęreticales, dummodò cōiunctam non habeant hęreſim, vt ſupra innui.

DISTINCTIO TERTIA.

De Fautoria Hæreticorum in comparatione ad Bullam Cœnæ.

Circa diſtinctionem hanc duos annotabimus articulos.

Quorum alter eſt de Fautoria Hæreticorum in genere.

Alter verò in ſpecie.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Fautores Fautorum Hęreticorum afficiantur excommunicatione Bullę Cœnę.

HAEC difficultas coincidit cum illa, videlicèt, ſi Fautores Hęreticorum, tàm mediati, quàm immediati afficiantur dicta cenſura.

Intelligitur autem difficultas de fauore Hęreticorum, prout talium: quia conſtat alios dicta cenſura minimè affici, vt ſupra cautū eſt.

Reſpondetur vtique affici, tàm mediatos, quàm immediatos Hęreticorum Fautores, quòd probo; tùm quia, cum lex non diſtinguat; nec nos diſtinguere debemus: tùm, quia generale dictum generalitèr intelligendum eſt. *l. de Precio, ff. de Public. in rem act. l. Pręces, de Officio Præſidis*: plerunq; enim cōtingit; vt ſeuius noceat Fautor mediatè, quam immediatè: conſtat exemplum in Saule magis ſęuiente curam habendo de veſtibus lapidantium D. Stephanum, quam immediatè lapidantes: concurrebat nanque cum ſingulis, quorum veſtes conſeruabat.

Verùm difficultas hęc non intelligitur de Fautoribus, qui, v. g. lucrandi gratia illis vendunt merces; non quidem ad ſuſtentandos illos, vt Hęreticos; ſed vt creaturas Dei; ratio eſt, tùm quia alitèr nimis amarè lex interpretaretur: tùm quia lex interpretanda eſt, vt minus, quā ſit poſſibile lędat actū, cui apponitur. *Barboſa in tractatibus varijs, de Clauſulis, verbo Interprętanda, num. 3. Menoch. conſ. 62. num. 27.* tùm pretereà: quia verba debent intelligi ſecundum communem vſum loquendi, *l. Labeo, ff. de Supellectili legata*.

DIFFICVLTAS II.

An Hęreticorum Fautores acceſſoriè, vel principalitèr excommunicentur in Bulla Cœnæ.

NE ignorantia terminorum retardet intelligentiam huiuſce difficultatis notandum eſt, quid ſit excommunicari acceſſoriè, & quid principalitèr: Sciendum autem primò, tunc pręciſè moueri difficultatem hanc; quādo plures perſonarum, ſeu actionum ſpecies

in eadem ſerie legis, ſeu Edicti excommunicantur: ex. gr. in prima excommunicatione Bullæ Cœnę excommunicantur plures .s. Hęretici, Credentes Hæreticis, Receptatores Hęreticorum, illorum Fautores, & alij.

Secundò, ſciendum, tunc acceſſoriè vnum perſonarum genus excommunicari; quando non afficiuntur excommunicatione; qui in ſerie legis ſecundariò ſunt poſiti, niſi Principalis excommunicatione afficiatur; è contra verò ſciendum eſt ſingulos excommunicari principalitèr; quando incidentia in excommunicationem nominatorum in ſecundo loco non dependet ab incidentia in excommunicationem Principalis; hoc eſt, quando omnes legis fractores excommunicantur independentèr ab alio .i. etiam non excommunicato Principali, ex. primi generis habetur in ſecunda excommunicatione Bullæ Cœnæ; vbi excommunicantur primò Appellantes à Papa ſuperſtite ad Concilium vniuerſale.

Secundò, Dantes ad hoc auxilium.

Tertiò, Dantes fauorem; cognoſcitur autē ibi Dantes auxilium, aut fauorē ſolùm acceſſoriè excommunicari; quia illi nō excommunicantur; niſi prius exiſtat excommunicatus Appellans ad Concilium; qui nec afficitur, niſi prius interpoſita appellatione: exemplum ſecundi generis patet in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ; vbi æquè principalitèr excommunicantur perſonæ in ſerie verborum ſubſequentèr poſitæ, ac illæ primariò poſitæ .s. non minus Fautores Hæreticorum, ipſis Credentes, Receptatores &c. quàm Hæretici, & Schiſmatici, quia incurſus perſonarum in ſecundo loco poſitarum; non dependet ab incurſu Principalium.

Modò deueniēdo ad propoſitū difficultatis.

Dico Fautores Hæreticorum, non acceſſoriè, ſed principalitèr excommunicari in Bulla Cœnæ: ratio patet, tum ex ratione modò ſupra allata: tum, quia ad hoc, vt excommunicentur; ſufficit, quod fauorem Hæreticis præſtiterint, quatenus talibus. faciunt notata per *Sayrum lib. 3. cap. 5. nu. 4., Memoriale ſciendorū à Clericis in Bulla Cœnæ Can. 1.*

Verùm in dubio, an excommunicatio cenſeatur lata acceſſoriè, vel principalitèr, quando ex ſigno non poteſt ſatis cognoſci; cenſetur lata tantùm acceſſoriè; patet, tùm ne lex pœnalis extendatur: tùm in ſimili de excommunicatione contra Mandatarium, .i. mandati exequtorem, & Mandantem; nam non incidit in cenſuram Mandans, niſi prius inciderit Mādatarius. *Auila de Cenſ. par. 2. 5. diſp. 3. nu. 15. dub. 6. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. cap. 2. item diſp. 1. pun. 3. nu. 5. qui alios cumulat.*

Notandum autem, quòd loquimur de excommunicatione in eadem ſerie verborum poſita: nam ſi in vno, v. g. Canone fulminetur excommunicatio contra Mandantem, & in alio contra exequentem mandatum, non militat regula.

DIFFICVLTAS III.

An Fautores Hæreticorum vi Edicti S. Inquiſitionis incidant in Bullam Cœnæ: & an Inquiſitores ab illa abſoluere poſſint.

AD primam particulam reſpondetur negatiuè: patet, quia Bulla militat contra ipſos Hæreticorum Fautores reſeruando S. Pontifici eorum abſolutionem: Edictum verò S. Inquiſitionis inuehit contra non denunciantes ipſos afficiendo omittentes denunciationem excommunicatione S. Tribunali reſeruata, .s. de qua in calce ipſius Edicti.

Ad ſecundam item dico Inquiſitores extra Tribunal minimè ab illa abſoluere poſſe; Dico extra eorum Tribunal; quia ſi Hæreticorum Fautores ad illorum manus deuenerint; ab ipſis dimittuntur etiam abſoluti in cōſcientia ab excommunicatione ob fauorem Hæreticorum contracta: quia in hac contingentia Inquiſitoribus tribuitur plena abſoluendi facultas in vtroq; foro, ſi Sacerdotes exiſtant: nam vno conceſſo conceduntur omnia, ſine quibus non peruenitur ad illud, *l. Cum principale, ff. de Iuriſd. omnium Iudic. & alibi*; non poſſent autem reducere ad perfectam ſanitatem Fautores; niſi in foro conſcientiæ abſoluere poſſent. legendus eſt *Zanchinus de Hæreticis cap. 31. num. 3. ff. de Iuriſd. omnium Iud. l. 2.* Dixi ſi Sacerdotes exiſtant; quia ſi Sacerdotio careant, abſoluunt tantùm ab excommunicatione; Verùm talitèr abſolutus; deindè per Confeſſarium à peccato fautoriæ abſolui poterit: nam caſus Papales reſeruantur ſolùm ratione cenſuræ, vt aliàs viſum fuit cum *Nau. cap. 27. nu. 26. Caietano in Summula ver. Caſus, & D. Antonino 3. par. tit. 17. cap. 11.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Inquiſitores, Epiſcopi; Dominiq; temporales omittendo punire Hæreticos, incidant in Bullam Cœnę contra Fautores.

SAtisfit diſtinctione: vel prædicti omittunt punire Hæreticos in gratiam hæreſis, vel Hæreticorum, quatenus talium; & ſic in illam incurrunt; quia cum teneantur ex officio; illius omiſſio in illis eſt formalis fauor, vt notum eſt: vel omittunt ob aliam cauſam: v. g. ratione conſanguinitatis, amicitiæ, lucri gratia, vel alterius commodi, vel incommodi vitandi; & ſic non incidunt in illam; incidunt tamen in alias pœnas, vt patet ex *Clem. 1. de Pœnis, & cap. Excommunicationi, il primo, §. Volumus de Hæreticis. ità Pegna ad Direct. par. 2. Comm. 2. Farinac. de Hæreſi, quæſt. 182. num. 24. quæſt. 186. nu. 145. Sanctarellus de Hæreſi cap. 11. nu. 2. & alij.*

Verùm nec in has incidunt in duobus caſibus ſequentibus: Primus eſt, quando Epiſcopi, aut Inquiſitores non puniunt ad euitanda imminentia, grauioraq; ſcandala. *Farinac. dicta quæſt. 186. nu. 149.* Alter eſt, quando cognoſcendo certè innocentiam ſibi denunciatorū, licèt aliud conſtet in Iudicio; omittunt illos punire,

punire; q̃ ſanè caſus procedūt præciſè in ſoro Sacramenti Pęnitentię, vbi creditur pęnitenti.

DIFFICVLTAS II.

An Princeps, aut Magiſtratus incidat in Bullam Cœnę contra Fautores Hęreticorum omittendo capere excommunicatos per annum inſordeſcentes in excommunicatione ex cauſa Fidei.

Reſpondetur negatiuè, quia iſti non ſunt Hæretici; ſed tantummodò de hæreſi præſumpti, & ſuſpecti. *Suarez de Cenſ. diſp. 21. ſect. 2. nu. 14. Eymer. in Direct. 2. part. quæſt. 47. nu. 8. & alibi, Farin. de Hæreſi qu.* 192. §. 2. *nu.* 24. ratio eſt, tum quia odia ſunt reſtringenda, *l. Cùm quidam, ff. De Liberis, & Poſthumis*: tum quia pęnæ non ſunt exaſperandæ.

DIFFICVLTAS III.

An Exercitus, qui iuſſu ſui Regis, Imperatoris, aut Ducis, Hęreticos defendit; incidat in excommunicationem Bullę.

Reſpondet *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. quæſt. 1. cap. 16.* quòd non incidit, ſi abſq; eius conſilio talia præcipiantur: ratio eius eſſe poteſt; quia præcepta poſitiua cùm graui incommodo minimè obligāt, quale ſuſtineret exercitus; ſi iuſſis ſui Imperatoris, Regis &c. non pareret, vt notat *Ioannes Sanchez in Selectis diſp. 51. nu. 2.*

Verùm quamuis non ligetur cenſura dictæ Bullæ: nec alia à iure poſitiuo ſtatuta, peccat tamen grauiſſimè: nam defenſio Hęreticorū, vt talis, eſt de ſe mala; adeò, vt cohoneſtari nō poſſit; vndè Exercitum potiùs mori, quàm fœdari oportet: loquendo verò de militibus, qui abſq; præcepto ſui Imperatoris, Regis, &c. ſe ingerunt ad pugnandum in fauorem Hæreticorum, vt talium, aut hæreſis; ſicut non excuſantur à peccato; ità, nec à cenſuris.

Nec excuſantur eo quod ſe ingerant non tantùm in gratiam hæreſis, ſed etiam lucri, vel Regis; quia, quemadmodum vtile per inutile vitiari non debet, *l. Qui teſtamento, ff. de Excuſationib. tutorum*: ità è cōtra malum ob honeſtū, & licitum non debet remanere impunitum: Quare dicendum eſt iſtos incidere.

His obijciendum eſt à Confeſſario grauiſſimum damnum, iuxtà illud Euangelij: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animę verò ſuę detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua.*

Item admonendi ſunt hac complacētia quā grauiſſimum peccatum cum grauiſſimo damno coniunctum patrare: qui enim voluntariè fauet hæreſi, aut Hæreticis; conſequentèr vult deſtructionem Eccleſiæ Catholicæ: nam antecedens trahit ad ſe neceſſarium conſequens, *l. Ad rem, ff. de Procuratorib.* licèt autem fauens Hæreticis, Eccleſiam Cathol. non deſtruat immediatè: deſtruit tamen mediatè; ſeu per aliū iuxta regulam: qui per aliū facit, per ſe ipſum facere videtur, *l. Qui per alium de Reg. iur. in 6.*

DIFFICVLTAS IV.

An, qui ſumit complacentiam ex fauore Hæreticis, quæ talibus impertito; incidat in Bullam Cœnę, vel aliam cenſuram.

Reſpondetur negatiuè, & rationes Magiſtrales ſunt, tùm, quia complacentia non eſt formalitèr fauor; niſi exeat in actum externum fauori formali æquipollenti, iuxtà illud *Top. iuris Euerardi in loco à plenitudine poteſtatis nu. 2. nimirùm*: Principi, quod placet, legis habet rigorem: tùm, quia, vbi opus eſt facto; non ſat eſt intentio, aut complacentia: ſicut etiam non ſufficiunt verba, quando opus eſt facto, *l. Non omnes §. fin. ff. de Re Militari, item l. Peculium ff. de Peculio legato*; quæ ſanè leges maximè procedunt in materia pœnali, qualis eſt excommunicatio, quæ eſt maxima pœnarum; vndè dictæ leges tantùm obligant ad id, quod ſonat litera, vt in primis obſeruat *Sanctarellus in Reſol. moral. quæſt.* 27. *nu.* 7. cum copioſiſſimo DD. cumulo ad dictas leges.

Verùm tamen eſt, quod ſumens complacētiam de fauore, ſeu auxilio Hæreticis præſtito, grauitèr peccat; conſtat, nam quemadmodum velle peccare, peccatum eſt; ità ſumere complacentiam de peccato, ſeu proprio, ſiue alieno; claret exemplum in Miniſtro Iuſtitiæ, qui licèt obediendo Principi in detruncatione capitis ad mortem condemnati non peccet: peccat tamen ratione complacentiæ: quod ſecùs eſſet; ſi præciſè complacentiam ſumeret de integra Iudicis iuſtitia; aut quod de medio tollerentur Reipublicæ nociui; nam hoc bonum eſt: publicèq; intereſt delicta puniri, *l. Ita vulneratus in fin. ad l. Aquiliam ff. de Publicanis, & Vectigalibus.*

Dices, affectus tantùm punitur, ſicut effectus, *l. Is, qui cum telo, C. ad l. Corn. de Sicarijs, l. Si quis non dicam rapere, C. de Epiſcop. & Cler. l. Si quis ſeruo, C. de Furto.*

Reſpondeo, quod regula prędicta procedit, quando quis non ſolùm complacentiam ſumit de fauore Hæreticis præſtito; ſed etiam proceſſit ad actum externum fauorem importantem: ſed non perduxit ad effectum, quia non potuit: Nos verò loquimur pręciſè de interna complacentia. faciunt, quę notat *gloſ. in dicta l. Si quis non dicam rapere, & gloſ. in cap. Nuper de Bigamis.*

DISTINCTIO QVARTA.

De Fautoria Hæreticorum reſpectiuè ad denunciationem.

Hæc diſtinctio tres complectitur articulos. Quorum alter ponit requiſitas conditiones ad dictam denunciationem. Alter reſpicit omiſſionem denunciationis Fautorum hæreſis, aut Hæreticorum. Tertius eorum fraternalem correptionem.

ART.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.
Quot neceſſariò requiruntur ad denunciationem Fautoris Hæreticorum.

Reſpondetur duo requiri copulatiuè, dico copulatiuè, quia quoties plura requiruntur ad conſtitutionē vnius altero deficiente nihil ſequitur, *l. Si quis ita ſtipulatus fuerit ff. de Verb. obligat.* Primum eſt, vt fauor ſit exterior. Patet, quia S. Tribunal non iudicat de internis. Alterum, vt fauor ſit in ordine ad hęreſim, patet ex *Tol. lib. 1. cap. 2. nu. 10.*

Hinc ſequitur ex defectu primę conditionis non eſſe denunciandum; qui corde tantum adhęret Hęreticis; tum quia neſcimus alterius arcana ſub certitudine: tum quia, vbi opus eſt facto, non ſat eſt intentio. *l. Non omnes fin. de Re Militari.* Ex defectu ſecundę conditionis ſequitur item non eſſe denunciandum; qui benefacit Hęretico ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis, aut affinitatis, lucri, vel timoris; quia beneficium non fit in ordine ad hęreſim .s. ad illam fouendam, firmandam, vel inducendam, vt ſuppono, vide *Capeauillam de Caſib. reſer. par. 2. caſ. 1. quæſ. 2.*

Nec refert, quod Hęreticus, cui quis fauet, ſit publicè euitandus: tum quia hìc nō eſt ſermo de Hęretici deuitatione; ſed de fauore in gratiam hęreſis, aut Hęretici, qua talis: tum quia tàm publicè euitandus, quàm non, ęquè venit denunciandus. Sumus in claris.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An ſint Fautores Hęreticorum, qui Hæreticos non denunciant.

Reſpondeo, quòd quamuis iſti non ſint ſtrictè Fautores: ſunt tamen .s. largè; quare licèt non incidant in excommunicationem Bullę Cœnę, in quam ſolummodò incidunt propriè, & ſtrictè Fautores, ſiue commiſſiuè, ſiue omiſſiuè: incidunt attamen in excommunicationem, de qua Edictū Inquiſitorum; quę quotannis promulgatur contra non denunciantes Hęreticos, aut de hęreſi ſuſpectos, vt patet ex textu ibi, *Che ſiano Hæretici, & Extrauaganti Gregorij 9.* incipit, *Excommunicamus.*

Verùm, ſi inſuper dent alicui conſiliū, auxilium, aut fauorem, vt dictam omittat denunciationem Hæreticorum; incidunt etiam in excommunicationem. *cap. Vt Inquiſitionis, de Hæreticis in 6.* vide *Syluеſ. ver. Excommunicatio 9. nu. 58. Nau. cap. 27. nu. 135. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 19.* quæ tamen nemini reſeruatur, vti notatur in primis in *Catalogo excom. iuſſu Ludouiſij edito cap. 6. excom. 6.*

Mihi placet talitèr diſtinguendum eſſe, vel omittens tenetur ad denunciationem ex iuſtitia ratione officij, aut ſtipendij: vel præcisè tenetur vi Edicti; qui primò modo tenetur (ſi aliud non obſtet) omittendo, eſt verè Fautor Hæreticorum, ſaltem in foro externo: quòd ſecus dicendum eſt de illo; qui ſolùm vi Edicti tenebatur. legendi ſunt *Repertorium Inquiſit. verb. Fautores. Pegna ad Direct. part. 2. Commen. 78. Duardus ad Bullam Cœnæ, lib 2. Canon. 1. quæſ. 39. nu. 19. Carena tract. de modo procedendi in S. Officio par. 2. tit. 9. §. 9. nu. 41. item tit. 4. §. 1. nu. 7. & alij*: Dixi ſaltem in foro externo: quia poteſt eſſe, quod in foro conſcientiæ non omiſerit motiuo hæreſis: ſed alio, quod notū volo pro praxi Confeſſarij; vt .s. hinc dignoſcat; quando dictum omittentem abſoluere poterit: & quando nequiuerit, ne minus cautè in meſſem alienam ponat falcem; hinc *cap. Scriptum, 6. quæſt. 3.* dicitur: meſſem per alienam tranſiens, in eam falcem mittere non debet: quia melius eſt intacta iura ſeruari, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere, *l. fin. C. In quib. cauſis in integrum reſtitutio.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
Quando Hæreticorum Fautor ſtatim, & quando præcisè poſt adhibitam correptionem fraternalem denunciandus eſt.

Reſpondeo Fautorem Hæreticorū ſtatim denunciandum eſſe; quādo damnum eſt in fieri; vndè nihil obſtat ipſū eſſe occultū: nam ſi publicus eſt; licèt amplius fautoria non exiſtat in fieri, immò ſecuta ſit emendatio; attamen venit denunciandus; vt puniatur publicè factum publicum, ad effectū coercendi alios à ſimilibus perpetrandis: continendiq; bonos in bono: iuxtà *l. Itâ vulneratus ff. ad l. Aquiliam.* nam publicè intereſt homines ſaluos, & incolumes conſeruari; non corripitur autem Fautor, ſicut nec Hęreticus pertinax; quia cum ad correptionem Eccleſię non reſipiſcat; minus ad correptionem priuatę perſonę reſipiſcet: iuxtà illud vulgatum; *Si nō de quo magis, nec de quo minus*, videnda ſunt tamen, quæ fuſiùs diximus *Lib. 6. de Corrept. frater.* Cæterùm Fautor, qui detinetur ignorantia inuincibili, vel vincibili; ſed non affectata; precisè poſt adhibitam correptionem, ſi non reſipiſcit; venit denunciandus.

Idem dicitur, quando quis firmitèr credit, quod ſua correptione ab huiuſmodi fautoria ſtatim retrahet fratrem ſuum. Eadem diſtinctio, & doctrina afferenda eſt de Credentibus Hæreticis, Recepta oribus, &c. ſuo modo, qui omnes, & ſinguli dicta ignorantia detenti, licèt veniant prius corripiendi: ꝙ intellige, dūmodò periculum non ſit in mora: cenſeo tñ correptionem in neutro caſu differendam eſſe. faciunt notata per *Naldum verb. Correctio. Angelicum Doctorem in ſimili de Hęreſi 2. 2. quęſ. 35. art. 7. & alios;*

DISTINCTIO QVINTA.

De alijs ſpeciebus de hæreſi ſuſpectorū, de quibus Textus, videlicèt, de Credentibus, Receptatoribus, Defenſoribus Hæreticorum, aut ritibus Iudæorum

dæorum Mahumetanorum, Saracenorũ, aut Gentilium Adhęrentibus.

Textus: *O Credenti, ò Recettatori, ò Defenſori loro, ò habbiano adherito, ò adheriſchino à riti de' Giudei, ò Mahometani, ò de' Saraceni, ò de Gentili.*

De his ſpeciebus inſimul differam in hac diſtinctione, cuius quinq; erunt articuli.

Primus reſpicit generalia his quatuor ſpeciebus de hæreſi ſuſpectorum.

Secundus reſpicit Hæreticis Credentes.

Tertius ipſorum Receptatores.

Quartus ipſorum Defenſores.

Quintus, Adhærentes ritibus Iudæorum, aut Mahumetanorum, aut Saracenorum, vel Gentilium.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quæ, & quot ſunt attendenda in generali circa horum quatuor ſpecies de hæreſi ſuſpectorum .s. Credentium, Fautorum, Receptatorum, & Defenſorum, videlicet Hæreticorum.

RESpondetur ſequentia eſſe attendenda. Primum eſt, quòd prædicti de Hæreſi ſuſpecti; de quibus nedum Textus, ſed etiam Bulla Cœnæ, hoc in loco ſumuntur formalitèr .s. quatenus Hæretici ſunt, illi; quibus credunt, aut fauent, vel quos receptant, aut defendunt.

Secundum eſt, quòd ad effectum, vt prædicti in Bullæ cenſuram incurrant; non requiritur Receptatorem, Fautorem, aut Defenſorẽ Hæreticorum eſſe Hæreticum: quia manens Catholicus poteſt iſta præſtare; videlicèt receptare, fauere, aut defendere motiuo hęreſis: quod, ſi inſimul exiſtat Hæreticus, duplici excommunicatione annodabitur; altera, quia Hæreticus formalis: altera verò, quia Fautor, Receptator, aut Defenſor ratione hæreſis, quod notat in primis *Trullench Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 9 nu. 3.*

Tertium eſt, defenſorem differre à Fautore, ſicut inferius à ſuo Superiori: ideſt minus cõmune à magis cõmuni in eodem ordine; nam omnis Defenſor eſt Fautor, & non è contra; quare Fautor eſt quid ſuperius, ſeu communius.

Quartum eſt, iuxtà opinionem *Sanchez apud Trullench loco citando*. Receptatores, Fautores, &c. licèt occulti ligantur irregularitate: ſecundum verò opinionem *Henriquez* debent eſſe notorij, & publici; vti notat *Ioannes Egidius Trullench in Expoſ. Decalog. lib. 1. cap. 3. dub. 10. num. 3.*

Item, quando N. ob alicuius hæreſis præſumptionem cogitur eam abiurare; non incurrit in irregularitatem, idem *Trullench loc. cit.*, quòd intellige præciſè in foro conſcientiæ: & dum præſumptio eſt falſa.

Quintum eſt, Credentes, Receptatores, Defenſores, Fautores Hæreticorum, & generalitèr omnes præciſè ſuſpectos de Fide pœnis Hæreticorum minimè puniri; niſi quatenus in iure reperitur expreſſum: tùm, quia propriè non ſunt Hæretici: tùm quia, qui minus peccat, mitiùs punitur, iuxtà *cap. penult. de Pœnit. diſt. 1.* vti notat *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. cap. 26. nu. 7.* tum prætereà, quia pœna delicto commenſurari debet, quod aduertit in primis *Euerardus in Topica iuris in loco ab effectu, nu. 9.*

DIFFICVLTAS II.

Cur in Edicto S. Inquiſitionis fit ſermo de Credentibus, Fautoribus, Receptatoribus, Defenſoribus &c. cum de his agatur in proceſſu Bullæ Cœnæ. Idemq; petitum fuit ſupra lib. 10. reſpectu hæreſis; cum item de illa agatur in eadem Bulla.

RAtio difficultatis eſt; quia, quæ æquè benè poſſunt fieri per pauciora; non debent fieri per plura, teſte *Phyloſ. prim. Phyſ.* cum itaq; de prędictis agatur in dicta Bulla: ad quid proponitur Edictum, ſaltèm quoad iſtam partem?

Reſpondetur, quòd quamuis Edictum, & Bulla Cœnæ idem prohibeant; differentèr tamen id faciunt; nam in Bulla prædicta mala prohibentur ſub pœna reſeruationis Summo Pontifici ipſorum abſolutionem interponendo. In Edicto verò prohibentur ſub pęna denunciationis; præcipiendo, vt dicti tranſgreſſores deferantur S. Officio, vt notum eſt: tractatus enim ſecundum diuerſas conſiderationes ſecantur non minus, quàm res.

Dices, tàm Bullã, quàm Edictum denegare abſolutionem; de Bulla patet ſub fine ipſius; & de Edicto itidem conſtat in eius calce, ergo videtur minimè diſtingui.

Reſpõdr̃ abſolutionis denegationem diuerſimodè comparari; nam ratione Bullæ denegatur Fautoribus, Credentibus, Receptatoribus, Defenſoribus: ratione autèm Edicti denegatur omittẽtibus denũciare prædictos. Item Bulla reſpicit forũ internũ; Edictũ verò externũ; Inquiſitores .n. ſunt Iudices pro foro externo, & pro communi bono Reipublicæ, vt notat *Caſtrus Palaus tractat. 4. diſput. 4. §. 6. nu. 3.* vndè non abſoluunt in foro Sacramenti, vt Inquiſitores, ſed vt Sacerdotes; quòd notant Doctores communitèr.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quinam ſunt Credentes Hæreticis.

NOtandum duobus modis poteſt quis credere Hæreticis: primò diſtinctè aſſentiendo erroribus ab Hæretico propoſitis, & publicatis; & hi potiùs Hęretici, quàm Credentes dicuntur, *cap. Excommunicamus de Hæreticis*. Secundò tantùm confusè credendo veram eſſe doctrinam Hæretici; quæ-

quæcunque illa ſit;& hi propriè dicuntur Credentes, de quibus Bulla Cęnæ, & Edictum S. Inquiſitionis: nam licèt etiam hi ſint Hæretici, credendo illo modo, quę ſunt contra Eccleſiam: tamen, quia diſtinctè nihil credunt contra Fidem; proprio nomine appellati ſunt: & ad maiorem claritatem ſub illo expreſſi; quòd vltimo notauit *Bizozerius in Sum. part. 4. cap. 1. circa primam excommunicationem Bullæ Cœnæ. Suarez de Excommunicatione diſt. 21. ſect. 2.* tàm primi Credentes, quàm ſecundi annodantur cenſura dictæ Bullæ Cęnæ Canon. 1. primi ratione illius particulæ .s. Hæretici. Secundi verò ratione ſubſequentis particulæ, vz. Credentes .s. Hæreticis modo prædicto.

DIFFICVLTAS II.

Credentes Hæreticorum qui denunciandi.

RESpondetur Credentes Hæreticis eſſe in duplici ſpecie; quidam credunt illorum erroribus, ſiue hoc oſtendant verbis illos defendendo, ſiue factis: vt ab eis recipiendo communionem; aut eorum conciones audiendo: & hoc non ſemel, vel bis, ſed frequentiùs: Quidam verò credunt Hæreticis in his, quæ ſpectant ad humanos, & ciuiles contractus; velut ſunt illi, qui eorum literas hinc inde deferunt, eis ſeruiunt, vendunt alimoniam, ducatũ præbent, viſitant &c. his habitis.

Reſpondeo, Credentes primæ ſpeciei eſſe denunciandos; quod patet ex dictis, vel factis ſuſpectis: quod ſecùs dicendum eſt de Credentibus ſecundæ ſpeciei, quia, vt inquit *Pegna ad Eymer. Commen. 75 par. 2. quæſt.* 10. eorum dicta; vel facta interdum præſtantur ex affectu carnali, interdùm amicorum precibus, & interdùm pecuniæ intuitu; & proindè minimè ſunt deferendi Fidei Cenſoribus; niſi ex nimio conſortio abſq; ſufficienti cauſa, vel aliundè ſuſpecti de Fide reddantur. faciunt, quæ docet *Eymericus in Direct. Inquiſ. par. 2. q. 50. per tot.*

DIFFICVLTAS III.

An ſint Credentes Hęreticis, qui dicunt velle mori in Fide alicuius Hęreſiarchę; v. g. Caluini.

REſpondeo affirmatiuè; ducor hac ratione: quia, quemadmodum inter Catholicos, Ruſtici qui implicitè tenent Fidem, quàm Eccleſia Catholica ſequitur; dicuntur Credentes Eccleſiæ, vt notat *Corradus loc. infra cit.* ità dicuntur Credentes Hæreticis; qui licèt expreſsè, ſeu explicitè errorem non habeant in intellectu: habent tamen implicitè; & tales ſunt illi, qui dicunt velle mori in Fide alicuius Hæreſiarchæ: vndè non obſtat, quòd iſti in particulari neſciant, quid ille Hęreſiarca credat. Quinimmò videntur, vt ſic loquar, pluſquàm Credentes .s. Hæreticis; quia, cum non tangant eorum hæreſes, illas tenent. legendus eſt *Corradus par. 2. quæſt. 118. Tol. lib. 1. cap. 20. nu. 6. Bonac de Cenſ diſp. 2. quæſt. 5. punc. 3. nu. 2. Paludanus 4. ſent diſt. 23. quæſt. 3. concl. 2. Capeauilla de Caſib. reſer. par 2. caſ. 1. quæſt. 2. ad mentem ipſius Paludani: Emanuel Sà ver. Hæreſis nu. 11. & alij.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Receptatores Hęreticorum, qui dicuntur, & quomodo differunt à Receptatoribus, ſeu Receptantibus.

QVO ad primam particulam: Reſpondeo, Receptatorem appellari eum, qui ſcientèr excipit, & celat aliquem, ne ad manus Iudicis deueniat. *Azor. Inſt. moral. par. 3. lib. 8. cap. 15. de Credentibus, Receptatoribus &c. Farinac. de Hæreſi, quęſt. 182 § 7. nu. 95. in fine. Eymer. 2. par. Direct. quęſt. 51. vbi Pegna Commen. 76. Souſa lib. 1. Aphor. Inquiſ. cap. 23. nu. 2.*

Quo ad ſecundam verò particulam obſeruandum eſt diſcrimen eſſe inter Receptatorē, & Receptorem. Receptor dicitur ille, qui ſemel, aut bis receptat: Receptator verò dicitur, qui pluries: eſt enim nomen frequentiam actuum impórtans, vt docent Grāmatici. Verùm in iure dicitur Receptator etiam ille, qui ſemel, vt obſeruat Auctor *Memorialis ſciendorũ Clericis in prima Excommunicatione Bullę Cœnę. Corradus par. 2. quęſito* 119 *Repert. Inquiſit. ver. Receptatores.* & hoc modo cenſeo accipi in Edicto S. Inquiſit. Bergomi ibi, *O Recettatori,* quod patet ex praxi veritatis Magiſtra: intentio enim Inquiſ. eſt, vt denuncietur etiam ille, qui ſemel occultauit Hæreticum dicto fine.

DIFFICVLTAS II.

An Receptatores Hęreticorum effectu non ſequuto; v.g. non capto Reo incidat in Bullam Cœnę.

REſpondent aliqui cum *Thom. Sanchez loc. citand.* negatiuè .s. quod Receptatores non incidunt in Bullam Cęnæ; quando nihil profuit receptatio, ſeu occultatio, quominùs Hæreticus, ex. gr. ab Inquiſitore appręhenderetur. ità *Thom. Sanchez in Pręcep. Decal. lib. 2. cap. 10. nu. 9.*

Alij verò cum *Graff. lib. 4. Deciſ. cap. 18. num. 34 & Farinac. de Hęreſi quęſt.* 182. §. 7. *nu.* 102. volunt ſufficere effectum attentatum, cũ quibus etiam Ego ſto: tum quia interdum non minus punitur affectus, quàm effectus. *l. Is, qui cum telo, C. ad l. Cor, de Siccar. l. Si quis, non dicam rapere, C. de Epiſ. & Cler. l. Si quis ſeruo, C. de Fur.* tùm, quia ſumus in delictis atrocioribus, ac de facili trahibilibus in exemplum: tùm quia in foro Sacramenti Pęnitentiæ peccata cordis, oris, & operis ſunt eiuſdem ſpeciei, vt tradunt communitèr DD. & obſeruat *Nau. in Man. cap.* 26. tùm prætereà, quia ſupponimus attentationem, quæ eſt quidam effectus, licèt non principalitèr intentus. De huiuſmodi attentatore dicitur quid vltra potuit facere, & non fecit?

DIFFICVLTAS III.

Receptatores Hęreticorum, qui denunciandi.

NOtandum eſt, Receptatorũ .s. Hæreticorũ duplex eſſe genus; quidam ſine culpa eos recipiũt: v.g. ex ignorãtia neſciendo: nec ſatis ſuſpicando illos eſſe Hęreticos: vel ipſos dignoſcẽdo, vt hęreticos; ſed eos receptãdo ob alium finē, q̃ ob hęreſim, vti ſe habent qui recipiunt

piunt Hæreticum, ne occidatur ab inimicis ſuis ipſum in ſequentibus: vel à Iudice, procedente tamen ratione alterius criminis ab hæreſi, & eius ſuſpicione, vt ratione furti: Quidã verò cum culpa eos recipiunt, ſcientes Eccleſiam, vel S. Tribunal eos quærere ob eorum hæreſes, aut hæreticalia: His datis.

2. Reſpondeo, primum genus Receptatorum minimè eſſe denunciandum; cum non receptauerint Hæreticum motiuo hæreſis: quod ſecùs dicendum de Receptatoribus ſecundi generis, ſi eos receptauerint, quatenus hæreticos, & non ob aliam cauſam: v.g. quia conſanguinei ſunt, vel amici, &c. vt dictum eſt alibi: faciunt tradita à *Pegna par. 2. Direct. Inquiſ. Commen. 76. item par. 2. quæſt. 51. Edicto S. Inquiſ. Bergomi, ibi, O Recettatori, & à Sanchez Decal. lib. 2. cap. 10. nu. 3. & 4.* Verùm in dubio poſſeſſio ſtat pro lege Edicti, cui obediendum eſt; attentis tamen qualitatibus Recipientis, & alijs, quas exegit ratio prudentiæ.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Quales Hæreticorum Defenſores veniunt denunciandi.

NOtandum, Defenſores ſunt in duplici genere; quidam defendunt Hæreticorum errores, & vocantur Hæreſiarchæ. conſtat *24. quæſt. 3. cap. Qui aliorum.* Quidam verò defendunt tantùm perſonam Hæretici, quales ſunt, qui viribus, & potentiâ reſiſtunt, ne Hæretici conſanguinei, affines, vel amici capiantur, puniantur &c. de hæreſi. His habitis.

Reſpondeo, quòd tam Defenſores primi generis, quàm ſecundi veniunt indifferentèr denunciandi; maximè ſi conijciatur ipſos moueri in fauorem hæreſis; quod ſecùs dicendũ, ſi conſtet moueri ex cauſa omninò diuerſa ab intenta ab Eccleſia, aut à Sancto Tribunali, vt iam alibi dictum eſt. legendus eſt *Eymericus in Direct. Inquiſ. par. 2. quæſt. 12. per totum. Tolet. lib. 1. cap. 20. nu. 11. Sylueſt. verb. Hæreſ. 1. §. 10.*

Dixi ſi conſtet, omnibus attentis; quia vt ſupra dictum fuit, in dubio poſſeſſio ſtat pro lege, & Edicto Inquiſitorum.

DIFFICVLTAS II.

An Defendens putatum Hæreticum, ſed re verâ non talem ligetur excommunicatione.

DIfficultatis ratio eſt; quia iſte in foro Sancti Tribun. vt Defenſor Hæretici punitur, cogiturq; abiurare; vti teſtatur *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 24. nu. 6.*

Ante reſponſionem notandum primò, Defendentem Hæreticum dici illum, qui quomodolibet impedit Hæretici condemnationem, aut capturam, ne ſ. in manus Inquiſitionis deueniat, aut, vt in tutò viuat, efficit: *Eymer. 2. par. Direct. quæſt. 52. vbi Pegn. Comm. 77. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 10. num. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæſt. 6.*

Secundò, notandum hic eſſe præcisè ſermonem de Defendente motiuo hæreſis tuendæ, fouendæ &c.

Notandum tertiò, Defendentem Hæreticũ generalitèr excommunicari ipſo facto in Bulla Cœnæ, iiſdemq; pœnis puniri; quibus Receptator Hæreticorum: cogiq; ad abiurationẽ pro defenſionis qualitate. legenda eſt Bulla Cœnæ *Excomm. 1. Eymer. 2. par. Direct. quæſt. 52. Commen 77.* his habitis.

Reſpondetur, quod quamuis poſita mala fide Defendens putatum Hæreticum grauitèr peccet, veniat puniendus, cogendusq; ad abiurandum: attamen quemadmodum nõ manet excommunicatus; qui percuſſit laicum credens Clericum; cum excommunicatio non oriatur ex imaginatione, aut mala fide operantis; ſed ex diſpoſitione iuris, quando eſt ab ipſo, vel Iudicis, ſi item ſit ab ipſo; cuius verba maximè in pœnalibus accipienda ſunt propriè, & cum effectu. Ità à fortiori non ligatur, qui in iudicio, aut extra patrocinatur putato Hæretico, qui realitèr non eſt talis: loquendo in foro Sacramenti Pœnitentiæ: Dico in foro Sacramenti: quia in foro fori S. Tribunalis, quouſque habetur talis; non poteſt defendi abſque licentia S. Tribunalis: & ſecundum hunc forũ procedit ratio dubitandi, & doctrina *Souſa loc. cit. nu. 5. & 7.*

DIFFICVLTAS III.

An Confeſſarius illum abſoluere poſſit, qui defendit, aut patrocinatus eſt Hæreticum denunciatum, aut accuſatum apud Sanctum Officium.

RAtio difficultatis eſt, quia Fautores Hæreticorum anathematizantur in *Bulla Cœnæ Canon. 1.* ſed Defendentes, ſeu Patrocinantes ſunt Fautores; vt de ſe conſtat: ergò non niſi per Confeſſorem Pontificia auctoritate fultum abſolui poterunt.

Opus eſt Diſtinctione, duplex eſt defenſio, nimirùm iuſta, & iniuſta: loquendo de iuſta; quæ regularitèr fit in iudicio cum licentia S. O. Reſpondetur affirmatiuè. ſ. quòd Confeſſarius Defendentem Hæreticum, de quo ſupra, abſoluere poterit; cuius ratio eſt, quia defenſio iuſta, ſeu legitima eſt de iure naturæ; & perindè nemini eſt auferẽda, *l. Quoties C. de pret. Impe. offer. l. Vt vim, ff. de Iuſt. & Iure. Direct. Inquiſ. par. 3. vbi Pegna Commen. 28. Clemen. 1. de Pœnitentia, Palud. in 4. diſt. 13. quæſt. 3. Tol. lib. 1. cap. 20. num. 10.* & Bulla Cœnæ Domini, aliæq; contra Patrocinantes Hæreticos.

Cæterùm loquendo de defenſione iniuſta; ſecùs dicendum eſt; vti doctè tradit *Lucerna Inquiſitorum, ver. Defenſor Hæreticorum, num. 2. & ver. Defenſio, item nu. 1.*

Vnde Iudex exceptiones huiuſmodi Defenſoris, vtpotè doloſas, ac fruſtratorias ad differendum iudicium, ſeu proceſſum Hæretici repellere poteſt; vt videre eſt apud *Lucernam Inquiſitorum loc. cit.*

Verùm obſeruandum eſt, quod non quilibet Aduocatus pro defenſione Inquiſiti in S. Tribunali admittitur; ſed tantùm perſona grauis, quæ priùs præſtare debet iuramentum, ſal-

tem

quàm contra ſe: Cautè autem,& prudentèr ſe habebit Confeſſarius; ſi ipſum interroget,quo fine ad ductionem alterius vxoris (ſuperſtite priori)motus fuerit; an ad ſatisfaciendum ſenſualitati carnis, defraudandamuè dotem: aut quia ſentiat cōtra Decretum Eccleſiæ, duas ſe poſſe habere inſimul vxores.

Si primùm,illum abſoluere poterit, dimiſſa tamen ſecunda vxore: & plenè admonito de ſtatu ſuo. lege *Carenam de Modo procedendi in cauſis Fidei tit. 5. §. 14 nu. 82. & 83.* Si verò ſecundum, nullatenùs eum abſoluere licebit cū ratione hæreſis ſit annodatus excommunicatione Bullæ Cœnæ, quæ ſoli Summo Pontifici reſeruatur. Itaq; Confeſſarius non ſtatim, ac audit pœnitentem Poligamum eſſe; debet illum à ſe duris verbis dimittere; ſed prius interrogabit, prout ſupra; cum quiſque ſemper præſupponere debeat fratrem ſuum, quātuis peccatorem,tenere Fidem Catholicam: & potius peccare ob carnis fragilitatem, auaritiam,aut alium humanum affectum, quàm ob Fidei carentiam.

DIFFICVLTAS II.

An quemadmodum vir, qui ſuperſtite priori coniuge alteram duxit,eſt de hæreſi ſuſpectus: ita ſit de muliere,quæ ſuperſtite priori coiuge alteri nupſit: idem quoq; quæritur de Religioſo, & Religioſa nubentibus.

RESpondetur affirmatiuè, quòd patet ex paritate delicti,& pœnæ; nam eadem pęna, quæ infligitur viro ducenti vxorem priori ſuperſtite; infligitur quoque fęminæ nubenti priori ſuperſtite viro. *Antonio Gomez in l. Tauri 80. nu. 28.*; *Roder. Achuna de Confeſſ. ſolicit. in confeſſ. quaſt. 6 nu. 10.*

Sunt itidèm ſuſpecti Luteranæ hæreſis,tàm Religioſus, quàm Religioſa, iam profeſſi,ſiue ſint in ſtatu Clericali, ſiue laicali: & ſimilitèr quilibet alius ſacris initiatus, ſi ducat vxorem. ita *Ferdinandus in Oper. mor. par. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 16. allegans Canteram,quaſ. criminis de Hæreticis nu. 71. & 80.*

Proceditq; in his caſibus regula illa .s. maſculinum concipit fęmininum, *l. 1. de Verb. ſignif. l. Si ita ſcriptum ff. de lege 2. l. Qui duos, l. Seruis legatis ff. de Lega. 3.*

DIFFICVLTAS III.

An ſaltem integrum fuerit antiquis Patribus ſimul plures habere vxores.

RAtio difficultatis eſt, quia manifeſtum eſt ex diuina ſcriptura multos ex illis antiquis Patribus plures habuiſſe vxores. conſtat de Abraham, Iacob, Dauid,&c.

Reſpondet *doctiſſimus Pelbartus in Roſario Theologiæ par. 3. verb. Luxuria*, quòd tunc licitum erat plures habere vxores .s. alteram principalem, & alias ſecundarias; principalis vocabatur vxor: aliæ verò concubinæ, ſeu ancillæ: earumq; filij non erant cohęredes cum filijs primæ vxoris; quocircà cum dicitur de Abraham, quòd ingreſſus eſt ad ancillam; intelligendum eſt ad mulierem minus principalem .s. ſecundariam: idemq; intelligendum reſpectu aliorum Sanctorum Patrum; nam adulterium ſemper fuit reprobatū, vt patet ex Gen. vbi de Rege Abimelech, qui ſumpſerat ad ſe Saram vxorem Abrahę, ob quam cauſam fuit à Deo flagellatus. faciunt tradita per *Gryſaldū in Deciſionibus Fidei Cathol. & Apoſt. ver. Vxor citans D. Thom. nu. 6.*

Ratio autèm cur tunc licuerit, vel diſpenſati fuerint; redditur ab eodem Doctore loc. cit., nimirùm, vt multiplicaretur numerus Deum verum colentium; cum eo tempore pauci forent.

Dices fortaſſe Deum non diſpenſare in iure naturali; pluralitas verò vxorum eſſe contra huiuſmodi ius naturæ.

Reſpondet irrefragabilis Doctor *Alexander Alenſis 3. par. quaſt. 35.* quem ſequitur *Pelbartus, vbi ſupra*, diſtinctione hac: Aliqua eſſe ſtrictè contra legem naturę, vt mētiri, blaſphemare nomen Dei,&c.& hęc nunquàm diſpenſata fuere: Aliqua verò eſſe contra ius naturale largè, velut ſunt illa, quę ob iuſtum finem benè fieri poſſunt: ex gr. quòd Iudex Raptorem rei alienę in magna quantitate pręcipiat tolli de medio.

Modò ad difficultatem Reſpondeo, Pluralitatem vxorum eſſe precisè contra legem naturæ ſecundo modo, ac tantummodò contra pacem domus: nōn autèm contra finem prolis habendę, vt notat *Gryſaldus poſt D. Thomam loc. ſupra citatis.*

Si dicas Lamech reprehendi; quia duas vxores habuit: Reſpondeo cum prædicto Doctore vbi ſupra,quòd reprehenditur; quia illas accepit ante huiuſce legis diſpenſationem.

Hinc colligo etiam rationem, cur potius Sacerdotibus, & Leuitis veteris teſtamēti, quàm noſtri temporis,permittebatur vxor; (inquam) quia tunc nullus poterat fieri Sacerdos, aut Leuita,niſi foret de tribu Leui: vndè, ſi prædictis fuiſſet diuetitum; defuiſſet breui temporis curriculo Tribus illa: quod ſecùs eſt nunc temporis; cum non exiſtat ſimilis reſtrictio. Hæc *Pelbartus loc. cit.* hinc *cap. Quod autem, 20. quaſ. 11.* talitèr prolòquitur: *Multa olim permittebantur, quorum exemplis hodie vti non licet.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Confeſſarius ſigillum confeſſionis ſacramentalis frangens ſit de hæreſi ſuſpectus; & proinde Iudicibus Fidei denunciandus veniat.

RAtio difficultatis mihi eſt; quia *Alphon. de Leone de Officio Confeſſionis tō. 1 recoll. 22. n. 12 caſ. 3.* dicit Confeſſarios ſigillū confeſſionis ſacramentalis frangentes Inquiſitoribus denūciandos eſſe: denunciatio autē, quæ fit Cenſoribus Fidei præſupponit hæreſim, aut eius ſaltèm ſuſpicionem.

Suppono errore in mēte Cōfeſſarij cōfeſſionis ſigillū frangētis minimè exiſtere, vtpotè nō tenētis,nec defendētis reuelationem confeſ-

ſionis

ſionis, licitam eſſe: nec aliter de Sacramentis Eccleſiæ perperam ſentientis; quia ſic eſſet Hæreticus; & proindè à nullo præterquàm à Summo Pontifici abſolui poſſet.

Reſpondetur negatiuè *Diana par. 4. tract. 8. reſol. 95.* ſequens *Molphesium in Sum. tom. 1. tract. 7. cap. 23. nu. 68.* qui addit Alphonſi aſſertionem intelligi; quando aliòquin Cõfeſſarius cognitus eſſet de Sacramentis Eccleſiæ malè ſentire; vel in eius intellectu reperiretur error contra Fidem.

Verùm nota primò, quod non oritur huiuſmodi ſuſpicio de hoc Confeſſario ratione pœnitentiæ grauis ob hanc fractionem ei impoſitæ; quia multis ſpeciebus delictorum, vt latronibus, homicidiarijs grauis itèm taxatur pœna, putà vt ſuſpendantur; qui tamen non ſunt de hæreſi ſuſpecti.

Nota ſecundò huiuſmodi ſuſpicionem de hoc Confeſſario non oriri; quia abutatur Sacramento frangendo ſigillum confeſſionis; quia nec quælibet Sacramenti abuſio reddit abutentem de Fide ſuſpectum; conſtat de ſumente Euchariſtiæ Sacramentum in peccato mortali: quare dicendum eſt; tunc confeſſionis fractionem reddere de Fide ſuſpectũ frangentem; quando prouenit ex infecta incredulitatis radice; quæ indagari poteſt ex alijs eius defectibus: ex fructibus arbor.

DIFFICVLTAS II.

An ſit ſuſpectus de hæreſi Confeſſarius aſſerens pœnitentem minimè abſolui poſſe; niſi illi nominatim detegat peccati complicem.

RAtio difficultatis mihi eſt, quia *Medina in Summ. lib. 2. cap. 4.* §. 1 quem ſequitur *Lopez in inſtruct. Confeſſ. par. 1. cap. 27. §. Commendamus quoq;* vt notat *Diana par. 4. tract. 8. reſol. 97.* putat talem Confeſſarium eſſe denũciandum Fidei Cẽſoribus; cuius ratio eſt, quia ſentit hæreſim eſſe affirmare; quòd pœnitens teneatur ad dictam detectionem, ad quam ſequitur proximi infamia.

Reſpondetur difficultati negatiuè, cuius ratio eſt, quia licèt ſit hereſis aſſerere licitum eſſe famæ proximi detrahere: inter DD. tamen admodum controuertitur; an complicis detectio nominatim facta in ſacramentali confeſſione illi afferat infamiam; nam alij tenent partem affirmãtem, alij verò defenſant negãtem; & vtraque opinio ſaluatur, additis, vel demptis circunſtantijs; notum eſt. tuentur negatiuã *Villalabos in Summ. tom. 1. tract. 9. diff 38 nu. 9. Coriolanus tract. de Caſibus reſer. par. 1. ſect. 3. ar. 9. nu. 3:* quos citat *Diana 4. par. tract. 8. reſol. 96.*

Nec obſtat reſolutioni doctrina *Medinæ, & Lopez:* quia cenſeo intelligendos eſſe; ſuppoſito, quòd Confeſſarius teneat mordicus, & abſolutè in omni euentu pœnitentem nõ poſſe abſolui; niſi detegat in ſpecie perſonam complicem minimè ignorando in Eccleſia vtramq; opinionem probabilem haberi iuxta diuerſas circunſtantias, interdùm in caſu practico contingentes: nam contingit plerunque ad intelligentiam grauitatis criminis minimè requiri cognitionem complicis.

Verùm in hoc caſu practico conſulo, vt pœnitens ſuum ſubijciat peccatum Confeſſario, qui nullatenùs deuenire poſſit in cognitionẽ complicis, vt, vel ſic ſuæ conſulat conſcientię.

Notanda ſunt autèm duo. Primum eſt *Dianam loc. cit.* aliter formare præſentem difficultatẽ, videlicèt hoc modo, nimirùm; Si Inquiſitores dictum Confeſſarium punire poſſint; ſed in idem reddit cum difficultate hac: quia quos Inquiſitores punire poſſunt, vel ſunt Heretici, vel ſuſpecti, vel Sancti Tribunalis perturbatores.

Secundum eſt, cum dicimus hunc Confeſſarium de hæreſi non eſſe ſuſpectum; non ideò ipſum à mortali excuſamus ratione defectus ſcientiæ in eius munere fungendo ſibi neceſſariò requiſitæ: & extorſionis pęnitenti factæ abſque ſufficienti cauſa, vt ſuppono; cuius opinionem probabilem ſequi tenetur, maximè cum iam ſe ſubiecerit eius clauibus.

DIFFICVLTAS III.

An obligantes ad iterandam confeſſionem apud Regulares factam ſint de hæreſi ſuſpecti.

SVppono iſtos aſſerere inualidam eſſe confeſſionem apud Regulares factam: vel iterùm peccata ipſis eſſe confitenda ex defectu iuriſdictionis in Regularibus.

Reſpondetur affirmatiuè; cuius ratio eſt, quia huiuſmodi aſſertione implicitè affirmant auctoritatem Religioſis delegatam; vel nullius eſſe valoris: vel quod Summus Pontifex non potuerit illi huiuſmodi facultatem conferre; quæ ſunt abſurda in Eccleſia intolerabilia, ac Fidei Catholicæ derogantia; ideò redduntur de hęreſi ſuſpecti; & perindè Cenſoribus Fidei denunciandi, vt contra illos ex officio procedant, vt tenentur. ità *Portel. verb. Miſſa num. 4. Rodriquez qq. reg. tom. 2. quæſt 81. art. 6 Baptiſta Confectius tit. 17. cap. 3. Sũmiſtæ communitèr ver. Confeſſus. Eymer. in Direct. Inquiſ. par. 2. quæſt. 8. de Hæreſibus in Extrauagantibus condemnatis, num. 1.* in hac aſſer. explicitè tres notat errores.

Primus eſt, aſſerere quòd confitẽtes Regularibus facultatẽ generalem audiendi confeſſiones habentibus; teneantur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant; iterùm cõfiteri proprio Sacerdoti videlicèt Curato Parochiali.

Secundus eſt, aſſerere Summum Pontificẽ non poſſe facere; quin Parochiani teneantur cõfiteri omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti ſtante ſtatuto omnis vtriuſque ſexus edito in *Conc. Lateran. ſub Innoc. iij. cap. 2.* quod refertur in *cap. Omnis de Pœnit. & remiſſ.*

Tertius eſt aſſerere, quod Papa non poteſt dare licentiam, ſeu poteſtatem generalem audiendi confeſſiones; quin poſtea confeſſus teneatur eadem peccata iterùm proprio Sacerdoti confiteri.

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitores S. Trib. Fautores Hæreticorum ſint omittendo conſtructionem carcerum pro ipſorum cuſtodia.

NOtandum duplicem eſſe modum fauendi Hæreticis omiſſiuè, videl. motiuo hæreſis, vel alio motiuo ab hæreſi.

Reſpondetur difficultati diſtinctione, vel Inquiſitores alio motiuo ab hæreſi carceres ad Hæreticorum cuſtodiam: v.g. ex auaritia, paupertate, negligentia, inaduertentia; detentione occupationum &c. non conſtruxerunt; & ſic non ſunt: nec dici poſſunt Hæreticorum Fautores; quia hi defectus non reſpiciunt Hæreticorum fauorem, vt ſuppono: quòd ſecus dicẽdum foret, ſi ex motiuo hæreſis contigiſſent; ſi nimirùm directi eſſent in fauorem Hæreticorum; ſicut enim ſe habet propoſitũ in propoſito; ità oppoſitum in oppoſito. *Sylu. verb. Hæreſis* 1. *quæſt.* 7. *verſ. Si tamen Prælati nu.* 10. *& incidunt in Bullam Cœnæ Can.* 1.

Idemq; dicendum eſſet de illis, qui obſtrinxerunt ſe iuramento, vel ſtipendio denunciandi Hæreticos; ſi omiſſiuè ex motiuo hæreſis eos denunciare negligant: quod nõ eſt dicendum, ſi alia ratione moti illorum denunciationem omitterent. Lege *Tol.* vbi ſupra, cum alijs ab ipſo citatis, & nos vbi ſupra art. 2. diff. 2.

DIFFICVLTAS III.

An renuentes teſtificari in cauſa Fidei reputentur Fautores Hæreticorum.

DIſtinguendũ eſt de foro fori, & foro poli; licèt enim nolentes teſtificari in cauſa Fidei reputentur in foro fori Hæreticorum Fautores: pœniſq; ordinarijs, & arbitrarijs, quibus tales affici ſolent, puniantur; niſi ex conſanguinitate, vel affinitate, aut ex magna amicitia, aut ex alia rationabili cauſa excuſentur; vt patet ex *Eymeric.* 3. *par. Direct. quæſt.* 62. *vbi Peg. Comm.* 3. *verſ. Sed opponunt & ſeq.* In foro tamen poli, vbi præſumptioni nõ nitimur, ſed veritati; attendenda eſt cauſa, quæ ſi non eſt, vt faueant Hæretico, vt tali; ſed alia, nõ poſſunt dici: nec ſunt Fautores: qui tamen abſolui non debent, niſi prius obtemperent præcepto S. Tribunalis.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Quomodò ſe gerat Confeſſarius cum Fautore Hæreticorum.

PRimò illum admoneat, quòd manet annodatus excommunicatione in Bulla Cœnæ Can. 1. à qua illum abſoluere nequit, niſi Iubilæi tempore, & vi Bullæ Cruciatæ, vt infra dicam; quando .s. excipitur tantũ hæreſis: nec ad incidendum requiritur, vt Fautor errorem habeat in mente.

Secundò, quòd tenetur deferre ad Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, quos nouit eſſe, vel fuiſſe itidem Fautores ſub pœna excommunicationis; quæ interdum in aliqua Diœceſi eſt latę ſententię; vt Bergomi; quòd conſtat ex Edicto S. Inquiſitionis euulgato, & ex Synodo *Prima part.* 1. *tit.* 1.

Tertiò, de damnis reſarciendis admoneri debet.

Quartò, de cauendo conſortio Hęreticorũ, aliorumq; Fautorum &c.

Quintò, admoneat, vt denunciationis officium pręſtet non vindictę, aut odij liuore; ſed zelo Fidei, ob bonum commune, & emendationem denunciandi. lege in primis *Fernandez in Exam. moral. Theol. parte* 4. *cap.* 6. §. 1.

Verùm notet, quòd Fautores tantùm ſuſpectorum de hęreſi non ligantur dictâ Bulla Cęnę. *Peronus ad Bullam Cœnæ cap.* 1. *num.* 168. *Carena tract. de ratione procedendi in S. Officio tit.* 4. §. 12. nu. 89. & dictum eſt ſupra *art.* 1. *diff.* 7.

Sextò, moneat Fautores Hęreticorũ priuari Eccleſiaſtica ſepultura; & q eos de facto ſepeliunt incidere in pœnam ſepelientium Hæreticos. *Arſen. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 173. itidem ea illis objiciat, quæ faciunt ad cognitionem grauitatis eorum criminis; ſed pręcipuè ſequentia.

Primum, quòd ſunt rei morte non ſolùm Hęretici; ſed etiam eorum Fautores, Receptatores, Credentes, &c. iuxtà illud ad Rom. *c.* 1. *Digni ſunt morte non ſolùm, qui faciunt .s. mala; ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Septimò, illi notificet; quod ex Hęreticorũ fauore, receptatione, &c. de hęreſi vehemẽtèr ſuſpectũ fieri: conſtat, quia contra hos procedit S. Tribunal: illiq; venit denunciandus, vt patet ex Edicto S. Inquiſitionis.

Octauò, objiciat Hæreticos ob eorum criminis grauitatem meritò morte puniendos; ẽt multò fortius, quàm incendiarios, falſarios. Et quidem iuſtè Hæretici, qui occidunt animas, affliguntur in corpore, cumq; ſempiterna morte alios afficiant; temporalem ſe perpeti, conqueri non debent.

Nonò, objiciat ſaltẽ aliquas Hęreticorũ qualitates; ſunt nãq; velut arbores autumnales, bis mortuæ, eradicatæ, vt ſcribit Iudas Thadęus.

Dicuntur autumnales .i. ſine fructu boni operis: bis mortuæ .s. in intellectu ſine Fide, & in affectu ſine charitate; eradicatæ ſcilicèt à fundamento Fidei, & à corpore Eccleſiæ, vt exponit *Bernardus Lutzenburgus in Cathal. Hæreticor. lib.* 1. *cap* 7.

Sunt item ſpinæ, à quibus nullus ſapientum vuam, aut ficum ſanctitatis, aut virtutis reperire poterit; qui tamen, vt tales cruentant ſibi approximantes.

Sunt quoque velut puteus abyſſi ob malitię profunditatem, & conſcientię tenebras. de his apertè dici poteſt *Hieremiam cap.*6. proloqui in hęc verba: *Malitiæ eorum non conſumptæ, argentum reprobum vocate eos; quia Dominus proiecit illos.*

Decimò, denique effectum hęreſum ipſi notificet .s. Hęreſim eſſe portã inferi, quia per eam ad inferos intratur, vt dicit *Ioannes de Turre Cremata* 1. *q.* 3. *c. Saluator.*

Sunt itidem illa terra maledicta, quę ſolummodò

modò producit lolium, ſpicas corruptas, & paleas fractas.

Concludo hęreſim eſſe grauiſſimum peccatum ſubuertens fundamentum omnium bonorum: ſeparans à Deo: cōiungensq; Diabolo, & ſequacibus eius; vndè *Hieronymus ſuper illud Iſa. 13. Gigantes veniunt implere furorem meum, &c.* dicit *omnes Hæreſes contrariæ veritati rebellant Deo.*

Verùm notandum, quòd duplicitèr quis patrocinari poteſt Hęreticis: vz. ad defendendam hęreſim, vel occultandā, aut minuendū eorū pœnam: vel ad elucidandam eorum cauſam; ne contra iuſtitiam grauentur in culpa, vel pœna.

Primò modo nullatenus licèt, quod ſatis clarè elici poteſt ex *cap. Si aduerſus, de Hæreticis*, eos declarante ſuſpenſos ab eorum officijs, ac infamiæ perpetuò ſubiectos. Secundò verò modo licèt; niſi cautum ſit, vt Patrocinator prius ſit ad hoc munus ab Inquiſitore deputatus. quòd notat *Zanardus in Direct. Theol. p. 2. cap. 6. §. contra Notarios, & Aduocatos.*

DIFFICVLTAS II.

In dubio fautoria Hæreticorum extra Iubilæi tempus, an Confeſſarius pœnitentem abſoluere poſſit.

VIde ſupra in primo caſu S. Officij de hæreſi, ibi, in dubio hæreſis, & item fautoriæ ipſius, an quis Confeſſarius ab his abſoluere poſſit; vbi reſpondetur negatiuè; vt patet ex declaratione Decreti, quo prohibetur abſolutio à caſibus reſeruatis, incipit *Sacra Congregatio*, quam habes apud *Bull. Quarantæ, ver. Caſus reſer.* ibi, ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnę legi ſolita contentis.

DIFFICVLTAS III.

Quando in Iubilæo cōceduntur caſus Bullç Cœnç, hęreſi excepta, prout de more, an vi illius Hęreticorum Fautores abſolui poſſint.

REſpondeo difficultati affirmatiuè, vt alibi etiam innui; ratio eſſentialis eſt, quia exceptio firmat regulam in caſibus nō exceptis; Fautores aũt, & alij, de quibus infra, nō ſunt Hæretici, vt ſupponitur: prçterea; quia à diuerſis nō fit illatio *l. Inter ſtipulantē §. Sacrā, ff. de verb. obligat.* itâ *Io. Aegidius, Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 6. nu. 4. Diana de Abſolutione ab hęreſi, Suarez tom. 5. in 3. part. diſput. 21. ſect. 7. num. 14. Filliuccius tom. 1. tract. 6. cap. 6. num. 39.*

Item ob eandem cauſam abſolui poſſunt eodem tempore, qui legerunt, aut retinuerunt libros de hereſi ex profeſſo tractantes: ſatisfacto tamen S. Officio, vt infra penult. lib. videbitur: v. g. traditis libris Inquiſitori, detectiſq; detegendis, &c.

Item eodem tempore ob dictam rationem abſolui poſſunt; qui impreſſerunt, vel imprimi fecerunt libros, de quibus ſupra.

Itidem eo tempore ob allatam rationē abſolui poſſunt Defenſores, & Receptatores Hęreticorum. Item Schiſmatici non Hęretici.

Prçtereà exiſtente Iubilęo ob ſupradictam rationem abſolui poterunt Sortilegi, Malefici, blaſphemi hęreticales, dummodò cōiunctam non habeant hęreſim, vt ſupra innui.

DISTINCTIO TERTIA.

De Fautoria Hæreticorum in comparatione ad Bullam Cœnæ.

Circa diſtinctionem hanc duos annotabimus articulos.

Quorum alter eſt de Fautoria Hæreticorum in genere.

Alter verò in ſpecie.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Fautores Fautorum Hęreticorum afficiantur excommunicatione Bullę Cœnę.

HAEC difficultas coincidit cum illa, videlicèt, ſi Fautores Hęreticorum, tàm mediati, quàm immediati afficiantur dicta cenſura.

Intelligitur autem difficultas de fauore Hęreticorum, prout talium: quia conſtat alios dicta cenſura minimè affici, vt ſupra cautū eſt.

Reſpondetur vtique affici, tàm mediatos, quàm immediatos Hęreticorum Fautores, quòd probo; tùm quia, cum lex non diſtinguat; nec nos diſtinguere debemus: tùm, quia generale dictum generalitèr intelligendum eſt. *l. de Precio, ff. de Public. in rem act. l. Preces, de Officio Præſidis*: plerunq; enim cōtingit; vt ſeuius noceat Fautor mediatè, quam immediatè: conſtat exemplum in Saule magis ſçuiente curam habendo de veſtibus lapidantium D. Stephanum, quam immediatè lapidantes: concurrebat nanque cum ſingulis, quorum veſtes conſeruabat.

Verùm difficultas hęc non intelligitur de Fautoribus, qui, v. g. lucrandi gratia illis vendunt merces; non quidem ad ſuſtentandos illos, vt Hęreticos; ſed vt creaturas Dei; ratio eſt, tùm quia alitèr nimis amarè lex interpretaretur: tùm quia lex interpretanda eſt, vt minus, quā ſit poſſibile lędat actū, cui apponitur. *Barboſa in tractatibus varijs, de Clauſulis, verbo Interpretanda, num. 3. Menoch. conſ. 62. num. 27.* tùm pretereà: quia verba debent intelligi ſecundum communem vſum loquendi, *l. Labeo, ff. de Supellectili legata.*

DIFFICVLTAS II.

An Hęreticorum Fautores acceſſoriè, vel principalitèr excommunicentur in Bulla Cœnæ.

NE ignorantia terminorum retardet intelligentiam huiuſce difficultatis notandum eſt, quid ſit excommunicari acceſſoriè, & quid principalitèr: Sciendum autem primò, tunc prçcisè moueri difficultatem hanc; quādo plures perſonarum, ſeu actionum ſpecies

in eadem ſerie legis, ſeu Edicti excommunicantur: ex. gr. in prima excommunicatione Bullæ Cœnę excommunicantur plures .s. Hęretici, Credentes Hæreticis, Receptatores Hęreticorum, illorum Fautores, & alij.

Secundò, ſciendum, tunc acceſſoriè vnum perſonarum genus excommunicari; quando non afficitur excommunicatione; qui in ſeriè legis ſecundariò ſunt poſiti, niſi Principalis excommunicatione afficiatur; è contra verò ſciendum eſt ſingulos excommunicari principalitèr; quando incidentia in excommunicationem nominatorum in ſecundo loco non dependet ab incidentia in excommunicationem Principalis; hoc eſt, quando omnes legis fractores excommunicantur independentèr ab alio .i. etiam non excommunicato Principali, ex. primi generis habetur in ſecunda excommunicatione Bullæ Cœnæ; vbi excommunicantur primò Appellantes à Papa ſuperſtite ad Concilium vniuerſale.

Secundò, Dantes ad hoc auxilium.

Tertiò, Dantes fauorem; cognoſcitur autē ibi Dantes auxilium, aut fauorē ſolùm acceſſoriè excommunicari; quia illi nō excommunicantur, niſi prius exiſtat excommunicatus Appellans ad Concilium; qui nec afficitur, niſi prius interpoſita appellatione: exemplum ſecundi generis patet in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ; vbi æquè principalitèr excommunicantur perſonæ in ſerie verborum ſubſequentèr poſitæ, ac illæ primariò poſitæ .s. non minus Fautores Hæreticorum, ipſis Credentes, Receptatores &c. quàm Hæretici, & Schiſmatici, quia incurſus perſonarum in ſecundo loco poſitarum; non dependet ab incurſu Principalium.

Modò deueniēdo ad propoſitū difficultatis. Dico Fautores Hæreticorum, non acceſſoriè, ſed principalitèr excommunicari in Bulla Cœnæ: ratio patet, tum ex ratione modò ſupra allata: tum, quia ad hoc, vt excommunicentur; ſufficit, quod fauorem Hæreticis præſtiterint, quatenus talibus. faciunt notata per *Sayrum lib. 3. cap. 5. nu. 4., Memoriale ſciendorū à Clericis in Bulla Cœnæ Can. 1.*

Verùm in dubio, an excommunicatio cenſeatur lata acceſſoriè, vel principalitèr, quando ex ſigno non poteſt ſatis cognoſci; cenſetur lata tantùm acceſſoriè; patet, tùm ne lex pœnalis extendatur: tùm in ſimili de excommunicatione contra Mandatarium, .i. mandati exequtorem, & Mandantem; nam non incidit in cenſuram Mandans, niſi prius inciderit Mādatarius. *Auila de Cenſ. par. 2. 5. diſp. 3. nu. 15. dub. 6. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. cap. 2. item diſp. 1. pun. 3. nu. 5. qui alios cumulat.*

Notandum autem, quòd loquimur de excommunicatione in eadem ſerie verborum poſita: nam ſi in vno, v. g. Canone fulminetur excommunicatio contra Mandantem, & in alio contra exequentem mandatum, non militat regula.

DIFFICVLTAS III.

An Fautores Hæreticorum vi Edicti S. Inquiſitionis incidant in Bullam Cœnæ: & an Inquiſitores ab illa abſoluere poſſint.

AD primam particulam reſpondetur negatiuè: patet, quia Bulla militat contra ipſos Hæreticorum Fautores reſeruando S. Pontifici eorum abſolutionem: Edictum verò S. Inquiſitionis inuehit contra non denunciantes ipſos afficiendo omittentes denunciationem excommunicatione S. Tribunali reſeruata, .s. de qua in calce ipſius Edicti.

Ad ſecundam item dico Inquiſitores extra Tribunal minimè ab illa abſoluere poſſe; Dico extra eorum Tribunal; quia ſi Hæreticorum Fautores ad illorum manus deuenerint; ab ipſis dimittuntur etiam abſoluti in cōſcientia ab excommunicatione ob fauorem Hæreticorum contracta: quia in hac contingentia Inquiſitoribus tribuitur plena abſoluendi facultas in vtroq; foro, ſi Sacerdotes exiſtant: nam vno conceſſo conceduntur omnia, ſine quibus non peruenitur ad illud, *l. Cum principale, ff. de Iuriſd. omnium Iudic. & alibi*; non poſſent autem reducere ad perfectam ſanitatem Fautores; niſi in foro conſcientiæ abſoluere poſſent. legendus eſt *Zanchinus de Hæreticis cap. 31. num. 3. ff. de Iuriſd. omnium Iud. l. 2.* Dixi ſi Sacerdotes exiſtant; quia ſi Sacerdotio careant, abſoluunt tantùm ab excommunicatione; Verùm talitèr abſolutus; deindè per Confeſſarium à peccato fautoriæ abſolui poterit: nam caſus Papales reſeruantur ſolùm ratione cenſuræ, vt aliàs viſum fuit cum *Nau. cap. 27. nu. 26. Caietano in Summula ver. Caſus, & D. Antonino 3. par. tit. 17. cap. 11.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Inquiſitores, Epiſcopi, Dominiq; temporales omittendo punire Hæreticos, incidant in Bullam Cœnę contra Fautores.

SAtisfit diſtinctione: vel prædicti omittunt punire Hæreticos in gratiam hæreſis, vel Hæreticorum, quatenus talium; & ſic in illam incurrunt; quia cum teneantur ex officio; illius omiſſio in illis eſt formalis fauor, vt notum eſt: vel omittunt ob aliam cauſam: v. g. ratione conſanguinitatis, amicitiæ, lucri gratia, vel alterius commodi, vel incommodi vitandi; & ſic non incidunt in iſtam; incidunt tamen in alias pœnas, vt patet ex *Clem. 1. de Pœnis, & cap. Excommunicationi, il primo, §. Volumus de Hæreticis. ità Pegna ad Direct. par. 2. Comm. 2. Farinac. de Hæreſi, quæſt. 182. num. 24. quæſt. 186. nu. 145. Sanctarellus de Hæreſi cap. 11. nu. 2. & alij.*

Verùm nec in has incidunt in duobus caſibus ſequentibus: Primus eſt, quando Epiſcopi, aut Inquiſitores non puniunt ad euitanda imminentia, grauioraq; ſcandala. *Farinac. dicta quæſt. 186. nu. 149.* Alter eſt, quando cognoſcendo certè innocentiam ſibi denunciatorū, licèt aliud conſtet in Iudicio; omittunt illos punire,

punire; q ſanè caſus procedũt præciſè in foro Sacramenti Pęnitentię, vbi creditur pęnitenti.

DIFFICVLTAS II.

An Princeps, aut Magiſtratus incidat in Bullam Cœnę contra Fautores Hęreticorum omittendo capere excommunicatos per annum inſordeſcentes in excommunicatione ex cauſa Fidei.

RESpondetur negatiuè, quia iſti non ſunt Hæretici; ſed tantummodò de hæreſi præſumpti, & ſuſpecti. *Suarez de Cenſ. diſp. 21. ſect. 2. nu. 14. Eymer. in Direct. 2. part. quæſt. 47. nu. 8. & alibi; Fariu. de Hæreſi qu. 192. §. 2. nu. 24.* ratio eſt, tum quia odia ſunt reſtringenda, *l. Cũ quidam, ff. De Liberis, & Poſthumis*: tum quia pęnæ non ſunt exaſperandæ.

DIFFICVLTAS III.

An Exercitus, qui iuſſu ſui Regis, Imperatoris, aut Ducis Hęreticos defendit; incidat in excommunicationem Bullę.

RESpondet *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. quæſt. 1. cap. 16.* quòd nõ incidit, ſi abſq; eius conſilio talia præcipiantur: ratio eius eſſe poteſt; quia præcepta poſitiua cum graui incommodo minimè obligãt, quale ſuſtineret exercitus; ſi iuſſis ſui Imperatoris, Regis &c. non pareret, vt notat *Ioannes Sanchez in Selectis diſp. 51. nu. 2.*

Verùm quamuis non ligetur cenſura dictæ Bullæ: nec alia à iure poſitiuo ſtatuta, peccat tamen grauiſſimè: nam defenſio Hęreticorũ, vt talis, eſt de ſe mala; adeò, vt cohoneſtari nõ poſſit; vndè Exercitum potiùs mori, quàm fœdari oportet: loquendo verò de militibus, qui abſq; præcepto ſui Imperatoris, Regis, &c. ſe ingerunt ad pugnandum in fauorem Hæreticorum, vt talium, aut hæreſis; ſicut non excuſantur à peccato; ità, nec à cenſuris.

Nec excuſantur eo quod ſe ingerant non tantùm in gratiam hæreſis, ſed etiam lucri, vel Regis; quia, quemadmodum vtile per inutile vitiari non debet, *l. Qui teſtamento, ff. de Excuſationib. tutorum*: ità è cõtra malum ob honeſtũ, & licitum non debet remanere impunitum: Quare dicendum eſt iſtos incidere.

His obijciendum eſt à Confeſſario grauiſſimum damnum, iuxtà illud Euangelij: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animę verò ſuę detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua.*

Item admonendi ſunt hac complacẽtia quã grauiſſimum peccatum cum grauiſſimo damno coniunctum patrare: qui enim voluntariè fauet hæreſi, aut Hæreticis; conſequentèr vult deſtructionem Eccleſiæ Catholicæ: nam antecedens trahit ad ſe neceſſarium conſequens, *l. Ad rem, ff. de Procuratorib.* licèt autem fauens Hæreticis, Eccleſiam Cathol. non deſtruat immediatè: deſtruit tamen mediatè; ſeu per aliũ iuxta regulam: qui per aliũ facit, per ſe ipſum facere videtur, *l. Qui per alium de Reg. iur. in 6.*

DIFFICVLTAS IV.

An, qui ſumit complacentiam ex fauore Hęreticis, quæ talibus impertito; incidat in Bullam Cœnę, vel aliam cenſuram.

RESpondetur negatiuè, & rationes Magiſtrales ſunt, tùm, quia complacentia non eſt formalitèr fauor; niſi exeat in actum externum fauori formali æquipollenti, iuxtà illud *Top. iuris Euerardi in loco à plenitudine poteſtatis nu. 2. nimirùm*: Principi, quod placet, legis habet rigorem: tùm, quia, vbi opus eſt facto; non ſat eſt intentio, aut complacentia: ſicut etiam non ſufficiunt verba, quando opus eſt facto, *l. Non omnes §. fin. ff. de Re Militari, item l. Peculium ff. de Peculio legato*; quæ ſanè leges maximè procedunt in materia pœnali, qualis eſt excommunicatio, quæ eſt maxima pœnarum; vndè dictæ leges tantùm obligant ad id, quod ſonat litera, vt in primis obſeruat *Sanctarellus in Reſol. moral. quæſt. 27. nu. 7.* cum copioſiſſimo DD. cumulo ad dictas leges.

Verùm tamen eſt, quod ſumens complacẽtiam de fauore, ſeu auxilio Hæreticis præſtito, grauitèr peccat; conſtat, nam quemadmodum velle peccare, peccatum eſt; ità ſumere complacentiam de peccato, ſeu proprio, ſiue alieno; claret exemplum in Miniſtro Iuſtitiæ, qui licèt obediendo Principi in detruncatione capitis ad mortem condemnati non peccet: peccat tamen ratione complacentiæ: quod ſecùs eſſet; ſi præciſè complacentiam ſumeret de integra Iudicis iuſtitia; aut quod de medio tollerentur Reipublicæ nociui; nam hoc bonum eſt: publiceq; intereſt delicta puniri, *l. Ita vulneratus in fin. ad l. Aquiliam ff. de Publicanis, & Vectigalibus.*

Dices, affectus tantùm punitur, ſicut effectus, *l. Is, qui cum telo, C. ad l. Corn. de Sicarijs, l. Si quis non dicam rapere, C. de Epiſcop. & Cler. l. Si quis ſeruo, C. de Furto.*

Reſpondeo, quod regula prędicta procedit, quando quis non ſolùm complacentiam ſumit de fauore Hæreticis præſtito; ſed etiam proceſſit ad actum externum fauorem importantem: ſed non perduxit ad effectum, quia non potuit: Nos verò loquimur pręciſè de interna complacentia. faciunt, quę notat *gloſ. in dicta l. Si quis non dicam rapere, & gloſ. in cap. Nuper de Bigamis.*

DISTINCTIO QVARTA.

De Fautoria Hæreticorum reſpectiuè ad denunciationem.

Hæc diſtinctio tres complectitur articulos.

Quorum alter ponit requiſitas conditiones ad dictam denunciationem.

Alter reſpicit omiſſionem denunciationis Fautorum hęreſis, aut Hæreticorum.

Tertius eorum fraternalem correptionem.

ART.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Quot neceſſariò requiruntur ad denunciationem Fautoris Hæreticorum.

RESpondetur duo requiri copulatiuè, dico copulatiuè, quia quoties plura requiruntur ad conſtitutionẽ vnius altero deficiente nihil ſequitur, *l. Si quis ita ſtipulatus fuerit ff. de Verb. obligat.* Primum eſt, vt fauor ſit exterior. Patet, quia S. Tribunal non iudicat de internis. Alterum, vt fauor ſit in ordine ad hęreſim, patet ex *Tol. lib. 1. cap. 2. nu. 10.*

Hinc ſequitur ex defectu primę conditionis non eſſe denunciandum; qui corde tantum adhęret Hereticis; tum quia neſcimus alterius arcana ſub certitudine: tum quia, vbi opus eſt facto, non ſat eſt intentio *. l. Non omnes ſin. de Re Militari*. Ex defectu ſecundę conditionis ſequitur item non eſſe denunciandum; qui benefacit Hęretico ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis, aut affinitatis, lucri, vel timoris; quia beneficium non fit in ordine ad hęreſim .s. ad illam fouendam, firmandam, vel inducendam, vt ſuppono, vide *Capeauillam de Caſib. reſer. par. 2. caſ. 1. quæſ. 2.*

Nec refert, quod Hęreticus, cui quis fauet, ſit publicè euitandus: tum quia hìc nõ eſt ſermo de Hęretici deuitatione; ſed de fauore in gratiam hęreſis, aut Heretici, qua talis: tum quia tàm publicè euitandus, quàm non, ęquè venit denunciandus. Sumus in claris.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ſint Fautores Hęreticorum, qui Hæreticos non denunciant.

REſpondeo, quòd quamuis iſti non ſint ſtrictè Fautores: ſunt tamen .s largè; quare licèt non incidant in excommunicationem Bullę Cœnę, in quam ſolummodò incidunt propriè, & ſtrictè Fautores, ſiue commiſſiuè, ſiue omiſſiuè: incidunt attamen in excommunicationem, de qua Edictũ Inquiſitorum; quę quotannis promulgatur contra non denunciantes Hęreticos, aut de hęreſi ſuſpectos, vt patet ex textu ibi, *Che ſiano Hæretici, & Extrauaganti Gregorij 9.* incipit, *Excommunicamus.*

Verùm, ſi inſuper dent alicui conſiliũ, auxilium, aut fauorem, vt dictam omittat denunciationem Hæreticorum; incidunt etiam in excommunicationem. *cap. Vt Inquiſitionis, de Hæreticis in 6.* vide *Sylueſ. ver. Excommunicatio 9. nu. 58. Nau. cap. 27. nu. 135. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 19.* quæ tamen nemini reſeruatur, vti notatur in primis in *Catalogo excom. iuſſu Ludouiſij edito cap. 6. excom. 6.*

Mihi placet talitèr diſtinguendum eſſe, vel omittens tenetur ad denunciationem ex iuſtitia ratione officij, aut ſtipendij: vel præcisè tenetur vi Edicti; qui primò modo tenetur (ſi aliud non obſtet) omittendo, eſt verè Fautor Hæreticorum, ſaltem in foro externo: quòd ſecus dicendum eſt de illo; qui ſolùm vi Edicti tenebatur. legendi ſunt *Repertorium Inquiſit. verb. Fautores. Pegna ad Direct. part. 2. Commen. 78. Duardus ad Bullam Cœnæ, lib 2. Canon. 1. quæſ. 39. nu. 19. Carena tract. de modo procedendi in S. Officio par. 2. tit. 9. §. 9. nu. 41. item tit. 4. §. 1. nu. 7. & alij*: Dixi ſaltem in foro externo: quia poteſt eſſe, quod in foro conſcientiæ non omiſerit motiuo hæreſis: ſed alio, quod notũ volo pro praxi Confeſſarij; vt .s. hinc dignoſcat; quando dictum omittentem abſoluere poterit: & quando nequiuerit, ne minus cautè in meſſem alienam ponat falcem; hinc *cap. Scriptum, 6. quęſt. 3.* dicitur: meſſem per alienam tranſiens, in eam falcem mittere non debet: quia melius eſt intacta iura ſeruari, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere, *l. fin. C. In quib. cauſis in integrum reſtitutio.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Quando Hæreticorum Fautor ſtatim, & quando præcisè poſt adhibitam correptionem fraternalem denunciandus eſt.

REſpondeo Fautorem Hæreticorũ ſtatim denunciandum eſſe; quãdo damnum eſt in fieri; vndè nihil obſtat ipsũ eſſe occultũ: nam ſi publicus eſt; licèt amplius fautoria non exiſtat in fieri, immò ſecuta ſit emendatio; attamen venit denunciandus; vt puniatur publicè factum publicum, ad effectũ coercendi alios à ſimilibus perpetrandis: continendiq; bonos in bono: iuxtà *l. Ità vulneràtus ff. ad l. Aquiliam.* nam publicè intereſt homines ſaluos, & incolumes conſeruari; non corripitur autem Fautor, ſicut nec Hęreticus pertinax; quia cum ad correptionem Eccleſię non reſipiſcat; minus ad correptionem priuatę perſonę reſipiſcet: iuxtà illud vulgatum; *Si nõ de quo magis, nec de quo minus*, videnda ſunt tamen, quæ fuſiùs diximus *Lib. 6. de Corrept. frater.* Cæterùm Fautor, qui detinetur ignorantia inuincibili, vel vincibili; ſed non affectata; præcisè poſt adhibitam correptionem, ſi non reſipiſcit; venit denunciandus.

Idem dicitur, quando quis firmitèr credit, quod ſua correptione ab huiuſmodi fautoria ſtatim retrahet fratrem ſuum. Eadem diſtinctio, & doctrina afferenda eſt de Credentibus Hæreticis, Receptatoribus, &c. ſuo modo, qui omnes, & ſinguli dicta ignorantia detenti, licèt veniant prius corripiendi: ꝙ intellige, dũmodò periculum non ſit in mora: cenſeo tñ correptionem in neutro caſu differendam eſſe. faciunt notata per *Naldum verb. Correctio. Angelicum Doctorem in ſimili de Hęreſi 2. 2. quęſ. 35. art. 7. & alios;*

DISTINCTIO QVINTA.

De alijs ſpeciebus de hæreſi ſuſpectorũ, de quibus Textus, videlicèt, de Credentibus, Receptatoribus, Defenſoribus Hæreticorum, aut ritibus Iudæorum

dæorum Mahumetanorum, Saracenorũ, aut Gentilium Adhærentibus.

Textus: *O Credenti, ò Recettatori, ò Defenſori loro, ò habbiano adherito, ò adheriſchino à riti de' Giudei, ò Mahometani, ò de' Saraceni, ò de Gentili.*

De his ſpeciebus inſimul diſſeram in hac diſtinctione, cuius quinq; erunt articuli.

Primus reſpicit generalia his quatuor ſpeciebus de hæreſi ſuſpectorum.

Secundus reſpicit Hæreticis Credentes.

Tertius ipſorum Receptatores.

Quartus ipſorum Defenſores.

Quintus, Adhærentes ritibus Iudæorum, aut Mahumetanorum, aut Saracenorum, vel Gentilium.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quæ, & quot ſunt attendenda in generali circa horum quatuor ſpecies de hæreſi ſuſpectorum s. Credentium, Fautorum, Receptatorum, & Defenſorum, videlicèt Hæreticorum.

RESpondetur ſequentia eſſe attendenda. Primum eſt, quòd prædicti de Hæreſi ſuſpecti; de quibus nedum Textus, ſed etiam Bulla Cœnæ, hoc in loco ſumuntur formalitèr s. quatenus Hæretici ſunt, illi; quibus credunt, aut fauent, vel quos receptant, aut defendunt.

Secundum eſt, quòd ad effectum, vt prædicti in Bullæ cenſuram incurrant; non requiritur Receptatorem, Fautorem, aut Defenſorẽ Hæreticorum eſſe Hæreticum: quia manens Catholicus poteſt iſta præſtare; videlicèt receptare, fauere, aut defendere motiuo hęreſis: quod, ſi inſimul exiſtat Hæreticus, duplici excommunicatione annodabitur; altera, quia Hæreticus formalis: altera verò, quia Fautor, Receptator, aut Defenſor ratione hæreſis, quod notat in primis *Trullench Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 9 nu. 3.*

Tertium eſt, defenſorem differre à Fautore, ſicut inferius à ſuo Superiori: ideſt minus cõmune à magis cõmuni in eodem ordine; nam omnis Defenſor eſt Fautor, & non è contra; quare Fautor eſt quid ſuperius, ſeu communius.

Quartum eſt, iuxtà opinionem *Sanchez apud Trullench loco citando*. Receptatores, Fautores, &c. licèt occulti ligantur irregularitate: ſecundum verò opinionem *Henriquez* debent eſſe notorij, & publici; vti notat *Ioannes Egidius Trullench in Expoſ. Decalog. lib. 1. cap. 3. dub. 10. num. 3.*

Item, quando N. ob alicuius hæreſis præſumptionem cogitur eam abiurare; non incurrit in irregularitatem, idem *Trullench loc. cit.*, quòd intellige præcisè in foro conſcientiæ: & dum præſumptio eſt falſa.

Quintum eſt, Credentes, Receptatores, Defenſores, Fautores Hæreticorum, & generalitèr omnes præcisè ſuſpectos de Fide pœnis Hæreticorum minimè puniri; niſi quatenus in iure reperitur expreſſum: tùm, quia propriè non ſunt Hæretici: tùm quia, qui minus peccat, mitiùs punitur, iuxtà *cap. penult. de Pœnit. diſt. 1.* vti notat *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 3. cap. 26. nu. 7.* tum prætereà, quia pœna delicto commenſurari debet, quod aduertit in primis *Euerardus in Topica iuris in loco ab effectu, nu. 9.*

DIFFICVLTAS II.

Cur in Edicto S. Inquiſitionis ſit ſermo de Credentibus, Fautoribus, Receptatoribus, Defenſoribus &c. cum de his agatur in proceſſu Bullæ Cœnæ. Idemq; petitum fuit ſupra lib. 10. reſpectu hæreſis; cum item de illa agatur in eadem Bulla.

RAtio difficultatis eſt; quia, quæ æquè benè poſſunt fieri per pauciora; non debent fieri per plura, teſte *Phyloſ. prim. Phyſ.* cum itaq; de prędictis agatur in dicta Bulla: ad quid proponitur Edictum, ſaltèm quoad iſtam partem?

Reſpondetur, quòd quamuis Edictum, & Bulla Cœnæ idem prohibeant; differentèr tamen id faciunt; nam in Bulla prædicta mala prohibentur ſub pœna reſeruationis Summo Pontifici ipſorum abſolutionem interponendo. In Edicto verò prohibentur ſub pęna denunciationis; præcipiendo, vt dicti tranſgreſſores deferantur S. Officio, vt notum eſt: tractatus enim ſecundum diuerſas conſiderationes ſecantur non minus, quàm res.

Dices, tàm Bullã, quàm Edictum denegare abſolutionem; de Bulla patet ſub fine ipſius; & de Edicto itidem conſtat in eius calce, ergo videtur minimè diſtingui.

Reſpõdr̃ abſolutionis denegationem diuerſimodè comparari; nam ratione Bullæ denegatur Fautoribus, Credentibus, Receptatoribus, Defenſoribus: ratione autèm Edicti denegatur omittẽtibus denũciare prædictos. Item Bulla reſpicit forũ internũ; Edictũ verò externũ; Inquiſitores n. ſunt Iudices pro foro externo, & pro communi bono Reipublicæ, vt notat *Caſtrus Palaus tractat. 4. diſput. 4. §. 6. nu. 3.* vndè non abſoluunt in foro Sacramenti, vt Inquiſitores, ſed vt Sacerdotes; quòd notant Doctores communitèr.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quinam ſunt Credentes Hæreticis.

NOtandum duobus modis poteſt quis credere Hæreticis: primò diſtinctè aſſentiendo erroribus ab Hæretico propoſitis, & publicatis; & hi potiùs Hęretici, quàm Credentes dicuntur, *cap. Excommunicamus de Hæreticis*. Secundò tantùm confusè credendo veram eſſe doctrinam Hæretici, quæ-

quæcunque illa ſit;& hi propriè dicuntur Credentes, de quibus Bulla Cęnæ, & Edictum S. Inquiſitionis: nam licèt etiam hi ſint Hæretici, credendo illo modo, quę ſunt contra Eccleſiam: tamen, quia diſtinctè nihil credunt contra Fidem; proprio nomine appellati ſunt: & ad maiorem claritatem ſub illo expreſſi; quòd vltimo notauit *Bizozerius in Sum. part. 4. cap. 1. circa primam excommunicationem Bullæ Cœnæ. Suarez de Excommunicatione diſt. 21. ſect. 2.* tàm primi Credentes, quàm ſecundi annodantur censura dictæ Bullæ Cęnæ Canon. 1. primi ratione illius particulæ .s. Hæretici. Secundi verò ratione ſubſequentis particulæ, vz. Credentes .s. Hæreticis modo prædicto.

DIFFICVLTAS II.

Credentes Hæreticorum qui denunciandi.

RESpondetur Credentes Hæreticis eſſe in duplici ſpecie; quidam credunt illorum erroribus, ſiue hoc oſtendant verbis illos defendendo, ſiue factis: vt ab eis recipiendo communionem; aut eorum conciones audiendo: & hoc non ſemel, vel bis, ſed frequentiùs: Quidam verò credunt Hæreticis in his, quæ ſpectant ad humanos, & ciuiles contractus; velut ſunt illi, qui eorum literas hinc inde deferunt, eis ſeruiunt, vendunt alimoniam, ducatū præbent, viſitant &c. his habitis.

Reſpondeo, Credentes primæ ſpeciei eſſe denunciandos; quod patet ex dictis, vel factis ſuſpectis: quod ſecùs dicendum eſt de Credentibus ſecundæ ſpeciei, quia, vt inquit *Pegna ad Eymer. Commen. 75 par. 2. quæſt.* 10. eorum dicta; vel facta interdum præſtantur ex affectu carnali, interdùm amicorum precibus, & interdùm pecuniæ intuitu; & proindè minimè ſunt deferendi Fidei Cenſoribus; niſi ex nimio conſortio abſq; ſufficienti cauſa, vel aliundè ſuſpecti de Fide reddantur. faciunt, quæ docet *Eymericus in Direct. Inquiſ. par. 2. q. 50. per tot.*

DIFFICVLTAS III.

An ſint Credentes Hæreticis, qui dicunt velle mori in Fide alicuius Hęreſiarchę; v. g. Caluini.

RESpondeo affirmatiuè; ducor hac ratione: quia, quemadmodum inter Catholicos, Ruſtici qui implicitè tenent Fidem, quàm Eccleſia Catholica ſequitur; dicuntur Credentes Eccleſiæ, vt notat *Corradus loc. infra cit.* ità dicuntur Credentes Hæreticis; qui licèt expreſsè, ſeu explicitè errorem non habeant in intellectu: habent tamen implicitè; & tales ſunt illi, qui dicunt velle mori in Fide alicuius Hæreſiarchæ: vndè non obſtat, quòd iſti in particulari neſciant, quid ille Hęreſiarca credat. Quinimmò videntur, vt ſic loquar, pluſquàm Credentes .s. Hæreticis; quia, cum non tangant eorum hæreſes, illas tenent. legendus eſt *Corradus par. 2. quæſt. 118. Tol. lib. 1. cap. 20. nu. 6. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. quæſt. 5. punc. 3. nu. 2. Paludanus 4. ſent diſt. 23. quæſt. 3. concl. 2. Capeauilla de Caſib. reſer. par. 2. caſ. 1. quæſt. 2. ad mentem ipſius Paludani: Emanuel Sà ver. Hæreſis nu. 11. & alij.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Receptatores Hęreticorum, qui dicuntur, & quomodo differunt à Receptatoribus, ſeu Receptantibus.

QVO ad primam particulam. Reſpondeo, Receptatorem appellari eum, qui ſcientèr excipit, & celat aliquem, ne ad manus Iudicis deueniat. *Azor. Inſt. moral. par. 3. lib. 8. cap. 15. de Credentibus, Receptatoribus &c. Farinac. de Hæreſi, quęſt. 182 § 7. nu. 95. in fine. Eymer. 2. par. Direct. quęſt. 51. vbi Pegna Commen. 76. Souſa lib. 1. Aphor. Inquiſ. cap. 23. nu. 2.*

Quo ad ſecundam verò particulam obſeruandum eſt diſcrimen eſſe inter Receptatorē, & Receptorem. Receptor dicitur ille, qui ſemel, aut bis receptat: Receptator verò dicitur, qui pluries: eſt enim nomen frequentiam actuum importans, vt docent Grāmatici. Verùm in iure dicitur Receptator etiam ille, qui ſemel, vt obſeruat Auctor *Memorialis ſciendorū Clericis in prima Excommunicatione Bullę Cœnę. Corradus par. 2. quęſito 119 Repert. Inquiſit. ver. Receptatores.* & hoc modo cenſeo accipi in Edicto S. Inquiſit. Bergomi ibi, *O Recettatori,* quod patet ex praxi veritatis Magiſtra: intentio enim Inquiſ. eſt, vt denuncietur etiam ille, qui ſemel occultauit Hæreticum dicto fine.

DIFFICVLTAS II.

An Receptatores Hęreticorum effectu non ſequuto; v. g. non capto Reo incidat in Bullam Cœnę.

RESpondent aliqui cum *Thom. Sanchez loc. citand.* negatiuè .s. quod Receptatores non incidunt in Bullam Cęnæ; quando nihil profuit receptatio, ſeu occultatio, quominùs Hæreticus, ex. gr. ab Inquiſitore apprehenderetur. ità *Thom. Sanchez in Pręcep. Decal. lib. 2. cap. 10. nu. 9.*

Alij verò cum *Graff. lib. 4. Deciſ. cap. 18. num. 34 & Farinac. de Hęreſi quęſt. 182. §. 7. nu. 102.* volunt ſufficere effectum attentatum, cū quibus etiam Ego ſto: tum quia interdum non minus punitur affectus, quàm effectus. *l. Is, qui cum telo, C. ad l. Cor, de Siccar. l. Si quis, non dicam rapere, C. de Epiſ. & Cler. l. Si quis ſeruo, C. de Fur.* tùm, quia ſumus in delictis atrocioribus, ac de facili trahibilibus in exemplum: tùm quia in foro Sacramenti Pęnitentiæ peccata cordis, oris, & operis ſunt eiuſdem ſpeciei, vt tradunt communitèr DD. & obſeruat *Nau. in Man. cap. 26.* tùm præterea, quia ſupponimus attentationem, quæ eſt quidam effectus, licèt non principalitèr intentus. De huiuſmodi attentatore dicitur quid vltra potuit facere, & non fecit?

DIFFICVLTAS III.

Receptatores Hęreticorum, qui denunciandi.

NOtandum eſt, Receptatorū .s. Hæreticorū duplex eſſe genus; quidam ſine culpa eos recipiūt: v.g. ex ignorātia neſciendo: nec ſatis ſuſpicando illos eſſe Hęreticos: vel ipſos dignoſcēdo, vt hęreticos; ſed eos receptādo ob alium finē, q̄ ob hęreſim, vti ſe habent qui recipiunt

piunt Hæreticum, ne occidatur ab inimicis ſuis ipſum in ſequentibus: vel à Iudice, procedente tamen ratione alterius criminis ab hæreſi, & eius ſuſpicione, vt ratione furti: Quidã verò cum culpa eos recipiunt, ſcientes Eccleſiam, vel S. Tribunal eos quærere ob eorum hæreſes, aut hæreticalia. His datis:

Reſpondeo, primum genus Receptatorum minimè eſſe denunciandum; cum non receptauerint Hæreticum motiuo hæreſis: quod ſecùs dicendum de Receptatoribus ſecundi generis, ſi eos receptauerint, quatenus hæreticos, & non ob aliam cauſam: v. g. quia conſanguinei ſunt, vel amici, &c. vt dictum eſt alibi: faciunt tradita à *Pegna par. 2. Direct. Inquiſ. Commen. 76. item par. 2. quæſt. 51. Edicto S. Inquiſ. Bergomi, ibi, O Receptatori, & à Sanchez Decal. lib. 2. cap. 10. nu. 3. & 4.* Verùm in dubio poſſeſſio ſtat pro lege Edicti, cui obediendum eſt; attentis tamen qualitatibus Recipientis, & alijs, quas exegit ratio prudentiæ.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Quales Hæreticorum Defenſores veniunt denunciandi.

NOtandum, Defenſores ſunt in duplici genere; quidam defendunt Hæreticorum errores, & vocantur Hæreſiarchæ. conſtat *24. quæſt. 3. cap. Qui aliorum.* Quidam verò defendunt tantùm perſonam Hæretici, quales ſunt, qui viribus, & potentiâ reſiſtunt, ne Hæretici conſanguinei, affines, vel amici capiantur, puniantur &c. de hæreſi. His habitis.

Reſpondeo, quod tam Defenſores primi generis, quàm ſecundi veniunt indifferentèr denunciandi; maximè ſi conijciatur ipſos moueri in fauorem hæreſis; quod ſecùs dicendũ, ſi conſtet moueri ex cauſa omninò diuerſa ab intenta ab Eccleſia, aut à Sancto Tribunali, vt iam alibi dictum eſt. legendus eſt *Eymericus in Direct. Inquiſ. par. 2. quæſt. 12. per totum. Tolet. lib. 1. cap. 20. nu. 11. Syluest. verb. Hæreſ. 1. §. 10.*

Dixi ſi conſtet, omnibus attentis; quia vt ſupra dictum fuit, in dubio poſſeſſio ſtat pro lege, & Edicto Inquiſitorum.

DIFFICVLTAS II.

An Defendens putatum Hæreticum, ſed re verâ non talem ligetur excommunicatione.

DIfficultatis ratio eſt; quia iſte in foro Sancti Tribun. vt Defenſor Hæretici punitur, cogiturq; abiurare; vti teſtatur *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 24. nu. 6.*

Ante reſponſionem notandum primò; Defendentem Hæreticum dici illum, qui quomodolibet impedit Hæretici condemnationem, aut capturam, ne ſ. in manus Inquiſitionis deueniat, aut, vt in tutò viuat, efficit: *Eymer. 2. par. Direct. quæſt. 52. vbi Pegn. Comm. 77. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 10. num. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæſt. 6.*

Secundò, notandum hic eſſe præciſè ſermonem de Defendente motiuo hæreſis tuendæ, fouendæ &c.

Notandum tertiò, Defendentem Hæreticũ generalitèr excommunicari ipſo facto in Bulla Cœnæ, iiſdemq; pœnis puniri; quibus Receptator Hæreticorum: cogiq; ad abiurationẽ pro defenſionis qualitate. legenda eſt Bulla Cœnæ *Excomm. 1. Eymer. 2. par. Direct. quæſt. 52. Commen 77.* his habitis.

Reſpondetur, quod quamuis poſita mala fide Defendens putatum Hæreticum grauitèr peccet, veniat puniendus, cogendusq; ad abiurandum: attamen quemadmodum nõ manet excommunicatus; qui percuſſit laicum credens Clericum; cum excommunicatio non oriatur ex imaginatione, aut mala fide operantis; ſed ex diſpoſitione iuris, quando eſt ab ipſo, vel Iudicis, ſi item ſit ab ipſo; cuius verba maximè in pœnalibus accipienda ſunt propriè, & cum effectu. Ità à fortiori non ligatur; qui in iudicio, aut extra patrocinatur putato Hæretico, qui realitèr non eſt talis: loquendo in foro Sacramenti Pœnitentiæ: Dico in foro Sacramenti: quia in foro fori S. Tribunalis, quouſque habetur talis; non poteſt defendi abſque licentia S. Tribunalis: & ſecundum hunc forũ procedit ratio dubitandi, & doctrina *Souſa loc. cit. nu. 5. & 7.*

DIFFICVLTAS III.

An Confeſſarius illum abſoluere poſſit, qui defendit, aut patrocinatus eſt Hæreticum denunciatum, aut accuſatum apud Sanctum Officium.

RAtio difficultatis eſt, quia Fautores Hæreticorum anathematizantur in *Bulla Cœnæ Canon. 1.* ſed Defendentes, ſeu Patrocinantes ſunt Fautores; vt de ſe conſtat: ergò non niſi per Confeſſorem Pontificia auctoritate fultum abſolui poterunt.

Opus eſt Diſtinctione, duplex eſt defenſio, nimirùm iuſta, & iniuſta: loquendo de iuſta; quæ regularitèr fit in iudicio cum licentia S. O. Reſpondetur affirmatiuè .s. quòd Confeſſarius Defendentem Hæreticum, de quo ſupra, abſoluere poterit; cuius ratio eſt, quia defenſio iuſta, ſeu legitima eſt de iure naturæ; & perindè nemini eſt auferẽda, *l. Quoties C. de pret. impe. offer. l. Vt vim, ff. de Iuſt. & Iure. Direct. Inquiſ. par. 3. vbi Pegna Commen. 28. Clemen. 1. de Pœnitentia, Palud. in 4. diſt. 13. quæſt. 3. Tol. lib. 1. cap. 20. num. 10.* & Bulla Cœnæ Domini, aliæq; contra Patrocinantes Hæreticos.

Cæterùm loquendo de defenſione iniuſta; ſecùs dicendum eſt; vti doctè tradit *Lucerna Inquiſitorum, ver. Defenſor Hæreticorum, num. 2. & ver. Defenſio, item nu. 1.*

Vnde Iudex exceptiones huiuſmodi Defenſoris, vtpotè doloſas, ac fruſtratorias ad differendum iudicium, ſeu proceſſum Hæretici repellere poteſt; vt videre eſt apud *Lucernam Inquiſitorum loc. cit.*

Verùm obſeruandum eſt, quod non quilibet Aduocatus pro defenſione Inquiſiti in S. Tribunali admittitur; ſed tantùm perſona grauis, quæ priùs præſtare debet iuramentum, ſal-

tem

tem coram Vicario dicti Trib. de iuſtis defenſionibus: & quod à defenſione deſiſtet, vt primum nouerit illum, quem defendit eſſe Hęreticum, iuxtà S. Officij receptam, ac laudabilem conſuetudinem, de qua teſtatur *Pegna 2 par. Direct. Inquiſ. Comm. 10.* & tradit *Mar. Anton. Genuenſ. in Praxi Neapolit. cap. 63. nu. 3. Aloyſius Bariola in Floribus Direct. Inquiſ. par. 2. ex comm. 10.*

ART. V. DIFFICVLTAS I.

Adhęrentes ritibus Iudęorum, Gentilium, .ſ. Mahumetanorum, Saracenorum, Paganorum, qui?

Textus: O habbiano adherito, ò adheriſchino à riti de Giudei, ò Mahometani, ò de' Saraceni, ò de' Gentili.

NOto primò, quòd illi adhęrent ritibus Iudęorum, Mahumetanorum, aut Saracenorum, qui Iudaizant, Mahumatizant, aut Saracenant; ſequendo ex induſtria eorum cæremonias, ritus, aut mores incolendo Deum, ità *Albertinus de Aſſert. Cathol. quæſt. 32. nu. 7. cap. ſæpè 27. qu. 1.* dico ex induſtria, quia, ſi inaduertentèr quis dictis ritibus vteretur, non peccaret, nec veniret denunciandus.

Obſeruo tamen aliqua, primum eſt, quòd quemadmodum (teſte Phyloſopho) accidentia in rebus naturalibus magnam partem conferant ad cognoſcendum rerum eſſentiam; cũ noſtra cognitio incipiat à notioribus nobis ad notiora naturæ; ità obſeruatio dictorum rituum, qui ſunt veluti quædam accidentia; ſatis aperiunt nobis viam ad cognoſcendũ cuiuſq; religionem.

Secundum eſt, quòd quemadmodum multæ ſunt Hæreticorum ſectæ, vt Lutheri, Caluini, &c. ità Gentilium .ſ. Mahumetanorum, Saracenorum, Agarenorum, &c.

DIFFICVLTAS II.

An Iudei, Mauri, aliiq; Infideles Eccleſias violantes, Sacramenta contemnentes, aut irridentes, blaſphemantes Chriſtum, hiſq; ſimilia patrantes Fidei Cenſoribus ſint deferendi.

RAtio difficultatis eſt, quia primo acceſſu minus peritis videri poteſt; hos nequaquam Iudicibus Fidei denunciandos eſſe, iuxtà illud. *De his, quæ foris ſunt, quid ad nos?*

Reſpondetur Infideles dicta committentes apud Fidei Cenſores deferendos eſſe: cuius ratio eſt; quia, cum iniuſtè noſtram offendant religionem, coercendi ſunt; & propterea apud quem ſpectat coertio, denunciandi ſunt; ſpectat autem ad Iudicem Fidei; ideò ipſi veniunt denunciandi, maximè in ſequentibus caſibus.

Primò, ſi Chriſtianis perſuadeant, vt Fidem abnegent.

Secundò, ſi illam abnegantes recipiant, aut abſcondant.

Tertiò, ſi Hæreticis fauorem præſtent; ne ab Inquiſitoribus capiantur. ità *Ferdinandus in Opere Morali part. 1. tract. 4 diſp. 8. punc. 16. §. 6. nu. Extrauag. Gregorij XI.* incipit, *Admodum dolentèr audiuimus. Conſtit. Greg. XIII.* incipit, *Antiqua Iudaeorum improbitas, Pegna inter litteras Apoſtolicas in fine Directorij. cap. Contra Chriſtianos de Hæreticis in 6*

Sunt itidem denunciandi, .ſ. ſi delinquant in his, quæ ſunt noſtræ, & ſuæ Fidei communia: v. g. ſi negent Deum eſſe: vel non eſſe vnum, æternum, omnipotentem, omnium Creatorẽ: Dęmones adorent, inuocent, aut ſacrificia eis offerant; etiam ſi prędicta alicui tantùm priuatim inſinuent; dummodò inſinuatio fiat in pręſentia Chriſtianorũ; vt ſic ſuo prauo exemplo, ipſos mouere cenſeantur., *Eymer. Direct. Inquiſ. in litteris Apoſt.* quòd notat *Ferdinandus loc. cit.*

Denique denunciandi ſunt, ſi peccent contra Cathol. Fidem; qui in communi hominum extimatione cẽſentur baptizati; ratio eſt, quia offendunt religionem, quam exterius profitentur. ità *Ferdin. loc. cit. cum alijs multis.*

Ad auctoritatem in cõtrariũ dicitur, quod auctoritas illa procedit pręcisè, quando Infideles peccant in ſuam legem: & non ſpecialitèr contra noſtram delinquunt modis dictis.

DISTINCTIO SEXTA.

De ſuſpectis de hæreſi, de quibus Tex. implicitè, ibi: *Dichiarando, che per la ſopradetta eſpreſſione de caſi da Noi ſpecificati non eſcludiamo gli altri ſpettanti al S. O.*

Circa hanc diſtinctionem miſcelaneã quinque figuramus articulos.

Primus reſpicit inſordeſcentes anno integro in excommunicatione ex cauſa Fidei: itemq; non confitentes ſemel in anno.

Secundus, Poligamos.

Tertius, Confeſſarios.

Quartus, temerarios contra certas aſſertiones Eccleſiaſticas.

Quintus denique reſpicit tranſmittentes arma bellica hoſtibus noſtræ religionis.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An de hęreſi ſit vehementèr ſuſpectus, qui obdurato animo in excommunicatione per annum inſorduerit.

REſpondeo affirmatiuè, patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25 de Reformatione cap. 3.* quòd notant communitèr *Doctores, ver. Hæretici, ver. Suſpecti. Gauan. in Enchiridio Epiſcoporum, verſ. Hæretici nu. 12.*

Loquor autem pręcisè de excommunicato in cauſa Fidei perſiſtente per annũ in excommunicatione, iuxta *Pennam in Direct. 3. part. tit. De tertio decimo modo procedendi &c. Commen. 49. litt.*

litt. E. Menoch. de Arbitr. quaeſt. lib. 2. caſ. 416. nu. 35. Farinac. de Hæreſi quaeſ. 192. §. 2. nu. 17. Qui, vt iudicetur ſuſpectus; tria copulatiuè requiruntur.

Primum, quòd lata fuerit excommunicatio præcedente aliqua probabili ſuſpicione. *Farinac. de Hæreſi quaeſ. 192. §. 2. nu. 26.*

Secundum, quod talis declaretur excommunicatus: aut quod præcedat ſententia, vel ſaltèm, quòd ſit notoriè excommunicatus; *Farinac. vbi ſupra §. 2. nu. 29.*

Tertium, vt annus, in quo N. citatus ex cauſa Fidei contumacitèr perſiſtit, ſit continuus. *Rojas de Singularib. Fidei, ſingulare 69. nu. 3. & 4. Symancas de Cathol. Inſtit. tit. 14. nu. 3.*

Dixi perſiſtente per annum excommunicato ex cauſa Fidei; quia perſeuerans per annum in excommunicatione ob aliam cauſam; vt quia noluit ſuſcipere Sacramenta in Paſchate; nō eſt ſuſpectus, niſi de leui, *Penna cum Eymer. 2. par. Direct. quaeſ. 467. nu. 6. Comm. 72.* quòd ſatis conſtat; quia Inquiſitores non procedunt contra ipſum (attenta conſuetudine Romanæ Curiæ) *Penna Commen. ſupradicto. Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. cap. 27. nu. 6. & 7.* vt difficultate immediatè ſequenti fuſius oſtendam. Loquimur de ſuſpicione de violenti, aut vehementi; non autem de leui, contra quam nō agitur in S. Tribunali, vt ſupra de Denunciatione cautum fuit, *lib. 4. diſt. 3. art. 2. diff. 3.*

DIFFICVLTAS II.

An non confitentes ſemel in anno: & item non ſumentes ſaltem in Paſchate .s. Euchariſtiam ſint de hæreſi ſuſpecti.

RAtio difficultatis eſt quadruplex; primò, quia multi DD. partem affirmatiuam ſequuntur, vt refert *Diana 4. part. tract. 8. reſol. 38. Sanctarellus de Hæreſi, cap. 41. dub. 3. num. 5. Lelius Zecchius in Summa tom. 1. tit. de Fide cap. 11. num. 5.*

Secunda, quia *Royas de Singularibus Fidei, ſingulare 38. nu. 6.* tenet Inquiſitores contra prædictos procedere poſſe: non procedunt autem (regularitèr loquendo) niſi contra Hæreticos, aut ſuſpectos; vti implicitè colligitur ex Edicto S. Officij; dixi regularitèr, quia procedunt etiam contra S. Tribunalis perturbatores.

Tertia, quia id patet in ſimili de comedentibus carnes in diebus vetitis abſque neceſſitate, & licentia; (ſi tamen ſatis coniecturari poteſt) qui .s. habentur de hæreſi, aut incredulitate ſuſpecti; vti exemplificat *Pegna ad Direct. Inquiſ. par. 2. quaeſ. 55. Comm. 46.*

Quarta ratio eſt, quia ſunt præceptis Eccleſiæ inobedientes.

His minimè obſtantibus humilitèr cenſeo prædictos non eſſe ſuſpectos de hæreſi, aut incredulitate; nec proindè ad Inquiſitores deferendos, nec puniendos: patet ex praxi loci, vbi expono Edictum; quæ ſanè eſt optima legis interpres: deferuntur .n. prædicti ad Ordinarium, vt notum eſt, tanquam ab ipſo puniendi: tum quia ſm̄ communem DD. ſenſum huiuſmodi peccatores in has incidunt omiſſiones potiùs ratione odij, aut luxuriæ, quam incredulitatis: tum prætereà, quia ſuſpicio (teſte *Diana loc. cit.*) ſumitur ex ſignis exterioribus operum, aut verborum; ex quibus capitur argumentum concludens frequentèr, & vt in pluribus; quòd qui talia facit, aut omittit, ſit Hæreticus: Vndè non placet argumentum in ſimili de comedentibus carnes dictis diebus abſque neceſſitate, & licentia: quia licèt iſti habeantur ſuſpecti: non tamen illi: quare fortaſſe DD. qui illos tenent ſuſpectos; loquuntur reſpectu locorum, vbi communitèr habentur tales. Nec itèm inobedientia contra Eccleſiæ præcepta eſt validum argumentum: conſtat in ſimili de inobedientibus diuinis præceptis; quæ quamuis maiora exiſtant: non tamen reddunt tranſgreſſores talitèr ſuſpectos. ſumus in claris.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Poligami, ideſt qui inſimul duas habent vxores ſint de Fide ſuſpecti.

REſpondeo diſtinguendum, vel loquimur de Poligamis; qui tenent licitum eſſe, quemque plures ſimul habere vxores, vt contingere ſolet in Mauris, & Hæbreis ad Chriſti Fidem conuerſis; qui ex habitu iterùm cadere ſolent in huiuſmodi defectum: vel loquimur de alijs; qui tenent vnitatē vxoris; ſed ducti paſſione deſiderij plures ducunt.

Loquēdo de primis, dico eſſe de Fide ſuſpectos, immò infideles, vel Hæreticos; ſi baptizati norūt aliud tenere Eccl. Cathol.: de ſecundis ēt idem dicendū cenſeo; maximè, ſi adſint inſimul alia indicia; quia ſic Poligamus cenſetur ſentire contra Eccleſiæ Decretum, .s. quòd poſſit habere ſimul plures vxores.

Alij aſſignant rationem dictæ ſuſpicionis eſſe; quia irrogatur iniuria priori Sacramento Matrimoniali; ſed huiuſmodi ratio non mihi plenè ſatisfacit; nam non omnis irrogatio iniuriæ facta Sacramento reddit ſuſpectum de hæreſi; vt conſtat ex irreuerentia irrogata Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ in peccato mortali ſuſceptis; ità *Ferdinandus in Oper. mor. par. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 16. §. 8. nu. 1.* allegans ſex ex principalibus DD. *l. Qui duas C. ad l. Iuliam de Adult. Authent. inceſtas C. de Iniuſtis nuptijs, cap. Nuper de Bigamis. Farinac. de Delictis carnis quaeſt. 140. nu. 25. Albertin. de Agnoſcend. aſſert. Cathol. quaeſt. 23. num. 10. Antonius Gomez l. 80. Tauri. nu. 30.*

Notandum verò Poligamum eſſe de hæreſi ſuſpectum, ſiue palàm, ſiue clàm plures ſimul ducat vxores, ità *Caren. loc. ſupra cit. §. 2. n. 16. cum Albertino de Agnoſc., Farinac., & Salcedo contra Repertorium Inquiſ. ver. Contrahens, & Simancam de Cathol. inſtit. tit. 40.* Res ità ſe habet in foro externo: Secùs verò eſt in foro Sacramenti Pœnitentiæ; vbi ceſſat ſuſpicio, & præſumptio: & creditur Pœnitenti tàm pro ſe,

quàm contra ſe: Cautè autem,& prudentèr ſe habebit Confeſſarius; ſi ipſum interroget,quo fine ad ductionem alterius vxoris (ſuperſtite priori)motus fuerit; an ad ſatisfaciendum ſenſualitati carnis, defraudandamuè dotem: aut quia ſentiat cõtra Decretum Eccleſiæ, duas ſe poſſe habere inſimul vxores.

Si primùm,illum abſoluere poterit, dimiſſa tamen ſecunda vxore: & plenè admonito de ſtatu ſuo. lege *Carenam de Modo procedendi in cauſis Fidei tit. 5.§. 14 nu. 82. & 83.* Si verò ſecundum, nullatenùs eum abſoluere licebit cũ ratione hæreſis ſit annodatus excommunicatione Bullæ Cœnæ, quæ ſoli Summo Pontifici reſeruatur. Itaq; Confeſſarius non ſtatim, ac audit pœnitentem Poligamum eſſe; debet illum à ſe duris verbis dimittere; ſed prius interrogabit, prout ſupra; cum quiſque ſemper præſupponere debeat fratrem ſuum, quãuis peccatorem,tenere Fidem Catholicam: & potius peccare ob carnis fragilitatem, auaritiam,aut alium humanum affectum, quàm ob Fidei carentiam.

DIFFICVLTAS II.

An quemadmodum vir, qui ſuperſtite priori coniuge alteram duxit,eſt de hæreſi ſuſpectus: ita ſit de muliere,quæ ſuperſtite priori coiuge alteri nupſit: idem quoq; quæritur de Religioſo, & Religioſa nubentibus.

RESpondetur affirmatiuè, quòd patet ex paritate delicti,& pœnæ; nam eadem pęna, quæ infligitur viro ducenti vxorem priori ſuperſtite; infligitur quoque fęminæ nubenti priori ſuperſtite viro. *Antonio Gomez in l. Tauri 80. nu. 28., Roder. Acbuna de Confeſſ. ſolicit. in confeſs. quæſt. 6 nu. 10.*

Sunt itidèm ſuſpecti Luteranæ hæreſis,tàm Religioſus, quàm Religioſa, iam profeſſi,ſiue ſint in ſtatu Clericali, ſiue laicali: & ſimilitèr quilibet alius ſacris initiatus, ſi ducat vxorem. Ità *Ferdinandus in Oper. mor. par. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 16. allegans Canteram, quaſ. criminis de Hæreticis nu. 71. & 80.*

Proceditq; in his caſibus regula illa .s. maſculinum concipit fęmininum, *l. 1. de Verb. ſignif. l. Si ita ſcriptum ff. de lege 2. l. Qui duos, l. Seruis legatis ff. de Lega. 3.*

DIFFICVLTAS III.

An ſaltem integrum fuerit antiquis Patribus ſimul plures habere vxores.

RAtio difficultatis eſt, quia manifeſtum eſt ex diuina ſcriptura multos ex illis antiquis Patribus plures habuiſſe vxores. conſtat de Abraham, Iacob, Dauid,&c.

Reſpondet *doctiſſimus Pelbartus in Roſario Theologiæ par. 3. verb. Luxuria,* quòd tunc licitum erat plures habere vxores .s. alteram principalem. & alias ſecundarias; principalis vocabatur vxor: aliæ verò concubinæ, ſeu ancillæ: earumq; filij non erant cohæredes cum filijs primæ vxoris; quocircà cum dicitur de Abraham, quòd ingreſſus eſt ad ancillam; intelligendum eſt ad mulierem minus principalem; .s. ſecundariam: idemq; intelligendum reſpectu aliorum Sanctorum Patrum; nam adulterium ſemper fuit reprobatũ, vt patet ex Gen. vbi de Rege Abimelech, qui ſumpſerat ad ſe Saram vxorem Abrahę, ob quam cauſam fuit à Deo flagellatus. faciunt tradita per *Gryſaldũ in Deciſionibus Fidei Cathol. & Apoſt. ver. Vxor citans D. Thom. nu. 6.*

Ratio autèm cur tunc licuerit,vel diſpenſati fuerint; redditur ab eodem Doctore loc. cit., nimirùm, vt multiplicaretur numerus Deum verum colentium; cum eo tempore pauci forent.

Dices fortaſſe Deum non diſpenſare in iure naturali; pluralitas verò vxorum eſſe contra huiuſmodi ius naturæ.

Reſpondet irrefragabilis Doctor *Alexander Alenſis 3. par. quæſt. 35.* quem ſequitur *Pelbartus, vbi ſupra,* diſtinctione hac: Aliqua eſſe ſtrictè contra legèm naturę,vt mẽtiri,blaſphemare nomen Dei,&c.& hęc nunquàm diſpenſata fuere: Aliqua verò eſſe contra ius naturale largè, velut ſunt illa, quę ob iuſtum finem benè fieri poſſunt: ex gr. quòd Iudex Raptorem rei alienę in magna quantitate pręcipiat tolli de medio.

Modò ad difficultatem Reſpondeo, Pluralitatem vxorum eſſe preciſè contra legem naturæ ſecundo modo, ac tantummodò contra pacem domus: non autèm contra finem prolis habendę, vt notat *Gryſaldus poſt D. Thomam loc. ſupra citatis.*

Si dicas Lamech reprehendi; quia duas vxores habuit: Reſpondeo cum prædicto Doctore vbi ſupra,quòd reprehenditur; quia illas accepit ante huiuſce legis diſpenſationem.

Hinc colligo etiam rationem,cur potius Sacerdotibus, & Leuitis veteris teſtamẽti, quàm noſtri temporis,permittebatur vxor; (inquam) quia tunc nullus poterat fieri Sacerdos, aut Leuita,niſi foret de tribu Leui: vndè; ſi prædictis fuiſſet diuetitum; defuiſſet breui temporis curriculo Tribus illa: quod ſecùs eſt nunc temporis; cum non exiſtat ſimilis reſtrictio. Hæc *Pelbartus loc. cit.* hinc *cap Quod autem, 20. quæſ. 11.* talitèr proloquitur: *Multa olim permittebantur, quorum exemplis hodie vti non licet.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Confeſſarius ſigillum confeſſionis ſacramentalis frangens ſit de hæreſi ſuſpectus; & proinde Iudicibus Fidei denunciandus veniat.

RAtio difficultatis mihi eſt; quia *Alphon. de Leone de Officio Confeſſionis to. 1 recoll. 22. n. 12 caſ. 3.* dicit Confeſſarios ſigillũ confeſſionis ſacramentalis frangentes Inquiſitoribus denũciandos eſſe: denunciatio autẽ, quæ fit Cenſoribus Fidei præſupponit hæreſim, aut eius ſaltèm ſuſpicionem.

Suppono errorẽ in mẽte Cõfeſſarij cõfeſſionis ſigillũ frangẽtis minimè exiſtere,vtpotè nõ tenẽtis,nec defendẽtis reuelationem confeſſionis

ſionis licitam eſſe: nec aliter de Sacramentis Eccleſiæ perperam ſentientis; quia ſic eſſet Hæreticus; & proinde à nullo præterquam à Summo Pontifici abſolui poſſet.

Reſpondetur negatiuè *Diana par. 4. tract. 8. reſol. 95.* ſequens *Molphesium in Sum. tom. 1. tract. 7. cap. 23. nu. 68.* qui addit Alphonſi aſſertionem intelligi; quando alioquin Cõfeſſarius cognitus eſſet de Sacramentis Eccleſiæ malè ſentire; vel in eius intellectu reperiretur error contra Fidem.

Verùm nota primò, quòd non oritur huiuſmodi ſuſpicio de hoc Confeſſario ratione pœnitentiæ grauis ob hanc fractionem ei impoſitæ: quia multis ſpeciebus delictorum, vt latronibus, homicidiarijs grauis itèm taxatur pœna, putà vt ſuſpendantur; qui tamen non ſunt de hæreſi ſuſpecti.

Nota ſecundò huiuſmodi ſuſpicionem de hoc Confeſſario non oriri; quia abutatur Sacramento frangendo ſigillum confeſſionis; quia nec quælibet Sacramenti abuſio reddit abutentem de Fide ſuſpectum; conſtat de ſumente Euchariſtiæ Sacramentum in peccato mortali: quare dicendum eſt; tunc confeſſionis fractionem reddere de Fide ſuſpectũ frangentem; quando prouenit ex infecta incredulitatis radice; quæ indagari poteſt ex alijs eius defectibus: ex fructibus arbor.

DIFFICVLTAS II.

An ſit ſuſpectus de hæreſi Confeſſarius aſſerens pœnitentem minimè abſolui poſſe, niſi illi nominatim detegat peccati complicem.

RAtio difficultatis mihi eſt, quia *Medina in Summ. lib. 2. cap. 4. §. 1* quem ſequitur *Lopez in Instruct. Confeſſ. par. 1. cap. 27. §. Commendamus quoq;* vt notat *Diana par. 4. tract. 8. reſol. 97.* putat talem Confeſſarium eſſe denũciandum Fidei Cẽſoribus; cuius ratio eſt, quia ſentit hæreſim eſſe affirmare; quòd pœnitens teneatur ad dictam detectionem; ad quam ſequitur proximi infamia.

Reſpondetur difficultati negatiuè, cuius ratio eſt, quia licèt ſit hereſis aſſerere licitum eſſe famæ proximi detrahere: inter DD. tamen admodum controuertitur; an complicis detectio nominatim facta in ſacramentali confeſſione illi afferat infamiam; nam alij tenent partem affirmãtem, alij verò defenſant negãtem; & vtraque opinio ſaluatur, additis, vel demptis circunſtantijs; notum eſt. tuentur negatiuã *Villalabos in Summ. tom. 1. tract. 9. diff. 38 nu. 9. Coriolanus tract. de Caſibus reſer. par. 1. ſect. 3. ar. 9. nu. 3:* quos citat *Diana 4. par. tract. 8. reſol. 96.*

Nec obſtat reſolutioni doctrina *Medinæ, & Lopez:* quia cenſeo intelligendos eſſe; ſuppoſito, quòd Confeſſarius teneat mordicus, & abſolutè in omni euentu pœnitentem nõ poſſe abſolui; niſi detegat in ſpecie perſonam complicem minimè ignorando in Eccleſia vtramq; opinionem probabilem haberi iuxta diuerſas circunſtantias, interdùm in caſu practico contingentes: nam contingit plerunque ad intelligentiam grauitatis criminis minimè requiri cognitionem complicis.

Verùm in hoc caſu practicò conſulo, vt pœnitens ſuum ſubijciat peccatum Confeſſario, qui nullatenùs deuenire poſſit in cognitionẽ complicis, vt, vel ſic ſuæ conſulat conſcientię.

Notanda ſunt autem duo. Primum eſt *Dianam loc. cit.* aliter formare præſentem difficultatẽ, videlicèt hoc modo, nimirùm; Si Inquiſitores dictum Confeſſarium punire poſſint; ſed in idem reddit cum difficultate hac: quia quos Inquiſitores punire poſſunt, vel ſunt Heretici, vel ſuſpecti, vel Sancti Tribunalis perturbatores.

Secundum eſt, cum dicimus hunc Confeſſarium de hæreſi non eſſe ſuſpectum; non ideò ipſum à mortali excuſamus ratione defectus ſcientiæ in eius munere fungendo ſibi neceſſariò requiſitæ: & extorſionis pœnitenti factæ abſque ſufficienti cauſa, vt ſuppono; cuius opinionem probabilem ſequi tenetur, maximè cum iam ſe ſubiecerit eius clauibus.

DIFFICVLTAS III.

An obligantes ad iterandam confeſſionem apud Regulares factam ſint de hæreſi ſuſpecti.

SVppono iſtos aſſerere inualidam eſſe confeſſionem apud Regulares factam: vel iterùm peccata ipſis eſſe confitenda ex defectu iuriſdictionis in Regularibus.

Reſpondetur affirmatiuè; cuius ratio eſt, quia huiuſmodi aſſertione implicitè affirmant auctoritatem Religioſis delegatam; vel nullius eſſe valoris: vel quod Summus Pontifex non potuerit illi huiuſmodi facultatem conferre; quæ ſunt abſurda in Eccleſia intolerabilia, ac Fidei Catholicæ derogantia; ideò redduntur de hęreſi ſuſpecti; & perindè Cenſoribus Fidei denunciandi, vt contra illos ex officio procedant, vt tenentur. ità *Portel. verb. Miſſa num. 4. Rodriquez qq. reg. tom. 2. quæſt. 81. art. 6 Baptiſta Confectius tit. 17. cap. 3. Sũmiſtæ communitèr ver. Confeſſus. Fymer. in Direct. Inquiſ. par. 2. quæſt. 8. de Hæreſibus in Extrauagantibus condemnatis, num. 1.* in hac aſſer. explicitè tres notat errores.

Primus eſt, aſſerere quòd confitẽtes Regularibus facultatẽ generalem audiendi confeſſiones habentibus; teneantur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant; iterùm cõfiteri proprio Sacerdoti videlicèt Curato Parochiali.

Secundus eſt, aſſerere Summum Pontificẽ non poſſe facere; quin Parochiani teneantur cõfiteri omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti ſtante ſtatuto omnis vtriuſque ſexus edito in *Conc. Lateran. ſub Innoc. iij. cap. 2.* quod refertur in *cap. Omnis de Pœnit. & remiſſ.*

Tertius eſt aſſerere, quod Papa non poteſt dare licentiam, ſeu poteſtatem generalem audiendi confeſſiones; quin poſtea confeſſus teneatur eadem peccata iterum proprio Sacerdoti confiteri.

Hi errores condemnantur in *Extrauag. Ioan. xxij.* incipit: *Vas electionis*; Horũ autem Auctor fuit quidam Ioannes de Poliaco; qui tamen, vt notat *Tegna 2. par. Commen, 3. ſub lit. B.* in his erroribus non manſit pertinacitèr; ſed à ſententia ſua recedens, errores publicè reuocauit, vt conſtat ex dicta Extrauaganti.

Nec obſtat aſſertioni, quòd pœnitẽtes apud Regulares ſine licentia proprij Parochi confeſſi ſint; quia licentia, niſi ex æquo, & bono ad hoc neceſſaria eſt; cum ex Priuil. omnium ad ſe accedentium confeſſiones excipere valeant.

Attendant tamen ipſi Regulares: primò, præter carentiam Iuriſdictionis alias circunſtantias inualidare poſſe confeſſiones: vndè obligantes ad iterationem cõfeſſionum apud Regulares factas, non de facili Inſpecti de Fide habendi ſunt. Secundò, quòd ſæpè numero ſanctum eſt remittere pœnitentes ad proprios Sacerdotes; quia interdum à Parochianis doloſè deuitantur; dum melius defectibus cognitis valeant prouidere.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An aſſerere Spiritũ Sanctũ ab Eccleſia diuortiũ feciſſe ſit propoſitio erronea, temeraria, ſcandaloſa, ſtatuiq; Eccleſiaſtico iniurioſa; & proinde graui punitione animaduertenda.

RESpondetur affirmatiuè: probaturq; prima pars, quoad erroneitatem, illa propoſitio eſt erronea, quæ continet errorem, vel aliquid falſum contra Fidei veritatem: ità *Lazarius Canon. quæſt. de Blaſphem. quæſt. 12. nu. 89* ſed talis eſt prædicta: nam profectò falſum eſt Spiritũ Sanctũ, vel ad tempus, licèt breue a Sponſa S. Eccleſia diuortium facere (teſte tota Theologorum Schola, communiq; placito omnium SS. Patrum) Vndè aſſerunt matrimonium inter Spiritũ Sanctũ, & Eccleſiã deſignari indiſſolubilitate matrimonij inter Sponſum, & Sponſam, ad differentiã ſponſalitij inter S. Sanctum, & Animam, quod ſaltèm ad tempus diſſoluitur ratione peccati mortalis. ità ex *Synaxi Iulij Calui de Matrimonio cap. 7.* qui in omnibus ſequitur D. Thomam. Conſtat idem ex verbis Chriſti Ieſu dilucidè aſſerentis nunquam ab Eccleſia elongari. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi:* eſt itaq; erronea.

Eſt itèm temeraria; probatur: illa propoſitio eſt temeraria, quã aliquid aſſeritur tanquàm certum; quod nulla ratione, aut auctoritate probari poteſt, ità *Bariola in Floribus Inquiſit. poſt Commenta ad Tegnam, & Lazarius vbi ſup. num. 92.* huiuſmodi autem oblocutio talis eſt; quia nec probat, nec probare poteſt huiuſmodi diuortium, vt patet: quare dicenda eſt temeraria.

Eſt tertiò ſcandaloſa, & iniurioſa ſtatui Eccleſiaſtico; quia ruinæ, ac erroris occaſionem præbet .ſ. paruipendendi illum; ex cuius contemptu dimanat omnium origo malorum: Quis .n. ignorat hæreſes, aliaq; mala, tàm ſpiritualia, quàm corporalia exordium ſumpſiſſe à Prælatorum detractione, & paruipenſione ſtatus Eccleſiaſtici; ex defectuq; amoris in Eccleſiaſticos, maximè Sacerdotes ſequi defectum cultus Dei: vndè quemadmodum, qui bona Fide Deum colit; amat etiam Sacerdotes: ità è contra, qui mala Fide Deum colit, odit quoq; Sacerdotes, vt notat *Simanças de Cath. Inſt. tit. 8, nu. 14. ex mente Statij Papinij lib. 5. Syluarum.*

Ex dictis directè ſequitur ſolutio ſecundæ partis nimirùm, quam grauitèr huiuſmodi oblocutor, temerarius, & ſcandaloſus veniat puniendus: iuxtà .n. delicti grauitatem plagarum modus eſſe debet: ęquatur .n. temerariè, & ſcandaloſè doctrinę notiſſimi equitis; vbi tractans de tribulationibus ſub titulo De profundis clamaui &c. implicitè ſaltèm, lz. non explicitè arguit Deum, Catholicis tribulationes immitentem. Eſt in Decreto librorum prohibitorum 12. Aprilis 1628. lege *Indicem ver. Ioan. Bapt. Marini.*

DIFFICVLTAS II.

An graue ſit delictum N. diuulgantis peſtiferam lecturam dicti diuortij.

RESpondetur affirmatiuè, moueorq; his rõnibus prima; quia huius diuulgator eò grauiùs peccat, quò perniciosior eſt Lectura, quã diſſeminauit: ſumus in claris, ſed Lectura eſt pernicioſiſſima, patet; nam detrahit, vt ſic loquar, honorem Sponſæ S. Sancti contra illud notabile præceptum; *Nolite tangere Chriſtos meos &c.* Altera eſt, quia lectura (cum habeat rationem permanentis) maius affert nocumentum, cæteris paribus, quauis detractione verbali, quæ per modum tranſeuntis, ſe habet. faciuntq; quæ habet *Tegna par. 2. Com. 3. ibi damnato Auctore.*

Tertia eſt: quia Lectura ad plures, ad pluraq; loca peruenit; & diutiùs viuit, quàm volatilia verba; ac proindè magis ſerpit, figitq; firmiùs radices in cordib⁹ hominũ: quare ẽt magis obſtandum eſt huiuſmodi lecturæ, quàm cuilibet alterius ſpeciei detractioni in Chriſtos Domini, *Tegna vbi ſup. Ioan. Andreas in cap. 2. nu. 4. de Hæreticis in 6.*

Ipſemet huius doctrinæ peſtiferæ diſſeminator hanc præcognouit veritatem; quòd ex ſequentibus ſignis liquidò colligi poteſt: quorum primum eſt, quod in editione ipſius ſubticuit nomen proprium: tanquàm malè agens: qui malè agit, non venit ad lucem; vt non arguantur opera eius, vtpotè perperè facta.

Alterum eſt, quod mentito prælo, abſque Superiorum permiſſu auſus eſt in lucem edere commentitia ſua: vndè impunè tàm nefas auſum tranſire non debet.

Nec obſtat excuſatio, q̃ affert maledictus Auctor dictæ lecturæ diuortij inter S. Sanct. & eius Sponſam Eccleſiam Romanam, dicens ſuam intentionem eſſe præcisè ſegregare pretioſum à vili, .ſ. damnare tantummodò vitia Eccle-

Eccleſiaſticorum: non autem eorum perſonas: non obſtat, inquam; quia ſi intendebat duntaxàt damnare vitia, nullam debebat facere mentionem Eccleſiæ Prelatorum, vt ſe gerunt Concionatores è ſugeſtu: nam ſermones referuntur ad illos, de quibus locuti fuimus: iuxtà enim ſubiectam materiam ordinantur.

Vndè potius mihi probatur hunc peſtiferũ hominem ſub hoc prætextu virus latens abſcondere voluiſſe; quòd proprium eſt talis farinæ hominum; Vndè huiuſmodi Auctor, ſi quæ bona dicat; non, vt talia recipienda ſunt; quia, cuius finis malus eſt, ipſum quoque malum eſt: periculumq; eſt, vt inter vtilia hæreſes latitent: cum Hereticorũ ſit proprium bona aliqua tradere, vt falſa perſuadeant: nec itèm excuſatur ignorantia; quia conſtat ex D. Petro honorandos eſſe non modò Prælatos, qui benè præſunt; ſed etiam diſcolos: ſecretòq; admonendos; non publicè traducendos per ora hominum: quapropter iſte, vtpotè tranſgreſſor ſeuerè puniendus eſt.

DIFFICVLTAS III.

An propoſitio hæc: Sanctus Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui vnicum efficiunt: vel ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui vnicum caput conſtituunt, cenſenda ſit hæretica.

RESpondetur, ſi huiuſmodi propoſitio ità explicetur, vt omnimodam ponat æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum ſine ſubordinatione, & ſubiectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate, & regimine vniuerſalis Eccleſiæ, hæretica cenſetur; ità cenſuit, & declarauit Sanctiſſimus (relata ſibi vnanimi Theologorum ad hoc ſpecialitèr deputatorum cenſura: & auditis votis Eminentiſſimorũ, ac Reuerendiſſimorum DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum) circa quam factum fuit Decretum feria 5. die 24. Ianuarij 1647. incipit, *Editus eſt &c.*

Quo, ne in re tanti ponderis error aliquis in mentes Chriſti fidelium irrepat; damnat, & prohibet libros tam impreſſos, quàm imprimendos quocunque idiomate: aut quomodolibet, etiam in ſcriptis euulgatos, vel in poſterũ euulgandos; in quibus .s. prædicta propoſitio explicatur modo ſupradicto; mandatq; eodem Decreto; vt nemo cuiuſcunque gradus, & cõditionis exiſtat; etiam ſpeciali, ſeu ſpecialiſſima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud ſe retineat, aut legat: nec imprimere, aut imprimi curare audeat ſub cenſuris, & pœnis contra huiuſmodi delinquentes ſtatutis: ſed ſtatìm à præſentis Decreti notitia, quicunque illos habuerit; locorum Ordinarijs, ſeu Inquiſitoribus conſignare teneatur.

Verùm huiuſmodi Decretum non prohibet dicere; quin S. Petrus, & S. Paulus ſint duo Eccleſiæ Principes, iuxtà illud vulgatum: *Glorioſi Principes terræ &c.* vel duo Eccleſiæ Catholicæ Coryphei, ac Supremi Duces: vel geminus vniuerſalis Eccleſiæ vertex; dummodò ponamus, vti ſupra, ſubordinationẽ, & ſubiectionem S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine vniuerſalis Eccleſię: quod ſatis conſtat ex prædicto Decreto.

Quod ſanè Decretum prouidè occurrit quã plurimis abſurdis, Schiſmatibus, & erroribus; ſed potiſſimum errori impiè putantium in Eccleſia duo capita exiſtere poſſe, alterum alteri minimè ſubordinatum; quod omninò Hereticum eſt, dictoq; Decreto prohibitum.

Pro intelligentia notandum eſt diſcrimen inter Petrum, & alios Apoſtolos: quod ſic oſtendo; primò Chriſtus loquens alijs Apoſtolis, inquit: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*, hoc eſt in Eccleſia particulari, ſeu prouinciali, vbi præſidebitis: v.g. Ieroſolymis, vbi Iacobus fuit Epiſcopus: Ephæſi, vbi Ioannes &c. Sed proloquens Petro, ait: *Tibi dabo claues Regni cælorum*, .i. ſuper quamcunque Eccleſiam particularem, ſeu Prouincialem: ſimilitèr, quęcũque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis, nimirùm in omnibus Eccleſijs particularibus, aut Prouincialibus; vbi volueris, quòd ſint ligata: & præter hoc cõfirmabitur tua ſententia in cœleſtibus: E contra ſidè dixit illi Matt. 18. *Quodcunque ſolueris ſuper terram: erit ſolutũ & in Cælis*, eodem modo intelligendo pro Cęlis Eccleſias, vti ſupra expoſitum fuit, quòd doctè tradit *Marcellus Ferdinandus de Cathedra Pontificia per totam primam partem ex mente Origenis, Bedæ, & Rabani.*

Secundò, quia tributum, quòd tantùm Paterfamilias ſoluebat, Chriſtus pro ipſo Petro tantùm ſolui voluit. *Matth. cap* 17. quod notauit idem *Doctor loc. cit.* vtpotè pro Patre familias totius vniuerſalis Eccleſiæ.

Tertiò, quia Chriſtus Apoſtolos nominando incępit à Petro; certumq; eſt ipſum in primo loco minimè poſuiſſe ratione prioris vocationis ad Apoſtolatum: quia illo prius ad Apoſtolatum vocatus fuit Philippus: ſed quia ipſum conſtituebat caput totius Eccleſiæ: *Matth. c.* 10. idemq; deſignauit comendando ipſi Petro oues, & agnos .i. omnes Eccleſiaſticos, & omnes ſeculares, ibi: *Paſce oues meas; paſce agnos meos*: Conſtat autèm, quòd propoſitio indefinita, qualis eſt vtraque predictarum, æquipollet vniuerſali; & ità exponit tex. prædictos Chriſoſtomus, vt notat *Ferdinandus loc. ſupra cit.*

Quartò, quia D. Petrus attributam ſibi vniuerſalem poteſtatem ſuper omnes in Concilio Generali exercuit, vti patet *Actuum cap.* 1. *ibi, Exurgens Petrus in medio Fratrum*, .s. coram Apoſtolis, & Diſcipulis ad loquendum vtpotè caput omnium (erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti.)

Nec obſtat, quod dicatur Petrum exurgiſſe

in medio Fratrum .i. ęqualium, quales ſunt fratres in ratione fraternitatis: quo nomine illum etiam vocauit Chriſtus, cum inquit: *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

Quia, quemadmodum ipſe Chriſtus vocando Apoſtolos fratres ſuos, patet ibi: *ite, nunciate fratribus meis*; talitèr illos nominauit ratione tùm charitatis, tū humilitatis erga illos: ità dum Petrum fratrem nominauit, & nominare voluit; ipſum, alioſq; Superiores edocere voluit; qualem formam charitatis, & humilitatis habere debent erga ſubditos ſuos, iuxtà illud Eccleſiaſtici cap. 32. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli: ſed eſto in illis, quaſi vnus ex illis.* Hoc expreſsè docuit Chriſtus multis in locis; ſed potiſſimum *Actuum cap. 9.* quando poſt ipſius Aſcenſionem in Cœlo; locutus eſt D. Paulo quaſi ad comparem ſuum: *Saule, Saule quid me perſequeris:* nec nominauit ſe Deum, ſed Ieſum Nazarenum: Vndè etiam in fine mundi in ſede maieſtatis conſiſtens dicturus eſt: *quandiù feciſti vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſti*: vt notat *Ludolfus Saxonus in vita Chriſti par. 2. cap. 73. circa medium.*

Ex dicto loco *Actuum cap. 1.* ſicut ex multis alijs colligo D. Petrum, ac alios ipſi ſucceſſores, nedum eſſe Superiores Epiſcopis, etiam Cardinalibus; ſed etiam Concilio, lz. Generali: nam quemadmodum Eccleſia non poteſt eſſe bicephala, .i. duo habere capita, vz. Summum Pontificem, & Concilium Generale: ità non poteſt eſſe acephala .i. abſque capite; alioquin non eſſet pulchra contra illud Scripturæ Sanctæ: *pulchra es amica mea*: ſed eſſet monſtruoſa, & maculata contra illud: *& macula non eſt in te.* Eccleſiæ itaque Catholicæ Romanæ vnum tantummodò eſt caput .s. Summus Pontifex, qui liquidò dignoſcitur Concilio Generali Superior: nam ipſius auctoritate cōgregatur: datq; ei robur tanquàm prior, & ſuperior: quod non faceret, ſi illo poſterior, vel minor eſſet: nam nullum poſterius dat eſſe ſuo priori. Vndè, licèt Sum. Pontifex Papatui renunciare valeat; tamen illum retinens non poteſt non eſſe primus, ac caput omniū: nec à quoquis iudicari poteſt, iuxtà illud: *Prima Sedes à nemine iudicatur.* legendus eſt *Albanus de Poteſtate Papæ, & Concilij per totum; idem de Immunitate Eccleſiæ ſæpè ſæpiùs obiter, Ferdinandus de Cathedra Pontificia, vbi ſupra, & alij.*

Nec obſtat Chriſtū, in cuius locum ſuccedit S. Pont. à Pilato fuiſſe iudicatū: quia nouimus ipſum data opera à Cęlo ad terram deſcēdiſſe, aſſumpſiſſeq; mortalem carnem; vt in illa pro ſalute hominis non ſolùm pateretur; ſed tandem etiam iudicaretur iuxtà prophetias, & figuras; vt ſic iudicatus vinceret, reportaretq; victoriam de Diabolo iuxtà illud Propheticū Pſal 50. *Et vincas cum iudicaris.* Eius autem Vicarius, vz. Summus Pontifex è contra conſtitutus fuit ab ipſo Chriſto, non vt iudicaretur ab hominibus; ſed vt illos iudicaret, ligaret, & ſolueret.

DIFFICVLTAS IV.

An de hæreſi ſint ſuſpecti, veniantq́, denunciandi, qui aſſerunt Chriſtianis Principibus Bellum minimè licitum eſſe.

Reſpondetur affirmatiuè, ratio immediata, & proxima eſt primò, quia, qui tale quid aſſerit; ſentit cum Hęreticis Anabaptiſtis; qui licèt concedant bellum ex natura ſua eſſe licitum; & olim licitum fuiſſe Iudæis: negant tamen eſſe licitum Chriſtianis; quorum ratio eſt, quia ipſos .s. Chriſtianos manſuetos, ac pacificos eſſe oportet; ſed certò errant, quia, cum Principes Chriſtiani poſſint vti gladio in puniendis priuatis malefactoribus: *Roman. 13.* vt communitèr *omnes DD. ſentiunt*: ergò à fortiori illo vti poſſunt in vindicanda publica iniuria; maximè quòd illis peculiari mandato non eſt prohibitum.

Nec obſtat Chriſtianos debere eſſe manſuetos, & pacificos iuxtà illud *Matth. 5. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. ideſt nol. te &c.* quia ille textus debet intelligi ſic; quod nullus homo priuatus reſiſtat malo .i. non quęrat priuatam vindictam; Vndè Princeps, qui infert Bellum; non mouetur (vt ſuppono) ex priuato affectu vindictæ; ſed ex iuſta defenſione publici boni: vt benè *notat Aug. lib. 22. contra Fauſtū cap. 74. D. Thom. 2. 2. quæſt. 40. art. 1. Molina de Iuſtitia diſput. 107. Griſaldus in Deciſionibus Fidei Cath. & Apoſt. ver Bellum.*

Dices *Matth. 26.* Petro pręceptum hoc datū fuit: *Conuerte gladium in locum ſuum, &c* ergò. Reſpondeo Chriſtum ibi non loqui de bello, ſed reprehendere Petrum; qui volebat eius mortem impedire: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum? an putas, quia non poſſum rogare Patrem: & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?*

Vrgebis ex lege prohibitum eſſe homicidiū: *non occides*; in bello autèm plurima contingūt homicidia: ergò omnes, & potiſſimùm Chriſtiani bellum euitare tenentur. Reſpondetur prout ſupra, textum illum loqui de homicidio ex priuata vindicta: non autèm de Bello, quod ſuſcipitur pro defēſione publicæ Iuſtitiæ, quod rectè fieri poteſt. legendus eſt *Becanus de Controuerſijs huius temporis de Fide, & Religione lib. 4. cap. 4 per totum*: qui tamen loquitur de Bello in alio propoſito.

Non item obſtat ob allatas rationes præceptum de dilectione inimicorum: Nam præceptum dilectionis, quamuis prohibeat; vt nullus priuatus vindicet iniuriam ſibi allatam: non prohibet tamen; quin Princeps, aut Rex abſolutus Bello vindicare poſſit iniuriam populo ſuo illatam; hinc ſequitur, vti ſupra, aſſerentes Chriſtianis Principibus integrum non eſſe mouere Bellum; ſuſpectos eſſe de dicta hęreſi Anabaptiſtarum; & proindè denunciandos eſſe.

DIFFICVLTAS V.

An ſint ſuſpecti de hæreſi, veniantq; denunciandi; qui aſſerunt non poſſe homines pro ſtatu præſentis vitæ diligere Deum ex toto corde, ex tota mente &c. vt præcipit Euangelium.

DIfficultatis ſenſus eſt, an homo .ſ. iuſtus in hac vita non quidem viribus naturæ, ſed cum auxilio diuinæ gratiæ poſſit obſeruare legem Decalogi?

Ratio difficultatis eſt, quia nonnulli Hæretici contendunt; quod prædicto modo non poſſumus ſeruare legem; vt ſic inducant nos ad credendum cum ipſis, quod ſola fide ſaluamur; & ſubindè opera minimè neceſſaria eſſe, vt in primis notat *Becanus de Cōtrouerſijs huiuſce temporis lib.* 1. *cap.* 18. *nu.* 1.

Reſpondeo difficultati talia aſſerentes denunciandos eſſe, tanquàm deuiantes à Fide: patet primò ex *Conc.Trid.* vbi expreſsè notatur Deum impoſſibilia nō pręcipere *ſeſſ.*3. *cap.*11. licèt .n. in hac mortali vita nullus, quantumuis ſanctus, & iuſtus exiſtat, in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ venialia dicūtur peccata quādoq; cadat; non propterea deſinit eſſe iuſtus.

Patet ſecundò ex ſcriptura Dauid, & alios ſeruaſſe præceptum illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: conſtat ex Pſal. 118. ibi: *In toto corde meo exquiſiui te*: & 3. Reg. c. 14. *Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea: & ſecutus me in toto corde ſuo*: & 4. Reg. c. 23. de Ioſia: *Similis illi non fuit ante eum Rex; qui reuerteretur ad Dominū in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua iuxtà omnem legem Moyſi*: idem dici poteſt de Prophetis, Apoſtolis, & propèmodū de infinitis alijs, de quibus prędictum eſt *Deut. c.*30. *Circuncidet Deus cor tuū, & cor ſeminis tui, vt diligas eum in toto corde, & in tota anima, vt poſſis viuere.*

Tertiò patet ex *Becano loc. cit. concluſione* 3. *nu.* 6., qui cum communi Theologorum ſententia teſtatur (propriè loquendo) hæc duo videlicèt, amare Deum ex toto corde, & mandata Dei cuſtodire, vel reipſa idem eſſe: vel certè alterum cum altero connexum; vndè Ioan. 15. *Vos amici mei eritis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*: & Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.*

Dices diligere Deum ex toto corde, nihil aliud eſt, quàm totū cor noſtrū, prout in ipſo eſt, in eo ſolo diligendo occupari: hoc autèm in hac vita fieri non poteſt.

Reſpondeo ſenſum illius textus eſſe, vt diligamus Deum ex toto corde æſtimatiuè, ipſum ſuper omnia diligendo, ac præferendo omnibus alijs rebus, licèt ſenſitiuè videamus fortiùs inclinari ad alia: v. gr. ad filios, ad agros, &c. Hinc *Conc. Trid. loc. cit.* huiuſmodi verbis admonet: *itaq; nemo ſibi in ſola Fide blandiri debet, putans Fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatemq; conſecuturum, etiamſi Chriſto non compatiatur, vt & conglorificetur. Phylip.* 2. *Hebr.* 3. patet expreſsè ibi: *Fides ſine operibus mortua eſt*: Iacobi c. 2. item ibi: *Si habuero omnem Fidem; ità vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Chorin. 1. cap. 13.

Hæc difficultas multum valet contra ſcrupulizantes; quibus videtur, quod non diligant Deum eo modo, quo præcipitur diligi.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An tranſmittentes arma, equos, bellicaq; tormenta hoſtibus noſtræ religionis ſint de hæreſi ſuſpecti.

REſpondetur affirmatiuè, vndè Inquiſitores Hiſpani ob dictam ſuſpicionem de hoc crimine cognoſcunt; videntur .n. ſic delinquentes Hæreticorū eſſe Fautores; quòd in primis notat *Ferdinandus in ope re morali par.* 1. *tract.* 4 *diſp.* 8 §. 10. & præter pœnas, quibus in Sancto Tribunali ſubijciuntur; in foro conſcientiæ excommunicatione Bullæ Cœnæ annodantur; quod patet ex ſeptima cenſura dictæ Bullæ, quæ militat contra tria perſonarum genera, quæ ſunt.

Primò, contra deferentes, ſeu tranſmittētes Hæreticis nominatim à Papa excōmunicatis, vel alijs Infidelibus prædicta, vel armorum materiam, vel lignamina, vel funes, aut funium materiam, vel huiuſmodi, quibus ad impugnādum Catholicos vtuntur.

Secundò, contra eos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatū Chriſtianæ Reip. concernentibus in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Catholicorum hoſtes certiores faciunt.

Tertiò, cōtra eos, qui dictis hoſtibus ad nos, impugnandos conſilium, auxilium, vel fauorem alium præſtant.

Verùm aduerte hic non excommunicari vendentes arma, vel alia prædicta infidelibus: quia vendere non eſt deferre. *Toletus in hac ſeptima excom., Memoriale ſciendorum in appendice ad Cathal. excom. ibi de ſeptima excom.*

DISTINCTIO SEPTIMA.

De ſuſpectis de hæreſi miſcellaneè, de quibus Textus item implicitè, ibi,

Dichiarando, che per la detta eſpreſſione de caſi da Noi ſpecificati &c. non eſcludemo gli altri caſi ſpettanti al S.O. che &c.

Partitur præſens diſtinctio in ſex articulos, quorum

Primus reſpicit Caupones, ſeu Tabernarios.

Secundus, Conculcantes ſacram, ſeu Hoſtiam conſacratam: percutientes Sanctorum imagines: & iurantes per verenda Chriſti, aut B. M. V.

Tertius

Tertius, Aſportantes Hæreticorum libros.

Quartus, Mulierem cum Hæretico matrimonium contrahentem.

Quintus, Deturpantes excommunicationis Cedulones.

Sextus denique reſpicit quædam generalia pro periodo huiuſce partis ſecundæ.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Caupones, Tabernarij, & alij, qui Infidelibus s. Iudæis, & Gentilibus, v.g. carnes adminiſtrant ieiuniorum tempore; vel diebus Veneris, aut Sabbati ſint per hoc de Fide ſuſpecti.

RESpondetur huiuſmodi Adminiſtratores per hanc actionem de Fide ſuſpectos minimè cenſeri: quia nō eſt actio per ſe contra Fidem: quinimmò nec vllo peccato exiſtimantur ligari; cuius ratio eſt, quia non magis ipſi peccant, quàm comedentes iuxtà illam regulam; ſi non de quo magis, nec de quo minus; ſed infideles comedentes carnes dictis temporibus nō peccant; quia Eccleſiaſticis legibus nō ſunt ſubiecti: ergò, nec peccabunt, qui illas ipſis adminiſtrant, aut vendunt. *Azorius par. 1. lib. 7. cap. 28. quæſt. 3. ad finem: Sanchez in Opere morali lib. 1. cap. 12. num. 14. & alij*, quos tacito nomine refert *Bonaci de Legib. diſp. 1. quæſt. 1. punc. 6. propoſ. vnica, nu. 3.*

Verùm aduerte, quòd hìc nomine Infideliū non veniunt Hæretici; quia ipſi ratione Baptiſmi tenentur legibus Eccleſiæ. conſulito, quæ docuimus *Par. 2. lib. 4. diſt. 4. art. 3. diff. 1.*

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An ſit ſuſpectus de hæreſi, qui ſacrum conculcat: v.g. Hoſtiam conſecratam, ſi proteſtetur hoc feciſſe non ex incredulitate, ſed ex ira.

REſpōdetur abſolute affirmatiuè huiuſmodi ſacrilegum eſſe talitèr ſuſpectū, & fore denunciandum, vt debitas ſui grauiſſimi ſceleris luat pœnas; cuius ratio eſt, quia hic actus ſapit manifeſtam hæreſim, vt ex communi teſtantur tàm Theologi, quàm Canoniſtæ: & elicitur implicitè ex Textu, ibi, *O altre ſimili ſuperſtitioſe attioni.*

Nec obſtat proteſtatio: quia ad dictā ſuſpicionem, non requiritur, vt rerum ſacrarum conculcatio ex manifeſta incredulitate pendeat; quia ſic eſſet conſumatus, & formalis Hęreticus; ſed ſat eſt, vt ex natura actus hęreſim ſapientis prodeat. Hęc difficultas nō coincidit cū illa s. ſi ſacrū conculcans ligetur excōmunicatione Bullæ Cęnæ: quia hęc reſpicit denūciationem; illa verò abſolutionem, vt patet.

DIFFICVLTAS II.

An ſint in foro fori de hęreſi vehementèr ſuſpecti ſacras imagines percutientes.

REſpondetur affirmatiuè, nihil enim refert factis, vel verbis mentem hęreticam declarari, cum non minus factis, quàm verbis declaretur, *l. Paulus reſpondit ff. Rem ratam haberi*; Vndè, & ſi mala abſit intentio illas dehonorandi: attamèn ex facto iniurioſo illas percutiens venit denunciandus, at puniendus eſt, patet ex *capit. 2. in fine de Offic. Ordinar. lib. 6.* quod notauit *Lazarius Canonic. qq. quæſ. 2. nu. 32.*

Dixi in foro fori: quia in foro Sacramenti Pœnitentiæ Confeſſarius, iuxtà ſibi ſacramentalitèr confeſſa; ſe gerere debet: nam ibi non quod fit: ſed quo animo fiat inſpiciendum eſt, iuxtà illud vulgatum: *Quicquid agunt homines intentio iudicat omnes*: quare attendere debet, an huiuſmodi actiones procedant ex hęreſi ſacras imagines non eſſe adorandas aſſerente; quia ſic nō poſſet illum abſoluere: ſed S. Pontifici remittendus eſſet.

Hinc ſequitur illos etiam eſſe de hæreſi ſuſpectos, qui hæreticalitèr lingua Deum percutiunt. legendus eſt *Baldus in l. Vnica, C. Si quis Imperat. Maledi.* quem alij ſequuntur, & notat *Lazarius loc. cit. quæſ. 7. num. 32.* præſertim de eo, qui ex conſuetudine *Marant. in 6. par. de Ord. Iudic. in Rubrica de Iuramento, eius differentia, & vſu. Plot. tract. de Blaſph. num. 27 Boer. deciſ. 301. col. 2. & alij.* Ratio eſt, quia ob rationem allatam paria ſunt, quo ad ſuſpicionem hęreſis, percutere Deū, Mariam Virg. aut Sanctos factis, aut verbis: nihilq; refert, quid ex æquipollentibus fiat. *l. Si mater, C. de Inſtit. l. Iulianus, ff. de Conditione, & demonſt.* quæ ſanè leges procedunt in nō deſiderantibus certam formam: vt in propoſito, vbi deſignatur error mentis nō minus verbis, quàm factis, & è contra.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Aſportantes Hæreticorum libros ex Hæreticis locis ad Catholicos ſint de hęreſi ſuſpecti.

REſpondetur affirmatiuè *Azor. Inſtit. Moralium tom. 1. lib. 8. cap. 17. quæſ. 6.* quem ſequitur *Carena de Modo procedendi in S. O. tit. 10. §. 5. num. 29.* dummodò Aſportantes nouerint aſportare Hęreticorum libros: quod secùs dicendum foret, ſi detenti ignorantia inuincibili illos aſportarēt: vti potiſſimum contingere poteſt; dum illos aſportant in faſciculos incluſos, neſcientes quid in ipſis ſit inuolutū; vt communitèr accidit Procacio faſciculos iam factos leuanti: patet ex *Pen. part. 2. Commen. 17. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 180. nu. 15.*

DIFFICVLTAS II.

An ſaltem aſportari poſſint libri Iudaici.

REſpondetur negatiuè loquendo de damnatis aut prohibitis: ſunt autèm illi, quos Rabbini ipſorū Iudæorum impiè ſcripſerunt: & quemadmodum non poſſunt trāſportari ad Catholicos; ità nec diuulgari, nec item cuſtodiri: Quare ſuperioribus annis ſcripta Talmudicorum fuerunt damnata: nam Eccleſia quo ad hanc partem habet facultatem tuendi ſe, & remouendi obſtacula Fidei, vt in primis notat *Carbonus in Sum. Summ. tom. 3. lib. 1. c. 32. propè fin.*

DIF-

DIFFICVLTAS III.
An ſaltem ipſi Iudæi Talmudicos libros Rabbinorum apud ſe habere poſſint.

RESpondetur diſtinctione, loquendo de libris Talmudicis illorum Rabbinorum qui Scripturas ſacras corruperunt; minimè habere poſſunt: eo quod ſint in exterminiū animarū ipſorū, influentes loco luminis cęcitatis tenebras; quare meritò: ne ipſi ponant excuſationem in peccatis, prohibitione Eccleſiæ aliquo modo illuminari poſſunt.

Loquendo verò de libris Talmudicis Antiquorum, qui iam ſine odio in Chriſtianam religionem fideliter ſcripti fuerunt; ſecus eſt: quia ex his non obtenebrantur; ſed lumen recipere poſſunt: v. gr. intelligendo vetus teſtamentum fuiſſe vmbram noui: illius ſacrificia, & maximè agni Paſchalis extitiſſe figuram ſummi Sacrificij Corporis, & Sanguinis Ieſu Chriſti: Manna Euchariſtiæ &c. Vndè omnia, & ſingula Sacramenta noui teſtamēti fuerunt præfigurata in antiquo, vt diſtinctè tradit *Candelabrum aureum in principio cuiuslibet Sacramēti.* faciunt tradita per *Suarium tract.* 1. *de Fide diſp.* 18. *ſect.* 4. *nu.* 9. *& ſeqq. Azor tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæſ.* 12. *Penna ad Eymer.* 2. *par. quæſ.* 46. *Comm.* 71.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.
Mulier contrahens ſcienter cum Hæretico, an ſit de hæreſi ſuſpecta.

REſpſ affirm. & breuitèr, quia ſupra latiùs difficultas hęc viſa fuit, vbi de cōſortio cum Hereticis in Sacramento Matrimonij, *cap. Decreuit, de Hæreticis in* 6. *Soto in* 4. *diſt.* 39. *art. vlt. Arſen. S. Inquiſit. par.* 10. *admon.* 242.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.
An deturpantes excommunicationis Cedulones .i. libellos excommunicationis ſint ſuſpecti de Fide, ſeu de hæreſi.

NOtandum: Inquiſitores Cedulonibus declarant aliquos, vel aliquē excommunicatum, *Diana par.* 4 *reſol.* 103.

Huiuſmodi difficultas pendet ex illa, qua quæritur; ſi Inquiſitores S. Officij procedere poſſint contra deturpantes Cedulones.

Huic difficultati; Reſpondetur affirmatiuè; ratio eſt, quia tales deturpando Cedulones, videntur de Prælatorum auctoritate malè ſentire, cenſuras Eccleſiæ contemnere, atq; irridere; quinimmò ignominiam ei irrogare; cum ipſa cenſuris vti conſueuerit. *Pegna ad Directorium Inquiſ. par.* 3 *Comm.* 24. *verſ. Sunt item*: quod notat *Flauius Cherubinus in Compendio Bullary ad Bullam Pij iiij.* 56. incipit, *Inter multiplices, Schol. primò*, & ità fuit deciſum Romæ, quod notat *Diana loc. cit.* addens Inquiſitores contra tales procedere poſſe, vt obſeruat (inquit ipſe Diana) *Homobonus in Conſult. moral. par.* 4. *reſpon.* 16. *vol.* 1.

ART. VI. DIFFICVLTAS VNICA.
Quid generalitèr obſeruandum circa ſuſpectos de hæreſi.

PRimò, obſeruandum eſt, quòd idem ſunt N. exiſtere ſuſpectum de hæreſi: & eſſe ſuſpectum de Fide: Vndè, qui dicuntur ſuſpecti de vno; intelliguntur ſuſpecti etiam de altero.

Secundò, idem & regularitèr ſunt, ſuſpectū eſſe vehemētèr de Fide, aut hęreſi, & eſſe denūciandū Cēſoribus Fidei: nam ipſis denunciantur tantùm vehementèr ſuſpecti de Fide, iuxtà expoſitionem, quàm tradidi ſupra *diſt.* 1. *art.* 3. *diff. vnica, & de Denunciatione in ſpecie par.* 1 *lib.* 5. *diſt.* 2. *art.* 1. *diff.* 5. Dixi regularitèr, quia vi nouarum Bullarum veniunt aliqui denūciandi; quamuis fortè aliàs non haberentur vehementèr ſuſpecti, vt notat in primis *Boſſius de Triuil. Iubilæi in Appendice de Confeſſ. in confeſſione ſolicitante dub.* 5.

Tertiò, ſciendum eſt, quòd in foro S. Officij alitèr abſoluuntur Hæretici, alitèr verò tantummodò ſuſpecti, vti docui *part.* 1. *lib.* 7; nam qui reperiuntur reipſa Hæretici; abſoluuntur abſolutè: qui verò ſunt tantùm ſuſpecti; abſoluuntur in dicto foro ſub conditione ſaltèm retenta in mente: in foro verò Sacramenti Pœnitentiæ, ſi reperiuntur fœdati labæ hęreſis; dimittuntur tanquā pertinentes ad ſolùm S. Pontificem: at ſi reperiuntur integri in Fide; dimittuntur abſoluti: niſi in Diœceſi aliqua obſtet reſeruatio.

Quartò, alitèr abſoluuntur, qui tenebātur denunciare ſolùm ex præcepto Edicti: alitèr autem qui ad illam tenebantur nō tantum ex dicto Edicti præcepto: ſed etiam ex officio: dum abſoluuntur, qui ſunt primæ ſpeciei, in forma abſolutionis ab excommunicatione; fit tantummodò mentio de inobedientia: non autem de hęreſis ſuſpicione: cęterùm, cum abſoluuntur illi ſecundæ ſpeciei; ponitur determinatè etiam clauſula ob hæreſis ſuſpicionē. legito *par.* 1. *lib.* 7. *diſt.* 2. *art.* 2. *diff* 1.

Qui à Iudice abſolutus fuerit ab excommunicatione ob hæreſis ſuſpicionem, vel inobedientiam; tenetur idem peccatū, v.g. eandem blaſphemiam hæreticalem confiteri ſacramētalitèr: cum alia ſit abſolutio fori externi, & alia fori interni, vt viſum fuit *lib.* 7. *diſt.* 4. *art. vnico diff.* 1.

Quintò, circa declarationem ſuſpectorum magis propriè, de quibus Textus ſpecificè; legenda ſunt dicta in proprijs locis: v.gr. *in lib.* 5. vbi agitur de Celebrantibus Sanctiſſimū Miſſæ Sacrificium, vel adminiſtrantibus Sacramētum Pœnitentiæ, lz. non ſint Sacerdotes, aut illo abutentibus.

Videndus eſt liber vndecimus, duodecimus, & tertius decimus: item percurrenda eſt tertia pars per totum, vbi de ſuperſtitionibus diffuſiſſimè: itidem recurrendum eſt ad librum 23. vbi de blaſphemia hæreticali; & denique ad 24. vbi de offendentibus Miniſtros S. Officij: & ad

& ad vigeſimum quintum, vbi agitur de legẽtibus, aut retinentibus libros quouis modo prohibitos.

Sextò, de Suſpectis, & item de Hæreticis in quolibet ſtatu, .s. extra manus S. Tribunalis; in Arctatione, ſeu Carceribus ipſius: & in mortis articulo, ſeu periculo; videto nonum librũ, vbi in genere agitur de ipſis: tota .n. prior pars horum Commentariorum tractat genericè de his, quæ in alijs tribus ſpecificè agitur.

Propterea non mireris, ſi idem videatur tibi interdum repeti: doctrina .n. in genere tradita neceſſariò replicatur in eius ſpeciebus; ſed ibi diſtinctius; nam genus deſcendit in ſuas ſpecies, & non è contra: legito nonum librũ primæ partis per totum.

Septimò, Suſpectis de hęreſi an Ordinario loci, vel Inquiſitori contra hęreticam prauitatem denunciandi ſint: vide *lib. 4. diſt. 1. art. 3. diff. 1.* vbi affertur clara diſtinctio.

Octauò, Suſpectus de Fide non poteſt eſſe Aduocatus in cauſis S. Officij, remiſſiuè *par. 1. lib. 9. diſt. 2. art. 1. diff. 2.*

Nonò, Suſpectus de leui quomodò fiat de violenti: remiſſiuè loco citato. Et quamuis violentèr ſuſpectus contingat non eſſe Hæreticum: vt Hæreticus tamen, Hæreticorumq; pœna venit puniendus, eodem loco, vbi ſupra circa finem.

Decimò, totum hoc opus (genericè loquẽdo) agit de hæreſi, vel ſuſpectis de ipſa: ſed tamen potiùs de ſuſpectis, quàm de hereſi; quia, cum ſex exiſtant caſus S. Inquiſitionis: quinque reſpiciunt ſuſpicionem hæreſis, & vnus pręcisè reſpicit hęreſim: Vndè Commentaria hæc iure inſcribi potuiſſent de ſuſpectis de hęreſi, denominando ipſa à communiori; ſed nolui ob rationem, quam attuli à principio Operis.

FINIS SECVNDÆ PARTIS.

COM-

PARS
TERTIA
COMMENTARIORVM
EDICTI S. OFFICII.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III.

LIBER XV.

Vbi de Superſtitionibus generaliter, ſed maximè de recenſitis in Textu, ibi : *In qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio, gli habbino preſtato, ò preſtino honore, ò habbiano hauuto parte, ò ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſchino in qualſiuoglia eſperimento di Magia, ò Negromantia, Incanteſimi, ò altre ſimili ſuperſtitioni, e maſsime con abuſo di coſe ſacre.*

Diuiditurq; in Octo libros.

Primus, tractat de Superſtitionibus in genere, & in ſpecie.

Secundus, de ſcientia, & potentia Dæmonum, quæ ſunt propemodùm duæ columnæ ſuper quibus, velut fundamentis omnium Superſtitionum erigitur totum Babilonicum ædificium.

Tertius, de Magia diuinatrice, ſeu Mago nequiter diuinante.

Quartus, de Magia aſtronomica, ſeu aſtrologica.

Quintus, de Magia effectrice diabolicè mira patrante.

Sextus, de Magia malefica, videlicet diabolicè nocente.

Septimus, de quadam parte Magiæ maleficæ, ſ. verſantis circa ſtrepitus, qui in domibus, templis, nemoribus, turribus, alijsq; locis audiuntur.

Octauus, de Corporum obſeſſione à Dæmonibus, quatenus eſt altera pars dictæ Magiæ maleficæ.

Noto in primis hunc caſum coincidere cum illo, de quo Arſenale S. Inquiſit. par. v. ibi, Negromantia, Maleficij, Stregarie, Incantationi.

Nec refert, quòd in Arſenali aliquæ enumerentur ſuperſtitiones, quæ in textu non reperiuntur, vt Maleficia, & Strigetiones; & è contra, aliqua Superſtitionum ſpecies reperiatur in textu, quæ non eſt in Arſenali expreſsè: v. g. Magia, vt patet intuenti vtriuſque literam; cuius ratio eſt, quia tàm in Arſenali, quàm in textu ponuntur ſolummodò quædam Superſtitionum ſpecies pro exemplo; non autem pro ſufficienti partium enumeratione: cùm tamen tàm ibi, quàm hic omnes Superſtitiones hæreticales intelligantur comprehenſæ.

Dico hæreticales, quia, quæ non ſunt tales; Epiſcopo veniunt denunciandæ, vti in ſimili conſtabit etiam de Blaſphemijs non hæreticalibus, quæ item Epiſcopis veniunt denunciandæ: quod enim deferendum eſt Fidei Cenſoribus, de hæreſi ſapere debet: Inquiſitoribus nanque datur iuriſdictio (ſuppoſita hæreſis qualitate, aut

ſuſpi-

ſuſpicione.) Quinimmò iure antiquo non dabatur illis auctoritas, niſi caſus occurrens manifeſtam ſaperet hæreſim, vt notat in primis Armilla, verb. Inquiſitor nu. 3. & Repertorium Inquiſitorum, verb. Hæreſim ſapere manifeſtè, &c.

Quod autem omnes Superſtitiones hæreticales in textu comprahendantur; elicitur præcipue ex ipſomet; nam poſt aſſignationem aliquarum Superſtitionum in ſpecie additur clauſula generalis, videlicet: O altre ſimili ſuperſtitioſe attioni.

Secundò, quia lex explicans aliqua ob frequentiorem vſum; non excludit alia, quæ rariora ſunt. gloſs. in Clementina 1. de Reſcriptis, ver. Præſidentes, & DD. ibi.

Tertiò, deducitur in ſimili ex Coriolano de Caſibus Regularibus reſeruatis caſu 1. iuxtà Decretum Clemen. viij. Quaranta, ver. Caſ. reſer. ſuper eodem Decreto, caſ. 1. Homob. ad idem Decretum, caſ. 1. Denique ex Graffio penès idipſum Decretum caſ. 1.

Diuiditur autem iſte liber in octo Diſtinctiones.

Quarum prima tantummodò eſt de Superſtitionibus in genere.

In ſecunda agitur de Superſtitione Artium à Dæmone adinuentarum.

In tertia de Actionibus, Rebus, & Verbis, quæ primo acceſſu videntur ſuperſtitioſè.

In quarta de Superſtitionibus vulgarium.

In quinta de Superſtitionibus Peritorum.

In ſexta de Superſtitionibus Eccleſiaſticorum.

In ſeptima de Superſtitionibus circa dies, & annos.

In octaua de Remedijs contra Superſtitiones.

DISTINCTIO VNICA.

De Superſtitionibus in genere.

Circa hanc diſtinctionem quinque notantur articuli.

Primus ſignat, quid ſit Superſtitio.

Secundus deſignat Superſtitiones, in quibus expreſsè, vel tacitè Dæmon inuocatur.

Tertius oſtendit regulas ad cognoſcendas Superſtitiones.

Quartus docet, quæ Superſtitiones veniant denunciandæ.

Quintus demonſtrat vſitatiores Superſtitiones.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Superſtitio quid eſt, & quomodo diuiditur?

Superſtitio eſt vana, & falſa Religio, ideſt cultus vitioſus; quo, vel creatura colitur honore ſoli Deo debito: v.g. honore latriæ: vel Deus modo colitur indebito, v. g. contra vſum ab Eccleſia præſcriptum. ità ex communi placito DD. ex *D. Thoma 2. 2. quæſ. 92. art. 1.* dicitur vana, & falſa &c. quia opponitur religioni; quæ Deo vero cultum debitũ, modoq; debito exhibet, lege *Liranum ſuper acta Apoſt. c. 25.*

Diuiditur autem Superſtitio, primò in eam, quæ vero Deo cultum exhibet, modo tamen indebito: & in eam, quæ cultum diuinum falſo Deo, vel creaturis exhibet: relicta autem prima ſpecie, quæ præcisè in aliquibus caſibus eſt mortalitèr peccaminoſa.

V. gr. Primò, colendo Deum cæremonijs alijs ab illis Eccleſiæ Cathol. vt illis Iudæorum, quæ ſignificant Chriſtum venturum.

Secundò, admiſcendo turpia Diuino Officio, tanquàm partem.

Tertiò, confirmando Fidem noſtram falſis miraculis, vel illa prædicando.

Quartò, mutando formam, aut materiam Sacramentorum.

Quintò, exponendo adorationi ementitas reliquias. legendus eſt *Nau. in Manuali cap. 12. nu. 87. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 13 n. 16. & lib 2. cap. 2. nu. 28. Leß. de 4 virtutibus Cardinalibus lib. 2. cap. 44. nu. 4.*

Secundam ſpeciem ſubdiuidimus in Idolatriam, Diuinationem, & ſuperſtitioſam obſeruantiam; ad quam Magia reducitur; vel .n. colitur Diabolus, vt honoretur tanquàm Deus, & ecce Idolatria.

Vel, vt aliquid reuelet, & ecce Diuinatio.

Vel, vt iuuet in operãdo, & ecce Vana obſeruantia, ad quam reducitur Magica Ars, vt in pri-

primis docet *Trullench in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 1. *nu.* 4.

DIFFICVLTAS II.

An ſuperſtitiones cum hæreſi coniunctæ ſint omninò idem cum ipſa.

RESpondetur negatiuè: nam etiam in tali caſu ab ipſa diſtinguuntur; in hęreſi nanque non requiritur Dęmonis inuocatio expreſſa, nec tacita; quòd ſecus eſt in ſuperſtitionibus hęreticalibus, vt patet ex Edicto S. Inquiſitionis; forma autèm eſt, quæ dat eſſe rei, & omiſſio illius vitiat actum *l. Cum hi, §. Si prętor, de Tranſaction.* nihilq; addi, vel detrahi poteſt ab ipſa *l.* 1. *§. Opus nouum, ff de noui operis nunciat.* in ſuperſtitionibus .n. conditio inuocationis Dęmonis tacita, vel expreſſa importat formā ſubſtantialem: quare differunt ab hęreſi.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quæ ſunt ſuperſtitiones, in quibus expreſsè inuocatur Dæmon: & item, quæ ſunt illæ, in quibus tacitè.

NOt. Superſtitionum ſpecies eſſe quatripartitas: nam in quibuſdam Dęmon inuocatur expreſsè: in quibuſdam tacitè: in quibuſdam interdum tacitè, interdum expreſsè: & in quibuſdam nec tacitè, nec expreſsè. Ex Edicto Cenſoribus Fidei veniunt tantummodò denunciandæ illæ; in quibus Dęmon expreſsè, vel tacitè inuocatur: cæteræ verò tanquàm non ſapientes hęreſim minimè veniunt illis denunciandæ, vti ſupra innui: patent exempla infra art. 2.

Reſpondeo difficultati, ſuperſtitiones, in quibus expreſsè inuocatur Dęmon eſſe præcipuè ſequentes: quę tantùm hìc compendioſè referuntur; cum iam fuerint latiùs expoſitæ in noſtris Commentarijs ſupra caſibus in Diœceſi Bergomen. reſeruat. caſ. 12.

Prima, eſt Diuinatio per ſomnia vti contingit, quando Dęmonis inuocator ab ipſo petit; vt ſibi per ſomnia reuelet occultum.

Secũda, eſt Diuinatio per Phytones, vtpotè, cum inuocator à Dęmone quęrit; vt ſibi reuelet aliquod occultum per homines arreptos.

Tertia, eſt Diuinatio per figuras in rebus inanimatis apparentes, quæ ſecundum rem, in qua N. petit à Dęmone, vt demonſtret ſignum rei occultæ manifeſtatiuum; diuerſum ſortitur nomen. Nam ſi inuocator vult, vt Dęmon reuelet ſibi occultum per ſignum in terra apparens; cognitio talitèr acquiſita dicitur Geomantia, .i. reuelatio facta à Dęmone per ſigna in terra oſtenſa.

Si petit ſibi reuelari occultum per ſigna in aqua ſibi oſtenſa; cognitio talitèr habita dicitur Hydromantia.

Si per ſigna ſibi in aere oſtenſa, dicitur Aeromantia.

Si per ſigna apparentia ſibi in igne, dicitur Pyromantia.

Si per locutionem hominis iam mortui, dicitur Nicromantia.

Si per fictas, & apparentes figuras, dicitur Præſtigium.

Si per interiora animalium dicitur Auſpicium: tandèm vt ſemel finiam, ſuperſtitio, vt innui, ſortitur nomen iuxtà materiam, in qua Inuocator Dęmonis requirit, vt ſigna ſibi demonſtrentur; quæ ad quatuor reuocantur in noſtris Comment. loc. ſupra cit.

DIFFICVLTAS II.

Species præcipuè, in quibus tacitè inuocatur Dęmon, quæ.

REſpondetur eſſe ſequentes, vz.

Prima, eſt Aſtrologia Iudiciaria, Genalitica.

Secunda, eſt Auguriũ, quod fit per garritus auium ad cognoſcendum; quæ minimè naturalitèr per aues deſignantur.

Tertia, eſt Auſpiciũ, quod fit per conſiderationem volatus auium: vel motum aliorum animalium reſpectu eorum, quæ per ipſa naturali inſtinctu minimè demonſtrantur.

Quarta, eſt Chiromantia, per quam Diuinus ex inſpectione linearum manus occulta, quæ ex tali cognitione non pendent, prædicit.

Quinta, eſt Spatulantia, per quam Diuinus per conſiderationem ſignorum in Spatula alicuius animalis apparentiũ, intelligit occulta ex voluntate pendentia.

Sexta, Omen, quod fit per conſideratione verborum, aut factorum hominis abſq; intentione, &c.

Prætereà notandum, quod tunc expreſsè homo Dęmonem inuocat; quando cum illo init pactum ſibi viſibilitèr apparente; Vel mediante aliquo Strigone: tunc verò tacitè fit, cum quis vtitur medijs, quibus Malefici, Strigones, Incantatores ad ſimilia patranda vtũtur.

Denique obſeruandũ eſt tunc tacitam Dęmonis inuocationem intercedere; cum homo intendit aliquid facere per ea; quæ nec virtute naturali, nec ſupernaturali fieri poſſunt.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Quæ, & quot ſunt regulæ generales ad ſuperſtitiones dignoſcendas.

REſpondeo potiſſimùm quinque aſſignari regulas.

Prima, quotieſcunque homo facit, vel dicit aliquid cauſa cuiuſcunque boni conſequendi: vel mali vitandi; quod vim nullam neque naturalem, neque ſupernaturalem habet ad effectum intentum. ità *Martinus Delrius Diſquiſitionum Magic. lib. 6. monit.* 5. v. g. ſi quis, vt capitis dolorem pellat, palmo cingulum ægri metiatur; nam huiuſmodi mēſuratio cinguli nullam vim habet ad humorem noxium capiti moleſtum inde expellendum.

Secunda, effectus ſuperſtitionem redolet, ſi naturæ vires excedat, nec ſit à Deo: aut ex inſtitutione, vel approbatione Eccleſiæ. *Caiet. in Summa, ver. Superſtitio, quæſ. 9. Sanchez in Decalogo part. 1. lib. 2. cap.* 40. *nu.* 9. quod notat *Bariola in Aphoriſ. verb. Effectus.*

Tertia, Superſtitioſum eſt, ſi cauſæ ſufficiēti ad producēdum effectum adhibeatur circunſtantia vana tanquam neceſſaria. *Bariola loc. cit.*

vt ſi verbis ſacris ſufficientibus ad producendum effectũ, ad quem ordinata ſunt; addatur, vt neceſſarium, ſine quo effectus expectari nõ poſſet; quòd ſcribantur tali caractere, tali hora, tali carta.

Quarta, Opus ſuperſtitioſum eſt, quando effectus eſt vanus, *Sanchez par. 1. in Decal. cap. 40. nu. 39.* vt ſi ad prolationem ſacrorum verborum annulus moueatur; Ratio eſt, tum quia diuina virtus inutilia non operatur: tum quia virtus ſupernaturalis nõ præſumitur, niſi oſtẽdatur. ita *Sanchez loc. cit. Nider de decem Præceptis Decal. Præcep. 1. cap. 11. nu. 25.*

Dices, quemadmodũ vis inueniendi aquas virga Amigdalina non habetur ſuperſtitioſa, vtpotè naturæ iſtius, vel illius particularis indita: ità videtur dicendum de vi reperiendi quotam diei horam per annulum ex filo ſuper cratere pendentem; cum itèm deriuari poſſit ex vi, ſeu defectu virtutis naturalis talis manus, qualis eſt tremulitas.

Reſpondeo non procedere ſimilitudinem. Primò, quia in aquæ inuentione mediante dicta virga nulla cuiuſuis generis proferuntur verba, quòd ſecus cõtingit in horarum inuentione mediante annulo, vti ſuppono.

Secundò, quia inuentori aquæ in quacunq; diei, aut noctis hora eodem modo flectitur dicta virga: quare hinc cognoſcitur vis naturæ, quæ ad vnum determinatur: Quòd ſecus contingit in inuentione quotæ diei horæ mediante annulo dicto modo ſuper cratere pendente; cum non ſemper idem horarum numerus pulſetur.

Nec alimento ſuſcepto aſcribi poteſt horarum augmentum; quia æquè reperitur, quota diei hora, ieiuno ſtomacho; ac roborata manu ex cibi ſumptione; cum tamen augeri, ac diminui deberet iuxta augmentum, aut defectũ virtutis naturalis.

Nec item hoc contingit ob acceſſum, vel receſſum Solis; quia ſic quando Sol eſt nobis magis vicinus; tunc multiplicaretur horarum numerus, quòd nõ contingit; vndè nihil aliud, quam diabolicum concurſum hìc reperio; quare obiectiones nihil obſtant, & ità ſentit *Synodus Priula Bergomi celebrata, vbi de Arte Magica tit. 2.*

Quinta, habẽ opus ſuperſtitiosũ, qñdo cauſa effectiua operatur in obiectũ adeò diſtãs, vt iuxtà veram philoſophiam in ipſum agere nõ poſſit. eſt *Diui Thomæ 2.2 quæſ 46. art. 2. 3. & 4. Nauar. in Manu. cap. 11. nu. 25. 31. 32. 34. Sanchez in Decal. par. 1. lib. 2. cap. 40 nu. 9 22. 43. 43.* vt ſi N. ægrum à ſe diſtantem, v. g. mille paſſus ſanet, vel affligat, medendo ipſius camiſiam, quam apud ſe detinet in arca. Verùm hoc adhuc ſtat ſub quæſtione.

DIFFICVLTAS II.

Quæ, & quot ſunt regulæ generales ad agnoſcendum quando quantitas eſt ſuperſtitioſa.

QVamuis iuxtà doctrinam Ariſtotelis ex notitia vnius relatiuorum aliud quoque apud doctos ſatis dignoſcatur: attamèn ſecus eſt reſpectu minus peritorum: quare non immeritò dictis regulis, addo alias ad dignoſcendum, quando quantitas non eſt ſuperſtitioſa: & reuocantur ad duo.

Prima, quantitas diſcreta .i. numerus in operibus nr̃is nõ eſt ſuperſtitioſus; qñ dirigitur in memoriam alicuius myſterij: vt ſi numerus nouenarius dirigatur in memoriã menſiũ, quibus Chriſtus fuit in vtero Beatiſſimæ matris Mariæ: numerus 11. in memoriam vndecim millium Virginum; numerus 12. in memoriam duodecim Apoſtolorum, &c. Verùm hæc regula ita intelligi debet; vt nõ ità firmitèr adhęreamus numero, vt credatur: v. g. Miſſas nouies celebratas non eſſe profuturas, ſi augeatur, aut diminuatur numerus illarum.

Secunda, quantitas continua, vt longitudo, latitudo, &c. rei Deo, vel Sanctis offerẽdæ nõ eſt ſuperſtitioſa; ex. gr̃a: non eſt opus ſuperſtitioſum offerre candelam, aut ſtatuam longitudinis, cuius eſt offerens, vel perſona pro qua offertur; dummodò offerens non teneat, quòd tale pium opus prodeſſe non poſſit, ſi augeatur, vel minuatur longitudo. legendi ſunt *DD. proxim. infra citandi diff. 4.*

DIFFICVLTAS III.

Quot dantur regulæ ad cognoſcendum verbum, aut opus non ſuperſtitioſum.

REſpõ duas, prima non eſt ſuperſtitiosũ vti verbis ſacris, aut precibus; vt animalium morbi ab eis auferantur, eſt doctrina *Sanchez in Decalogo par. 1. lib. 2 cap 40. nu. 33.* quam ità explicat; dummodò .s. ſpes non collocetur in aliqua vanitate, vt in litteris, aut in ipſis nudis nominibus, ſed in Deo.

Secunda, non eſt opus ſuperſtitioſum cauſa ſanitatis certo die feſto: v. g. in die S. Ioannis Baptiſtæ beſtiarum minorare ſanguinem. eſt *Sanchez loc. cit.* verùm ità intelligenda eſt; ſi Sancti meritis, Deoq; ſuos Sanctos honoranti tribuatur ſanitatis effectus.

Tertia, elicitur ex ſolutione ſequen. diffic.

DIFFICVLTAS IV.

Quando dubitatur an effectus ſit à cauſa naturali: vel excedat vires naturæ, quid præſumendum eſt.

REſpondetur præſumendum eſſe à cauſa naturali prouenire; quia dubium explicandum eſt in mitiorem partem; nam, cum difficile ſit cognoſcere virtutes cauſarum naturalium; quæ mirabiles effectus interdum producunt; non eſt temerè tribuendus effectus ſuperſtitioni, quando cauſa manifeſta non eſt; quòd ſecus dicendũ eſt; qñ conſtat effectũ excedere vires cauſæ naturalis; vt ſi N. ægrũ ex graui infirmitate in puncto temporis ad integram ſanitatem reduceret: Verùm hoc intellige, niſi talia eſſent indicia, quibus iudicetur eſſe à Deo miraculosè. ità *Martin. Delrium, lib. 2. quæſ. 5. Sanchez lib. 2. Oper. mor. cap. 40.*

nu.

nu. 43. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 54. *nu.* 6. *Leſs. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *Suarez lib.* 2. *de Superſt. cap.* 15. *Say. in Clau. Reg. lib.* 4. *cap.* 6.

DIFFICVLTAS V.

An, ſi conſtet aliquid eſſe ſuperſtitioſum, licitum ſit experiri, proteſtatione præmiſſa, quod, ſi effectus eſt à Dæmone; non eſt animus illo vti.

Reſpondet communitèr Doctores, & maximè *Thyliarcus de Off. Sacerdot. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *concl.* 4. *Sanchez in Decal. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 25. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 54. *nu.* 9. *& alij*, illicitum eſſe (proteſtatione minimè releuante): tum quia proteſtatio contraria factis non releuat proteſtantem in foro fori, *Penna* 1. *par. Direct. Commen;* 26. *verſ. Hactenus, cap. Solicitudinem, extra de Appellatione*: tum quia proteſtatio excuſat ſolùm in obſcuris; non autèm in his, quæ conſtant, vt in propoſito. *Penna loc. cit. Simanc. de Cathol. inſtit. tit.* 55. *Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 178. §. 7. *nu.* 158. *& ſeqq.* tum prætereà, quia licèt, quando dubium eſt effectum excedere virtutem naturalem cauſæ; præſumendum ſit à cauſa naturali prouenire, vti tradit *Sanchez Decal. lib* 2. *cap.* 40. *nu* 44. tamèn ſi conſtet illam excedere; à Dęmone deriuari præſumitur, niſi maxima operantis ſanctitas, vel alia vrgentiſſima indicia illum à Deo: vel ab Angelo bono prouenire ſuadeant. *S. Thom.* 2. 2. *quæſ.* 96. *art.* 2. *Simanc. de Cathol. inſtit. cap.* 15. *nu.* 11. *& alibi;* Vndè, quia ſuperſtitioſum eſt vti annulo ſuper calicem aquæ pendente ex filo ad dignoſcendum quota ſit hora diei; non excuſatur in foro fori proteſtans; quod ſi effectus eſt à Dęmone, non eſt animus illo vti. vide, quæ ſupra obiecta ſunt circa inuentionem horarum mediante annulo, *art.* 2. *diff.* 1.

Dixi proteſtationem non excuſare in foro fori: quia in foro animæ, quæuis proteſtatio excuſat. *Eymer. prim. par. Direct. quæſ.* 12. *vbi Penn. Comm.* 36. *Albertin. de Agnoſc. quæſ.* 12. *nu.* 9. *Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 178. §. 7. *nu.* 154. *& ſeqq.* quod intellige; dummodò non cognoſcatur malum, & ſuperſtitioſum; excuſat .n. tantum in his, quæ feriò non tenentur.

Verùm velim, vt rectè intelligas, videlicèt proteſtationem non efficere in foro animæ, quod conſtat eſſe ſuperſtitioſum, non ſit tale: ſed efficere, vt poſt proteſtationem non expectem euentum à Dęmone.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An generalitèr omnes ſuperſtitiones ſint denunciandæ; vel ſolummodò illæ, quæ manifeſtam ſapiunt hæreſim.

Notandum, quòd hìc non loquimur de ſuperſtitionibus, quæ præciſè inuoluunt in ſe peccatum veniale; quales ſunt illæ, quæ ad ſuperfluum cultum Dei ſpectant; vt cōtingere ſolet ijs, qui addunt aliquid orationibus per Eccleſiam ordinatis: vel cęrimonias aliquas cęrimonijs Eccleſiæ: ratio eſt, quia præceptum Inquiſitorum eſt tantum reſpectų mortaliū ad eorum Tribunal ſpectantium.

Notandum inſupèr interdum contingere in ſuperſtitione ignorantiam adeſſe; vt cum homo neſcit in tali ſuperſtitione Dęmonem inuocari, & tunc talis ſuperſtitio non eſt, niſi veniale peccatum; donec ſuperſtitioſus per aliquem admoneatur, vel per ſe cognoſcat. ità ex *Tol. lib.* 4. *cap.* 14. *nu.* 15 *circa finem.*

Loquendo itaq; de ſuperſtitionibus mortale inuoluentibus cenſeo opus eſſe diſtinctione, nempè de iure veteri, & nouo: loquendo de iure veteri ſolummodò veniebant denunciandæ ſuperſtitiones; quæ hæreſim manifeſtā ſapiebant. *cap.* 8. *de Hæreticis in* 6. vt notat *Naldus verb. Superſtitio, nu.* 10. *Armilla ver. Hæreſis*; nec ipſi Inquiſitores poterant contra aliquem agere; niſi delictum hęreſim manifeſtè ſaperet, *cap. Accuſatus* §. *Sanè, de Hæreticis lib.* 6. *Eymericus* 2. *par quæſ.* 42. *vbi Penna Comm.* 67.

Cęterùm loquendo de iure nouo, ſecus dici oportet, omnes (inquam) denunciandas, etiam ſi non ſapiant manifeſtā hęreſim: dummodò tamen ſapiant: *Lelius Zecchius in Summa par.* 1 *tract. de Fide, cap.* 11. *nu.* 13. faciunt tradita per *Naldum loc. cit. Sixtus V. Conſtitut.* 17. *apud Laertium, tom.* 2. *Bullarum. Azor. Sum. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *quæſ.* 4. *Sanchez Decal. lib.* 2 *cap.* 38. *num.* 92. *Farinacius de Hæreſi, quæſ.* 181 §. 4. *num.* 101. *Raphael de Torre tom.* 2. *de Religione, quæſ.* 96. *art.* 4. *diſp.* 3. *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 58. *nu.* 2. *&* 3.

DIFFICVLTAS II.

Ad denunciationem hæreticalitèr ſuperſtitioſi quot requiruntur?

Reſpondeo duo cōpulatiuè neceſſariò requiri.

Alterum, quòd in ſuperſtitione expreſsè, aut ſaltèm tacitè inuocetur Dęmon. Alterum, quòd ſuperſtitio inuoluat mortale peccatum: nam S. Tribunali non deferuntur ſuperſtitiones de ſe veniales. Dixi copulatiuè: tum quia ad veritatem propoſitionis copulatiuè requiritur concurſus vtriuſque partis, ſeu conditionis, *l. Si quis ita ſtipulatus fuerit, ff. de Verborū obligat.* tum quia vbi plura ſimul copulantur ad aliquid; omnia concurrere debent, aliàs impoſſibile eſt illud eſſe; vt docent communitèr Phyloſophi.

DIFFICVLTAS III.

Quando ſtatim, & quando prius habita fraterna correptione denunciandus eſt annodatus ſuperſtitione.

Reſpondeo illos ſuperſtitioſos ſtatim eſſe denunciandos; qui in perniciem reipublicæ: vel damnum tertij aliquam exercent ſuperſtitionem; ſi adhuc non ſint emendati; ſed in fieri eſt damnum, ſeu malum; niſi firmitèr ſperetur per correptionem ſtatim impediendum, vt dictum eſt *part.* 1 *lib.* 4. *diſt.* 2, *art.* 2. *diff.* 7. *in* 4. *caſu*; qui ſi ſint publici, etiam ſi emēdati, denunciari debent. faciunt annotata per *Marcum Antonium Genuen. in Praxi Neapol. cap.* 18. *nu.* 4. *Nau. Conciliorum tit. de Hæreticis. Petrus Nau. lib.* 2. *de Reſtitutione rerum ablatarum*

cap. 3. nu. 209. Homob. de Caſ. reſer. par. 2. caſ. 2. obſer. 6.

Nec obſtat, quòd periculo exponatur eorũ fama: quia bonum publicum priuato præponendum eſt; ſicut etiam cauſa Innocentis iniuſtitiæ Nocentis.

Cæterùm perſonæ illæ, quæ v. g. ex ſimplicitate, aut ignorantia abſq; damno publico, aut tertij aliquam exercent ſuperſtitionem: v. g. ſuperſtitioſè aliquam medendo infirmitatem, vel quid ſimile; prius ſunt admonendæ de ſuperſtitione peccaminoſa; quæ ſi reſipiſcant, non veniunt denunciandæ, ità prædicti *Doctores loc. cit.* quia idem operatur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito, *l. fin. in princip. ff. de leg. 3. l. Is qui contra, ff. de Vulgari, & pupillari ſubſtit.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

Modi vſitatiores peccandi mortalitèr circa ſuperſtitionum materiam qui?

RESpondeo primò peccare mortalitèr eum, qui vtitur cęrimonia, qua aliquid ſignificet contra Fidem, licèt id non credat.

Secundò, qui Dæmon, aut aliam creaturam tanquã Deũ adorat, etiam ſolo actu exteriori.

Tertiò, qui habet, vel vtitur Dęmone familiari à quo diſtantia, vel ſecreta nouit.

Quartò, qui ob metum, vel aliam cauſam dicit exteriùs, vel operatur aliquid contra Fidem; licèt oppoſitum teneat.

Quintò, qui vtitur habitu, vel charactere in loco vbi eſt ſignum infidelitatis.

Sextò, qui ex laicis diſputat de Fide, ſciens eſſe ipſis laicis prohibitum.

Septimò, qui falſas reliquias, vt veras, adorandas proponit; & qui offert votiuas imagines; aut miracula falſa lucri gratia, vt excitet populum ad offerendum.

Octauò, qui Dęmonem in auxilium, vel conſilium corde, vel verbo inuocat.

Nonò, qui Dęmonem per modum obſecrationis adiurat, vt aliquid dicat; verùm eum adiurare per modum coactionis exorciſmis Eccleſiaſticis licitum eſt; ſicut etiam licitũ eſt in Arreptitijs eos interrogare ſine prece, aut pacto ſocietatis ad vtilitatem aliquorum; ſed alloqui ipſos in arreptitijs ob vanitatem, aut curioſitatem eſt ſaltèm veniale.

Decimò, qui aliquam artẽ magicam diſcit, vel vtitur.

Vndecimò, qui illicitis modis theſauros inueſtigat, vel conſulit Maleficos.

Duodecimò, qui ſoluit maleficium maleficio, vel incantatione: vel precatur alium, etiam paratum, vt ſoluat maleficium. Diſtinctiùs dicam de Magia malefica lib. 20.

Decimo tertio, qui interrogat Diuinatores circa aliquod furtum; vel id ſortibus tentat cognoſcere, chartis, aleis, &c.

Decimo quarto, qui vtitur incantationibus, vel verbis Scripturæ Sanctæ; vel vana obſeruatione ad ſeruanda, vel inuenienda animalia.

Decimo quinto, qui credit effectus per Magum factos, vel ſanitatem effici virtute verborum, vel rerum, quas ipſe Magus applicat.

Decimo ſexto, qui Zingarum de fortuna ſua interrogat animo credendi: ſi verò ſolùm animi gratia, & curioſitate mortalitèr non peccat.

Decimo ſeptimo, qui poculum amatorium alicui dat, vt ab ipſo ametur: vel vtitur rebus ſacris in maleficijs, aut illas ad malũ finẽ geſtat.

Decimo octauo, qui ad recuperandam ſanitatem alicui applicat, quæ non habent virtutẽ ſanandi, niſi ignorantia excuſetur inuincibili.

Decimo nono, qui aliquod futurum, vel arcanum credit; quia aliquid ſomniauit propter expreſſam, aut tacitam Dęmonis inuocationẽ. Similitèr, qui ob aliquod ſomnium aliquid facit contra ſalutem animæ.

Vigeſimò, qui conſulunt, fingunt, aut portant certa ſpe quædam nomina ſcripta ad aliquid habendum, vel fugiendum; niſi ſimplicitèr portet verba S. Scripturæ ob deuotionem: verũ ignorantia, & ſimplicitas excuſare poteſt.

Vigeſimo primo, qui aliquos verſus in die Aſcenſionis, & tali hora ſcriptos portat; credens minorem virtutem habituros, ſi alio die, vel hora ſcripti fuiſſent. Item, qui geſtat reliquias ſanctas modo ſuperſtitioſo, vt ſi in vaſe trigono, vel rotondo; niſi item ignorantia, vel ſimplicitas excuſet. Verùm mulieres vtentes ſignis, benedictionibus, & orationibus licitis ſine ſuperſtitione, & vanitate non peccant; ſed tamen ſunt prohibendæ.

Vigeſimo ſecundo, qui credit certò ob obſeruationem animalium aliquid ſibi euenturum: vel ſe cogi propter complexionem, & influxum cœli.

Vigeſimo tertio, qui credit herbas, vel muſicã aliquid valere contra Dęmones: Verùm non eſt ſuperſtitioſum tenere prædicta poſſe temperare humores corporis, ne grauius ab ipſis vexentur.

Vigeſimo quarto, qui ſortes experitur; vt per eas Dęmon, aut Conſtellatio cœli ipſum admoneat.

Vigeſimo quinto, qui volunt diſcere artem notoriam, quæ certis ieiunijs, & obſeruationibus pollicetur ſcientiam infuſam, hæc ex *Nauar. Præcep. 1. cap. 11. per totum.*

De ſuperſtitionibus in ſpecie, de quibus ſeptem habebimus diſtinctiones, prout ſupra cautum eſt in principio, ibi: *In qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio: gli habbino preſtato, ò preſtino honore; ò habbiano hauuto parte, ò ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſchino in qualſiuoglia eſperimento di Magia, ò Negromantia, Incanteſimi, o altre ſimili ſuperſtitioni, e maſsime con abuſo di coſe ſacre.*

Abſoluta diſtinctione de ſuperſtitionibus in genere, ſum in tractatu ſuperſtitionum in ſpecie, quarum

DISTINCTIO PRIMA EST, De ſuperſtitione artium à Dæmone adinuentarum.

Licet propemodum ſint infinitæ Dæmonis artes, quas ad pelliciendos curioſos ad ſe adinuenit; præcipuè tamen ſunt infrà poſitæ, quæ ad præſentem renocamus diſtinctionem in quinque articulos partitam.

Primus reſpicit generalia huic diſtinctioni.

Secundus reſpicit artem Cabaliſtam.

Tertius Planetariam, Speculatoriam, & Alchimicam.

Quartus Angelicam, Paulinam, & Salomonicam.

Quintus denique reſpicit artem notoriam.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An curioſitas, qua quis petit aliquid addiſcere à Dæmone, ſit mortaliter peccaminoſa.

DE hac veritate nullus extat ambigendi locus, quod ſit læthaliter peccaminoſa; nam conſortium, quòd neceſſariò inter huiuſmodi Magiſtrum, & Diſcipulum intercedit, eſt pernicioſiſſimum; non tantùm quo ad bonum animæ ſpirituale; ſed etiam quo ad omnimodā amiſſionem famæ. faciunt quæ communiter tradunt DD. legendus eſt *D. Thom. 2. 2. quaeſ. 167. art. 1. Leſſius de Iuſtitia, lib. 4. cap. 4. dub. 11. n. 84. Valentia tom. 3. diſp. 10. pun. 1. Ioan. de Friburgo in Sum. tit. 34. lib. 3. quaeſ. 276. Martin. Delrio de Magia lib. 1. cap. 5. quaeſ. 4. &c.* Huiuſmodi veritas, cum pateat expreſsè, vlterius non laboro; nam, quod patet expreſsè, probare non eſt neceſſe, vt tradit *Baldus, conſ. 370. col. 2. vol. 3.*

DIFFICVLTAS II.

Dæmonis ope arte, vel ſcientia ſemel acquiſita, an vti liceat.

RAtio difficultatis eſt, quia ſcientia conſecuta malo modo videtur eſſe omninò repudianda in deteſtationē peccati, ſicut iam nonnulli egerunt; vt patet in ſimili ex Iudith, quæ obtulit in anathema obliuionis vniuerſa vaſa bellica Holofernis; quæ dedit illi populus; & conopeum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius in deteſtationem Holofernis.

Reſpondetur affirmatiuè, dummodò tamen conſeruatio, aut vſus illius artis, aut ſcientiæ à Dæmone amplius non pendeat: quia peccatū quo parta, & acquiſita fuit pertranſijt; & cognitio, ſeu ſcientia ex ſe bona eſt; quamuis à creatura omninò mendaci tradita fuerit: ità *Valen. 2. 2. diſp. 6. quaeſ. 13. pun. 2. Sanchez in Oper. morali lib. 2. c. 41. nu. 1. & 22. & c. 42. nu. 20. Suarez lib. 2. de Superſt. c. 17. nu. 1. & 2. citati à Bonac. de Decem Praeceptis, diſp. 3. quaeſ. 5. pun. 4. prop. 2. num. 6. & à Trull. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10. nu. 3.* Nec obſtat obiectio, quia etiam à malo bonum deriuari poteſt; non tamen quatenus malum, iuxtà illud: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*; quod intelligendum eſt (inquam) quatenus mala; & quod præſtitit Iudith offerēdo in anathema Holofernis vaſa, quæ à Populo Iſraelitico ſibi donata fuerunt, fuit actus perfectionis, non neceſſitatis; potuiſset enim illis vti rebus; nam illo, quòd in ſe non inuoluit peccatum vti licitè poſſumus.

Verùm vnum notandum eſt ſuperſtitioſum eſſe, credere poſſe quempiam ſcientiam conſequi abſq; labore per inſpectiones figurarum, verborum ignotorū prolationes, & alia ſimilia; huiuſmodiq; ſuperſtitio ex ſuo genere mortale inuoluit peccatū; quia continet tacitam cū Dæmone ſocietatem, cū ipſi attribuatur id, quod eſt Dei; Dei enim, & non Dæmonis ſcientiam infundere proprium eſt. ità *Delrius lib. 3. quaeſ. 4. ſect. 2. Reginal. l. 17. nu. 188. & alij apud Bonac. de 10. Praecep. diſ. 3. quaeſ. 5. p. 4. prop. 2. nu. 5.* ſed infra latius.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quæ ſit vera Cabala, quam ſequentes non ſunt ſuperſtitioſi, nec denunciandi.

DE vera, & ſancta Cabala duæ traduntur deſcriptiones; ſed ferè ad inuicem coin-

coincidunt. Prima, Cabala eſt ſenſus à Deo ore reuelatus; dicitur ore reuelatus, quia non fuit traditus literarum monumentis.

Altera, Cabala eſt reuelatio rerum altiſſimarum ſub myſterijs abſconditarum. *Pererius contra Superſtitioſas Artes, lib. 1. cap. 10. Garzonus in Platea vniuerſali diſcurſu 29. Baptiſta Signa de Vero Studio Chriſtiano, cap. 8.* Pro intelligentia dicendorum, notandum primò, quòd Cabala propriè, vt habetur ex *Ioanne Pico in Apologia quaſ. 4.* eſt expoſitio, & intelligentia legis diuinę datæ à Deo Moyſi cum manifeſtatione multorum myſteriorum, quæ ſub cortice literæ continentur. Vndè *Faber aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 11. nu. 240.* cũ multis Rabinis ab ipſo citatis notat Moyſen duplicẽ accepiſſe legẽ à Deo in Mõte Sina vz. literalẽ, & ſpiritualem: literalis fuit ſcripta: ſpiritualis vero non: ſed hanc Moyſes cõicauit 72. ſenioribus, & ſapientibus oretenùs, atq; eis præcipit, vt ſic ſolis Sapientibus ſucceſſoribus oretenùs traderent ſucceſſiuè.

Hæc autem ſcientia, ex hoc modo ipſam tradendi .s. per ſucceſſionem; ſortita eſt nomen Cabalæ apud Hebreos, quod idem eſt, ac apud nos Receptio.

Hæc autem lex ſpiritualis notat prædictus *Doctor loc. cit.* fuit tradita literis ab Eſdra, ne amitteretur: quia ob eorũ captiuitatẽ interdũ nõ poterat ſeruari prædictus ordo tradẽdi ipſã per manus .i. ſucceſſiuè: fuitq; ſcripta in 70. libris, quos *Ioan. Picus loc. cit.* multa impenſa ſibi conquiſiſſe aſſerit.

Hos libros (ait Picus) continere omnia cõſona Fidei noſtræ: eſſeq; validè vtiles ad conuincendos Hebręos de eorũ perfidia in Chriſtum: & ſcripti fuerunt à Iudęis ante Chriſti mortem; immò ante ipſius aduentum in carne; quo tempore nulla paſſione adhuc moueri poterant ad viciandam, vel corrumpendam literæ veritatem: hos libros interdum citant DD. Sancti & maximè D. Hieronymus, vti aduertit prædictus Doctor loco citato.

Notandum ſecundò, quod iſti libri nõ ſunt Talmud corruptum à Rabinis: quia hoc fuit compoſitum poſt mortem Chriſti pluſquam 150. annis; ſed ſunt (vt ſupra dixi) ſcripti ante aduentum Chriſti: & valent plurimum ad arguendum, ac conuincendum Iudęos de perfidia; Vndè, niſi corrupti fuiſſent, nil aliud requireretur pro eorum conuictione.

Notandum tertiò, quòd prędictus ſenſus legis oretenùs à Deo reuelante apud DD. nedũ ſortitus eſt nomen Cabalæ .i. receptionis: ſed etiam reuelationis: vocatur autem Reuelatio, quatenus habetur à Deo per reuelationem; vocatur verò Receptio, quatenus ab homine, ab vno .s. in alium, huiuſmodi recipitur reuelatio.

Hanc Cabalam primò docuit Deus Moyſen; quando in Monte Sina quadraginta diebus cum illo fuit: & fortaſsè huc ſpectat illud Scripturæ Sanctæ, nimirùm quòd Moyſes loquebatur cum Deo, vt ſolent amici ad inuicẽ; in ſignum autèm huiuſce receptionis deſcendit de Monte ſplendenti facie: Qui deindę illã docuit ſeptuaginta Sapientes; qui poſtea ſucceſſiuè illã poſteris, ne deperiret, tradiderunt: verùm tantùmmodò pręcipuis Sinagogæ viris aperiebatur; ne ſancta, ac millies veneranda Sacræ Scripturæ myſteria vulgari intelligentia vileſcerent.

Hac Cabala condecorati fuerunt Apoſtoli, vt teſtatur *Sanctus Lucas cap. 5. ibi: Vobis datum eſt noſce myſteria Regni Dei; cęteris autem in parabolis.* Hæc quoque nobis promiſſa fuit, illis verbis; *Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduerſarij veſtri. Luc. 8.* itèm illis verbis: *Cum ſteteritis ante Reges, & Præſides; nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini &c.* hinc pluries viſũ eſt iuuenes, & impuberes doctrina euiciſſe viros, Phyloſophosq; doctiſſimos. patet de D. Stephano, Catharina Sancta, & alijs: Hinc

Dicit quidam Doctor ad illa verba: litera occidit, ſpiritus autèm viuificat; quòd ſub litera D. Scripturæ abſconditus eſt ſpiritus, hoc eſt, illa ſublimis intelligentia S. Scripturæ, quæ ab Hebręis vocatur Cabala.

Quidam verò ſentiunt ſcientiam hanc propriam eſſe Theologorum eminentium .s. coruſcantium ſpiritu, & ſcientia: ſed veriùs dicitur eſſe propriam ſolius Eccleſiæ Catholicæ Romanæ; quæ, cum edoceatur à Spiritu Sancto, in nullo errare poteſt: Reſpectu verò particularium fortaſsè ſpectat illud Pauli ad Hebræos: *Eſt nobis grandis ſermo, & interpretabilis ad dicendum: quia imbecilles facti eſtis ad audiendum*, iuxtà illud aliud D. Pauli dictum: *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Cabalam hoc modo ſumptam amplectitur Eccleſia Sancta; ideò eam ſequentes non ſunt ſuperſtitioſi, nec conſequenter denunciandi: ita *Pererius contra ſuperſtitioſas artes lib. 1. cap. 10. Baptiſta Signa loc. ſup. cit. & alij. Picus Mirandolanus in Apologia, quaſ. 4. Faber aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 11. nu. 240.*

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex ſit Cabala.

Reſpondetur DD. duplicem aſſignare Cabalam, alteram piam; impiam alteram. Pia eſt, quæ ſupra deſcripta fuit, habetq; cum expoſitione Anagogica non modicam Symboleitatem, & non minus ipſa eſt neceſſaria ad interpretandum diuinam ſcripturam: eleuatq; à ſenſibilibus ad intelligibilia: à temporalibus ad æterna: & à corporalibus ad ſpiritualia: pro qua addiſcenda ad Deum accedendum eſt; iuxtà illud Pſal. *Accedite ad eum, & illuminamini, ſed qua via, ſeu virtute? humilitate: ſinite paruulos venire ad me: item puro corde: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Cabala impia eſt quoddam fictitium diabolicum

licum ad decipiendos in cautos, & nimis cumis curioſos;nititurq;docere modum ſciendi, & percipiendi omnia,imperandi naturę,impediendi cœlos à ſuis influxibus, ſiſtendi Solis curſum,diuidendi maria, ſiccandi flumina, totamq; naturam commutandi: attribuitq; ſibi miracula,de quibus vetus teſtamentum, hacq; falsò Cabaliſtæ volunt fuiſſe apprimè præditos Moyſen, Ioſue, Eliam, Eliſeum, aliosque Sanctos veteris teſtamenti miraculorum patratores. ità *Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiano, cap 7 §. de Arte Cabaliſtica*, faciunt tradita à *D. Thom. 2. 2. quæſ. 95. art. 8. Fabro aduerſus impios Atheos diſp 1. cap. 11.*

Verùm hoc Cabalæ ficticium toto cœlo vniuerſalitèr à ſanctis DD. refellitur, improbatur, deteſtaturq; à Sancta Matre Eccleſia Catholica Romana.

Primò,quia,cum narrantur S.Scripturæ miracula nuſquam fit mentio de Cabala, vt conſtat ipſam legenti.

Secundò,quia Sapientes Cabaliſtæ talia miracula nunquam patrarunt,nec modo patrant.

Tertiò,quia Iudæorum Phyloſophi,qui nedum hanc ſcientiam ſibi arrogant; ſed etiam contendunt ſuper alios edoctos eſſe; vi iſtius ſaltem à ſe duriſſimum ſeruitutis iugum, quo miſerè ſupra mille, & ſexcentis annis oppreſſi tenentur, excuterent.

De hac ficticia Cabala loquitur Decretum S. Inquiſitionis Romæ, quo damnantur omnes libri ad Cabalam pertinentes.

In ſenſu autèm,quo hæc Cabala damnatur notauit *Ioann. Picus in Apologia, quaſ. 4.* quòd non differt à Magia Demoniaca, & abuſiuè dicitur Cabala; falſumq; eſt Moyſem, & Prophetas, de quibus ſupra, miracula feciſſe hac arte: vel hanc artem emanaſſe à Moyſe ita vitiatam: ſed iſta fuit fictio quorundam Hebræorum rebus diuinis falſas, & vanas ſuperſtitiones miſcentium; qui, vt darent auctoritatem ſuperſtitionibus ſuis aſſeruerunt ipſam hoc modo à Moyſe emanaſſe.

Cognoſcitur autem vanitas in primis ex hoc ſigno: quia ſi Cabaliſtæ illam callerēt certè aliquam magnam mutationem in Ciuitatibus, Prouincijs,vel Regnis effeciſsēt:& ſe ad Imperia,aut Regna hoc modo eleuaſsēt;vndè opus eſſet tot armis, tot exercitibus, & ſimilibus; ideò vt vana eſt dimittēda;quòd ſi quid mirādū interdum ab iſtis efficitur, neceſſe eſt ope Demonum fieri; quod obſeruat potiſſimùm *Faber contra impios Atheos diſp. 1 cap. 11. nu. 137.*

Addo aliud ſignum: quia ſi daretur Cabala naturalis tot mirabilium patratrix; de illa profectò dixiſſet aliquid Ariſt., præſertim, cum ipſe 12. metaph. tex. vlt. & alibi nitatur oſtendere numerum,non poſſe exiſtere principia rerum, niſi per accidens.

Dico per accidens,quia ſunt quædam agentia, quæ tentata actione effectus tot vicibus: ver. gr. ter, ſepties &c. illum perficiunt rectè: quem non perficiunt tentata tantùm alijs diuerſis vicibus, vt bis, quater; & ideò ille numerus,quo ſolet res benè ſuccedere dicitur fauſtus: è contra verò numerus, quo res non benè ſuccedit, dicitur infauſtus.

DIFFICVLTAS III.

Quo nomine appellatur Cabala tam pia, quam impia.

Reſpondetur,quòd pia vocatur Arithmantica: impia verò appellatur Themantica; quòd patet ex diuiſione Cabalæ, quam ponit *Garzonus loc. cit. in Themanticam, & Arithmanticam.* Themantica ab Eccleſia omninò reſpuitur; quia quibuſdam nominibus diuinis parū notis nonnullas virtutes occultas ad præſtigia ordinatas attribuit: Cabala verò Arithmantica ab Eccleſia minimè eſt prohibita. Iſta enim agit de nominibus Dei notis per Sacram Scripturam ipſi attributis, ex ipſis eliciens myſteria in ipſius laudem: Agit item de nominibus Theologiæ tum myſticæ,tum ſymbolicæ: quæ nomina quomodo ad inuicem differant, aperiam, præmiſſo diſcrimine inter Theologiam myſticam,& ſymbolicam, prout infra.

DIFFICVLTAS IV.

Theologia myſtica à ſymbolica an differat.

Reſpondetur affirmatiuè: Theologia Myſtica ità nominatur; quia hoc nomen (Myſtica) deſignat quid abſconditum: ipſa nanque ſub ſe recondit myſteria: v. g. hoc nomen (Hieruſalem) myſticè abdita ſignificat: hoc .n nomine intelligitur anima intellectiua, Hieruſalem,quæ ſurſū eſt, & Eccleſia Cathol.

Theologia verò Symbolica talitèr nominatur; quia, quòd propriè conuenit creaturæ ſenſibili ob Symbolum inter ipſam, & Chriſtū attribuitur ipſi Chriſto: v. g. attribuitur ipſi hoc nomen (Petra) iuxtà illud S. Scripturæ: *Petra autem erat Chriſtus*; ob Symbolum, quòd eſt inter Petram materialem, & ipſum: nam quemadmodum Petra eſt maximæ fortitudinis: ità Chriſtus. Attribuitur ſimilitèr ipſi nomen Agni ob ſymbolum manſuetudinis inter Agnum, & Chriſtum &c.

Differunt itèm quo ad principalitatē: nam principalior eſt myſtica,quam ſymbolica: patet primò: quia Symbolica nominat Deum tantummodò per negationem: vt Deus non eſt Petra,non eſt Leo &c. Myſtica verò nominat ipſum .s. Deum per affirmationem, eminentèr illi attribuendo nomina, quibus ipſum appellat: ex.gr. Deus eſt Angelus,ratio,mens, &c.

Secundò, quia nomina Symbolica aſſumūtur ex creaturis ſenſibilibus, vt viſum eſt: Myſtica autem ex inſenſibilibus, vti ſupra exemplificatum fuit.

Tertiò, quia Symbolica nominat Deū per id, quòd Theologus Symbolicus videt in alijs creaturis: Myſtica verò per id, quòd Myſticus Theologus experitur in ſe: ex. gr. Deus eſt dulcis,ſuauis,delectabilis &c.

Quar-

Quartò, vbi deſinit Theologia Symbolica; ibi incipit Myſtica: nam illa vtitur tantũ creaturis viſibilibus: iſta verò præciſè creaturis inuiſibilibus, quæ ſunt altioris ordinis. legendus eſt *Capuleus ſuper Prim. ſent. Seraphici Bonau. in Quæſtionibus præludialibus. D. Bonau. de Myſt. Theol. Henricus Arphius item de Myſt. Theol.*

DIFFICVLTAS V.

An errent credentes veram Cabalam eſſe nunc etiam temporis apud Hebræos.

RESpondeo abſolutè eos errare. Ratio erroris eſt; primò, quia Cabala ex parte Dei eſt reuelatio; Hebręi autem nunc temporis non habent reuelationes.

Secundò, quia Cabala ad intelligendas Sacras Scripturas ordinata eſt, & vt plurimùm habetur à Sancto Spiritu; ſed Hebręi Sacras Scripturas ſecundùm iuſtum ſenſum modò intelligere non valent ob eorum incredulitatem iuxta illud: *Niſi credideritis, nõ intelligetis.*

Tertiò, quia, ſi Hebręi hanc ſcientiam callerent; interdum ex Dei gratia in ipſis apparerẽt illa prodigia, portenta, & miracula, quæ in filijs Eccleſiæ Catholicæ Romanæ videntur operari, de quibus dicitur: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. lege Petrum Gregorium in Syntaxi artis mirabilis tom. 1. lib 7. cap. 8* & videbis, quomodo vera Cabala ſuperſtitione Rabinorum conſpurcata fuerit.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An vſus artis Planetariæ ſit ſuperſtitioſus.

ARS Planetaria ità vocatur; quia licèt verſetur circa omnes cœlorum Stellas: attamèn quia potiſſimùm penès Planetas; ideò potiùs ars Planetaria, quã Stellaria appellatur à principaliori deſumpta denominatione.

Profeſſores, vt hanc artem auctorizent; aſſerunt à pręcipuis Phyloſophis adinuentam: traditam, ac excultam fuiſſe: originemq; ab Hebręorum Cabala traxiſſe.

Volunt iſti in primis Ariſtotilem, & Pitagoram habuiſſe annulos arte Planetaria formatos; Bedam itèm quandam habuiſſe imaginem prædicta arte conſtructam; quibus mediantibus repentè euaſerunt doctiſſimi.

Docent prætereà tàm Stellas Planetarias, quàm cęteras alias in ſuis influxibus vim abſolutam habere reddendi homines ſapientes in vna nocte.

Quomodo autèm hæc acquiratur, & exerceatur non eſt meum: ſed benè meæ partes ſunt hanc deteſtari, execrari, ac improbare; cũ vndequaque exiſtat diabolica, tàm ex parte cauſæ efficientis, quàm finalis, vtpotè adinuenta à callido ſerpente ad finem perdendi nimis curioſos.

Reſpondeo modò difficultati affirmatiuè; nimirùm, vſum artis Planetariæ eſſe pœnitùs ſuperſtitioſum, & diabolicum: omniaq; huius artis ſuppoſita eſſe maxima abſurda; quod patet per ſingula diſcurrendo; conſtat de Stellis, quæ per ſe ſolis nullum reddiderũt ſapientem; cum (teſte experientia) nullus euaſerit doctus abſq; labore; hinc de Chriſto dicebant Iudęi: *Quomodo ſcit literas cũ non didicerit.* cõſtat itèm omnes doctiſſimos viros, qui hucuſq; extiterũt maximo cum labore, ſolicitudine, ordine in addiſcendo, & genio in facultate, quam acquirere voluerunt; ſcientiam comparaſſe: quare falſiſſimum eſt Ariſtotilem Pitagoram, Bedam arte Planetaria de repente redditos fuiſſe doctiſſimos; teſtes huius veritatis ſunt longæ eorum peregrinationes vltra maria; teſtes ſunt inſignes eorum Magiſtri, quos longo tempore coluerunt: conſtatq; tàm annulos, quàm imagines Planetarias .s. factas ſub tali Planeta, tali, vel tali die, hora, aut ſtatione, ex ſe talem non habere virtutem (*teſte D. Auguſtino Decimo de Ciuit. Dei*) vt notat *Baptiſta Signa in libro de vero Studio Chriſtiano cap. 7. Angelicus Doctor 2 2. quæſ. 96. art. 2. in reſp. 2.* quare concludendum eſt artis Planetariæ vſum eſſe prorsùs ſuperſtitioſum, diabolicum, ac omninò damnatum; & proindè ab ipſo tanquam à diabolico contagio lòngè recedendum: qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.

DIFFICVLTAS II.

An vſus artis ſpeculatoriæ ſit ſuperſtitioſus.

ARS ſpeculatoria eſt, quæ audet interpretari monſtra, portenta, oſtenta, & his ſimilia.

Monſtra ità dicta ſunt iuxtà *Iſidorum lib. 12. Ethymologiarum*; quia demonſtrant aliquod mirabile, quàm primum videndum.

Idem important oſtenta, & portenta, ſic dicta ab oſtendendo, & portendendo: habemus exemplum de mõſtris in 2. *Machabeorum cap. 5.* quibus viſis rogabant omnes in bonum monſtra conuerti.

Modò ad difficultatem reſpondetur, quòd ſolummodò eſt ſuperſtitioſus, & reprobatus vſus huius artis; quando rerum naturalium ordinem excedit; quemadmodum etiam eſt ſuperſtitioſus vſus cuiuſque generis auguriorũ, qui non eſt ex natura rerum; & præcipuè, ſi ſuſcipiatur ex omine .i. ex verbis hominis ex improuiſo, caſu aliquo, nulla facta circa dicta conſideratione, nullaq; attentione intercedente. Sicut quoque ſuperſtitioſus eſt vſus aruſpicum, qui aſſignant horas; quibus quiq; ſe negotijs mancipare debent.

Verùm notandum interpretes, Monſtrorũ, Portentarum, &c. non poſſe iure vocari Prophetas, nec videntes: de quibus S. Scriptura, pluribus in locis maximè 1 *Reg. c. 19.* quia tàm Prophetia, quàm viſio eſt reſpectu diuinorum: ſed potiùs appellari debent prognoſtici, aut diuini: cum verſentur circa prophana: Videns verò, & Propheta, licèt conueniant in obiecto; cum vterque reſpiciat diuina: differunt tamen; quia videntes non neceſſariò intelligunt, quæ vident: Prophetæ verò, quæ vident, etiam neceſſariò intelligunt; hinc in Cõcil.

cil. Toletano, vt Hæreticus condemnatus fuit Theodorus, qui aſſerebat Prophetas non intellexiſſe viſiones, aut Prophetias; quas habuerunt. faciunt, quæ tradit *Garzonus in Platea vniuerſali diſcurſu 40.*

DIFFICVLTAS III.

An ars Alchimica licitè exerceri poſſit, vel illicita, & ſuperſtitioſa exiſtat.

Ratio difficultatis potiſſimùm mihi eſt, quia *Angelus in verb. Alchimia*, eam, vt illicitam omninò condemnat.

Reſpondetur difficultati duobus propoſitionibus, quarum altera eſt, quod ars Alchimiæ ex ſe .i. ex ſua natura, & obiecto non eſt illicita, nec ſuperſtitioſa: nam vtitur naturalibus cauſis ad naturales effectus; quibus etiam aliquis bonus finis intendi poteſt. Quare *Syluеſt. verb. Alchimia*, ipſam computat inter ſcientias Philoſophiæ naturali ſubalternatas, verſantes circa opus corporale; quemadmodum etiam verſantur artes mechanicæ; & reducitur ad artem fabrilem quo ad materiam.

Prætereà illa ars eſt licita, cuius exercitio homines poſſunt benè, & malè vti: *argumen. cap Negotium de Pœnitentia, diſt.* 5. ſed talis eſt ars Alchimiæ; cum poſſit producere effectus verè naturales communitati vtiles: ergò eſt licita ex ſua natura.

Altera propoſitio eſt, quod Alchimia ratione circunſtantiarum poteſt reddi illicita, ac ſuperſtitioſa: cuius ratio eſt, quia Alchimiſtæ ſæpè ſæpiùs ſunt inuocatores Dęmonum; nã quando non poſſunt pertingere ad finem intẽtum; Dęmonis auxilium quærunt: & tacitè, vel expreſsè ſacrificant, vt teſtatur *Eymericus Directorio Inquiſitorum Auctor digniſſimus.*

Verùm plurimum refert ſcire, à quibus ars Alchimiæ exerceatur: nam, ſi à Principibus diuitibus, & pecunioſis exerceatur, fortaſsè ſuſpicione vacabit: quòd ſecùs eſt, ſi à pauperibus, vel mediocritèr diuitibus; cuius ratio eſt, quia iſti ob huiuſmodi vanũ, & ſtultum exercitium ſæpè ad inopiam extremam reducti ſolent ſe conuertere ad Dęmones inuocandos; quare fiunt nouiſſima iſtorũ peiora prioribus. Hac de cauſa fortaſsè inductus fuit Angelus ad damnandam Alchimiam: vnum certum eſt, omnibusq; perſuadendũ; vt artem Alchimiæ vti periculoſam, & pernicioſam pro poſſe caueant; quòd ſi Alchimiſtæ volunt omnia reduci metalla ad pretioſum aurum; erogent illa pauperibus. ità *Franciſcus Pegna.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An vſus artis Angelicæ ſit ſuperſtitioſus.

Titulus ſiquidem huiuſce artis ſcientiæ Angelicæ primò acceſſu auribus humanis admodum reſonat: ſubleuatq; intellectum non parum; & propterea admodũ ad ſui amorem pellicit mentem humanam.

Not. primò, Profeſſores huius artis, vt eorũ diſcipulos decipiant; quemadmodum ipſi ab alijs ob eorum nimiam ſuperbiam curioſitate ſuffultam extiterunt decepti; artem huiuſmodi nimia auiditate affectantibus, pollicentur, ab Angelo ipſis ſubminiſtrandam ſiue inuiſibilitèr .s. per extaſim naturalem ipſis immiſsã: ſiue viſibilitèr Angelo in corpore aſſumpto familiaritèr eos alloquente.

Not. ſecundò, quòd hanc artem diuidunt in claram, & in obſcuram.

Not. tertiò, quemadmodum Hebræi diuinationibus Geomantiæ, Areomantiæ, Piromantiæ, &c. Cabalæ nomen impoſuerũt; quia ipſas ſub proprijs nominibus nouerunt eſſe condemnatas: Ità ipſi, vtpotè Miniſtri iniquitatis, impoſuerunt iſti nomen Angelicæ; vt liberè .s. abſq; vlla ſuſpicione mali reciperetur.

Not. quartò, hanc artem velle, vt Angeli inuocentur veluti ſcientiarum Dij, ac Domini; nõ autèm, vt mediatores, aut interceſſores.

Not. quintò, quòd huius artis Profeſſores credunt Angelum, vel Angelos ad poſtulata concedenda tali die, nocte, loco, &c. compelli: minitatosq; ad nutum petentis obtemperare.

Deniq; notandum Profeſſores huius artis inter poſtulandum, aut orandum ad vnam tãtummodo partẽ ſe vertunt: v.g. orientem verſus.

Reſpondent DD. concorditèr, quinimmò omnes ſanæ mentis hanc artem omninò exiſtere ſuperſtitioſiſſimam: à Dęmonibusque adinuentam: ac erroribus contra Fidem omninò refertam: conſtat per ſingula diſcurrendo.

Primò, quia, ſi ſunt Sancti Angeli inſtruunt hoĩem, vt abneget volũtatẽ, & refellat curioſitatẽ, iuxtà illud: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum: & tollat &c.* Angeli autèm artis Angelicæ illam enutriunt, vt curioſum finalitèr perdant.

Secundò, falſum eſt Angelos ſcientiarum eſſe Deos, aut Dominos: quia ſolus Deus Trinus, & vnum illarum eſt Dominus: *Deus ſcientiarum Dominus eſt.*

Tertiò, falſum eſt Angelos aliqua arte ab homine cõpelli; quia minor poteſtas .s. hominis, nihil poteſt ſupra maiorem, vz. Angelorũ.

Denique ſuperſtitioſum eſt, & penitùs abſurdum ſcientiarum donum ſolùm ad orientalem plagam petendum eſſe, quaſi Deus ibidẽ tantùm exiſtat, & non ſit vbique.

Nec obſtat, quod Eccleſia in orationibus publicis orat ad partem Orientis: quia in priuatis nihil decernit; relinquens, vt quiſque prò libito ſuo ſe vertat ad quam partem maluerit; quod denegat ars iſta diabolica. faciunt, quæ habet *Ioan Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiano, cap.* 8. idem concludendum eſt de ſimilibus, vt de arte Amadel, & arte Reuelationum, quæ ſunt ſuperſtitioſæ, falſæ, & vanæ. lege *Garzonum in Platea vniuerſali diſcurſu* 41.

DIFFICVLTAS II.

An vſus artis Paulinæ ſit ſuperſtitioſus.

Primò notandum eſt inter artes diabolicas tenere eminentem locum illam, quæ Paulina nuncupatur.

Se-

Secundò, hanc artem nõ à Paulo, vt nititur perſuadere Dæmon; ſed ab ipſomet Dæmone adinuentam; eamq; Paulinam inſcripſit duplici ex cauſa, quarum altera eſt, vt de D. Paulo vindictam ſumeret; quia præmonuit homines, vt à Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum cauerent, vt patet 1. *ad Timotheum cap. 4.* his verbis: *In nouiſſimis quidem temporibus diſcedent quidam à Fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.* Altera eſt, vt faciliùs ab incautis ampleƈteretur, tanquàm quoddam ſecretum à Deo D. Paulo reuelatum; quando ad tertium Cælum raptus audiuit arcana ipſius Dei.

Tertiò, huiuſmodi artem Paulinis ipſa vtentibus promittere; quòd in curriculo quarundã hebdomadarum in qualibet ſcientia euadent docti.

Quartò, quemadmodum Dæmon primis noſtris Parẽtibus in primo ſtatu implicitè perſuaſit Deum eſſe inuidum: donumq; ſcientiarum pro ſe tantùm retinere velle; quòd ſatis colligitur ex illis verbis: *Nequaquam moriemini; ſcit .n. Deus, quòd in quacunque hora comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*; ſic nunc temporis idipſum pro poſſe perſuadere ſtudet, Deumq; velut inuidum, donum ſcientiarum perfectũ cuiq; communicare nolle: & quòd ipſe totiùs ſcientiæ, qua naturalitèr præditus eſt; libentèr quoſque participes faciet: quibuſdam tamèn obſeruatis, quæ à Præceptoribus Artis Paulinæ edocentur; quæ ignorare bonum eſt, iuxtà illud *D. Aug. in Enchiridion: vz. Melius eſt aliqua neſcire .s. pro ſtatu iſto.*

Modò reſpondetur difficultati vſum Paulinæ artis eſſe ſuperſtitioſiſſimum, à Dæmone adinuentum: falſumq; eſſe Paulum hanc in cœleſtibus didiciſſe, aut in terris edocuiſſe: nam, ipſo teſte, quæ ibi audire dignatus eſt, nõ fas eſt cuique loqui: audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui; quia ſicut ſanctiſſima, ità ineſplicabilia, omnimodè ab omni errore, & fallacia elongata: hæc autèm eſt vndequaq; erroribus, fallacijsq; plena.

Falſum itidèm eſt Deum nolle perfectum donum ſcientiæ cuiquam impertiri; nam illud impertitus eſt *Salomoni 3. Reg.* Prophetis, Apoſtolis, Doctoribusq; Eccleſiæ, alijsq; Sanctiſſimis, & eruditiſſimis viris in vnaquaque ſcientia; adeò, vt vnicuique iſtorum commodiſſimè aptari poſſit illud Eſa. 2. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus: Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ &c.* pollicitusq; eſt, quòd talis Spiritus ipſis pro loco, & tempore ſuggereret neceſſaria: *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia &c.*

Eſt denique falſum, profeſſores huius artis in ſpatio quarundam hebdomadarum repleri ſcientia; quia licèt Dæmon ſit in ſcientijs doctiſſimus: tamèn, quemadmodum non poteſt alteri nocere; niſi quantum, quando, & modo, ſibi permiſſo: ità non poteſt docere quemquam, niſi quantùm patitur eius natura, quando, & quomodo ipſi permittitur; fortè pater mendacij docebit ſcientiæ veritatem? Princeps tenebrarũ oſtendet ſcientiæ lumen? Auctor malorum in bonum alios diriget?

Quemadmodũ volũtas hominis ab alio, quàm à Deo nõ ſatiatur; ità nec intellectus plenè edocetur: caueat itaq; vnuſquiſq;, ne in Diabolo, aut eius miniſtris aliquã habeat fiduciam, obtinendi ab ipſis ſcientiam; quia vel Deus hoc nõ permittet: vel ſi ex iuſto iudicio interdũ permiſerit; ad ipſius erit perniciem; quam potiſſimùm affectat, & intendit Dæmon; vt effectũ principalem ſuæ Paulinæ. lege *Baptiſtam Signam de vero Studio Chriſtiano cap. 8. Theologos, & Summiſtas communitèr; verbo Permittere: verbo Curioſitas, & verbo Tentare Deum.*

DIFFICVLTAS III.

An vſus Clauiculæ Salomonis ſit ſuperſtitioſus.

CLauicula venit à Claui, tanquàm diminutiuum ipſius: & iuxtà mentem Clauiculariorum .i. inſtructorum arte Clauiculæ Salomonis.

Dicitur potiùs Clauicula, quàm Clauis; quia quemadmodum ſub parua Claue precioſiora obſerari ſolent; ità ſub Salomonis Clauicula volunt Profeſſores occludi arcana naturæ.

Dicitur Salomonis, quia ipſius Profeſſores teſtantur à ſapientiſſimo Salomone adinuentam fuiſſe; & propterea ab ipſius nomine, tanquam ab Auctore sũpſiſſe denominationem.

Dicitur Clauicula; quia velut Clauis aperit carcerem: ità iſta docet modũ ſoluendi Reos, eorumque manicas, aperiendi carceres, ligandique ſomno graui eorũ Cuſtodes: Itèm qualitèr abſque Claui, & ſtrepitu ſeras domus, apothecæ, arcæ, arculæ &c. aperiri, & claudi poſſint (nullo remanente ſigno aperitionis) addiſcendi ſcientias repentè ſine vllo labore complectendi à fœminis nimio amore velint, nolint: item qualitèr ſolo intuitu, aut verbis fœminæ corruptio excitari poſſit, &c. volũtq; Salomonem hac arte ad ſuũ amorem pellexiſſe quamplures fœminas cuiuſcunque ſectæ, & quidquid ſciuit hac didiciſſe arte.

Reſpondetur modò ad difficultatem vſum Clauiculæ Salomonis eſſe omninò damnatũ, reprobatum, ac totum diabolicum: falſumq; eſſe Salomonem hanc clauiculã adinueniſſe, ſed iſtius adinuentor extitit Diabolus omnium ſuperſtitionum auctor principalis.

Dicant mihi Clauicularij, quando Salomon hanc ſecretorum Clauem adinuenit; aut dum adhuc eſſet pius, Deo obediens, & deuotus; aut dum eſſet impius, & idolatra: non in primo ſtatu: quia nõ vacaſſet huic ſuperſtitioſiſſimæ, impuriſſimæ, ac nequiſſimæ doctrinæ, cum non doceat niſi malè, & mala: nec in ſecundo ſtatu: quia nulla, vt ſic loquar, re indigebat, vt patet diſcurrendo: nõ ſcientia, cum eſſet inter

omnes

omnes orientales ſapientiſſimus, à Deo ſic edoctus (teſte D. Scriptura) non diuitijs, cum eſſet ditiſſimus: non pace cum aliquo; quia fuit Rex pacificus: nō delitijs fętidis, quia fęminarū habuit apud ſe copioſiſſimum numerū: nec alijs voluptatibus; nam habuit propemodùm infinitum numerum equorum, curruum, &c.

Certum quippè eſt ex calliditate Dęmonis figmentum hoc vocari Salomonis Clauicula; vt vel ſic ipſius turpitudo ſub nomine doctiſſimi auctoris deliteat: & faciliùs ad ſui deſiderium quiſque pelliciatur; patet in ſimili de Paulina ſcientia, quam finxit à S. Paulo in raptu ad tertiū Cęlum fuiſſe perceptam: illamq; poſteà hominibus tradidiſſe. legendus eſt *Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiani, cap. 7.*

Nec verum eſt hac arte patrari dicta mirabilia: quod ſatis colligitur; quia iſtius Profeſſores, vt plurimùm, Sancti Tribunalis carceres replent; à quibus nec per ſe, nec per alium liberari valent; quare falſum eſt, quòd ligata aperiant: velut etiam falſum eſt dictos Profeſſores amari à fęminis etiam contra eorum voluntatem; nam (teſte communi Theologorum placito) voluntas ſemper libera manens minimè cogi poteſt.

Licet autèm homo ad libidinem excitari poſſit; non tamèn ad amorem iſtius, vel illius efficacitèr cogi poteſt: ſemper manente libera voluntate.

Falſum denique eſt hac, aliaue Dęmonis arte ſine labore ſcientiam infundi; cum infuſa ſcientia à ſolo Deo haberi poſſit: omne donū perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. *Iacobus Apoſt. cap. 1.*

ART. V. DIFFICVLTAS I.

An ars notoria ſit ſuperſtitioſa.

Notandum primò artem notoriam eſſe quandam vanam obſeruantiam, quà quis ſuperſtitioſè per ieiunia, abſtinētias, & orationes verbales cum inſpectione quarundam figurarum, ſeu characterum, ac prolatione verborum ignotorum, & ſimilium ſcientiam adipiſci molitur.

Notandum eſt, quòd nonnulli putant hanc artem appellari notoriam; quia per ipſam Dęmon cuiuslibet rei notitiam pollicetur.

Alij ſentiuntità vocari, quia exercetur per quaſdam notas, ſeu obſeruationes, vz. temporum, menſium, dierum, horarum, numerorū, figurarum &c.

Alij credunt ità nominari, quia vacantibus ipſi notum fit, quidquid affectant.

Ego autem cenſeo notoriam dici, quia notorium eſt apud Theologos, Canoniſtas, Summiſtas, & omnes DD. Catholicos eſſe infamiſſimam, ſacrilegam, dęmoniacam, ſuperſtitioſam, prorsùsq; abominabilem.

De Studētibus iſti, & ſimilibus artibus olim iam prædixit D. Paulus ad Thim. 1. cap. 4. ſequentia: *In nouiſſimis temporibus diſcedent quidā à Fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum*, quòd notauit in primis *Ioan. Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiano cap. 7. §. Vbi de arte notoria circa medium. Bartholomæus Sybilla in Compendio Peregrinarum qq. cap. 9. quæſ. 13.*

Expoſito nomine: Reſpondeo difficultati; hanc artem eſſe ſuperſtitioſam, tum quia vtitur ignotis caracteribus, & verbis, vti habetur 26. tum quia inuoluit tacitum cum Dęmone pactum; vt habetur ex ſignis nihil ad effectum facientibus: tum prætereà, quia certum eſt Dęmonem hominis intellectum minimè illuminare, ſed potiùs obſcurare (tamen intellige, vt infra *lib.* 16 *art.* 1. *diff.* 1.) traditio autèm ſcientiarum fit per illuminationem, qua Dęmon caret: Vndè *Auguſ. lib.* 10. *de Ciuit. Dei*, ità proloquitur: *Dæmonum operationibus, obſeruantijs, & purgationibus anima nec diuinam, nec veram ſcientiam adipiſcitur*, quod notat *Nider de Decem Præcep. Præcepto* 1. *cap.* 11. latiùs difficultate ſequenti.

DIFFICVLTAS II.

An Dæmon hominem quamlibet ſcientiam, in quouis breui tempore, edocere poſſit.

Reſpō negatiuè, patet primò ex parte Dęmonis, qui non poteſt niſi, quod vires naturæ creatæ patiūtur: natura autèm creata, cū eius vis ſit limitata; niſi in limitato, & adaptato tempore cuiuſque capacitati operari valet: nec quis adaptari poteſt, niſi medijs naturalibus; quæ plus minusuè temporis exigunt iuxta efficaciam agentis, capacitatem patientis, & perfectionem mediorum.

Secundò à parte Dei; qui ſicut ipſe tantùm illabitur animæ: ità ſolus illi ſcientiam infundere poteſt, in eodemq; pūcto vndequaq; eam perficere; hinc meritò dicitur Deus ſcientiarū, Deus virtutum; quòd ſanè præſtat quamprimùm ſibi videtur expediens; vti præſtitit Adæ, qui illicò prophetauit, dicens: *hoc nunc os ex oſſibus meis &c.* & Salomoni, qui repentè inter omnes orientales fuit doctiſſimus.

Tertiò, ex parte ipſius artis notoriæ, quę vtitur medijs ſuaptè natura nullam vim cauſandi ſcientiam habentibus: Vndè, quiſque meminiſſe debet, quòd quemadmodū Nabuchodonoſor præcepit ſuis ſubditis; vt nemo auderet petere aliquam gratiam ab alio, quàm ab ipſo ſub graui pœna .s. inijciendi illum in lacum leonum: ità Deus omnibus præcipit ſub pœna ignis infernalis, vt nemo pro conſequtione ſcientiarum, aut alterius beneficij ad alium, quàm ad ipſum immediatè, aut mediatè recurſum habeat; qui ſi illicò non exaudiatur; cogitet illud *Iſidori de Summo bono lib. 3. vz. quod ſapè multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem.* item illud *Eccleſ. c. 19. Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem Altiſſimi: qui habet aures audiendi, audiat.*

DISTINCTIO SECVNDA,

De Actionibus, Rebus, ac Verbis, quæ licèt primo acceſſu ſuperſtitionem ſapere videantur, illam tamen minimè ſapiunt, loquimurq; de ſuperſtitione extenſo nomine.

Diſtinctio hæc tribus terminatur articulis prout infra.

Primus reſpicit actiones.

Secundus, Res.

Tertius, verba, ſeu propoſitiones.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Regis Galliæ virtus ad ſanandas ſtrumas ſit ſuperſtitioſa.

IVxtà *Calepinum ver. Struma*, ſtrumæ idem ſunt, ac ſcrufulæ circa guttur, veluti glandulæ ſanguine plenæ, quamuis in alijs quoque corporis humani membris gignantur; Vndè *Vocabularium Eccleſiaſticum, & Catholicum ver. Struma*, extendunt nomen ſtrumæ ad gibboſitates pectoris.

Strumoſus verò dicitur ille, qui hac laborat infirmitate, *Plin. lib. 11. cap. 37.*

Ad difficultatem reſpondetur negatiuè, ducorq; hac ratione: quia gratia ſanitatis, qualem cenſeo eſſe dictam virtutem Regis Galliæ, nō eſt dicenda ſuperſtitioſa; aliòquin omne ſingulare donum cuique à Deo datum, ſuperſtitioſum foret, quod abſurdum eſt vel cogitare; datur .n. ab ipſo diuiſio gratiarum iuxtà illud Apoſtoli: *Diuiſiones gratiarum ſunt, alij quidem ſic, alij verò ſic*: Vndè nō eſt intelligendum, vt multi vulgarium putant, huiuſmodi ſanitatis gratiam habere Galliæ Reges ex natura; quia ſic ſinguli ab ipſius ſanguine originem trahentes illa potirentur gratia, maximè, quòd ſæpè temperies, & complexio aliorum filiorum eſt ſimilior, quàm primi filij; & tamèn eſt ſolius Regis, cuiuſcunq; ſit qualitatis, ſiue bonus, ſiue nequam; quare dicēdum eſt, quòd hæc virtus ſit donum gratiæ gratis datæ; quale donum interdum etiam peccatoribus confertur: vt patet in ſimili de dono prophetiæ, iam Caiphæ collato. Nec itèm putandum eſt hanc virtutem ſequi dignitatem regalem; quia ſic omnes, & ſinguli Reges ſiue Galliç, ſiue Hiſpanici, ſiue Polonici &c. hoc gauderent dono, quod minimè conſtat: dicendum igitur eſſe donum ſpeciale Regi Galliç conceſſum; quòd ſanè ex alto recognoſcens; ad hanc conferendam ſanitatem pluribus diebus tum orationibus, tum ieiunijs, tum elemoſinis ſe preparat: & ſic accintus ad ęgrotos tangendos accedit; vt in primis notat *Leonardus Vairus de Faſcino lib. 3. cap. 6.* quare negandum eſt dictam virtutem ſanandi ſuperſtitionem ſapere; quòd .n. fauore alicuius introductum eſt, ad eius læſionem minimè retorquendum eſt, *l. Quod fauore, C. de Legibus, cap. Quod ob gratiam, de Reg. iur, in 6.* retorqueretur autèm dictum donum contra Galliæ Regem; ſi admitteremus ſuperſtitionem redolere; quòd nec ſuſpicandum video: nam cum hęc virtus notoriè ſtatis temporibus practicetur: & à S. Pontifice totum factum minimè ignoretur; ſi ſuperſtitionem aliquo modo oleret, minimè permitteretur.

Nec alijs Regibus, aut Principibus admirationem afferre debet; cur Deus potiùs illi Regi, quàm alteri hoc tribuat donum, quando vult, & pro quibus vult: nā ipſius iudicia ſunt imperſcrutabilia: & fortaſſe alijs Regibus, aut Principibus, vt mihi iuſtum eſt ſentire; aliud confert ſingulare donum; pro ſe ipſis, quòd occultum remanere vult: vnuſquiſque enim ſuum donum habet à Deo, alius quidem ſic: alius verò ſic. ità *Fauentinus loc. infra citando contra Pomponatium lib. de Incantationibus cap. 3.* qui ſentit eſſe donum à natura ſicut eſt in plātis, lapidibus, & animalibus: ſed fallitur, quia in prædictis rebus virtus ſanatiua ſequitur totam ſpeciem; Vndè omnes lapides, plantæ, & animalia eiuſdem ſpeciei habent eandem virtutem effectiuam: virtus autèm ſanandi ſtrumas ſequitur tantùm indiuiduum ſceptrum Regni habens: quare ſoluitur ſimilitudo per diſſimilitudinem.

Notandum eſt autem Galliæ Regem ſanare ſtrumas tantummodò inſtrumentaliter, vt Dei miniſter: non autem efficientèr ſtrictè, .s. auctoritatiuè; quod nō ignorās, ſimilibus vtitur verbis iuxtà Italicum idioma: nimirùm: *Io ti tocco, & Dio ti ſana*, legendus eſt *Guido tractatu ſecundo Chirurgiæ magnæ, doctrina ſecunda: Ioannes Tagaultius lib. 1. Inſtitutionum Chirurgicarum. Fauentinus aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 9. nu. 179. 180. 181. 156.*

DIFFICVLTAS II.

An cenſendæ ſint ſuperſtitioſæ ſaltationes, exultationes, cantationes, citharizationes, aliaq; lætitiæ ſigna, quæ Hiſpani in ſolemniſſima, & generali Proceſſione Auguſtiſſimi Corporis Chriſti ante ipſum præſtare conſueuerunt.

REſpondetur abſolutè negatiuè; aliòquin etiam ſaltus, & ludus Dauidici ante arcā Domini, dum deferebatur, dicendi forent ſuperſtitioſi, quod abſurdum eſt. patet ex parte huiuſmodi actionum, quæ habentur à Theologis indifferentes, ac ſumentes bonitatem à fine, iuxtà illud Phyloſ. *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt.* Finis autem eſt ſanctus, vz. viribus, corporis, præcordijsq; cordium laudandi Sanctiſſimum Sacramentum. patet ex parte Agentium; nam Hiſpani ęquè equidem, ac quælibet alia natio, lōgè feruēt ad laudes Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: vndè de eorū actionibus indifferentibus aliquid diabolicum vel ſuſpicari nefas eſt: Idipſum deniq; conſtat ex parte modi laudandi, qui (penſato obiecto

ab

ab Hiſpanis venerato, loco, tempore, præſentiaq; perſonarū cuiuſcunque generis) nonniſi deuotionem redolet non minus, ac ipſi Hiſpani; qui depoſita eorum naturali grauitate, repleti feruore, ac pietate fiunt paruuli, vt ſint magni, contemnunt mundum, vt Deo appropinquent: eleuantur à terra, vt rapiantur in cęlum, nunc cum mente, vt poſtmodum corpore, ac ſpiritu: ſi dicas aliud videri aliquibus, reſpondeo hoc poſſe contingere; cum omne recipiens per modum recipientis recipiat; Vndè vulgatum prouer. habet: omnia munda mundis; ſicut è contra: omnia immunda immundis: dicamus itaque prædicta ſigna lętitiæ nullatenus ſapere ſuperſtitionem: ipſoſq; Hiſpanos non ferre præſente Domino ſe contineri; vndè non miror, ſi exiliunt, & exultant.

DIFFICVLTAS III.

An ſuperſtitioſum ſit mare annulo deſponſare, vti ſolet gerit Sereniſſ. Venetiarum Dux in die Aſcenſionis Chriſti.

Ratio difficultatis eſt, quia ad inſtar Sponſi erga Sponſam Sponſalitij capacem, annulo illud ſibi deſponſare contendit; quòd abſurdum apparet; cum inter homines præciſè intercedat coniugium.

Abſolutè reſpondetur minimè ſuperſtitioſum eſſe huiuſmodi maris ſponſalitium, quòd euidentèr probatur; tum quia illa annuli proiectio in mare, quam præſtat Sereniſſimus ille Dux; eſt præciſè quædam cęrimonia ciuilis ad deſignandum dominium Reipub. Venetæ in mare Adriaticum; quòd illo Sponſi in Sponſam ſibi annulo copulatam minus non extat; in cuius ſignum in ſtemmatibus dictæ Reipublicæ Leo tenet alterum pedem in terra, in mari alterum. legendus eſt *Martinus Delrius Diſquiſit. Magic. lib. 4. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 4.* in hæc verba proloquens ex mente infradictorū. Scriptorum: Princeps Venetiarum annulo in mare iacto quotannis Adriaticū ſibi deſponſat, dominationis, non magiæ argumentum. Deſponſat quoque in memoriam naualis victoriæ, quam glorioſè obtinuit dicta Sereniſſ. Reſpublica, quæ (Duce Sebaſtiano Ziano) vicit Othonem filium Federici Ahenobarbi; captū autèm, ac vinctū obtulit Alexādro III. Pōtifici Maximo, qui Venetias profugerat; tunc Pontifex annulo de manu ſua ſibi detracto; illum dicto Ziano obtulit, dicens: auctoritate mea hoc annulo fretus, mare tibi ſubijcies: & quotannis tibi, poſteriſq; eo die, quo hanc victoriā pro Eccleſiæ defenſione obtinuiſti; deſpōſabis mare; vt ſciant omnes maris dominiū tibi eſſe cōceſſum; quia Sedis Apoſtol. tuendæ curam, ac ſtudiū fidelitèr ſuſcepiſti: ſit hoc tibi quaſi benedictionis pignus, ſecundæq; ſortis in futurum: ità *Villamontius lib. 1. Peregrinat. ſuæ cap. 34.* ſed prior illo *Sabellius decad. lib. 7. cap. 4. Martin. Delrius, vbi ſupra.*

Verùm dices, cur ſaltem iuxtà dicti S. Pontificis decretum eo die, quo glorioſè obtenta fuit victoria, non deſponſatur. Reſpondetur ſecreta Sereniſſ. Reipub. Venetæ eſſe validè profunda: vndè de hiſq; non minus, ac de ipſius prudentia, notū eſt, ꝙ nunquam ſatis dr̄.

Poſſumus tamen coniecturis procedendo dicere ſponſalitij translationem ſumma cum prudētia ad diem ſanctum Aſcenſionis Chriſti factam fuiſſe; tum vt celebriùs ſit ſponſalitium ratione Sanctiſſimi diei: tum ratione nundinarum illo die inceptarum: tum prætcrea ratione maioris concurſus gentium.

DIFFICVLTAS IV.

An Clericorum tonſura, ſeu raſura deſuper caput ad modum ſphera ſit ſuperſtitio, idemq; ſciſcitatur de mortuorum cœmeterijs.

Occaſio hanc mouendi difficultatem eſt, quia quidam *Hortenſius, de quo Paulus Gryſaldus in Deciſionibus Fidei Cathol. ver. Tonſura nu. 2.* temerè auſus fuit aſſerere Clericorum tonſuram vanam eſſe ſuperſtitionem, atq; hypocriſim.

Ratio verò dubitādi eſt, tùm, quia Nazareis fuit interdicta raſura, *num. cap. 6.* tùm etiam, quia Leuitis idem fuit vetitum, *Leuit. cap. 19.*

Difficultati reſpondetur Clericorum tonſuram minimè eſſe ſuperſtitionem: ſed à Sancto Aniceto Summo Pontifice ordinatam: patet ex eius Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ in hæc verba: *Prohibite fratres per vniuerſas veſtrarum regionum Eccleſias, vt Clerici &c.* iuxtà Apoſtolum: *Comam non nutriant, ſed deſuper caput per modum ſphęræ radant, &c.* & Conc. Tolet. 4. can. 40. ità proloquitur: *Omnes Clerici, vel Lectores ſicut Leuitæ, & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant,* & in Act. c. 28 ſcriptum eſt: *Priſillam, & Aquilam Cæſariem abraſiſſe.* Idemq; non multò poſt Hieroſolymis feciſſe Paulum hortatu Iacobi Apoſtoli vnà cum pleriſq; alijs Diſcipulis, vt legitur Act. 21. & notat *Gryſal. loc. cit.* Ideò concludo raſuram non eſſe ſuperſtitionem, ſed haberi ex Apoſtolica traditione.

Nec obſtat, quòd Nazareis fuit diuetita: quia non fuit abſolutè: ſed tantùm pro loco, & tempore, donec .ſ. votum explerent: Vndè *num. loc. cit.* ſcriptum eſt, quod Nazarei priùs crine ſeruato; demùm poſt magnam vitæ continentiam caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere videbantur.

Item non obſtat, quòd Leuitis raſura fuerit prohibita; quia itidem non fuit ſimplicitèr eis prohibita; ſed donec in Terra Sancta extarent, ne ſimiles eſſent genti vicinæ.

Sed ſuppoſito etiam, quòd prædictis fuerit interdicta raſura; non propterea colligitur in nobis eſſe ſuperſtitionem, vel diuetitam; cum nos ſimus liberi ab antiquis Sacerdotij legibus. Itidem eſtò aliquo in loco apud aliquem ex Patribus approbari capillaturam, tonſurāq; damnari; non per hoc colligitur illam damnari abſolutè; ſed quoad intentionem, ne .ſ. vana ſuperſtitione, aut alijs prauis de cauſis fiat: de

cap. 3. nu. 209. Homob. de Caſ. reſer. par. 2. caſ. 2. obſer. 6.

Nec obſtat, quòd periculo exponatur eorū fama: quia bonum publicum priuato præponendum eſt; ſicut etiam cauſa Innocentis iniuſtitiæ Nocentis.

Cæterùm perſonæ illæ, quæ v. g. ex ſimplicitate, aut ignorantia abſq; damno publico, aut tertij aliquam exercent ſuperſtitionem: v. g. ſuperſtitioſè aliquam medendo infirmitatem, vel quid ſimile; prius ſunt admonendæ de ſuperſtitione peccaminoſa; quæ ſi reſipiſcant, non veniunt denunciandæ. ità prædicti *Doctores loc. cit.* quia idem operatur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito, *l. fin. in princip. ff. de leg. 3. l. is qui contra, ff. de Vulgari, & pupillari ſubſtit.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

Modi vſitatiores peccandi mortalitèr circa ſuperſtitionum materiam qui?

RESpondeo primò peccare mortalitèr eum, qui vtitur cerimonia, qua aliquid ſignificet contra Fidem, licèt id non credat.

Secundò, qui Dæmon, aut aliam creaturam tanquā Deū adorat, etiam ſolo actu exteriori.

Tertiò, qui habet, vel vtitur Dęmone familiari, à quo diſtantia, vel ſecreta nouit.

Quartò, qui ob metum, vel aliam cauſam dicit exteriùs, vel operatur aliquid contra Fidem; licèt oppoſitum teneat.

Quintò, qui vtitur habitu, vel charactere in loco vbi eſt ſignum infidelitatis.

Sextò, qui ex laicis diſputat de Fide, ſciens eſſe ipſis s. laicis prohibitum.

Septimò, qui falſas reliquias, vt veras, adorandas proponit; & qui offert votiuas imagines; aut miracula falſa lucri gratia, vt excitet populum ad offerendum.

Octauò, qui Dęmonem in auxilium, vel conſilium corde, vel verbo inuocat.

Nonò, qui Dęmonem per modum obſecrationis adiurat, vt aliquid dicat; verùm eum adiurare per modum coactionis exorciſmis Eccleſiaſticis licitum eſt; ſicut etiam licitū eſt in Arreptitijs eos interrogare, ſine prece, aut pacto ſocietatis ad vtilitatem aliquorum; ſed alloqui ipſos in arreptitijs ob vanitatem, aut curioſitatem eſt ſaltèm veniale.

Decimò, qui aliquam artē magicam diſcit, vel vtitur.

Vndecimò, qui illicitis modis theſauros inueſtigat, vel conſulit Maleficos.

Duodecimò, qui ſoluit maleficium maleficio, vel incantatione: vel precatur alium, etiam paratum, vt ſoluat maleficium. Diſtinctius dicam de Magia malefica lib. 20.

Decimo tertio, qui interrogat Diuinatores circa aliquod furtum; vel id ſortibus tentat cognoſcere, chartis, aleis, &c.

Decimo quarto, qui vtitur incantationibus; vel verbis Scripturæ Sanctæ; vel vana obſeruatione ad ſeruanda, vel inuenienda animalia.

Decimo quinto, qui credit effectus per Magum factos, vel ſanitatem effici virtute verborum, vel rerum, quas ipſe Magus applicat.

Decimo ſexto, qui Zingarum de fortuna ſua interrogat animo credendi: ſi verò ſolùm animi gratia, & curioſitate mortalitèr non peccat.

Decimo ſeptimo, qui poculum amatorium alicui dat, vt ab ipſo ametur: vel vtitur rebus ſacris in maleficijs, aut illas ad malū finē geſtat.

Decimo octauo, qui ad recuperandam ſanitatem alicui applicat, quæ non habent virtutē ſanandi, niſi ignorantia excuſetur inuincibili.

Decimo nono, qui aliquod futurum, vel arcanum credit; quia aliquid ſomniauit propter expreſſam, aut tacitam Dęmonis inuocationē. Similitèr, qui ob aliquod ſomnium aliquid facit contra ſalutem animæ.

Vigeſimò, qui conſulunt, fingunt, aut portant certa ſpe quædam nomina ſcripta ad aliquid habendum, vel fugiendum; niſi ſimplicitèr portet verba S. Scripturæ ob deuotionem: verū ignorantia, & ſimplicitas excuſare poteſt.

Vigeſimo primo, qui aliquos verſus in die Aſcenſionis, & tali hora ſcriptos portat; credens minorem virtutem habituros, ſi alio die, vel hora ſcripti fuiſſent. Item, qui geſtat reliquias ſanctas modo ſuperſtitioſo, vt ſi in vaſe trigono, vel rotondo; niſi item ignorantia, vel ſimplicitas excuſet. Verùm mulieres vtentes ſignis, benedictionibus, & orationibus licitis ſine ſuperſtitione, & vanitate non peccant; ſed tamen ſunt prohibendæ.

Vigeſimo ſecundo, qui credit certò ob obſeruationem animalium aliquid ſibi euenturum: vel ſe cogi propter complexionem, & influxum cœli.

Vigeſimo tertio, qui credit herbas, vel muſicā aliquid valere contra Dęmones: Verùm non eſt ſuperſtitioſum tenere prædicta poſſe temperare humores corporis, ne grauius ab ipſis vexentur.

Vigeſimo quarto, qui ſortes experitur, vt per eas Dęmon, aut Conſtellatio cœli ipſum admoneat.

Vigeſimo quinto, qui volunt diſcere artem notoriam, quæ certis ieiunijs, & obſeruationibus pollicetur ſcientiam infuſam. hæc ex *Nauar. Præcep. 1. cap. 11. per totum.*

De

De ſuperſtitionibus in ſpecie, de quibus ſeptem habebimus diſtinctiones, prout ſupra cautum eſt in principio, ibi:

In qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio: gli habbino preſtato, ò preſtino honore; ò habbiano hauuto parte, ò ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſchino in qualſiuoglia eſperimento di Magia, ò Negromantia, Incanteſimi, o altre ſimili ſuperſtitioni, e maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Abſoluta diſtinctione de ſuperſtitionibus in genere, ſum in tractatu ſuperſtitionum in ſpecie, quarum

DISTINCTIO PRIMA EST, De ſuperſtitione artium à Dæmone adinuentarum.

Licet propemodum ſint infinitæ Dæmonis artes, quas ad pelliciendos curioſos ad ſe adinuenit; præcipuè tamen ſunt infrà poſitæ, quæ ad præſentem reuocamus diſtinctionem in quinque articulos partitam.

Primus reſpicit generalia huic diſtinctioni.

Secundus reſpicit artem Cabaliſtam.

Tertius Planetariam, Speculatoriam, & Alchimicam.

Quartus Angelicam, Paulinam, & Salomonicam.

Quintus denique reſpicit artem notoriam.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An curioſitas, qua quis petit aliquid addiſcere à Dæmone, ſit mortaliter peccaminoſa.

DE hac veritate nullus extat ambigendi locus, quod ſit læthalitèr peccaminoſa; nam conſortium, quòd neceſſariò inter huiuſmodi Magiſtrum, & Diſcipulum intercedit, eſt pernicioſiſſimum; non tantùm quo ad bonum animæ ſpirituale; ſed etiam quo ad omnimodã amiſſionem famæ. faciunt quæ communitèr tradunt DD. legendus eſt *D. Thom. 2. 2. quæſ. 167. art. 1. Leſſius de Iuſtitia, lib. 4. cap. 4. dub. 11. n. 84. Valentia tom. 3. diſp. 10. pun. 1. Ioan. de Friburgo in Sum. tit. 34. lib. 3. quæſ. 276. Martin. Delrio, de Magia lib. 1. cap. 5. quæſ. 4. &c.* Huiuſmodi veritas, cum pateat expreſsè, vlterius non laboro; nam, quod patet expreſsè, probare non eſt neceſſe, vt tradit *Baldus, conſ. 370. col. 2. vol. 3.*

DIFFICVLTAS II.

Dæmonis ope arte, vel ſcientia ſemel acquiſita, an vti liceat.

RAtio difficultatis eſt, quia ſcientia conſecuta malo modo videtur eſſe omninò repudianda in deteſtationẽ peccati, ſicut iam nonnulli egerunt: vt patet in ſimili ex Iudith, quæ obtulit in anathema obliuionis vniuerſa vaſa bellica Holofernis; quæ dedit illi populus; & conopeum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius in deteſtationem Holofernis.

Reſpõdetur affirmatiuè, dummodò tamen conſeruatio, aut vſus illius artis, aut ſcientiæ à Dæmone amplius non pendeat: quia peccatũ quo parta, & acquiſita fuit pertranſijt; & cognitio, ſeu ſcientia ex ſe bona eſt; quamuis à creatura omninò mendaci tradita fuerit: ità *Valen. 2. 2. diſp. 6. quæſ 13. pun. 2. Sanchez in oper. morali lib. 2. c. 41. nu. 1. & 22. & c. 42. nu. 20. Suarez lib. 2. de Superſt. c 17. nu. 1. & 2. citati à Bonac. de Decem Præceptis, diſp. 3. quæſ. 5. pun. 4. prop. 2. num. 6. & à Trull. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10. nu. 3.* Nec obſtat obiectio, quia etiam à malo bonum deriuari poteſt: non tamen quatenus malum, iuxtà illud: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*; quod intelligendum eſt (inquam) quatenus mala; & quod præſtitit Iudith offerẽdo in anathema Holofernis vaſa; quæ à Populo Iſraelitico ſibi donata fuerunt, fuit actus perfectionis, non neceſſitatis; potuiſset enim illis vti rebus; nam illo, quòd in ſe non inuoluit peccatum vti licitè poſſumus.

Verùm vnum notandum eſt ſuperſtitioſum eſſe, credere poſſe quempiam ſcientiam conſequi abſq; labore per inſpectiones figurarum, verborum ignotorũ prolationes, & alia ſimilia; huiuſmodiq; ſuperſtitio ex ſuo genere mortale inuoluit peccatũ; quia continet tacitam cũ Dæmone ſocietatem, cũ ipſi attribuatur id, quod eſt Dei; Dei enim, & non Dæmonis ſcientiam infundere proprium eſt. ità *Delrius lib. 3. quæſ. 4. ſect. 2. Reginal. l. 17. nu. 188. & alij apud Bonac. de 10. Præcep. diſ. 3. quæſ. 5. p. 4. prop. 2. nu. 5.* ſed infra latius.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quæ ſit vera Cabala, quam ſequentes non ſunt ſuperſtitioſi, nec denunciandi.

DE vera, & ſancta Cabala duæ traduntur deſcriptiones; ſed ferè ad inuicem coin-

coincidunt. Prima, Cabala eſt ſenſus à Deo ore reuelatus; dicitur ore reuelatus, quia non fuit traditus literarum monumentis.

Altera, Cabala eſt reuelatio rerum altiſſimarum ſub myſterijs abſconditarum. *Pererius contra Superſtitioſas Artes, lib. 1. cap. 10. Garzonus in Platea vniuerſali diſcurſu 29. Baptiſta Signa de Vero Studio Chriſtiano, cap. 8.* Pro intelligentia dicendorum, notandum primò, quòd Cabala propriè, vt habetur ex *Ioanne Pico in Apologia quaeſ. 4.* eſt expoſitio, & intelligentia legis diuinę datæ à Deo Moyſi cum manifeſtatione multorum myſteriorum, quæ ſub cortice literæ continentur. Vndè *Faber aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 11. nu. 240.* cũ multis Rabinis ab ipſo citatis notat Moyſen duplicē accepiſſe legē à Deo in Mōte Sina vz. literalē, & ſpiritualem: literalis fuit ſcripta: ſpiritualis vero non: ſed hanc Moyſes coīcauit 72. ſenioribus, & ſapientibus oretenùs, atq; eis præcipit, vt ſic ſolis Sapientibus ſucceſſoribus oretenùs traderent ſucceſſiuè.

Hæc autem ſcientia, ex hoc modo ipſam tradendi .s. per ſucceſſionem; ſortita eſt nomen Cabalæ apud Hebreos, quod idem eſt, ac apud nos Receptio.

Hæc autem lex ſpiritualis notat prædictus *Doctor loc. cit.* fuit tradita literis ab Eſdra, ne amitteretur: quia ob eorũ captiuitatē interdũ nõ poterat ſeruari prædictus ordo tradēdi ipſā per manus .i. ſucceſſiuè: fuitq; ſcripta in 70. libris, quos *Ioan. Picus loc. cit.* multa impenſa ſibi conquiſiſſe aſſerit.

Hos libros (ait Picus) continere omnia cōſona Fidei noſtræ: eſſeq; validè vtiles ad conuincendos Hebręos de eorũ perfidia in Chriſtum: & ſcripti fuerunt à Iudęis ante Chriſti mortem; immò ante ipſius aduentum in carne; quo tempore nulla paſſione adhuc moueri poterant ad viciandam, vel corrumpendam literæ veritatem: hos libros interdum citant DD. Sancti & maximè D. Hieronymus, vti aduertit prædictus Doctor loco citato.

Notandum ſecundò, quod iſti libri nõ ſunt Talmud corruptum à Rabinis: quia hoc fuit compoſitum pòſt mortem Chriſti pluſquam 150. annis; ſed ſunt (vt ſupra dixi) ſcripti ante aduentum Chriſti: & valent plurimum ad arguendum, ac conuincendum Iudęos de perfidia; Vndè, niſi corrupti fuiſſent, nil aliud requireretur pro eorum conuictione.

Notandum tertiò, quòd prędictus ſenſus legis oretenùs à Deo reuelante apud DD. nedũ ſortitus eſt nomen Cabalæ .i. receptionis: ſed etiam reuelationis: vocatur autem Reuelatio, quatenus habetur à Deo per reuelationem; vocatur verò Receptio, quatenus ab homine, ab vno .s. in alium, huiuſmodi recipitur reuelatio.

Hanc Cabalam primò docuit Deus Moyſen; quando in Monte Sina quadraginta diebus cum illo fuit: & fortaſsè huc ſpectat illud Scripturæ Sanctæ, nimirùm quòd Moyſes loquebatur cum Deo, vt ſolent amici ad inuicē; in ſignum autèm huiuſce receptionis deſcendit de Monte ſplendenti facie: Qui deindè illā docuit ſeptuaginta Sapientes; qui poſtea ſucceſſiuè illā poſteris, ne deperiret, tradiderũt: verùm tantummodò pręcipuis Sinagogæ viris aperiebatur; ne ſancta, ac millies veneranda Sacræ Scripturæ myſteria vulgari intelligentia vileſcerent.

Hac Cabala condecorati fuerunt Apoſtoli, vt teſtatur *Sanctus Lucas cap. 5. ibi: Vobis datum eſt noſce myſteria Regni Dei; cęteris autem in parabolis.* Hæc quoque nobis promiſſa fuit, illis verbis; *Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduerſarij veſtri. Luc. 8.* itèm illis verbis: *Cum ſteteritis ante Reges, & Præſides; nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini &c.* hinc pluries viſũ eſt iuuenes, & impuberes doctrina euiciſſe viros, Phyloſophosq; doctiſſimos. patet de D. Stephano, Catharina Sancta, & alijs: Hinc

Dicit quidam Doctor ad illa verba: litera occidit, ſpiritus autem viuificat; quòd ſub litera D. Scripturæ abſconditus eſt ſpiritus, hoc eſt, illa ſublimis intelligentia S. Scripturæ, quæ ab Hebręis vocatur Cabala.

Quidam verò ſentiunt ſcientiam hanc propriam eſſe Theologorum eminentium .s. coruſcantium ſpiritu, & ſcientia: ſed veriùs dicitur eſſe propriam ſolius Eccleſiæ Catholicæ Romanæ; quæ, cum edoceatur à Spiritu Sancto, in nullo errare poteſt: Reſpectu verò particularium fortaſsè ſpectat illud Pauli ad Hebræos: *Eſt nobis grandis ſermo, & interpretabilis ad dicendum: quia imbecilles facti eſtis ad audiendum*, iuxtà illud aliud D. Pauli dictum: *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Cabalam hoc modo ſumptam amplectitur Eccleſia Sancta; ideò eam ſequentes non ſunt ſuperſtitioſi, nec conſequenter denunciandi: ita *Pererius contra ſuperſtitioſas artes lib. 1. cap. 10. Baptiſta Signa loc. ſup. cit. & alij. Picus Mirandolanus in Apologia, quaeſ. 4. Faber aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 11. nu. 240.*

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex ſit Cabala.

RESpondetur DD. duplicem aſſignare Cabalam, alteram piam; impiam alteram. Pia eſt, quæ ſupra deſcripta fuit, habetq; cum expoſitione Anagogica non modicam Symboleitatem, & non minus ipſa eſt neceſſaria ad interpretandum diuinam ſcripturam: eleuatq; à ſenſibilibus ad intelligibilia: à temporalibus ad æterna: & à corporalibus ad ſpiritualia: pro qua addiſcenda ad Deum accedendum eſt; iuxtà illud Pſal. *Accedite ad eum, & illuminamini, ſed qua via, ſeu virtute? humilitate: ſinite paruulos venire ad me: item puro corde: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Cabala impia eſt quoddam fictitium diabolicum

licum ad decipiendos in cautos, & nimis cumis curioſos;nititurq;docere modum ſciendi, & percipiendi omnia,imperandi naturę,impediendi cœlos à ſuis influxibus, ſiſtendi Solis curſum,diuidendi maria, ſiccandi flumina, totamq; naturam commutandi: attribuitq; ſibi miracula,de quibus vetus teſtamentum, hacq; falsò Cabaliſtæ volunt fuiſſe apprimè præditos Moyſen, Ioſue, Eliam, Eliſeum, aliosque Sanctos veteris teſtamenti miraculorum patratores. ità *Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiano, cap 7. §. de Arte Cabaliſtica*, faciunt tradita à *D. Thom. 2. 2. quæſ. 95. art. 8. Fabro aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 11.*

Verùm hoc Cabalæ ficticium toto cœlo vniuerſalitèr à ſanctis DD. refellitur, improbatur, deteſtaturq; à Sancta Matre Eccleſia Catholica Romana.

Primò,quia,cum narrantur S.Scripturæ miracula nuſquam fit mentio de Cabala, vt conſtat ipſam legenti.

Secundò,quia Sapientes Cabaliſtæ talia miracula nunquam patrarunt,neç modo patrant.

Tertiò,quia Iudæorum Phyloſophi,qui nedum hanc ſcientiam ſibi arrogant; ſed etiam contendunt ſuper alios edoctos eſſe; vi iſtius ſaltem à ſe duriſſimum ſeruitutis iugum, quo miſerè ſupra mille, & ſexcentis annis oppreſſi tenentur, excuterent.

De hac ficticia Cabala loquitur Decretum S. Inquiſitionis Romæ, quo damnantur omnes libri ad Cabalam pertinentes.

In ſenſu autèm,quo hæc Cabala damnatur notauit *Ioann. Picus in Apologia, quæſ. 4.* quòd non differt à Magia Demoniaca, & abuſiuè dicitur Cabala; falſumq; eſt Moyſem, & Prophetas, de quibus ſupra, miracula feciſſe hac arte: vel hanc artem emanaſſe à Moyſe ita vitiatam: ſed iſta fuit fictio quorundam Hebręorum rebus diuinis falſas, & vanas ſuperſtitiones miſcentium; qui, vt darent auctoritatem ſuperſtitionibus ſuis aſſeruerunt ipſam hoc modo à Moyſe emanaſſe.

Cognoſcitur autem vanitas in primis ex hoc ſigno; quia ſi Cabaliſtæ illam callerēt certè aliquam magnam mutationem in Ciuitatibus, Prouincijs,vel Regnis effeciſsēt:& ſe ad Imperia,aut Regna hoc modo eleuaſsēt;vndè opus eſſet tot armis, tot exercitibus, & ſimilibus; ideò vt vana eſt dimittēda;quòd ſi quid mirādū interdum ab iſtis efficitur, neceſſe eſt ope Dęmonum fieri; quod obſeruar potiſſimùm *Faber contra impios Atheos diſp. 1 cap. 11. nu. 137.*

Addo aliud ſignum: quia ſi daretur Cabala naturalis tot mirabilium patratrix; de illa profectò dixiſſet aliquid Ariſt., præſertim, cum ipſe 12. metaph. tex. vlt. & alibi nitatur oſtendere numerum,non poſſe exiſtere principia rerum, niſi per accidens.

Dico per accidens,quia ſunt quædam agentia, quæ tentata actione effectus tot vicibus: ver. gr. ter, ſepties &c. illum perficiunt rectè: quem non perficiunt tentata tantùm alijs diuerſis vicibus, vt bis, quater; & ideò ille numerus,quo ſolet res benè ſuccedere dicitur fauſtus: è contra verò numerus, quo res non benè ſuccedit, dicitur infauſtus.

DIFFICVLTAS III.

Quo nomine appellatur Cabala tam pia, quam impia.

Reſpondetur,quòd pia vocatur Arithmantica: impia verò appellatur Themantica; quòd patet ex diuiſione Cabalæ, quam ponit *Garzonus loc. cit. in Themanticam, & Arithmanticam.* Themantica ab Eccleſia omninò reſpuitur; quia quibuſdam nominibus diuinis parū notis nonnullas virtutes occultas ad præſtigia ordinatas attribuit: Cabala verò Arithmantica ab Eccleſia minimè eſt prohibita. Iſta enim agit de nominibus Dei notis per Sacram Scripturam ipſi attributis, ex ipſis eliciens myſteria in ipſius laudem: Agit item de nominibus Theologiæ tum myſticæ,tum ſymbolicæ: quæ nomina quomodo ad inuicem differant, aperiam, præmiſſo diſcrimine inter Theologiam myſticam,& ſymbolicam, prout infra.

DIFFICVLTAS IV.

Theologia myſtica à ſymbolica an differat.

Reſpondetur affirmatiuè: Theologia Myſtica ità nominatur; quia hoc nomen (Myſtica) deſignat quid abſconditum: ipſa nanque ſub ſe recondit myſteria: v. g. hoc nomen (Hieruſalem) myſticè abdita ſignificat: hoc .n nomine intelligitur anima intellectiua, Hieruſalem,quæ ſurſū eſt, & Eccleſia Cathol.

Theologia verò Symbolica talitèr nominatur; quia, quòd propriè conuenit creaturæ ſenſibili ob Symbolum inter ipſam, & Chriſtū attribuitur ipſi Chriſto: v. g. attribuitur ipſi hoc nomen (Petra) iuxtà illud S. Scripturæ: *Petra autem erat Chriſtus*; ob Symbolum, quòd eſt inter Petram materialem, & ipſum: nam quemadmodum Petra eſt maximæ fortitudinis: ità Chriſtus. Attribuitur ſimilitèr ipſi nomen Agni ob ſymbolum manſuetudinis inter Agnum, & Chriſtum &c.

Differunt itèm quo ad principalitatē: nam principalior eſt myſtica,quàm ſymbolica: patet primò: quia Symbolica nominat Deum tantummodò per negationem: vt Deus non eſt Petra,non eſt Leo &c. Myſtica verò nominat ipſum .s. Deum per affirmationem, eminentèr illi attribuendo nomina, quibus ipſum appellat: ex.gr. Deus eſt Angelus,ratio,mens, &c.

Secundò, quia nomina Symbolica aſſumūtur ex creaturis ſenſibilibus, vt viſum eſt: Myſtica autem ex inſenſibilibus, vti ſupra exemplificatum fuit.

Tertiò, quia Symbolica nominat Deū per id, quòd Theologus Symbolicus videt in alijs creaturis: Myſtica verò per id, quòd Myſticus Theologus experitur in ſe: ex. gr. Deus eſt dulcis,ſuauis,delectabilis &c.

Quar-

Quartò, vbi deſinit Theologia Symbolica; ibi incipit Myſtica: nam illa vtitur tantū creaturis viſibilibus: iſta verò præcisè creaturis inuiſibilibus, quæ ſunt altioris ordinis. legendus eſt *Capuleus ſuper Prim. ſent. Seraphici Bonau. in Quæſtionibus præludialibus. D. Bonau. de Myſt. Theol. Henricus Arphius item de Myſt. Theol.*

DIFFICVLTAS V.

An errent credentes veram Cabalam eſſe nunc etiam temporis apud Hebræos.

REſpondeo abſolutè eos errare. Ratio erroris eſt; primò, quia Cabala ex parte Dei eſt reuelatio; Hebręi autem nunc temporis non habent reuelationes.

Secundò, quia Cabala ad intelligendas Sacras Scripturas ordinata eſt, & vt plurimùm habetur à Sancto Spiritu; ſed Hebręi Sacras Scripturas ſecundùm iuſtum ſenſum modò intelligere non valent ob eorum incredulitatem iuxta illud: *Niſi credideritis, nō intelligetis.*

Tertiò, quia, ſi Hebręi hanc ſcientiam callerent; interdum ex Dei gratia in ipſis apparerēt illa prodigia, portenta, & miracula, quæ in filijs Eccleſiæ Catholicæ Romanæ videntur operari, de quibus dicitur: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. lege Petrum Gregorium in Syntaxi artis mirabilis tom. 1. lib 7. cap. 8* & videbis, quomodo vera Cabala ſuperſtitione Rabinorum conſpurcata fuerit.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An vſus artis Planetariæ ſit ſuperſtitioſus.

ARS Planetaria ità vocatur; quia licèt verſetur circa omnes cœlorum Stellas: attamèn quia potiſſimùm penès Planetas; ideò potiùs ars Planetaria, quā Stellaria appellatur à principaliori deſumpta denominatione.

Profeſſores, vt hanc artem auctorizent; aſſerunt à pręcipuis Phyloſophis adinuentam: traditam, ac excultam fuiſſe: originemq; ab Hebręorum Cabala traxiſſe.

Volunt iſti in primis Ariſtotilem, & Pitagoram habuiſſe annulos arte Planetaria formatos; Bedam itèm quandam habuiſſe imaginem prædicta arte conſtructam; quibus mediantibus repentè euaſerunt doctiſſimi.

Docent prætereà tàm Stellas Planetarias, quàm cęteras alias in ſuis influxibus vim abſolutam habere reddendi homines ſapientes in vna nocte.

Quomodo autèm hæc acquiratur, & exerceatur non eſt meum: ſed benè meæ partes ſunt hanc deteſtari, execrari, ac improbare; cū vndequaque exiſtat diabolica, tàm ex parte cauſæ efficientis, quàm finalis, vtpotè adinuenta à callido ſerpente ad finem perdendi nimis curioſos.

Reſpondeo modò difficultati affirmatiuè; nimirùm, vſum artis Planetariæ eſſe pœnitùs ſuperſtitioſum, & diabolicum: omniaq; huius artis ſuppoſita eſſe maxima abſurda; quod patet per ſingula diſcurrendo; conſtat de Stellis, quæ per ſe ſolis nullum reddiderūt ſapientem; cum (teſte experientia) nullus euaſerit doctus abſq; labore; hinc de Chriſto dicebant Iudęi: *Quomodo ſcit literas cū non didicerit.* cōſtat itèm omnes doctiſſimos viros, qui hucuſq; extiterūt maximo cum labore, ſolicitudine, ordine in addiſcendo, & genio in facultate, quam acquirere voluerunt; ſcientiam comparaſſe: quare falſiſſimum eſt Ariſtotilem Pitagoram, Bedam arte Planetaria de repente redditos fuiſſe doctiſſimos; teſtes huius veritatis ſunt longæ eorum peregrinationes vltra maria; teſtes ſunt inſignes eorum Magiſtri, quos longo tempore coluerunt: conſtatq; tàm annulos, quàm imagines Planetarias .s. factas ſub tali Planeta, tali, vel tali die, hora, aut ſtatione, ex ſe talem non habere virtutem (*teſte D. Auguſtino Decimo de Ciuit. Dei*) vt notat *Baptiſta Signa in libro de vero Studio Chriſtiano cap. 7. Angelicus Doctor 2. 2. quæſ. 96. art. 2. in reſp.* 2. quare concludendum eſt artis Planetariæ vſum eſſe prorsùs ſuperſtitioſum, diabolicum, ac omninò damnatum; & proindè ab ipſo tanquam à diabolico contagio lòngè recedendum: qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.

DIFFICVLTAS II.

An vſus artis ſpeculatoriæ ſit ſuperſtitioſus.

ARS ſpeculatoria eſt, quæ audet interpretari monſtra, portenta, oſtenta, & his ſimilia.

Monſtra ità dicta ſunt iuxtà *Iſidorum lib. 12. Aethymologiarum*; quia demonſtrant aliquod mirabile, quàm primum videndum.

Idem important oſtenta, & portenta, ſic dicta ab oſtendendo, & portendendo: habemus exemplum de mōſtris in 2. *Machabeorum cap. 5.* quibus viſis rogabant omnes in bonum monſtra conuerti.

Modò ad difficultatem reſpondetur, quòd ſolummodò eſt ſuperſtitioſus, & reprobatus vſus huius artis; quando rerum naturalium ordinem excedit; quemadmodum etiam eſt ſuperſtitioſus vſus cuiuſque generis auguriorū, qui non eſt ex natura rerum; & præcipuè, ſi ſuſcipiatur ex omine .i. ex verbis hominis ex improuiſo, caſu aliquo, nulla facta circa dicta conſideratione, nullaq; attentione intercedente. Sicut quoque ſuperſtitioſus eſt vſus aruſpicum, qui aſſignant horas; quibus quiq; ſe negotijs mancipare debent.

Verùm notandum interpretes, Monſtrorū, Portentarum, &c. non poſſe iure vocari Prophetas, nec videntes: de quibus S. Scriptura, pluribus in locis maximè 1 *Reg. c. 19.* quia tàm Prophetia, quàm viſio eſt reſpectu diuinorum: ſed potiùs appellari debent prognoſtici, aut diuini: cum verſentur circa prophana: Videns verò, & Propheta, licèt conueniant in obiecto; cum vterque reſpiciat diuina: differunt tamen; quia videntes non neceſſariò intelligunt, quæ vident: Prophetæ verò, quæ vident, etiam neceſſariò intelligunt; hinc in Cō-

cil.

cil. Toletano, vt Hæreticus condemnatus fuit Theodorus, qui aſſerebat Prophetas non intellexiſſe viſiones, aut Prophetias, quas habuerunt. faciunt, quæ tradit *Garzonus in Platea vniuerſali diſcurſu 40.*

DIFFICVLTAS III.

An ars Alchimica licitè exerceri poſſit, vel illicita, & ſuperſtitioſa exiſtat.

RAtio difficultatis potiſſimùm mihi eſt, quia *Angelus in verb. Alchimia*, eam, vt illicitam omninò condemnat.

Reſpondetur difficultati duobus propoſitionibus, quarum altera eſt, quod ars Alchimiæ ex ſe .i. ex ſua natura, & obiecto non eſt illicita, nec ſuperſtitioſa: nam vtitur naturalibus cauſis ad naturales effectus; quibus etiam aliquis bonus finis intendi poteſt. Quare *Sylueſ. verb. Alchimia*, ipſam computat inter ſcientias Philoſophiæ naturali ſubalternatas, verſantes circa opus corporale; quemadmodum etiam verſantur artes mechanicæ; & reducitur ad artem fabrilem quo ad materiam.

Præterea illa ars eſt licita, cuius exercitio homines poſſunt benè, & malè vti: *argumen. cap Negotium de Pœnitentia, diſt. 5.* ſed talis eſt ars Alchimiæ; cum poſſit producere effectus verè naturales communitati vtiles: ergò eſt licita ex ſua natura.

Altera propoſitio eſt, quod Alchimia ratione circumſtantiarum poteſt reddi illicita, ac ſuperſtitioſa: cuius ratio eſt, quia Alchimiſtæ ſæpè ſæpiùs ſunt inuocatores Dæmonum; nã quando non poſſunt pertingere ad finem intẽtum; Dæmonis auxilium quærunt: & tacitè, vel expreſsè ſacrificant, vt teſtatur *Eymericus Directo. Inquiſitorum Auctor digniſſimus.*

Verùm plurimum refert ſcire, à quibus ars Alchimiæ exerceatur: nam, ſi à Principibus diuitibus, & pecunioſis exerceatur, fortaſsè ſuſpicione vacabit: quòd ſecùs eſt, ſi à pauperibus, vel mediocritèr diuitibus; cuius ratio eſt, quia iſti ob huiuſmodi vanũ, & ſtultum exercitium ſæpè ad inopiam extremam reducti ſolent ſe conuertere ad Dæmones inuocandos; quare fiunt nouiſſima iſtorũ peiora prioribus. Hac de cauſa fortaſsè inductus fuit Angelus ad damnandam Alchimiam: vnum certum eſt, omnibusq; perſuadendũ; vt artem Alchimiæ vti periculoſam, & pernicioſam pro poſſe caueant; quòd ſi Alchimiſtæ volunt omnia reduci metalla ad pretioſum aurum; erogent illa pauperibus. ità *Franciſcus Pegna.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An vſus artis Angelicæ ſit ſuperſtitioſus.

TItulus ſiquidem huiuſce artis ſcientiæ Angelicæ primò acceſſu auribus humanis admodum reſonat: ſubleuatq; intellectum non parum; & propterea admodũ ad ſui amorem pellicit mentem humanam.

Not. primò, Profeſſores huius artis, vt eorũ diſcipulos decipiant; quemadmodum ipſi ab alijs ob eorum nimiam ſuperbiam curioſitate ſuffultam extiterunt decepti; artem huiuſmodi nimia auiditate affectantibus, pollicentur; ab Angelo ipſis ſubminiſtrandam ſiue inuiſibilitèr .s. per extaſim naturalem ipſis immiſſã: ſiue viſibilitèr Angelo in corpore aſſumpto familiaritèr eos alloquente.

Not. ſecundò, quòd hanc artem diuidunt in claram, & in obſcuram.

Not. tertiò, quemadmodum Hebræi diuinationibus Geomantiæ, Areomantiæ, Piromantiæ, &c. Cabalæ nomen impoſuerũt; quia ipſas ſub proprijs nominibus nôuerunt eſſe condemnatas: Ità ipſi, vtpotè Miniſtri iniquitatis, impoſuerunt iſti nomen Angelicæ; vt liberè .s. abſq; vlla ſuſpicione mali reciperetur.

Not. quartò, hanc artem velle, vt Angeli inuocentur veluti ſcientiarum Dij, ac Domini; nõ autèm, vt mediatores, aut interceſſores.

Not. quintò, quòd huius artis Profeſſores credunt Angelum, vel Angelos ad poſtulata concedenda tali die nocte, loco, &c. compelli: minitatosq; ad nutum petentis obtemperare.

Deniq; notandum Profeſſores huius artis inter poſtulandum, aut orandum ad vnam tm̃modo partẽ ſe vertunt: v.g. orientem verſus.

Reſpondent DD. concorditèr, quinimmò omnes ſanæ mentis hanc artem omninò exiſtere ſuperſtitioſiſſimam: à Dæmonibusque adinuentam: ac erroribus contra Fidem omninò refertam: conſtat per ſingula diſcurrendo.

Primò, quia, ſi ſunt Sancti Angeli inſtruunt hoĩem, vt abneget volũtatẽ, & refellat curioſitatẽ, iuxtà illud: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum: & tollat &c.* Angeli autèm artis Angelicæ illam enutriunt, vt curioſum finalitèr perdant.

Secundò, falſum eſt Angelos ſcientiarum eſſe Deos, aut Dominos: quia ſolus Deus Trinus, & vnum illarum eſt Dominus: *Deus ſcientiarum Dominus eſt.*

Tertiò, falſum eſt Angelos aliqua arte ab homine cõpelli; quia minor poteſtas .s. hominis, nihil poteſt ſupra maiorem, vz. Angelorũ.

Denique ſuperſtitioſum eſt, & penitùs abſurdum ſcientiarum donum ſolùm ad orientalem plagam petendum eſſe, quaſi Deus ibidẽ tantùm exiſtat, & non ſit vbique.

Nec obſtat, quod Eccleſia in orationibus publicis orat ad partem Orientis: quia in priuatis nihil decernit; relinquens, vt quiſque pro libito ſuo ſe vertat ad quam partem maluerit; quod denegat ars iſta diabolica. faciunt, quæ habet *Ioan Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiano, cap. 8.* idem concludendum eſt de ſimilibus, vt de arte Amadel, & arte Reuelationum, quæ ſunt ſuperſtitioſæ, falſæ, & vanæ. lege *Garzonum in Platea vniuerſali diſcurſu 41.*

DIFFICVLTAS II.

An vſus artis Paulinæ ſit ſuperſtitioſus.

PRimò notandum eſt inter artes diabolicas tenere eminentem locum illam, quæ Paulina nuncupatur.

Secundò, hanc artem nō à Paulo, vt nititur perſuadere Dęmon; ſed ab ipſomet Dęmone adinuentam; eamq; Paulinam inſcripſit duplici ex cauſa, quarum altera eſt, vt de D. Paulo vindictam ſumeret; quia pręmonuit homines, vt à Spiritibus erroris, & doctrinis Dęmoniorum cauerent, vt patet 1. *ad Timotheum cap.* 4. his verbis: *In nouiſſimis quidem temporibus diſcedent quidam à Fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.* Altera eſt, vt facilliùs ab incautis amplecteretur, tanquàm quoddam ſecretum à Deo D. Paulo reuelatum; quando ad tertium Cęlum raptus audiuit arcana ipſius Dei.

Tertiò, huiuſmodi artem Paulinis ipſa vtentibus promittere; quòd in curriculo quarundā hebdomadarum in qualibet ſcientia euadent docti.

Quartò, quemadmodum Dęmon primis noſtris Parētibus in primo ſtatu implicitè perſuaſit Deum eſſe inuidum: donumq; ſcientiarum pro ſe tantùm retinere velle; quòd ſatis colligitur ex illis verbis: *Nequaquam moriemini; ſcit .n. Deus, quòd in quacunque hora comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*; ſic nunc temporis idipſum pro poſſe perſuadere ſtudet, Deumq; velut inuidum, donum ſcientiarum perfectū cuiq̃ communicare nolle: & quòd ipſe totiùs ſcientiæ, qua naturalitèr præditus eſt; libentèr quoſque participes faciet: quibuſdam tamèn obſeruatis, quæ à Præceptoribus Artis Paulinæ edocentur; quæ ignorare bonum eſt; iuxtà illud *D. Aug. in Enchiridion: vz. Melius eſt aliqua neſcire .s. pro ſtatu iſto.*

Modò reſpondetur difficultati vſum Paulinæ artis eſſe ſuperſtitioſiſſimum, à Demone adinuentum: falſumq; eſſe Paulum hanc in cœleſtibus didiciſſe, aut in terris edocuiſſe: nam, ipſo teſte, quæ ibi audire dignatus eſt, nō fas eſt cuique loqui: audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui; quia ſicut ſanctiſſima, ità ineſplicabilia, omnimodè ab omni errore, & fallacia elongata: hæc autèm eſt vndequaq; erroribus, fallacijsq; plena.

Falſum itidèm eſt Deum nolle perfectum donum ſcientiæ cuiquam impertiri; nam illud impertitus eſt *Salomoni* 3. *Reg.* Prophetis, Apoſtolis, Doctoribusq; Eccleſiæ, alijsq; Sanctiſſimis, & eruditiſſimis viris in vnaquaque ſcientia; adeò, vt vnicuique iſtorum commodiſſimè aptari poſſit illud Eſa. 2. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus: Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ &c.* pollicitusq; eſt, quòd talis Spiritus ipſis pro loco, & tempore ſuggereret neceſſaria: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia &c.*

Eſt denique falſum, profeſſores huius artis in ſpatio quarundam hebdomadarum repleri ſcientia; quia licèt Dęmon ſit in ſcientijs doctiſſimus: tamèn, quemadmodum non poteſt alteri nocere, niſi quantum, quando, & modo, ſibi permiſſo: ità non poteſt docere quemquam, niſi quantùm patitur eius natura, quando, & quomodo ipſi permittitur; fortè pater mendacij docebit ſcientiæ veritatem? Princeps tenebrarū oſtendet ſcientiæ lumen? Auctor malorum in bonum alios diriget?

Quemadmodū volūtas hominis ab alio, q̃ à Deo nō ſatiatur; ità nec intellectus plenè edocetur: caueat itaq; vnuſquiſq;, ne in Diabolo, aut eius miniſtris aliquā habeat fiduciam, obtinendi ab ipſis ſcientiam; quia vel Deus hoc nō permittet: vel ſi ex iuſto iudicio interdū permiſerit; ad ipſius erit perniciem; quam potiſſimùm affectat, & intendit Demon; vt effectū principalem ſuæ Paulinæ. lege *Baptiſtam Signam de vero Studio Chriſtiano cap. 8. Theologos, & Summiſtas communitèr; verbo Permittere: verbo Curioſitas, & verbo Tentare Deum.*

DIFFICVLTAS XIII.

An vſus Clauiculæ Salomonis ſit ſuperſtitioſus.

Clauicula venit à Claui, tanquàm diminutiuum ipſius: & iuxtà mentem Clauicolariorum .i. inſtructorum arte Clauiculæ Salomonis.

Dicitur potiùs Clauicula, quàm Clauis; quia quemadmodum ſub parua Claue precioſiora obſerari ſolent; ità ſub Salomonis Clauicula volunt Profeſſores occludi arcana naturæ.

Dicitur Salomonis, quia ipſius Profeſſores teſtantur à ſapientiſſimo Salomone adinuentam fuiſſe; & propterea ab ipſius nomine, tanquam ab Auctore ſūpſiſſe denominationem.

Dicitur Clauicula; quia velut Clauis aperit carcerem: ità iſta docet modū ſoluendi Reos, eorumque manicas, aperiendi carceres, ligandique ſomno graui eorū Cuſtodes: Itèm qualitèr abſque Claui, & ſtrepitu ſeras domus, apothecæ, arcæ, arculæ &c. aperiri, & claudi poſſint (nullo remanente ſigno aperitionis) addiſcendi ſcientias repentè ſine vllo labore complectendi à fœminis nimio amore velint, nolint: i[illegible]m qualitèr ſolo intuitu, aut verbis fęminæ corruptio excitari poſſit, &c. volūtq; Salomonem hac arte ad ſuū amorem pellexiſſe quamplures fęminas cuiuſcunque ſectæ, & quidquid ſciuit hac didiciſſe arte.

Reſpondetur modò ad difficultatem vſum Clauiculæ Salomonis eſſe omninò damnatū, reprobatum, ac totum diabolicum: falſumq; eſſe Salomonem hanc clauiculā adinueniſſe, ſed iſtius adinuentor extitit Diabolus omniū ſuperſtitionum auctor principalis.

Dicant mihi Clauicularij, quando Salomon hanc ſecretorum Clauem adinuenit; aut dum adhuc eſſet pius, Deo obediens, & deuotus: aut dum eſſet impius, & idolatra: non in primo ſtatu: quia nō vacaſſet huic ſuperſtitioſiſſimæ impuriſſimæ, ac nequiſſimæ doctrinæ, cum non doceat niſi malè, & mala: nec in ſecundo ſtatu: quia nulla, vt ſic loquar, re indigebat, vt patet diſcurrendo: nō ſcientia, cum eſſet inter

omnes

omnes orientales ſapientiſſimus, à Deo ſic edoctus (teſte D. Scriptura) non diuitijs, cum eſſet ditiſſimus: non pace cum aliquo; quia fuit Rex pacificus: nō delitijs fętidis, quia fęminarū habuit apud ſe copioſiſſimum numerū: nec alijs voluptatibus; nam habuit propemodùm infinitum numerum equorum, curruum, &c.

Certum quippè eſt ex calliditate Dęmonis figmentum hoc vocari Salomonis Clauicula; vt vel ſic ipſius turpitudo ſub nomine doctiſſimi auctoris deliteat: & faciliùs ad ſui deſiderium quiſque pelliciatur; patet in ſimili de Paulina ſcientia, quam finxit à S. Paulo in raptu ad tertiū Cęlum fuiſſe perceptam: illamq; poſteà hominibus tradidiſſe. legendus eſt *Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiani, cap. 7.*

Nec verum eſt hac arte patrari dicta mirabilia: quod ſatis colligitur; quia iſtius Profeſſores, vt plurimùm, Sancti Tribunalis carceres replent; à quibus nec per ſe, nec per alium liberari valent; quare falſum eſt, quòd ligata aperiant: velut etiam falſum eſt dictos Profeſſores amari à fęminis etiam contra eorum voluntatem; nam (teſte communi Theologorum placito) voluntas ſemper libera manens minimè cogi poteſt.

Licet autèm homo ad libidinem excitari poſſit; non tamèn ad amorem iſtius, vel illius efficacitèr cogi poteſt: ſemper manente libera voluntate.

Falſum denique eſt hac, aliaue Dęmonis arte ſine labore ſcientiam infundi; cum infuſa ſcientia à ſolo Deo haberi poſſit: omne donū perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. *Iacobus Apoſt. cap. 1.*

ART. V. DIFFICVLTAS I.
An ars notoria ſit ſuperſtitioſa.

NOtandum primò artem notoriam eſſe quandam vanam obſeruantiam, qua quis ſuperſtitioſè per ieiunia, abſtinētias, & orationes verbales cum inſpectione quarundam figurarum, ſeu characterum, ac prolatione verborum ignotorum, & ſimilium ſcientiam adipiſci molitur.

Notandum eſt, quòd nonnulli putant hanc artem appellari notoriam; quia per ipſam Dęmon cuiuslibet rei notitiam pollicetur.

Alij ſentiunt ità vocari, quia exercetur per quaſdam notas, ſeu obſeruationes, vz. temporum, menſium, dierum, horarum, numerorū, figurarum &c.

Alij credunt ità nominari, quia vacantibus ipſi notum fit, quidquid affectant.

Ego autem cenſeo notoriam dici, quia notorium eſt apud Theologos, Canoniſtas, Summiſtas, & omnes DD. Catholicos eſſe infamiſſimam, ſacrilegam, dęmoniacam, ſuperſtitioſam, prorsùsq; abominabilem.

De Studētibus iſti, & ſimilibus artibus olim iam prædixit D. Paulus ad Thim. 1. cap. 4. ſequentia: *In nouiſſimis temporibus diſcedent quidā à Fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum*, quòd notauit in primis *Ioan. Baptiſta Signa de vero Studio Chriſtiano cap. 7. §. Vbi de arte notoria circa medium. Bartholomæus Sybilla in Compendio Peregrinarum qq. cap. 9. quæſ. 13.*

Expoſito nomine: Reſpondeo difficultati; hanc artem eſſe ſuperſtitioſam, tum quia vtitur ignotis caracteribus, & verbis, vti habetur 26. tum quia inuoluit tacitum cum Dęmone pactum; vt habetur ex ſignis nihil ad effectum facientibus: tum prætereà. quia certum eſt Dęmonem hominis intellectum minimè illuminare, ſed potiùs obſcurare (tamen intellige, vt infra *lib. 16 art. 1. diff. 1.*) traditio autèm ſcientiarum fit per illuminationem, qua Dęmon caret: Vndè *Auguſ. lib. 10. de Ciuit. Dei*, ità proloquitur: *Dæmonum operationibus, obſeruantijs, & purgationibus anima nec diuinam, nec veram ſcientiam adipiſcitur*, quod notat *Nider de Decem Præcep. Præcepto 1. cap. 11.* latiùs difficultate ſequenti.

DIFFICVLTAS II.
An Dæmon hominem quamlibet ſcientiam, in quouis breui tempore, edocere poſſit.

RESpō negatiuè, patet primò ex parte Dęmonis, qui non poteſt niſi, quod vires naturæ creatæ patiūtur: natura autèm creata, cū eius vis ſit limitata; niſi in limitato, & adaptato tempore cuiuſque capacitati operari valet: nec quis adaptari poteſt, niſi medijs naturalibus; quæ plus minuſuè temporis exigunt iuxta efficaciam agentis, capacitatem patientis, & perfectionem mediorum.

Secundò à parte Dei; qui ſicut ipſe tantùm illabitur animæ: ità ſolus illi ſcientiam infundere poteſt, in eodemq; pūcto vndequaq; eam perficere; hinc meritò dicitur Deus ſcientiarū, Deus virtutum; quòd ſanè præſtat quamprimùm ſibi videtur expediens; vti præſtitit Adæ, qui illicò prophetauit, dicens: *hoc nunc os ex oſſibus meis &c.* & Salomoni, qui repentè inter omnes orientales fuit doctiſſimus.

Tertiò, ex parte ipſius artis notoriæ, quę vtitur medijs ſuaptè natura nullam vim cauſandi ſcientiam habentibus: Vndè, quiſque meminiſſe debet, quòd quemadmodū Nabuchodonoſor præcepit ſuis ſubditis; vt nemo auderet petere aliquam gratiam ab alio, quàm ab ipſo ſub graui pœna .s. inijciendi illum in lacum leonum: ità Deus omnibus præcipit ſub pœna ignis infernalis, vt nemo pro conſequtione ſcientiarum, aut alterius beneficij ad alium, quàm ad ipſum immediatè, aut mediatè recurſum habeat; qui ſi illicò non exaudiatur; cogitet illud *Iſidori de Summo bono lib. 3. vz. quod ſæpè multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem.* item illud *Eccleſ. c. 19. Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem Altiſſimi: qui habet aures audiendi, audiat.*

DISTINCTIO SECVNDA,

De Actionibus, Rebus, ac Verbis, quæ licèt primo acceſſu ſuperſtitionem ſapere videantur, illam tamen minimè ſapiunt, loquimurq; de ſuperſtitione extenſo nomine.

Diſtinctio hæc tribus terminatur articulis prout infra.

Primus reſpicit actiones.

Secundus, Res.

Tertius, verba, ſeu propoſitiones.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Regis Galliæ virtus ad ſanandas ſtrumas ſit ſuperſtitioſa.

IVxtà *Calepinum ver. Struma*, ſtrumæ idem ſunt, ac ſcruſulæ circa guttur, veluti glandulæ ſanguine plenæ, quamuis in alijs quoque corporis humani membris gignantur; Vndè *Vocabularium Eccleſiaſticum, & Catholicum ver. Struma*, extendunt nomen ſtrumæ ad gibboſitates pectoris.

Strumoſus verò dicitur ille, qui hac laborat infirmitate, *Plin. lib. 11. cap. 37.*

Ad difficultatem reſpondetur negatiuè, ducorq; hac ratione: quia gratia ſanitatis, qualem cenſeo eſſe dictam virtutem Regis Galliæ, nō eſt dicenda ſuperſtitioſa; aliòquin omne ſingulare donum cuique à Deo datum, ſuperſtitioſum foret, quod abſurdum eſt vel cogitare; datur .n. ab ipſo diuiſio gratiarum iuxtà illud Apoſtoli: *Diuiſiones gratiarum ſunt, alij quidem ſic, alij verò ſic:* Vndè nō eſt intelligendum, vt multi vulgarium putant, huiuſmodi ſanitatis gratiam habere Galliæ Reges ex natura; quia ſic ſinguli ab ipſius ſanguine originem trahentes illa potirentur gratia, maximè, quòd ſæpè temperies, & complexio aliorum filiorum eſt ſimilior, quàm primi filij; & tamèn eſt ſolius Regis, cuiuſcunq; ſit qualitatis, ſiue bonus, ſiue nequam; quare dicēdum eſt, quòd hæc virtus ſit donum gratiæ gratis datæ; quale donum interdum etiam peccatoribus confertur: vt patet in ſimili de dono prophetiæ, iam Caiphæ collato. Nec itèm putandum eſt hanc virtutem ſequi dignitatem regalem; quia ſic omnes, & ſinguli Reges ſiue Galliç, ſiue Hiſpanici, ſiue Polonici &c, hoc gauderent dono, quod minimè conſtat: dicendum igitur eſſe donum ſpeciale Regi Galliç conceſſum; quòd ſanè ex alto recognoſcens; ad hanc conferendam ſanitatem pluribus diebus tum orationibus, tum ieiunijs, tum elemoſinis ſe preparat: & ſic accintus ad ęgrotos tangendos accedit; vt in primis notat *Leonardus Vairus de Faſcino lib. 3. cap. 6.* quare negandum eſt dictam virtutem ſanandi ſuperſtitionem ſapere; quòd .n. fauore alicuius introductum eſt, ad eius læſionem minimè retorquendum eſt, *l. Quod fauore, C. de Legibus, cap. Quod ob gratiam, de Reg. iur. in 6.* retorqueretur autèm dictum donum contra Galliæ Regem; ſi admitteremus ſuperſtitionem redolere; quòd nec ſuſpicandum video: nam cum hęc virtus notoriè ſtatis temporibus practicetur: & à S. Pontifice totum factum minimè ignoretur; ſi ſuperſtitionem aliquo modo oleret, minimè permitteretur.

Nec alijs Regibus, aut Principibus admirationem afferre debet; cur Deus potiùs illi Regi, quàm alteri hoc tribuat donum, quando vult, & pro quibus vult: nā ipſius iudicia ſunt imperſcrutabilia: & fortaſſe alijs Regibus, aut Principibus, vt mihi iuſtum eſt ſentire; aliud confert ſingulare donum; pro ſe ipſis, quòd occultum remanere vult: vnuſquiſque enim ſuum donum habet à Deo, alius quidem ſic: alius verò ſic. itā *Fauentinus loc. infra citando contra Pomponatium lib. de Incantationibus cap. 3.* qui ſentit eſſe donum à natura ſicut eſt in plātis, lapidibus, & animalibus: ſed fallitur, quia in prædictis rebus virtus ſanatiua ſequitur totam ſpeciem; Vndè omnes lapides, plantæ, & animalia eiuſdem ſpeciei habent eandem virtutem effectiuam: virtus autèm ſanandi ſtrumas ſequitur tantùm indiuiduum ſceptrum Regni habens: quare ſoluitur ſimilitudo per diſſimilitudinem.

Notandum eſt autem Galliæ Regem ſanare ſtrumas tantummodò inſtrumentalitèr, vt Dei miniſter: non autem efficientèr ſtrictè, .s. authoritatiuè; quod nō ignorās, ſimilibus vtitur verbis iuxtà Italicum idioma: nimirùm: *Io ti tocco, & Dio ti ſana.* legendus eſt *Guido tractatu ſecundo Chirurgiæ magnæ, doctrina ſecunda: Ioannes Tagaultius lib. 1. Inſtitutionum Chirurgicarum, Fauentinus aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 9. nu. 179. 180. 181. 156.*

DIFFICVLTAS II.
An cenſendæ ſint ſuperſtitioſa ſaltationes, exultationes, cantationes, cithariZationes, aliaq; lætitiæ ſigna, quæ Hiſpani in ſolemniſſima, & generali Proceſſione Auguſtiſſimi Corporis Chriſti ante ipſum præſtare conſueuerunt.

REſpondetur abſolutè negatiuè; aliòquin etiam ſaltus, & ludus Dauidici ante arcā Domini, dum deferebatur, dicendi forent ſuperſtitioſi, quod abſurdum eſt. patet ex parte huiuſmodi actionum, quæ habentur à Theologis indifferentes, ac ſumentes bonitatem à fine, iuxtà illud Phyloſ. *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt.* Finis autem eſt ſanctus, vz. viribus, corporis, præcordijsq; cordium laudandi Sanctiſſimum Sacramentum. patet ex parte Agentium; nam Hiſpani ęquè equidem, ac quælibet alia natio, lōgè feruēt ad laudes Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: vndè de eorū actionibus indifferentibus aliquid diabolicum vel ſuſpicari nefas eſt: Idipſum deniq; conſtat ex parte modi laudandi, qui (penſato obiecto

ab

ab Hiſpanis venerato, loco, tempore, præſentiaq; perſonarũ cuiuſcunque generis) nonniſi deuotionem redolet non minus, ac ipſi Hiſpani; qui depoſita eorum naturali grauitate, repleti feruore, ac pietate fiunt paruuli, vt ſint magni, contemnunt mundum, vt Deo appropinquent: eleuantur à terra, vt rapiantur in cęlum, nunc cum mente, vt poſtmodum corpore, ac ſpiritu: ſi dicas aliud videri aliquibus, reſpondeo hoc poſſe contingere; cum omne recipiens per modum recipientis recipiat; Vndè vulgatum prouer. habet: omnia munda mundis; ſicut è contra: omnia immunda immundis: dicamus itaque prædicta ſigna lętitiæ nullatenus ſapere ſuperſtitionem: ipſoſq; Hiſpanos non ferre præſente Domino ſe contineri; vndè non miror, ſi exiliunt, & exultant.

DIFFICVLTAS III.

An ſuperſtitioſum ſit mare annulo deſponſare, vti ſe gerit Sereniſs. Venetiarum Dux in die Aſcenſionis Chriſti.

Ratio difficultatis eſt, quia ad inſtar Sponſi erga Sponſam Sponſalitij capacem, annulo illud ſibi deſponſare contendit; quòd abſurdum apparet; cum inter homines præcisè intercedat coniugium.

Abſolutè reſpondetur minimè ſuperſtitioſum eſſe huiuſmodi maris ſponſalitium, quòd euidentèr probatur; tum quia illa annuli proiectio in mare, quam præſtat Sereniſſimus ille Dux; eſt præcisè quædam cęrimonia ciuilis ad deſignandum dominium Reipub. Venetæ in mare Adriaticum; quòd illo Sponſi in Sponſam ſibi annulo copulatam minus non extat; in cuius ſignum in ſtemmatibus dictæ Reipublicæ Leo tenet alterum pedem in terra, in mari alterum. legendus eſt *Martinus Delrius Diſquiſit. Magic. lib. 4. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 4.* in hæc verba proloquens ex mente infradictorũ. Scriptorum: Princeps Venetiarum annulo in mare iacto quotannis Adriaticũ ſibi deſponſat, dominationis, non magiæ argumentum: Deſponſat quoque in memoriam naualis victoriæ, quam glorioſè obtinuit dicta Sereniſs. Reſpublica, quæ (Duce Sebaſtiano Ziano) vicit Othonem filium Federici Ahenobarbi; captũ autèm, ac vinctũ obtulit Alexãdro III. Põtifici Maximo, qui Venetias profugerat; tunc Pontifex annulo de manu ſua ſibi detracto; illum dicto Ziano obtulit, dicens: auctoritate mea hoc annulo fretus, mare tibi ſubijcies: & quotannis tibi, poſteriſq; eo die, quo hanc victoriã pro Eccleſiæ defenſione obtinuiſti; deſpõſabis mare; vt ſciant omnes maris dominiũ tibi eſſe cõceſſum; quia Sedis Apoſtol. tuendæ curam, ac ſtudiũ fidelitèr ſuſcepiſti: ſit hoc tibi quaſi benedictionis pignus, ſecundæq; ſortis in futurum: ità *Villamontius lib. 1. Peregrinat. ſuæ cap. 34.* ſed prior illo *Sabellius decad. lib. 7. cap. 4. Martin. Delrius, vbi ſupra.*

Verùm dices, cur ſaltem iuxtà dicti S. Pontificis decretum eo die, quo glorioſè obtenta fuit victoria, non deſponſatur. Reſpondetur ſecreta Sereniſs. Reipub. Venetæ eſſe validè profunda: vndè de hiſq; non minus, ac de ipſius prudentia, notũ eſt, ꝙ nunquam ſatis dr̃.

Poſſumus tamen coniecturis procedendo dicere ſponſalitij translationem ſumma cum prudẽtia ad diem ſanctum Aſcenſionis Chriſti factam fuiſſe; tum vt celebriùs ſit ſponſalitium ratione Sanctiſſimi diei: tum ratione nundinarum illo die inceptarum: tum præterea ratione maioris concurſus gentium.

DIFFICVLTAS IV.

An Clericorum tonſura, ſeu raſura deſuper caput ad modum ſpheræ ſit ſuperſtitio, idemq; ſciſcitatur de mortuorum cœmeterijs.

Occaſio hanc mouendi difficultatem eſt, quia quidam *Hortenſius, de quo Paulus Gryſaldus in Deciſionibus Fidei Cathol. ver. Tonſura nu. 2.* temerè auſus fuit aſſerere Clericorum tonſuram vanam eſſe ſuperſtitionem, atq; hypocriſim.

Ratio verò dubitãdi eſt, tùm, quia Nazareis fuit interdicta raſura, *num. cap. 6.* tùm etiam, quia Leuitis idem fuit vetitum, *Leuit. cap. 19.*

Difficultati reſpondetur Clericorum tonſuram minimè eſſe ſuperſtitionem: ſed à Sancto Aniceto Summo Pontifice ordinatam: patet ex eius Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ in hæc verba: *Prohibite fratres per vniuerſas veſtrarum regionum Eccleſias, vt Clerici &c.* iuxtà Apoſtolum: *Comam non nutriant, ſed deſuper caput per modum ſphęræ radant, &c.* & Conc. Tolet. 4. can. 40. ità proloquitur: *Omnes Clerici, vel Lectores ſicut Leuitæ, & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant*, & in Act. c. 28 ſcriptum eſt: *Priſillam, & Aquilam Cæſariem abraſiſſe.* Idemq; non multò poſt Hieroſolymis feciſſe Paulum hortatu Iacobi Apoſtoli vnà cum pleriſq; alijs Diſcipulis, vt legitur Act. 21. & notat *Gryſal. loc. cit.* Ideò concludo raſuram non eſſe ſuperſtitionem, ſed haberi ex Apoſtolica traditione.

Nec obſtat, quòd Nazareis fuit diuetita: quia non fuit abſolutè: ſed tantùm pro loco, & tempore, donec .s. votum explerent: Vndè *num. loc. cit.* ſcriptum eſt, quod Nazarei priùs crine ſeruato; demùm poſt magnam vitæ continentiam caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere videbantur.

Item non obſtat, quòd Leuitis raſura fuerit prohibita; quia itidem non fuit ſimplicitèr eis prohibita; ſed donec in Terra Sancta extarent, ne ſimiles eſſent genti vicinæ.

Sed ſuppoſito etiam, quòd prædictis fuerit interdicta raſura; non proptereà colligitur in nobis eſſe ſuperſtitionem, vel diuetitam; cum nos ſimus liberi ab antiquis Sacerdotij legibus. Itidem eſtò aliquo in loco apud aliquem ex Patribus approbari capillaturam, tonſurãq; damnari; non per hoc colligitur illam damnari abſolutè; ſed quoad intentionem, ne .s. vana ſuperſtitione, aut alijs prauis de cauſis fiat: de

hac fuſiùs ſcribit *Turrian. lib. 5. cap. 19.* vt notat *Paulus Gryſaldus loc. cit. ſub fine*; Qui etiam verbo Cœmeteria reprobat, validèq; retundit temerarium auſum Lutheri aſſerentis mortuorum cœmeteria vana eſſe, ac Romanas ſuperſtitiones; cum à vetuſtiſſima Eccleſiæ Romanæ conſuetudine, & ritu originem traxiſſe conſtet; hinc Pius IV. in Bulla profeſſionis Fidei præcipit; vt approbatos Eccleſiæ ritus veneremur: illosq; præcipuè, intellige, quos per Apoſtolicam traditionem accepimus: Vndè toto conatu repellendi ſunt Lutherus, & Eraſmus; qui etiam auſi ſunt fari templa eſſe vana ſuperſtitione erecta; quos viriliter euincit, ac confundit prædict. *Doctor loc. cit. ver. Templum.*

DIFFICVLTAS V.

An actio incenſandi corpora mortuorum ſit ſuperſtitioſa, aut ſaltem vana.

RAtio difficultatis: tum quia exijt in prouerbium, quando quis inutile facit, vt dicat: *Tu dai l'incenſo à morti*: tum quia dirigitur incenſum verſus Cadauer, quod nullum percipit odorem.

Reſpondetur abſolutè negatiuè, & primò quo ad primam particulam; patet turificationis actionem erga Cadauer minimè eſſe ſuperſtitioſam; ſi attendatur ipſius ſignificatio: nam hac Eccleſiaſtica ceremonia deſignatur Eccleſiæ orationem pro defuncto præſente fieri iuxtà illud Pſalmi: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*; Vndè quemadmodùm ipſa orat (cadauere præſente) licèt non minus fructuosè orare poſſet (ipſo abſente) ità cadauer turificat; vt oſtendat orationes in ture ſignatas pro illius defuncti anima effundi; hinc Rituale Romanum doctrinam Concilij Trid. S. Patrum, ac Cathechiſmi Romani ſequutum admonet Paſtores curam animarũ habentes; vt ſibi ſubiectis, qua par eſt diligentia, oſtendant cęremoniarum, ac rituum ſignificationes.

Secundò, quia, quòd habetur ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis, non poteſt dici ſuperſtitioſum; huiuſmodi autem cęremonia turificãdi cadauer hominis habetur; vt conſtat ex Rituali, tum vbi de Exequijs mortuorum: tum vbi de ijs, quæ in Sacramentorũ adminiſtratione ſeruanda ſunt.

Tertiò, ſi ſuperſtitioſa eſſet huiuſmodi mortuorũ turificatio; plura ſequerentur abſurda, vz. quod etiam cęremoniæ ab ipſo Deo in veteri teſtamento traditæ ſuperſtitioſæ fuiſſent; nam de ſimilibus idem eſt iudicium. Itẽ quod ſuꝑſtitioſũ quoq; foret Eccleſiæ cęremoniale tàm vetus, quàm nouum, quæ ſingula abſurda ſunt, & ſubindè omninò cauenda. legendum eſt Rituale Romanum in vtroque loco, vbi ſupra; *Gryſaldus in Deciſionibus Fidei Cathol. loc. cit. in proxima antecedente diff. vbi de Clericorum tonſura, & cęmiterijs.* Rationale Diuinorum Officiorum, apud quod reperies Eccleſiæ Catholicæ ſingularum cęremoniarum, ac rituum ſignificationem myſterioſam.

Patet ſimilitèr difficultas, quo ad eius ſecundam particulam, nempè Eccleſiam non vacuè vti actione turificandi cadauer; nam hoc præſtat, vt aſtantes ad cęleſtium rerum cogitationem erigat, & attentos reddat; eſt .n. inſtituta nedum in defunctorũ ſalutem; ſed etiam ad viuorum pietatem excitandam: eſt prætereà verum religionis myſterium, Chriſtianæq; pietatis ſignum; Vndè Parochi admonentur, vt caueant, ne illas omittãt, ſed ſummo ſtudio ſeruent. *Rituale loc. cit.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ſit ſuperſtitioſum tenere, quòd iacens ſupinus horribiles patiatur viſiones.

REſpondetur negatiuè, ratio eſt; quia ità iacenti neruus, ſeu meatus fantaſiæ in anteriori parte cerebri exiſtens aperitur.

Pro cuius intelligentia ſciendum eſt in noſtro capite tres reperiri cellulas; vz. cellulam fantaſiæ in fronte: cellulam rationalis, ſeu cogitatiuæ in medio capitis: & cellulam memoriæ in poſteriori parte; quę aperiuntur ad ſuſcipiendos ſpiritus animales dictas potentias perficientes: & dicti ſpiritus cum dictis potentijs concurrunt ad fantaſiandum, ratiocinandum, & memorandum: Vndè, quando vult homo cogitare; vel alicuius rei recordari, inclinat caput ad terram verſus; quia ſic aperiuntur cellulæ tàm cogitatiuæ, quàm memoratiuę: quãdo verò vult aliquid fantaſiari; illud erigit ad cœlum verſus; quia ſic ſimilitèr aperitur cellula fantaſiæ.

Alia ratio redditur: quia .s. homini in dorſo, ſeu ſupino iacenti faciliùs humores mouẽtur ſurſum verſus fantaſiã; qui ex conſequenti ipſum diuerſis formis perturbare poſſunt. ità *Collector problematum Ariſt. vbi de Dorſo, & vbi de Capite.*

Ne ãt per incognita tẽdamus, expedit dicere ſpirituum .s. corporalium tria eſſe genera: alij ſunt vitales: alij animales: alij naturales; vitales generantur in corde pro calefaciendo corpore: ſpiritus naturales generãtur in Epate pro diſtributione ſanguinis per totum corpus: Spiritus autèm animales generantur in cerebro, pro animando toto corpore.

Verùm (ſtrictè loquendo) iſti nõ ſunt propriè ſpiritus: ſed talitèr nominantur ob eorũ ſubtilitatem; cum tamen reuera ſint corpora fortaſſe nõ minus aere ſubtiliora; Quinimmò participatiuè membra recipientia primariò dictos ſpiritus, vz. cor, pulmo, & cerebrum, dicuntur membra ſpiritualia iuxtà Medicorũ doctrinam: ſunt autem huiuſmodi ſpiritus tenuiſſimæ ſubſtantiæ, medium tenentes inter animam ſubtiliſſimam, & corpus craſſum, ac proximum animæ inſtrumentum, quibus motus, & ſenſus efficiuntur, & ſine quibus alimẽti diſtributio nequit fieri. *Leſſius in Opuſculis de Prouidentia numinis lib. 1. 6. ratio* [illegible]

DIF-

DIFFICVLTAS II.

An ſit ſuperſtitioſum tenere, quòd ſuſpenſis ſoli expoſitis creſcunt crines.

RESpondetur negatiuè, ratio eſt; quia, cum eorum corpora ſint ſoli obiecta, vt ſupponitur; ipſe ſuo calore totum humorem reſoluit in fumum; ex quo generantur, & augmentantur crines. ità ex *Collectore Problematũ Ariſt. loc. cit. §. Quare ſuſpenſis, &c.* notumq; eſt (teſte communi Phyloſophorum Schola) productio fieri ex humido, & calido: & vitã produci longior ex proportione dictarũ qualitatũ, vt notat *Phyloſ. de vita, & morte, de iuuẽtute, & ſenectute, de longitudine, & breuitate vitæ.*

DIFFICVLTAS III.

An ſit ſuperſtitioſum credere, quòd homines raucescũt inſpiciendo lupum.

REſpondetur negatiuè: ipſe nanq; cum ſit animal admodum vorax; vt patet ex *lib. de animalibus*, auidè ſumit cibum: & in tantã quantitate, vt tribus diebus ei ſufficiat; hinc aperiens os ſuum foras emittit humores crudos, groſſos, indigeſtos, ac frigidos ad debitam diſtantiam vſq; quos illius Inſpector trahens, inficitur: illiſq; conſtringitur eius pectus; vbi ſunt aliqua inſtrumenta ad vocem prorsùs neceſſaria; quo fit, vt raucitatem illicò ſentiat. patet in ſimili de Baſiliſco; qui etiam ab oculis humores venenoſos emittens, inficit hominem: è contra autèm lupus hominem inſpiciendo minimè inficitur, quia ab ipſo nonẽ exeunt vapores infeſtantes: Vndè inſcitè putant aliqui, quod etiam homo cauſet raucitatem in lupo, ſi ipſe priùs figat lumina in ipsũ: nam à diuerſis non fit illatio, quòd notat *Vairus de Faſcino lib. 2. Collector Problem. Ariſt. c. de Lingua, §. Quare ex luporum inſpectione.*

Verùm hæc dicta ſunt ad mentem Platonicorum, & Medicorum contra Ariſtotelicos, & Peripateticos: Quare notandum eſt Platonicos, & Medicos tenere, quod viſio fiat per extramiſſionem ſpirituum ab oculis ad obiecta: Ariſtotelicos verò, & Peripateticos ſentire, quòd viſio fiat per intramiſſionem ſpecierum: quia videre eſt pati, .i. recipere *2. de anima cap. de viſu*: adduntq; quòd viſio ſit actio immanens; non autem tranſiens, quia nihil poſt ſe relinquit, vti facit actio tranſiens.

Hoc autem annotaui: quia, qui ſequuntur Ariſt. tenent, quòd Baſilicus inficiat non per ſpiritus ab oculis emiſſos: ſed per Alitum, qui eſt virulentus, & hoc modo volunt mulierem menſtruatam etiam inficere ſpeculum, .s. per alitum, nares, & os, vt tradit *Ariſt. Problem. ſect. 7. de tabe, lippitudine, & ſcabie*: & Raucedinẽ in homine ex viſione Lupi naſci ex horribili eius aſpectu, & micantibus oculis timoremẽ, grauèm incutientibus; ex quo fit, vt ſanguis ad cor hominis ſe recipiat; & ſubindè cęteræ partes corporis frigeſcant; adduntq; quòd, ſi priùs homo videat Lupum, potiùs ille de repentè terreſit, & fugit. ità notauit *Faber. aduer. impios Atheos diſp. 1. cap. 9. nu. 168.*

DIFFICVLTAS IV.

An ſit ſuperſtitioſum tenere, quòd ſaliua hominis Ieiuni ſit medicinalis, v. g. ſanet vlcera, ſeu apoſtema.

NOtandum ante reſponſionem, quòd hic nõ eſt ſermo de Ieiuno Eccleſiaſtico ieiunio, cum ad rem nihil faciat; ſed de Ieiuno, ieiunio naturali excludente omnem cibi, vel potus ſumptionem, etiam per medicinam.

Reſpondent negatiuè *Collector Problema. Ariſt. loc. infra cit. & Leonardus Vairus de Faſcino, lib. 1. cap. 11.* eorum ratio eſt, quia ſaliuã hominis Ieiuni eſt melius digeſta, & ſubtiliata, quàm illa hominis ſaturati: nam illa Ieiuni eſt ſine vlla cibi craſitie, quæ illam ingroſſare ſolet.

Nec mirùm cuiquam videri debet; quia ſub altera qualitate, alterum quoq; effectum producere põt; quemadmodũ nec linguæ aliorũ animalium ſunt eiuſdem virtutis: ex. gr. canis linguam notum eſt eſſe medicinalem; illam verò equi peſtilentialem, teſte *Collect. Problem. Ariſt. vbi de Saliua. citans Auicennam: & vbi de Lingua.* Ratio verò diſcriminis aſſignatur; quia illa canis eſt multum poroſa; & propterea velut ſpugna attrahit, & tollit vulneris viſcoſitates; oppoſitas verò qualitates habet illa equi; quare non eſt mirùm, ſi effectus illius eſt contrarius.

Sed redeundo ad propoſitum ſaliuæ, notant Medici, tàm nimietatem illius, quàm defectũ eſſe ſigna indiſpoſitionis corporis: nam nimietas deſignat prędominium flegmæ: defectus verò prędominium caloris conſumentis ſaliuæ humidum.

DIFFICVLTAS V.

An ſit ſuperſtitioſum tenere corporis membra: v. gr. digitos manus eſſe groſſiores ſtomacho ieiuno, quàm poſt cibi ſumptionem.

REſpondetur negatiuè, & ità notauit *Albertus Magnus.* quem citat *Collector Problem. Ariſt. §. de Digitis manus*; cuius ratio eſt: tum quia homo ieiunus repletur humoribus, ac fumoſitatibus diuerſis, quæ ſingula ingroſſant membra: expelluntúrq; per cibi ſumptionem, quo ſumpto quodlibet membrum ſubtiliatur: tùm, quia poſt cibum ſumptum calor à membris exterioribus ad interiora ob cibi digeſtionem à natura delegatur; vndè exteriora membra graciliantur: ſed poſt digeſtionem è contra calor dirigitur ad exteriora, quę idcircò ingroſſantur.

DIFFICVLTAS VI.

An ſit ſuperſtitioſum tenere, quòd anhelitus ieiuni ſtomachi, magis fętet, quam poſt ſumptionem cibi.

REſpondetur negatiuè, ratio eſt; quia per caliditatem ventris fit diſſolutio humiditatum fętidarum, quibus fumantibus fit fętor, & ſentitur; dum non cooperitur cibis. ità ex *curſu Pariſienſium de Senſu, et Senſato, vbi de quolibetis circa ſaporem, & communitèr Phyloſ. de Senſu, & Sẽſato, & vbi de Generatione, & Corrupt.*

DIFFICVLTAS VII.

An ſit ſuperſtitioſum ſuſpicari, quòd (obſeruata Quadrageſima .ſ. ab eſu carnium) in die Paſchatis potius, quam in alia ſumpto cibo carnium, maximè pinguium, hominē infirmari.

RESpondetur negatiuè, cuius ratio eſſe poteſt; vel quia fortaſsè tali die ex deſiderio cibi noui nimis auidè comeſti: vel in maiori quantitate, quam ſtomachus exigat, inęqualitas humorum excitatur: vel ratione diuariationis cibi reſtrictiui in lenitiuum iam ſtomacho cibis reſtrictiuis propèmodum aſſueto ex decurſu quadraginta ſex dierum; quare tali die ex regula Galeni, & Hypocratis expedit ſummoperè, vt parùm carnis ſignantèr pinguis, comedatur; ab vno enim extremo per mediū, & paulatim ad aliud tranſeundū eſt; quouſq; iterùm ſtomachus cibo pingui aſſueſcat. faciunt, quæ tradit *Collector Problem. Ariſt. cap. de Stomacho, §. Quare nouus cibus &c.* Verùm reſolutio ſtomachi, ſeu cibi nocumentum (quātum ad rem noſtram pertinet) non prouenit ratione Quadrageſimæ: ſed ratione mutationis ciborum reſtrictiuorum (facta ferè aſſuefactione in vſu illorum) in relaxatiuos.

Sciendum demùm omnium, & ſingularum prædictarum difficultatum huius articuli, vnā generalem reddi rationem, .ſ. tùm, quia in dubio neminem peccare præſumendū eſt; *l. Merito, & l. Item apud labeonem. §. Si communem, ff. de Iureiurando*: tùm, quia in his, quæ habent ſpeciem mali; in dubio facienda eſt interpretatio in meliorem partem *c. 1. de Reg. iur.* tùm etiam, quia, cùm aliquid fit, de quo eſt dubiū, an poſſit fieri; eſt præſumendum eſſe factum ex cauſa, ex qua fieri poteſt, *l. Si cum dotem, §. Si pater. ff. Solut. matrim.* & probat *Corneus l. b. 3. Conſil. 217.* & pro Reo regularitèr præſumi ſolet, vt notat *Caphalus volum. 2 conſ. 172. num. 1.* tùm prætereà, quia in dubio magis præſumendum eſt honeſtum, quàm inhoneſtum, & turpe; *l. Miles, §. Defuncto, ff. de Adulter. & alibi*, quæ ſanè ratio, ſeu rationes afferuntur non in gratiam Iudicum, qui docti eſſe ſolent: ſed Confeſſariorū, qui primæ philoſophiæ minimè vacauerunt; ne faciliùs quàm par ſit, aſcribant ſuperſtitioni, quòd non eſt aſcribendum.

DIFFICVLTAS VIII.

An ſit ſuperſtitioſum tenere, quòd maſculi in principio ſuæ natiuitatis aliter vocem emittunt, quàm femellæ.

RESpondetur negatiuè. Maſculi nanque proferunt a, .i. vocē groſſiorem reſpectu vocis fęmellæ, tunc proferentis e, .i. vt vult Laberintus, obſeruat *Collector Problem. Ariſt. de Lingua, § de Raucedine vocis*, & notat *Pelbartus loc. infra citand.* hinc *Innocentius iu. de Contemptu mundi lib. 1. c. 6.* ità proloquitur: *Omnes naſcimur eiulantes, vt noſtram miſeriam exprimamus: Maſculus .n. recentèr natus dicit a. Fœmina verò e.* idem aſſerit *Cardanus de Rerum varietate correctus lib. 8. cap. 44.* ratio magiſtralis eſt ob contrictio viarum, & arteriarum vocalium, per quas intrat aer, & formatur vox, patet ex *Ariſt. quinto de generatione animalium*; & conſtat in ſimili de fiſtula parua, & ſtricta; quæ acutius ſonat, quàm magna, & lata: in fęmellis autèm arteria vocalis ob earum frigidam naturam reſpectiuè eſt magis contricta: frigidi enim eſt conſtringere: in maſculis verò ex maiori calore comparatiuè eſt latior; caloris enim eſt dilatare; idcircò in ipſis groſſior vox: verùm mutatur in maſculis tempore ſpermatis; in fęmellis autèm, cùm creſcunt notabilitèr earum mamillæ, vt tradit *Ariſt. 5. de animal.* quod declarat in ſimili; tùm de corda remiſſa, quæ grauiùs ſonat reſpectiuè, quàm priùs; tùm de caſtratis, & caponibus; qui mutāt vocem in acutiorem: ex tranſitu enim impubertatis ad pubertatem: non minùs, ac in ſubſtractione teſticulorū, vt plurimùm contingit vocis mutatio.

Sed ad rem noſtram de prima naſcentis voce; ſciendum eſt aliquos minùs peritos credere, quod maſculi conquerantur de Adamo ob cuius peccatum incipiunt ſubiacere infirmitatibus, ac huius mundi miſerijs; fęmellæ verò dicta voce conqueri de Eua, ex cuius ſuaſione Adam peccauit. Porrò hæc gratis dicuntur, cùm ob defectum ætatis inſcij ſint; de quo, vel qua conqueri poſſint; vndè cùm hæc ſint populares voces; non ſunt attendendæ, ſed contemnendæ.

Verùm ſentio infantem his vocibus ignorantèr prophetare ſe natum ad huius vitæ miſerias, & mortem; quas induxit Adam, & Eua, quòd notat *Pelbartus Roſar. Theol. par. 2. v. de gradibus, & terminis ætatum, §. 7.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An ſit ſuperſtitioſum illud vulgatum prouerbium, vi. Si non vis falli, fugias conſortia calui.

RESpondetur negatiuè, nam quamuis, ſi materialitèr, prout iacet, intelligatur, ſit propoſitio ſuperſtitionem redolens, ac falſa conſtituendo ipſum neceſſariò fallacem contra libertatem arbitrij: cum tamen non minùs, ac quilibet alius caluitie carens verax eſſe poſſit: vndè qui ex caluitie quempiam fallacem eſſe teneret; verè eſſet ſuperſtitioſus ſub ſpecie damnatæ diuinationis, denunciationiq; ſubiectus: Verùm, ſi prouerbium talitèr intelligatur, quod fallitur ſæpè ſæpiùs, qui putat caluum naturæ eſſe flegmaticę; cum potiùs ſit colericæ, & ſiccæ, ad iramq; procliuæ, non eſt ſuperſtitioſus; & hanc cenſeo eſſe propriam, ac veram dicti prouerbij intelligentiam. legendus eſt *Collector Problematum Ariſt. de Capite, §. Quare Calui, qui etiam loc. cit. § Quare homines calueſcunt &c.* notat, quòd eadem de cauſa homines calueſcunt, & arbores defoliantur; nimirùm ex defectu humiditatis, & caliditatis.

Verùm putant aliqui Ariſt. loqui, non de caluo ratione ſenectutis: ſed de illo, qui ante ſenectam calueſcit: & non ex accidenti; ſed

placet

placet dicere expoſitionem ſupradictam de vtriusque caluo fore intelligendam.

DIFFICVLTAS II.

An existat ſuperſtitioſum vulgatum illud, vz. nulla fides gobbis, ſi cæcus bonus eſt inter miracula ſcribe, &c. ideq; vtitur de illos.s. Cuncto à ſignatis.

RESpondeo negatiuè; his quippe dictis cenſeo velle indicare illos falli; qui credunt defectuoſos in corpore, eſſe quoq; tales in anima, diſcurſibus, tractatibus, ſeu contractibus; cum potiùs, vt plurimùm alijs aſtutiores inueniantur: nam fortaſsè ità diſpoſuit Deus; ne defectuoſus in corpore; iudicaretur diminutus in anima: immò in vno grauatus, in allo ſubleuatum eſſe, *l. Eum, qui ff. de Iure iurando.*

DIFFICVLTAS III.

An existat ſuperſtitioſum prouerbium illud contra ſpurios vulgatum, s. quòd rarò bona operantur.

REſpondetur affirmatiuè, nam illi non minus, ac legitimi bona operari queunt: ſed fortaſsè per hoc prouerbium, ſignatur, quòd eis non parùm nocent ſuorum parentum praua exempla: cum perſępè filij parentum mores ſequantur; vndè S. Scriptura ſignat miraculum grande: quod pereunte Core, filij eius non perirent, *num. cap. 26.* Vndè legitur de quodam, qui cum vidiſſet picturam Iouis, cum Dea Venere ſtantis in actu N. rupit in hæc verba: *Si Iupiter, & ego non? Si prima linea non eſt recta c. aliæ difficulter rectificantur: item quale ſigillum; talis figura impreſſa &c.*

DIFFICVLTAS IV.

An ſit ſuperſtitioſa propoſitio illa; videlicet: Roſſo dal mal pelo.

REſpõdetur diſtinctione ſic: ſi referatur ad mores, aut ad alia à volũtate illius hominis pendẽtia eſt falſa, ac ſapiens ſuperſtitionem: ſed ſi referatur ad qualitates infirmæ cõplexionis, ſecus dicendũ eſt: nam crines ruſi, & rubei generantur ex materia infirma, & debili, nimirùm ex materia menſtruali; vndè etiam citius caneſcunt, quod dilucidè docet *Ariſt. in Problemat.* & obſeruat eorum *Collector, §. Vbi, Quare crines ruſi citiùs albeſcunt, quam alij.*

DIFFICVLTAS V.

An ſit ſuperſtitioſum dictum illud mulierum, videlicet, quòd puer clamans in vtero eſt malum ſignum.

REſpondetur negatiuè; nam hoc dicto minimè intendunt diuinare eius futuros mores; ſed deſignant timorem, quo afficiuntur, ne proles moriatur: & clamor prolis in vtero (naturalitèr loquendo) eſt ſignum eius paſſionis; vndè de ipſius vita matres propèmodum deſperant: quòd autem proles ex vtero exiens ſtatim fleat; prouenit vel ob tranſitum à caliditate ad frigiditatem: vel quia habent mollia membra, quæ comprimuntur, dum exeunt per matricis portam: vel quia eius cerebrum ratione humiditatis compreſſum ſtillat humores; qui per oculos exitum petentes, lacrymas cauſant. ità ex *Collect. Problem. Ariſt. c. de Coitu, §. Quare mulieres aſſerũt, quod puer &c.*

DIFFICVLTAS VI.

An ſit ſuperſtitioſum verſum illum: Splen ridere facit; fel commouet iram, iecur amare facit.

NAM, etſi huiuſmodi actus electiuè non niſi à voluntate, quæ cogi non poteſt, deriuentur: inſtrumentalitèr tamen deriuantur à dictis membris, additis obiectis, riſum, iram, amorem, inducentibus: v. g. quia ſplen attrahit ad ſe humorem melancholicum tanquàm ad propriam ſedem, ibiq; conſumitur; & proindè illo deficiente; deficit effectus: humor autem melãcholicus eſt cauſa triſtitiæ, vt patet per *Ariſt. in Prohemio de Anima*; vndè conſumpto huiuſmodi humore ſequitur oppoſitum melancholiæ, ſeu triſtitiæ .s gaudiũ, & lætitia. Itidem fel commouet iram; vndè qui multũ habet de hoc humore; faciliùs alijs iraſcitur, niſi virtute cõtraria moderetur, quòd ſanè quiſq; poteſt: ſapiens enim non tantùm dominatur aſtris, ſed etiam paſſionibus; Similitèr idem ſuo modo dicendum eſt de iecore, nempè; quòd facit amare; cum ſit ſedes concupiſcentiæ naturalis, ac ſanguinis; ex cuius abundantia, & motione, maximè obiecto præſente, ſaltèm imaginariè inclinamur ad illo fruendum; legendus eſt *Pelbartus in Roſ. Theol. par. 2. ver. Corpus humanũ, §. 16 Collector Probl. Ariſt. de Splene, §. Quare ſplen &c.* qui inſimul addũt loc. cit. cor ſapere, & pulmonem loqui; quòd methaphoricè intelligẽdũ pro anima, & lingua, quorum alterũ intelligit: alterum loqtur, velut ẽt dicta membra faciũt ſuo modo.

DIFFICVLTAS VII.

An ſit ſuperſtitioſa propoſitio hæc; vz. Iudæos, vt plurimum pati Emoroidarum fluxum.

REſpondeo negatiuè cum *Collectore Problemetum Ariſt de fluxu Emoroidarum §. Quare Iudæi*; nam ſi loquamur theologicè, quid mirum, ſi Deus iuſtus Iudex Iudæos percuſſit in poſteriora dorſi; cum ipſimet tempore paſſionis flagellum ſanguinis ſupra ſe imprecauerint illis verbis: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Nec itidèm eſt ſuperſtitioſum, ſi naturalitèr loquamur: nam ipſi regularitèr cibarijs flegmaticis, & frigidis veſcuntur; ex quibus augetur ſanguis melancholicus; per fluxum Emoroidarum ſe expurgans; qui ſanè in dies etiam augetur ex pauore Chriſtianorum, quos iudicant tandem vindicaturos mortem Saluatoris Ieſu Chriſti ab ipſis illi iniuſtè illatam. ità ex *Collectore Problem. loc. cit.*

DIFFICVLTAS VIII.

An ſuperſtitioſa, falſaue ſit propoſitio illa, vz. virtus eſt in lapidibus, herbis, & verbis.

REſpondeo quo ad primam partem dictæ propoſitionis, nimirùm, quoad lapillos, & herbas nulli dubium eſſe, multos lapillos, & herbas plures, variasq; habere virtutes; quòd longum, ſuperfluum, ac ignorantiæ indicium foret demonſtrare; cum experientia notum ſit: nam teſte (*Ariſt. 8. Phyſ.*) quærere ratio-

nem

nem, & dimittere ſenſum, infirmitas quædam eſt intellectus, .s. ignorantia.

Quo verò ad verba diſtinguendum eſt; nam quædam ſunt ex ordinatione diuina: vel Eccleſiaſtica vim habentia; cuiuſmodi ſunt formæ Sacramentorum, & Sacramentalium. Quædam verò neutro dictorum modorũ vim habent; quales ſunt quædam orationes, quibus mulierculæ, & maleficæ vtuntur ad pellendos morbos non minùs hominum, quàm brutorum, & iumentorum; & hæ, cum nullo nitantur fundamento, ſuperſtitiosè habendæ ſunt. Notandum autèm verba (phyſicè loquendo) non modò quatenus vox, ſeu ſonus; ſed etiam quatenus verba vim habere alterandi, & immutandi. De verbis primo modo patet ex ſono citharæ Dauid; ex quo Saul alleuiabatur, teſte S. Scriptura ex 1. *lib. Reg. & ex 8. Politicorum*, vbi Ariſt. ità proloquitur; *Melodia iratos, & alijs paſſionibus occupatos ſæpè alleuiat ipſos lætos faciens.* Item patet de verbis ſecundo modo, quorum alia ad amorem alliciunt: alia ad odium prouocant, iuxtà eorum diuerſas qualitates; hinc *Leonardus Vairus de Faſcino lib. 1. c. 5.* dicit verba amatoria Faſcini vim habere.

DIFFICVLTAS IX.

An illa oratio: Angelo Santo, Angelo bianco &c. *ſit ſuperſtitioſa. vide* lib. 20. de Magia malefica.

DIFFICVLTAS X.

An Incantamentum illud verbale, cinque deti pongo al muro &c. *ſit ſuperſtitioſum, remiſſiuè eodem libro: Notare debes, quòd multæ aliæ propoſitiones in his Comment. referuntur ſuperſtitiosè; ſed notantur ſub alijs titulis; v. g. ſub nomine propoſitionum de hereſi ſuſpectarum. vide ſupra* lib. 14. diſt. 6. & 7. *vide etiam infra diſt. immediatè ſequenti, diff. 4. .s. an dentur verba ad ſanandum animalia.*

DISTINCTIO TERTIA.

De Superſtitionibus plebis, ſeu vulgarium.

Partitur autem in quatuor articulos, quorum

Primus reſpicit Superſtitiones circa animalia.

Secundus reſpicit Superſtitiones circa inanimata.

Tertius demonſtrat qualem Superſtitioſitatem contineat diuinatio vulgò bonauentura Cingararum.

Quartus deſignat alias Superſtitiones miſcellaneas.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An ſuperſtitioſum ſit credere vi Galli cantus conuentum maleficorum diſſipari.

RAtio difficultatis mihi eſt, quia *Martinus Delrius, Diſquiſit. Magic. lib. 6. cap. 2 ſect. 1. quæſ. 1. nu. 7. ex mente Nicolai Remigy lib. 1. de Dæmonomania. cap 14.* affert nonnulla extare exempla; quibus probatur ad Galli cantum Dæmones deiecisse ſtriges, quas vectabant: conuentumq; ipſarum Strigarum remanſiſſe diſſipatum: huc ſpectat illud Hymni Dominicæ diei; omnis erronum cohors viam nocendi deſerit; deſerit inquam poſt Galli cantum aduentante die; errones autem (teſte Calepino verbo Errones) ſunt vagantes hùc, illucq; noctis tempore ad nocendum; vti ſe habent Striges, & Strigones: vndè notare oportet, quòd legendum eſt erronum cohors iuxta Breuiarium nouum: non autem errorum chorus, vti in antiquo; erronũ eſt genitiuum pluralis numeri, & vertitur ſic, errones erronum, ſicut Venetiæ Venetiarum.

Reſpondetur difficultati diſtinctione; ſi intelligas Dæmones Galli cantu ſub aurora vinci ex vi illius cantus; falſum eſt, & ſuperſtitioſum; tum quia vis illius, ac omnium rerum ſuper terram virtute Dæmonum eſt inferior: iuxtà illud: *non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ipſis .s. Dæmonibus comparetur:* tum quia ad ipſos Dæmones, Strigones, aut Striges diſſipandas non habet maiorem vim cantus Galli, quàm Cuculi, aut alterius auis; cum ſinguli ſint æque Dæmonibus inferiores: nec maiorem ſuper illos habeant poteſtatem ſole præſente, q̃ abſente.

Si verò intelligas, quòd hoc cõtingit ratione myſteriorum, non eſt ſuperſtitioſum; quorum primum eſt, quia poſt Galli cantum incipit Sol ad noſtrum aduentare Hemiſphærium; Vndè ipſi tanquam malè agentes odio habent lucem: iuxtà illud: *Qui malè agit, odit lucem.*

Secundum eſt, quia Galli cantus excitat Religioſos ad Dei laudes.

Tertium eſt, quia tunc recordantur pœnitẽtiæ Petri Apoſtoli; qui ipſo cantu admonitus fleuit amarè.

Quartum, quia multi ad Galli cantum ſpreto cubili ſurgunt ad laborandum pro honore Dei, & ſuſtentatione propriæ familiæ; Quare fortaſsè memores illius proloquij D. Script. *Prou. c. 8. Qui mane vigilant ad me, inuenient me:* & illius Eccleſiæ, videlicèt; *Non ſit vobis vanũ mane ſurgere ante lucem, quia promiſit Deus coronam vigilantibus; maximo afficiuntur timore.*

DIFFICVLTAS II.

An ſuperſtitioſum ſit credere, quòd oua Gallinæ, quæ naſcuntur in die Paraſceue, ſpecialem vim habeant reſpectu aliorum, quæ alijs naſcuntur diebus.

OCcaſio difficultatis eſt, quia nonnulli, vt obſeruat *Martinus Delrius Diſquiſ. Magic. par. 2. lib 3. quæſ 4 ſect. 6. circa finem*, credunt ea vim habere ad eſtinguendũ incendium; ſi in ipſum inijciantur: hinc orta tali die à fæmellis obſignari ſolent; vt ſi cõtingat illa alicui dono impertiri; in primis de die Paraſceue Donatarium admoneant.

Ratio

Ratio dubitandi ſumitur tum in ſimili de rore, quæ colligitur nocte S. Ioannis Baptiſtæ, quam experimur potiorem habere vim ad ſanandã ſcabiem rore alijs collecta diebus: tum reſpectu multarum herbarum ea die (orto iam Sole) collectarum; quæ (teſte experientia) alijs altero die collectis virtuoſiores reperiuntur: tum præterea reſpectu plantarum, quæ eo die ante Solis ortum, dum adhuc rore perfunduntur, veniunt collectæ.

Reſpondeo difficultati affirmatiuè, petitur autem ratio primò à parte Gallinarum; quibus natura pro die Paraſceue nullam ſpecialem communicauit prerogatiuam; cum dies ille ſit mobilis .i. variabilis; ipſa verò natura inuariabilis, ad vnumq; determinata.

Secundò à parte diei, qua naturalis, cui nec orbes, nec ſydera aliquid ſingulare influunt.

Tertiò à parte item diei, ſed qua (Sanctus) nam ſi vis aliqua ſanctitati diei adſcribenda eſt; eadem quoque attribuenda erit ouis Gallinæ ortis diebus Natalis Domini, Reſurrectionis, Penthecoſtes, Aſſumptionis Deiparæ; quia hæc quoque ratione Myſteriorum forent Sãcta; & perindè pro varietate Myſterij ſanctioris, & minus Sancti, diuariaretur virtus ouorũ Gallinarum, quòd non eſt dicendum.

Quartò, à parte experientiæ veritatis magiſtræ, quæ ſæpè ſæpiùs aliud demonſtrauit; cum dicta oua contra ignem proiecta minimè illũ extinxerint: vndè, ſi quando contingat, vt his in ignem iniectis, extinguatur; diſpoſitioni potiùs diuinæ, quam virtuti ouorum aſſignari opere pretium eſt.

Quintò, ex parte deuotionis, aut bonæ fidei Agentis; quæ, quamuis excuſet in foro conſcientiæ à peccato; non tamèn efficit, vt habeat vim, quam de ſe non habet.

Non nego tamèn, quin interdum Deus attenta deuotione, & fide N. multa ei bona præſtet, quæ aliàs non præſtaret.

Nec reſolutioni obſtant rationes in contrarium: non prima de rore, quia ipſa potiùs vna nocte, quàm altera poteſt eſſe ſalubrior; quod in primis contingere poteſt nocte Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ; cum Sol ſit reductus ad ſtationem ſuam, hoc eſt ad perfectum reſpectu noſtri, .s. ad zenit, vbi magis diametralitèr, quã vſquam fuerit anno illo; nos (quatenus eſt ex parte ipſius præciſè) fortiùs benificat, & ſalubriùs rorificat: Vndè quædam plantulæ ante Solis ortum collectæ redduntur virtuoſiores; ſicut è contra aliæ reperiũtur meliores; ſi colligantur orto iam Sole pro herbarum, plantarumue qualitate diuerſa; quod potiſſimũ die, qua Sol eſt in Solſtitio, obtigere poteſt.

DIFFICVLTAS III.

An in die S. Firmi iterata conductio iumentorum circa eius templa à parte extra; vti multi idiotæ faciunt, ſit ſuperſtitioſa.

DIſtinctione opus eſt, ſi iumentorum iterata circa templum ductio exiſtimetur tã quàm per ſe efficax ſanitatis; eſt mortalitèr ſuperſtitioſa, niſi ignorantia inuincibili, vel bona fide quis excuſetur; at ſi huiuſmodi circunductio præciſè fiat, vt excitetur deuotio: v. g. ad extenſius, intenſiusq; precandum; non eſt ſuperſtitioſa. ità *Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſ. 13. Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 40. nu. 31.* quòd nouiſſimè notat *Carolus Baucius in Miſcellaneis practicis; vbi de vana obſeruantia, ibi, petes tertio.* idem notat *Nal. ver. Superſtitio, nu. 2.*

Idem patet in ſimili, quemadmodum enim teſte *Caſſiodoro Pſal. 115.* reſpectu quarundam neceſſitatum iterata recitatio huius verſiculi: *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiã laudis. pſ. 115.*; nõ eſt ſuperſtitioſa; ſi intelligatur, ꝙ iteratio dicti verſiculi excitet deuotionem, & fiduciam illum recitantis; ità iterata ductio iumentorum circa dicta templa S. Fir. facta prædicto fine. faciunt notata per *Martinum Delrium Diſquiſit. Magic. lib. 3. part. 2. qu. 4. ſect. 3. Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 40. nu. 36.*

Verùm, ſicut cum grano ſalis intelligenda eſt iteratio verſiculi ſupradicti, vz. vt gratia obtenta, aut obtinenda non adſcribatur ipſi repetitioni: ſed fidei, deuotioni, & perſeuerantiæ illum repetentis in honorem Dei; & in ſignum fiduciæ in ipſo: ità cum maturitate, & prudentia intelligenda eſt iterata iumentorum ductio circa dictum templum, .s. vt ſalus animalium, quæ interdum contingit, adſcribatur non ductioni, aut reductioni: ſed deuotioni, & confidentiæ reducentis ſemèl, iterùm, ac tertiò.

DIFFICVLTAS IV.

An peccatum ſuperſtitionis cõmittat, qui aliqua S. Scripturæ verba proferens, vtensq; quibuſdam ignotis characteribus à quacunque infirmitate ſanat animalia: v. g. equos, &c.

REſponſio eſt affirmatiua: patet primò; quia non datur generalitèr in Scriptura Sacra nomina prædictã vim habentia, ſcilicèt ad ſanandum quæque animalia à quauis infirmitate; dempto nomine Ieſu, de cuius potentia nũquam ſatis dr: & de quo ità proloquitur *S. Bernardus in Sermone de dicto Nomine: Vngit, & lenit, & quicunq; illud inuocauerit ſaluus erit, teſte Eccleſia in ſolemni Officio dicti Nominis:* patet exemplum in Claudo; qui ſedebat ad portam ſpecioſam templi Hieroſolymitani; vt peteret eleemoſinam ab introeuntibus in templum; qui in iſto Nomine ſtatìm recepit ſanitatem, vt videre eſt in *Act. Apoſt. cap. 3.*

Quemadmodũ autèm non dantur nomina, vt iam cautum eſt generalitèr ad omnem pellendam infirmitatem: ità non dantur ad hoc ſigna à Deo inſtituta per ſe efficacia præter Sacramenta: nec ab Eccleſia approbata præter ſignum Crucis; quæ potiùs curandarum animarum, quàm corporum vim habent; Vndè ſupereſt, vt quando datur ſanitas animali, hoc fiat ex Dæmonis pacto implicito, vel explicito. Nec obſtat, aliquando ſanitatem non impertiri;

pertiri;nam hoc euenire poteſt,quia verba,aut ſigna ex Dæmonis præſcripto non applicantur: vel quia deeſt aliqua conditio ab ipſo poſita: vel quia diuinitùs impeditur effectus, aut quia eius potentia, quæ vires naturæ non excedit; ad huiuſmodi effectum producendum non pertingit. lege *Leſſ, lib. 2. cap.43. de Superſtitione,& Franc.Ceſp.in dubijs militaribus dub* 49.

Vndè effectus ſanitatis non ſtatim, nec ſemper iudicandi ſunt ſuperſtitioſi; quia in Eccleſia Dei datur aliquibus gratia curationis; ſed cui data ſit in ſpecie difficile eſt cognoſcere; Vndè multa cum prudentia procedendum eſt in his caſibus.

Quare pro recuperanda ſanitate animaliũ, & pro alijs noſtris indigentijs ſatiùs, & ſalubrius eſt ad Dominum recurſum habere ſub his verbis poſtulata pollicitantem: petite, & accipietis, quęrite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.

Verùm, notandum eſt dari nonnulla Sanctorum nomina ſtylo Eccleſiæ Catholicæ approbante; quæ cenſentur ſpeciali priuilegio donata pro aliqua infirmitate curanda, patet de S. Lucia, Appollonia, Agatha, D. Antonio, S. Firmo &c.

DIFFICVLTAS V.

An illa credulitas, qua nonnulli ex vulgaribus exiſtimant illum, ad cuius præſentiam ignis cineribus cooperitur, vxorem minimè illo anno ducturum fore, ſit ſuperſtitioſa,

Reſpondetur abſolutè affirmatiuè, patet primò ex parte tàm ignis, quàm cinerũ; quæ, vtpotè corporalia in ſpiritualia agere nequeunt, iuxtà commune Theologorum placitum. Conſtat ſecundò ex parte formæ .s. cooperitionis ignis: nam huiuſmodi formalis actio nec naturalitèr, nec moralitèr hunc habet ordinem, aut effectum: vndè fruſtrà expectatur euentus, cuius nullum ſortimur effectũ, *l. Non videtur ff. de Iud.*

Manifeſtum eſt tertiò ex parte dictæ cooperitionis; quæ ſolet fieri præcisè, vt ignis diutiùs in ſuo eſſe conſeruetur; illius autèm conſeruatio tantùm abeſt; vt à propoſito ducendi vxorem abſolutè, vel ad tempus quempiam auertere queat; quemadmodum nec poteſt talitèr cooperiens huiuſmodi materiali actu: Vndè conſequens eſt, vt hæc credulitas; cum nullo ſolido nitatur fundamento; manifeſtè appareat ſuperſtitioſa, commentiumq; humanum; & proindè non attendenda, ſed toto Cœlo contemnenda iuxtà *l. Decurio C. de Pœ. le. vanæ voces populi non ſunt audiendæ.*

Verùm cenſeo huiuſmodi ſuperſtitionem apud populares potiùs eſſe in voce, quàm in creditu; attamèn ab ipſis eliminanda eſt, ne in dies ſumat vires; quod ſi interdum caſus obueniat; vt ille coram quo ignis fuit cineribus coopertus; anno illo, vel vnquam vxorem ducat; iudicandum eſt fortuitò eueniſſe: non autèm ob dictam ignis cooperitionẽ ad illius præſentiã: cum hac tamen limitatione, quòd ſi huiuſmodi actio ab efficiente dicto applicetur fini, cenſeatur vana, ac diabolica; quod ſatis patet ex iactis fundamentis. Verùm non omninò improbarem ſententiam excuſantẽ prædictam propoſitionem, ſi ſumatur non litteralitèr, ſed præcisè methaphoricè; non tanquàm cauſa, ſed tanquàm ſignum: cum .n. calidiores natura, & alacriores ſpiritu, vt plurimùm coniugium petant: & è contra frigidiores, & melancolici ad matrimoniũ nõ ſint tàm propenſi; deducitur eos, ſi tamdiù morentur apud ignem, vt expectent etiam illũ ante ſe cineribus operiri, frigidos, & pigros exiſtere; vndè perbelle dici poteſt vxorem non eſſe ducturos, dum manent ſub dictis qualitatibus.

DIFFICVLTAS VI.

An vanum, & ſuperſtitioſum ſit credere, quod loquantur animalia nocte præcedente diem Epiphaniæ.

Occaſio mouendi difficultatem eſt, quia vulgò dicitur nocte illa loqui beſtias.

Reſpondeo primò vanam eſſe prædictam vulgi credulitatem; quia nullo nititur fundamento: vanæ .n. ſunt voces populi, minimèq; audiendæ: certum quippè eſt, quòd locutio corporalis ſolius eſt hominis. Patet vanitas, tàm à parte Dei, quàm à parte creaturæ: Deus .n. & natura nihil agunt fruſtrà; fruſtratoria eſt autèm huiuſmodi locutio; cum nõ deſeruiat, nec pro ſalute corporali hominis: nec pro ſpirituali, cum illi ſatis prouiſum ſit, tàm à Deo lumine rationis mediante, quàm ab Eccleſia mediantibus Concionatoribus, Confeſſarijs, & Scriptoribus in omni facultate. Prætereà idipſum conſtat ex parte iumentorum, quæ abſq; miraculo nequeunt loqui: miracula autẽ non ſunt patranda abſque vrgenti cauſa; quæ in propoſito minimè apparet. Patet idem à parte Dęmonis, qui vera miracula nequit efficere; verùm autem miraculum foret; ſi poſſet irrationabilibus potentiam loquendi cõicare: eſſet enim beſtiarum naturam mutare, quòd impoſſibile eſt. Nec putandũ eſt interdũ vera effeciſſe miracula; quia ſemper fuit limitatæ potentiæ; limitata autèm potentia limitatum producit effectum; miraculũ verò exigit illimitatam, qualem nõ habet Demon: ideò &c.

Reſpondeo ſecundò ſuperſtitioſum quoque eſſe credere beſtias loqui; quod ſi alicui illa die, vel alia videatur illas audiuiſſe; vel hoc prouenit ex forti eius imaginatione, iuxta illud vulgatum, videlicèt, *fortis imaginatio facit caſum*: vel ex illuſione diabolica, vt hac via in aliquod inducat malũ, ſeu hęreſim; incipit enim à longè, vt propèſiat tandèm: v.g. ad dictũ finẽ perſuadet animas rationales migrare aliquãdo in iumentorum, & brutorum corpora.

Verùm attende vocem ex diabolica illuſione per ipſum formatam non eſſe perfectam, fortaſsè ex Dei diſpoſitione; qui ſemper relinquit nobis aliquod ſignum ad dignoſcendas eius tentationes, & aſtutias: conſtat non obſcurè

ſturè ex prima eius tētatione: apparuit nanq; Euæ in forma partim Virginis, & partim Serpentis (teſte Beda) vt ex hac varietate inſidias ſuſpicari poſſet. huc ſpectat illud D. Pauli; *Fidelis Deus, qui non permittit nos tentari ſupra id, quod poſſumus*. item illud; *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint*.

Dices Dæmonem poſſe facere quidquid hō poteſt; poteſt āt homo loqui; ergò idem poterit Dæmon: Reſpō propoſitionem maiorem intelligendam eſſe ſalua vtriuſque natura; natura autem Dæmonis nō eſt ad loquendū corporalitèr: immò aſſumpto corpore, cū careat inſtrumentis naturalibus; non poteſt niſi imperfectè loqui: vndè nec valet cōſequētia iſta .s. homo poteſt aliquid, quòd nō pōt Dæmon niſi apparētèr: v.g. ſemen decidere, mādūcare, dormire &c. ergò homo eſt potentior Dæmone; qa hęc nō cōpetūt naturæ ipſi⁹ Dæmonis.

Vrgebis, qui poteſt maius, poteſt & minùs, ſed Dæmon maiora, quàm homo facere poteſt; ergò & minora .s. quæ homo facit, & ęque perfectè, ac ille. Reſpondeo hoc eſſe verum in eodem genere cauſæ: quod ſecùs eſt in diuerſo genere; ex. gr. Cōcionator poteſt componere concionem: qui tamen nequit componere vaſa ex creta, licèt ſit minùs; ità Dæmon poteſt multa, quæ maiorem requirunt potentiam; qui tamen nequit, quæ minorem exigunt.

DIFFICVLTAS VII.

An ſuperſtitioſa ſit conteſtatio litis cum bruchis, locuſtis, cæteriſq; animalibus, quæ fructuum radices, & ſemina depaſcuntur, niſi intra ſibi limitatū tempus à campis, hortis &c. diſcedant.

RESpondetur affirmatiuè, ratio eſt, quia cū inſtituatur lis contra irrationalia, quæ quid agant, pœnitus ignorant; & inſtituta habeatur receſſus à dictis locis, qui certè adſcribendus non eſt conteſtationi, neq; caſui; ſed pacto cum Dæmone, aut primis Profeſſoribus dictæ ſuperſtitionis.

Non inquam conteſtationi, quam neſciunt, nec ſcire poſſunt ob rationis defectum: nec item caſui, quia ipſe eſt de rarò contingens; huiuſmodi autem receſſus ſæpè, immò vt plurimùm contingit; ſed (inquam) adſcribendus eſt pacto cum Dæmone, aut ſaltèm cū primis Profeſſoribus huius, aut ſimilium ſuperſtitionum. ità *Martinus Delrius Diſquiſit. Magic. lib. 6. monitione 11. circa medium. Ioan. Egid. Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 14. n. 14.*

Dices, quemadmodum contra animalia depaſcentia ſeminata inſtituuntur exorciſmi, vt patet ex *Sacerdotali Romano par. 2. pag. mihi 212.* ità inſtituitur lis. Reſpondeo diſſimilem eſſe rationem: nam exorciſmi non ordinantur immediatè contra illa animalia: ſed contra Dæmones, quorum opera dicta animalia ſunt introducta in damnum particularium; Conteſtatio autèm litis è contra non dirigitur immediatè contra Dæmones; ſed contra dicta animalia, quæ, cum non ſint ob aſſignatam rationem capacia conteſtationis litis; & tamen recedant (illa præſtita) indicium eſt manifeſtum opera Dæmonis fuiſſe inducta: & ipſius etiam opera receſſiſſe, ità Deo permittente.

Vrgebis conteſtationem litis non minùs exorciſmis eſſe cōtra Dæmones: ergò ſi exorciſmi non ſunt ſuperſtitioſi, nec conteſtatio litis. Reſpondeo negando antecedens: Eccleſia enim contra Dæmones non inſtituit conteſtationem litis: ſed ordinauit exorciſmos; quibus Dæmones cogi, & expelli poſſunt è corporibus, & locis infeſtis; ſecus eſt per litis conteſtationem; quamuis ipſi fingant ſe cogi, vt abducant Diſcipulos poſt ſe.

Quoniam autèm aliqui minus periti non ſolùm vtuntur conteſtatione pro dicto fine; ſed etiam illi addunt excommunicationē ſub anathemate præcipiendo dictis animalucijs, vt recedant à dictis locis; cogor illos admonere, vt iam caueant ab hoc abuſu; quoniam cedit in deriſionem excommunicationis, non ſecus ac ſi quis ſub excōmunicationis pœna iuberet canibus, ne latrarent, aut Lupis ne vlularent: nihilq; vtilitatis præſtat; cum non ſit ordinata contra irrationalia, ſed ſolùm contra hominē.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ſuperſtitioſum ſit creaturas inanimatas adiurare: ex. gr. aquam, vel ſal.

RAtio difficultatis eſt, quia ſola rationalis creatura ob reuerentiam rerum ſacrarum, & per amorem, vel timorem Dei ad aliquid agendum compelli poteſt: nam adiuratio eſt actio, per quam perſona precando, vel imperando ſub inuocatione rei ſacræ inducitur ad aliquid faciendum, vel omittendum, *S. Thom. 2. 2. quæſ. 90. art. 1.* creatura autèm irrationalis non poteſt induci ad opus, vel ad omiſſionem operis, vt notum eſt: ergò.

Reſpondetur difficultati diſtinctione: creaturæ inanimatæ dupliciter adiurari poſſunt; primò per ſe, & directè: ſecundò indirectè, & per ordinem ad creaturam rationalem .s. quatenus ipſam creaturam rationalem reſpiciunt, vel in ordine ad Deum: creaturæ inanimatæ per ſe, & directè minimè adiurari poſſunt; quia vt ſupra innui, ſola creatura rationalis congruentèr adiurari poteſt; cum etiam ipſa ſola rerum ſacrarum, reuerentia, amore, vel timore Dei ad aliquid operandum adſtringi poſſit.

Cæterùm, ſi loquamur indirectè, creaturæ etiam inanimatæ, quatenus .s. reſpiciunt creaturam rationalem benè adiurari poſſunt: Quare tàm aqua, quàm ſal exorcizatur, & adiuratur iuxtà illa Eccleſiæ verba; *adiuro te creatura aquæ &c.* quo fit, vt in eius vſu Deus ſtatim aſſiſtat Diaboli vires contundendo, eumque expellendo; itaut nocere nequeat: eadem ratione adiurantur locuſtæ, grandines, nubes, ne .s. noceant fructibus terræ; non per ſe, & directè; ſed per ordinem ad Dæmonem, vel ad Deū, à quibus moueri poſſunt.

Verùm

Verùm notandum, quod dùm adiurantur per ordinem ad Deum; vtimur adiuratione deprecatiua ipſum deprecando, vt auferat nociua; vtimur verò adiuratione imperatiua, dum dictę creaturæ adiurantur in ordine ad Dęmonem, illis imperando: ex. gr. per ſanctum Dei nomen, ne noceat deſiſtendo à maleficio. faciunt allata per *Bonac. loc. ſup. cit. Sprenger in Malleo Maleſic. par. 2. cap. 8. ſub principio poſt D. Thom. 1. 2. quaſt. 90.*

Prædicta diſtinctione ſatisfit etiam rationi difficultatis ab initio obiectæ.

An verò liceat adiurare creaturam irrationalem per ſe ad agendum proprium actum. Reſpondeo non licere; quia non mouetur à ſeipſa, ſed à Deo, vel eius permiſſu à Diabolo: *D. Thom. 2. 2. quaſ. 90. apud Bariolam in Aphoriſ. ver. Adiurare:* quinimmò nec Dæmonem, quamuis ſit creatura rationalis, ad effectũ obtinendi aliquod beneficiũ adiurare licet: ex. gr. ad repellendas tempeſtates; ratio eſt, tum quia talis adiuratio eſſet deprecatiua, quæ eſt iniuſta, & vetita, vt ſupra dixi; tùm quia non licet habere ſocietatem cum ipſo, velut habent expectantes ab ipſo aliquod beneficium.

DIFFICVLTAS II.

An ſit ſuperſtitio Imaginem alicuius Sancti in flumen proijcere: aut in eius ore reponere, donec pluuat.

Reſpondet *Nauarrus de Conſecrat. cap. 6 nu. 46.* quem ſequitur *Sanchez in Summa lib. 2. cap. 40. nu. 34. & Carolus Baucius in Miſcellaneis practicis tractatu de Superſtitione, vbi de vana obſeruantia. ibi, ver. Petes.* ſuperſtitionem eſſe; quia nec virtute naturali, nec inſtitutione diuina, nec Eccleſiaſtica habetur hic effectus.

Dices, non eſt ſuperſtitio proijcere Agnus Dei, cæreum Papalem in mare turbatum, vt quieſcat: aut in domum igne incenſam, vt ceſſet combuſtio domus. Item non cenſetur ſuperſtitio aqua luſtrali aſpergere domum Dęmonibus infeſtam, vt ceſſet perturbatio: ergò nec erit ſuperſtitio proijcere Imaginem Sancti in flumen, vt pluuat. Reſpõ negando ſimilitudinem: quia tàm Agnus, quàm aqua luſtralis, cum ſit quid Sacramentale ordinatũ contra prædicta ab Eccleſia; non intercedit ſuperſtitio: ſecus dicendum eſt de proiectione imaginis alicuius Sãcti in flumen, aut eius immiſſione in os ipſius: quia hæc non ſunt ſacramentalia.

Vrgebis, exemplis expertum eſſe interdum proiectione imaginis alicuius Sãcti in flumen, Cęlum protinùs dediſſe pluuiam: ergò

Reſpondetur hoc fortaſsè contigiſſe, vel aſtutia Dęmonum pluuiam excitantium, vt aſſueſcant homines huiuſmodi ſuperſtitioni: vel fortè ex Fide proicientium; quam Deus maximè attendit in ſimilibus caſibus.

Inſtabis, Fidem nihil efficere, cum ſit innixa ſuperſtitioni. Reſpondetur, vel proijciens in flumen imaginem Sancti ob dictum effectum cognoſcit ſuperſtitionem ibi coniunctam, vel illam omninò ignorat: ſi primum nihil operatur Fides: ſi verò ſecundum, ſecus dicendum eſt; habenturq; paſſim exempla ſuperſtitiosè operantium, ſed bona fide, ob quam patraſſe etiam miracula legimus.

Illa itèm eſt ſuperſtitio, qua quædam fęmellæ pro eorum libito (ſeruatis quibuſdam cæremonijs, excitant nedum pluuiam, ſed grandines, tonitrua, &c. quia nonniſi vi Dæmonum hæc contingunt.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An bonauentura, vt vulgò dicitur, quam Cingaræ, vel Cingari indocti impertiunt, ſit ſuperſtitioſa: & idẽ quæritur de illa, quam Cingarus, vel Cingara, aut alius Chiromantiæ vacans, impertit.

Loquendo de bonauẽtura ſimplicis viri, aut fęmellæ, reſpõdeo profectò ipſam non eſſe ſuperſtitioſam (ſuppoſitis duabus conditionibus) altera eſt, vt ex parte illam ſuſcipientis recipiatur cum riſu, ioci gratia, nullam illi præſtando fidem. Altera eſt, vt ex parte Cingaræ illam impertientis ſimilitèr detur non ſeriò, ſed ſolummodò ridiculosè, vel gratia expiſcandi aliquid; ratio eſt, quia circa hanc nullus, (vt ſuppono) decipitur, nec vllũ interuenit pactum cum Dęmone: (loquendo autem de bonauentura) quam impertit doctus Chyromanticus, diſtinguo; vel diuinat præcisè, quæ pertinent ad complexionem, ſeu temperamentum naturæ. s. corporis: vel diuinat pendentia ex libero arbitrio, vt matrimonia, aſſumptionem ſtatus monachalis, peccata patranda, vel iam patrata, ſed occulta. His habitis, dico Chyromanticum primo modo nõ eſſe ſuperſtitioſum, nec fore denunciandum, ſicut nec eius Chyromantia eſt damnanda: patet in ſimili de vtente Aſtrologia purè naturali; qui ex qualitatibus naturalibus, naturalia præcisè diuinando nõ cenſetur ſuperſtitioſus, nec eius ſcientia damnabilis: ſecus dicendum eſt de vtente Chyromantia ſecundò modo, .s. reſpectu dependentium à libero arbitrio, qui de hæreſi redditur clarè ſuſpectus, iam ipſo iure damnatus, & denunciandus; quod item claret in ſimili de Aſtrologo extra limites aſtrologiæ naturalis proſiliente prædicendo pendentia ab humana voluntate, vel à diuina gratia &c. qui ſimilitèr ipſo iure damnatur tanquam ſuſpectus de pacto ſaltèm tacito cũ Dęmone. legito *Eymericum part. 2. Direct. qu. 42. nu. 2. & ibi Penna Comm. 67. Qui eadem par. Comm. 54. cum Eym. vbi ſup. quaſt. 29. nu. 2.* ponit quales libri Chyroman. in ſpecie reprobãtur; vbi etiam notat reprobari libros decem annulorum Veneris cum alijs multis.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An alia ſint, quæ apud plebem ſuperſtitionem redoleant?

Reſpondetur affirmatiuè, & potiſſimùm ſequentia.

Primum eſt nolle tanquàm malum, ſeu nociuum pręſcindere vngues in die Veneris,

ris,

tis,vel in die Sabbati,vel detegere domum,aut quid ſimile.

Secundum, attribuere maiorem vim aquæ benedictæ in vno die, quàm in alio.

Tertium, recitare quaſdam orationes nocte D. Ioannis Baptiſtæ, vt ſibi manifeſtetur; cui quis,vel quæ nuptura ſit;ità ob eundem finem applicare nocte illa auditum; credendo nomen, quod audierit vocari, eſſe illud viri, vel mulieris in matrimonium ducendæ.

Quartum,credere firmitèr recitantes certas orationes, vel illas ſecum deferentes,non eſſe morti ſubitaneæ,vel alteri periculo ſubiectos: ſed fore ſemper benè fortunatos.

Quintum, conſulere Aſtrologos, quibus temporibus, horis, diebus &c. cum lucro ludendum ſit. Itèm vti annulis quibuſdam ad vincendum.

Sextum, vti ſacris verbis ad vana, vt ad pulſandas horas diei mediante annulo ad filum appenſo intrà vitreum craterem: idemq; dicẽdum de ſimilibus, vide ſupra *diſt. 1. art. 2. diff. 1.* harum autèm vna redditur ratio eſſentialis, videlicèt,quod tàm facta,quàm verba,.s. orationes ad Dæmonem referuntur; cum nec ex ordinatione Diuina,aut Eccleſiaſtica,nec ſua naturali proprietate ad hos effectus vim habeant. Redolet itidem ſuperſtitionem excommunicare locuſtas, cæteraque animalia hortis, viridarijs, campis &c. damnum inferentia; vt ſupra dictum fuit *diſt. 3. art. diff. 5.* quia, cum ſint incapacia excommunicationis: & nihilominùs plerunque illi cedant deſinendo nocere: id nõ procedit ex virtute excõmunicationis, ſed ex malitia Dæmonis auferentis huiuſmodi animalia; vt vel ſic vana hæc, & ſuperſtitioſa hominibus perſuadeat. conſtat ex diffinitione excommunicationis, quæ fertur præcisè contra hominem baptizatum contumacem: Eſt doctrina communis.

Sapit itidèm ſuperſtitionem vti certo miſſarum numero diebus continuis, & ſimilibus circunſtantijs tanquàm neceſſarijs ad effectũ ſpiritualem conſequendũ: quamuis .n. certus miſſarũ numerus in memoriã alicuiꝰ myſterij; aut maior ſolito candelarum numerus ad feſti ſolemnitatem pius ſit, & commendabilis: at certè vanum eſt illi numero ità inniti; vt credatur eo diminuto,vel aucto,aut interpellatione interueniente preces ſuo fruſtrari effectu. ità in ſpecie poſt alios adnotauit *Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 40. nu. 40. Nal. ver. Superſtitio nu. 11. in proprijs terminis.*

DISTINCTIO QVARTA.

De Superſtitionibus Peritorum, nimirũ circa quas potius periti, quam vulgares verſantur.

Circa quã quatuor figurabimus articulos.

Alter verſatur circa Fatum, & bonam animæ ſortitionem.

Alter circa Oliuam à meretrice plantatam, ac circa cadauer hominis ſanguinem emittens ad præſentiam Occiſoris.

Tertius, circa geſtationem quarundam rerum ſpiritualium.

Quartus, circa geſtationem quarundam rerum naturalium.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An ſuperſtitioſum ſit dicere, quòd Fatum, ideſt ſecundæ cauſæ concurrunt ad morum diuerſitatem.

Reſponſioni aliqua veniunt præmittenda.

Primum, cauſam primam, .s. Deum ſine cõcurſu ſecundæ operari multa,conſtat ex creatione mundi, animarum rationalium &c. ſecundas verò cauſas ſine prima nihil poſſe.

Secundum, ad productionem rerum corporalium concurrere effectiuè inſimul causã primam, & ſecundam, .s. diuinam prouidentiam,& Fatum, iuxtà illud vulgatum: *Deus ſol, & homo generat hominem.*

Tertium, horum inferiorum .s. rerum corporalium ordinationem dici tàm prouidentiã, quàm Fatum reſpectu diuerſorum: prout eſt à prima cauſa .s. à Deo, dicitur prouidentia: prout verò eſt à ſecundis cauſis, videlicèt à corporibus cœleſtibus, .s. à ſyderibus, alijsq; ſecundis cauſis, dicitur Fatum.

His præmiſſis; Reſpondeo minimè ſuperſtitioſum eſſe dicere ſecũdas cauſas aliqualitèr concurrere ad morum diuerſitatem. Dico aliqualitèr: quia ad iſtam quatuor ſimul conconcurrunt.

Primò, Deus, qui in neceſſarijs ad ſalutem nunquam alicui deficit.

Secũdò, boni habitus, quibus poſſumus cõſtanter contraire inclinationibus naturalibus; hinc videmus iracundos fieri manſuetos,luxurioſos caſtos,inuidos charitatiuos &c.

Tertiò,bona educatio,qua homo fit ſapiens ad dominandum aſtris.

Quartò,diuerſitas diſpoſitionis,ſeu aſpectus Planetarum,aliarumq; ſecundarum cauſarum diuerſam inducentium corporis complexionem, videlicèt, colericam, flecmaticam, ſanguineam, malencolicam; ex quibus habetur aliqualitèr diuerſa morum inclinatio: cui tamen plenè obſtare poteſt hominis voluntas; cuius libertati ab inclinatione naturali nihil demitur;quin penitùs bonum amplecti poſſit, & malũ cauere; Vndè nil obſtat, quòd Colerici ſint iracundi: Flegmatici, Pigri, Sanguinei, Benigni, Malencolici, Inuidi: nam omnes bona educatione inclinationem syderum euincere poſſunt.

Quare notandum eſt morum diuerſitatem remotiſſimè deriuari à ſtellis: remotè à complexione; immediatè autèm à libero arbitrio, ſeu voluntate cognitioni cōiuncta liberè operante: Infirmitates verò, & valetudines corporales; quæ interdum contingunt aliquibus, eodem tempore infirmando, & ſanando; vti legitur de multis, & quotidiana praxi experitur; ſecundum placitum Aſtrologorum procedūt, ex identitate cōſtellationum; ſecundum verò ſententiam Medicorum ex vnitate complexionum: ſed veritas eſt, quod initiatiuè deriuantur ex identitate conſtellationum: accidētalitèr autèm ex corporum abuſu; completiuè verò ex vnitate complexionis. legendus eſt *Scotus 2. ſent. diſt. 13. quæſt. fin. D. Bonau. in 2. diſt. 17. immò Hieremia cap. 10. ibi: A ſignis Cęli noli metuere, quæ gentes timent.*

DIFFICVLTAS II.

An ſuperſtitioſum ſit dicere de aliquo, quòd ſortitus eſt bonam animam.

CEnſeo huiuſmodi dictum non eſſe ſuperſtitioſum, ſi bono accipiatur ſenſu: nam ſi intelligas alicuius animam peccatum originale non contraxiſſe (dempta illa ſanctiſſimæ Virginis) falſum eſt: quia (teſte D. Paulo) omnes naſcimur filij iræ, filij vindictæ, filij gehennæ: itèm, teſte Ioanne Apoſtolo, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: peccauimus .n. omnes ſaltèm in Adam. Si verò dictum intelligas iuxtà traditam doctrinam in præcedēti difficultate, nimirùm; quòd ex bono cōcurſu, occurſu, & aſpectu ſyderum, maximè planetarum homo ſortiatur bonam corporis complexionem; cuius aliqualitèr .s. ex conſequenti participat anima ratione coniunctionis; ſic verum eſt: nullamq; ſuperſtitionem redolet hoc dictum: & in hoc ſenſu Sapientiſſimus Salomon de ſe ipſo ità proloquitur: *Sortitus ſum animam bonam*: bonam humorum complexionem, cui tamen contrariatus eſt abutendo libertate.

Cauendum tamen eſt, ne ex dictis ſuſpicemur aliquas animas de ſe malas eſſe; quia hoc falſum eſt; ſed omnes efficiuntur tales in conceptione ob tranſgreſſum præceptū in Adam: corporibusq; vnitæ inficiuntur peccato originali: iuxtà illud vulgatum: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.*

Cauendum itidèm his, qui bonam ſortiti ſunt animam .s. complexionem, quia per hanc non eſt ſibi ociandum: ſed multum laborandū operibus bonis inuigilando num rectè ſe gerant; ne cum Salomone, qui bonam (ipſo teſte) ſortitus fuerat animam; periclitentur in hoc præſenti ſtatu: & pro futuro relinquant ſub dubio eorum ſalutem, velut ipſe reliquit.

Sub eorundem Syderum cōſtellatione: ſub eadem temporis hora: ſub eodem Climate, ex eodem patre, & matre &c. nati ſunt Iacob, & Eſau; & tamen fuerunt longè in moribus diſſimiles; & quidem nō ratione cauſarum extrinſecarum, vt claret: ſed ratione maioris, minoriſue obſeruantiæ præceptorum naturalium.

Propterea parui facienda eſt conſideratio natalium Syderum, quam Genethliaci (vulgò Mathematici) magni faciunt; cum quotidiana experientia vera veritatis magiſtra aliud demonſtret.

Notandum autèm diſtingui Genethliacos à Planetarijs: nam alia eſt vis cuiuſq; Syderis, quàm Genethliaci contemplantur; & alius eſt influxus particularis cuiusque Planetæ, quem attendunt Planetarij: verùm ad noſtrum propoſitum neutriuſque conſiderationem magnificare debemus: nam de ſimilibus idem iudicium. *Arnaldus Albertinus de Agnoſcendis aſſertionibus Cathol. & Hæret. quæſ. 16. per totum. Scotus in 2. diſt. 14. quæſt. fin. Damaſcenus in 2. Sent. cit. ab Arſenal. vbi ſup. nu. 4.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ſuperſtitioſum ſit, quòd Oliua plantata à meretrice reddatur infructuoſa: plantata verò à caſta efficiatur fructifera.

QVidquid ſit de veritate, & demonſtrēt experientia, veritatis optima magiſtra; Reſpondeo negatiuè cū *Iacobo Sprenger in Malleo Maleficarum prim. par. quæſ. 1. ex mente Guglielmi*: nec miror, quia alia mirabilia praxi quotidiana videmus proprijs oculis; & præcipuè conſtat in ſimili de virga, qua reperitur aqua ad fodiendos puteos; quæ reſpectu aliquorum (pręſente aqua) flectitur erga illam; reſpectu verò aliorum minimè; cuius ratio naturalis nō ſatis nota eſt, ſicut nec iſta, de qua ſermo; Vndè quemadmodum temerariū eſſet illud abſconditum adſcribi virtuti diabolicæ, vt oſtenſum eſt ſuprà *diſt. 1. art. 3. diff. 4.* ita de hoc idem videtur: cum de ſimilibus idem eſſe debeat iudicium.

Conſtat itèm ſecundum naturales ſputum hominis ieiuni occidere Serpētem; eius verò rōnem eſſe multis ignotā: & tn̄ inſipiētis eſt dicere, hoc non intelligo: ergò non eſt ità: quia, quod vnus non intelligit, alius perſpicacioris ingenij cognoſcit: vndè Auguſt. in quadam Epiſt. inquit: *Quod tu non intelligis, fortaſsè nouit Aſellus*, idq; apparet tum reſpectu hominū, tum reſpectu Angelorum, tàm ſanctorum, quàm malorum: Vndè maiores minorū purgant inſcitiam. Et ſi quibuſdam minus peritis hæc videantur creditu difficilia; & fortè primo acceſſu ſuperſtitioſa: ſecus tamen videbitur peritis, quibus magis inherendum: id autem, quòd multis maximè doctis placet; non poteſt omninò falſum eſſe ſecundum *Phyloſ. de Somno, & vigilia in fine, & in 2. Ethicorum cap. 6.*

Narrat Geruaſius de Mirabilibus Mundi quoddam admiratione dignum contingens in in Gallia ſingulis annis circa feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, vt notat *Bercorius in Repertorio morali lib. 14. cap. 23.*

In Prouincia Narbonenſi eſt Caſtrum dictū Rome-

Romelias;in quo ſunt duæ Turres,ad quarum alteram ſingulis annis Scarabeorum infinita confluit multitudo circa feſtum S. Ioannis Baptiſtæ; quorum alij ſunt corpore maiores, alij minores,&c. & vt plurimùm ſunt cornuti; Iſti ſeptem, octoue diebus tanto impetu inſimul decertant; vt de mortuis ex ipſis vix platea poſtea mundari poſſit.

In territorio item Mediolanenſi in Monte Veteri, vulgò, Monte Vecchia circa idipſum S. Ioannis diem ad Eccleſiam illius confluit (vt ſic loquar) propèmodum infinitus numerus muſcarum rubearum; quæ eodem die ibi moriuntur.

In territorio itidem Bergomenſi eſt Eccleſia in ſupercilio cuiuſdam Montis; quæ vulgò appellatur *S. Gioanni dalle Formiche;* quò ſimilitèr dicta die S. Ioannis aduentat ferè innumerabilis formicarum multitudo; quæ ibi decubant, & illicò moriuntur.

Eandem multitudinem formicarum rubearum habentium alas obſeruaui confluiſſe, & expiràſſe in Turre Illuſtriſsimi Equitis Guardini Colleonis; quæ cōmunitèr dicitur Mons Giliorum, vulgò Monzei; veritatem autèm horum mirabilium comprobat anniuerſaria experientia: eſſentialem verò rationem taliū quis nouit? fortaſsè tamen cauſa eſt;quia cum dictæ formicæ ſint natura calidæ,vti coniecturatur ex colore rubeo; ſtatim, ac Sol ad Solſtitium venit; iam purgata terra ab humiditate, & frigiditate confugiunt ad illa loca, vtpotè altiora, & perindè magis frigida, vt ibi refrigerētur; ſed loco refrigerij, à frigiditate dictorum locorum tanquàm à valido cōtrario occiduntur; tranſitus .n. de extremo ad extremum illicò mortem cauſare poteſt; maximè in ſubiecto debili,quale eſt corpus dictorum animalu ciorum; quod non contingeret,ſi paulatim de extremo ad medium; & ab iſto ad aliud extremum ſe deportarent: euenit .n. plerumque, vt, quod alteri prodeſt, alteri obſit, *l. 1. in princip. ff. de contrahen. emption.* idemq; agens eodē in tempore cōtraria operari pōt(teſte experiētia) in Sole lutum cōdenſante,& ceram liquefaciente; quòd ſanè ex diuerſitate materiæ contingit.

DIFFICVLTAS II.

An ex cauſis ſuperſtitioſis contingat, quod à violentèr, & iniuſtè occiſo ad præſentiam occidentis exeat ſanguis.

NOtandum hanc difficultatem de poſſibili minimè moueri; quia ſic perſpicuum eſt hanc ſanguinis emanationem à Dæmone cauſari poſſe; tum vt detegatur occultus delinquens, ſcandalumq; oriatùr: tum vt innocenti hac ſanguinis emiſſione imputetur delictum.

Mouetur itaque de facto, circa quam dicēdum eſt ex alijs cauſis, quàm ſuperſtitioſis cōtingere poſſe ſanguinis emanationem ad præſentiam occiſoris.

Alij illam attribuunt prouocationi ſanguinis iam ab ipſo occiſore factæ;ſed hęc minimè placet; primò, quia prouocatio nunc non eſt, ſed fuit: & occiſi corpus amplius non habet ſanguinem,qui excitari poſſit. Secundò,quia idem contingit interdum etiam ad præſentiā Mandantis, qui phyſicè ſanguinem non prouocauit.

Alij illam adſcribunt antipatiæ naturali, ac occultæ inter occiſorem,& occiſum, vt in primis notat *Faber. aduerſ. Atheos diſp. 1. quæſ. 9. n.* 167. qui vult ex dicta antipatia Ruſpo hiante muſtellam animal paruum flauij coloris cum eiulatu quaſi coactam ſe inſerere ori eius; ſed quidquid ſit de hac antipatia inter Ruſpum, & muſtellā:ad rem veniēs,dico nec huius ſubtilis Doctoris ſenſū placere;quia interdum contingit, vt quis alium occidat non ratione antipatiæ, ſed lucri gratia; & tamen emanatio ſanguinis ad eius præſentiam proſilit.

Alij ſentiunt hoc eſſe naturale, ſed cauſam nobis eſſe ignotam, ſicut ſunt alia multa naturalia, quorum cauſas neſcimus: Verùm hoc naturæ minimè conſonum eſt: quia ipſa ad vnum determinatur, .i. ſemper eodem modo ſe habet ſub eadē exiſtente diſpoſitione, quòd hic non contingit;ſed variatur: nam interdum exit,& interdum non. Item ſequitur aliquandò immediatè,& aliquando etiam poſt multos dies.

Alij attribuunt factum occulto Dei iudicio allegantes pro ſe illud Pſal. 78. ***Vt innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris vltio ſanguinis ſeruorum ſuorum, qui effuſus eſt. ità Binsfeldius de Confeſs. Maleficarum, & Sagarum, prælud. 12. dub. 4. concl. 8. Cæſar Carena tract. de Offic. S. Inquiſ. par. 2. tit. 12. §. 22. nu.*** 187. & alij, quos citato nomine annuit; mihi probatur horum iudicium;primò,quia (vt dixi) experientia demonſtrauit interdum ad præſentiam occiſoris ſanguinem è corpore occiſi minimè exijſſe.

Secundò, quia duobus (notatum eſt) eandem occiſionem inſimul patrantibus ad alterius præſentiam ſanguinem exijſſe: ad alterius verò minimè: Vndè,quia iudicia Dei ſunt nobis abſcondita; conſulo Confeſſarijs, vt ſuos moneant pœnitentes, ex huiuſmodi incertis ſignis non iudicare quemquam reum, aut innocentem: nam graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia, *11. quæſ. 3. cap. Graue.* ità reſpondetur theologicè loquendo.

Ceterùm phyloſophicè reſpondetur hoc contingere poſſe: quia influxus cœlorum reſpectu illius loci,tēporis,& ſubiecti ità diſpoſiti excitat talitèr ſanguinis fluxum: Vndè egomet vidi ſemel, & iterum cadauer iam ad Eccleſiam delatum, ſanguinem fortaſsè ex apoſtemate congregatū è naribus emiſiſſe;& ſicut contingentèr accidit hoc emiſiſſe ſanguinem: ità poteſt ad aduētum occiſoris: ſicut me ſcribente interdum contingit Ecclypſis ſolis fieri: non quia ſcripſeram tali momento: nam meū

ſcribere nullatenus Ecclypſis cauſa fuit: Quo circà dicendum huiuſmodi ſanguinis fluxum ſe habere potiùs paſſiuè, quàm actiuè.

Itidem phyloſophica,ſeu naturalis ratio eſſe poteſt,quia patrator huius ſceleris ob facti fortem imaginationem talitèr ſe habet, vt omnes eius ſpiritus non ſolùm ebulliant; ſed etiam currant ad organa ipſius viſus, iuuamineq; aeris per ipſa exeuntes ad inflicta vulnera vſque deferantur; quæ, ſi recentia fuerint, ab ipſis ſanguinem educere poſſunt; quòd impoſſibile apparere non debet, attenta vi naturæ occulta in alijs rebus oſtenſa.

Patet in ſimili de corda vniſona; quæ tacta ad præſentiam alterius eiuſdem temperaturæ (poſita proportionata diſtantia) vi aeris moti elicit etiam illius tinnitum.

Patet idipſum de oculis infectis bonâ obiecti debitè diſtantis diſpoſitionem educentibus, contrariamq; introducentibus: & facit ad hoc illud *S. Scripturæ ad Galatas cap. 3. quis vos faſcinauit &c.* conſtat idem de cepte, aleo, pepe &c. quorum vi (ſuppoſita conuenienti approximatione) ab oculis pręſentium perceptibilitèr lachrymæ exhauriuntur.

Claret denique de animali, vulgò, Galgalo; qui vi naturæ ſua præſentia elicit ab ægro ictericum morbum;ſed ipſe moritur,quod in primis notat *Plinius lib. 30. cap. 11. Calepinus ver. Ictericium. Collector Problem. Ariſt. vbi de lingua, §. Quare interfectus &c. Leonardus Vairus de Faſcino lib. 1. cap. 3. item lib. 2. c. 10. Fauentinus aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 9. nu. 153. in fine.*

Vndè aliqua veniunt notanda; Primum eſt, quod nec Ariſtotelis: nec alius Phyloſophorũ nouit omnia naturæ ſecreta.

Secundum eſt, quòd,quemadmodũ ad plura ſe extendit theologia Angelorum, quàm viatorum .i. hominum; ità dicendum eſt de ipſorum phyloſophia.vz. quod plura complectatur (loquor autem de facto) quia de poſſibili poteſt vtraque coequari.

Tertium eſt, quòd hominum etiam alius nouit ſæpè ſæpiùs, quod alter ignorat iuxtà illud D. Auguſtini in quadam Epiſtola ad S.Hieronymũ,vz. *Quod tu nõ noſti fortaſsè nouit Aſellus. illuſtro rem exemplo*: Ego à multis annis ignoraui ignẽ ex lignis Iuniperorũ ſuis cineribus coopertũ anno integro conſeruari: quod tamen iam iam diù notum fuerat *Auctori libri Catholicon. ver. Iuniperus, & Nicolao de Lira, qui ad Pſal. 119. .ſ. ad Dominum cum tribularer, ibi, cũ Carbonibus deſolatorijs,* habet in trãſlatione Hieronymi,& in Hebręo legi, cum Carbonibus Iuniperorum; qui diù conſeruantur .s. per annum,ſi proprijs cineribus cooperiantur: Vndè ſecundum *Catholicon loc. cit* dicitur Iuniperus à gigno gignis, & pir .i. ignis, quaſi gigens ignem.

Quartum eſt,quòd tàm phyloſophia Angelorum, quàm hominum non agit vltra ſphęram ſuæ actiuitatis: ſed præcisè iuxtà vires propriæ naturæ: Vndè falſum exiſtimo, quòd morſus à Donnula nõ conualeſcat, quouſque illa moriatur, licèt ipſe offenſus multis milliaribus à loco, vbi illa probabilitèr degere ſolet, ſe elonget: quia nec illius animalis influxus, ſicut nec aliorum: verb. grat. Baſiliſci non agit vltrà ſphęram ſuę actiuitatis: quare potiùs videtur dicendum,quod procedat ex influxu cæleſti, qui dum conſeruat qualitatem illam in Donnula, illam quoque conſeruat in morſu ſauciato. Vndè illa ceſſante ex cõcurſu ætatis,& diſpoſitionis corporis Donnulæ,cum non exiſtat abſque ſua eſſentia; ceſſat quoque illa maligna qualitas in morſu ſauciato, cum talis qualitas in ipſo fuerit eiuſdem rationis.

Verùm ratio hæc nonnullas patitur difficultates, nõ ſatis animum ſpeculantis quietantes, quòd longum, & inutile foret illas in medium afferre: quare ſatius eſt fateri propriam ignorantiam; referendo illas ad potiorem Phyloſophum.

Quintum denique, & vltimũ eſt, quòd nonnulla ſunt naturalia; quæ licèt videantur actiua: attamen,ſi interiùs,ſubtiliùsq;conſiderentur, ſunt potiùs paſſiua: ex. gr. & ſi Magnes videatur agere .i. ſe vertere, quantum poteſt, ad ſtellam polarem verſus,nec quieſcere quouſque illam inueniat: attamen cenſeo potiùs pati, .i. ad illam trahi: nam (teſte communi Phyloſophorum placito) hæc inferiora non agunt in cęleſtia: ſed benè è contra cęleſtia in hæc inferiora.

Dices, Magnetẽ ſe indeſinentèr dimouere quouſque reperiat polum: ergo agit. Reſpondeo hoc contingere non ex vi Magnetis; ſed ex vi ſtellæ, quæ non æquè efficacitèr agit in rem non directè ſibi oppoſitam, ac in illam rectè, ſeu diametralitèr; vndè,cum talitèr habeat illã ſibi obiectã; ità eam firmat,vt amplius nõ dimoueatur, manente in tali ſitu. Patet,ſi attendamus,quantum ſtella operetur in parietem ſibi oppoſitum directè.

Itidem potiùs paſſiuè, quàm actiuè ſe habẽt homines illi,qui ad inſtar chorizantium ſe dimouent ad Solis occaſum vſq; quo cadente illicò procumbunt, vt plerumque experientia viſum fuit); Vndè, quamuis huiuſmodi motus, & ſaltus ex fortitudine contingere videantur: attamen potiùs ex neruorum debilitate accidunt, vt patet etiam in motu ex paraliſi; qui ex debilitate virium oritur; ſaltus nanque illi, ac corporis reuerſiones fiunt vi naturæ ad ſumendum vires, æquè ac illi, qui incipientes cadere, ſtatim ſaltitant ſiſtendo greſſum: conſtat, quia Sole, quo eorum infirmitas fulciebatur,occidẽte, cadunt in terram; qui iterum ad nos vicinius accedens; vires, quas ipſo pręſente habebant,reaſsumunt.

Alij aſſignant hoc contingere ex diſpoſitione diuina ad animaduertendum aliquod eorũ, vel parentum ſcelus: ſed ſatis graue eſt,vt in re

dubia

dubia certa detur ſententia *11. quaſ. 3. c. Graue.* Pſalmis ratione numeri nullam ineſſe virtutẽ.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An ſit ſuperſtitio deferre ad collum Euangelium, v. g. Sancti Ioannis.

Reſpondetur negatiuè: nam quemadmodum licitum eſt Euangelia ſuper infirmos ore proferre: vt patet ex *Rituali Romano*: ità licitum eſt ſecum deferre Euangelia, & ad collum ſuſpenſa habere.

Verùm verba S. Euangelij meliùs proſunt poſita in intellectu, quàm circa collum ſuſpẽſa: & cui in auribus nihil proſunt, quomodo proſunt poſita circa collum? ratio eſt, quia virtus Euangelij, vel eſt in figuris litterarum, vel in eius obſeruatione; ſed non in figuris litterarum; ſed in eius obſeruatione: ergò etiam meliùs proſunt poſita in intellectu, quàm circa collum ſuſpenſa. faciunt, quæ tradunt *Ioan. Chriſoſ. ſuper Matth. & Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum, quaſ. 2. c. 6.* Aduertendum tamen, quòd, quamuis magis præſtet Euangelij verba portare in corde per obſeruantiam, quã ad collum ſuſpenſa; nolo tamen per hoc inferre; quin etiam proſint corpori viuẽti alligata, maximè à maleficijs prçſeruando, vt docet *Sprenger lib. cit. par. 2. quaſ. 1.*

DIFFICVLTAS II.

An geſtans Reliquias, vel aliud ſacrum fornicando ſpeciale committat peccatum ratione irreuerentiæ.

Reſpondeo nõ eſſe peccatum ſpeciale fornicando: vel aliud committendo peccatum; dum actualitèr geſtantur reliquiæ, aut alia ſacra; modò ea turpitèr nõ pertractentur; non pertractantur autèm talitèr ratione portationis tempore, quo quis fornicatur; ſed ſolùm, quando his abutitur: ver. gr. adhibendo eas ad aliquod maleficium patrandum, vti faciunt Strigæ nequitèr illis vtendo ad malum; Vndè, ſic irrogant eis ſpecialem iniuriam: redditur autem ratio, tum quia nullo ſpeciali iure id prohibitum eſt: tum quia fornicãs actu fornicãdi non opponitur directè cultui debito Reliquijs: quia non contrectantur turpitèr, vt ſuppono. ità *Sanchez lib. 2. Oper. Moral. cap. 40. Filiucius tract. 24. cap. 6 nu. 144 & 145. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 10. n. 17.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An geſtatio annulorum, lapidum, imaginum aſtronomicarum, aut breuium in carta virginea inſcriptorum &c. ſit ſuperſtitioſa.

Reſpondeo attendendum eſſe diligẽtèr, an res, quæ geſtatur, virtutem habeat naturalem producendi effectum, pro quo fertur: v. g. liberandi ab aliqua infirmitate; quod quidem cognoſcere ſpectat ad Phyſicos, Medicos, & Aſtrologos, in quantum tales, vti obſeruat *Menghus in flagello Dæmonis cap. 11.* Vel ſaltèm habeat talem virtutem ex ordinatione diuina, vel Eccleſiaſtica; quod dignoſcere Theologi eſt, & maximè Inquiſitoris. Suppoſito itaq; rem, quæ geſtatur, nulla virtute, nec naturali, nec ſupernaturali cumulatã eſſe; conſtat ſuperſtitioſum eſſe illam deferre; quia ſic ſaltem tacitè expectatur effectus à Dçmone; & conſequentèr peccant mortalitèr, qui ea vtuntur, vel alios cohortantur ad hoc; & item, qui alijs huius geſtatione occaſionem ſcandali prçbent. faciunt tradita per *Martin. Nau. cap. 11. num. 34. in Sum. D. Antoninum 2. par. tit. 12. cap. 2 §. 13. Megalam 1. part. Inſtitut. Peregrin. lib. 5. cap. 14. num. 4 & alios.* niſi quis ex ignorantia, aut inaduertentia excuſetur, vt notat *Nau. & Megala loc. loc.*

Ex his ſatis colligi poteſt in genere, quæ amuleta ſunt ſuperſtitioſa.

DIFFICVLTAS II.

An mulier illa, quæ ſupra ſe defert herbam aliquam, vel lapidem ne concipiat, ſit ſuperſtitioſa.

Occaſio huiuſce difficultatis eſt, quia aliquæ mulieres; cum filiorum multitudine adeò grauatas ſe videant, vt præ inopia vix eos alere poſſint; & nihilominùs quotannis noua fçcundari prole; ſolicitè ſciſcitari ſolent, an detur aliquod antidotum ad impediendam fœcunditatẽ ſuperſtitionẽ minimè redolens.

Reſpondetur abſolutè dari remedia naturalitèr impeditiua conceptionis, niſi à natura naturante, ſcilicèt à Deo Benedicto, in cuius dictione cuncta ſunt poſita: eorum ſuſpendatur virtus: & de facto Medici, Simpliciſtæ, & quiq; rerum naturalium vim noſcentes, quaſdam aſſignant herbas, quas recenſere non expedit, (melius eſt enim aliqua neſcire pro ſtatu iſto, teſte *D. Auguſt. in Enchiridion.* ne eorum cognitio ſit malorum occaſio) legendus eſt in primis *Alexius de Secretis naturalibus part. 3. ibi: virtù, & proprietà dell'herbe. e loro radici.*

Verùm duo hìc attendenda ſunt. Primum, an remedia ſint purè naturalia, vel aliquod interceſſerit pactum explicitum, vel implicitum; quia ſic, quamuis remedium eſſet naturale; attamèn ſuperſtitionem ſaperet ratione dicti pacti.

Alterum, quod aliud eſt quærere, an liceat vti aliqua herba, vel lapide ad impediendam, & aliud eſt quærere; an hoc ſit ſuperſtitioſum.

Ad primum enim reſpondetur eſſe omninò illicitum; quòd Summiſtæ communitèr docent, vbi de peccatis, quæ in vſu, vel circa vſum matrimonij cõtingere poſſunt, maximè *Bonac. de Matrim. q. 4 punct. 6. prop. 2 num. 18.* in hæc verba: verùm tamèn eſt, fçminam, quæ poſt copulam ſtatim mingit: vel aliquid aliud facit, vt receptum ſemen effundat, peccare mortalitèr; & quòd dicitur de operante, vt effundatur ſemen; idem ſentio dicendum de ponente effectiuè obſtaculum aliquod, ne recipiatur in matrice; aut poſt receptionem, vt nõ prolificet; militant enim æquè huiuſmodi obſtacula contra eundem finem, ad quem ordinatur ſemen à natura; vbi autèm eadem eſt ratio; idem quoque ius eſſe debet, *l. Illud, ff. ad l. Iuliam.* dixi de ponente effectiuè obſtaculũ;

nam aliud ſentio de omittente actus, ad quos perſæpè conceptio ſequi ſolet.

Quare notandum coniuges peccare impediendo prolis ſuſceptionem per media illicita, vt per receptionem veneni, abiectionem ſeminis, aut procurationem abortus; quod ſecus eſt per licita, vt per votum caſtitatis mutuo conſenſu emiſſum, vel ingreſſum Religionis; ex quo colligr̃ bono prolis repugnare hãc cõditionem; contraho tecum, ſi partũ impedieris, aut venenum ſterilitatis ſumpſeris; non eſt tamen peccatum deſiderium nõ concipiendi, ſi diuinæ placuerit voluntati.

Verùm ſi lapis, aut herba omninò neceſſaria eſſet pro ſalute corporis, & hoc intuitu deferretur; integrũ foret illam deferre: licèt vim haberet etiam impediendi fœtus conceptionem; dummodò ob hunc effectum non deferretur: patet in ſimili de medicina, quæ datur pro ſalute prægnantis, licèt ſit fętui nociua. *Nald. ver. Abortus, nu. 3. Sanchez tom. 230. Aragon. de Iuſt. q. 64. ar. 7. Pet. Nau. de Reſt. lib. 2. c. 3. nu. 133. & alij.*

DISTINCTIO QVINTA.

De Eccleſiaſticorum Superſtitionibus .s. circa quas, velut circa obiecta magis propria ipſi potiùs, quàm ſeculares verſantur.

Diſtinctio hæc duos habet articulos, quorum Alter reſpicit indifferentèr Eccleſiaſticos. Alter verò reſpicit in ſpecie Coniuratores, qui ſolent eſſe, vt plurimùm Eccleſiaſtici.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An aliqua vis inſit certis Pſalmis ratione numeri.

NOtandum Arithmeticos ſolere magnificare nedũ vnitatẽ ratione principij cuiuslibet numeri; ſed etiam quoſdam numeros ratione cuiusdã perfectionis in ipſis repertæ: verbi gratia in numero decenario, centenario &c. hinc quidam exiſtimarunt nõnullos Pſalmos, v. g. primũ, decimũ, centenariũ &c. ob rationem prædictã afferre illos legentibus præter ordinariã vtilitatem, aliam ſpecialem ratione numeri Pſalmi: ex. gr. cui cõtingit perſoluere Pſalmũ decimum; illi proſpera cuncta eſſe ſuccedenda; vel incolumem fore ab omnibus periculis.

Reſpõ difficultati negatiuè, ratio eſt primò, quia perſoluentibus Pſalmos vnitas, qua principium numeri, & numeri, quatenus tales, nihil virtutis, aut gratiæ conferunt, vti teſtantur DD. infra cit.

Secundò, quia in textu hebręo alius eſt ordo Pſalmorum, quam in latino: quare, ſi Pſalmus: v. g. decimus, qui ſecundũ textũ latinũm deſignat proſpera; fortaſsè ſecundum textum hebręum deſignat infauſta. ità *Ciruellus, par. 3. de Superſtitionibus, cap. 6. in fin. Martinus Delrius Diſquiſ. Mag. lib. 1. cap. 4. quaſ. 2.*

Dices aliquos eſſe numeros in magna veneratione apud DD. Eccleſiaſticos, & quidem non inutilitèr: ſed ob aliquod myſterium in ipſis repertum: ver. gr. in ternario, ſenario, ſeptenario, &c. lege *Bongum de numeris Patriæ Bergomatis* Solem, in Occaſum obliuionis nũquam abiturum. Reſpondeo numeros eſſe quidem in veneratione; ſed non quia ſubiectiuè aliquid contineant; nec effectiuè beneficium aliquod conferant; ſed quia ſignant altiſſima myſteria. Verùm concedendum eſt Pſalmorum alterum ordinari ad conſequtionem vnius beneficij: alterum verò ad conſequtionem alterius: v. g. Pſalmos Pœnitentiales ad conſequtionem remiſſionis peccatorũ: Graduales ad conſequutionem graduum perfectionis: Pſalmos officij mortuorum ad cognitionem noſtræ conditionis, & miſeriæ.

Dices, numerum Clicmatericum: v. g. ſexageſimum tertium ſolere eſſe homini lethalẽ, ſicut octimeſtrem partum minimè vitalem: ergò ſignum eſt, quòd numerus, vt numerus aliquid creaturæ influit. Reſpondeo nec numerum annorum Clicmatericorum, ſicut nec numerum Criticorum dierum aliquid efficere ex ſe .s. quatenus numerus: ſed ratione corporis humani annis Clicmatericis ſubiecti; Vndè ipſius trãſmutatio pendet ab alteratione humorũ, & complexionis, quæ ſunt ſub quodam periodo naturali periculoſo: in numero autem Pſalmorum tale quid non reperitur; ideò non eſt ſimilis ratio: in partu item octomeſtri contingit, vt plurimùm mortalitas ob rationem naturalem, .s. ob ſemen imperfectum, quod in ſeptimo non potuit reduci ad perfectum.

Vndè notandum, quod ſemen eſt duplex: aliud perficit fętum in ſeptimo menſe: aliud verò ſolùm in nono ſecundum eius diuerſam conditionem: illud, quòd perficit fętum in ſeptimo; conatur (durante illo menſe) vt fętus exeat incolumis: & re ipſa exit talis; ſi magnam non reperiat reſiſtentiam: quòd, ſi illam reperiat; exit octauo menſe: ſed admodum inualidus ob continuam pugnam ſeptimi menſis: & perindè facilè morti ſubijcitur. facit ad hoc, quod tradit *Vairus de Faſcino lib. 2. c. 11. Ariſtotelis in Problem. vbi de numeris.*

Loquendo autem de ſemine, quòd ſolùm in nono menſe perficit fętum, cum illum mater ferat diutius, non admodum redditur inualidus; & conſequentèr non ità facilitèr ſubijcitur morti. ità *Martinus Delrius loc. cit. ex mente Hipocratis lib. de Octomeſtri partu.*

Vrgebis Pythagoricos mordicus tenere numeros eſſe actiuos per ſe non minus, quam qualitates, vt in primis obſeruat *Faber aduerſus impios*

impios Atheos diſp. 1. *cap.* 11. *nu.* 238. *& 239.*

Reſpō̄ *Ariſt.*12. *Metaph. text. vlt.* validè ipſis obſtare, aſſerēdo numeros nō eſſe p ſe actiuos, cuius ratio eſt, tùm quia nō poſſunt per ſe eſſe principia rerū: tū quia sūt de numero ſteriliū.

Contendes fortaſsè muſicam armonicam eſſe numerum diuerſarum vocum, aut cordarum: eamq; eſſe actiuam, vt conſtat de armonia Citharæ Dauidicæ, qua Spiritus malus à Saul recedebat. Reſpondeo hoc non concludere, niſi numeros habere actiuitatem per accidens .s. quatenus ſunt coniuncti rebus phyſicis; non autèm per ſe, vt tenet Ariſt.

Si inſtaueris quædā eſſe agētia, quorū (tentata productione alicuius effectus) v.g. cultri tribus, quinque, ſeptem &c. ictibus perficiunt effectum, in propoſito cultrum: quem non perficiunt, duobus, quatuor, ſex &c. iuxtà materiam plus, & minus diſpoſitam: & iuxtà qualitatem ictuum plus, aut minus validorum. Reſpondetur hoc nō concludere in numeris, niſi actiuitatem per accidens prout ſupra, quæm admittimus.

DIFFICVLTAS II.

An liceat Religioſo, vel alteri Eccleſiaſtico, ſeu ſeculari, cum aliquo inire pactum, vt qui prior moriatur poſteriorem de ſuo ſtatu admoneat.

SVpponit hęc difficultas animam defuncti poſſe apparere mortalibus; quod certum eſt, ſi Deus permittat, vt notat *Martinus Delrius Diſquiſ. Magicarum lib.* 6. 2. *quæſ.* 26. *ſect.* 7. *Sanchez lib.* 2. *Oper. Moral. cap.* 38.

Reſpondent aliqui abſolutè negatiuè: quorum ratio eſt, quia contingere poteſt, vt Dæmon occaſionem indè arripiat decipiendi, v.g. oſtēdendi peccatorem grauiſſimū, qui nullam peregit pœnitentiam, ſtatim ad cœlum euolaſſe; & iuſtum è contra ad inferna deſcendiſſe, vt indè oriantur iudicia nequiſſima, quòd notant in primis *Trullench in Expoſ. Decal. lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. *nu.* 5. *Arſen. S. Inquiſit. part.* 10. *admonit.* 179.

Mihi verò probatur diſtinctione opus eſſe .s. vel loquimur per ſe, vel per accidens: per ſe non video, cur illicitum ſit inire huiuſmodi pactum cum aliquo; cum nihil mali in ſe includant; quod intelligi debet, ſi Deus permiſerit: per accidens verò, ſeu ratione circunſtantiæ ſum cum alijs, nedum ob rationem ab ipſis allatam: ſed quia huiuſmodi cognitio Eccleſiæ nociua forſitan eſſet: hinc *D. Aug. habet in Enchirid. pro ſtatu iſto melius eſſe aliqua neſcire.* Nec obſtat Deum omnia noſſe, omniumq; ſcientiam in ipſo dicere perfectionem; quia ipſe ex malis bonum elicere nouit; vndè plena rerum cognitio nullum ipſi poteſt cauſare damnum: quod ſecus eſt in nobis pro ſtatu præſenti; quibus alienorū peccatorū cognitio ex noſtra imperfectione ſæpè ſæpiùs affert nocumentū. Quare etiam bonum eſt vitandum, ſi ex illo poteſt deſcendere malum: vndè interdum prohibetur ratione mali cōſequentis, *cap. Ità ergo, & ibi gloſſ.* 1. 22. *quæſ.* 1. & ſic nota mirabile .s. quòd malum in potentia excludit interdum bonum in actu: & ideò potiùs ſtandum eſt in terminis indifferentibus, quam, vt ſub ſpecie boni, malum aliquod committatur.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ſuperſtitioſi ſint, qui munus exorcizandi, quaſi ſibi peculiare vendicant, aſſerentes ad hoc plus virtutis ſuper alios Exorciſtas habere (loquor de ipſis quo ad potentiam effectiuam: non verò quo ad impulſiuam)

RAtio difficultatis mihi eſt, quia quoddam eſt genus Dęmoniorum .i. qui niſi in oratione, & ieiunio eijciuntur: Vndè qui dono orationis, & ieiunij præditi ſunt, plus cęteris (Scriptura Sancta teſtante) habent virtutem ad expellendum illos.

Difficultati ſatiſfit diſtinctione ſic; De Exorciſtis dupliciter loqui poſſumus, videlicèt ratione ordinis exorciſtatus: aut ratione donorum orationis, & ieiunij: Si loquamur primò modò falſum eſt vnum plus alio habere virtutem ad expellendum Dæmones; cuius ratio eſt; quia quemadmodum pro diuerſitate meritorum alterius, & alterius baptizantis, non ſunt diuerſa baptiſmata: ſed vnum, vt tenet Eccleſia, & notat *Auguſtinus tract* 6. *in Ioan. ante medium.* ità pro diuerſitate exorcizantiū, licèt alius alio apud Deum ſit inferioris meriti, inferioris continentiæ &c. vnum tamen par, & æquale eſt, quod acceperunt in ordine exorciſtatus: Nec hoc modo obſtat obiectio de orātibus, & ieiunantibus; quia per hoc non deſignatur quem maiorem alio habere poteſtatē effectiuam; ſed ſolùm impulſiuā: verùm hæc non eſt generalis reſpectu cuiuſcunq; generis Dęmoniorum; ſed præciſè reſpectu cuiuſdam generis: v. g. illorum, qui cum oratione, & ieiunio maiorem habent antipatiam. Si verò loquamur ſecundo modo verum eſt, quòd poteſtas exorciſtatus, ſi coniungatur dictis virtutibus; adiuuatur extrinſecè ad expulſionem Dęmonum. Dico extrinſecè, quia intrinſecè ſemper eſt vna, & æqualis reſpectu omnium Exorciſtarum: Vndè, qui abſque dictis virtutibus ſe iactant, vti ſupra, cenſentur ſuperſtitioſi; de religione ſuſpecti, & cum Dęmone habere pactum, ſaltèm tacitum, quod intellige, ſi dignoſcantur pro ſua voluntate Dæmones expellere: Vndè eorum formulæ ab Epiſcopo, ſeu Inquiſitore ſedulò erunt examinandæ; fingunt enim Dęmones ab iſtis cogi (mediantibus eorū exorciſmis, & cęremonijs) vt illos detineant in erroribus. Qui, ſi in facto illos non expellant; potius dicere poſſumus eſſe homines glorioſos vento diſtentos, quam ſuperſtitioſos. Faciunt tradita à *Martino Delrio Diſquiſit. Magicarum, lib.* 6. *monit.* 10.

DIFFICVLTAS II.

An nubium coniuratores, qui ſe iactant habere vim expellendi illas a certis locis ſint ſuperſtitioſi.

Reſpon-

Reſpondetur affirmatiuè, eorumq; iactantia facilè conuincitur; quia aut nubes illæ ſunt ortæ ex naturalibus cauſis; aut ex maleficio opera Dęmonis. Si primò, videtur exorciſmi ordinari contra Deũ rei naturalis, & nubium auctorem, quòd non eſt dicendum: ſi ſecundò quæritur, vndè nouerint, quòd habent vim illas expellendi; & certò non niſi ex pacto cum Dęmone; & perindè conuincuntur ſuperſtitioſos eſſe, nubesque expellere dicto modo. ità *Martinus Delrius Diſquiſit. Magic. lib. 6. admonitione* 11. *circa principium*. Mihi verò probatur alitèr reſpondendum, diſtinctioneq; opus eſſe. Verùm duo prænotanda ſunt, primum eſt iactantiam eſſe non minùs malum in Coniuratore nubium, quàm in quolibet alio Miniſtro Eccleſiaſticæ functionis. Alterum eſt iactantiam, vel inniti exorciſmorum Eccleſiaſticorum virtuti; vel propriæ ſanctitati, aut virtuti Dęmonum, cum quibus Coniurator habet pactum ſaltèm tacitum. Iactantia Coniuratoris primo fundamento innixa non eſt ſuperſtitioſa, vt de ſe conſtat; cum exorciſmi ſint ad hoc ordinati ab Eccleſia: & potiùs fiducia in Deum omnipotentem, quàm iactantia appellari debet, ſi humilitatem ſeruet. Secundò item fundamento iuncta, non eſt ſuperſtitio; ſed potiùs præſumptio ſpiritus: ſecus dicẽdum eſt de iactantia Coniuratoris tertiò fulta fundamento.

DISTINCTIO SEXTA.

De Superſtitionibus circa tempora.

Hæc diſtinctio in duos ſecatur articulos. quorum

Alter reſpicit Superſtitiones circa dies.

Alter circa annos.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An ſuperſtitioſi ſint verſus illi de feſto Conuerſionis S. Pauli, videlicet.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.
Si nix, aut pluuia deſignat tempora cara.
Si fuerint venti deſignant prælia genti.
Si fuerint nebulæ pereunt animalia quæque.

Binsfeldius *de Confeſſ. Maleficorum, vbi de cauſis ad maleficia diſponentibus, cauſa* 3. *pagina mihi* 158. ſentit abſolutè dictos verſus eſſe ſuperſtitioſos, quem ſequitur *Martinus Delrius Diſquiſit. Magic. lib. 3. par. 2. quæſ. 4. ſect. 6.* Verùm neuter ſuperſtitionis rationem aſſignat.

Ego ſentio in rigore illos minimè eſſe ſuperſtitioſos: nec Dęmonis pactum vllum in ſe ipſis inuoluere; ſed potiùs vanos eſſe, nulloq; niti fulcro; quia, ſi dictus dies anni qualitatem prognoſticat; vel hoc præſtat, qua Sanctus eſt: aut qua naturalis ex cœlorum curſu, ſtellarũq; occurſu, & concurſu: non primum, quia ſanctitas diei nullam anni prognoſticationem impertit: nec item cultus illius diei facit ad præcognitionem rei naturalem: Non ſecundum, quia, ſi ex curſu cœlorum: vel occurſu, & cõcurſu ſtellarum facienda foret prognoſticatio totius anni; cum quotidie habeatur aliquis curſus, occurſus, & concurſus; non eſſet magis prognoſticus totius anni vnus, quã alius dies; Vndè placet dicere hos fortaßè verſus fundari non in communi Aſtrologorum placito; ſed in vocibus popularibus, quę vanæ ſunt, minimèq; attendendæ.

Idemq; dicendum de illis, qui aſſerunt prognoſticari poſſe quemlibet anni menſem iuxtà qualitatem primorum duodecim dierum menſis Ianuarij, volentes primum primo mẽſi reſpondere; ſecundum ſecundo .s. Februario, tertiũ tertio, nempè Martio, & ſic de ſingulis.

Nec obſtat, quòd primi dies Lunæ ſint prognoſtici aliorum abſque vlla vanitate: quia idem faciliùs poteſt eſſe prognoſticum ſui ipſius, quàm alterius; hinc iuuentus bonę indolis eſt ſignum propemodùm certum bonæ ſenectutis: Vndè *Hieremias cap* 3. ità proloquitur: *Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua:* quia .s. cum ſenuerit etiam probabile eſt illud non dimiſſurum.

Nec itèm obſtat, quòd ex Cyclo Solari, Planeta anni dominatore, ſigno Zodiaci, & domo, vel propria, vel aliena fiat totius anni prognoſticum; quia toto anno dominatur idem Planeta, ſemper in eodem ſigno exiſtens, in eademq; (vt dixi) domo cœleſti. Cęterùm non idem perſeuerat cœlorum curſus, & concurſus; qui aderant in die Cõuerſionis S. Pauli, imò diuariantur quotidiè.

DIFFICVLTAS II.

An dierum Criticorum obſeruatio ſit ſuperſtitioſa.

Dies Criticus idem eſt, ac iudicialis, ſeu indiciatiuus, & iudicatiuus. Vndè olim Iudices, ſeu Cenſores alienorum operum Critici dicebantur (teſte *Calepino, ver. Critici*) Secundum Medicos Critici dies vocantur illi; in quibus de morbi ratione iudiciũ ferri poteſt; ſunt autèm impares, & potiſſimùm quintus, & ſeptimus, in quibus, ſi natura confortatur; fit iudicium de futura ſanitate: ſicut è contra futuræ proximæ mortis habetur indicium propemodùm certum, ſi deterioratur. de his diebus vide *Gregorium Tholoſanum in Syntaxi artis mirabilis.*

Reſpondetur duabus propoſitionibus; prima, obſeruantia dierum Criticorum circa corporum infirmitatem non eſt ſuperſtitioſa, nec vana; quia pendet à re naturali, nimirùm à natura humorum; quòd patet, tum ex praxi: tum ex communi conſenſu, Phyſicorum præſertim. Altera obſeruantia dictorum dierum reſpectu adeundæ hæreditatis, qui olim obſeruabantur (teſte *Odofred. in l. Cretionum*) .s. vt ſolùm dictis diebus N. adire poſſet, tãquàm ſuperſtitioſa, pœnitùs ſublata eſt; Vndè nunc tem-

temporis tàm die Critica, quàm non Critica: v. g. ſexta, octaua, &c. hæreditas adiri poteſt. faciunt tradita per *Carenam, tract. de Modo procedendi in S. O. par. 2. tit. 12. cit. Iaſonem, & alios.*

DIFFICVLTAS III.

An dies Egyptiaci ſint ſuperſtitioſi.

NOtandum dies ab Egyptijs determinatos, ſeu obſeruatos ad inchoãdum opus dici Egyptiacos, vt patet ex *gloſſ. ſuper Canon. non obſeruetis dies, Sacerdotali Romano par. 3. tract. 2. c. 4. Gulielmo Durante tract. de Computo, cap. 4.* Vndè ſciendum in Egypto nonnullos Phyloſophos extitiſſe; qui quaſdam conſtellationes humanis actibus nociuas certis diebus annotauerunt: voluerùntq; illas ſub ſpecie charitatis eſſe hominibus notas, ne in illis ſe darent negotijs, exiſtimantes ſecundum quoſdam, quos (ſuppreſſo nomine) notat *Sacerdotale Romanum 3. part. tract. 2. cap. 4.* Deum in huiuſmodi diebus iam percuſſiſſe nouem plagis eorum antiquos patres. Reſpondeo obſeruationem dierũ eſſe abſque dubio ſuperſtitioſam, quòd liquido conſtat, tum ex prohibitione *Eccl. 26. quæſ. vlt. non obſeruetis, & cap. Qui exiſtimaret, & ſequenti:* tum quia illarum conſtellationum puncta ſcire nequimus; quòd item notauit *Sacerdotale Romanum loc. cit.* ſolummodò admitti poſſunt conſtellationes in corpora agere, non autem in animam; nam agens inferiùs (qualis eſt conſtellatio) nõ agit in ſuperiùs, cuiuſmodi eſt anima rationalis, notum eſt.

DIFFICVLTAS IV.

An dentur dies fauſti, & infauſti ad peragenda negotia: vel ſit ſuperſtitioſum tales aſſignare dies.

NOt. Aegyptios extitiſſe inuentores dierũ fauſtorũ, & infauſtorũ; inter aliaſq; nationes ſuperſtitioſiores fuiſſe, maximè in hac parte, ex. gr. tenebant diem Martis eſſe infauſtũ: diem verò Iouis fauſtũ: item aliquos dies fuiſſe fauſtos reſpectu vnius effectus: infauſtos verò reſpectu alterius; vndè certis diebus non inchoabant opus aliquod; ne haberent malum introitum, progreſſum, aut exitum; faciunt tradita à *Sacerdotali Romano par. 3. tract. 2. c. 4. Gulielmo Durante tract. de Computo cap. 4.*

Ratio difficultatis mihi duplex eſt, altera quia *Campanella tit. de diebus fauſtis, & infauſtis,* dicit quoſdam dies ſemper extitiſſe ſibi infauſtos: & eſſe ex ſe tales, vt notat *Carena tract. S. Officij, part. 2. de Sortilegijs tit. 12. nu. 120.* Altera eſt, quòd idem *Campanella loc. cit* addit familiam Mendozinam in Hyſpania à S. Inquiſitione obtinuiſſe priuilegium, ne die Martis, qui apud ipſam habetur infauſtus, teneatur aggredi opus aliquod.

Reſpondeo nullum diem faſtum, vel infauſtum eſſe ex ſe, .i. ex natura ſua, ſed omninò eſſe accidentale, quòd aliquis ſit fauſtus, vel infauſtus; patet ex *Sacris Canon. Can. Non licet 26. quæſ 2. ex Can. Non obſeruetis, eadem cauſa, qu. 7. ex Apoſt. ad Galatas cap. 4. ibi, Dies obſeruatis &c. timeo, ne fruſtra laborauerim in vobis, ex Theologis, D. Thom 2. 2. quæſ. 95. art. 3. in corpore Mart. Delri. Diſquiſ. Magic. lib. 3. quæſ. 4. ſect. 6. Suarez de Relig. tom. 1, lib. 2. cap. 2. Torre blanca de Magia, lib. 1. cap. 27. Sanchez in Summa, lib. 2. cap. 4. nu. 15. & 16. Ioan. Egidio Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10. num. 14. Nider in decem Præcepta, Præcep. 2. nu. 48*

Denique patet ex ratione ſic; ſi aliquis dies de ſe foret infauſtus; ſequeretur manifeſta cõtradictio, nimirùm quòd dies fauſtus eſſet infauſtus, & è contra; cuius ratio eſt, quia dies fauſti apud vnam nationem ſunt infauſti apud alteram; quilibet .n. dies eſt infauſtus reſpectu ſuperſtitionis alicuius nationis: v.g. dies Lunę apud Hebręos, quia exiſtimant in eo natum fuiſſe Cain: dies Martis apud Athenienſes: dies Mercurij apud Medos: dies Iouis apud Frigios: dies Veneris apud Troianos: dies Saturni apud Perſas: nec conſtat de priuilegio ab ipſo Campanella relato: & S. Officium non cogit quemquam ad aggrediendum opus potiùs vno die, quàm altero, & qualibet die integrum eſt cuiquam opus incipere; quare dicta familia nulla egebat licentia: falſumq; eſt illã habere. Itidem omninò illicitum eſt obſeruare dies ad exeundum domo, ad induendas nouas veſtes, & ad alia id generis pro habenda proſperitate, vel cauenda aduerſitate. Notoq; cum *Carena, & Baldo loc. cit.* huiuſmodi obſeruatores eſſe homines peſſimæ vitæ.

DIFFICVLTAS V.

An obſeruatio dierum Lunæ, Canicularriorum, & Criticorum ſit licita.

REſpondeo affirmatiuè, primò licitum eſt obſeruare dies Lunæ pro rebus naturalibus conſeruandis: pro ſecandis lignis, ne vermibus rodantur, diutiùsq; durent: pro colligẽdis fructibus, ne breuiori tempore, quàm fert eorum natura, marceſcant: pro ſecanda ſanguinis vena, ne diminutio ſanguinis noceat: idemq; dicendum de alijs ſimilibus cauſis naturalibus.

Secundò, licitum eſt obſeruare dies caniculários, reſpũ diminutionis sãguinis, & ſumptionis medicinæ; à quibus cauendũ eſt, niſi grauis neceſſitas aliud petat: dicunturq; caniculares à cane, vel canicula ſtella ſita in fronte Leonis, & ante genua Tauri; quæ ęſtiuis mẽſibus, dum Sol ad eã aſcendit, cũ ipſoq; cõiũcta manet, vel proxima, duplicatur calor ipſius; ex quo diſſoluuntur corpora, & vaporantur; velutque canis rabidus momordit febribus ſæpè ſæpiùs mortalibus: incipiunt autem huiuſmodi dies pridie Idus Iulij, & pridie nonas Septembris finem imponunt: ſecundum verò alios incipiunt 14. Kal. Auguſti, & ſunt ſeptuaginta duo, vt notat *Sacerdotale Rom. par. 3. tract. 2. cap. 4. verùm Auctor Seluæ variarum lectionum* ſentit, quod incipiant die 17. Iulij, & perſeuerent pręciſè quadraginta diebus: dicitq; dari canem maiorem, & minorem: maior habet ſtellas 18. minor autem tantùm duas.

Ter-

Tertiò, licitum eſt obſeruare reſpectu grauium infirmitatum febris, maximè malignæ dies Criticos; quòd patet in ſimili de anno Climacterico, de quo infrà immediatè.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An obſeruatio anni Climacterici, v.g. ſexageſimi tertij ſit ſuperſtitioſa.

RAtio difficultatis eſt, quia *Paulus ad Galatas, cap.* 4. ità proloquitur: *Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos: timeo vos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis: Picus Mirădolanus lib. 6. aduerſus Ariſt. cap. vlt.* appellat ſuperſtitioſam obſeruationem anni præcipui Climacterici, vz. anni ſexageſimi tertij.

Ante reſponſionem aliqua notanda ſunt. Primum eſt, quòd anni Climacterici ſunt, qui intrinſecè ſemper inſitam habent ſpecialem vim immutandi, ſeu alterandi corpus humanum; niſi impediantur ab aliqua cauſa, non minùs ac dies Critici indicandi ſtatum morbi; qui, ſi item non indicant, id ex eorum natura non euenit, ſed per accidens.

Secundum, quòd incipiunt à primo ſeptenario ſexto expleto; ſicut dies critici à die morbi; ſunt autem Climacterici ſinguli ſeptenarij; nam natura in quolibet facit mutationẽ in corpore humano, interdum ad meliorem ſtatum; interdum verò ad deteriorem: v.gr. interdum ad ſanitatem, interdum ad morbum, pro ratione cuiuſque temperamenti: ſed potiùs tamen in deterius; Vndè Climactericus apud Grçcos idem importat, ac periculoſus.

Tertium eſt, quòd inter ſeptenarios, tres ſunt potiſſimùm Climacterici, videlicèt, quadrageſimus nonus, quinquageſimus ſextus, & ſexageſimus tertius; qui reſpectu aliorum à Medicis, Phyloſ., Aſtrologis, & Mathematicis vocatur præcipuus ob rationes, quas infrà notabimus.

Quartum, hi anni præter nomen Climactericorum, alia quoque ſortiuntur nomina: v.g. Genethliacorum, Fatalium, &c.

Quintum eſt, quòd ægritudines in his annis fiunt interdum in primis menſibus, interdum in medijs, & interdum in vltimis; prout humores moti ſunt in parua, mediocri, aut multa copia; ſed maximè in vltimis, quia tunc ſunt magis exuberantes. ità *Codronchus de annis Climactericis lib.* 1. *cap.* 11.

His notatis ad difficultatem dico obſeruationem anni ſexageſimi tertij minimè eſſe ſuperſtitioſam: quia ſpecialis mutatio, quæ tunc contingit, eſt abſolutè naturalis; quòd probant diuerſi ſcientifici principijs ſuarum ſcientiarũ nempè, Arithmetici, Aſtrologi, Medici, & Experientia ipſa idipſum demonſtrat.

Arithmetici aſſerunt hoc contingere: quia annus ſexageſimus tertius conſtat ex duobus numeris imparibus; impar autem ad dicta ipſorum eſt efficacior pari; conſtat .n. ex ſepties nouem, & nouies ſeptem; hinc *Bonghus de numero ſeptenario*, refert mirabile experimentũ, videlicèt, quòd filia quæque ſeptima nata, modo nullus interceſſerit maſculus; mirò modo partũ addiuuat. Similitèr ꝙ quiſque ſeptimus maſculus abſque femella inter media natus vim habet curandi ſcrofulas ſolo tactu.

Verùm numerus non quatenus talis agit, ſed quatenus natura in ipſo ſuas efficit operationes: ex. gr. in ſeptimo die reddit fœtum aptum formæ; oſtendit in infirmo qualitatem ſui ſtatus. In ſeptimo itèm menſe partum efficit vitalem &c. ità Arithmetici.

Reſpondent Aſtrologi dictum annum alijs naturalitèr periculoſiorem eſſe; quia cuique corpori humano eo anno intrinſecè dominatur Saturnus ipſius aduerſarius; qui ſuaptè natura eſt maleficus, malignus, corporumq; humanorum interfector; maximè, ſi in ipſis eo anno materiam craſſam, inueniat; Vndè in primis expedit, vt dicto anno corpus ab illa mundetur: quia iuxtà carentiam dictæ craſſitiei, & diuerſitatem complexionis, ſeu temperamẽti corporis plus minusuè reſiſtitur eius effectib.

Pro intelligentia notanda ſunt aliqua; primum eſt, quòd Saturnus dominatur primo menſe in prolem in ventre matris, & vltimo Luna: natus verò ordine conuerſo, res ſe habet: nam primo anno ipſum dominatur Luna: ſecundò Mercurius: tertiò Venus: quartò Sol: quintò Mars: ſextò Iuppiter: ſeptimò Saturnus; & deinceps ſimilis ordo repetitur. *Codroneus vbi ſup. Vairus de Faſcino lib.* 1. *c.* 6.

Secundum eſt, quòd datur duplex Saturnus; alter communis omnibus, & extrinſecus, alter cuique proprius, & intrinſecus; & iſte eſt, qui ſemper nobiſcum eſt in annis Climactericis.

Tertium eſt, quod ſicut Luna, quæ nobis proxima eſt, & motu mouetur celerrimo; ferè ſeptimo quoque die progreditur in contrariũ ſigni eius naturæ, vndè egreſſa eſt: ità Saturnus, qui inter Planetas nobis remotiſſimus eſt, & mouetur tardiſſimè; ſingulis ſeptem annis ad oppoſitum ſignum, vndè egreſſus eſt, peruenit.

Quartum, quod influxus, ſeu vis Saturni cognoſcitur euidentiſſimis ſignis admodum nociua: primò, quia pulli gallinacei, qui in vigeſima ſecũda die naſcũtur, ſunt vitales: qui verò naſcũtur in primis quatuor horis vigeſimę primæ, moriũtur; cui⁹ ratio eſt, quia dies vigeſima ſecunda eſt prima quartæ hebdomadę, cui Luna dominatur: vigeſima autèm prima in dictis horis eſt ſeptima dies tertiæ hebdomadæ, cui Saturnus præeſt. Secũdo, quia gallinæ indicæ, ſi in die vigeſima octaua oriuntur, pereũt; quia ipſis dominatur Saturnus; ſi verò vigeſima nona naſcuntur, viuunt, quia Luna ipſis imperat. Tertiò homo, ſi naſcitur octauò menſe moritur ob malignam Saturni violentiam; quòd ſecus eſt, ſi naſcitur ſeptimo menſe, vbi dominatur Luna; cuius influentia humida pariendi facilitatem præbet: aptumq; facit fœtum ad exitum; nam ſupra cautum eſt, quod dum fœtus

manet

manet in ventre matris, primo menſe ſubeſt Saturno,& ſeptimo Lunæ: octauo autem iterum incipit illi dominari Saturnus.

Dices vnum,& eundem Planetam: v. g. Saturnum variam naturam habere non poſſe;& conſequentèr nec varios gignere effectus reſpectu alterius, & alterius hominis ſupra tertium ſexagenarij: & tamen contingit, vt vni ſit amicus,& alteri hoſtilis: vni opituletur, alteri autèm officiat: ergò non eſt verum, quòd ſexageſimus tertius annus ſit nociuus ratione Saturni.

Reſpondeo Saturnum dicto anno ex ſe omnibus æqualitèr eſſe nociuum; dico ex ſe, quia ratione carentiæ maioris, vel minoris materiæ craſſæ variè nocet, plus minusuè.

Vrgebis interdum contingere duorum hominum corpora eodem modo purgata eſſe;& tamen alter moritur ſub dicto Climacterico anno,& alter non. Reſpondetur nec carentia materiæ craſsæ eſſe totam cauſam conſeruationis vitæ; ſed ad hanc inſimul concurrere complexionem, ac cautionem à nociuis, quæ varia eſſe poſſunt; Vndè ſciendū, quòd quemadmodum (teſte experientia) non dantur duæ hominum facies omninò ſimiles; fortaſsè ex aliquali diuariatione complexionis, ciborum, exercitij, aeris, triſtitiæ, ſolicitudinis,& obſeruationis à contrarijs: ità non dantur duo corpora humana æquè adamuſſim ſana.

Nec obſtat, quòd nata ſint eadem hora, vel eodem horæ quadrato; quia tamen non inſimul emittuntur è vulua, vt ſuppono; ſed ſucceſſiuè; vndè ſaltèm diuariari poſſunt ex diuariatione aſpectus ſyderum, qui citiſſimè tranſit. ità Aſtrologi.

Reſpondent itidem Medici annum ſexageſimum tertium eſſe Climactericum, .i. periculis infirmitatis, & etiam mortis longè alijs annis ſubiectum: Climacterias vocant Græci pericula; quia tali anno ex cauſis naturæ intrinſecis corpus mutatur à ſuo naturali temperamento; mutatio autèm periculis ſubiecta eſt: vndè conſulunt, vt dicto anno ratio valetudinis diligentiùs ſolito habeatur. Volunt quidam Medicorum dictum annum eſſe alijs periculoſiorem ex redundantia humorum; ſed hæc ratio eſt generalis alijs annis.

Pro intelligentia notandum humorū qualitates contrarias ex commotione efficere morbos.

Dices, ſi anni Climacterici, quatenus tales malorum effectuum eſſent cauſæ; ſequeretur precipuè, quòd omnes,& ſinguli agentes ſexageſimum tertium annum, tunc morerentur. aut ſaltèm ægrotarent; quia, quòd ineſt per ſe, & neceſſariò, ineſt omni,& ſemper (teſte *Ariſt. prim. Poſter cap.4.*) Reſpondetur, quòd, quamuis huiuſmodi annus per ſe in omnibus, & ſingulis faciat ſpecialem mutationem: non tamen eoſdem producit effectus reſpectu ſingulorum; quia nec eſt eadem humorum temperantia; vndè pro illorum varietate variè agit: Nec item obſtat, quòd homines etiam extra annos Climactericos ægrotent; quia quando ægrotant extrà illos, contingit ex cauſis datis, licèt forte inuoluntariè: cū verò contingit ex annis Climactericis, oritur ex cauſis à natura tractis, ſæpè concurrentibus etiam datis.

Dices plerunque contingere duos eadem diligētia tueri corporis valetudinem: & tamen alium infirmari, alium verò benè ſe habere: ergò non cauſatur variatio ex cauſis dictis; reſpondeo variationem contingere nedum ex cauſis datis; ſed etiam ex diuerſa corporis naturali temperatura: ità Medici.

Denique ſumitur reſponſio ab Experientia veritatis magiſtra, quæ in primis apparet, tum attentis libris quorundam Parochorum; in quibus referuntur nomina,& anni ex hac luce decedentiū; vbi facto calculo illorū, qui poſt ſexageſimum tertiū mortui ſunt; repertum eſt quartam partem deſcriptorum obijſſe in dicto anno; quòd in primis notauit *Codronchus, lib. de Annis Climactericis, par. 1. cap. 2. circa firma.* Quare cōcludendum eſt obſeruantiam annorum Climactericorum;& maximè ſexageſimi tertij non eſſe ſuperſtitioſam; ſed fundatam in ratione naturali. De his lege *Vairum de Faſcino lib.2. c.10. Codron. loc. cit. Bongum vbi ſupr. Calep. ver. Climact.*

Nec reſolutioni obſtat dictum D. Pauli, nec ſententia Pici Miranduli: quia vterque intelligendus eſt reſpectu obſeruantium annos Climactericos in dependētibus à libero arbitrio: non autèm de obſeruantibus illos in dependentibus à natura.

DIFFICVLTAS II.

An anni Climacterici conueniant, & differant à diebus Criticis.

Reſpondī affirmatiuè, primò conueniunt, quia ſicut natura ad ferendum iudiciū infirmitatis dies cōſtituit Criticos: ità ad ferendū iudiciū de protractione vitæ ordinauit annos Climactericos, ſi in ipſis alicuius ſpecialis vigorationis, vel deſtitutionis detur ſignum.

Secundò; quemadmodum dies Critici ſunt maximè periculoſi; ſi in illis infirmus viribus deſtituatur: ità ſi in annis Climactericis,& maximè in ſexageſimo tertio.

Tertiò, ſicut augetur periculum; ſi in diebus Criticis concurrunt etiam extrinſecè Planetæ malefici: ità ſi contingant in annis Climactericis alicuius.

E contra ſimilitèr, ſicut dies Criticus tunc dicitur bonus; quando infirmus in illo reaſſumit vires; ità cognoſcitur bonus annus Climactericus, ſi Climactericatus benè ſe habeat (illo exiſtente) & à fortiori, ſi vigoretur.

Quartò, ſicut ſigna infirmitatis in diebus Criticis reſpectiuè ad alios dies peiora cenſentur; ſimilitèr morbi in annis Climactericis.

Differentia etiam inter prædictos annos; & dies conſtat; quia anni Climacterici comprehendunt

hendunt ſingulos menſes integralitèr: Critici autèm ſolummodò diminutè reſpiciunt horas eo modo, quo hìc infrà dicemus de tribus primis, vz. de ſeptima, quarta decima, & vigeſima die. Notandum itaque ſecundum doctrinam *Galeni lib. 3. de diebus Decretorijs. ſeu Criticis c.9.* Septimam diem cõſtare pręcisè ex ſex diebus, & horis ſeptem decim cũ dimidia. Quartãdecimã ex tredecim dieb⁹, & horis vndecim. Vigeſima ãt ex viginti diebus, & quatuor horis cũ dimidia; & quoniam terminus primi ſeptenarij eſt propinquior ſeptimo diei, quàm ſexto; ideò ſeptimus eſt Criticus, & non ſextus. Paritèr cum finis ſecundi ſeptenarij ſit propinquior decimò quàrto diei, quàm principio tertij decimi; decimus quartus eſt Criticus, & nõ decimus tertius. Inſupèr, cum terminus tertij ſeptenarij ſit propinquior diei vigeſimo, quã vigeſimo primo; procul dubiò vigeſimus, & non vigeſimus primus erit Criticus. ità *Galenus loc. cit. & Galeniſtici de diebus Criticis.*

DISTINCTIO SEPTIMA.

De amuletis, hoc eſt de remedijs contra Superſtitiones tum licitis, tum illicitis.

Hæc diſtinctio in quatuor ſecatur articulos, quorum

Primus reſpicit remedia ad euitandas Superſtitiones.

Secundus oſtendit, quibus verbis vti poſſumus pro ſalute hominum, vel iumentorum.

Tertius notat ſanctas benedictiones contra quaſcunque infirmitates.

Quartus deſignat modos tum Superſtitioſos, tum illicitos contra homines obſeſſos, ac domos à Dæmonibus infeſtas.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.
Remedia ad euitandum Superſtitiones quæ?

CVM certum ſit Superſtitionem plura cauſare mala, præcipuèq; verum Religionis cultum lædere: Fidem Chriſtianam labefactare: ac ſternere viam ad maleficiorum impietatem; quia (vt plurimùm) coniuncta eſt pacto tacito, vel expreſſo cum Dæmone; ideò ſubinferuntur hìc amuleta .i. remedia opportuna.

In primis cauendum eſt à conſortio hominum ſuperſtitioſorum: nam ſcriptum eſt: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.*

Secundò, fugienda eſt ſingularitas, quæ eſt Seminarium Superſtitionum: Itèm ſocietas hominum ſingulariorũ: hinc *Liranus* ità proloquitur: *Fugiens hominum conuerſationem, aut eſt contemplatiuus, aut Diabolus, .i. diabolicus.* Itidèm deuitanda eſt vanitatum obſeruatio: v.g. ſomnia, auguria, &c. quia vt ait idem *Doctor ſuper Pſal. 30. ibi: Odiſti obſer. vanitates, per indebitum Dei cultum impeditur aditus ad Cęlum; ſicut per debitum aperitur, Ioan. 3. Volo pater, vt vbi ego ſum, ibi ſit. & Miniſter meus.*

Tertiò, pro poſſe vitanda eſt curioſitas; vtpotè origo plurium Superſtitionum, vti experientia demonſtrat.

Quartò, in dubio, an actio Superſtitionem redoleat, conſulendum eſt Inquiſitorem, vel ſaltèm Confeſſarium, aut virũ doctrina ſimul, ac pietate præditum.

Quintò deniq; fugiendũ eſt otiũ, ne ſi Dæmon nos vacantes bonis operibus inuenerit contra nos aſſumat ſecũ alios ſpiritus requiores ſe, & grauioribus impetat tentationibus.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
An abſq; nota Superſtitionis verbis ſacris vti poſſimus pro ſalute hominum, iumentorum &c.

REſpondet *Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 6. art. 4. in corpore*, licitum eſſe ſeptem conditionibus attentis.

Prima, nè verba expreſsè, vel tacitè Dęmonis inuocationem contineant.

Secunda, ne ibi ſint ignota verba: nam ſecundum *Chriſoſt. in hom 43. in Opere imperfecto*; metuendum eſt, ne in ipſis aliquid Superſtitionis latitet.

Tertia, ne aliquam falſitatẽ inuóluant; quia ſic à Deo effectus minimè expectari poſſet, tum ne faueant falſitati.

Quarta, ne importent vana; aut alios caracteres à cruce.

Quinta, ne ſpes habeatur in modo ſcribendi, aut in ligatura, in aliaue vanitate.

Sexta, vt verba ad ſolum Deum reſpectum habeant .i. ad diuinam virtutem, à qua primariò expectatur effectus: vel ad Sanctos, à quibus ſecundariò.

Septima, vt effectus, qui expectatur, voluntati Dei, qui nouit, an ſanitas, vel infirmitas magis nobis expediat relinquatur, videndus etiam prædictus *Doctor 1. 2. in materia de gratia, & in 4. Sent. diſt. 15.* vt notat *Nider de Decem Pracep. Decal. Pracep. 1. cap. 11. nu. 29. Mengus in Flagello Dæmonum cap. 11.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.
An benedictiones, quibus vtũtur Sacerdotes ſuper infirmos, & quibus quædam Vetulæ, ſint ſuperſtitioſæ; & vndè ortum habuerint.

QVò ad benedictiones, orationesq; Sacerdotales, claret ex *Rituali non eſſe ſuperſtitioſas*, & conſtat ex *Matt. cap 15.* ortum traxiſſe: & illis Sanctos vtas fuiſſe, nimirùm Apoſt. & Diſcipulos Chriſti, de quibus primariè dictum fuit: *In nomine meo Dæmonia eycient, ſuper agros manus imponent, & benè habebunt:*

bunt: hinc nonnulli pij Sacerdotes, vt ſuas partes omni meliori modo exequerentur; compoſuerunt efficaces exorciſmos contra Dæmones: deuotasq; orationes prò ſubleuãdis infirmis, & pro quacunque aduerſitate; quibus maxima cum pietate vtebantur: reperiunturq; etiam nunc temporis in antiquis Eccleſijs; creſcente poſteà in laicis odio contra Sacerdotes: tepeſcenteq; amore erga ipſos, potius ignorãtes vetulas, quàm Sacerdotes vocabant ad ſuos infirmos; quæ, vt explerent charitatis opus, cęperunt ad inſtar Sacerdotum ipſos ſignare, pro ipſisq; orare; ob quarum ignorantiam introductæ ſunt orationes ſuperſtitiosè; quibus multa vana, & falſa cum bonis, & vtilibus admixta ſunt. legendus eſt *Nider de Decem Præcept. Decal. Præcep.* 1. *cap.* 11. *nu.* 30.

DIFFICVLTAS II.

Benedictio contra aues, vermes, mures, locuſtas, vel alia animalia terram, vel fructus deuaſtantia, quæ?

RESpondeo eſſe ſequentem, nempè, Preces nrãs quæſumus Dñe clemẽtèr exaudi; vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur: ab hac auium, vermium, muriũm, locuſtarum, cęterorumque animalium deuaſtatione, pro tui nominis gloria, miſericorditèr liberemur: vt procul à potentia tua expulſa nulli noceant, & hos campos, agros, vineas, &c. intacta, atq; illęſa dimittant; quatenus ex eis ſurgentia, & orta tuæ maieſtati deſeruiant, & noſtræ neceſſitati ſubueniant. Per Dominũ, &c. ità ex *Sacerdotali Rom. p.* 2. *pag. mihi* 212. ſecundũ ſenſũ.

DIFFICVLTAS III.

Benedictio domus à Dæmonio vexatæ, quæ?

REſpondetur eſſe iſtam, nimirùm, Domum tuam Domine clementèr ingredere, in tuorum fidelium corde perpetuam cõſtruendo manſionem; & præſta, vt in hac domo nulla malignorum ſpirituum dominetur nequitia. Per Chriſtum &c. *Ex Sacerdotali Romano part.* 2. *pag.* 205. *à tergo.*

DIFFICVLTAS IV.

Benedictio cõtra maleficia, & facturas coniugatis factas, vz. pro impeditis in matrimonio, qualis eſt?

REſpondetur talẽ eſſe: Domine Ieſu Chriſte Dei, Beatæ Mariæ Virginis Fili, qui in Paradiſo Terreſtri matrimonium inſtituiſti in officium, conſeruationem, & multiplicationẽ, humanæ naturæ: & ipſum mirabilitèr honoraſti in aduentu tuo ex primordijs miraculorũ tuorum, ſupplicitèr exoro; quatenus per merita, & preces B. Virg. Mariæ matris tuæ, ac omnium Sanctorum, & Sanctarum digneris hos S. Sacramenti Matrimonij coniunctos benedicere, ac plenè liberare ab omni ligamento, faſcinamẽto, & maleficio Sathanæ, dando illis fœcũditatẽ, & gratiam; quatenus liberi vti poſſint matrimonio ad generandum, concipiendum, portandum, pariendum, & nutriendum prolem tibi gratam. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. ità ex *Exorciſmis diuer. Sanct. ibi: Exorciſmi pro impeditis in matrimonio pag.* 87. *à tergo.* quem extraxit Florianus Canalis propemodùm ad litteram. *par.* 2. *cap.* 4. *ex Sacerdotali Romano pri. par. cap.* 9. iuxtà ſenſum.

DIFFICVLTAS V.

Benedictio fœtus in vtero matris, de cuius periculo dubitatur, quæ?

REſpondetur eſſe iſtam, .s. Per merita B.M. V. dignetur Dominus te liberare vnà cũ fœtu ventris tui ab omni periculo, ſemoto omni impedimento, ac Dæmonis maleficio. ità *Sacerdotali loc. cit. ad ſenſum.*

DIFFICVLTAS VI.

Benedictio Mulieris pro filiorum retentione qualis?

REſpondeo talem eſſe, vz. Ieſus Mariæ Filius, mundi ſalus, & Dominus; qui Beatiſſimæ Virgini Mariæ Matri ſuæ fęlicem partum tribuit; concedat tibi, vt poſſis fętum in vtero portare, & fouere, prolemq; parere, & benè nutrire, vt grata ei exiſtat. In noĩe P. & F. & S. S. ità ex *Exorciſ. diuerſorum Sanctorum pag. mihi* 88. *poſt Exorciſmum S. Cypriani, item ex Floriano Canali part.* 2. *benedictionum cap. quinto, qui fuſiùs procedit.*

DIFFICVLTAS VII.

Benedictio pro fuganda ſterilitate mulieris quæ?

REſpondetur iſtã eſſe, .s. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas filios filiorum vſque in tertiam, & quartam generationem. ità ex *Sacerdot. Rom. par.* 1. *cap.* 8. addens alias preces, & benedictiones.

DIFFICVLTAS VIII.

Benedictio pro pueris quacunque infirmitate detentis, qualis?

REſpondetur huiuſmodi eſſe, nempè: Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, qui ob multitudinem miſerationum tuarum, vt ſaluũ faceres genus humanum de cœlo ad terram deſcẽdiſti, te ſupplices deprecamur, vt per glorioſiſſimam Natiuitatem tuã: per Baptiſmũ, & ſanctũ Ieiuniũ tuum: per Crucem, & Paſſionẽ tuam: per mortem, & ſepulturam tuam: per ſanctam Reſurrectionem tuam, ac admirabilem Aſcenſionem tuam; ſuper hunc puerum tuum infirmum rorem tuæ benedictionis infundas: atque eum à qua detinetur infirmitate liberes: & ab omni malo protegas, & defendas. ità ex *Floriano Canali tract. de Benedict. poſt tertiã partem, pag. mihi* 127. quia alia ſubiungit.

Notandum verò diſcrimen eſſe inter benedictionẽ, & conſecrationem: nam benedictio perficitur tribus, vz. oratione, ſigno Crucis, & aſperſione aquę benedictæ: ad conſecrationẽ autẽ præter hæc tria requiritur Sacra Vnctio, quod præcipuè notat *Bordonus reſol.* 179. *n.* 18.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

De modis tàm ſuperſtitioſis, ſeu illicitis, quàm licitis, minimeq; ſuperſtitioſis liberandi Domos, Turres, Nemomores, &c. ab infeſtatione Dæmonum abundè tractatur infra lib. 21. diſt. 3. *per tot. propterea hic nihil dicitur. Itidem de modis expellendi Dæmonem ab obſeſſis corporibus agitur infra* lib. 22. diſt. 2. art. 2. *per extenſum; ideò hoc in loco ſuperſedo ad ibi dicenda vos remittens.*

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III.

LIBER XVI.

De Scientia, & Potentia Dæmonum.

Antequàm aggrediamur primam Superſtitionum ſpeciem, de qua Textus explicitè, ibi: O ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi voglia eſperimento di Magia.

In primis neceſſariò præmittendus eſt tractatus de Scientia, & Potentia Dæmonum, à quibus tanquam à fundamentis, ſeu principijs (ſuppoſita eorum in genus humanum nequitia) dependet vtraq; Magia diabolica, nempè diuinatrix, & operatrix; ignoratis enim principijs, ignoratur & ars, ff. de Iuſt. & iure l. 1. in princip. & in auth. de non alien. iud. §. Scimus per Dyn. in Regula, nullus, de Reg. iur.

Secundò, ad intelligentiam itidem aliarum ſpecierum Superſtitionis, de quibus Textus explicitè, ibi: vz. Negromantia, Incanteſmi, &c. *& de quibus ſimilitèr Textus implicitè, ibi:* ò altre ſimili ſuperſtitioſe attioni, & maſſime con abuſo di coſe ſacre; *de Scientia, & Potentia Dæmonum eſt quoque neceſſariò dicendum, vtpotè de partibus inſtrumentalibus cuiusuis Superſtitionis; Sed quià contrariorũ eadem eſt diſciplina; obitèr dicemus, etiam de ipſorum Dæmonum inſcitia, de impotentia, tàm vera, quàm ſimulata.*

Diuiditur autem iſte liber in octo diſtinctiones, quarum

Prima eſt de Dæmonum Scientia.

Secunda, de eius effectibus, prout nobis ab ipſis traditur.

Tertia, de Dæmonum Potentia contra hominem.

Quarta, de ipſorum potentia comparatiuè ad Angelos Sanctos, & ad hominem.

Quinta, de eorum Impotentia reſpectu eorum, quæ non poſſunt facere.

Sexta, de eorum Impotentia reſpectu eorum, quæ non poſſunt dare.

Septima, de ipſorum ſimulatâ impotentiâ, ſeu coactione paſſiua.

Octaua deniq; de eorundem vera impotentia ratione coactionis actiuæ.

Reuocantur autem hæ diſtinct. ad tres particulas, quarũ altera reſpicit Dæmonũ ſcientiã. Altera ipſorum potentiam; Tertia verò Impotentiam. Prima complectitur duas priores diſtinctiones; ſecunda duas ſubſequentes: Tertia autem reliquas quatuor.

Verum, quia prius eſt ſcire, quàm operari; ideò non immeritò exordimur ab illorum Scientia, potiùs quam à Potentia; operans enim intellectualitèr, nouit, quæ facit.

DISTINCTIO PRIMA.

De Dæmonum Scientia.

Præſens diſtinctio diuiditur in tres articulos.

Primus verſatur circa ſcientiam futurorum à libero arbitrio dependentium.

Secundus circa ſcientiam actionum interiorum hominis.

Tertius

Tertius verò circa ſcientiam periodi vitæ humanæ.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Dæmones futura veracitèr præcognoſcere poſſint.

Ratio difficultatis eſt; quia, ab Aſtrologis futura præcognoſci poſſunt modo quo infra: ergò etiam à Dęmonibus; cum ſint ipſis Aſtrologis perſpicaciores.

Notandum eſt, quòd futurorum triplex eſt genus. Primum, quædam ſunt futura, quæ habent cauſam determinatam, & infallibilem: ex. gr. Solem cras oriturum: Lunam tali die ecclipſandam: coniunctionem, vel oppoſitionem Solis, & Lunæ tali hora habendam, &c.

Alterum, quædam ſunt futura, quæ habent cauſam determinatam, & fallibilem, vtpotè; quòd ager in terra pingui ex diſpoſitione corporum cęleſtium afferet vberem fructum: natura enim mouet determinatè ad vnum; ſed interdum ex aliquo impedimento oppoſitum euenit.

Tertium, quædam ſunt futura, quæ habent cauſam indeterminatam, & fallibilē, ad vtrumlibet oppoſitum, velut ſunt dependentia à libero arbitrio, quod eſt ad oppoſita vertibile; Vndè licèt vnum decreuerit facere; illud tamen interdum facere omittit, his habitis.

Reſpondetur, quòd Dæmones poſſunt certitudinalitèr ſcire futura primi generis; nam habent cauſam determinatam, & infallibilem; quam per ſpecies innatas perfectiùs cognoſcunt, quam Aſtrologi per artē: & de his procedit ratio difficultatis.

Poſſunt itèm ſcire futura ſecundi generis, verùm non certitudinalitèr, ſed ſolùm coniecturalitèr; quia licèt habeant huiuſmodi futura cauſam determinatam; eſt tamen fallibilis; hinc Aſtrologi prædicunt ex Cœli motibus tempeſtates, pluuias, &c. quæ tamèn ſæpè ex cauſis inferioribus, aut ſuperioribus impediūtur, quare in prędictione dictorum futurorum falluntur. Medici itidem ex aliquibus cauſis ſanitatem alicuius, vel mortem futuram prædicunt; quæ tamen aliundè impediri poſſunt; & proindè ipſi quoque, plerunq; falluntur.

Cæterùm Dęmones futura tertij generis: nequaquā certitudinalitèr ſcire poſſunt: tum quia iſta habent cauſam indeterminatam, & fallibilem: tum quia ſcire hoc modo eſt proprium Dei; & de huiuſmodi præcognitione procedit illud *Iſaiæ* 41. *Annunciate nobis ventura, & ſciemus, quia Dij eſtis*: hinc credere, quod Dæmones talia poſſint certitudinalitèr prædicere; eſt ſignum infidelitatis, cui annexa eſt Idolatria; nam talis credulus, Dęmonibus attribuit, quod eſt proprium Dei: tùm prætereà, quia, ſi Dæmonibus ſcirent huiuſmodi futura, ſcirent quoq; an eſſent victuri hominem, quē tentant, quòd omninò negatur, patet; nam cū ſuperbiſſimi exiſtant; nunquam tentarent, niſi eum, quem præſcirent ſibi ſuccumbendum; clarum autem eſt ex Sacra Scriptura, & experientia; quòd tētant etiam illos; à quibus ſæpè vincuntur. vt conſtat de S. Iob, & alijs. ità *S. Bonauentura diſt. 7. par. 2. ar. 1. quæſt. 3. 1 hom. ibidem quæſt. 2. ar. 2. Ricard. eadem diſt. Pelbartus in Roſario Theologorum tom. 2. ver. Dæmones 4. §. 48. Bartholomæus Sybilla in Speculo Peregrinarum Quæſtionum 3. decade per totum. Vairus de Faſcino lib. 2. cap. 5.*

DIFFICVLTAS II.
Vndè eſt, quod ſæpè eueniunt, quæ à Dæmonibus prædicuntur, etiam circa tertium genus futurorum à libero arbitrio dependentium.

Reſpondet *Auguſtinus ſuper Gen. ad literam cap. 3.* vt notat *Pelbartus in Roſario Theolog. tom. 2. verb. Dæmones* 4. §. 49. quod hoc euenit primò, quia acumine ſcientiæ cognoſcunt, ad quid inclinetur affectio noſtra: & item, quę ſunt inducentia, vel retrahentia affectum noſtrum.

Secundò, quia ex longa experientia nouerunt talia ex talibus accidere.

Tertiò, quia Deus ob hominum peccata interdum aliqua permittit ab Angelis bonis reuelari Dęmonibus, vt infra dicam diff. 4. quæ deindè per ipſos Dæmones reuelantur hominibus malis: nam Balaam, qui fuit Magus, plurima prædixit de Chriſto, quæ impleta ſunt; itèm Caiphas prædixit Chriſti mortem, quæ itidèm prophetia adimpleta fuit; & ſic de alijs; ſed de hoc infra difficul. 4.

Quartò, quia ſæpiſſimè Dæmones doloſa cautela vtuntur prædicendo, quod Deus ipſis interdū permittit; vt vel ſic ex hac prędictione honorētur, vt Dij, tanquàm ſcientes depēdentia à libera voluntate. Quinimmò aliquando etiam ea, quæ ipſi facturi ſunt, prædicunt 26. q. 4. legendus eſt *Pelbartus in Roſario Theol. tom. 2. verb. Dæmones* 4. §. 49.

DIFFICVLTAS III.
Ex quibus cauſis (generalitèr loquendo) Dæmones aliqua futura dignoſcunt.

Attento, quòd Dæmones neſciunt futura contingentia modo quo ſupra; dico cū *D. Aug. in lib. de Natura Dæmonum* ſeptem eſſe capita, ex quibus aliqua futura norunt.

Primò, ex ſubtilitate ingenij naturalis.

Secundò, ex experientia temporum.

Tertiò, ex celeritate motus.

Quartò, ex potentia, v. g. quia poſſunt morbos immittere, illosq; prædicere.

Quintò, ex ſignis corporis, ex. gr. ex pulſu, vrina &c.

Sextò, ex ſignis animi, .s. ex paſſionibus.

Septimò, denique ex Prophetis, ac ſcriptis: hæc tanguntur, 26. *quæſ. 4. cap. Sciendum. ità Nider de Decem Præcep. Decal. lib. 1. cap. 9. nu. 7.*

DIFFICVLTAS IV.
An Deus miniſterio bonorum Angelorum Dæmonibus interdum reuelet futura.

RAtio difficultatis eſt: tum quia ab inimicis abſcondenda ſunt ſecreta, conſilia; ne eorum malignitate irritentur, aut impediantur. Itèm Dæmones ſunt in tenebris damnationis; & proindè minimè idonei ad ſuſcipiendas reuelationes; cum reuelatio ſit cognitio gratioſè tradita.

Reſpondet difficultati *S. Bonau. in 2. diſt. 7. part. 2. in Expoſit. litteræ*, pro vero habendum eſſe; quòd Dæmonibus interdum aliqua futura reuelet per Angelos bonos; cuius reuelationis attendendus eſt finis; quia Deus mirabili ſapientia, etiam per inimicos ſuos ſuam implet voluntatem; Vndè, ſicut reuelatio ſomnij de exaltatione Ioſeph manifeſtata fratribus inuidentibus ſecundùm mirabilem Dei ſapientiam; fecit ad eius impletionem: licèt ſecundũ illorum intentionem eſſet ad impedimentum: patet ex verbis Scripturæ, .s. *Vos cogitaſtis de me malum; ſed Deus vertit illud in bonum, ſicut in præſentiarum cernitis*: ſic Deus per Angelos ſuos Dæmonibus futura interdum reuelat, vt dum illis obuiant; aliquod valdè bonum ordinatiſſimè impleat.

Nec reſolutioni obſtat ratio obiecta; quia licèt humanum conſilium, ſi reueletur inimicis per ipſos interdum irritari poſſit: diuinum tamen inimicis manifeſtatum nunquàm irritari poteſt.

Itèm non obſtat, quòd Dæmones ſint indigni reuelationibus; quia reuelatio non ſemper eſt gratia, i. non ordinatur ad bonum illius cui fit: ſed interdum eſt iuſtitia, quando .s. ordinatur ad punitionem alicuius mali, vt ad fallendũ fallaces; & ſic contingit in propoſito, quando futura Dæmonibus reuelantur occulto, & iuſtiſſimo Dei iudicio; qui comprehẽdit ſapientes .i. ſuperbos in aſtutia eorum; cognito enim à Dæmonibus aliquo bono futuro: v. g. cognitâ conuerſione alicuius peruerſi viri, pro poſſe illi occurrunt; ſed talis reſiſtentia reſultat in bonum ſerui ſui fidelitèr conuerſi, iuxtà illud *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: virtus enim agitata creſcit. ità *D. Aug. de diuinatione Dæmonum cap. 3. 5. & 6 Magiſter Sententiarum in 2. diſt. 7. S. Thom. prim. part. qu 64. Iſidorus de Summo bono lib. 1. cap* 10. quod notat *Binsfeldius Commen. de Maleſ. & Mathem. in Præludijs.*

Verùm nota, quod futura in ſeipſis Dæmones nequaquam cognoſcere poſſunt; niſi ab Angelis bonis eis reuelẽtur, vt dictũ eſt: his tñ exceptis, quæ habent cauſam neceſſariam determinatam, & infallibilem, vt Eclipſis, Planetarum coniunctiones: vt ſupra cautum eſt.

DIFFICVLTAS V.

Dæmones an à Deo interdum exaudiantur.

RAtio difficultatis mihi eſt, quia Dæmones à Domino noſtro Ieſu Chriſto impetrauerunt; vt à corpore ab ipſis obſeſſo in gregẽ porcorum intrare poſſent, habetur *Matth. 8. & Marc. 5.*

Nota in oratione duo conſiderari, videlicèt meritum, & impetrationem: meritum dependet ab orante, ideſt ab ipſius charitate; nam illa cumulatus meretur gradum quendam gloriæ in æterna vita obtinendum: quem extra charitatem exiſtens mereri non poteſt: impetratio verò pendet à ſola clementia Dei exorati; Vndè licèt, quis in charitate exiſtat; non ideò ob hanc meretur à ſe petita, in hoc .s. ſenſu, vt Deus adeò obligetur illi, vt iniuſtus exiſtat petita denegando; cum ſolummodò determinatè pro bono opere facto ab exiſtente in charitate, ſit promiſſa vita æterna: non autèm cætera. Hinc colligo duo corollaria. Primum eſt, quòd charitate præditus, non ſemper petendo impetrat, quod petit: patet de Moyſe, qui petijt intrare in terram Chanaam, & nõ impetrauit. *Deut. 3. & 32. & num. 27.* item de Samuele, qui orando pro Saule non fuit exauditus 1. *Reg.* 15. idemq; habetur in Hierem. his verbis: *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Alterum corollarium eſt, quòd interdum exiſtens in peccato mortali impetrat: conſtat, ex prædicto caſu *Matth. 8. & Mar.* 5. vbi Dæmones peccato ſuperbiæ vndequaque circundati à Chriſto petita impetrarunt: ratio autem vtriuſque corollarij eſt; quia interdùm petita ab exiſtente in gratia (quæ eſſentialitèr cum charitate vnum eſt) non concordant Diuinæ voluntati; & quæ petit exiſtens in peccato mortali ſunt interdũ ipſamet, quę Deus ex cauſis nobis occultis, ſed iuſtis facere diſpoſuerat.

Verùm notãdum, quod licèt iuſti interdùm non concordent cum Dei voluntate in volito proximo: ſemper tamen concordant in volito remoto; volentes adamuſſim, quod ipſe vult, cui voluntati contrariantur exiſtentes voluntariè in peccatis mortalibus. *Bruliſer ſuper primum Sent. D. Bonau. diſt. 30. queſ 2.* patet exemplum de Sanctis Apoſt. Petro, & Paulo, qui interdum fuerunt diſcordes in volito proximo circa obſeruationem legalium: ſed nunquam in remoto, volentes concorditèr; quod putabant Deo placitum eſſe. Idem conſtat de D. Paulo, & D. Barnaba circa ſeparationem Marci Euangeliſtæ ab ipſis.

Idem ſimilitèr habetur de quibuſdam Angelis .i. de Angelo, qui curam habebat Regni Perſarum: & illo, qui regebat Hyeruſalem circa diſceſſum Danielis, & ſociorum eius à Regno Perſiæ: Vndè dicitur, quòd vnus reſtitit alteri vno, & viginti diebus *Dan. cap.* 10. qui tamen integralitèr erant vniti in volito remoto: nam quæcunque vniuntur vni tertio .s. Deo, vniuntur inter ſe: licèt videantur diſcordes.

Itèm Iuſti ſemper exaudiuntur ad mentem, licèt non ſemper ad verba, ideſt iuxtà petita; quod ſecus contingit in malis, qui interdùm exaudiuntur ad verba, non ad mentem. Hæc *Toſt. ſuper Matt. cap.* 8.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Dæmones Hominis actiones interiores cognoſcant.

Ratio difficultatis eſt, quia inferioris intellectus ſpecies à ſuperioribus intelligentijs comprehendi poſſunt; quia præditi ſunt ſpeciebus vniuerſalioribus; Inferiores verò intelligentiæ .i. Angeli inferiores ſuperiorum ſpecies nõ comprehendunt; quia illorum ſpecies ſunt minus vniuerſales; quo fit, vt, cum Dæmones ordine naturæ intellectu ſuperiores exiſtãt; ſpecies, quibus eorũ intellectus informatur, apprimè cognoſcunt abſque indigentia intellectus agentis ad illas cognoſcendas; cum eorum cognitio à ſenſu minimè ortum habeat. legendus eſt *Vairus de Faſcino loc. inf. cit.*

Difficultati reſpondetur, quòd Dæmones non cognoſcunt actiones interiores hominis voluntarias; ſed ſolùm naturales: ſicuti enim eius ſubſtantia abſcondi nequit: ità, nec eius effectus, ſeu actio naturalis: quòd ſecùs eſt de actione voluntaria; nam quemadmodum liberè in lucem exit; ità liberè ſe occultare poteſt; & per hanc diſtinctionem ſatisfieri poteſt obiectioni: procedit .n. reſpectu tantummodò actionum naturalium; quæ per Dęmones cognoſci poſſunt.

Item not. eſt duplicẽ eſſe actionẽ .s. aliã trãſeuntem, aliam immanentem; trãſiens eſt, quæ aliquid poſt ſe relinquit, vt cũ actio ab anima ad corpus tranſit; relinquit poſt ſe pallorem, ruborem, timorem, vel verecundiam, &c. quæ corpus afficiunt; hanc Dæmones conijcere poſſunt: quòd negandum eſt de actione immanente, quæ nullo modo à Dæmonibus ſciri poteſt; quia eſt occultior, & abditior, quàm ſit ipſa anima: Vndè licèt cognoſcant ſpecies, quibus noſter intellectus informatur: tamen non cognoſcunt, quæ vult eligere, vel reſpuere, vt poſt multos DD. notat *Vairus de Faſcino lib. 2. cap. 5.*

Obijcies peccatum eſt character Dęmonũ, qui quidem character, cum in mente concipitur, Dęmones non latet.

Reſpondetur verum eſſe præcisè de charactere peccati palàm patrati verbis, aut factis: non autèm de patrato ſola voluntate abſque aliquo ſigno illius ad extra oſtenſo.

Inſtabis fortaſsè cum Dionyſio, quòd ſubſtantiæ ſpirituales ſua natura ſunt ſpecula; ſed in materiali ſpeculo, quoties vnum alteri opponitur, non modò ipſum; ſed quidquid in eo relucet, repræſentat: ergò, cum ſpiritualia ſpecula .s. Dęmones maiorem habeant claritatẽ, quàm corporalia; videtur, quòd ipſi animam nrãm intuẽtes, nõ ipſam dumtaxat; ſed totum, quod in ea reperitur, cognoſcant; idq; ità roboratur: oculus meus nihil in me videre poteſt; quòd alterius quoque oculus non videat in illo; ſed corporei oculi cum obiecto corporeo eandem rationem habent, quàm oculi ſpirituales, reſpectu obiecti ſpiritualis: igitur quemadmodum oculum mentis meæ non latent arcana cordis; ità nec Dęmonum oculos.

Reſpondetur primò, quod maxima eſt differentia inter ſpeculum materiale, & ſpirituale: Materiale ſpeculum ſpecies, quas ſuſcipit, ex neceſſitate refert: voluntarium verò ſecùs: ineſt .n. illi clauis quædam .s. libertas arbitrij, quæ ad ſuũ nutũ aper.t, & celat, quidquid ſibi libet: & ità non eſt eadem ratio de oculo corporeo, & ſpirituali: ille ſiquidem, quod in alio eſt, non poteſt non videre, cum ſit naturalis; hic autèm, cum ſit voluntarius, claue liberi arbitrij claudere poteſt; ne quod ipſe videt, quisquam introſpiciat, & hoc eſt, quod dicit *Auguſtinus ſuper Geneſim ad litteram. Sicùt ſubſtantiæ corporeæ .s. oculi aliqua habent velamenta .s. palpebras, quibus ſe alienis aſpectibus occultant: ſic etiam in his oculis ſpiritualis ſuo modo intelligendum eſt:* Nam quamuis plicarum diuerſitates ex diuerſarum naturarum compoſitione non ſint in eis; potentiarum tamen gradus reperiuntur; quorum reſpectu quædam dicuntur intima animæ, vtpotè quæ reſpiciunt ſuperiores potentias; ſecundùm quas anima in ſe ipſa magis recolligitur, ac ſua cęlat ſecreta.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Dæmon periodum hominis, .i. terminum ipſius naturaliter ſcire poſſit.

Reſponſio eſt affirmatiua: quòd notat in primis *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum, par. 2. quaſ. 1. cap. 2.* ratio eſt; quia cognoſcit apprimè cuiuſque hominis complexionem, humorum diſpoſitionem: videtq; intra corpus noſtrum occluſa, quæ ad breuitatem, & longitudinem vitæ conferunt.

Ego præcisè cenſeo, quòd poſſit naturalitèr noſſe, ſi longa, vel breuis eſſe debeat cuiuſque vita: ſed non punctualitèr, primò, quia longitudo, & breuitas vitæ non pendet ſolummodò ex complexione naturæ; ſed ex ciborum qualitate, aeris ſalubritate, quæ ex placito cuiuſque variari poteſt. Itèm ex bono corporis gubernio, ex. gr. curis aſſumptis, vel depoſitis.

Secundò, quia accidentia, quæ in dies contingunt, & à libero hominis arbitrio ſunt omninò pendentia; ſolùm ad ſummum aliquali coniectura cognoſcere poteſt; eo mo o, quo etiam viri ſagaces, & experti cõiecturare valent.

Verùm admitto Dęmonem perſpicacius quolibet peritiſſimo Medico poſſe dignoſcere ex ſignis; quanto tempore probabilitèr infirmus ſit ſuperuicturus, quouè tempore moriturus: quia Medici cognoſcunt tantùm ex ſignis exterioribus; Dæmon verò etiam ex his, quæ videt intra corpus infirmi; quæ ſanè cognitio magis facit ad veritatem rei dignoſcendam.

DISTINCTIO SECVNDA.

De effectibus ſcientiæ Dæmonum, dum nobis ab ipſis traditur.

Diſtinctio præſens quinque complectitur articulos.

Primus oſtendit Dæmones tàm docendo, quàm reſpondēdo quæſitis prius obſcurare, quam illuminare intellectum.

Secundus demonſtrat, quot modis principaliter deludat ſenſum.

Tertius deſignat quot modis decipiat intellectum.

Quartus notat, quibus medijs ipſorum fallaciæ dignoſcantur.

Quintus, ſi ſcientia, vel arte ope Dæmonis acquiſita vti poſſimus.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Dæmon docendo illuminet.

RATIO. difficultatis eſt, quia doctrina à quocunque tradita illuminationem affert reſpectu rei edoctæ.

Ante reſponſionem notandum illuminationem à lumine deriuari; lumen autèm affertur ad præcauenda præcipitia tàm corporalia, quàm ſpiritualia: ad præcauenda corporalia requiritur lumen corporale: ad præcauēda vero ſpiritualia requiritur lumen ſpirituale: huc ſpectat illud Dauidicum: *Illumina oculos meos, ne videant vanitatem*: huc quoque reſpicit illud: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.*

Reſpondetur, quamuis Diſcipulus reſpectu ſcientiæ à Dæmone perceptæ, & priùs ſibi ignotæ illuminetur; reſpectu tamen Magiſtri, ſ. Dæmonis illam edocentis ſecus omninò dicendum eſt; quia docendo nō intendit lumen afferre ad præcauendum malum: ſed potiùs ingerit tenebras, ne bona amplectenda: aut ne mala fugienda videamus: patet ex *Gen. cap. 3.* reſpectu Euæ, quàm docendo obtenebrauit.

Quare notandum eſt diſcrimen non parum reperiri inter Angelum bonum, & malum in docendo; nam bonus docendo illuminat: Malus vero (quantum eſt ex ſe) docendo obtenebrat, ad malumq; incitat: à tenebroſo enim, quatenus eſt talis, non niſi tenebræ haberi poſſunt: nemo enim dat, quod non habet. *l. Nemo poteſt. ff. de Reg. iur.*

Dices contingit interdum ex doctrina Diaboli ab eius diſcipulo elici lumen benè agendi, vel cauendi à malo. Reſpondetur hoc minimè prouenire ex mente docentis, ſed ex bonitate doctrinæ naturalis; aut ex conuerſione diſcipuli iam ad cor reuerſi, ex ſpinis roſas colligentis.

DIFFICVLTAS II.

Dæmonum reſponſa circa pendentia à libero arbitrio, cur, vt plurimum ſunt æquiuoca, & obſcura.

RAtio difficultatis eſt, quia, cùm Dæmones ſint doctiſſimi; videtur, quòd potiùs ſpecificè, clarè, ac diſtinctè reſpondere debeant.

Reſpondetur, quòd vtuntur talibus reſponſis; quia neſciunt dare certa, nec clara: ità *Liuenus ſuper Deut. cap. 4.* quod notat *Pelbartus in Roſario Theol. tom. 2. ver. Dæmones 4. §. 49.* hinc cum eſſet bellum inter Regem Manfredum Apulum, & Carolum Regem Galliæ: Manfredus conſuluit Dæmonem ſuum familiarē; qui ob ſuperbiam, cum noluiſſet circa huiuſmodi euentum ſuam fateri ignorantiam; æquiuocè, & obſcurè reſpondit in hæc verba: Nō, non ſuperabit Gallus Apulum; quam æquiuocationem non aduertens, ad pugnam contra dictum Carolum ſe accinxit, à quo ſuperatus; de ſuoq; Dæmone ſe conquerens. Reſpondit, verum tibi dixi; ſed ex tua ignorantia non me intellexiſti; nam duæ negationes vnam cōſtituunt affirmationē; Manfredus autèm exiſtimauit Dæmonem locutum fuiſſe iuxtà conſuetum modum, qualis eſt, vt quando quis aliquid efficacitèr negare intendit, iteret negationem: v. g. non, non volo ferre ſarcinam.

Notat Valerius Maximus aliud exemplum. Quidam conſulit Apollinem, an moreretur in bello, vel rediret victor; cui itidem æquiuocè, & obſcurè reſpondit ità; ibis, redibis non morieris in bello; qui credens Apollinem loqui ſecūdùm quod cupiebat; profectus ad Prœliū, ibi interfectus fuit. Aequiuocatio autèm in hoc ſtat: quia dictio (non) coniungi poteſt cū verbo redibis, ſic; redibis nō; & itèm cum verbo morieris, hoc modo, non morieris. & iuxtà diuerſam poſitionem diuerſum quoque facit ſenſum.

Nec obſtat reſolutioni, quòd Dæmones ſint maxima ſcientia præditi: quia ſub eorū ſcientiā non cadunt, quæ pendent à libero arbitrio: cum ſoli Deo ſint reſeruata. DD. ex communi conſenſu.

DIFFICVLTAS III.

An Dæmoni credi poſſit, cū verum ſatis cognitum dicit.

REſpondetur Dæmoni minimè credendū eſſe, neque cum annunciat veritatem; ſed ſolùm reſpectu ipſius met rei notæ; quia ab ipſo, tanquàm ab ipſo nunquàm veritas deriuatur, quod, ſi interdum contingat; erit per accidens dicta, vel fictè: vel ad introducendum falſum, aliudue malum; Vndè *Marci 1. c.* ſcriptum eſt, Chriſtum præcepiſſe Dæmoni annuncianti eius ſanctitatem, vt taceret; eius verba ſunt: *Scio qui ſis Sanctus Dei: Ieſus autèm comminatus eſt ei, dicens, obmuteſce*: idem habetur *Lucæ cap. 4.* hinc D. Chryſoſtomus ſupèr hæc verba ità proloquitur: *Salutiferum nobis dogma datur, ne credamus Dæmonibus quantumcunque veri-*

vitatem denuncient, niſi ex ſpeciali inſtructione Spiritus Sancti, quod obſeruat *Nider de Decē Præceptis Decal. cap. 11. nu. 32.*

Et certè, ſi homini mendaci veritas non creditur, quomodo mendaciorum patri, auctorique illius credi poterit? quemadmodum enim nititur pro poſſe oſtendere ſe plura poſſe, quā poſſit; ità plura ſcire, quàm ſciat, vt patet in propoſito; ſi .n. certò cognouiſſet Chriſtum, nunquam ad ipſum perdendum impuliſſet homines, ne ſuum diminueretur imperium; Vndè veritas à Dæmone allata ſolùm credi poteſt, quatenus à parte rei, vel ex parte ſanctarū Scripturarum manifeſtata eſt.

Quendam caſum præcipuè notant Doctores, in quo Dęmoni nullatenus credendū eſt, vz. quando in obſeſſo loquens aſſerit eſſe alicuius animam: nam anima nō migrat de corpore ad corpus. legendum eſt *Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admon.* 179.

Verùm (his non obſtantibus) vnus datur caſus, in quo Dęmonibus credi poteſt, vz. quando Eccleſiaſticis Exorciſmis ad reſpondendū cogitur. Dico cogitur, quia illi ſpōtè loquenti, vel reſpondenti nihil credendum. legendus eſt *Porrus in Antidotario cōtra Dæmones, dub. 39.*

DIFFICVLTAS IV.

An Diabolo ſit obediendum, cum imperat bonum.

REſpondetur negatiuè, ratio eſt, quia omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio; Chriſtus autem panes de lapidibus facere potuit; ſed noluit, vt demonſtraret, nihil faciendū eſſe ad Diaboli imperium; etiam ſi bonum, & vtile ſit, quod ſuggerit, vel iubet: ità *Ludolphus in vita Chriſti cap. 22. Matth.* ſuper illa Verba; *dic vt lapides iſti panes fiant*, bonum ſanè non eſt faciendum, quatenus ab ipſo imperatum; ſed præcisè quatenus tale.

Verum pro tunc, nec quatenus tale, eſt exequendum; niſi cū proteſtatione, quòd in hoc minimè intendimus illi obedire, ſuppoſitaq; neceſſitate illud præſtandi tali tempore; cuius ratio eſt, quia euitandum eſt omninò illius cōſortium, quòd colligitur ex obedientia illi præſtita; tum, quia quidquid ab ipſo præcipitur ſiuè malum, ſiuè bonum totum ad noſtram ordinat perditionem; licèt primo acceſſu videatur nobis ſalubre; Arbor quippè mala bonos fructus facere nequit; eſt ſententia Saluatoris noſtri, faciunt tradita per *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon.* 179 quinimmò nec Iudici præcipienti aliquid, quod nequit fieri ſine interuentu Dęmonis, parendum eſt; ſz. præceſſum detur, vt verificetur delictum; vel ob aliud bonum finem: ipſeq; mortaliter peccaret, quāuis etiam ad hoc præcipiendum ſolummodò curioſitate traheretur; ſicut item peccaret, ſi aduertentèr permitteret aliquid fieri, aut exerceri, ſiue coram ſe, ſiuè coram alijs, .s. cum interuentu Dæmonis. legendum eſt *Arſen. ſ. loc. cit. admonit.* 154. conſtat ex ratione allata.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quot modis Dæmon hominis ſenſum deludit.

SAnctus *Bonauentura in 2. Sent. diſt. 8. art. 9.* aſſerit Dęmonem tribus modis ſenſus humanos illudere; Primo, oſtendendo præſens eſſe, quod non eſt.

Secundo, demonſtrando rem aliā, quam ſit.

Tertio, abſcōdendo illud, quod præſens eſt. Pręſtat primum, offerendo ſpecies. Efficit ſecundum, variando ſenſum, vel obiectum. Tertium verò operatur ponendo impedimētum: hæc fuerunt exemplis clarè reddita *in 2. par. Comment. noſtrorum ſuper Caſ. reſeruatos, caſ.* 12. ideò ad ibi tradita vos remitto. *Pelbartus in Roſario Theolog. tom. 2. verb. Dæmones. v. §. 8.* aſſignat alios tres modos, quibus Dęmon hominis ſenſus illudit, .s. primo ex parte potētiæ ſenſitiuæ, & huiuſmodi illuſio dicitur præſtigium.

Secundo, ex parte medij, & dr̄ incantatio.

Tertio denique ex parte obiecti, & dicitur ars magica. Verùm hæc diſtinctio ferè coincidit cum illa D. Bonauenturæ, de qua ſupra.

DIFFICVLTAS II.

Similitudo rei quomodo virtute Dęmonis videtur.

REſpondeo altero infra dictorum modorū: vel quia Dęmon phantaſma interius exiſtens offert virtuti interiori, nimirùm phantaſiæ; vel imaginatiuæ: patet exemplū in phrenetico, cui ob aſcenſum fumoſitatum ad eius cerebrum apparet ſibi videre res in ſua exiſtētia: cum tamen pręcisè non niſi rerum ſimilitudines exiſtant, & videat. Vel quia è contra facit, vt imaginatiua, vel phantaſia fortitèr phātaſmatibus intēdat, pāt exemplū de recogitāte intensè imaginem alicuius mulieris; cui interdùm adeo fixè N. ei intendit, vt vigilando videatur ſibi carnalitèr cum illa commiſceri; immò fortis imaginatio facit caſum.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Dęmon decipiat intellectum hominis.

REſpondetur tribus modis decipere. Primo, per fallaciam compoſitionis. Secūdo, per fallaciam ęquiuocationis. Tertio, per ſomnia.

Decipit per fallacias, quia licèt ſit mendax, refugit tamen mentiri apertè; tùm, vt ſuam occultet iniquitatem; tùm, vt in homine opinionem generet, quòd quaſi Deus non mentiatur; vt itaque ſe excuſare poſſit cum ſibi cōfidentibus; vti ſolet aliqua fallacia: v.g. (vt dixi) ęquiuocationis, aut compoſitionis; patet per Scripturam ſanctam: ab initio mundi fallacia æquiuocationis decepiſſe mulierem: nam Deus dixerat Parētibus noſtris: *in quacunque die comederitis*, .s. de fructu eis vetito, *morte moriemini*, .s. morte ſpirituali, iuxta illud: *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur*; & Dæmon ipſis perſuaſit, quod non morerentur, licèt ex illo fructu manducarent, æquiuocando .s. intelligēdo de morte corporali poſt eum fructus immediata, & ſic ęquiuocatione decepti ſunt. Patet exēplum

pluri de fallacia compoſitionis apud *Barthola-meum Sybillam in Perrgrin. Quaſt. cap. 5. tertiæ Decadis, quaſ. 3*: ex mente *Valery Maximi vt ſup. diff. 2* ibi: *Ibis, redibis non morieris*: & ibi: *Non Non ſuperabit Gallus Apulum*

Tertio, per ſomnia: hinc *Gregorius IV. Dialogorum, c. 50.* narrat ſequens exemplum: cum quidam ſomnia vehementèr attenderet; illi Dęmon per ſomnium lõgam vitam promiſit; cui imprudentèr credens pro poſſe, tàm directè, quàm indirectè, multùm pecuniæ ad plures annos collegit; qui poſteà intactam alijs relinquens miſerabilitèr, ac repentè mortuus eſt: aduertat itaque Confeſſarius ſuos pęnitentes, quando opus fuerit, & occaſio ſuaſerit; vt nõ appetant ſomniorum reuelationes; ſed potiùs illas omninò reſpuant, immò execrentur: nam Dęmon eſt totus mendax, mendaciorumq; prothoauctor; qui licèt interdùm vera reuelet, vt aſſuefaciat per ſomnium reuelationum cupidos ad pręſtandũ illi fidem; hoc tamèn eſt contra eius vſum, ſibiq; penitùs accidentale.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Quibus modis Dęmonum fallacia, deceptiones, & deluſiones dignoſci poſſunt.

RESpondetur pręcipuè tribus modis, vz. à principio, medio, & fine; ob quem aliquid perſuadet per ſe, vel per alios, v. g. per maleficum, aut maleficam:

A principio, vt ſi ſomnia, apparitiones, reuelationes, viſiones ſint de re curioſa: de re ad ſuperbiam eleuante: ad luxuriam, aut auaritiã, &c. inducente.

A medio, v. g. ſi media ſint illicita, vt ſi inuocandus ſit ipſe Dæmon: vel faciendum ſit cum ipſo pactum, vel cum alio ab ipſo edocto.

A fine, ſi ſint in damnum, incommodum, vel in contumeliam Dei, aut proximi.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An ſcientia, vel ars ſemel acquiſita Dæmonis ope vti liceat, vide ſupra par. 3. lib. 1. diſt. 7. diff. 2. per totũ, & preter DD. ibi notatos in affirmatiuam tendentes; legendi ſunt Nal. vet. Dęmon, nu. 2. & Victoria in relectione de Magia, quæſ. 4. nu. 15.

DE ALTERA PARTE HVIVS LIBRI, vz. De Dæmonum Potentia.

Abſoluta prima particula huiuſce Libri XVI., quæ eſt de Scientia Dęmonis; modò ſum in ſecunda, vbi differitur de ipſius Potentia tùm in ſe erga corpus humanum, diuitias, honorem, & potentias animæ tùm comparatiuè ad Deũ, & hominem. amplectiturq; tertiam, & quartam diſtinct. de quibus immediatè.

DISTINCTIO TERTIA.

De Potentia Dæmonum in corpus humanum, diuitias, honorem, & potentias animæ.

Diuiditur hæc in duos articulos.

Alter reſpicit Potentiam Dæmonum in corpus humanum, & aſſumptum, in diuitias, & honorem.

Alter verò reſpicit ipſorum Potentiam in voluntatem, & intellectum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Dæmon hominem occidere poſſit.

REſpõ affirmatiuè, præciſè attenta potentia Dęmonis naturali; patet *Tobiæ 3.* vbi legitur Dæmonem occidiſſe ſeptem viros Saræ prima nuptiarum nocte.

Nec ad hoc neceſſe eſt ipſi longa mora, cõſtat *Exodi 12.* quo in loco narratur Angelum in Aegypto breui temporis ſpatio omnia primogenita tàm hominum, quàm pecudum occidiſſe; hinc de ipſius potentia dicitur Iob: non eſſe ſuper terram poteſtatem, quæ illius potentiæ comparetur.

Si verò penſetur eius potentia quo ad permiſſionem Dei; dicendum eſt ſolummodò poſſe, quantùm ab ipſo ſibi permittitur, conſtat *Iob cap. 2* Deum Dæmoni permiſiſſe, vt tentaret ſeruum ſuum Iob ſub limitatione, vt ipſum non occideret: *Ecce in manu tua eſt: verumtamen animam ipſius ſerua: & Marci cap. 9.* ſcribitur de quodam Arreptitio à Dęmone proiecto modò in ignem modò in aquam, vt ipſum occideret; quem tamen nunquàm occidere potuit; licèt a longo tempore eum obſidiſſet, quia ipſi à Deo diuetitum fuit.

Et quemadmodum itidem Deus Dęmoni minimè permittit, vt hominem diuexet, quantum acritèr vellet; nec item quandiù vellet.

Cupit prætereà ob graue odium contra hominem, illius perdere ſubſtantiam omnem; hinc quidam illorum à Chriſto inſtantèr petierunt, vt intrarent in porcos; quibus ob iuſtũ Dei iudicium permiſſum fuit.

Verùm petes, odium Dęmonis contra hominem

minem, vndè cauſatur? reſpondeo cauſari ex hoc, quia ſufficitur loco ipſius in æternam hęreditatem; qua ipſe ob ſuam nimiam ſuperbiā priuatus exiſtit.

Inſupèr fortaſsè exquires ob quas cauſas Deus Dęmoni permittat, vt homini, ſuiſq; rebus nocere poſſit. Reſpondet in primis *Toſtatus ſuper Marcum cap. 9. quæſ.* 122. hoc ipſi permitti primò, vt homo ipſum odio habeat: ſecundò, vt eius conſortium omninò caueat: tertiò, vt nunquam ipſi tanquàm implacabili hoſti credat.

DIFFICVLTAS II.

Quid poſſunt Dæmones circa corpora ab ipſis aſſumpta.

NOtandum primò, quòd non eſt hic ſermo de corpore ad quod diuexandū Dęmon ingreditur; quia illud nō eſt corpus Dęmonis; ſed diuexati: è contra verò corpus aſſumptum à Dęmone ex quacumq; materia dicitur corpus illius ad oſtendendum ſe. Conueniunt tamèn corpus diuexati, & corpus à Dęmone aſſumptum; quia neutrum dicitur informari à Dęmone: quia ipſe non ordinatur ad vlterius eſſe, vt forma.

Notandum ſecundò Dæmonem variam corporis aſſumere figuram pro varietate negotiorum in perniciem hominum: v. g. viri, mulieris, vrſi, hirci, lupi, &c. Verùm ex diſpoſitione diuina, regularitèr non aſſumit illam ouis; quia Chriſto placuit ſe nominare Paſtorem, & ſuam familiam oues; quæ ſunt fructiferæ, humiles, patientes, manſuetæ; à quibus qualitatibus longè ipſe diſtat: nec illam colūbæ, cum in illa Spiritus Sanctus apparuerit: & ſit munda, candida, & pulchra, typuſq; ſanctæ animæ: Dixi, regularitèr, quia interdum trāsformat ſe in Angelum lucis; & aliàs apparuit in forma Crucifixi, & B. V. M. Cęterùm Angeli boni, cum aſſumunt corpora, vt appareant, induunt formam virilem.

Notandum tertiò aerem à Dęmonibus aſſumptum ad formandum corpus, in ſua raritatè manēdo, nec colorem, nec figuram habere: cōdenſatum tamèn figurari, & colorari poſſe; patet in nubibus; Aſſumunt autèm tale corpus .s. aereum; quia citò diſparet ob raritatem, maximè, ſi virtus agentis, & diſpergentis fortis ſit, qualis eſt illa Dęmonum: non ſunt tamèn dicta corpora organizata. His datis;

Reſpondē Dæmones eandem habere poteſtatem ſuper dicta corpora, quam habent animæ beatæ ſuper corpora propria glorificata: vti notant in primis DD. infra citandi: v. g. vt appareant vni, & non alteri; vt videātur ab vno, & non ab alio; licèt præſente; itidèm, vt vnus percipiat eorum voces, & non alius, quamuis ſit præſens; quia locutio Angeli fit conuerſione, & ordine ad eum, cui loquitur; ideò non ſonat, niſi apud illum: nec circularitèr immutat medium, vt vox naturalis. *Binſpheldius de Confeſſionib. Maleficorum Prelud.* 12. *circa finem. Angles in 2. Sent. par.* 1. *quæſ. vnica de Dęmonib. Ricard. in 2. diſt.* 8.

Hæc autèm ſunt cōmunia tàm bonis, quàm malis Angelis in aſsūptis corporibus. Verùm loquendo de Angelis bonis notandum eſt; quòd in ipſis duplex eſt cognitio; vna, qua vident diuinam eſſentiam; & de iſta vnus non docet alium: quia omnes immediatè vident eam: alia verò eſt de alijs; & hæc eſt duplex, altera eſt de miniſterijs diuinæ prouidētiæ exequendis; & de his, ſuperiores Angeli loquuntur, & docent inferiores, & non è contra: Alia eſt de cōceptibus proprijs; & hoc modo etiam inferiores docent ſuperiores, ſicut è conuerſo; Vndè attendendum eſt, quòd quando Angelus manifeſtat alicui aliquem ex conceptibus proprijs; tunc eſt locutio angelica, quæ depēdet ex voluntate Angeli vni, & non alteri ſuū conceptum dirigentis. ità *Liranus in Epiſt. ad Cor. prima. c.* 13. ad illa verba: *Si linguis hominū loquar.* iſta loquutio de conceptibus proprijs eſt communis etiam Dęmonibus. Vndè inferiores etiam habent ſuos conceptus, quos ſuperioribus ſignificare poſsūt, & nō ſignificare.

Poſſunt præterea tàm boni, quàm mali in corpore aſſumpto cauſare motū localē: itèm

Motum (Progreſſiuum, (Inſpirationis, (Reſpirationis, (Palpebrarum, (Manuum, & ſimilium.

DIFFICVLTAS III.

Dæmones an honeſtas mulieres infamare poſſint, vt tanquàm maleficæ habeantur.

ANte reſponſionem aliqua ſunt prenotanda. Primum eſt Dæmonem abſq; diuina permiſſione nihil efficere poſſe.

Secundum eſt Dæmones minus lædere Dei amatores; quia norunt mala penæ, in eorum augmentum meriti cedere iuxtà illud Pſalmi: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Tertium, quòd ferè redit in idem, eſt; quia ex Dei prouidentia Dęmones nō habent tantam poteſtatem ſuper iuſtos, quantam ſuper peccatores, vt docet *Iacobus Sprēger in Malleo Maleficarum; par.* 2. *c.* 11. ratione fortaſsè ocioſitatis; hinc Scriptura ſancta habet; quòd Dęmon inueniens animam noſtram vacantem aſſumit alios ſeptem Spiritus nequiores ſe: & intrantes habitant ibi &c. *Matth.* 12. Huc ſpectat illud Apoſtoli: *Nolite locum dare Diabolo. Epheſ. cap.* 4.

Modo ad queſitum reſpondetur, quod (ſuppſita Dei permiſſione) lz. honeſtè, & innocentes mulieres criminis maleficij; ope, & aſtutiā Dęmonum interdum infamari poſſint: perrarò tamen hoc contingit; tum ratione fidelis cuſtodiæ Angeli Sancti, qui ſuorum clientum etiam honorem tuetur: tum ratione minoris potentiæ Dęmonum in iuſtos.

Vellent quoque non ſolùm mulierum, ſed cuiuſue honori nocere omnium crimina occulta pandendo; ſed ipſis (regularitèr loquendo) non permittitur: quare infinitas gratias quiſque

quiſque noſtrum Deo quotidiè referre debet, etiam ob hoc beneficium, vti obſeruat *Toſtatus ſuper Matth. cap.* 19 *quaſ.* 120.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Dæmon an cogere poſſit intellectum alicuius, vt cogitet ipſi Dæmoni placita.

ANte reſponſionem præmittendum eſt, quod ad actum cogitandi tria requiruntur eſſentialitèr: nimirùm obiectum, potentia cognoſcendi, & intentio cognoſcentis .s. quod cognoſcens velit intendere, & cogitare circa illud obiectum: hoc ſuppoſito,

Reſpondetur negatiuè, nam quemadmodū præſente aliqua re non eſt neceſſe, vt illam intueamur; quia ab ea oculos noſtros auertere poſſumus: ità exiſtente aliqua ſpecie in phantaſia, non eſt neceſſe; quòd intellectus illi intendat: nec quòd voluntas velit illius cogitationem; & ità non poteſt cogere intellectum; quia licèt indirectè firmando phantaſmata facere poſſit; vt homo aliò non poſſit diuertere cogitationem: tamen non poteſt illum cogere, vt intendat, & velit cogitare, vt infrà.

Dices poteſt Dæmon ſpecies in phantaſia exiſtentes variè diſponere adhoc, vt per illas intellectus immutetur: ergò etiam cogere poterit intellectum, vt cogitet ſibi placita. Reſpondē aliud eſſe Dæmonem ſpecies variè diſponere, & aliud cogere intellectū ad cogitādum; primum quidem poteſt, non ſecundum.

Nota tamen, quòd Dęmon nouas ſpecies non format in phantaſia; ſed ibi exiſtentes variè diſponit ad effectum; vt intellectus immutetur.

Itèm nota aliud eſſe Dæmonē poſſe aliquid ſuper phantaſiam; & conſequentèr ſuper intellectum indirectè: aliud verò poſſe aliquid ſuper intellectum directè: nam primum poteſt; quia ſi turbet ſpecies in phantaſia exiſtentes, quæ ſunt obiectum intellectus; poterit ſequi perturbatio in operatione intellectus; vt, ſi quis benè legens, legat per librum mendacē, licèt non legat vitioſè: leget tamen vitioſa. Secundum tamen non poteſt: quia non poteſt cogitationem homini immittere .i. actum cogitandi: nam executio huiuſmodi actus, ſicut aliorum rationalium pertinet ad voluntatem, quæ minimè cogi poteſt.

Verùm attende, quòd licèt Dęmones non poſſint directè cogere intellectum noſtrum: poſſent tamen multa mala nos docere, ſi vellemus, & ipſi quoque vellent, illuminando intellectum noſtrum; cum eorum lumen naturale ſit efficaciùs lumine intellectus noſtri; ſed nobis non expedit, & ipſi potiùs illum offuſcare intendunt, vt vel ſic nos decipiant: intentio enim illorum eſt noſtra damnatio; & quo intellectus noſter eſt perfectiori modo illuminatus: eo minus decipitur. *Toſtatus ſuper Matth. c.* 19. *q.* 117. *& nos ſupra diſt.* 2. *art.* 1. *diff.* 1.

DIFFICVLTAS II.

An Dæmones aliquam habeant potentiam ſuper voluntatem.

REſpondetur ſuper voluntatem noſtram nihil omninò poſſe, nec directè, nec etiā indirectè. Not. pro intelligentia, quòd quædam potentiæ dependent à corpore quantum ad actum: aliæ quantum ad obiectum: aliæ neutro modo.

De primis .s. ſenſitiuis patet, quia actus earū eſt per organum: nam homo non videt, niſi per oculum, & ità de alijs ſenſibus per ſua organa.

De ſecundis eſt ſolus intellectus, qui quo ad actum intelligendi non dependet à corpore; quia non intelligit per organum: intellectus enim eſt virtus abſoluta, non dependens à corpore. Quo ad obiectum verò dependet; quia phantaſma, quod eſt obiectū intellectus, & corporale, nō poteſt recipi, niſi per ſenſum exteriorem pro ſtatu iſto, iuxtà illud *Ariſt. lib.* 1. *de Anima: nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu.*

De tertijs verò eſt voluntas, quæ nullo modo à corpore dependet: nec quantum ad actū: quia non vult per organum: nec quantum ad obiectum; quia indicatur ei totum .s. tàm bonum, quàm malùm per intellectum; quod poteſt tàm reſpuere, quàm amplecti, cum ſit domina ſui actus; & conſequentèr Dęmon nihil poteſt in eam, nec directè, nec indirectè; quod dicitur ad differentiam intellectus, qui indirectè, vt ſupra cogi poteſt; qui etiā ab ipſa differt abſolutè, ideſt abſque comparatione ad potētiam Dęmonis: nam ipſe cogitur à demonſtratione; adeò, vt non poſſit diſſentire vero manifeſto. Voluntas vero licet cognoſcat aliquod manifeſtè bonum: attamen non cogitur illud velle, niſi ſit ſummum bonum ſub ratione ſummi boni. *Toſt. ſuper Euang. Matth. cap.* 19. *quaſ.* 118.

Verùm notandum aliud eſſe Dæmonem poſſe cogere voluntatem: aliud verò poſſe illā mouere indirectè: nam primum nullatenus poteſt; quia voluntas libera eſt, vti *S. Thom.* 1.2. *quaſ.* 80. *art.* 2. *&* 3. oſtendit, & communitèr Theologi. Secundum autèm poteſt, quia Dęmon tanquam potentior creatura poteſt agere in materiam corporalem; & ſic ſenſum, vel exteriorem, vel interiorem immutat aliquando; aut de nouo ſenſibile aliquod formando, aut formatum ſenſui obijciendo; aut ſpiritus corporales, vz. ſubtiles humores cōmouendo.

Cum autèm ſumma ſit cōiunctio inter potentias ſenſitiuas, & rationales, motis ſenſitiuis mouentur rationales indirectè.

DIFFICVLTAS III.

An Dæmon valeat ligare intellectum, & voluntatem hominis; quemadmodum ex Dei permiſſione ligat interdum corpus.

REſpondent negatiuè communitèr Doct. ſed potiſſimùm *Ioannes Sanchez in Select. diſp.*

diſp. 38. nu. 5. verùm hoc intelligi debes directè; quia indirectè, ſeu ex conſequenti, ex graui .s. corporis offenſione interdum ligatur potentia tàm intellectus, quàm voluntatis, non minus, quam corpus; ſed huiuſmodi ligatura potentiarum rationalium eſt indirecta proueniens ex ligatura corporis.

Notandum autem pro intelligentia; quòd ſicut non eſt idem voluntatem cogere, & voluntatem mouere; quia coactio ipſius non poteſt fieri nec directè, nec indirectè ob rationem dictam: eius motio verò poteſt fieri indirectè, vt dixi: ità non eſt idem voluntatem nō poſſe cogi, & voluntatem nō poſſe ligari: quia primum non poteſt eſſe neutro modo .s. nec directè, nec indirectè: ſecundum verò poteſt eſſe indirectè.

Itidèm lz. Dæmon animæ rationali, nec eius potentijs illabi poſſit; cum hoc ſit proprium Dei, vt de communi teſtantur Theologi: poteſt tamen illabi potentijs animæ corpori affixis, vt phantaſiæ, extimatiuæ, ſenſui communi &c. quòd ſatis dilucidè oſtendit *Vairus de Faſcino lib. 2. cap. 5.* ſed à diuerſis non fit illatio.

DIFFICVLTAS III.

An Dæmon ad extaſim hominem eleuare poſſit.

Breuitèr reſpondendo, dico, quòd Dęmon ad extaſim veram, ac ſanctam, quę ex perfectiſſima vnione cum Deo procedit; hominem minimè eleuare poſſe: nam, cum ſit omninò perfidus; potiùs omni cum conatu nititur à Deo animas ſeiungere; quòd nulla indiget probatione, attēta eius maligna cōditione.

Ad extâſim verò apparentem, non eſt negandum: poteſt .n. hominis phātaſmata adeò incendere, vt anima extra ſe nihil ſentiat: patet in ſimili de patientibus morbū caducū; qui infirmitate ligati, nec quidem aduſtionem ignis percipiunt, quod notat *Nider de Decem Præceptis Decalogi Præcepto 1. nu. 1.* Patet idem ex Galeni, & Hypocratis doctrina: docet namque duobus doloribus non eundem locum .s. corporis occupātibus, maiorem offuſcare minorem; quorum doctrina cognoſcitur verificari quoque in paſſionibus, videlicèt, quòd maior offuſcat minorem; ideò quid mirùm, ſi Dęmon ad dictam extaſim hominem trahere poſſit; quod in primis contingere poteſt, cum eius corpus eſt prædiſpoſitum: nam iuxtà Ariſt. placitum: *Actiones fiunt in patiente prædiſpoſito. 2. lib. de Anima.*

Verùm aliud eſt hominem eſſe verè extaticum, Deo .s. mente, amoreq; coniunctiſſimū: aliud extrinſecè apparere talem: iuxtà legem, *Aliud eſt eſſe talem: aliud haberi pro tali, l. Si maritus, §. legis Iuliæ, & ibi Barthol. ff. de Adulteris, cum ſimilibus.*

Homo verè extaticus hoc ſigno dignoſci poteſt, vz. ſi ob vehementiſſimum amorem in Deum propemodùm non ſentiat vulnera doloris, improperij, paupertatis &c. iuxtà illud D. Ambroſij in Lucam: *Vulnera doloris non timet, qui vulnera amoris ſentit.* Itèm, ſi amor transformat amantem in amatum. ità *Thomas de Argentino lib. 2. quæſ. 16. circa finem, poſt D. Dionyſium.*

Hinc notandum eſt, quòd anima ſecundum ſuas potentias conformis redditur, his, ad quæ cōuertitur, ſiue ſecundum cognitionem, ſiue ſecundum amorem, vt notat *S. Bonau. 3. Sent. diſt. 3. part. 2. quæſ. 2.* Vndè ſecundum D. Auguſt. *Si diligis terram, terrenus es: ſi Cœlum, cœleſtis: ſi Deum (quid dicam) ſis deificus.* Intellectio itidem eſt ſimilis rei intellectæ.

Verùm ſciendum eſt, quòd anima cognoſcendo magis nititur transformare cognoſcibile in ſe, quàm ſe in cognoſcibile; & quia hoc facere nequit; trahit eius ſimilitudinem: anima verò in amando è contra transformat ſe in rem amatam .i. conuertit ſe in rem amatam; nam amor eſt magis vnum (quantum ad conatum) cum amato, quàm cum amante; hinc dicitur animam plus eſſe, vbi amat, quàm vbi animat; amor quippè eſt motus ab anima ad rem: intelligere autem eſt motus à re ad animam. ità *Capuleus 3. Sent. diſt. 3. par. 2. quæſ. 2. punc 3.*

Prætereà ſciendum, quòd voluntas eſt magis abſtractiua, quàm intellectus; quia intellectus non poteſt concipere vnum relatiuorum, quin concipiat etiam aliud: v.g. non poteſt cōcipere patrem, quin concipiat filiū; volūtas verò poteſt frui patre, non fruendo filio. ità *Capuleus 1. Sent. diſt 1. art. 3. quæſ. 1. punc. 4.*

Sciendum inſupèr, quòd excellens intelligibile, in quod fertur homo eſtaticus, iuuat, & confortat intellectum: quia influentia talis cognoſcibilis procedit ab intimis, & intrat ipſam potentiam; & ideò ipſam corroborat, & confortat: ſicut, ſi magnus mons daret virtutē portandi ſe; faciliùs ferretur, quàm paruus, qui non daret talem virtutem.

Itèm obiectum intellectus extatici, cum ſit intimum eius intellectui; idcircò in eius perceptione virtus non diſpergitur; ſed colligitur; & quantò virtus eſt magis vnita; tantò eſt fortior. *S. Bonau. in 1. Sent. diſt 1. art 3. quæſ. 1.*

Potentiæ animæ ſic ſe habent, quòd vna intenſa in actu ſuo, alia remittitur: ex. gr. quando intellectus in actu ſuo ſpeculandi eſt intenſus; remittitur tunc actus voluntatis, qui eſt amandi: itèm intenſa iraſcibili, diminuitur rationalis, vt in primis obſeruat *Pelbartus in 3. Sent. ver. Ira, ibi, vtrum ira fuerit in Chriſto:* quare verus Eſtaticus habet intenſum actum voluntatis .s. dilectionis Dei, & proximi: ad differentiam Eſtatici naturalis .s. illius, qui habet tantummodò intenſum actum ſpeculādi, & remiſſum illum amandi.

Notandum inſupèr, quòd magis aſcendit dilectio, quàm cognitio: itèm velociùs aſcendit, & priùs ordine attingit terminum ſuum, quàm cognitio. *Ricar. in 3. Sent. diſt 27. art. 8. quæſ. 2.* Vndè, qui vult fieri perfectus Eſtaticus, ſeu

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III.

LIBER XVI.

De Scientia, & Potentia Dæmonum.

Antequàm aggrediamur primam Superſtitionum ſpeciem, de qua Textus explicitè, ibi: O ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi voglia eſperimento di Magia.

In primìs neceſſariò præmittendus eſt tractatus de Scientia, & Potentia Dæmonum, à quibus tanquam à fundamentis, ſeu principijs (ſuppoſita eorum in genus humanum nequitia) dependet vtraq; Magia diabolica, nempè diuinatrix, & operatrix; ignoratis enim principijs, ignoratur & ars, ff. de Iuſt. & iure l. 1. in princip. & in auth. de non alien. iud. §. Scimus per Dyn. in Regula, nullus, de Reg. iur.

Secundò, ad intelligentiam itidèm aliarum ſpecierum Superſtitionis, de quibus Textus explicitè, ibi: vz. Negromantia, Incanteſmi, &c. *& de quibus ſimilitèr Textus implicitè, ibi:* ò altre ſimili ſuperſtitioſe attioni, & maſſime con abuſo di coſe ſacre; *de Scientia, & Potentia Dæmonum eſt quoque neceſſariò dicendum, vtpotè de partibus inſtrumentalibus cuiusuis Superſtitionis; Sed quia contrariorũ eadem eſt diſciplina; obitèr dicemus, etiam de ipſorum Dæmonum inſcitia, ac impotentia, tàm verà, quàm ſimulata.*

Diuiditur autèm iſte liber in octo diſtinctiones, quarum

Prima eſt de Dæmonum Scientia.

Secunda, de eius effectibus, prout nobis ab ipſis traditur.

Tertia, de Dæmonum Potentia contra hominem.

Quarta, de ipſorum potentia comparatiuè ad Angelos Sanctos, & ad hominem.

Quinta, de eorum Impotentia reſpectu eorum, quæ non poſſunt facere.

Sexta, de eorum Impotentia reſpectu eorum, quæ non poſſunt dare.

Septima, de ipſorum ſimulata impotentia, ſeu coactione paſſiua.

Octaua deniq; de eorundem vera impotentia ratione coactionis actiuæ.

Reuocantur autèm hæ diſtinct. ad tres particulas, quarũ altera reſpicit Dæmonũ ſcientiã. Altera ipſorum potentiam; Tertia verò Impotentiam. Prima complectitur duas priores diſtinctiones; ſecunda duas ſubſequentes: Tertia autem reliquas quatuor.

Verùm, quia priùs eſt ſcire, quàm operari; ideò non immeritò exordimur ab illorum Scientia, potiùs quam à Potentia; operans enim intellectualitèr, nouit, quæ facit.

DISTINCTIO PRIMA.

De Dæmonum Scientia.

Præſens diſtinctio diuiditur in tres articulos.

Primus verſatur circa ſcientiam futurorum à libero arbitrio dependentium.

Secundus circa ſcientiam actionum interiorum hominis.

Tertius

Tertius verò circa ſcientiam periodi vitæ humanæ.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Dæmones futura veracitèr præcognoſcere poſſint.

RAtio difficultatis eſt; quia, ab Aſtrologis futura præcognoſci poſſunt modo quo infra; ergò etiam à Dęmonibus; cùm ſint ipſis Aſtrologis perſpicaciores.

Notandum eſt, quòd futurorum triplex eſt genus. Primum, quædam ſunt futura, quæ habent cauſam determinatam, & infallibilem: ex. gr. Solem cras oriturum: Lunam tali die ecclipſandam: coniunctionem, vel oppoſitionem Solis, & Lunæ tali hora habendam, &c.

Alterum, quædam ſunt futura, quæ habent cauſam determinatam, & fallibilem, vtpotè; quòd ager in terra pingui ex diſpoſitione corporum cęleſtium afferet vberem fructum: natura enim mouet determinatè ad vnum; ſed interdum ex aliquo impedimento oppoſitum euenit.

Tertium, quædam ſunt futura, quæ habent cauſam indeterminatam, & fallibilē, ad vtrumlibet oppoſitum, velut ſunt dependentia à libero arbitrio, quod eſt ad oppoſita vertibile; Vndè licèt vnum decreuerit facere; illud tamen interdum facere omittit, his habitis.

Reſpondetur, quòd Dæmones poſſunt certitudinalitèr ſcire futura primi generis; nam habent cauſam determinatam, & infallibilem; quam per ſpecies innatas perfectiùs cognoſcunt, quam Aſtrologi per artē: & de his procedit ratio difficultatis.

Poſſunt itèm ſcire futura ſecundi generis, verùm non certitudinalitèr, ſed ſolùm coniecturalitèr; quia licèt habeant huiuſmodi futura cauſam determinatam; eſt tamen fallibilis; hinc Aſtrologi prædicunt ex Cœli motibus tempeſtates, pluuias, &c. quæ tamèn ſæpè ex cauſis inferioribus, aut ſuperioribus impediūtur, quare in prędictione dictorum futurorum falluntur. Medici itidem ex aliquibus cauſis ſanitatem alicuius, vel mortem futuram prædicunt; quæ tamen aliundè impediri poſſunt; & proindè ipſi quoque; plerunq; falluntur.

Cæterùm Dęmones futura tertij generis: nequaquā certitudinalitèr ſcire poſſunt: tum quia iſta habent cauſam indeterminatam, & fallibilem: tum quia ſcire hoc modo eſt proprium Dei, & de huiuſmodi præcognitione procedit illud *Iſaiæ* 41. *Annunciate nobis ventura, & ſciemus, quia Dij eſtis*: hinc credere, quod Dæmones talia poſſint certitudinalitèr prædicere; eſt ſignum infidelitatis, cui annexa eſt Idolatria; nam talis credulus, Dęmonibus attribuit, quod eſt proprium Dei: tùm prætereà, quia, ſi Dæmonibus ſcirent huiuſmodi futura, ſcirent quoq; an eſſent victuri hominem, quē tentant, quòd omninò negatur, patet; nam cū ſuperbiſſimi exiſtant; nunquam tentarent, niſi eum, quem præſcirent ſibi ſuccumbendum; clarum autem eſt ex Sacra Scriptura, & experientia; quòd tētant etiam illos; à quibus ſæpè vincuntur. vt conſtat de S. Iob, & alijs. ità *S. Bonauentura diſt. 7. par. 2. ar. 1. quæſt. 3., Thom. ibidem quæſt. 2. ar. 2. Ricard. eadem diſt. Pelbartus in Roſario Theologorum tom. 2. ver. Dæmones 4. §. 48. Bartholomæus Sybilla in Speculo Peregrinarum Quæſtionum 3. decade per totum. Vairus de Faſcino lib. 2. cap. 5.*

DIFFICVLTAS II.

Vndè eſt, quod ſæpè eueniunt, quæ à Dæmonibus prædicuntur, etiam circa tertium genus futurorum à libero arbitrio dependentium.

REſpondet *Auguſtinus ſuper Gen. ad literam cap. 3.* vt notat *Pelbartus in Roſario Theolog. tom. 2. verb. Dæmones* 4. §. 49. quod hoc euenit primò, quia acumine ſcientiæ cognoſcunt, ad quid inclinetur affectio noſtra: & item, quę ſunt inducentia, vel retrahentia affectum noſtrum.

Secundò, quia ex longa experientia nouerunt talia ex talibus accidere.

Tertiò, quia Deus ob hominum peccata interdum aliqua permittit ab Angelis bonis reuelari Dęmonibus, vt infra dicam diff. 4. quæ deindè per ipſos Dæmones reuelantur hominibus malis: nam Balaam, qui fuit Magus, plurima prædixit de Chriſto, quæ impleta ſunt; itèm Caiphas prædixit Chriſti mortem, quæ itidèm prophetia adimpleta fuit; & ſic de alijs; ſed de hoc infra difficul. 4.

Quartò, quia ſæpiſſimè Dæmones doloſa cautela vtuntur prædicendo, quod Deus ipſis interdū permittit; vt vel ſic ex hac prędictione honorētur, vt Dij, tanquàm ſcientes depēdentia à libera voluntate. Quinimmò aliquando etiam ea, quæ ipſi facturi ſunt, prædicunt 26. q. 4. legendus eſt *Pelbartus in Roſario Theol. tom. 2. verb. Dæmones* 4. §. 49.

DIFFICVLTAS III.

Ex quibus cauſis (generalitèr loquendo) Dæmones aliqua futura dignoſcunt.

ATtento, quòd Dæmones neſciunt futura contingentia modo quo ſupra; dico cū *D. Aug. in lib. de Natura Dæmonum* ſeptem eſſe capita, ex quibus aliqua futura norunt.

Primò, ex ſubtilitate ingenij naturalis.

Secundò, ex experientia temporum.

Tertiò, ex celeritate motus.

Quartò, ex potentia, v. g. quia poſſunt morbos immittere, illosq; prædicere.

Quintò, ex ſignis corporis, ex. gr. ex pulſu, vrina &c.

Sextò, ex ſignis animi, .s. ex paſſionibus.

Septimò, denique ex Prophetis, ac ſcriptis: hæc tanguntur, 26. *quæſ. 4. cap. Sciendum. ità Nider de Decem Præcep. Decal. lib. 1. cap. 9. nu. 7.*

DIFFICVLTAS IV.

An Deus miniſterio bonorum Angelorum Dæmonibus interdum reuelet futura.

RAtio difficultatis eſt: tum quia ab inimicis abſcondenda ſunt ſecreta,conſilia;ne eorum malignitate irritentur, aut impediantur. Itèm Dæmones ſunt in tenebris damnationis; & proindè minimè idonei ad ſuſcipiendas reuelationes; cum reuelatio ſit cognitio gratioſè tradita.

Reſpondet difficultati *S. Bonau. in 2. diſt. 7. part. 2. in Expoſit. litteræ*, pro vero habendum eſſe;quòd Dęmonibus interdum aliqua futura reuelet per Angelos bonos; cuius reuelationis attendendus eſt finis; quia Deus mirabili ſapientia, etiam per inimicos ſuos ſuam implet voluntatem; Vndè,ſicut reuelatio ſomnij de exaltatione Ioſeph manifeſtata fratribus inuidentibus ſecundùm mirabilem Dei ſapientiam;fecit ad eius impletionem: licèt ſecundũ illorum intentionem eſſet ad impedimentum: patet ex verbis Scripturæ,.s. *Vos cogitaſtis de me malum; ſed Deus vertit illud in bonum, ſicut in præſentiarum cernitis*: ſic Deus per Angelos ſuos Dæmonibus futura interdum reuelat, vt dum illis obuiant; aliquod valdè bonum ordinatiſſimè impleat.

Nec reſolutioni obſtat ratio obiecta; quia licèt humanum conſilium, ſi reueletur inimicis per ipſos interdum irritari poſſit: diuinum tamen inimicis manifeſtatum nunquàm irritari poteſt.

Item non obſtat, quòd Dæmones ſint indigni reuelationibus;quia reuelatio non ſemper eſt gratia, i. non ordinatur ad bonum illius cui fit: ſed interdum eſt iuſtitia,quando .s. ordinatur ad punitionem alicuius mali,vt ad fallendũ fallaces; & ſic contingit in propoſito, quando futura Dæmonibus reuelantur occulto, & iuſtiſſimo Dei iudicio; qui comprehẽdit ſapientes .i. ſuperbos in aſtutia eorum;cognito enim à Dæmonibus aliquo bono futuro: v. g. cognitá conuerſione alicuius peruerſi viri, pro poſſe illi occurrunt; ſed talis reſiſtentia reſultat in bonum ſerui ſui fidelitèr conuerſi, iuxtà illud *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: virtus enim agitata creſcit. ità *D. Aug. de diuinatione Dæmonum cap. 3. 5. & 6 Magiſter Sententiarum in 2. diſt. 7. S. Thom. prim. part. qu 64. Iſidorus de Summo bono lib. 1. cap* 10. quod notat *Binsfeldius Commen. de Maleſ. & Mathem. in Præludijs*.

Verùm nota, quod futura in ſeipſis Dæmones nequaquam cognoſcere poſſunt; niſi ab Angelis bonis eis reuelẽtur,vt dictũ eſt: his tñ exceptis, quæ habent cauſam neceſſariam determinatam,& infallibilem,vt Eccliſis,Planetarum coniunctiones: vt ſupra cautum eſt.

DIFFICVLTAS V.

Dæmones an à Deo interdum exaudiantur.

RAtio difficultatis mihi eſt,quia Dæmones à Domino noſtro Ieſu Chriſto impetrauerunt; vt à corpore ab ipſis obſeſſo in gregẽ porcorum intrare poſſent, habetur *Matth. 8. & Marc. 5.*

Nota in oratione duo conſiderari, videlicèt meritum,& impetrationem: meritum dependet ab orante, ideſt ab ipſius charitate; nam illa cumulatus meretur gradum quendam gloriæ in æterna vita obtinendum: quem extra charitatem exiſtens mereri non poteſt: impetratio verò pendet à ſola clementia Dei exorati; Vndè licèt, quis in charitate exiſtat; non ideò ob hanc meretur à ſe petita, in hoc .s. ſenſu, vt Deus adeò obligetur illi, vt iniuſtus exiſtat petita denegando; cum ſolummodò determinatè pro bono opere facto ab exiſtente in charitate,ſit promiſſa vita æterna: non autèm cætera. Hinc colligo duo corollaria. Primum eſt, quòd charitate præditus, non ſemper petendo impetrat,quod petit: patet de Moyſe, qui petijt intrare in terram Chanaam, & nõ impetrauit. *Deut. 3. & 32. & num. 27.* item de Samuele, qui orando pro Saule non fuit exauditus 1. *Reg.* 15. idemq; habetur in Hierem. his verbis: *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Alterum corollarium eſt, quòd interdum exiſtens in peccato mortali impetrat: conſtat, ex prædicto caſu *Matth. 8. & Mar. 5.* vbi Dæmones peccato ſuperbiæ vndequaque circundati à Chriſto petita impetrarunt: ratio autem vtriuſque corollarij eſt;quia interdum petita ab exiſtente in gratia (quæ eſſentialitèr cum charitate vnum eſt) non concordant Diuinæ voluntati;& quæ petit exiſtens in peccato mortali ſunt interdũ ipſamet,quę Deus ex cauſis nobis occultis,ſed iuſtis facere diſpoſuerat.

Verùm notãdum, quod licèt iuſti interdùm non concordent,cum Dei voluntate in volito proximo: ſemper tamen concordant in volito remoto; volentes adamuſſim, quod ipſe vult, cui voluntati contrariantur exiſtentes voluntariè in peccatis mortalibus. *Brulifer ſuper primum Sent. D. Bonau. diſt. 30. quæſ 2.* patet exemplum de Sanctis Apoſt. Petro,& Paulo,qui interdum fuerunt diſcordes in volito proximo circa obſeruationem legalium: ſed nunquam in remoto, volentes concorditèr, quod putabant Deo placitum eſſe. Idem conſtat de D. Paulo, & D. Barnaba circa ſeparationem Marci Euangeliſtæ ab ipſis.

Idem ſimilitèr habetur de quibuſdam Angelis .i. de Angelo, qui curam habebat Regni Perſarum: & illo,qui regebat Hyeruſalem circa diſceſſum Danielis, & ſociorum eius à Regno Perſiæ: Vndè dicitur, quòd vnus reſtitit alteri vno,& viginti diebus *Dan. cap.* 10. qui tamen integralitèr erant vniti in volito remoto: nam quæcunque vniuntur vni tertio .s. Deo; vniuntur inter ſe: licèt videantur diſcordes. Itèm Iuſti ſemper exaudiuntur ad mentem, licèt non ſemper ad verba, ideſt iuxtà petita; quod ſecus contingit in malis, qui interdùm exaudiuntur ad verba, non ad mentem. Hæc *Toſt. ſuper Matt. cap. 8.*

ART.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Dæmones Hominis actiones interiores cognoſcant?

RAtio difficultatis eſt, quia inferioris intellectus ſpecies à ſuperioribus intelligentijs comprehendi poſſunt; quia præditi ſunt ſpeciebus vniuerſalioribus; Inferiores verò intelligentiæ .i. Angeli inferiores ſuperiorum ſpecies nõ comprehendunt; quia illorum ſpecies ſunt minus vniuerſales; quo fit, vt, cum Dæmones ordine naturæ intellectu ſuperiores exiſtãt; ſpecies, quibus eorũ intellectus informatur, apprimè cognoſcunt abſque indigentia intellectus agentis ad illas cognoſcendas; cum eorum cognitio à ſenſu minimè ortum habeat. legendus eſt *Vairus de Faſcino loc. inf. cit.*

Difficultati reſpondetur, quòd Dæmones non cognoſcunt actiones interiores hominis voluntarias; ſed ſolùm naturales: ſicuti enim eius ſubſtantia abſcondi nequit: ità; nec eius effectus, ſeu actio naturalis: quod ſecùs eſt de actione voluntaria; nam quemadmodum liberè in lucem exit; ità liberè ſe occultare poteſt; & per hanc diſtinctionem ſatisfieri poteſt obiectioni: procedit .n. reſpectu tantummodò actionum naturalium; quæ per Dęmones cognoſci poſſunt.

Item not. eſt duplicẽ eſſe actionẽ .s. aliã trãſeuntem, aliam immanentem; trãſiens eſt, quæ aliquid poſt ſe relinquit, vt cũ actió ab anima ad corpus tranſit; relinquit poſt ſe pallorem, ruborem, timorem, vel verecundiam, &c. quæ corpus afficiunt; hanc Dæmones conijcere poſſunt: quòd negandum eſt de actione immanente, quæ nullo modo à Dæmonibus ſciri poteſt; quia eſt occultior, & abditior, quàm ſit ipſa anima: Vndè licèt cognoſcant ſpecies, quibus noſter intellectus informatur: tamen non cognoſcunt, quæ vult eligere, vel reſpuere, vt poſt multos DD. notat *Vairus de Faſcino lib. 2. cap. 5.*

Obijcies peccatum eſt character Dęmonũ, qui quidem character, cum in mente concipitur, Dęmones non latet.

Reſpondetur verum eſſe præcisè de charactere peccati palàm patrati verbis, aut factis: non autèm de patrato ſola voluntate abſque aliquo ſigno illius ad extra oſtenſo.

Inſtabis fortaſsè cum Dionyſio, quòd ſubſtantiæ ſpirituales ſua natura ſunt ſpecula; ſed in materiali ſpeculo, quoties vnum alteri opponitur, non modò ipſum; ſed quidquid in eo relucet, repræſentat: ergò, cum ſpiritualia ſpecula .s. Dęmones maiorem habeant claritatẽ, quàm corporalia; videtur, quòd ipſi animam nrãm intuẽtes, nõ ipſam dumtaxat: ſed totum, quod in ea reperitur, cognoſcant; idq; ità roboratur: oculus meus nihil in me videre poteſt; quòd alterius quoque oculus non videat in illo; ſed corporei oculi cum obiecto corporeo eandem rationem habent, quàm oculi ſpirituales, reſpectu obiecti ſpiritualis: igitur quemadmodum oculum mentis meæ non latent arcana cordis; ità nec Dęmonum oculos.

Reſpondetur primò, quod maxima eſt differentia inter ſpeculum materiale, & ſpirituale: Materiale ſpeculum ſpecies, quas ſuſcipit, ex neceſſitate refert: voluntarium verò ſecus: ineſt .n. illi clauis quædam .s. libertas arbitrij, quæ ad ſuũ nutũ aperit, & celat, quidquid ſibi libet: & ità non eſt eadem ratio de oculo corporeo, & ſpirituali: ille ſiquidem, quod in alio eſt, non poteſt non videre, cum ſit naturalis; hic autèm, cum ſit voluntarius, claue liberi arbitrij claudere poteſt; ne quod ipſe videt, quiſquam introſpiciat, & hoc eſt, quod dicit *Auguſtinus ſuper Geneſim ad litteram. Sicut ſubſtantia corporea .s. oculi aliqua habens velamenta .s. palpebras, quibus ſe alienis aſpectibus occultant: ſic etiam in his oculis ſpiritualis ſuo modo intelligendum eſt:* Nam quamuis plicarum diuerſitates ex diuerſarum naturarum compoſitione non ſint in eis; potentiarum tamen gradus reperiuntur; quorum reſpectu quædam dicuntur intima animæ, vtpotè quæ reſpiciunt ſuperiores potentias; ſecundum quas anima in ſe ipſa magis recolligitur, ac ſua cęlat ſecreta.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Dæmon periodum hominis, .i. terminum ipſius naturaliter ſcire poſſit.

REſponſio eſt affirmatiua: quod notat in primis *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum, par. 2. quaeſ. 1. cap. 2.* ratio eſt; quia cognoſcit apprime cuiuſque hominis complexionem, humorum diſpoſitionem: videtq; intra corpus noſtrum occluſa, quæ ad breuitatem, & longitudinem vitæ conferunt.

Ego præcisè cenſeo, quòd poſſit naturalitèr noſſe, ſi longa, vel breuis eſſe debeat cuiuſque vita: ſed non punctualitèr, primò, quia longitudo, & breuitas vitæ non pendet ſolummodò ex complexione naturæ; ſed ex ciborum qualitate, aeris ſalubritate, quæ ex placito cuiuſque variari poteſt. Itèm ex bono corporis gubernio, ex. gr. curis aſſumptis, vel depoſitis.

Secundò, quia accidentia, quæ in dies contingunt, & à libero hominis arbitrio ſunt omninò pendentia; ſolùm ad ſummum aliquali coniectura cognoſcere poteſt; eo modo, quo etiam viri ſagaces, & experti cõiecturare valent.

Verùm admitto Dęmonem perſpicacius quolibet peritiſſimo Medico poſſe dignoſcere ex ſignis; quanto tempore probabilitèr infirmus ſit ſuperuicturus, quoue tempore moriturus: quia Medici cognoſcunt tantùm ex ſignis exterioribus; Dæmon verò etiam ex his, quæ videt intra corpus infirmi; quæ ſanè cognitio magis facit ad veritatem rei dignoſcendam.

DISTINCTIO SECVNDA.

De effectibus ſcientiæ Dæmonum, dum nobis ab ipſis traditur.

Diſtinctio præſens quinque complectitur articulos.

Primus oſtendit Dæmones tàm docendo, quàm reſpondēdo quæſitis potius obſcurare, quam illuminare intellectum.

Secundus demonſtrat, quot modis principaliter deludat ſenſum.

Tertius deſignat quot modis decipiat intellectum.

Quartus notat, quibus medijs ipſorum fallaciæ dignoſcantur.

Quintus, ſi ſcientia, vel arte ope Dæmonis acquiſita vti poſſimus.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Dæmon docendo illuminet.

RATIO difficultatis eſt, quia doctrina à quocunque tradita illuminationem affert reſpectu rei edoctæ.

Ante reſponſionem notandum illuminationem à lumine deriuari; lumen autèm affertur ad præcauenda præcipitia tàm corporalia, quàm ſpiritualia: ad præcauenda corporalia requiritur lumen corporale: ad præcauēda vero ſpiritualia requiritur lumen ſpirituale: huc ſpectat illud Dauidicum: *Illumina oculos meos, ne videant vanitatem*: huc quoque reſpicit illud: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.*

Reſpondetur, quamuis Diſcipulus reſpectu ſcientiæ à Dæmone perceptæ, & priùs ſibi ignotæ illuminetur; reſpectu tamen Magiſtri Dæmonis illam edocentis ſecus omnino dicendum eſt; quia docendo nō intendit lumen afferre ad præcauendum malum: ſed potiùs ingerit tenebras, ne bona amplectenda: aut ne mala fugienda videamus: patet ex *Gen. cap. 3.* reſpectu Euæ, quam docendo obtenebrauit.

Quare notandum eſt diſcrimen non parum reperiri inter Angelum bonum, & malum in docendo; nam bonus docendo illuminat: Malus vero (quantum eſt ex ſe) docendo obtenebrat, ad malumq; incitat: à tenebroſo enim, quatenus eſt tale, non niſi tenebræ haberi poſſunt: nemo enim dat, quod non habet. *l. Nemo poteſt. ff. de Reg. iur.*

Dices contingit interdum ex doctrina Diaboli ab eius diſcipulo elici lumen benè agendi, vel cauendi à malo. Reſpondetur hoc minimè prouenire ex mente docentis, ſed ex bonitate doctrinæ naturalis; aut ex conuerſione diſcipuli iam ad cor reuerſi, ex ſpinis roſas colligentis.

DIFFICVLTAS II.

Dæmonum reſponſa circa pendentia à libero arbitrio cur, vt plurimum ſunt æquiuoca, & obſcura.

RAtio difficultatis eſt, quia, cum Dæmones ſint doctiſſimi; videtur, quòd potiùs ſpecificè, clarè, ac diſtinctè reſpondere debeant.

Reſpondetur, quòd vtuntur talibus reſponſis; quia neſciunt dare certa, nec clara: ità *Liranus ſuper Deut. cap. 4.* quòd notat *Pelbartus in Roſario Theol. tom. 2. ver. Dæmones 4. §. 49.* hinc cum eſſet bellum inter Regem Manfredum Apulum, & Carolum Regem Galliæ: Manfredus conſuluit Dæmonem ſuum familiarē; qui ob ſuperbiam, cum noluiſſet circa huiuſmodi euentum ſuam fateri ignorantiam; æquiuocè, & obſcurè reſpondit in hæc verba: Nō non ſuperabit Gallus Apulum; quam æquiuocationem non aduertens, ad pugnam contra dictum Carolum ſe accinxit, à quo ſuperatus; de ſuoq; Dęmone ſe conquerens. Reſpondit, verum tibi dixi; ſed ex tua ignorantia non me intellexiſti; nam duæ negationes vnam cōſtituunt affirmationē; Manfredus autèm exiſtimauit Dęmonem locutum fuiſſe iuxtà conſuetum modum, qualis eſt, vt quando quis aliquid efficacitèr negare intendit, iteret negationem: v. g. non, non volo ferre ſarcinam.

Notat Valerius Maximus aliud exemplum. Quidam conſuluit Apollinem, an moreretur in bello, vel rediret victor; cui itidem æquiuocè, & obſcurè reſpondit ità: ibis, redibis non morieris in bello; qui credens Apollinem loqui ſecūdùm quod cupiebat; profectus ad Prelīū, ibi interfectus fuit. Aequiuocatio autèm in hoc ſtat: quia dictio (non) coniungi poteſt cū verbo redibis, ſic: redibis nō; & itèm cum verbo morieris, hoc modo, non morieris: & iuxtà diuerſam poſitionem diuerſum quoque facit ſenſum.

Nec obſtat reſolutioni, quòd Dęmones ſint maxima ſcientia præditi: quia ſub eorū ſcientiā non cadunt, quæ pendent à libero arbitrio; cum ſoli Deo ſint reſeruata: DD. ex communi conſenſu.

DIFFICVLTAS III.

An Dæmoni credi poſſit, cū verum ſatis cognitum dicit.

REſpondetur Dæmoni minimè credendū eſſe, neque cum annunciat veritatem; ſed ſolùm reſpectu ipſius rei notæ; quia ab ipſo, tanquàm ab ipſo nunquam veritas deriuatur, quod, ſi interdum contingat; erit per accidens dicta, vel fictè: vel ad introducendum falſum, aliudue malum; Vndè *Marc. 1. c.* ſcriptum eſt, Chriſtum præcepiſſe Dęmoni annuncianti eius ſanctitatem, vt taceret, eius verba ſunt: *Scio, qui ſis Sanctus Dei: Ieſus autèm comminatus eſt ei, dicens, obmuteſce:* illud habetur *Lucæ cap. 4.* hinc D. Chryſoſtomus ſuper hæc verba, ità prologuitur: *Saluti ſerum nobis dogma datur, ne credamus Dæmonibus quantumcunque veritatem*

titatem denuncient, niſi ex ſpeciali inſtructione Spiritus Sancti, quod obſeruat *Nider de Decẽ Præceptis Decal. cap. 11. nu. 32.*

Et certè, ſi homini mendaci veritas non creditur, quomodo mendaciorum patri, auctorique illius credi poterit? quemadmodum enim nititur pro poſſe oſtendere ſe plura poſſe, quã poſſit; ità plura ſcire, quàm ſciat, vt patet in propoſito; ſi .n. certò cognouiſſet Chriſtum, nunquàm ad ipſum perdendum impuliſſet homines, ne ſuum diminueretur imperium; Vndè veritas à Dæmone allata ſolùm credi poteſt, quatenus à parte rei, vel ex parte ſanctarũ Scripturarum manifeſtata eſt.

Quendam caſum præcipuè notant Doctores, in quo Dęmoni nullatenus credendũ eſt, vz. quando in obſeſſo loquens aſſerit eſſe alicuius animam: nam anima nõ migrat de corpore ad corpus. legendum eſt *Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admon.* 179.

Verum (his non obſtantibus) vnus datur caſus, in quo Dęmonibus credi poteſt, vz. quando Eccleſiaſticis Exorciſmis ad reſpondendũ cogitur. Dico cogitur, quia illi ſpõtè loquenti, vel reſpondenti nihil credendum. legendus eſt *Porrus in Antidotario cõtra Dæmones, dub. 39.*

DIFFICVLTAS IV.

An Diabolo ſit obediendum, cum imperat bonum?

Reſpondetur negatiuè, ratio eſt, quia omnis Christi actio noſtra eſt inſtructio; Chriſtus autem panes de lapidibus facere potuit; ſed noluit, vt demonſtraret, nihil faciendũ eſſe ad Diaboli imperium; etiam ſi bonum, & vtile ſit, quod ſuggerit, vel iubet: ità *Ludolphus in vita Chriſti cap. 22. Matth.* ſuper illa verba; *dic vt lapides iſti panes fiant*, bonum ſanè non eſt faciendum, quatenus ab ipſo imperatum; ſed præcisè quatenus tale.

Verum pro tunc, nec quatenus tale, eſt exequendum; niſi cũ proteſtatione, quòd in hoc minimè intendimus illi obedire, ſuppoſitaq; neceſſitate illud præſtandi tali tempore; cuius ratio eſt, quia euitandum eſt omninò illius cõſortium; quod colligitur ex obedientia illi præſtita; tum, quia quidquid ab ipſo præcipitur ſiuè malum, ſiuè bonum totum ad noſtram ordinat perditionem; licèt primo acceſſu videatur nobis ſalubre; Arbor quippè mala bonos fructus facere nequit: eſt ſententia Saluatoris noſtri, faciunt tradita per *Arſen. S. Inquiſ. par. 10. admon.* 179 quinimmò nec Iudici præcipienti aliquid, quod nequit fieri ſine interuentu Dęmonis, parendum eſt; ſz. præceſſum detur, vt verificetur delictum; vel ob aliud bonum finem: ipſeq; mortalitèr peccaret, quã uis etiam ad hoc præcipiendum ſolummodò curioſitate traheretur: ſicut itèm peccaret, ſi aduertentèr permitteret aliquid fieri, aut exerceri; ſiue coram ſe, ſiuè coram alijs, ſ. cum interuentu Dæmonis. legendum eſt *Arſen. vbi loc. cit. admonit.* 154. conſtat ex ratione allata.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quot modis Dæmon hominis ſenſum deludit.

Sanctus *Bonauentura in 2. Sent. diſt. 8. art. 9.* aſſerit Dęmonem tribus modis ſenſus humanos illudere; Primo, oſtendendo præſens eſſe, quod non eſt.

Secundo, demonſtrando rem aliter, quam ſit.

Tertio, abſcõdendo illud, quod præſens eſt. Pręſtat primum, offerendo ſpecies; Efficit ſecundum, variando ſenſum, vel obiectum. Tertium verò operatur ponendo impedimẽtum: hæc fuerunt exemplis clarè reddita *in 2. par. Comment. noſtrorum ſuper Caſ. reſeruatos, caſ.* 12. ideò ad ibi tradita vos remitto. *Pelbartus in Roſario Theolog. tom. 2. verb. Dęmones. v. §. 8.* aſſignat alios tres modos, quibus Dęmon hominis ſenſus illudit, ſ. primo ex parte potẽtiæ ſenſitiuæ, & huiuſmodi illuſio dicitur præſtigium.

Secundo, ex parte medij, & dr̃ incantatio.

Tertio denique ex parte obiecti, & dicitur ars magica. Verùm hæc diſtinctio ferè coincidit cum illa D. Bonauenturæ, de qua ſupra.

DIFFICVLTAS II.

Similitudo rei quomodo virtute Dęmonis videtur.

Reſpondeo altero infra dictorum modorũ: vel quia Dęmon phantaſma interius exiſtens offert virtuti interiori, nimirùm phantaſiæ; vel imaginatiuæ: patet exemplũ in phrenetico, cui ob aſcenſum fumoſitatum ad eius cerebrum apparet ſibi videre res in ſua exiſtẽtia: cum tamen pręcisè non niſi rerum ſimilitudines exiſtant; & videat. Vel quia è contra facit, vt imaginatiua, vel phantaſia fortitèr phãtaſmatibus intẽdat, pãt exemplũ de recogitãte intensè imaginem alicuius mulieris; cui interdum adeo fixè N. ei intendit, vt vigilando videatur ſibi carnalitèr cum illa commiſceri; immò fortis imaginatio facit caſum.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Dęmon decipiat intellectum hominis.

Reſpondetur tribus modis decipere. Primo, per fallaciam compoſitionis. Secũdo, per fallaciam ęquiuocationis. Tertio, per ſomnia.

Decipit per fallacias, quia licèt ſit mendax, refugit tamèn mentiri apertè; tùm, vt ſuam occultet iniquitatem; tùm, vt in homine opinionem generet, quòd quaſi Deus non mentiatur; vt itaque ſe excuſare poſſit cum ſibi cõfidentibus; vti ſolet aliqua fallacia: v.g. (vt dixi) ęquiuocationis, aut compoſitionis; patet per Scripturam ſanctam: ab initio mundi fallacia æquiuocationis decepiſſe mulierem: nam Deus dixerat Parẽtibus noſtris: *In quacunq; die comederitis*, ſ. de fructu eis vetito, *moriemini*, ſ. morte ſpirituali, iuxta illud: *Anima, quæ peccauerit ipſa morietur*; & Dæmon ipſis perſuaſit, quod non morerentur, licèt ex illo fructu manducarent, æquiuocando ſ. intelligẽdo de morte corporali poſt eorum fructus immediata, & ſic ęquiuocatione decepti ſunt. Patet exẽplum

plum de fallacia compoſitionis apud *Bartholameum Sybillam in Peregrin. Quæſt. cap. 5. tertiæ Decadis, quæſ. 3*: ex mente *Valerij Maximi vt ſup. diſſ. 2* ibi: *Ibis, redibis non morieris*: & ibi: *Non Non ſuperabit Gallus Apulum*

Tertio, per ſomnia: hinc *Gregorius IV. Dialogorum, c. 50.* narrat ſequens exemplum: cum quidam ſomnia vehementèr attenderet; illi Dęmon per ſomnium lõgam vitam promiſit; cui imprudentèr credens pro poſſe, tàm directè, quàm indirectè, multùm pecuniæ ad plures annos collegit; qui poſteà intactam alijs relinquens miſerabilitèr, ac repentè mortuus eſt: aduertat itaque Confeſſarius ſuos pęnitentes, quando opus fuerit, & occaſio ſuaſerit; vt nõ appetant ſomniorum reuelationes; ſed potiùs illas omninò reſpuant, immò execrentur: nam Dęmon eſt totus mendax, mendaciorumq; prothoauctor; qui licèt interdùm vera reuelet, vt aſſuefaciat per ſomnium reuelationum cupidos ad pręſtandũ illi fidem; hoc tamèn eſt contra eius vſum, ſibiq; penitùs accidentale.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.
Quibus modis Dęmonum fallacia, deceptiones & deluſiones dignoſci poſſunt.

Reſpondetur pręcipuè tribus modis, vz. à principio, medio, & fine; ob quem aliquid perſuadet per ſe, vel per alios, v. g. per maleficum, aut maleficam.

A principio, vt ſi ſomnia, apparitiones, reuelationes, viſiones ſint de re curioſa: de re ad ſuperbiam eleuante: ad luxuriam, aut auaritiã, &c. inducente.

A medio, v. g. ſi media ſint illicita, vt ſi inuocandus ſit ipſe Dæmon: vel faciendum ſit cum ipſo pactum, vel cum alio ab ipſo edocto.

A fine, ſi ſint in damnum, incommodum, vel in contumeliam Dei, aut proximi.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.
An ſcientia, vel ars ſemel acquiſita Dæmonis ope vti liceat, vide ſupra par. 3. lib. 1. diſt. 7. diff. 1. per totũ, & preter DD. ibi notatos in affirmatiuam tendentes; legendi ſunt Nal. vet. Dęmon, nu. 1. & Victoria in relectione de Magia, quæſ. 4. nu. 15.

DE ALTERA PARTE HVIVS LIBRI, vz. De Dæmonum Potentia.

Abſoluta prima particula huiuſce Libri XVI., quæ eſt de Scientia Dæmonis; modò ſum in ſecunda, vbi diſſeritur de ipſius Potentia tùm in ſe erga corpus humanum, diuitias, honorem, & potentias animæ tùm comparatiuè ad Deũ, & hominem: amplectiturq; tertiam, & quartam diſtinct. de quibus immediatè.

DISTINCTIO TERTIA.
De Potentia Dæmonum in corpus humanum, diuitias, honorem, & potentias animæ.

Diuiditur hæc in duos articulos.

Alter reſpicit Potentiam Dæmonum in corpus humanum, & aſſumptum, in diuitias, & honorem.

Alter verò reſpicit ipſorum Potentiam in voluntatem, & intellectum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Dæmon hominem occidere poſſit.

Reſpõ affirmatiuè, præciſè attenta potentia Dęmonis naturali; patet *Tobiæ 3.* vbi legitur Dæmonem occidiſſe ſeptem viros Saræ prima nuptiarum nocte.

Nec ad hoc neceſſe eſt ipſi longa mora, cõſtat *Exodi 12.* quo in loco narratur Angelum in Aegypto breui temporis ſpatio omnia primogenita tàm hominum, quàm pecudum occidiſſe; hinc de ipſius potentia dicitur Iob: non eſſe ſuper terram poteſtatem, quæ illius potentiæ comparetur.

Si verò penſetur eius potentia quo ad permiſſionem Dei; dicendum eſt ſolummodò poſſe, quantùm ab ipſo ſibi permittitur, conſtat *Iob cap. 2* Deum Dæmoni permiſiſſe, vt tentaret ſeruum ſuum Iob ſub limitatione, vt ipſum non occideret: *Ecce in manu tua eſt: veruntamen animam ipſius ſerua: & Marci cap. 9.* ſcribitur de quodam Arreptitio à Dęmone proiecto modò in ignem modò in aquam, vt ipſum occideret; quem tamen nunquàm occidere potuit; licèt a longo tempore cum obſidiſſet, quia ipſi à Deo diuetitum fuit.

Et quemadmodum itidem Deus Dęmoni minimè permittit, vt hominem diuexet, quantum acritèr vellet; nec item quandiù vellet.

Cupit prætereà ob graue odium contra hominem, illius perdere ſubſtantiam omnem; hinc quidam illorum à Chriſto inſtantèr petierunt, vt intrarent in porcos; quibus ob iuſtũ Dei iudicium permiſſum fuit.

Verùm petes, odium Dęmonis contra hominem,

minem, vndè cauſatur? reſpondeo cauſari ex hoc, quia ſufficitur loco ipſius in æternam hereditatem; qua ipſe ob ſuam nimiam ſuperbiã priuatus exiſtit.

Inſupèr fortaſsè exquires ob quas cauſas Deus Dęmoni permittat, vt homini, ſuiſq; rebus nocere poſſit. Reſpondet in primis *Toſtatus ſuper Marcum cap. 9. quæſ.* 122. hoc ipſi permitti primò, vt homo ipſum odio habeat: ſecundò, vt eius conſortium omninò caueat: tertiò, vt nunquam ipſi tanquàm implacabili hoſti credat.

DIFFICVLTAS II.

Quid poſſunt Dæmones circa corpora ab ipſis aſſumpta.

NOtandum primò, quòd non eſt hic ſermo de corpore ad quod diuexandũ Dęmon ingreditur; quia illud nõ eſt corpus Dęmonis; ſed diuexati: è contra verò corpus aſſumptum à Dęmone ex quacumq; materia dicitur corpus illius ad oſtendendum ſe. Conueniunt tamèn corpus diuexati, & corpus à Dęmone aſſumptum; quia neutrum dicitur informari à Dęmone: quia ipſe non ordinatur ad vlterius eſſe, vt forma.

Notandum ſecundò Dæmonem variam corporis aſſumere figuram pro varietate negotiorum in perniciem hominum: v. g. viri, mulieris, vrſi, hirci, lupi, &c. Verùm ex diſpoſitione diuina, regularitèr non aſſumit illam ouis; quia Chriſto placuit ſe nominare Paſtorem, & ſuam familiam oues; quæ ſunt fructiferæ, humiles, patientes, manſuetæ; à quibus qualitatibus longè ipſe diſtat: nec illam colũbæ, cùm in illa Spiritus Sanctus apparuerit: & ſit munda, candida, & pulchra, typuſq; ſanctæ animæ: Dixi, regularitèr, quia interdum trãsformat ſe in Angelum lucis; & aliàs apparuit in forma Crucifixi, & B. V. M. Cęterùm Angeli boni, cum aſſumunt corpora, vt appareant, induunt formam virilem.

Notandum tertiò aerem à Dęmonibus aſſumptum ad formandum corpus, in ſua raritatè manẽdo, nec colorem, nec figuram habere: cõdenſatum tamèn figurari, & colorari poſſe; patet in nubibus; Aſſumunt autèm tale corpus .s. aereum; quia citò diſparet ob raritatem, maximè, ſi virtus agentis, & diſpergentis fortis ſit, qualis eſt illa Dęmonum: non ſunt tamèn dicta corpora organizata. His datis;

Reſpondeo Dæmones eandem habere poteſtatem ſuper dicta corpora, quam habent animæ beatæ ſuper corpora propria glorificata: vti notant in primis DD. infra citandi: v. g. vt appareant vni, & non alteri; vt videãtur ab vno, & non ab alio, licèt præſente; itidèm, vt vnus percipiat eorum voces, & non alius, quamuis ſit præſens; quia locutio Angeli fit conuerſione, & ordine ad eum, cui loquitur; ideò non ſonat, niſi apud illum: nec circularitèr immutat medium, vt vox naturalis. *Binſpheldius de Confeſſionib. Maleficorum Prælud.* 12. *circa finem. Angles in* 2. *Sent. par.* 1. *quæſ. vnica de Dęmonib. Ricard. in* 2. *diſt.* 8.

Hæc autèm ſunt cõmunia tàm bonis, quàm malis Angelis in aſsũptis corporibus. Verùm loquendo de Angelis bonis notandum eſt; quòd in ipſis duplex eſt cognitio; vna, qua vident diuinam eſſentiam; & de iſta vnus non docet alium: quia omnes immediatè vident eam: alia verò eſt de alijs; & hæc eſt duplex, altera eſt de miniſterijs diuinæ prouidẽtiæ exequendis; & de his, ſuperiores Angeli loquuntur, & docent inferiores, & non è contra: Alia eſt de cõceptibus proprijs; & hoc modo etiam inferiores docent ſuperiores, ſicut è conuerſo; Vndè attendendum eſt, quòd quando Angelus manifeſtat alicui aliquem ex conceptibus proprijs; tunc eſt locutio angelica, quæ depẽdet ex voluntate Angeli vni, & non alteri ſuũ conceptum dirigentis. ità *Liranus in Epiſt. ad Cor. prima. c.* 13. ad illa verba: *Si linguis hominũ loquar.* iſta loquutio de conceptibus proprijs eſt communis etiam Dęmonibus. Vndè inferiores etiam habent ſuos conceptus, quos ſuperioribus ſignificare poſsũt, & nõ ſignificare.

Poſſunt præterea tàm boni, quàm mali in corpore aſſumpto cauſare motũ localẽ: itèm

Motum (Progreſſiuum, (Inſpirationis, (Reſpirationis, (Palpebrarum, (Manuum, & ſimilium.

DIFFICVLTAS III.

Dæmones an honeſtas mulieres infamare poſſint, vt tanquàm maleficæ habeantur.

ANte reſponſionem aliqua ſunt prenotanda. Primum eſt Dæmonem abſq; diuina permiſſione nihil efficere poſſe.

Secundum eſt Dæmones minus lædere Dei amatores; quia norunt mala pęnæ, in eorum augmentum meriti cedere iuxtà illud Pſalmi: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Tertium, quòd ferè redit in idem, eſt; quia ex Dei prouidentia Dęmones nõ habent tantam poteſtatem ſuper iuſtos, quantam ſuper peccatores, vt docet *Iacobus Sprẽger in Malleo Maleficarum, par.* 2. *c.* 11. ratione fortaſsè ocioſitatis; hinc Scriptura ſancta habet; quòd Dęmon inueniens animam noſtram vacantem aſſumit alios ſeptem Spiritus nequiores ſe: & intrantes habitant ibi &c. *Matth.* 12. Huc ſpectat illud Apoſtoli: *Nolite locum dare Diabolo. Epheſ. cap.* 4.

Modo ad queſitum reſpondetur, quod (ſuppoſita Dei permiſſione) Iz. honeſtè, & innocentes mulieres criminis maleficij; ope, & aſtutia Dęmonum interdum infamari poſſint: perraro tamen hoc contingit; tum ratione fidelis cuſtodiæ Angeli Sancti, qui ſuorum clientum etiam honorem tuetur: tum ratione minoris potentiæ Dęmonum in iuſtos.

Vellent quoque non ſolùm mulierum, ſed cuiuſuis honori nocere omnium crimina occulta pandendo; ſed ipſis (regularitèr loquendo) non permittitur: quare infinitas gratias quiſque

quiſque noſtrum Deo quotidiè referre debet, etiam ob hoc beneficium, vti obſeruat *Toſtatus ſuper Matth. cap.* 19 *quæſ.* 120.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Dæmon an cogere poſſit intellectum alicuius, vt cogitet ipſi Dæmoni placita.

ANte reſponſionem præmittendum eſt, quod ad actum cogitandi tria requiruntur eſſentialitèr: nimirùm obiectum, potentia cognoſcendi, & intentio cognoſcentis .s. quod cognoſcens velit intendere, & cogitare circa illud obiectum: hoc ſuppoſito,

Reſpondetur negatiuè, nam quemadmodū præſente aliqua re non eſt neceſſe, vt illam intueamur; quia ab ea oculos noſtros auertere poſſumus: ità exiſtente aliqua ſpecie in phantaſia, non eſt neceſſe; quòd intellectus illi intendat: nec quòd voluntas velit illius cogitationem; & ità non poteſt cogere intellectum; quia licèt indirectè firmando phantaſmata facere poſſit; vt homo aliò non poſſit diuertere cogitationem: tamen non poteſt illum cogere, vt intendat, & velit cogitare, vt infrà.

Dices poteſt Dæmon ſpecies in phantaſia exiſtentes variè diſponere adhoc, vt per illas intellectus immutetur: ergò etiam cogere poterit intellectum, vt cogitet ſibi placita. Reſpondē aliud eſſe Dæmonem ſpecies variè diſponere, & aliud cogere intellectū ad cogitādum; primum quidem poteſt, non ſecundum.

Nota tamen, quòd Dęmon nouas ſpecies non format in phantaſia; ſed ibi exiſtentes variè diſponit ad effectum; vt intellectus immutetur.

Itèm nota aliud eſſe Dæmonē poſſe aliquid ſuper phantaſiam; & conſequentèr ſuper intellectum indirectè: aliud verò poſſe aliquid ſuper intellectum directè: nam primum poteſt; quia ſi turbet ſpecies in phantaſia exiſtentes, quæ ſunt obiectum intellectus; poterit ſequi perturbatio in operatione intellectus; vt, ſi quis benè legens, legat per librum mendacē, licèt non legat vitioſè: leget tamen vitioſa. Secundum tamen non poteſt: quia non poteſt cogitationem homini immittere .i. actum cogitandi: nam executio huiuſmodi actus, ſicut aliorum rationalium pertinet ad voluntatem, quæ minimè cogi poteſt.

Verùm attende, quòd licèt Dęmones non poſſint directè cogere intellectum noſtrum: poſſent tamen multa mala nos docere, ſi vellemus, & ipſi quoque vellent, illuminando intellectum noſtrum; cum eorum lumen naturale ſit efficaciùs lumine intellectus noſtri; ſed nobis non expedit. & ipſi potiùs illum offuſcare intendunt, vt vel ſic nos decipiant: intentio enim illorum eſt noſtra damnatio; & quo intellectus noſter eſt perfectiori modo illuminatus: eo minus decipitur. *Toſtatus ſuper Matth. c.* 19. *q.* 117. *& nos ſupra diſt.* 2. *art.* 1. *diff.* 1.

DIFFICVLTAS II.

An Dæmones aliquam habeant potentiam ſuper voluntatem.

REſpondetur ſuper voluntatem noſtram nihil omninò poſſe, nec directè, nec etiā indirectè. Not. pro intelligentia, quòd quædam potentiæ dependent à corpore quantum ad actum: aliæ quantum ad obiectum: aliæ neutro modo.

De primis .s. ſenſitiuis patet, quia actus earū eſt per organum: nam homo non videt, niſi per oculum, & ità de alijs ſenſibus per ſua organa.

De ſecundis eſt ſolus intellectus, qui quo ad actum intelligendi non dependet à corpore; quia non intelligit per organum: intellectus enim eſt virtus abſoluta, non dependens à corpore. Quo ad obiectum verò dependet; quia phantaſma, quod eſt obiectū intellectus, & corporale, nō poteſt recipi, niſi per ſenſum exteriorem pro ſtatu iſto, iuxtà illud *Ariſt. lib.* 1. *de Anima: nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu.*

De tertijs verò eſt voluntas, quæ nullo modo à corpore dependet: nec quantum ad actū: quia non vult per organum: nec quantum ad obiectum; quia indicatur ei totum .s. tàm bonum, quàm malùm per intellectum; quod poteſt tàm reſpuere, quàm amplecti, cum ſit domina ſui actus; & conſequentèr Dęmon nihil poteſt in eam, nec directè, nec indirectè; quod dicitur ad differentiam intellectus, qui indirectè, vt ſupra cogi poteſt; qui etiā ab ipſa differt abſolutè, id eſt abſque comparatione ad potētiam Dęmonis: nam ipſe cogitur à demonſtratione; adeò, vt non poſſit diſſentire vero manifeſto. Voluntas vero licèt cognoſcat aliquod manifeſtè bonum: attamen non cogitur illud velle, niſi ſit ſummum bonum ſub ratione ſummi boni. *Toſt. ſuper Euang. Matth. cap.* 19. *quæſ.* 118.

Verùm notandum aliud eſſe Dæmonem poſſe cogere voluntatem: aliud verò poſſe illā mouere indirectè: nam primum nullatenus poteſt; quia voluntas libera eſt, vti *S. Thom.* 1.2. *quæſ.* 80. *art.* 2. *&* 3. oſtendit, & communitèr Theologi. Secundum autèm poteſt, quia Dęmon tanquam potentior creatura poteſt agere in materiam corporalem; & ſic ſenſum, vel exteriorem, vel interiorem immutat aliquando; aut de nouo ſenſibile aliquod formando, aut formatum ſenſui obijciendo; aut ſpiritus corporales, vz. ſubtiles humores cōmouendo.

Cum autèm ſumma ſit cōiunctio inter potentias ſenſitiuas, & rationales, motis ſenſitiuis mouentur rationales indirectè.

DIFFICVLTAS III.

An Dæmon valeat ligare intellectum, & voluntatem hominis; quemadmodum ex Dei permiſſione ligat interdum corpus.

REſpondent negatiuè communitèr Doct. ſed potiſſimùm *Ioannes Sanchez in Select. diſp.*

diſp. 38. nu. 5. verùm hoc intelligi debes directè; quia indirectè, ſeu ex conſequenti, ex graui .s. corporis offenſione interdum ligatur potentia tàm intellectus, quàm voluntatis, non minus, quam corpus; ſed huiuſmodi ligatura potentiarum rationalium eſt indirecta prouèniens ex ligatura corporis.

Notandum autem pro intelligentia; quòd ſicut non eſt idem voluntatem cogere, & voluntatem mouere; quia coactio ipſius non poteſt fieri nec directè, nec indirectè ob rationem dictam: eius motio verò poteſt fieri indirectè, vt dixi: itá non eſt idem voluntatem nō poſſe cogi, & voluntatem nō poſſe ligari: quia primum non poteſt eſſe neutro modo .s. nec directè, nec indirectè: ſecundum verò poteſt eſſe indirectè.

Itidèm lz. Dæmon animæ rationali, nec eius potentijs illabi poſſit; cum hoc ſit proprium Dei, vt de communi teſtantur Theologi: poteſt tamen illabi potentijs animæ corpori affixis, vt phantaſiæ, extimatiuæ, ſenſui communi &c. quòd ſatis dilucidè oſtendit *Vairus de Faſcino lib. 2. cap. 5.* ſed à diuerſis non fit illatio.

DIFFICVLTAS III.

An Dæmon ad extaſim hominem eleuare poſſit.

BReuitèr reſpondendo, dico, quòd Dęmon ad extaſim veram, ac ſanctam, quę ex perfectiſſima vnione cum Deo procedit; hominem minimè eleuare poſſe: nam, cum ſit omninò perfidus; potiùs omni cum conatu nititur à Deo animas ſeiungere; quòd nulla indiget probatione, attētа eius maligna cōditione.

Ad extaſim verò apparentem, non eſt negandum: poteſt .n. hominis phātaſmata adeò incendere; vt anima extra ſe nihil ſentiat: patet in ſimili de patientibus morbū caducū; qui infirmitate ligati, nec quidem aduſtionem ignis percipiunt, quod notát *Nider de Decem Præceptis Decalogi Præcepto 1. nu. 1.* Patet idem ex Galeni, & Hypocratis doctrina: docēt namque duobus doloribus non eundem locum .s. corporis occupātibus, maiorem offuſcare minorem; quorum doctrina cognoſcitur verificari quoque in paſſionibus, videlicèt, quòd maior offuſcat minorem; ideò quid mirùm, ſi Dęmon ad dictam extaſim hominem trahere poſſit; quod in primis contingere poteſt, cum eius corpus eſt prædiſpoſitum: nam iuxtà Ariſt. placitum: *Actiones fiunt in patiente prædiſpoſito. 2. lib. de Anima.*

Verùm aliud eſt hominem eſſe verè extaticum, Deo .s. mente, amoreq; coniunctiſſimū: aliud extrinſecè apparere talem: iuxtà legem, *Aliud eſt eſſe talem: aliud haberi pro tali, l. Si maritus, §. legis Iuliæ, & ibi Barthol. ff. de Adulteris, cum ſimilibus.*

Homo verè extaticus hoc ſigno dignoſci poteſt, vz. ſi ob vehementiſſimum amorem in Deum propemodùm non ſentiat vulnera doloris, improperij, paupertatis &c. iuxtà illud D. Ambroſij in Lucam: *Vulnera doloris non timet, qui vulnera amoris ſentit.* Itèm, ſi amor transformat amantem in amatum. itá *Thomas de Argentino lib. 2. quæſ. 16. circa finem, poſt D. Dionyſium.*

Hinc notandum eſt, quòd anima ſecundum ſuas potentias conformis redditur, his, ad quæ cōuertitur, ſiue ſecundum cognitionem, ſiue ſecundum amorem, vt notat *S. Bonau. 3. Sent. diſt. 3. part. 2. quæſ. 2.* Vndè ſecundum D. Auguſt. *Si diligis terram, terrenus es: ſi Cœlum, cœleſtis: ſi Deum (quid dicam) ſis deificus.* Intellectio itidem eſt ſimilis rei intellectæ.

Verùm ſciendum eſt, quòd anima cognoſcendo magis nititur transformare cognoſcibile in ſe, quàm ſe in cognoſcibile; & quia hoc facere nequit; trahit eius ſimilitudinem: anima verò in amando è contra transformat ſe in rem amatam .i. conuertit ſe in rem amatam; nam amor eſt magis vnum (quantum ad conatum) cum amato, quàm cum amante; hinc dicitur animam plus eſſe, vbi amat, quàm vbi animat; amor quippè eſt motus ab anima ad rem: intelligere autem eſt motus à re ad animam. itá *Capuleus 3. Sent. diſt. 3. par. 2. quæſ. 2. punc. 3.*

Præterea ſciendum, quòd voluntas eſt magis abſtractiua, quàm intellectus; quia intellectus non poteſt concipere vnum relatiuorum, quin concipiat etiam aliud: v. g. non poteſt cōcipere patrem, quin concipiat filiū; volūtas verò poteſt frui patre, non fruendo filio. itá *Capuleus 1. Sent. diſt 1. art. 3. quæſ. 1. punc. 4.*

Sciendum inſupèr, quòd excellens intelligibile, in quod fertur homo eſtaticus, iuuat, & confortat intellectum: quia influentia talis cognoſcibilis procedit ab intimis, & intrat ipſam potentiam; & ideò ipſam corroborat, & confortat: ſicut, ſi magnus mons daret virtutē portandi ſe; faciliùs ferretur, quàm paruus, qui non daret talem virtutem.

Itèm obiectum intellectus extatici, cum ſit intimum; eius intellectui; idcircò in eius perceptione virtus non diſpergitur; ſed colligitur; & quantò virtus eſt magis vnita; tantò eſt fortior. *S. Bonau. in 1. Sent. diſt 1. art 3. quæſ. 1.*

Potentiæ animæ ſic ſe habent, quòd vna intenſa in actu ſuo, alia remittitur: ex. gr. quando intellectus in actu ſuo ſpeculandi eſt intenſus; remittitur tunc actus voluntatis, qui eſt amandi: itèm intenſa iraſcibili, diminuitur rationalis, vt in primis obſeruat *Pelbartus in 3. Sent. ver. Ira, ibi, vtrum ira fuerit in Chriſto:* quare verus Eſtaticus habet intenſum actum voluntatis .s. dilectionis Dei, & proximi: ad differentiam Eſtatici naturalis .s. illius, qui habet tantummodò intenſum actum ſpeculādi, & remiſſum illum amandi.

Notandum inſupèr, quòd magis aſcendit dilectio, quàm cognitio: itèm velociùs aſcendit, & priùs ordine attingit terminum ſuum, quàm cognitio. *Ricar. in 3. Sent. diſt 27. art. 8. quæſ. 2.* Vndè, qui vult fieri perfectus Eſtaticus, ſeu

ſeu contemplatiuus; debet priùs eſſe bonus actiuus exercendo ſe in amore proximi: quia amor iſte proficit in charitatem, & charitas in ſapientiam. *S. Bernard. de Natura amoris diuini, c.2. S. Bonau. 3. Sent. diſt.27. art.2. quæſ. 5.* Vndè nota, quòd addēs ſcientiam, addit & laborem: ſed addēs charitatem, addit & conſolationem. *S. Bonau. in 3. Sent. diſt. 40. quæſ. vlt. circa finem:* quare ego profiteor, quòd non mihi diſplicet, vt quiſque homo me antecellat in donis intellectualibus: ſed multum mihi diſplicet, quòd omnes me præcedant in charitate, & amore in Deum, & proximum; maximè, cum agnoſcam me plus cęteris deuinci beneficijs. Verùm diſplicentia mea nō eſt de bono proximi mei; ſed quòd ego ſolus tepeſcam.

DISTINCTIO QVARTA.

De Potentia Dæmonis comparatiuè.

Tres formamus articulos.

In primo comparatur Potentia Dæmonis ad Angelum bonum.

In altero comparatur Potentia Dæmonis ad illam hominis, & Dei; & aſſignatur differentia inter Angelum, Deum, & animam rationalem.

In tertio oſtenditur quomodo Dæmon præſit alicui vitio.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Dæmon an aliquo Angelo bono exiſtat fortior.

RATIO difficultatis eſt, quia Angelus malus per peccatum fuit ſpoliatus donis gratuitis.

Reſpondetur affirmatiuè .s. quòd datur de facto aliquis Angelus malus, qui eſt fortior aliquo Angelo bono; ſed hoc intelligendum eſt per naturam, non autem per gratiam: fuerunt enim Angeli creati differentes in eſſentia, ſapientia, & poteſtate; Vndè, ſi aliquis ex Angelis malis euincere poteſt aliquem Angelum ex bonis: à fortiori vincet quemlibet hominē, cum ipſe ſit minoris virtutis quolibet Angelo: quare talis Dęmon mihi videtur cōtra hoīem ità ſe iactare; *Si vinco vincentē te, à fortiori vinco te.* Verùm, vt ſupra innui; per gratiam aliud dicendū eſt: nam minimus Angelus bonus; eo quod adhęret diuinæ voluntati; habet regimen ſuper cunctos Angelos malos; hinc *Auguſt. lib.3. de Trin.* proloquitur in hæc verba: *Spiritus vitæ deſertor, atq; peccator, regitur per Spiritum vitæ rationalem, pium, & iuſtum*; qui .s. Spiritus bonus præcipit Diabolo, quæ ſibi benè viſa videntur; loquiturq; illi per ſpecies ſui intellectus, ſine aliqua illuminatione; illi (tanq̄ exequutori diuinę iuſtitię) ordinando, vt ea per ipſum fiant; quæ ſpectant ad punitionem malorum, & exercitationem bonorū. De modo loquēdi Angelos inter ſe; dictū eſt alibi: vndè ſatis ſit tibi, quod loquūtur manifeſtando ſuos mentis conceptus: nam triplex eſt verbum .s. operis, oris, & mentis; verbo operis loquitur Deus: verbo oris loquuntur homines, & verbo mentis loquuntur Spiritus. ità *Zacharias Vicecomes in Complemento artis exorciſtæ, doctrina prima lit. B. D. Thom. par. 1. Sum. qu. 109. art. 3. & nos ſup. diſt. 3. art. 1. diff. 2.*

Loquuntur ad homines duplici modo; primo verbo vocali, quādo habent corpus aſſumptum; ſed non audiuntur, niſi ab ijs, ad quos mittuntur; hinc *Eliſeus 4. Reg. cap. 6.* videbat montem plenum equorū, & curruum igneorum in eius circuitu: puer verò eius videre nō poterat. Secundo modo loquuntur per impreſſionem rerum ſenſibilium mota eorum imagine; & hoc modo loquuntur tàm vigilantibus, quàm dormientibus. ità *Zacharias Vicecomes loc. cit. l. C.*

Ad rationem dubitandi dico, quòd quamuis Angelus malus ob peccatum fuerit ſpoliatus donis gratuitis .s. ſtatu merendi, ſtatu gloriæ, ſtatu innocentiæ, dilectione, diuina cōtemplatione &c. quam habere poterat: dona tamen naturalia remanſerunt ei integra, vt teſtatur *D. Dionyſius de Diuinis nominibus, cap. 4.* Verùm debilitata; ità, vt à ſeipſis nihil agere poſſint, niſi permiſerit Deus; quod patet manifeſtè, cum nec in in porcos intrare potuerint abſque eius licentia: nec Iob ſine ipſa diuexare: maioriq; debilitate cenſeo ipſos remanſiſſe affectos poſt paſſionem, & mortem Chriſti.

DIFFICVLTAS II.

An Dæmones ſuperiores per inferiores patrent mala; & vndè ordo inter illos procedit.

REſpondeo ad primam particulam affirmatiuè: Superiores enim Dæmones non omnia per ſeipſos exequuntur; immò non rarò inferioribus ſua committunt officia: legēdus eſt *D. Bonauentura in Dieta Salutis de peccato c. 13.* qui refert mirabile exemplum, quantum Lucifer ſuis inferioribus diſtrictè præcipiat; vt noſtrum ſpirituale damnum procurent: quantoq; honore afficiat ſibi in hoc plenè obtemperantes.

Quo verò ad ſecundam particulam, dico ordinem inter ipſos non procedere ex amicitia; cum nulla ſit in ipſis amoris coniunctio: ſed procedit ex communi odio, & nequitia; quibus moliuntur impugnare, tum hominē, tum Regnum Dei.

Nec itidem prouenit ex humilitate, cum ſint ſuperbiſſimi; adeò, vt iam dudum etiam Deo ſubijci renuerint; licèt illum nouerint Superiorem ſingulis ſeparatim, & omnibus ſimul ſumptis.

Verùm vnum notatum volo, nempè quòd alijs præeſſe in malis; eſſe potiùs ſubijci defectibus, quàm re ipſa aliquid poſſe: peccare enim

enim non eſt poſſe,ſed deficere; & perinde potior in peccatis, eſt minor in virtute morali, & theologali.

Dico in morali, & theologali: quia ſecus poteſt eſſe in virtute naturali: velut ſupra cautum fuit: Vndè notandum, quòd licet inter homines vnus alio non ſit natura præſtantior: v. g. vir quinquaginta annorum infante vnius diei: ſecus tñ eſt reſpectu Angelorũ tàm bonorum, quàm malorum: qui differunt ſpecie ſecundùm quod ſunt alterius, & alterius chori, vt volunt Scotiſtæ: vel vt placet Thomiſtis, ſinguli ſuam conſtituunt ſpeciem.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Dæmonis poteſtas quomodo comparatur ad hominem, & ad Deum?

RESpondetur, quòd comparatur ad hominem multiplici modo.

Primò, quia, quamuis Dæmon ſit maioris potentiæ, & ſcientiæ ipſo homine: non tamen eſt maior quo ad actum liberi arbitrij: nam neuter cogi poteſt.

Secundò, quia lz. Dæmon poſſit turbare, & impedire omnes operationes hominis exteriores: non tamen poteſt ſuper actum ipſius voluntatis: cum homo ſit illius dominus.

Tertiò, qa tametſi Dęmon homini peccatũ in ipſius parte apprehẽſiua rappreſentare poſſit: non tamen poteſt eius voluntatem compellere ad peccatũ: nec peccat per hoc, quòd malum intelligit; ſed ob indè, quòd malũ vult.

Quarta, etſi Dęmon (calefacto corpore hominis) in ipſo naturales libidinis motus cauſare poſſit: partem tamen rationalem ad peccatum minimè cogere poteſt.

Quinta, quamuis non ſit æqualis conditio pugnæ inter Dæmonem, & hominem: cum ille fortis exiſtat, & iſte infirmus: tamen ex parte hominis eſt auxilium Dei, & Sancti Angeli cuſtodia; adeò, vt nunquàm vinci poſſit, niſi ſpontè Dæmoni conſentiat: huc ſpectat dictum Boetij cuidam, videlicèt: *Talia tibi contuleramus arma, quæ niſi prius abieciſſes, inuita te firmitate tuerentur*: itèm illud D. Pauli *Fidelis Deus, qui non permittit nos tentari ſupra id, quod poſſumus.*

Secũdò, cõparando Demonẽ ad Deũ itidem extat differentia; prima, Dęmon non põt illabi animæ, ſicut poteſt Deus. Secunda multa ſunt, quæ Dæmon per ſeipſum ſine adiutorio alterius non poteſt: v. g. non poteſt ſe ſolo ſine igne comburere domum, quòd poteſt Deus; qui de nihilo omnia produxit *Toſtatus ſuper Matth. cap. 4. quæſ. 115.*

DIFFICVLTAS II.

Deus, Angelus, & anima .s. rationalis, quomodo conueniant, & differant.

REſpondeo Deum, Angelum, & animam dici actus: diuerſimodè tamen; Deus cũ habeat eſſe perfectiſſimum, nullo modo permixtum potentiæ paſſiuè; dicitur actus purus. Angelus verò dicitur actus, ſed non purus; quia habet ſuum eſſe permixtũ potentiæ paſſiuè: poteſt .n. accidentia extrinſeca recipere; quod ſecus dicendum eſt de Deo; qui nullatenus ea recipere poteſt. Verùm, quia Angelus non communicat ſuum eſſe materię, ſicut anima; idcircò dicitur actus, ſeu forma ſeparata à materia corporali; & per conſequens eſt actus ſpiritualis, & incorporeus, ſiue ſpiritus.

Anima itèm dicitur actus, ſed non purus, vt dixi de Angelo; quia ſimilitèr ſuũ eſſe eſt permixtum potentiæ paſſiuè: ſed differt ab Angelo, quia ipſe eſt actus ſeparatus: anima verò nõn; eo quod ipſa dat, ſeu communicat, vel apta eſt communicare ſuum eſſe materiæ .s. corpori humano: & ideò non dicitur ſimplicitèr actus, ſed cum limitatione, vz. actus corporis. ità ex *Vigueria cap. 1. lib. 1.*

Sed ad propoſitum potentiæ notandum eſt, cum dico Deum agere ex tota ſua potentia, non eſt intelligendum, quod eius potentia habeat partes; cum ſit ſimpliciſſima: ſed quòd nõ producat tantum effectum, quantum producere poteſt: cum verò dicimus Dæmonem ex tota potentia agere; intelligere oportet ipſum inferre homini omne malum, quod poteſt iuxtà Dei permiſſionem & ſuam nequitiã.

Differunt ſimilitèr, quia Deus ſola voluntate producere poteſt quiquid ſibi placet, vt ſupra loc. cit. notat *Viguerius*: Angelus verò præter voluntatem indiget potẽtia executiua: Vndè eſt error, & *Articulus Pariſienſis*, quod Angelus poſſit ſola voluntate exequi, vel producere effectum. ità *Bruliſer in 2. Sent. D. Bonau. ad quæſt. primam.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Quomodo intelligitur Dæmonem alicui vitio præeſſe.

REſpondetur non eſſe hoc intelligendũ, quòd vnus tantùm ſit Dęmon, qui præſit alicui vitio: v. g. quòd ad vitiũ fornicationis vnus ſolummodò Dęmon impellat; quia multi ſunt non ſolùm in eodem Regno, in eadem Repub. in eadem Prouincia, & fortaſsè in eadem Ciuitate, qui hoc peſſimo funguntur exercitio.

Itidèm non eſt intelligendum, vt idem ſit Spiritus .s. numero: v. g. ſuperbiæ, qui Bergomi, Venetijs, Romæ &c. ſed multi ſunt: ratio magiſtralis eſt: quia quilibet Spiritus eſt diffinitiuè in loco, ideſt adeò eſt in vno, vt pro eodem tempore non poſſit ſimul eſſe in alio extra ſpheram ſuæ virtutis; & tamèn pro eodem inſtanti alter impellit in ſuperbiam Romæ, Venetijs alter, &c. Intelligendum itaque eſt vnum Dęmonem eſſe ſuperiorem reſpectu vnius peccati; multi verò ſubordinati ſunt in procuratione dicti peccati: hic autèm videtur eſſe ſenſus *gloſſ. ſuper Ioſue cap. 11.*

Vndè multi ſunt Aſmodęi, multi Mammonæ, multi Leuiattan &c. minus principales: vnius verò tantũ cuiuſuis generis principalis.

DE TERTIA PARTICVLA HVIVSCE LIBRI XVI. nimirùm de Impotentia Dæmonum quatuor modis conſiderata.

Primò, reſpectu eorum, quæ non poteſt facere.
Secundò, reſpectu eorum, quæ non poteſt dare.
Tertiò, reſpectu ſimulatæ Impotentiæ.
Quartò, reſpectu eorum coactæ potentiæ.

DISTINCTIO QVINTA.

De Impotentia Dęmonis reſpectu eorũ, quæ non poteſt facere.

Diuiditur hæc diſtinctio in quinque articulos.

Primus reſpicit diſcrimen inter potentiã, & poteſtatem.

Secundus oſtendit, quod non poteſt facere miracula.

Tertius, quòd non poteſt ex ſe in materiam inducere formam.

Quartus, quòd non poteſt traſmutare corpus humanum in corpus beſtiæ.

Quintus, quòd non poteſt impedire motum Cœli ab Oriente in Occidens: nec elementum integrum à ſuo loco dimouere: nec aliud facere, ex quo ordo vniuerſi tolleretur.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An idem ſit poteſtas, & potentia.

Reſpondetur quamuis ex communi vſu vnum pro alio vſurpetur: in rigore tamèn obſeruamus aſſignari diſcrimen: notant .n. Doctores, cũ *D. Thom. 3. par quæſ. 34. art. 2. ad 3.* Potentiam eſſe communem ad actiuam, & paſſiuam; poteſtatem autèm de actiua tantùm dici; patet primò ex diffinitione Sacramenti Ordinis, vbi dicitur (in quo traditur poteſtas) quæ eſt potẽtia actiua, & non paſſiua; cum ſit ad operandũ, vt patet diſcurrenti per officia ſingulorum ordinum, qui agunt, vel coadiuuant alios in aliquo munere, vtpotè ſunt illi inferiorũ Miniſtrorũ in Sacrificio à Sacerdote peragendò: vel agunt principalitèr, vti eſt ille Sacerdotis Miſſarum ſolemnia celebrantis: Idem patet ex diffinitione *Magiſt. Sententiarum par. 4. diſt. 24.* nempè ordo eſt ſignaculum quoddam, in quo ſpiritualis poteſtas, & officium traditur Ordinato; vti conſtat ex *Cucco Inſtit. maior. lib. 5. tit. 8. nu. 14. & Baptiſta Fabro in Manuali Ordinandorum de Sacram. Ord. cap. 1. nu. 7.* Verùm nos ſequentes potius communem vſum, quã rigoris ſermonem, vnum pro alio indifferentèr ſumimus.

Conueniunt verò quo ad relationem; quia tàm poteſtas, quàm potentia ad aliud refertur, videlicèt ad actum: fruſtra .n. eſt illa potentia, ſeu poteſtas; quæ ad actum ſaltèm de poſſibili non eſt reducibilis.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An Dæmon miracula efficere poſſit.

Ratio difficultatis eſt, quia *D. Auguſt. lib 83. quæſt.* habet: plerumque artibus magicis per Dęmones fieri mira illis ſimilia, quæ per ſeruos Dei fiunt. videatur *Valerius Maximus lib. 1. rubrica de miraculis.*

Miraculum eſt aliquod arduum, & inſolitũ ſupra ſpem, & facultatẽ admirantis. ità *D. Auguſtinus de vtilitate credendi. Guillermus 2. Sent. diſt. 7. lib. 2. Pelbartus in Roſario Theol. tom. 2. ver. Dæmones 5. §. 56. Pererius aduerſus ſuperſtitioſas artes, lib. 1. cap. 8. & alij.* Primo dicitur arduum, quia eſt de his, quæ natura facere nequit: Secundò dicitur inſolitum; quia eſt contra communem naturę curſum, vt illuminatio cęci: nõ dicitur autem inſolitum, ex eo quod rarò contingat; quia ſic Eclypſis ſolis eſſet miraculum, quod falſum eſt, licèt vulgus admirętur. Tertiò dicitur ſupra ſpem, & facultatem admirantis; ità vt nec ſpem, nec facultatẽ operandi tale quid habeat.

Notandum verò, quòd, quamuis Deus ſolus ſit miraculorum patrator: tamen comparatiuè ad eius potentiam nullum eſt miraculum: nam miraculum potentiam, & intelligentiam agentis excedit; nihil autèm excedit potentiã, & intelligentiam Dei; cum ſit omnipotens, nihilq; impoſſibile ſit apud ipſum; quòd notat *Pererius loc. cit. circa principium.*

Ad propoſitum reſpondetur cum *Seraph. Doc. in 2 Sent. diſt. 7. art. 2. quæſ. 3.* Dęmones minimè poſſe miracula patrare. Primò; quia ad miraculum requiritur omnipotentia agentis, vt omnis Theologorum Schola teſtatur. facit ad hoc *cap. Teneamus 1. quæſ. 1. & cap. Prophetaui 2. quæſ. 7. §. Balam.*

Secundò, quia miracula vi naturæ minimè fieri poſſunt, quicquid autẽ mirabile Dęmon ope-

operatur, vim naturæ non excedit.

Si dicas naturam non poſſe ità citò operari, prout interdum Dęmon operatur: v.g. producēdo Ranas, *cap. Cum ex iniunƈto, §. Cum igitur de Hæreticis.* Reſpondeo, quòd quamuis ſit impoſſibile reſpeƈtu iſtius, vel illius rei particularis, non tamen reſpeƈtu omnium; & propterea vim naturæ non excedit. vide infrà *lib.* 18. *diſt.* 1. *art.* 2. *diff.* 2. *& art.* 3. *diff.* 2.

Tertiò, quia nō poteſt reſuſcitare mortuos, quemadmodum naturæ eſt impoſſibile: iuxtà illud Phyloſ. *A priuatione ad habitum non eſt regreſſio.*

Quartò, quia remanente virtute comburēdi in igne, ſatisq; approximato combuſtibili nō poteſt impedire combuſtionem, vti etiam naturæ impoſſibile exiſtit.

Verùm, quamuis Dęmones miracula patrare nequeant: poſſunt tamèn operari mirabilia, quæ quampluribus hominum ſunt ignota; ſed iſta longè à miraculis differunt.

Primò patet à parte cauſæ efficientis: quia ad miracula requiritur agens infinitæ potentiæ, vt ſupra diƈtum eſt: ad mirabilia verò ſufficit agens finitæ.

Secundò ex parte cauſæ finalis: quia miracula fieri ſolent ob Eccleſiæ vtilitatem: v. g. ad augendam, vel confirmandam Fidem: *Hoſtienſis in Sum. tit de Reliq. & venerat. Sanƈtorū lib.* 3. *nu.* 3. vt notat *Peirinus de Priuil. Minimorum Conſtit.* 16. *nu.* 7. Vndè, & herba tranſit in vitrum miniſterio hominis: ſed propter hoc fides non corroboratur: mirabilia verò ad potentiā, vel ſcientiā oſtendendā, & vt plurimùm in perniciem, vel publici, vel alicuius priuati.

Tertiò à parte rei: quia miracula ſunt ſupra naturam: mirabilia ſecundum vim naturæ: illa non præſeferunt, niſi neceſſitatem; vel ſaltem euidentem congruitatem: iſta autèm non deſignant niſi cordis leuitatem à parte producētis, & vilitatem à parte rei: conſtat ex quaſi ſubita ranarum, muſcarum, ſerpentum, &c. produƈtione, quam interdum oſtentāt Dęmones. legendi ſunt *D. Thom. prim. par. quæſ.* 110. *Bartholomæus Sybilla par.* 3. *cap.* 7. *tertiæ decadis. Pererius aduerſus ſuperſtitioſas artes, lib.* 1. *cap.* 8. *Pelbartus in Roſar. Theol. tom.* 2 *ver. Dæmones* 5. §. 56. *& alij.*

Ad diƈtum Auguſt. in oppoſitum, reſpondetur loqui de miraculis impropriè, quatenus .s. miraculum idem eſt, ac quid mirabile: nos verò loquimur de miraculis propriè: nequeūt itaq; Dęmones patrare miracula totam naturę creatæ potentiam excedentia; ſed tantùm excedentia alicuius potentiam, ſed nō omnium. *S. Thom.* 1. *par. quæſ.* 110. *art.* 4. *ad* 2.

DIFFICVLTAS II.

An ſaltem ſpiritus Phyton, de quo 1. *Regum cap.* 28. *verum patrauerit miraculum Samuelis animam ſuſcitando ad præceptum Saulis.*

NOtandum ſpiritus Phytones eſſe, qui per Arreptitium loquuntur, de quibus potiſſimum proloquitur Scriptura Sanƈta *Aƈtuū* 16. *& primo Reg. cap.* 28. *&c.*

Ratio difficultatis eſt, quia verum miraculū eſt mortuorum ſuſcitatio: ſed ſpiritus Phyton per Phytoniſſam Samuelem ſuſcitauit: ergo.

Ad difficultatem noto non omnes DD. ad vnam defleƈtere partem, alij aiunt, alij negant: aiūt quidā Phytoniſſam verè ſuſcitaſſe Samuelem ex Dei ordinatione ad maiorē terrorem, & confuſionem Saulis; quod diƈtum conuenit cum opinione, quam tangit *Auguſtinus in Epiſtola ad Simplicianum, & habetur in gloſſ.* 1. *Reg. cap.* 28. vt notat *Liranus in libello contra iudaicam perfidiam in* 2. *principali*, & ſequitur *Rodericus Achuna de Confeſſ. ſolicit quæſt* 2. Alij probabilius nagant, ſed aiunt apparuiſſe quendam Diabolum in ſpecie Samuelis; licèt Saul crediderit fuiſſe Samuelem: Dęmones enim pro animabus euocatis apparent, vt ex *Tertulliano aduertit præ alijs Martinus Delrius de Magicis diſquiſitionibus lib.* 4. *cap.* 2. *quæſ.* 6. *num.* 14. quod notat *Achuna loc. cit.* faciunt, quæ docent *D. Thom. Sybilla, Pelbartus, Pererius loc. cit. diff. præcedenti. Tolet. lib* 14. *cap.* 15. *num.* 4. *& ibi Marginator*, qui addit hanc partem eſſe determinatam in Decreto cauſa 26. *quæſ.* 5. *cap. Nec mirum contra Bel. tom.* 1. *lib.* 4. *cap* 11.

Vnum omninò certum eſt, Dęmonem nullam animam ad hunc mundū reuocare poſſe: ſed poſſe aſſumere corp⁹ hominis iam mortui fingendo eſſe illum, qui è vita ceſſit, vt conſtat exēplo Dęmonis apparētis in forma Samuelis.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Dæmon facere poſſit verum ſerpentem, vel aliud ſimile veram formam nouam inducendo materiæ.

RAtio difficultatis eſt: quia plus dominatur natura Angelica ſuper materiā, quàm virtus imaginatiua; ſed virtus imaginatiua poteſt veram formam aliquando inducere: hinc *Auicenna* 8. *de Animalibus.* dicit Gallinam, quæ pugnauit cum Gallo ex imaginatione viƈtoriæ habere calcaria: ergo à fortiori Dęmon poteſt in materia nouas producere formas; & proindè producere verè ſerpentem, vel quid huiuſmodi.

Prænotandum eſt, quòd hic non quæritur de forma artificiali; quia planum eſt, quod Dęmon poteſt facere imagines inducendo figuras artificialitèr in rebus naturalibus; quemadmodum homo poteſt per artem operari ſuper rem naturalem, vtpotè ſuper lignum, vel lapidem inducere formam domus, ſcamni &c. ſed quæritur hic de formis naturalibus, vtrum Dęmon facere poſſit verum ſerpentem naturalē: vel aliud inducendo in materia verè formam naturalem.

Reſpondetur difficultati Dęmonem virtute propria non poſſe nouas inducere formas in materia: poſſe tamen virtute aliena, nimirùm virtute naturæ: probatur prima pars, quòd nō poſſit virtute propria; quia forma naturalis nō producitur, niſi à Conditore naturæ, cuius eſt

facere ſubſtantiam,& ſeruare ineſſe; quòd notat *Pelbartus in Roſario Theologorum, tom. 2. ver. Dæmones 5. §. 57. & ver. Creatio §. 6. & 10.*

Probatur ſecunda pars, quia materia (teſte *Aug. de Trin 3. cap. 4.*) eſt plena rationibus ſeminalibus, ſicut poma, grana frumēti, & huiuſmodi ſunt plena vitali, vt producant aliud ſimile; hinc Dęmon cognoſcendo debitas proportiones rerum naturalium approximat actiua paſſiuis; & ſubindè introducit formam naturalem.

Dices, Dęmonem dominari ſuper materiam quantum ad productionem formarum imperfectarum: Reſpondeo verum eſſe, ſed tamen non immediatè dominatur, dando, vel faciendo directè, & p ſe .i. virtute propria tales formas imperfectas, ſed æquiuoca generatione per opera naturæ.

Idem dicendum eſt de formis perfectis, quæ inducuntur vniuoca generatione .s. quod per Dęmonem non poſſunt induci in materia: nã dicit *Phyloſophus 7. Metaph. Omne, quod fit productione .s. vniuoca, fit à ſimile ſibi in ſpecie*; ſed Dęmon non habet ſimilitudinem cum forma materiali: ergò concludendum eſt Dæmonem minimè virtute ꝓpria, ſed præcisè virtute aliena .s. vi naturæ producere poſſe formas naturales in materia: ſicut etiam homo ex certa herba facit vitrum, vt ſupra dictum eſt cum *Peirino de Priuil. Minimorum Conſtit. 16. num. 7.*

Nec obſtat obiectio ab initio allata de virtute imaginatiua: quia per imaginationem aliqua forma naturalis introduci poteſt in corpore; facta tamen aliqua conſimili alteratione in eo, in quo eſt imaginatiua, vt patet in ſupradicto exemplo de Gallina cum Gallo pręliante: Dęmon autem non habet materiam ſibi coniunctam, quæ poſſit conſimili alteratione tranſmutari ad formam materialem: faciunt allata per *Pelbartum in Roſar. Theol. tom. 2. ver. Dæmones 5. §. 57.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Mutatio corporis humani in corpus beſtiæ: v.g. Lupi virtute Dæmonum an fieri poſſit.

RAtio difficultatis eſt, quia vulgò fertur interdum aliquos homines viſos fuiſſe in lupos tranſmutatos iuxtà *Pliniũ* itèm *lib. 8. c. 22. & Gen. 10.* cõſtat Loth vxorẽ per Angelos in Salis ſtatuam conuerſam fuiſſe; & *Daniel 4. cap* dicitur, quòd Nabucodonoſor in brutum conuerſus fuit.

Difficultati reſpondetur negatiuè, vz. nullo modo virtute Dęmonum corpus humanum in corpus beſtiæ tranſmutari poſſe; nec è contra corpus beſtię in corpus hominis, quod probat *D. Auguſt. 18. de Ciuitate Dei, tom. 5.* & poſt ipſum *Zacharias Vicecomes in Complemento artis Exorc. doctrina quinta propè finem*, in hæc verba: *Nec corpus quidem humanum nulla ratione crediderim Dęmonum arte in membra beſtialia conuerti poſſe.* Hinc eodem *Auguſtinus eodem lib.* vt notat *Leonardus Varius de Faſcino lib. 2. cap. 12. circa finem* dicit traſmutationes hominum in animalia bruta, quæ dicuntur arte Dęmonum factas, non fuiſſe ſecũdum veritatem; ſed ſolùm ſecundum apparentiam: idipſum in Acquirenſi Concilio dilucidè declaratur, his verbis: *Quiſque cred t poſſe aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam ſpeciem, niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt; procul dubio eſt Infidelis, & Pagano deterior.*

Verùm, quia ſenſus noſtri per phantaſmata decipiuntur; ideò, quæ vera non ſunt, vera eſſe nobis videntur; hoc autèm duplicitèr contingit; primò, cum Dęmon virtute ſuæ naturæ mouere poſſit imaginationem hominis; per motũ autem localẽ ſpirituum, & humorũ cauſantur in nobis apparitiones imaginariæ, quibus phantaſticata videmus modo imperfecto. faciunt, quæ habet *Ariſt. in lib. de Somno, & vigilia, cap. 3.* aſſignans cauſam apparitionis ſomniorum; hinc *Pelbartus loc. cit. dicit ex mente D. Auguſt.* quòd quidam adeò phantaſiabatur de quadam muliere; quòd eam abſentem præ oculis ſemper habebat. patet exemplum in phreneticis dicentibus ſe multa videre, quæ realitèr non vident. *Pelbar. in Roſario Theol. tom. 2. verb. Dæmones 5. §. 82.* ſecundo modo fit, quando ſumpto corpore ex aere viſibilitèr apparet in aliqua figura: & eadem ratione poteſt circumponere cuicunque rei corporeæ quamcumque formam, & figuram: itaque virtute Dęmonum corpus humanum in corpus beſtiæ minimè tranſmutari poteſt (quidquid opere Dęmonis apparere videatur) Vndè credere Dęmonem poſſe mutare naturam vnius creaturæ in aliam, hæreſim ſapit manifeſtè, vt notat *Arnaldus Albertinus de agnoſcendis aſſert. Cathol. quæſ. 11. nu. 6.* ad rationem verò dubitandi dicendum eſt, quòd vanæ voces populi non ſunt audiendæ. *l. Decurio C. de Pe. le.*

Ad illam de vxore Loth dicendum eſt Dæmones non ſua potentia conuerſionem illam effeciſſe: ſed veluti Miniſtros diuinæ voluntatis executores.

Ad illud verò de Nabuchodonoſor dicendum eſt ipſum ſecundùm veritatem non extitiſſe mutatum: ſed ſecundùm ſuam imaginationem in brutum ſe mutatum exiſtimaſſe: & per Syluas, & arua errantem, herbas, vt bouem comediſſe.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An Dæmon motum Cœli ab Oriente in Occidens; & è contra impedire poſſit: & idem de alijs ſimilibus tacitè quæritur. Itidem quæritur, an montem ab vno ad alterum locum tranſportare poſſit.

RAtio difficultatis eſt, quia corporalia ſunt inferioris potentiæ ſpiritualibus, vt ex communi teſtãtur Phyloſophi: Cœli autèm ſunt corporales: ergò videtur Dęmonem ad libitum impedire poſſe ipſorum motum.

Reſpon-

Reſpondetur Dęmonem minimè poſſe impedire Cœlorum motum, non ex diminutione ſuæ potentiæ naturalis ſuper corporalia, quæ adhuc remanet integra; ſed vt cognoſcat nihil poſſe, niſi à Deo ſibi concedatur: aut permittatur, velut nec hoc illi permittitur; tum quia (primo Cœlorum motu ceſſante) ceſſant etiam omnes, & ſinguli alij motus, ex *Ariſt. 7. Phyſ.* tum quia, ſi hoc ipſi permitteretur, ad libitum mundum deſtruere poſſet, quod eſſet maximum inconueniens. itá *Dionyſius in Epiſtola ad Policarpum*, quòd notat in primis *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 1. qu. 1. circa principium*. Itèm eadem ratione nequit elementum à loco ſuo mouere: nec quicquã aliud agere, ex quo ordo vniuerſi tolleretur.

Similitèr non poteſt quantalibet velocitate quantumlibet corpus mouere: *Vayrus de Faſcino lib. 3. cap. 1.*

Itidem non poteſt transferre corpus de extremo ad extremum ſine tranſitu medij.

Præthereà nõ poteſt aliquid creare, nec aliud facere, niſi ſuppoſita materia; quia creatio, cũ fiat ex nihilo, requirit infinitam virtutem actiuam, qualem ſolus Deus habet.

Non poteſt denique producere animal ſubitò ſecundum eius perfectam magnitudinẽ, & virtutem. legendus eſt *Pererius aduerſus ſuperſtitioſas artes lib. 1. cap. 6. per totum.*

Similitèr non poteſt alicui auferre lumen rõnis, niſi v. g. eo modo, quo vinũ potens, validum pharmacũ, aut aliud creatũ auferre põt. lege *Syluestrum Prierium trac. de Mirabilibus operationibus Dæmonum*, huc ſpectat illud *Lirani ſuper Pſalmum nonum; ibi* ſ. *Inimici defecerunt frameæ in finem &c.* qui tenet, quòd pro magna parte Dęmonum poteſtas diminuta eſt per Xpum, & Apoſtolos; ne .ſ. poſſint tantùm nocere hoĩbus, quantùm anteà poterant: patet incipiendo à tempore prædicationis Chriſti, & Apoſtolorum ad hæc vſque tempora, in quibus frequentèr Dęmones è corporibus obſeſſorum expelluntur. Patet ex Euangelijs, & Act. Apoſtolorum. hinc *Ioan. 12.* ait: nunc iudicium eſt mundi, nũc Princeps huius mundi eijcietur foras.

Nec obſtat, quòd naturalia Dęmonum remanſerunt integra; quia licèt in ſe ſint integra: tamen non permittitur illis totum omne, quod naturalitèr poſſent. Verùm Dęmon pluribus modis, quàm homo tàm naturalitèr, quàm artificialitèr rebus vti poteſt; quod procedit ex ſingulari eius ſcientia ſupra homines, quòd maximè notandum eſt, pro intelligentia demoniacæ potentiæ: ex. gr. in naturalibus nouit Medicus vti pharmaco pro antidoto curatiuo decem morborum diuerſi generis: Dęmon verò fortaſsè nouit bonũ eſſe pro curatione centũ infirmitatũ diuerſorum generum.

Item nouit Faber lignarius vti ſerra tantùm pro ſecando lignum: Dęmon verò nouit illa vti non ſolũ pro dicto effectu, ſed pro multis alijs homini omninò fortaſsè ignotis.

Præthereà tanta eſt naturalis Dęmonum cognitio, & potentia, quanta bonorum Angelorum. *Binsfel. de Confeſſ. Malefic. præludio 8.*

Quo ad ſecundum quæſitum, *Liranus ſuper Epiſtola 1. ad Corinth. cap. 13 ſub lit. Z.* notat ſignantèr de potentia Dęmonum, quòd montium translatio ipſorum virtute fieri poſſet, ſi propriæ virtuti dimitterentur: breuiſſimoq; tempore, & abſque labore illam transferrent.

Verùm, vt alibi dictum fuit, non poſſunt facere vera miracula; cum exigant illimitatam virtutem, qualis eſt illa ſolius Dei; virtus autèm Dęmonum eſt limitata: vndè, niſi limitatum effectum producere poteſt.

Nec obſtat, quòd dicta translatio ab homine non poſſit fieri, niſi longiſſimo temporis curſu, grauiſſimaq; defatigatione: nam quemadmodum diuerſa eſt natura Dęmonis ab illa hominis; itá diuerſa eſt iſtius, & illius potentia.

Dices, cur defatigantur homines, & non Dęmones laborando.

Pro intelligentia notandum eſt primò defatigationem eſſe diminutionem virtutis potentiæ reſiſtiuæ, & reactiuæ ob eius longam actionem: duæ ſunt conditiones huiuſce deſcriptionis. Prima tangitur ibi, potentiæ reſiſtiuæ reactiuæ; quod dicitur ad differentiam potentiæ pure paſſiuæ, quæ non defatigatur; vt eſt potentia paſſiua inanimatorum. Secunda tangitur ibi, ob eius longam actionem; quod dicitur ad differentiam impotentium ad laborem: ver. gr. ob ſenectutem, vel infirmitatem, qui propriè non dicuntur defatigari: licèt viribus corporalibus diminuantur.

Notandum ſecundò defatigationem cauſari, quia natura ad ſingula membra laborantia mittit per modum exalationis quoſdam ſpiritus, ſeu humores, qui per longam actionem corrumpuntur. His habitis.

Reſpondeo Dęmones agendo: v. g. circuiendo terram ab Oriente in Occidens non defatigari, ſicut homines: primò, quia carent potentia paſſiua reſiſtiua: nam corporalia quemadmodum ſunt eis inferiora; ſic regularitèr ſunt eorum obedientiæ ſubiecta quo ad motum localem, niſi Deus obſiſtat. Secundò, quia Dęmones operando, cum careant corpore; carent itidèm exalatione humorum, quæ exit à corpore.

Ob eandem etiam rationem cæleſtes intelligentiæ mouendo Cœlum inceſſabili motu non defatigantur.

Idem, & ob eandem rationem dicendum eſt de anima intellectiua, quæ mouendo corpus noſtrum non defatigatur; Vndè notandũ eſt, quòd, quando videtur nobis iam eſſe defatigatam: v. gr. ex prolixo ſtudio, minimè defatigatam eſſe ratione ſui: ſed quia defatigata ſunt organa corporis; quibus longius debito vſa fuit. faciunt tradita per *Capuleum ſuper 2. Sent. diſt. 14. art. 3. quæſ. 2. punct. 3.*

DISTINCTIO SEXTA.

De Impotentia Dęmonis reſpectu eorũ, quæ non poteſt dare.

Diuiditur in duos articulos.

Alter oſtendit non poſſe dare regna, quæ promittit.

Alter demonſtrat eius finem, quando præſtat aliquod beneficium, vel obſeruat pactum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Diabolus regna terræ alicui dare poſſit.

RAtio difficultatis eſt, quia Diabolus Chriſto promiſit regna terrena, ſi cadens ipſum adoraſſet: *hæc omnia tibi dabo .s. regna mundi, ſi cadens adoraueris me, Matth. cap.* 4.

Reſponſio eſt negatiua; quia, ſi Diabolus pro libito dare poſſet regna; ſemper illa viris malis tribueret, vt malè omnia ſuccederent, vitiaq; creſcerent in immenſum; videmus autem in praxi ſuper regna interdum Sanctos ſedere viros: patet de Sancto Ludouico Francorum Rege, de Sancto Caſimiro, & alijs.

Secundò, quia, ſi hoc eſſet in Diaboli poteſtate; diuina tolleretur prouidentia; quæ quotidiana experientia liquidò apparet non ſolùm in magnis, ſed etiam in minimis; conſtat ibi: veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt; vndè nec vnus ex illis ſine Dei voluntate deperire poteſt.

Tertiò idem conſtat *Rom.* 13. *ibi: nõ eſt poteſtas, niſi à Deo*; Si ergò nulla eſt poteſtas, quæ à Deo non ſit; ſubindè nullum erit regnũ, quod à Diabolo tribui poſſit.

Ad obiectionem, cum dixit Diabolus Chriſto; quòd ei daret omnia regna mundi, ſi cadẽs ipſum adoraſſet, mentitus eſt, nec mirum; cum ſit mendacij pater, *Io.* 8. hinc *Hierony. ſuper Matth. cap.* 4. *dicit de Diabolo: Arrogans, & ſuperbus de iactantia loquitur: nec enim habebat, nec conferre poterat, quo carebat.* Mentiuntur ſimilitèr, ac perinſaniunt Manichæi aſſerendo Diabolum rerum temporalium eſſe dominum, ac factorem; contra quos Eccleſia proloquens teſtatur Deum eſſe Cęli, & terræ viſibilium omnium, & inuiſibilium Creatorem. ità *Alphonſus Toſt. ſuper Matth. cap.* 4. *quæſ.* 50.

DIFFICVLTAS II.

An regna ſaltem, quæ iniuſtè habentur, aut poſſidentur, à Diabolo ſint.

RAtio difficultatis eſt, quia hoc videtur innuere *D. Chryſoſtomus ſuper Matth. cap.* 4. his verbis: *Non poteſt Diabolus omnia regna dare, ſed ea, quæ per iniquitatem ſiunt in mundo, vt per furtum, periurium &c.*

Reſponſio eſt negatiua, vz. quòd Diabolus non dat regna, nec poteſtates; licèt iniuſtè acquiſitas, aut poſſeſſas; primò, quia Apoſtolus aſſerit omnem poteſtatem à Deo eſſe; ergò tàm malè, quàm benè acquiſitam: nam dictio vniuerſalis omnem complectitur poteſtatem. Secundò, quia Nabuchodonoſor contra omnes gentes iniuſtè mouebat bella, vt eas ſibi ſubderet: & tamen dixit Deus, quòd illas in manibus ipſius traderet; quæ nõ excuterent ceruicem ſuam de iugo eius vſque ad annos ſeptuaginta, *Ierem.* 25. Tertiò, quia in *Iob. c.* 34. ſcriptum eſt de Deo, quod facit regnare hypocritam propter peccata populi, &c. ſic conſtat, quòd etiam regna iniuſtè habita, aut poſſeſſa, à Deo habentur; nam quemadmodum bonis à Deo dantur regna; vt populus benè regatur, & ad maiorem virtutis gradum proficiat; ſic etiam ab ipſomet Deo dantur iniuſtis propter populi peccata.

Ad dictum D. Chryſoſtomi reſpondetur, quòd quando regnum per iniquitatem habetur; in hac conſecutione duo conſiderantur, vz. regnum obtentum, & iniquitas, per quam obtinetur; primum eſt à Deo: ſecundum verò ab homine, Dęmone etiam impellente.

Dices *Oſea* 8. habentur hæc verba: *Regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui:* ergò aliquis eſt Principatus, & non à Deo. Reſpondetur, quòd bonorum Principatus totalitèr à Deo eſt; quia tàm regnum, quàm medium, per quod ad illud perueniunt, ſcilicèt, bonitas, & prudentia à Deo pendent: regnum verò impiorum eſt tantũ à Deo partialitèr, hoc eſt quantum ad conſeruationem, aut poſſeſſionem; ſed non quantum ad medium .s. quo ad iniuſtitiam, aut tyrannidem; quia iſta à Deo non ſunt, iuxtà illud: *Sine me factum eſt nihil*, .i. peccatũ: nec cognoſcit talia regna, ſeu principatus .s. ſciẽtia approbationis.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Dæmones an hominibus interdum beneficia præſtent.

REſpondetur affirmatiuè, ſed pro certo tenendum eſt non ex amore erga homines, quos ſummoperè perſequuntur odio; ſed vt occultius finalitèr perdant, quòd ſuper omnia affectant, iuxtà illud appropriatè dictum in perſona Dęmonis: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: quare omninò cauendum eſt; ne quis allectus curioſitate ſciendi, aut deſiderio habendi rem aliquam ad illum recurrat: quia, ſi demum ſibi præſtabitur; hoc erit æternæ ſalutis, temporaliſq; famæ vltimũ præcipitium, faciunt allata per *Baptiſtam Sygnam de vero ſtudio Chriſtiano, cap. penul. Scotum lib.* 4. *Sent. diſt.* 34. *Liran. ſuper Pſal.* 9. *& DD. communitèr.*

DIFFICVLTAS II.

Ob quam cauſam Dęmon omni dolo, & fallacia plenus interdum à ſe promiſſa obſeruat, (loquendo de his, quæ ſunt ſub eius poteſtate.)

REſpondetur hoc contingere; non quia aliquando ceſſet à deceptionibus; vel

aliqua oleat veritate; cum à ſua natura pœnitùs ſit aliena (attento, quòd eſt pater mendacij) ſed, vt incauti homines ei adhæreant: nam apprimè nouit, quòd ſi pactum non ſeruaret; nullus ei deſeruiret.

Item illa interdum obſeruat, vt veluti Deus totus verax latriæ cultu vni illi debito; quem ſummoperè inhiando affectat; à ſuis ſaltèm adoretur.

Prætereà, vt hac etiã via plures perdat, quod non parum ſolatij ipſi videtur, iuxtà illud vulgatum: *Solatium eſt miſeris, & potiſſimùm inuidis, quales ſunt Dæmones, ſocios habere pœnarum*; hinc cõmunitèr Doctores nos admonent, ſub promiſſorum obſeruatione latere dolum ſecundum illud tritum prou. *Latet anguis in herba. Baptiſta Signa de verò Studio cap. penul.* faciunt tradita à *Scoto lib. 4. diſt. 34. & à Lirano ſuper Pſal. 9.* ibi: *Inimici mei defecerunt frameæ in finem.*

Verùm attende, quòd per hæc nobis non eſt integrum, Dęmonem maledicere abſolutè, ver. gr. ſecundum quod eſt creatura Dei: nam vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona *Gen. c. 1.* ſed præciſè illum maledicere valemus, quatenus eſt malus, doloſus, malignus, & cauſa mali, vt ex communi docẽt Theologi, quòd obſeruat *Bizozerius in Sum. par. 3. cap. 1. nu. 11.* Quinimmò primo modo Dęmon diligendus eſt: ratio eſt, quia, qui odit creaturã, prout creatura eſt; odio habet etiam Creatorem, vz. D. Opt. Max. qui omnium Creator eſt; Vndè debemus Dęmones diligere, eo modo, quo creaturas irrationales, volendo illos ſpiritus, & illas creaturas in ſuis naturalibus conſeruari ad gloriam Dei.

Secundò verò modo conſideratus, quatenus per culpam exiſtit deformis; & ſic quilibet Dęmonem odio habere debet, vt docet *Angelicus Doctor in 2. 2. quæſ. 25. art. 11.*

Inſuper addo Deum primo modo eſſe in Dęmone, nempè prout creatura eſt: nam exiſtit in omnibus creaturis per potentiam, præſentiam, & eſſentiam: per potentiam quidem, in quantum omnia ipſi Deo ſubduntur: per præſentiam, in quantum omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius: per eſſentiam, quatenus omnia, quæ ſunt, habent eſſe ab ipſo Deo; qui eſt ipſamet eſſentia, & cauſa omnium exiſtentiũ in natura creata: quòd ſecus dicendum eſt, ſi conſideretur ſecundo modo, ſ. quatenus per culpam eſt deformis, vti tradit *D. Thom. 3. par. quæſ. 8. art. 1. in reſp. ad 4. item 1. par. quæſ. 8. art. 3.* Vndè notandum eſt cum *Ariſt. 2. de Anima*, quod omne ens eſt bonum, quatenus ens eſt, licèt reſpectu adiuncti aliquod ens poſſit eſſe malum, quod notauit *Doctor Angelicus in 2. Sent. diſt. 13.* caue tamen, ne exiſtimes Dęmones ſub genere proximorum contineri: & ne optes illis ſummum bonum: quia licèt ex natura iam habiles fuerint ad illo sũmo bono fruẽdum: ex ordine tamen diuinæ iuſtitiæ ob eorum ſuperbiam redditi ſunt inhabiles. ità *Theologi, & præcipuè D. Bonau. in 3. Sent. diſt. 28. art. 1. quæſ. 2.*

DISTINCTIO SEPTIMA.

De Impotentia Dæmonis ſimulata.

Diuiditur hæc diſtinctio in duos articulos.

Alter oſtendit Dæmonem ſimulare coactionem.

Alter demonſtrat, quòd non cogitur ſtare pacto cum ipſo inito.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Dæmon an ab homine aliqua arte in annulis, phyalis, pixidibus, vaſculis, imaginibus &c. ad danda reſpõſa cogi, ſeu alligari poſſit.

Ratio difficultatis eſt primò, quia vulgò fertur Dæmonem in prædictis rebus alligari poſſe: ibiq; cogi ad reſponſa. Secundò, quia per Exorciſtas cogitur ad reſponſa, & ad alia.

Reſpondetur Dęmonem minimè alligari poſſe in prædictis rebus, nec in alijs; nec itèm cogi ad reſponſa; ratio eſt, tum quia in mundo non eſt poteſtas ſupra ipſum teſte D. Scriptura, *Iob* 40. ſalua tamen poteſtate illi imperandi per Miniſtros Dei. Tum quia, ſi æqualis non præualet æquali; multò minus inferior ſuperiori, vel infirmior potẽtiori, qualis eſt Dęmon in naturalibus reſpectu hominis; immò ex dictis Chriſti; qui minor eſt inter Angelos, maior eſt omni homine: ergò. Tum quia non eſt quid naturale, per quod Dęmones ab hominibus cogi poſſint; cum ſit ſuperior omni poteſtate naturali.

Præterea, ſi homo hominem nulla arte, aut vi verborum, caracterum, herbarum, lapidum &c. compellere poteſt; vt voluntariè determinatum intret locum, ibiq; immobilitèr ſtet, donéc licentietur: ergò multò minus homo Dęmonem cogere poterit.

Inſupèr, ſi Dęmon per aliquid: v. g. per materiale maleficium cogi poſſet; non doceret illud homines; ne obindè efficeretur ipſis miſerior: maximè, cum non ſit lucrum, per quod vellet verè, ac voluntariè ſubijci hõibus.

Nec obſtat ratio obiecta; quia vanæ ſunt voces populi, ideò non ſunt audiendæ, ſed contemnendæ, *l. Decurio C. de Pe. leg. Zanardus in Direct. Theologorum part. 2. cap. 5. Barbol. Sybilla in Compen. Pereg. quæſt. cap. 8. quæſ. 1. &c.* Nec obſtat itèm, quod Dęmon per Eccleſiaſticos exorciſmos coactè ab homine expellatur; quia huiuſmodi expulſio non fit ab homine: ſed à Deo per hominem, in quantum ipſe per Eccleſiam inſtituit Sacramentalia: latetq; ibi diuina virtus operatrix; ſicut etiam in Sacramentis.

Dices,

Dices, à Mercatoribus ex Heluetiorum partibus diſcedentibus vulgò ferri annulos vendi cũ dicta qualitate paſſiuæ occluſionis Dęmonis. Reſpõdeo (quicquid ſit in facti veritate, de qua non parùm dubito) cum Heluetici Catholici non ſint minus alijs Chriſtianis deuoti, in fide firmi, ac ſuperſtitioſiorum hominum inimici acerrimi; dico primò relationem Mercatorum non eſſe certam; ſicut nec voces populi; Vndè, quemadmodum populi voces nõ ſunt attendendæ, ſed contemnendæ, tanquàm debile habentes fundamentum, *l. Decurio, C. de Peculio legato*: ità ob eandem rationem contemnendæ ſunt huiuſmodi Mercatorum relationes: nam de ſimilibus idem eſt iudicium.

Secundò dico (ſuppoſita etiam annulorum ſic conſpurcatorum venditione) non tamèn colligitur illos licitè venundari: nec itèm ad propoſitum noſtrum habetur obindè, quòd Dęmones in ipſis coactè occludantur; ſed tantùm cõijcitur in illis partibus, potiùs quàm in noſtris hanc Dęmonum fictionem graſſari.

DIFFICVLTAS III.

An ſaltèm Dęmon inferioris ordinis à ſuperiori cogi poſſit, vt detineatur in aliqua re; v.g. in annulo.

Reſpondī affirmatiuè, quod ſolet contingere, intercedente pacto Malefici cum Dęmone ſuperioris ordinis .s. vt inferior includatur in re magis ſibi viſa, illicq; alligetur: nec eſt mirùm cum ſuperior ordine ſit ſuperior quoque potentia, ſicut & ſapientia.

Verùm velim attendas, primò, quòd non cogitur ab homine vi propria, ſed vi ſuperioris Angeli mali. Secundò, Dęmonem ſuperiorem actione phyſica inferiorem non adeò alligare poſſe; vt (eo abſente) inferior diſcedere ab illo loco nequeat: ſed intelligitur alligari morali coactione, .i. pręcepto; patet in ſimili de ſubdito; qui à ſuo ſuperiore cogitur manere in aliquo loco, ei præcipiendo, vt indè ne exeat, ſed ibi ſe detineat; qui tamèn à loco (phyſicè loquendo) diſcedere valet, cùm non ſit alligatus.

Dicitur verò huiuſmodi Dęmonem à ſuo poſſeſſore teneri alligatum: quia accitus ab illo pręſtò illi adeſt abſque temporis mora: ſed ferè tempore imperceptibili.

Verùm reipſa minimè ab ipſo tenetur alligatus; ità *Auguſt. lib. 21. de Ciuit. Dei, D. Tho. 4. contra Gentiles cap. 90. Victoria de Magia nu. 31. Toletus, Delrius, Valentia, quos citat. & ſequitur Sanchez in Summa lib. 2. cap. 42. num. 11. Carolus Baucius in Miſcellaneis Practicis, tract. 2 ibi Petes v., Tyrçus de Dęmoniacis, cap. 15. de Decem Pręcept. diſ. 4. quaſ. 1. punct. vlt. & alij.*

DIFFICVLTAS III.

Dęmones cur ab hominibus ſe cogi per annulos, imagines, lapillos, &c. ſimulant.

Ratio immediata, & propria eſt, ne homines ab vſu dictorum annulorum, imaginum, &c. retrahantur; nam (Dęmonibus ità ſimulantibus) Malefici credunt illis inſtrumẽtis ſe cogere Dęmones; & ſubindè habent admodum cara huiuſmodi inſtrumenta; quia videtur ipſis per hæc fieri quaſi compotes omnium, quæ deſiderant; hacq; ſimulatione Dęmones animos iſtorum alligatos tenent. ità *Toſtatus ſuper Matth. cap. 19. ſub littera E.*

Secunda eſt, vt cum hominibus conuerſare poſſint; & conſequentèr eos ſubijcere ſuo cultui; ſciunt enim, quòd homines non vtuntur ipſorum cõſuetudine niſi ob vtilitatem, quam ab ipſis putant conſequi poſſe.

Tertia eſt, vt dictos homines tandèm opprimant; hinc *Auguſtinus* ità proloquitur: *Dęmones ob nihil aliud beneficium pręſtant, niſi, vt credentes occultius finalitèr perdant; & Henricus de Haſſia ſuper Geneſim,* vt notat *Barthol. Sybilla in Compendio Peregrinarum Quaſtiõn. cap. 8. quaſ. 1.* inquit, *Hoc certum habe, quod ipſe* (loquitur de Dęmone) *ſimulat ſe captum, vt te capiat: ſe victum, vt te vincat:* ſe tuo imperio ſubditum, vt te ſibi ſubdat; à te incluſum .s. in annulo, & vt te finalitèr includat .s. in inferno: fingit ſe (tua arte) lapidi, vel imagini alligatum, vt te funibus peccatorum conſtrictum teneat.

Simulant ſimilitèr ob dictos fines; quòd inſtrumenta maleficialia, quæ infodiunt terræ, ponunt in lectis, in puluinaribus, ſub limine domus, demergunt in puteis &c. habeant aliquam virtutem ad effectum intentum ab ipſis Maleficis; & tamèn nullam habẽt: nam actio *ſecundùm Ariſt.* non fit niſi per contactum; inſtrumenta autèm maleficialia, licèt ponantur in loco diſtanti: ex. gr. duobus, vel tribus milliaribus: attamèn nocent; quod, cum non cõtingat virtute naturali ob elõgationem dictorum inſtrumentorum à perſona offenſa; neceſſe eſt, vt fiat virtute diabolica.

Dices (inuentis maleficijs, quæ v. g. terræ infoſſa erant, & euulſis de loco, atq; diſperſis) ceſſant vexationes maleficiorũ: ergò. Reſpõdetur Dęmones horum maleficiorum inuentione, aut euulſione à loco minimè impediri: ſed ſimulare, vt fallant, volentes deſignare aliquã virtutẽ eſſe in rebus ipſis, aut loco: nam, ſi Malefici ſcirent, quòd maleficialia inſtrumenta nihil omninò valerent; ſed totum operatũ à Dęmonibus pendere; à maleficijs potius diſtraherentur, quàm allicerentur; Verùm, quia admotis inſtrumentis maleficialibus, ac obſeruatis cęremonijs habetur effectus, quem ipſi intendunt; putant ꝙ ab his cauſetur eorũ intẽtũ, v.g. bolus, ſeu dolor in ſtomaco inimici.

Quia autèm eſt in poteſtate eorum fabricare illa inſtrumenta: illaq; ponere, vbi volunt; exiſtimãt ſubindè in poteſtate ſua eſſe talium effectuum nefandorum productionem; Vndè magis, ac magis erga illa, & Magiſtrum amore afficiuntur; & hoc eſt in ſpecie, quod in primis intendunt Dęmones. ità *Toſtat. loc. cit.*

Verùm *Thomas Garzonus in Platea vniuerſali diſcurſu 4. ex mente Franciſci Diaceti* notat Negromãtes compellere poſſe inferiores ſpiritus

in

in virtute ſuperiorum, qui ſecùm conuenerũt: ſed hoc non militat contra reſolutionem; quia non eſt coactio in virtute propria; ſed aliena, Dęmonum ſuperiorum videlicet: quod intellige ſuppoſita permiſſione diuina.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
An Dæmon ex pacto cum Malefico conſtringatur ſtare promiſſis.

RESpondetur negatiuè, ratio magiſtralis eſt, nimirùm, quia adhuc Dęmon habet eandem numero potentiam, ſciẽtiam, & nequitiam; vndè, quæ prius ante pactũ poterat, nouerat, & voluerat; etiam poſt pactum poteſt, nouit, & interdum nequitèr vult: Quarè licèt inter Maleficum, & Dęmonem interceſſerit pactum expreſſum, vel tacitum; vt ſolummodò diuexet maleficiandum (exiſtente materiali maleficio, aut ſigno) attamèn illo ſublato non conſtringitur ceſſare à maleficio formali, nempè à diuexatione.

Verùm notandum Dęmonem interdùm obſeruare pactum; non quia non ſit ſemper fallax; ſed, vt pro loco, & tempore magis, ac magis decipere queat: interdùm verò illud non obſeruat, quod eſt ipſius proprium; cum ſit totus mendax, mendaciorumq; prothopater: & interdùm pactũ, ſeu promiſſa minimè obſeruare poteſt, vtpotè, quãdo pollicitus eſt, quæ non ſunt ſub eius manu; patet, promiſit Chriſto, vt, ſi cadens in terra ipſum adoraret, quòd ei daret omnia mundi regna; quæ tamèn dare non poterat: cùm non forent in ſua poteſtate.

Pactum explicitum eſt, quod exprimitur per verba, nutus, aut ſigna; vti in primis præſtant Malefici, quando Deum abrenunciant tradendo ſe in Dæmonis ſeruitutem.

Tacitum verò eſt duplex, alterum præſtat Maleficus; quando vult cõſequi effectum per cauſas; quæ nec virtute naturali, nec diuina; neq; eccleſiaſtica illum producunt. Alterum verò, quando huiuſmodi cauſis inutilibus, & ſuperſtitioſis adiunguntur aliæ effectum naturalitèr producentes, *Nauar. in Manuali Confeſſ. cap. 11. nu. 25.* quæ quo magis ſacræ, eo periculoſiores; cum Dęmon potiſſimùm ſub ſpecie pietatis decipere intendat. caue, attende, & intende hunc doctrinæ punctum; ne ob effectum rei naturalem credas producta cõcurſu diabolico carere; nam toties effectus eſt ſuperſtitioſè productus; quoties addũtur cauſæ ad ipſum minimè facientes .s. ſuperſtitioſè: nihil obſtantibus cauſis verè naturalibus.

Idem dicito, ſi addantur verba minimè ad rem facientia: nec ordinata à Deo, nec ab Eccleſia: ſigna .n. ſunt pacti Dęmonis cũ primo, v. g. quòd, quicunque talia verba proferret, intelligatur tacitè inuocare ipſum: qui ratione dicti pacti debet illi adeſſe ad producendum effectum, quem optat proferens talia verba. ità *Faber aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 10. circa finem nu. 187.*

DIFFICVLTAS II.
An Dæmon ſaltem Maleficarum inuocationibus cogatur, v. ad nocendum, cui vult Malefica.

RESpondetur, quòd, ſicut Dęmon nullo cogitur inſtrumento, vt ſupra diximus: ità nulla inuocatione cuiuſque Maleficæ; cum nulla ſit poteſtas ſuper terram, quæ ipſum cogere poſſit: ſimulat tamèn, vt aliàs innui ſe cogi ad effectum ipſas decipiendi, quæ, credunt rõne fœderis cũ Dęmone obtinuiſſe imperiũ ſuper ipſum: de hoc fędere proloquitur Iſaiàs 18. in hec verba in perſona Maleficarum: *Percuſſimus fœdus cum morte*, .i. cum mortis auctore, nimirùm cum Dęmone, qui Euam ad peccatum impellit, ex quo præuenit mors corporalis: *Et cum Inferno fecimus pactum*, .i. cum Miniſtro pœnarum cõfederati ſumus. faciunt tradita per *Iacobum Sprenger in Malleo Maleficarum, part. 2. quæſ. 1. cap. 16. & item quæſ 2. cap. 5.* Verùm attende Maleficum nihil poſſe virtute propria; ſed tantùm virtute Dęmonis. *Binsfeldius in Commen. de Maleficis, & Math. lib. 6. vt ſæpius dictum eſt ſupra.*

DISTINCTIO OCTAVA.
De vera Dæmonis Impotentia, ſeu coactione.

Partitur hæc diſtinctio in duos articulos, in quorum

Altero videtur quomodo diuina virtute cogatur Dæmon.

In altero demonſtratur, quam vim habeant exorciſmi contra Dæmonem.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Dæmon ſaltem adiurationibus cogi poſſit; vt nobis aliquid præſtet.

RESpondetur diſtinctione. Duplex eſt adiuratio, altera deprecatiua, quæ fit precando: altera verò imperatiua, quæ fit præcipiendo, timoremq; incutiendo per rerum ſacrarum conteſtationem: deprecatiua eſt illicita, graueq; peccatũ: quia huiuſmodi adiuratio abſq; ſubiectione, & ſocietate cum Dęmone minimè fieri poteſt; ſecùs de imperatiua; patet ex praxi Eccleſiæ; quæ ſpecialem habet ſuper Dęmones poteſtatem, vt videre eſt *Luc. 10.* ibi: *Etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis ità Theologi, & Summiſtæ.*

Verùm notandum primò adiurationẽ præceptoriam, ſeu coactiuam ob duplicem finem Dæmoni fieri poſſe, vel ad obtinendum aliquid ab ipſo; ver. gr. aliquam ſcientiam, vel aliquod beneficium: vel ad extorquẽdum aliquid ab ipſo contra ipſius voluntatem: ex. gr. vt aliquem diuexare deſinat.

Adiuratio primo modo nullatenus licita eſt; quia

quia hęc pertinet ad ſocietatem cũ ipſo ineundam, ità *D. Thom. 2. 2. quaſ. 90. art. 2.*

Secundo autem modo licita eſt, quia ius habemus defendendi non ſolùm noſmetipſos; ſed etiam proximum noſtrum ab iniqua poteſtate Dęmonis; quod quidem ius traditum eſt Eccleſiæ, vt patet *Marci vltimo, ibi: In nomine meo Dæmonia eijcient.*

Nec refert, quòd ex conſequenti .s. ex eiectione præſtetur nobis pacis, ſanitatisq; beneficium; quia non habetur ab ipſo poſitiuè; nec immediatè, nec directè; ſed à Deo vi exorciſmorum; & hoc non eſt habere ſocietatem cũ Dæmone: ſed poteſtatem ſuper illum: nec talitèr cum illo contrahimus amicitiam, ſed ab illa arcemur.

Notandum ſecundò, quòd, etſi non liceat adiurare Dęmones ad aliquid ab ipſis obtinendum: attamèn Dęmonis ſeruitio ex reuelatione diuina vti poſſumus; prout iam vſus fuit Iacobus Apoſtolus; qui ipſum conſtrinxit, vt ad ſe Hermogenem adduceret, vt obſeruat *D. Thomas 2. 2. quaſ. 90. art. 2. & quaſ. 73. art. 6.*

Verùm in dubio, an reuelatio ſit à Deo, nullus audere debet vti Dęmonis ſeruitio: & Cõfeſſariorum partes ſunt auocare pœnitentes à talibus præceptis, niſi omninò conſtet reuelationem à Deo eſſe.

DIFFICVLTAS II.

An ad minus Exorciſtæ in nomine Chriſti præcipere poſſint Dæmonibus ordinis ſuperioris, vt ſtet contra Dæmonem inferioris ordinis.

ANte reſponſionem aliqua veniunt notãda. Primum eſt, quòd inter Dęmones eſt prælatio, alij .s. imperant, & alij obediunt, quòd ſatis perſuaderi poteſt; tum quia Angeli mali quodammodo conantur imitari Angelos lucis; vndè, quemadmodum illi ordinatè ſuum exequuntur officium iuxtà maiorum imperium; ità Angeli tenebrarum ad imperium ſuorum Superiorum ſua exequuntur maleficia: & ſicut in bello pręliantes, qui ſunt ex vna parte; licèt interdum ad inuicem ſint inimici: ob odium tamèn contra alteram vniuntur inſimul voluntariè ſe ſubijciendo Duci imperanti; ne diuiſi, & abſque capite ſuperentur; Ità adamuſſim ſe habent Dęmones contra genus humanum præliando concorditèr ob grauiſſimum odium in ipſum.

Secundum eſt, quòd Dęmones conditione ſua vim habent adminiſtratiuam: maiorq; potentia vni, quàm alteri data eſt; vt minus potentes potẽtioribus ſubeſſent in miniſtrando; & ſic ſibi inuicem præſunt, ſicut præeſſent, ſi eſſent boni.

Tertium eſt, quòd, cum ceſſauerit ſtatus miniſterij, ceſſabit etiam ſtatus prælationis; hinc *gloſ. Super illud 1. ad Cor. cap. 15.* cum euacuauerit omnem Principatum; dicit, dum durat mundus Angeli Angelis, Dęmones Dęmonibus, Homines Hominibus præſunt.

Quartum eſt, quòd huiuſmodi pręlatio Dęmonum non eſt de iure; nam ſuperiores inferioribus nihil præcipiunt, niſi contra ius, & ad malum finem. faciunt tradita per *D. Bonauenturam in 2. diſ. quaſ. vlt. Ricar. item 2. diſt. 6. art. 3. quaſ. 1. Magiſtrum Sent. itidem lib. 2. diſt. 6.* His ſuppoſitis.

Reſpondetur Exorciſtam in nomine Chriſti poſſe præcipere Dęmoni ſuperioris ordinis: v. g. Lucifero, vt Dęmones ſibi inobedientes excruciet in Inferno: itèm ſpiritui principali in corpore obſeſſo, quòd ſecum educat totam ſocietatem ſuam. ità ex *Flagello Dæmonum, to. 2. cap. 4. circa finem. Zacharia Vicecomite in Complemento artis Exorciſtæ, Doctrina 2 Pelbarto in Roſar. Theol. tom. 2. verb. Dæmones 2 § 27. & alijs.*

Verùm notandum eſt, quòd Exorciſta non vtitur Dęmonum ſeruitio ex contractu cum ipſis inito, vti faciunt malefici; ſed adiurando, & compellendo exorciſmis ſuperiores contra inferiores.

Dices, ſi Dęmon ſuperior Dęmonem inferiorem eijceret; non ſtaret eius regnum iuxtà illud Chriſti *Luc. 11 Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*: Reſpondetur Dęmones in damnum noſtrum minimè eſſe diſcordes: ſed ſummè concordes, nihil obſtando, quòd ſuperiores compellant inferiores: quia norunt; quòd ipſi ſuperiores ſunt quoque omninò coacti adhoc; & quod huiuſmodi coactio, non procedit ex odio Dęmonis ſuperioris contra inferiorẽ: ſed ex Dei potentia ſuper vtroſque. ità *Pererius aduerſus ſuperſtitioſas artes, lib. 1. c. 5.*

Attendere tamen debes, quòd quamuis Exorciſta compellere poſſit adiurationibus Dęmonem ſuperioris ordinis, vt ſtet contra inferiorem ipſum eijciendo; non tamèn poteſt hoc petere ab ipſo, quia eſſet à Dęmone beneficium velle; & ſubindè daretur ſignum pacti, & ſocietatis cum ipſo, quod notat in primis *Trullench in Decalogum cap. 10. dub. 14 num. 7. poſt Soto, Suarez, & Sanchez apud ipſum, qui nu. 9.* aduertit etiam non poſſe quempiam abſque mortali petere aliquid à Dęmone plena intentione. Dico plena intentione, quia ob imperfectionem actus contingere poteſt, vt non niſi veniale exiſtat.

Vrgebis Exorciſtæ minimè illicitum eſſe petere à Dęmone ſignum, quo deſignet ſe egredi, vt docet Sacerdotale Romanum. Reſpondetur hoc præcisè fieri poſſe ipſum cogendo Exorciſmis.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Exorciſmi Eccleſiaſtici habeant virtutem infallibilem expellendi Dæmones.

RAtio difficultatis eſt, quia ex vna parte nouimus Exorciſmos Eccleſiaſticos virtutem pellendi Dęmones habere ex opere operato, vz. vi ipſorum Exorciſmorum; non minus, quàm alia Sacramentalia Eccleſiæ Catholicæ: Chriſtus enim tribuit ipſi Eccleſiæ facultatem Exorciſmos inſtituendi, quibus tanquàm inſtrumentis eius Miniſtri

vir-

virtute Chriſti Dęmones expellant, iuxtà illud *Lucæ cap.* 10. *Etiam Dæmones ſubijciuntur nobis in nomine tuo: ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*: & ex altera habetur ex praxi; quod his remedijs non ſemper liberantur diuexati.

Reſpondetur duabus propoſitionibus. Prima, habent Exorciſmi ex natura ſua efficaciā eijciendi Dęmones, quando expedit Eccleſiæ: & ſi interdum non expelluntur; non eſt ex culpa Miniſtri, aut Dęmoniaci; ſed ex occulto Dei iudicio: v. g. ob maiorem diuexati vtilitatem ſpiritualem: aut ob aliud Eccleſiæ commodum.

Altera, efficacia Exorciſmorum, aut aliorū Sacramentalium non eſt infallibilis; ſicut illa Sacramentorum ex pacto diuino cum Eccleſia, quæ ſemper producunt gratiæ effectum; niſi ponatur obex ex parte Miniſtri non conficientis: aut ex parte indignè illa ſuſcipientis; illi enim textus ſupracitati non ſignificant abſolutam promiſſionem de expulſione Dęmonum; ſed futurum eſſe, quando foret Eccleſiæ expediens. faciunt tradita per *Sanchez in Summa lib.* 2. *cap.* 42. *nu.* 16. quem ſequitur *Baucius in Miſcellaneis practicis, tract.* 2. *ibi, petes* 9. *contra Valentiam*, ſentientem eſſe valdè probabile Exorciſmos habere effectum infallibilem.

Addo Exorciſmis non expelli omnes Dęmonum moleſtias, quas hominibus inferunt; ſed eę ſolæ, ad quas repellendas ab Eccleſia ipſi Exorciſmi ordinantur.

Prætereà dicta poteſtas expellendi non omnibus tradita eſt: ſed præciſè Miniſtris Eccleſiæ, quòd ſatis colligitur *Actuum cap.* 19. vbi Filijs Sceuæ eam poteſtatē vſurpantibus obiecit Dęmon; *Ieſum ſcio, & Paulum noui: Vos autem, qui eſtis? lege Sanchez loc. cit. num.* 28. *& Baucium vbi ſupra.*

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III. LIBER XVII.

De Magia Diuinatrice, eiuſq; ſpeciebus, Textus: *O ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi voglia eſperimento di Magia, &c.*

Notandum primò, cum duplex ſit Magia altera naturalis, diabolica altera; in his Commentarijs nos loquuturos eſſe ex profeſſo præciſè de diabolica vtpote denuncianda; quia de hac ſolummodò intelligendus eſt textus, cum non ſit denuncianda niſi Magia mortalitèr peccaminoſa, qualis nō eſt præciſè naturalis, de qua tantū obiter dicemus.

Notandum ſecundò diabolicam ſubdiuidi in diuinatricem, & operatricem, vt infra; & ad has duas ſpecies reuocatur tota ars Magica diabolica: quidquid enim diuinamur, vel operamur Dæmonis ope, reuocatur ad huiuſmodi Magiam: Verùm neutra excedit limites naturæ creatæ: nam à limitata cauſa nonniſi limitatus effectus haberi poteſt: licet autèm interdum excedat vires Magorum: non tamen excedit Dæmonum ſcientiam, aut potentiam, quarum vtraque eſt limitata.

Notandum tertiò Magiam tàm diuinatricem, quàm operatricem plures ſub ſe complecti ſpecies principales, & alias minus principales, ſcilicèt reductiuè tantum: Principales diuinatricis conficiunt hunc librum: minus principales verò conſtituent ſequentem; Magia verò malorum effectrix, ipſiusq; ſpecies conflabunt quatuor ſubſequentes, quorum ſinguli diuerſimodè agunt de ipſa, prout ſuis videbitur locis.

Notandum quartò, quod vtraq; eſt duplex, altera nocua non tantùm Mago; ſed etiam proximo: altera tantùm Mago: Prima eſt in illo, qui non tantùm vult videri magnus in opere, vel in doctrina; ſed etiam alteri nocere: vti ſunt Magi malefici,

Incan-

Incantatores &c. Secunda verò eſt in illo, qui tractus iactantia, vult videri magnus in opere, vel in ſcientia.

Notandum quintò hunc librum partiri in ſex diſtinctiones.

In prima ponemus vtriq; Magiæ communia; ne ſimus coacti eadem inutilitèr repetere.

In ſecunda agemus de attendendis generalitèr circa Magiam diuinatricem.

In tertia de Magia diuinatrice per ſomnia.

In quarta de Magia diuinatrice per ſortes.

In quinta de Magia diuinatrice ex phyſiognomia membrorum, & aliorum, quæ ſunt in homine: v. g. ex omine, voce, motu, verbis, &c.

In ſexta de Magia diuinatrice ex his, quæ ſunt extra hominem, nimirùm ex cometa, oraculo, augurijs, auſpicijs, &c.

DISTINCTIO PRIMA.

De communibus vtrique Magiæ.

Secatur in tres articulos.

In primo ponitur, quis fuerit auctor, & quid ſit.

In ſecundò ponitur conuenientia, & differentia vtriuſque.

In tertio verò ſoluitur difficultas.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quis fuerit Auctor artis Magicæ.

Ratio difficultatis eſt, quia communitèr conueniunt DD. à Perſis has artes fuiſſe adinuentas, 26. *quaſ.* 4. *can.* igitur genus; Perſæ enim, & Egyptij fuerunt cæteris curioſiores, & in naturali phyloſophia perſpicaciores; cuius terminis, cum non eſſent contenti: & vellent plus ſapere, quàm oporteret; in Diaboli laqueos inciderunt; primum autèm inter ipſos inuentorē ferunt fuiſſe Zoraſtrem.

Reſpo. primum Auctorē non fuiſſe Zoraſtrem, ſed Dęmonē; quia nullus mortaliū tàm peſſimas artes adinuenire potuit, qui ab ipſo inſtructus non fuerit; cum opera Magorum, ſeu Magarum humanum captum ſuperent, conſtat 26. *quaſ.* 2. *can. Qui ſine Saluatore. Lactant. lib. 2. de Orig. erro. cap* 17. Dubitationi verò dicendum eſt, Zoraſtrem minimè extitiſſe primum Magię inuentorem effectiuè, ſed ſolùm inſtrumentalitèr; cum Diabolus per ipſum eam tradiderit hominibus; quemadmodū facit noſtris etiam temporibus; in quibus plurimi ab ipſo in forma humana apparente tam execrabili arte inſtruuntur; qui ſic inſtructi alios ſeducunt; quod notat in primis *Petrus Binsfeldius in Rubrica de Maleficis, & Mathematicis in princ. ibi: Tertiam notabile.*

DIFFICVLTAS II.

Magia naturalis quid, & quid diabolica.

Reſpondetur Magiam naturalem eſſe perfectam rerum naturalium cognitionē, quam Pythagoras, Plato, Empedocles, cæterique inter Phyloſophos præſtantiſſimi magno ſtudio, lōginquisq; peregrinationibus cōquiſierunt; eſt .n. vox Perſica: Vndè à Perſis vocitantur Magi, quos Græci vocant Phyloſophos, & Latini amatores ſapientiæ; Iſtius Magiæ duæ ſunt ſpecies, altera, quæ ex compoſitione, & mutua quarundam rerum vnione miras quaſdam res producit; vt ſi quis mixturam faciat, quæ ſub aquis ardeat; vel quæ à ſolis radijs accendi poſſit. Altera eſt, quæ per Geometriæ, & Arithmeticæ regulas mira prorſus opera conſtruit: vt columbam, quę in aere volitet; & dicitur Magia Mathematica. legito *Fracaſtorium de Sympathia, & Antipathia, Sirenum lib. 9. cap. 6. Picum in Apologia in Prohemio, & quaſ. 4.*

Magia verò diabolica, quam aliqui vocant veneficam, & maleficā: alij Goetiam, & Thurgiam, eſt, quæ ad prædicta ſcienda, vel facienda confugit ad Dęmones: quia, cum multi vera arte ſint deſtituti; & non poſſint mira prædicta facere, recurrunt ad Dęmones. ex *Pegna 3. par. Comm. 26. Fabro contra Atheos diſp. 1. c. 11. n. 233.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Ars Magica quomodo diuiditur.

Reſpondetur diuidi in Diuinatricem, & Operatricem, vt communitèr notant *Summiſtæ, lege Fabrum aduerſus impios Atheiſtas diſp. 1. cap. 11. num. 233.* Diuinatrix verſatur circa detectionem ſecretorum tàm præteritorum, quàm præſentium, aut futurorum à libero arbitrio pendentium vi Dęmonis factam; multæ autèm ſunt ſpecies huiuſce Magiæ ſecundum diuerſitatem mediorum: ex. gr. ſi detectio occulti nobis fiat in ſomno, diuinatio dicitur per ſomnia.

Si per apparitionem, locutionē, aut reſponſionem alicuius mortui dicitur Necromantia.

Si per Arreptitios dicitur Phythonica.

Si per ſigna apparentia in corporibus terreſtribus, vt in ligno, ferro, lapide, Geomantia.

Si per ſigna in aqua, Hydromantia.

Si in aere, Aeromantia.

Si in igne, Pyromantia,

Si

Si per ſigna in viſceribus animalium immolatorum in Aris Dęmonum dicitur Aruſpicium; Diuinatio autem his medijs fit cum expreſſa Dęmonis inuocatione.

Si per obſeruationem ortus naturalis, & horæ diei dicitur Genethlia.

Si per garritum auium, aut ſternutationem, aut motus hominis dicitur Augurium.

Si per inſpectionem auium, Auſpicium.

Si per verba alicuius hominis præter intentionem prolata, Omen.

Si per lineamenta manus, Chyromantia.

Si per faciem, Phyſiognomia, &c.

Magia Operatrix verſatur circa patrationē mirabilium vi Dæmonum; quæ item multas complectitur ſpecies: ex. gr. Incantationem, Maleficia, Veneficia &c.

Notandum autèm, omnes prædictas artes à Dęmone contra ſalutem hominum inductas eſſe affines, eaſdemque habere colligatas, quāuis facies habeant diuerſas, vt de hæreſibus dicitur. *cap. Excommunicamus 1. & 2. de Hæreticis.*

DIFFICVLTAS II.

Quomodo conueniant, & differant ad inuicem Magia Diuinatrix, & Magia Operatrix.

NOto in primis, quòd huiuſmodi ſolutio pendet ex cognitione finis vtriuſq;.

Noto ſecundò, quòd conueniunt in multis; primò, quia Magus diuinator vult videri magnus in ſcientia abſcondita diuinando: Magus verò operator vult haberi magnus in potentia, patrando mirabilia.

Secundò, quia vtraque Magia ſaltem tacitè Dęmonem inuocat.

Tertiò, quia vtraque comprehenditur ſub Magia generalitèr accepta.

Quartò, vterque Magus Cenſoribus fidei venit denunciandus.

Quintò, quemadmodum Magus Diuinus, quæ Deo ſunt reſeruata, vt ſecreta cordium; nec per ſe, nec per Dęmonem diuinare poteſt iuxtà Pſalmū: *Deus ſolus eſt ſcrutator cordium*: ità Magus mirabilium patrator, nec per ſe, nec per Dęmonem miracula patrare poteſt; nam quidquid Dęmon operatur vires naturæ creatæ non excedit.

Quamuis aſ Dęmon interdū tempore adeò breui opus pręſtet; vt naturæ creatæ videatur impoſſibile: non tamen ità eſt; Vndè notandū, quòd quamuis iſta, vel illa natura, v. g. iſta, vel illa terra indiſpoſita non poſſit tàm breui dierum, vel horarum curſu talem producere fructum: tamen benè diſpoſita, v. g. additis alijs ſuffumentis naturalibus ſibi conuenientibus multò celerius illum producere poteſt, quòd apprimè nouit Dęmon; quo fit, vt res naturalis adiuta videatur operari ſuper naturæ vires: patet ex libro Exodi in productione Serpentum.

Sextò conueniunt, quia tàm Magus abſcōditorum Diuinus, quam Magus mirabilium patrator per Dęmonem non poſſunt tot diuinare, aut operari, quot diuinarent, & operarentur; ſi Dęmon à diuina voluntate deuiando tàm ſcientiæ, quàm potentiæ vſum in multis non perdidiſſet; Vnde ſciendum, quòd quamuis Dęmones ob receſſum à Diuina voluntate non amiſerint ſcientiam, nec potentiam naturalem, in quibus conditi fuerunt: amiſerunt tamen poſſibilitatem illis vtendi pro libito: nō enim poſſunt diuinare totum illud, ad quod ſe extendit eorum cognitio: nec totū illud operari, ad quod eorum potentia naturalis; veh .n. mūdo, ſi omnia, quę intelligūt efficere poſſent, & in hoc ſenſu intelligendum eſt diminutam, alligatamq; eſſe vtramq; eorum facultatem; quare nec Magi Diuini, nec Magi patratores mirabilium tantùm prævalent, quantùm prævalerent; ſi Deus Dęmonum vires nōn diminuiſſet.

Cæterùm differunt Magus Diuinus, & Magus malorum patrator ab inuicem; quia Diuinus vult apparere magnus in ſcientia; vt cùm Aleator ex toto faſciculo cartarū vnam euocat, & illa ad eum procedat: Magus verò in potentia: Diuinus vi Dęmonis vult ſcire, quæ naturalitèr non cognoſcit. Magus verò eadem vi procurat patrare, quæ ſunt ſuper humanam potentiam, vt ſi vno capillo vel ſine labore graue pondus attrahat: vel ſi certæ lucernæ accenſo lumine efficiat, vt quotquot adſunt in loco veſtibus ſe nudent, & quæ natura docet tegenda, oculis objiciant.

DIFFICVLTAS III.

An differat Magia Sanctorum ab illa Diſcipulorum Dęmonis; & eſt quærere ſi differant Sanctorum miracula à mirabilibus Diſcipulorū Dęmonis, vz. Maleficorū, vel Maleficarum.

REſpondetur differre, quia illa Sanctorum, licèt interdum nō excedat vires naturę: interdum tamen illas excedit; nam vera miracula ſolummodò virtute Dei fiunt: v. g. cùm datur lumen cæcis; à priuatione enim ad habitum naturalitèr nō datur regreſſus; illa verò Diſcipulorum Dęmonis, aut Maleficorum, vel Maleficarum, nunquam excedunt facultatem, ſeu potentiam Dęmonis, cuius vis non tranſcendit naturæ creatæ potentiam.

Vndè notandum, quod etſi Dęmonis Diſcipuli ipſius vi mira facere poſſint: non tamen poſſunt patrare miracula, velut Dei virtute patrant Diſcipuli Chriſti: Quare obſerua, quòd ad miraculum propriè ſumptum duo neceſſariò requiruntur copulatiuè; primum eſt, vt eius cauſa ignoretur: miraculum .n. eſt nomen, quod ab admiratione venit; admiratio autem tunc fit; quando aliquis effectus manifeſtè producitur, & cauſa ignoratur.

Secundum eſt, quod nullam habeat cauſam naturalem: ſed ſuperet omne poſſe naturæ. ità *D. Auguſ. lib. de Vtilitate credendi cap. 16.* poteſt autem opus excedere potentiam, ſeu vim naturæ tribus modis; primò ratione ſubſtātiæ, vt quòd duo corpora ſint ſimul in eodē loco.

Secundò ratione modi, vt reſuſcitare mortuum,

tium; nam licèt natura poſſit cauſare vitam: tamen non poteſt illam cauſare in mortuo: ſimilitèr licèt natura animali det potentiam videndi, non tamen dat cæco; vtriuſque ratio fortaſsè eſſe poteſt (phyſicè loquendo) quia tunc reperiuntur ſub oppoſita diſpoſitione.

Tertiò, ratione ordinis, vt ſi quis in inſtanti virtute diuina à febre curetur: natura .n. non tranſit ab vno ad aliud extremum ſine medio. Hæc eſt prima ratio diſcernendi miracula Diſcipulorum Chriſti à mirabilibus per diſcipulos Diaboli ipſius vi patratis.

Altera eſt, quia miracula, quæ fiunt à Diſcipulis Chriſti tendunt ad vtilitatem hominum, vti eſt ſanatio languidorum, mundatio leproſorum &c. ſed mirabilia patrata à diſcipulis Demonum in hominum perniciem regularitèr ordinantur: inducunt.n. tẽpeſtates, cauſant ſterilitatẽ, excitant peſtẽ, perimunt greges &c.

Tertia eſt, quia Diſcipuli Chriſti non procedunt ad miracula, quaſi ex habitu; ſed ſolummodo cum ſubeſt eis neceſſaria occaſio: v. g. pro dilatatione Fidei, Religionis amplificatione: diſcipuli verò Diaboli operantur ferè ex habitu, quandocunq; & quotiès volunt, ſi ipſis à Deo permittatur.

Quarta denique differentia ſumitur rationẽ finis, quia finis operum Diſcipulorum Chriſti eſt præciſè Dei laus, ſalusq; animarum: finis verò diſcipulorum Diaboli eſt gloriæ, vel honoris cupiditas, vt ſibi nomen magnorũ aucupent, vti fuit volatus *Simonis Magi*. ità *Alexan. Alenſis 2. par. quaſ. 42. & 43. D. Thom. par. 1. quaſ. 105. & 22 quaſ. 178. Scotus in 1. Sent. q. 2. prologi. Fauentinus aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 11. nu. 255.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Magia Diaboli ſit naturalis.

OPus eſt diſtinctione, vt reſoluatur difficultas. Triplicitèr loqui poſſumus de Magia Diaboli.

Primò reſpectu ipſius Diaboli.

Secundò reſpectu ipſius Magiæ in ſe conſideratæ.

Tertiò reſpectu Malefici illa vtentis.

Si loquamur de ipſa in comparatione ad Diabolum eſt verè naturalis; quia comprahẽditur ſub eius ſcientia, aut potentia naturali; ſi non excedat vires naturæ creatæ.

Si ſecundo modo loquamur de ipſa; ſic etiã dicendũ naturalem eſſe; nam quamuis interdũ excedat vires naturæ iſtius, vel illius loci; non tamen excedit vires naturales ipſius naturæ vniuerſalitèr ſumptæ: v. g. & ſi vis inſita terræ huius Bergomatis territorij ſit producere frumentum ad perfectum non prius menſe Iulij: tamen alibi poterit: v. g. menſe Iunij.

Si verò loquamur de ipſa reſpectu Malefici non eſt naturalis; cum tranſcendat eius facultatem, vt ſuppono; quòd hinc cognoſcitur, cum recurrat ad Dẹmonem: diciturq; diabolica; quia hanc Diabolus hominem per ſe, vel per Magum edocet; dicitur verò ſuperſtitioſa reſpectu diſcipuli illam addiſcentis; cũ reſpectu ipſius non ſit naturalis, nec ſupernaturalis.

Non eſt naturalis, quia tranſcendit eius naturalem cognitionem, nec eſt ſupernaturalis; quia illa non habetur ſupernè à Patre luminũ. Notandum verò eſt eandem operationem, ſeu cognitionem reſpectu vnius exiſtere poſſe Magiam, ideſt tranſcendentem eius potentiã, aut ſcientiam: reſpectu verò alterius nõ; ſi eius potentia, aut cognitio naturalis non excedatur; ſufficit autem, vt in actu tranſcendat potentiam, vel ſcientiam diſcentis, quamuis eius potentia poſſit fieri capax illius ſcientiæ; intellectus enim (teſte Ariſt.) eſt omnia fieri.

DIFFICVLTAS II.

An vtramq; Magiam diuinatricem, & operatricem, ſed naturalem interdum diſcant homines à Demonibus.

REſpondetur affirmatiuè: patet ex Geneſi in Magis, qui citò produxerunt ſerpentes; ex praxi in illis, qui, cum in Scholis nunquã phyloſophiam didicerint; operantur mirabilia; quam cognitionem, cum nec à natura, nec à Deo, nec ab hominibus comparauerint; ſupereſt à Dẹmonibus, vel à Maleficis habuiſſe; quod attendere debent Cõfeſſarij; talitèr autẽ addiſcentes multis ex cauſis mortalitèr peccant.

Primò ratione contagioſi conſortij, iuxta illud Scripturæ Sanctæ; *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Secundò ratione ſcandali ex conſuetudinẽ cum Dẹmonibus, vel Maleficis prouenientis.

Tertiò ratione infamiæ, quam contrahunt, *Tol. tract. 7. de Septem pecc. mort. c. 22.* & proindè patet, quòd Magia naturalis interdum habetur à Dẹmonibus, vel à Maleficis; Quare Iudices non facilè credere debent patrantibus mirabilia pauciſſimis nota; niſi prius cognouerint, à quibus illam habuerint.

Confeſſariorum item partes erunt interrogare pœnitentes Magos; qui phyloſophiæ naturali operam non dederunt; vndè ſibi illam comparauerint; cum nec à doctiſſimo, & perſpicaciſſimo Phyloſopho ſine magno labore ſciri queat; & fortaſsè inueniet, quòd latet Anguis in herba.

Notandum verò Magorum diſcipulos ex multiplice fine addiſcere à Dẹmone Magiam, tàm operatricem, quàm diuinatricem, videlicèt, vel ad iactantiam, vel ad lucrum, vel ad nocendum proximo &c.

Nec obſtat, quòd neutra Magia naturalis nihil mali ex natura ſua contineat; quia ob inde non infertur poſſe addiſci à Dẹmone, aut Malefico. Verùm Magus illa ſine peccato vti poteſt; ſi illius vſus non pendeat amplius à Dẹmone, nec ad malum finem vtatur, vt alibi dictum eſt ſupra.

DIFFICVLTAS III.

An Magi virtute inſtrumentorum vz. verborum, figurarum, orationum, characterum &c. quibus vtuntur in Magijs, diuinent abſcondita.

RESpondetur negatiuè: quia ab his inſtrumentis abſconditorum ſecreta non poſſunt prouenire: neque dictis inſtrumentis cogunt Diabolum ad ſibi parendum: quia non habet homo per ſe, vel per illa inſtrumenta, aut actiones, vel ceremonias &c. poteſtatem ligandi Diabolum, & eum cogendi: ſed omnia illa efficit Dęmon per ſe, & ſpontè ex pacto inito explicitè, vel implicitè cum ipſo Mago. patet ex *Diuo Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 23. & ex Gratiano 26. quæſ. 5. & l. Multi, C. de Maleſ. & Mathem.* faciunt notata per *Fabrum aduerſus impios Atheiſtas diſp. 1. cap. 11. nu. 246.* Idipſum, & ob eandem rationem dicendum eſt de Mago malorum Patratore: nam vbi eadem ratio, ibi idem iudicium.

DISTINCTIO SECVNDA.

De Magia Diuinatrice in generali.

Notandum autem diſtinctionem iſtam diſtingui à præcedenti; quia licèt vtraque ſit de Magia in genere: tamen præcedens tradit communia vtrique Magiæ, s. diuinatrici, & effectrici; præſens autem docet tantum communia Magiæ diuinatrici, vt plurimùm.

De huiuſmodi Magia in genere pauca dicenda ſunt, vt diutius poſteà in ſpeciebus eius immoremur: diuidemus autem hanc diſtinctionem in quatuor articulos.

In primo demonſtratur, an diuinationis nomen in bonam, vel malam partem accipiatur, & Vtrum ſit licita.

In ſecundo, quomodo diuinatio differat, & conueniat cum vana obſeruantia.

In tertio aſſignantur ſpecies diuinationis, in quibus expreſsè, vel tacitè Dæmon inuocatur.

In quarto ſoluuntur tres difficultates tum Confeſſarijs, tum Pœnitentibus neceſſariæ.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Diuinatiò quid eſt.

RESpondeo diuinationem eſſe prænunciationem futurorum, aut occultorum. ità *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 38. nu. 1.*

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex eſt diuinatio?

RESpondeo, triplicem eſſe, nam alia à Deo dimanat, & dicitur Prophetia. Altera procedit à cauſis, & ſignis naturalibus, & vocitatur naturalis. Alia verò edocetur à Dęmone, aut à Mago, & appellatur Sortilega. *S. Tho. 2. 2. quæſt. 95. art. 1. vbi Raph. de Torre.*

DIFFICVLTAS III.

An diuinatiò in bonam, vel malam partem ſumatur?

RESpondetur, quòd regularitèr in deteriorem ſumitur partem. conſtat ex 1. *quæſ. 1. Can. nunquam diuinatio. Hierony. in cap. 3. Michea. S. Thom. loc. cit. 26. quæſt. 4. Can. igitur genus; & ibidem, quæſt 5. cap. Nec mirum.* Dixi regularitèr; nam communitèr dicta abſtrahit tàm à malo, quàm à bono; cum ad vtrumq; ſit indifferens: faciunt, quæ tradit *Souſa in Aphor. Inq. lib. 1. cap. 38. nu. 2.*

DIFFICVLTAS IV.

An diuinatio naturalis licita ſit.

DE Prophetica diuinatione non quæritur, num licita ſit: quia, cum ſit à Deo, conſtat licitam eſſe, ſed de naturali. Reſpondetur affirmatiuè, patet ex prognoſticis, quæ indies ab Aſtrologis emittuntur in lucem. Hac potiſſimùm vſus eſt Hypocrates. conſtat ex *lib. de Prognoſtitis.* Hac vſus eſt Galenus, claret de diebus Decretorijs, & de Chriſibus; Hac vtuntur Medici diuinando ſanitatem, infirmitatem, & mortem.

Planum eſt etiam de illa, quæ fit ex Cometis, Facellis, Coronis, Lampadibus, Ignibus ardentibus, Stellis, alijsq; ſignis in Cęlo apparentibus.

Manifeſtum eſt ſimilitèr de illa, quæ fit ex garritu, aut volatu auium; cum diuinator prognoſticet præcisè, quæ naturalitèr ſolent aliqua animalia prænunciare; Deus enim inſtinctum aliquorum futurorum animalibus indidit: Vndè Mergi mare linquētes ſignant tempeſtatem futuram. Veſpertiliones longè volantes à domibus deſignant proximam ſerenitatem; & alia huiuſmodi. *Tol. lib. 4. cap. 15. nu. 7. Azor. lib. 9. cap. 11. & alij paſſim.*

Itidem Chiromantia naturalis, quæ eſt pars phyſiognomiæ non eſt omninò reprobanda; ſi intra limites ſe contineat, vtendo s. ſignis, quæ ſunt in manu tanquam effectibus; ex quibus aliquo modo colligi poteſt corporis diſpoſitio, & temperamentum, quibus anima crebrò accomodari ſolet: ità *Suarez de Religione tract. 3. lib. 2. cap. 11. nu. 14. alios citans*, vt notat *Suarez in Sum. lib. 7. ver. Superſtitio.* idem de quibuſdam alijs videbitur infra.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An diuinatio à vana obſeruantia differat, & conueniat.

RESpondetur diuinationem à Vana obſeruantia differre; quia Vana obſeruantia regularitèr ordinatur ad præcauendum malum, vt patet ex ſuis ſpeciebus: dico regularitèr, quia ſi interdum faciat ad ſcien-

ſciendum occulta, eſt per accidens; & tunc coincidit cum diuinatione: ex effectibus enim cognoſcitur cauſa; at diuinatio per ſe ordinatur ad occultorum, vel futurorũ cognitionẽ.

Pro intelligentia notandum, quatuor eſſe ſpecies vanæ obſeruationis.

Prima eſt ars notoria, qua quis putat abſque labore ſcientiam conſequi poſſe quibuſdam ſuperſtitioſè obſeruatis.

Secunda obſeruatio ſanitatis, qua quis tantum verbis, vel ſignis; aut verbis, & ſignis inſimul credit curare morbos: vt ſiſtere ſanguinẽ narium, mitigare dolorem dentium, &c.

Tertia eſt obſeruatio tàm reliquiarũ, quàm orationum; qua illas deferens firmitèr tenet non poſſe mori in bello; vel in peccato abſq; confeſſione; item non poſſe offendi ab inimicis: nec poſſe cogi à Iudicibus ad fatendum veritatem &c.

Quarta eſt obſeruatio euentuum caſualiũ, qua obſeruator conſtantèr diuinatur tum proſpera, tum aduerſa ſibi futura; & inde ſuas moderatur actiones: ex. gr. quia N. egrediens domo caſu lapide læſus fuit in pede; firmitèr diuinatur, iter fore ſibi infauſtum. legendus eſt *Trullench de Vana obſeruatione in Expoſitione Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 10. nu. 1. 4. 14. D. Thom. 2. 2. quæſt. 96. art. 1. & 2.*

His habitis dico diuinationem conuenire cũ vana obſeruatione in prima, & quarta eius ſpecie. Conuenit cum prima ſcilicet cum arte notoria, quia ſicut diuinatio ordinatur ad cognitionem; ità etiam ars notoria: conuenit etiam cum quarta, quia quemadmodum diuinatio ex vno aliud conijcit; ità vana obſeruatio, vt viſum eſt. Differt verò diuinatio à vana obſeruatione; quia illa ordinatur tantum ad cognitionẽ rei occultæ: vana verò obſeruatio ordinatur etiã ad operationẽ, vt ad medendũ.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Diuinationis ſpecies, in quibus expreſsè, aut tacitè inuocatur Dæmon, quæ?

DIuinationum ſpecies, in quibus Dęmon expreſsè inuocatur, ſunt plures. nempè, Pręſtigium, Somniorum diuinatio, Pythonica, Necromantia, qua adhibitis precationibus, & ſanguine videntur reſuſcitari mortuui, & diuinare ad interrogata reſpondendo. Item Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Pyromantia, Aruſpicium.

Similitèr plures ſunt ſpecies diuinationis, in quibus tacitè ſolùm inuocatur Dęmon. s. Matheſis, quæ ex ſyderibus natiuitatem conſiderat, & diuinat futura. Augurium. Auſpitium. Omen. Chiromantia. Spatulamantia. Sortilegium; quod fit per conſiderationem figurarum ex plombo liquefacto in aquam proiecto, & ſimilibus. ità *Nider de Decem Præc. Decal. cap. 11. nu 1. & 2.* ſpecies diuinationis, quæ hic (data opera) non declarãtur, habẽtur declaratæ in noſtris *Commentarijs ſuper caſ. reſeru. caſ. 12.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An, qui conſulit diuinos; vt aliquid occultum ſibi detegant, ſit denunciandus: & excommunicatus ipſo facto exiſtat.

REſpõdetur affirmatiuè quoad vtramq; particulam. Prima patet, quia cõſulendo Magos vi Dęmonum diuinos, efficitur de hęreſi ſuſpectus; cũ, vt ſic loquar, recurrat ad Deum Accaron, quaſi nõ ſit Deus in Iſrael.

Secunda item particula patet ex *cap. Si quis 26. quæſt. 5* qua ſanè excommunicatione ligatur, etiamſi hæreſim non habeat in intellectu; vt loc. cit. notatur. Verùm nulli reſeruatur, vt aduertit *Tol. lib. 4 cap. 14. nu. 11.*

Dices, Diuinatores alligantes Dęmonem, v. g. in annulo, aut ipſum inuocantes non eſſe excommunicatos, ſcil. ipſo facto, vt docent *Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 26. quæſt. 4. Leſſius lib. 2. cap. 43. dub 5. nu. 29. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 19. nu. 6. Sanchez lib. 2. Oper. moral. cap. 38. nu 91.* & alij apud *Trullench in Expoſ. Decalogi lib. 1. cap. 10. dub. 3. nu. 12.* Ergo neq; Conſulentes diuinos: nam, ſi non de quo magis, nec de quo minus: ſed magis videtur ſubiectos eſſe excommunicationi alligantes Dęmonẽ, aut ipſum inuocantes, quam conſulentes dictos Magos: ſed alligantes Dęmonẽ in annulo, vaſculo &c. nõ ligantur ſm̃ cõmuniorẽ ſenten. ergo neque ligantur conſulentes Diuinos.

Reſpondetur, quòd quamuis tàm reſeruatio, quàm excommunicatio grauioribus criminibus ſolummodo conſueuerit annecti: attamen non eſt regula infallibilis; cum interdum etiam minus grauibus comparatiuè ob rationabiles congruentias addatur; velut contingit in hoc caſu, vbi excommunicantur Conſulentes diuinos, minimè excommunicatis Dęmonem in annulo, vaſculo &c. alligantibus; fortaſsè quia illud exiſtit familiarius, hoc autẽ rarius. Verũ tu attende Extr. dę qua infra.

DIFFICVLTAS II.

An præſumentes abuti rebus ſacris in diuinationibus ſint ipſo facto excommunicati.

REſpondetur affirmatiuè, vt patet ex *Direct. Inquiſ par. 2. quæſ. 43. & ex Extrau. Ioan. 22.* incipit, *Super illius ſpecula*. Verùm *Trullench loc. cit.* notat hanc excommunicationem minimè fuiſſe promulgatã, nec receptam quoad effectum excommunicationis ipſo facto incurrendæ: nec eſſe reſeruatam.

Idem reſoluitur de Inuocantibus Dęmones, offerentibus illis ſacrificia, illos venerantibus: vel cum ęis pacta facientibus. conſtat ex eodem *Direct. loc. cit. & ex eadem Extrau.*

DIFFICVLTAS III.

An diuinatores excuſentur à mortali ob ignorantiam.

NOtandum, quod hic non loquimur de diuinatione naturali, ſed de ſuperſtitioſa.

Reſpondetur diſtinctione; vel diuinatio facta eſt cum expreſſa Dęmonis inuocatione; vel cum ſola tacita; ſi primo modo non excuſantur:

ſantur: quia vix ignorantia inuincibilis in hac re, ſaltèm apud fideles dari poteſt; quis enim ignorat non licere habere commercium cum Dęmone? *Sanchez lib. 2. oper. moral. cap. 38. nu. 17. Martinus Delrius lib. 4. Diſquiſ. Mag. cap. 2. q. 4. Villalobos tract. 34. d. ſſ. 3. num. 9. & 10.* ſi verò facta eſt ſecundo modo ſatis probabile eſt dari poſſe; & ſubindè Diuinatorem excuſari à mortali; ſi in talibus putabat bona fide omnem prorſus abeſſe ſuperſtitionem.

Verùm ille minimè excuſatur; qui priùs monitus, quòd in talibus diuinationibus tacitè inuocatur Dęmon, adhuc perſeuerat. legendus eſt *Trullench in Exp. Dec. lib. 1. cap. 10. dub. 3. nu. 11. Tol. lib. 4. cap. 14. nu. 11.*

Quod dicitur de diuinatione, idem quoq; dicendum de Magia operatrice ſuperſtitioſa; nimirùm, quòd ipſa cum expreſſa Dęmonis inuocatione inuoluit infallibilitèr mortale: cum tacita verò tantùm, interdum excuſari poteſt à mortali; quando videlicet in operatione Magica Magus neſcit tacitè ibi Dęmonem inuocari; ſed hoc intellige præcisè quouſque ab aliquo edoceatur: vel per ſe cognoſcat in illa Dęmonem tacitè inuocari, quod notat *Tol. vbi ſupra.*

Notandum verò generalitèr, quod non ſolum in diuinatione ſuperſtitioſa, ſed etiam in omni alia ſuperſtitione, in qua expreſsè inuocatur Dęmon, inuoluitur mortale peccatum.

Notandum itidem generalitèr, quòd in omni diuinatione ſemper intercedit expreſſa, vel tacita Dęmonis inuocatio; quotiès expectatur effectus, qui nec à Deo, nec à natura rei, neq; ex Eccleſiæ inſtitutione habetur.

DIFFICVLTAS IV.

An in Confeſſione opus ſit exprimere rem, per quam quis diuinauit.

Reſpondēt negatiuè aliqui DD. quos infra referam, aſſerentes nō eſſe neceſſarium manifeſtare Confeſſario rem, per quam facta eſt diuinatio: v. g. an facta fuerit per ſigna diabolica in terra, aqua, aere, vel in igne &c. apparentia: quorum ratio eſt; quia diuerſitas rei per quam fit diuinatio non mutat Confeſſarij iudicium; nec diuerſam conſtituit malitiæ ſpeciem; accidentariumq; eſt ipſi diuinationi potiùs in vna, quàm in alia re fieri. *Suarez t. 3. de Relig. lib. 2. de Superſtitione cap. 9. & 10. Reginal. lib. 17. nu. 165. & 169. Azor. par. 1. lib. 9. cap. 12. quæſt. 3. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 14.* & doctiſſimè *Henriquez lib. 5. cap. 5. nu. 3. Bonac. de Sac. diſput. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. nu. 5. & alij.*

Dices Geomantiam eſſe alterius ſpeciei ab Hydromantia, & Aeromantia, & ſic de alijs: ergo ſunt diſtinctæ ſpecie. Reſpondeo eſſe quidem ſpecie diſtinctas materialitèr .s. quo ad diuerſitatem rei, in qua apparent ſigna: non tamen ſpecie eſſe diſtinctas formalitèr, vz. quo ad malitiam. lege infra *diſt. 4. art. 2.*

DISTINCTIO TERTIA.

De Diuinatione per Somnia.

Hanc placet in tres partiri articulos.

In primo dicemus, vndè ſomniorum deriuatio, eorumq; diſcrimen ab inſomnijs &c. in quo etiam conſideratur an ſomnia ſint attendenda.

In ſecundo, quomodo cognoſcantur ſomnia à Deo immiſſa ab his, quæ à Dæmone.

In tertio enodatur, quæ diuinatio per ſomnia ſit licita, quæue illicita.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Somnia vnde?

Circa deriuationem ſomniorum ſatis, ſuperque controuertunt Scientifici. Alij ſentiunt deriuari ex ſpeciebus in anima reconditis, vt Platonici.

Alij ex affectibus, & cogitationibus, vt Macobriſtæ.

Alij ex imaginatiua, vt Auerroiſtæ.

Alij ex conſtellationibus vt Aſtrologi.

Alij ex vaporibus, & h. moribus corporis, vt Medici; qui inter ſe etiam diſſident, volentes aliqui ipſa prouenire ex corporis plenitudine: alij ex inanitate ipſius: alij ex antecedentibus curis, quod notat *B. Greg. 4. lib. Dialogorum cap. 48. Pererius aduerſus ſuperſtitioſas artes lib. 2. circa medium, & alij.* Theologi verò innixi Scripturæ Sacræ dicunt aliqua haberi ex Dei reuelatione; *Gen. 27. Audite ſomnium, quod vidi, inquit Ioſeph*: aliqua ex Dęmonum illuſione cauſari *Eccleſ. 34.* ibi: *Multos errare fecerunt ſomnia*: & de his præcipuè erit ſermo.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Cur ſomnia à Dæmone immiſſa ambigua, & obſcura conſueuerint eſſe.

Reſpondetur, hoc contingere ex altiſſima Dei prouidentia ad deſignandum; quòd Dęmones certam ſcientiam futurorum euentuum à libero arbitrio pendentium habere nequeunt; Vndè, cum ſuperbiſſimi ſint, & nolint cōfiteri, quæ ignorant; nō niſi obſcura, & ambigua ſomnia immittere poſſunt, quæ s. ad diuerſos etiā cōtrarios euentus facilè detorqueri poſſunt; vt quodcunq; eueniat, ſomniū quadrare videatur: vel falſitas adſcribatur inſcitiæ interpretum, vt etiam ſupra lib. 16. dictum fuit de reſponſis Dęmonum.

Cęterùm, quæ ex ſacris litteris nouimus à Deo profecta, vt plurimū diſtinctè, & explicitè tradita fuerunt; cōſtat ex ſomnijs Abimelech, Laban, Ioſeph, Trium Magorum, &c.

Verùm non eſt negandum; quin interdum quædam ſomnia obſcura etiam à Deo immiſſa fuerint; ſed regularitèr non niſi Gentilibus ad finem, vt dictorum ſomniorum intelligen-

tiam, cum eorum interpretationẽ alijs, quam à ſeruis ſuis nequirent habere; ipſos honorarent; claret ex ſõnijs Nabuchodonoſoris, Balthaſaris, Pharaonis, &c.

Si quæ verò ſomnia obſcura aliquando ſeruis Dei immiſſa ſunt; propterea actum eſt; vt ipſi eorũ interptationẽ aſſiduis precibus, multisq; lachrymis à Deo flagitantes; tandem impetrarent; & ob difficultatem impetrandi pluris illam facerent, quàm aliòquin feciſſent; legito *Pererium aduerſus ſuperſtitioſas artes, lib. 2. cap. 6.* qui tres alias reddit rationes, quas breuitati vacans, conſultò omitto.

DIFFICVLTAS II.

Quomodò dignoſci poſſint ſomnia per Dæmones immiſſa, ab illis, quæ ſunt a Deo.

RESpondetur duobus ſignis cognoſci poſſunt ſomniã à Dęmone; primò ex carentia vtilitatis; quia nimirùm eorum cognitio nullam confert vtilitatem illi, cui immittuntur, nec alijs: ſed ſolùm faciunt ad malum; v. g. ad vanam oſtentationem.

Secundò ex obſcænitate, & fœditate eorũ: Dęmon enim conatur impuris ſomnijs fędare dormientium corpora; vt eorum fęditatis ipſos expergefactos quodammodo participes faciat: reddatq; ſegniores ad Diuina: vide *Benedictum Pererium lib. 2. quæſt. 2. circa finem, & Caſſianum 2. 2. Collatione cap. 6.*

Ibidèm duobus ſignis cognoſcere poſſumus diuina ſomnia; primò ex præſtantia rerũ, quæ per ſomnium ſignificantur; vt ſi innoteſcant homini, quæ ſolius Dei munere cognoſci poſſunt, vt futura contingentia, arcana cordium &c. ſed ſumma cum humilitate, accurataq; cautela attendere debet, ne à Dęmone illudatur.

Secundò, ex quadam illuminatione animi, qua Deus ſic mentem illuſtrat: & ſic voluntatem afficit; vt hominem reddat certiorem, ſomnij ipſum auctorem eſſe; hinc *B. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 48. & lib. 8. Moral. cap. 13. apud Pererium vbi infra;* ità proloquitur: *Sancti viri inter illuſiones, atq; reuelationes, ipſas viſionum imagines quodam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant, quid à bono ſpiritu percipiant, & quid ab illuſore patiantur.* Nam, ſi circa hæc homo nõ eſſet cautus, falleretur per deceptorem ſpiritũ; cum interdum vera prædicet; vt demum animam aliqua falſitate illaqueare poſſit.

Quemadmodum igitur naturale mentis noſtræ lumen facit nos euidentèr cernere veritatem primorum principiorum: eamque ſtatim citra vllam argumentationem complecti: ità in ſomnijs à Deo immiſſis lumen diuinum animis noſtris effulgens ſic proficit; vt ea ſomnia vera, ac diuina eſſe intelligamus: certòque credamus. vide *Pererium aduerſus ſuperſtitioſas artes loc. cit. quæſt. 3. circa principium.*

DIFFICVLTAS III.

Cur Deus in ſomnis potius, quàm in vigilia reuelat futura.

REſpondet *S. Bonau. in 2. diſt. 25. quæſt. vltima.* Primò, quia anima in vigilia reperitur curis diſtracta circa exteriora; & proindè reuelationibus minus apta: E contra verò in quiete ſomni vires ſuas collectas habens ſibi tota eſt præſens.

Secundò, quia homo in ſomnis magis agitur, quàm agat; & ità in reuelatione plus ſe habet per modum ſuſcipientis, quàm agentis.

Tertiò, quia, cũ *Exodi 33.* ſcriptũ ſit: *Nõ videbit me homo, et viuet;* vt verificetur dicta ſcriptura (de lege communi loquendo) non poteſt homo Deum videre: nec eius reuelationes habere, niſi quando ſic abſtractus eſt à ſenſibus; vt quaſi dicatur non viuere ſecundùm vſum exteriorem ſenſuum: cum homo dormiens ſit medius inter mortuum, & viuentum. ità *Binsfel. Comment. de Malef. & Mathem. lib. 3. ibi dubium. citans D. Greg.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An ſomnia ſint approbanda, vel reprobanda.

CIcero in ſecundo de Diuinatione ſimul cum Stoicis, & Pythagora ſentit omnia ſomnia eſſe vera: Epicurei vnà cũ Zenofane putant omnia eſſe vana: Mihi verò probatur nec omnia eſſe reprobanda; nec itẽ omnia approbanda; Cum ſomniorum vnum non ſit genus, nec vna ratio tantùm; vndè alia ſunt deridenda, vt inania, vtpotè ex inſomnio deriuantia: alia attendenda, vt naturalia: alia amplectenda, vt Diuina: alia demum reprobanda, vt diabolica.

DIFFICVLTAS II.

An diuinatio per ſomnia ſit licita.

NOtandum duplicem eſſe cauſam ſomniorum, vz. corporalem, & ſpiritualem. Spiritualis dicitur, quando eſt ab Angelo bono, vel malo. Corporalis verò dicitur, quæ procedit ex diſpoſitione corporis ipſius dormientis: vel aeris, aut corporum cęleſtium.

Dicitur itèm corporalis; quia ex interiori corporis diſpoſitione formatur aliquis motus in phantaſia illi diſpoſitioni conueniens: ex. gr. homo, in quo abundat humor frigidus ſomniatur, quod ſit in aqua, vel in niue &c. hinc *Ariſt. de Somno, & vigilia,* ait, *Si ſomnia ſint ex his, ex quibus componimur; tunc ſunt ſigna ſanitatis, vel infirmitatis ſecundùm eorum differentias: vt, ſi quis ſomniet de igneis v. g. aliquem occidere, vel vulnerare, vel cum aliquo rixari &c.* ſignum eſt, quod prædominatur in eo cholera.

Si de aereis: v. g. quòd volitet per aerem, ſignum eſt, quòd prædominatur ei humor ſanguineus.

Si de aqueis; vt quod pluuat, ningat, &c. ſignum eſt, quòd prædominatur ei humor phlegmaticus.

Si ſomniet de terrenis, vt de mortuis; ſignũ eſt prædominationis humoris melancholici; & his ſomnijs non parùm iuuantur Medici ad dignoſcendam corporis diſpoſitionem, hac vſus eſt Hypocrates, Galenus, &c.

Dicitur

Dicitur itidem corporalis; quando phantaſia dormientis mouetur ab aere ipſum circundante: vel ab impreſſione corporum cęleſtiũ, cum appareāt illi phantaſmata diſpoſitioni ipſorum corporum conformia: ex. g. ſomniatur quis eſſe in aqua, quia aer, vel cœlum eſt in proxima diſpoſitione ad pluuiam influendam.

His præmiſſis reſpondeo diſtinctione. Vti ſomnijs ad diuinandum naturalia iuxtà diſpoſitionē intrinſecam corporis ipſius ſomniantis: vel extrinſecam corporis ambientis, ſcilicèt, aeris, vel cœli influentis non eſt illicita: quia effectus proportionatur cauſæ ſuæ; vndè ſicut ſe habet ad eſſe, ità ad cognoſci. eſt doctrina *Ang. Doctoris 2. 2. quæſt. 95. art. 8. D. Antonini 2. part. tit. 12. cap. 1. §. 8. Sylu. verb. Superſtitio. Barthol. Sybilla cap. 3. pagina mihi 316. Perer. aduerſus ſuperſtitioſas artes lib. 2. quæſt. 7. per totum.*

Cæterùm illicita eſt, ſi quis ex ſomnijs diuinet futura contingentia, vtpotè ea, quæ ſpectant ad liberum actum volũtatis ſomniantis: quia hic effectus adæquatè non proportionatur cauſæ .s. voluntati; quia non eſt determinata ad vnum; ſed manet ſemper libera ad producendum diuerſos, & contrarios actus: quare, ſi quis huiuſmodi futura diuinet: neceſſe eſt, quòd aut ſolum contingentèr diuinet, aut cognoſcat ex pacto cum Diabolo; qui tamen niſi ex coniecturis dicta cognoſcere poteſt.

Si cauſa ſomniorum ſit ſpiritualis, ſcil. ab Angelo Sancto, vel à Dęmone; illa cõſequentèr diuinatio, quæ ortum habuerit ab Angelo Sancto, erit licita. patet *Gen. 40. & Danielis 2.* quemadmodum è contra illa à Dęmone illicità erit; quia procedit ex pacto expreſſo, vel tacito cum Dęmone. de hac dicitur *Leu. 19. Non obſeruetis ſomnia, & Deut. 18. Non inueniatur in te, qui obſeruet ſomnia.* In dubio verò, an reuelatio in ſomnis facta ſit à bono ſpiritu, vel à malo, examinanda eſt reuelatio: recurrendũq; eſt humili corde ad orationem; ac petendum in primis conſilium proborum, doctorumq; virorum &c.

DISTINCTIO QVARTA.

De Magia per Sortes diuinatrice.

Diuiditur hæc diſtinctio in quatuor articulos.

In primo videbitur, quæ diuinatio per Sortes ſit licita, aut illicita.

In ſecundo examinabitur, an illicita diuinatio per Sortes ſit ſubiecta excommunicationi.

In tertio diſſeretur de euulgata ſortitione Sanctorum per ſingulos menſes.

In quarto notantur partes Confeſſariorum circa exceptionem Confeſſionis diuinãtium per Sortes, vel altero modo illicito. Non dicemus in hoc libro de Sortilegijs ad amorem; quia hæc ſpectant ad Magiam effectricem, ſeu operatricem, de qua infra lib. 20. vbi de ſpeciebus Magiæ effectricis. Singula enim proprijs locis ſituanda ſunt, ne contingat confuſio, & grauetur Lector.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An diuinatio per Sortes licita ſit.

ANTE reſponſionem duo veniunt notanda; primum eſt, quòd Sors dicitur, quando aliquid fit ſeriò ab homine, vt conſiderato eius euentu aliquid occultum innoteſcat. *S. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 8. Sylueſ. verbo Superſtitio, Angelus, Armilla. Caiet. & alij verbo Sors.*

Alterum eſt, quòd triplex eſt ſors, nimirùm Diuiſoria, Conſultoria, & Diuinatoria. Diuiſoria fit ad dignoſcendum, cui contingat res indiuidua; ſiue ſit corporalis, vti fuit veſtis Chriſti incõſutilis, ſupra quam ſors miſſa fuit; ſiuè ſpiritualis, vt beneficium Eccleſiaſticũ, vel ēt pęnalis: vt quãdo proiectis taxillis mittũtur ſortes inter duos, vt cognoſcat Iudex, quis iuxtà ſuum decretum ſit liberandus, quiſue pœnę capitali ſubijciendus; cũ non expediat vtrũq; liberare: nec item vtrumque ad mortem condemnare. Conſultoria mittitur, quando vertitur in dubium, quid ſit agendum in caſu graui, vt tempore peſtis quis ex multis apud Epidimia laborantes remanere debeat pro adminiſtratione Sacramentorum. hinc *Barthol. in l. Ita ſtipulationes ff. de Verb. obligat.* ait: *Diuinare nos cogit difficultas contrariorum.* Diuinatoria fit regularitèr ad inquirendum occultum: ver. gr. furtum, ſeu occultum depredatorem. His poſitis.

Reſpondetur, quod tàm ſors Diuiſoria, quã Conſultoria eſt licita: Diuinatoria verò eſt illicita.

Diuiſoria (inquam) eſt licita, ſi in miſſione ſortium ius partium ſit æquale; itaut nulli afferatur præiuditiũ: eaq; non mittatur ſine cauſa, ſed tantùm, quando (conſideratis circunſtantijs rerum, & perſonarum) prudentia ſortitionem dictat. huiuſmodi ſorte contigit Ionæ dimitti in Mare.

Conſultoria itidem eſt licita quibuſdam cõditionibus obſeruatis. Prima, quòd expectetur iudicium à Deo ad eum recurrendo pro cognitione euentus ſortium. Secunda, vt non recurratur ad ipſam ſinè neceſſitate, & reuerentia, aliàs eſſet Deum tentare. Tertia, vt non mittatur prò rebus terrenis, ſed pro pertinentibus ad ſalutem. *26. quæſt. 2. Can. Hi, qui de paginis*

uis Euang. Quarta, vt non mittatur in electionibus Eccleſiaſticorum pro regimine alicuius Eccleſiæ; cum Spiritus Sancti inſpiratione fieri debeant. *Panormitanus, & aly in cap. Eccleſia veſtra de Sortilegys, Can. Non ſtatim. cap. Non ttemplo, 26. quæſt. 2.*

Dices Matthiam ſorte, ſcilicet Conſultoria ad Apoſtolatum èlectum fuiſſe: ergò electio ad regimen Eccleſiæ ſorte Conſultoria fieri poteſt: Reſpondit *Diuus Hieron. ſuper Ioan. cap.* 1. quod fuit priuilegium; priuilegium autem non facit legem communem. 26. *quæſt. 2. cap. Non ſtatim:* Si qui tamen neceſſitate compulſi putant ſortibus exemplo Apoſtolorum Deũ eſſe conſulendum; videant, hoc ipſos Apoſtolos (nõ niſi collecto fratrum cętu, & precibus ad Deum fuſis) egiſſe 26. *quæſt. 2. cap. citato.*

Sors autẽ diuinatoria eſt omninò illicita; tum quia ordinatur ad diuinanda occulta, diuino iudicio reſeruata: v.g. furtum ſecretum: tum quia ſunt damnata. 26. *quæſt. 5. Can. Sortes:* tum præterea, quia per ipſam inquiritur etiam futurum dependens à voluntate noſtra, quæ omnino libera eſt: faciunt tradita per *D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 4. Megalam prim. part. inſt. Peregr. lib. 5. cap. 14. nu. 3.*

DIFFICVLTAS II.

Vtrum licitum ſit vti ſortibus in electione ad ſeculares dignitates.

Reſpondetur affirmatiuè, dummodo obſeruetur, vt prius delectis quibuſdã idoneis; deinde ſors mittatur ad ſciendum ſuper quem illorum cadet: aliàs, ſi abſque vllo delectu fieret; & maximè cum periclitatione boni communis, aut iuſtitiæ: vtpotè quia ſors cadere poſſet in aliquem ineptum, qui damnum Reipublicè afferret; electio culpa non careret. *Panorm. in cap. fine de Sortilegÿs* quod obſeruat *Binsf. Com. in Malef. & Math. lib. 3. de Diuinatione per Sortilegia.*

DIFFICVLTAS III.

Quot modis (generalitèr loquendo) illicitum eſt, aut, licitum vti ſortibus.

Reſpondetur tribus modis illicitum eſſe; primò, quando quis credit actus humanos ad ſortes requiſitos ſubdi ſtellarum diſpoſitioni: actus enim potentiarum animæ rationalis, vt intelligere, velle &c. non recipiunt influentiam è Cœlo, ſicut nec anima (directè loquendo.)

Secundò, ſi expectetur euentus ſortium à Demone.

Tertiò, ſi quis credat fortunam, cui mittuntur ſortes, Deam eſſe: ità *Nider. de Decem Præceptis, 1. cap. 10. nu. 6.*

In quinque verò caſibus licitum eſt.

Primò, in dignitatibus temporalibus conferendis; quia officia ordinãtur ad terrena diſponenda: ſeruatis tamen ſeruandis prout ſupra.

Secundò, in electionibus Eccleſiaſticis, quãdo neceſſitas hoc exigit, adhibita tamen prius reuerentia, imploratoq; Dei auxilio, & facto delectu dignarum perſonarum: quia nihil eſt, quòd magis Eccleſiæ noceat, quam quod indigni aſſumantur ad Eccleſiarum regimen, *cap. Nihil de elect. in 6.* Vndè *D. Auguſt. ad Fortunatum prout ſupra.*

Tertiò, in diuiſione rerum temporalium.

Quartò, in caſu, quod aliquid Domino abũdaret: & duobus extraneis omninò eſſet neceſſarium, quorum neuter alium nec indigentia: nec coniunctione: nec alia attendenda qualitate ſuperaret, conſtat per *D. Auguſt. de Doctrina Christ.*

Quintò, pro lite dirimenda. De huiuſmodi ſortibus dicitur *Prou. 16. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.*

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Sortilegi diabolici ſint ipſo iure excommunicati.

Prænotandum eſt primo, quòd Sortilegi nomen duplicitèr ſumitur, vno modo generalitèr; & ſic ſub ſe continet diuinatores omnes, Magos, Incantatores, Aruſpices, & alios, de quibus per *Zanchinum tract. de Hæreticis, cap. 22. num. 1.* quod aduertit *Farinac. de Hæreſi quæſ. 131. §. 1. nu. 3.* Alio modo ſumitur ſpecialitèr, ſcil. prout eſt quædam ſpecies Magiæ diuinatricis; & hoc modo ſumitur hìc.

Secundò, præſciendum eſt, Sortilegos per miſſionem ſortium: aut inſpectionẽ characterum, ſcripturarum, notarum, diuinare præterita occulta: aut futura à libero arbitrio pendentia. His prænotatis.

Reſp. quòd, quamuis veniant excommunicandi, *cap. 1. & 2. de Sortilegÿs*; nõ ſunt tamen ipſo iure excommunicati. *Far. de Hæreſi quæſt. 192. nu 12. Lelius Zecchius in Summa part. 1. tit. de Fide, cap. 11. nu. 13.* Dices, *Ioan. 22. in Extrau.* incipit *Super illius ſpecula*, quam notat *Direct. Inquiſ. part. 2 quæſt. 43.* generalitèr excommunicare ipſo facto; qui præſumunt in diuinationibus abuti rebus ſacris; aut nefarijs precibus inuocare Dęmones, aut illis offerre ſacrificia, aut eos venerari, aut cum eis impia facta inire; Ergò à fortiori Sortilegi ipſo facto excommunicantur.

Reſpondet *Aegidius Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10 dub. 15. num. 4.* dictam Extrauagantem non eſſe promulgatam, nec receptam quoad effectum excommunicationis ipſo facto incurrendæ, nec alicui reſeruari.

Vrgebis excommunicari ipſo facto (cenſura tamen nemini reſeruata) qui conſulunt Sortilegos diuinos &c. vt notat in primis *Tol. lib. 4. cap. 14. nu. 11. Martinus Delrius Diſquiſ. Magic. lib. 5 ſect. 16.* Ergò à fortiori excommunicantur Sortilegi iuxtà illud vulgatum, *Si de quo minus, & de quo magis.* Reſpondet argumentũ à minori ad maius non ſemper procedere in iure, vti contingit in hoc caſu: nec grauitatem criminis dicendum eſt fore cauſam excommunicationis: nam plura ſunt peccata grauiſſima in genere ſuo: quę tamen non ſubijciuntur excommunicationi.

Verùm

Verùm, ſi Sortilegi errorem habent in intellectu, ſunt ipſo facto excõmunicati in Bulla Cœnæ; quæ ſanè excommunicatio S. Pontif. reſer. Quare Confeſſariorum partes erunt ſedulo Sortilegos examinare; an credant Dęmones poſſe aliquid ipſis detegere abſq; diuina permiſſione, &c. De his inf. lib. 19. ex profeſſo.

DIFFICVLTAS II.

An in Confeſſione Sacram. neceſſe ſit aperire ſpeciem ſortis: vel ſatis ſit confiteri vſum ſortium.

RESpondetur ſatis eſſe confiteri vſum ſortium &c. ità *Trullench loc. cit.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An licita ſit miſſio ſortis Sanctorum ad cognoſcendum quem ex ipſis (ſorte tracta) ſibi in Patronum, & Deuotum pro illo anno, aut menſe contingat ſuſcipere.

RAtio difficultatis eſt, quia ad huiuſmodi ſortium recurſum nulla impellit neceſſitas; cum quiſq; abſq; ſortium emiſſione Sanctum ſibi magis viſum, & ſuæ naturæ, & poſſibilitati cõformẽ eligere queat.

Item, quia ſecurius eſt habere recurſum ad hominem ſcientia, & conſcientia præditum; & præcipuè ad Confeſſarium (detectis ipſi arcanis cordis) quam ad ſortes incertas: Patres namque vitę ſpiritualis concurrunt in hoc vno, nimirùm nil ſecurius, nilq; vtilius eſſe pro conſecutione vitæ ſpiritualis, quam habere in hac maximâ paleſtra Rectorem doctrina, prudentia, & pietate præditum: legendus eſt in primis *S. Vincentius ex familia Prędicatorum de vita ſpirituali comparanda cap. 4. vbi de obedientia.*

Reſp. licitam eſſe huiuſmodi ſortium emiſſionem, nonnullis obſeruatis conditionibus, quarum prima eſt; vt trahens dictam ſortem taliter Sancto in ſortem ſibi contingenti inhęreat; vt non omittat confidentiam, aut deuotionem in patrocinio aliorum.

Secunda, vt detecta conſcientia Patri Spirituali illum conſulat, circa quid potius talem ſuum patronum imitari debeat.

Tertia, attendere opus eſt, quales, & quantæ ſint vires ipſius corporis: & an eius ſtatus ferat, vt Sanctum ſibi contingentem in totum, vel ſolum in parte imitari poſſit; ne numeretur inter illos, qui ſolum tribus, quatuorue diebus viam mandatorum Dei peruolant; ſed poſteà citò redeunt ad priores trãſgreſſiones; contra quos ſcriptum eſt: *Nemo mittens manũ ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno Dei; quinimmo in via Dei non progredi eſt retrogredi.*

Quarta, vt eiuſmodi ſortium emiſſio ſit pręcisè ad excitandum etiam hac via deuotionẽ in Sanctum ſibi contingentem; quemadmodũ multa ſunt in ſingula ad excitandum corporis palatum; ità multa, & varia ad deuotionem excitandam, quòd ſanè congruum eſt; cum nec omnes vno, eodemq; modo excitentur.

Quinta, vt minimè firmitèr teneat ſemper ex ſpeciali Dei diſpoſitione contingere cuiq; hac via, quod ſemper ſibi magis expedit, ſed ſolum interdum.

Sexta, caueat, ne quia tractione ſortium ſibi contingit Sanctus ex ſolemnioribus; ideò exiſtimet ſe etiam cęteris perfectiorem exiſtere: aut è contra, quia obuenit ſibi aliquis ex Sanctis ſimplicibus, aut ſemiduplicibus iuxtà Eccleſiæ ritum; ob inde credat occludi ſibi viam perueniendi ad altiſſimum perfectionis gradum: nam ſemper (teſte Paulo) emulanda ſunt chariſmata meliora. His attentis.

Dicendum eſt hanc emiſſionem ſortium minimè reprobandam, ſed amplectendam, quod ſanè placet multis doctis, & probis viſis, & practicatur in multis Congregationibus.

De origine verò harum euulgatur libellus Mediol. impreſſus apud Io. Petrũ Ramellatũ, qui inſcribitur: *Origine dell'aſſortimento de Santi:* vbi præcipuè notatur dictã inuentionẽ traxiſſe ortũ ex operibus Patris Drexellij ex Societate Ieſu; qui teſtatur olim huiuſmodi ſortium emiſſionem apud familiam Borgiam; & præcipuè apud Franciſcum huius familiæ Gandię Ducem fuiſſe in vſu: vz. vt in honorem Sancti, qui ſortitione ſibi obũenerat quotidiè durante menſe aliquid bonum ageret; eiuſq; orationibus omni affectu ſe commendando. Et fortaſsè hunc vſum à Seraphico Patre Franciſco Minorum Inſtitutore mutuo accepit; nam à principio ſuæ conuerſionis neſciens quam vitæ inſtitutionem ſibi eligere deberet, ad ſortes diuinas recurſum habuit ter aperto miſſali, cõfidens diſpoſitione diuina ſibi obuenturum, quod quærebat, ſicut reipſa contigit; quem vſum aliàs quoq; Spiritu Sancto inſtillante, vt pium eſt credere, obſeruauit.

Verùm, etſi huiuſmodi ſortiũ emiſſio mihi probetur, ſeruatis (vt dixi) ſeruandis: magis tamen mihi probatur, vt Sanctus; vel Sancti, quem, vel quos ſemel elegimus in patronos, & aduocatos; non ſtatim tranſacto menſe dimittamus: ſed potius præcipuè colamus, amore proſequamur, imitemur: & in illorum gratiam in dies aliquam mortificationem ſumamus: nam continua patronorũ variatione amor firmas erga illos non figit radices; quod patet in ſimili reſpectu plantarum ſub terra ſuffoſarũ, quæ, minimè radicantur, nec coaleſcunt, niſi diù perſeuerent firmæ. Dixi ſalua cenſura &c.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ ſunt partes Confeſſariorum excipientium confeſſionem diuinantium per ſortes, vel alium illicitum modum.

IN primis illos admoneat, quòd diuinare non eſt in poteſtate noſtra; vndè annunciare, quæ futura ſunt (loquendo de pendentibus à libro arbitrio) eſt ſolius Dei, vt alibi dictum eſt, *Marianus Socinus in Conſil. 6.* incipit *Tradita conſultatio &c.*

Secundò, illos moneat, quòd diuinatores non ſunt conſulendi, *l. Nemo ubi Salicetus C. de Maleficis, & Mathematicis ſub pena; de qua ſupra in Extrau. Ioann. 22 incipit, Super illius ſpecula.*

Tertiò, illis obijciat grauitatem huiuſmodi cri-

criminis,quæ tanta eſt,vt comparetur homicidæ,& cuilibet criminoſo. In ſpecie autèm illis ſignificet, quòd diuinatio per inſpectionem iecoris animalium prohibita eſt ſub pœna capitis. *l. 3. C. de Sacrificijs Paganorum, & templis.*

Admonitio pro Lectore.

ATtendat hic Lector tractatum de Sortibus, & tractatum de Sortilegijs ad inuicem longè diſtare: primò, nam tractatus de Sortilegijs pertinet ad Magiam malorum patratricem: Iſte autèm pertinet ad Magiam Diuinatricem.

Secundò, ille reſpicit prauam voluntatem peccādi, & alteri nocendi: iſte verò curioſum intellectum ſciendi, quæ ſcire non expedit.

Tertiò, Sortibus diuerſis modis integrum eſt vti,vt ſupra cautum fuit: quod ſecus eſt de Sortilegijs, quæ nullatenus benè fieri poſſunt.

Quartò, & venit in conſequentiam ex tertio;interdum Sortibus vtens non venit denunciandus: quòd aliud dicendum eſt de Sortilegijs vtentibus, vt infra dicetur. Quare longè diuerſæ ſunt ſortes à Sortilegijs.

DISTINCTIO QVINTA.

De Magia diuinatrice ex rebus propemodum intrinſecus homini.

Diſtinguitur autem hæc ſpecies in tres articulos.

In primo dicemus de Magia diuinatrice per phyſiognomiam, metoſcopeam, & vmbilimantiam.

In ſecundo de Magia diuinatrice per Chyromantiam.

In tertio verò de Magia diuinatrice ex motu, voce, & omine.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An ex phyſiognomia membrorum corporis humani liceat diuinare de moribus, & vita: idem ſimilitèr quæritur de Metoſcopea, & Chyromantia.

RAtio difficultatis eſt,quia phyſiognomia quandam diuinationis imaginē induere videtur; cum verſetur circa iudicium morum humanorum, quod notat *Petrus Binsfeldius in Com. de Malef. & Math. q. 4.*

Reſpondetur difficultati, licitū eſſe ex phyſiognomia diuinare de vita, & moribus attentis quatuor conditionibus.

Prima, quòd phyſiognomia nō inducit morum neceſſitatem bonam, vel malam: ſed tantum inclinationem naturæ probabilitèr.

Secunda, quòd ob ſigna externa non illicò iudicandū eſt de alicuius moribus; quia fortè ſignum eſt per accidens, & non per naturam; aut natura ad malum inclinata, iam deuicta eſt per contrariam cōſuetudinem bonam; & frenum rationis naturam cohibentis: Patet de Socrate, qui ex natura ad luxuriam nimium propenſus fuit; ſed adeò naturam euicit ratione,vt caſtiſſimus ab omnibus haberetur.

Tertia, ꝙ ex phyſiognomia non debet quis iudicari circa dona gratuita: quia Deus auctor naturæ non eſt ei alligatus: ſed diſtribuit dona ſua prout vult.

Quarta,ꝙ phyſiognomiç iudiciū non debet extendi ad ea, quæ extrinſecus adueniunt: vt ſunt honor,diuitiæ,mors violenta,fortuna bona, aut mala &c. nec etiam ad ea negocia, aut ſtatus conditiones; quarum electio ex libera voluntate dependet; quoniam huiuſmodi nō ſequuntur naturæ complexionem, aut inclinationem: ſed originem trahunt ex alijs cauſis: Dico itaq; poſſe quemquā ex ſignis membrorum corporis humani prognoſticari de inclinatione naturali: hinc S. Greg. Nazianzenus Athenis conſpiciens Iulianum,antequàm Imperio potiretur; ex ipſius phyſiognomia de eius moribus iudicium tulit, ità exclamando: *Deus bone, quantum malum Romanum fouet Imperium?* quod poſtquam ad Imperium peruenit,cognitum eſt: exitus acta probat *l. Quædam, ff. de Rebus dubijs*: vt videre eſt ex ipſo *Diuo Gregorio in Oratione ſecunda in Iulianum*. In horum etiam confirmationem eſt, quod *Paulus Grillandus lib. 2. de Sort. quæſt. 3. num. 14. cum alijs ex mente Ariſt.* approbat chyromantiam, quæ fit ex lineamentis manuum tanquā ſcientiam naturalem, de qua ſequenti articulo. faciunt tradita ab *Ariſt. Ethi. Ptholomæo in Almegiſto, Pelbar. in Roſar. Theol. par. 2. ver. Corpus humanum*, §. 18.

Quod reſolutum eſt de phyſiognomia, idē reſoluitur de metoſcopea, quæ eſt pars quædam, ſeu ramus phyſiognomiæ: & prognoſticatur per lineas, quæ apparent in fronte: ſicut chyromantia per ſigna manus, &c.

Notandum autèm ſub phyſiognomia generalitèr dicta contineri etiam phyſiognomiā Vmbilicomanticā, quæ eſt diuinatio per Vmbilicum. Per hanc enim prædicunt Obſtetrices,quot partus puerpera ſit in lucem editura conſideratis quibuſdā nodulis vmbilici: Hæc tamen prædictio, cum antecedentèr ſit actus liber, ſuperſtitioſa eſt. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib 1. cap. 51. nu. 11.* Phyſiognomiæ cognitio deſumitur ex omnibus membris humanis inſimul ad differentiam ſuarum ſpecierum; quæ deſumuntur tantum ex ſignis vnius membri, vt dictum eſt.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An qui certò nouit Chyromanticum nullum habere pactum cum Dæmone, teneatur illum denunciare.

RAtio difficultatis eſt, tum quia quamplures Doctores aſſerunt,vt obligatio legis ceſſet, non ſufficere finis legis ceſſa-

ceſſationem in caſu particulari: ſed requiri, vt eius finis adæquatus ceſſet vniuerſalitèr: tùm quia clarè conſtat ex Bulla Sixti V. præcipiente, vt Chyromantici denuncientur.

Not. quod non mouetur hìc difficultas de illo; qui verſatur in dubio, an Chyromanticus habeat pactum cum Dęmone; nam tunc poſſeſſio ſtat pro lege, denunciationem Chyromantici præcipiente; ſed mouetur de illo, qui ob circunſtantias concurrentes certò nouit Chyromanticum nullum habere pactum.

Reſpondetur difficultati negatiuè; primò, quia lex præcipiens denunciationem Chyromanticorum ſupponit ipſos habere pactum cum Dęmone, ſaltèm tacitum.

Secundò, quia, quando lex fundatur in præſumptione, non obligat in conſcientia; ſi præſumptio in caſu particulari deficiat. ità *Homob. de Exam. Eccleſ. par. 1. tract. 5. cap. 8. quæſt. 53. Valerus de differentijs vtriuſq; fori verb. Lex diff. 12. num. 1. Layman in Theol. moral. par. 2. cap. 2. §. 3. num. 4. Suarez ver. Lex. Felin. in cap. 1. de Conſt. verſu fallit 6. & alij*, quos breuitati conſulens omitto. Lex autèm vz. Bulla Sixti V. contra Chyromanticos fundatur in præſumptione, vt teſtatur *Diana tract. de leg. reſol. 27.* Addens hoc notatum fuiſſe per *Valerum de differentijs vtriuſq; fori, verb. Hæreſis diff. 1. n. 4. & per Riccium par. 3. decis. 278. nu. 6.* vndè patet reſponſio ad primam obiectionem; Ad ſecundam verò dicendum eſt; quòd quemadmodum deficiente fine legis apud omnes, manent omnes liberi ad ipſius obſeruatione; ità deficiente apud vnū; ille vnus manebit exemptus. Hanc ſententiam probabilem in foro conſcientiæ putant etiam Auctores, qui contrariam ſequuntur; vt notat *Diana loc. cit. circa principium.*

DIFFICVLTAS II.

An ſit graue peccatum interrogare mulierem Aegiptiam de bona, vel mala fortuna oſtenſa ipſi manu.

Reſp. negatiuè, ſi fiat ex ſola curioſitate, & animo ridendi, vt cum *Nau. Sanchez, & alijs docet Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 7. nu. 4.* ſecùs dicendum, ſi firmitèr ei credatur: aut ſcandalum ſuboriatur: licèt enim ex lineis manus à Chyromāticis naturalibus probabilitèr prædici poſſit corporis diſpoſitio, & aptitudo; ex ipſis tamen non poteſt prædici bona, vel mala fortuna, & alia huiuſmodi: nam hæc contingentia ſunt: nec vllam habent connexionem cum illis lineis manus: ideò meritò ſub hoc modo damnat chyromantiam *Sixtus V. Conſt. 17. apud Laertium tom. 2. Bull. Index Romanus prohibitorius reg. 9. & in Indice librorum prohib.* interdicuntur omnes libri hanc docentes, quod notat *Villalobos par. 2. tract. 38. diff. 3. num. 13. & Trullench loc. cit. & alij apud ipſum. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 51. nu. 10. Arſen. S. Inquiſ. part. 10. admon. 142.* lege quæ ſupra dicta ſunt *lib. 15. de Superſtitionibus vulgarium.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An ex motu hominis, vel ipſius voce diuinare liceat.

Reſpondetur ex motibus humani corporis non ità coniecturam ſumi poſſe ſicut ex cæterorum animalium motibus; eſt enim minor reſpectiuè; ità *Valent. 2. 2. diſp. 6. quæſt. 12. punct. 3. Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 38. nu. 41 Souſa lib. 1. cap. 49. nu. 6.* Ratio eſt; tùm, quia hominis phantaſia plerunq; alijs eſt intenta; cæterorum verò animalium eſt quietior; & ità certiùs, & faciliùs afficiuntur ex mutatione aeris; tùm, quia motus hominis nō ab impreſſione cęleſti: ſed ab ipſius libera voluntate proficiſcuntur; quare ex hoc nihil certi colligi poteſt, à quo neceſſariò pendeat; vndè, ſi ex hoc Magus diuinet effectus liberos, vel cōtingentes, diuinatio pactū includit cum Dęmone, qui tamen nō niſi fortuitò illos cognoſcit: vndè æquiuocè, at obſcurè reſpondere cogitur. ità *S. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 7. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 38. nu. 40. Souſa loc. cit. n. 7.*

Ex hominum voce ſimilitèr quatenus ſignificatiua, nulla poteſt deſumi coniectura effectuum contingentium: quia, cum ſignificet ad placitum, nec proueniat ex vi conſtellationis; ſed ex ratione: ſequitur diuinationem per illā regularitèr eſſe ſuperſtitioſam; dico regularitèr, quia non implicat interdùm per aliquā vocē humanā præter intentionē prolatā aliquid à Deo reuelari, vt notat *Trullench in Expoſ. Decalog. lib. 1. cap. 10. dub. 7. num. 4. Valentia loc. cit. Azor. loco infra citand. cap. 18. Sanchez loc. cit. nu. 43.* Verùm (regularitèr loquendo) ex voce hominis prædicere occulta, vel futura continet pactum cum Dęmone, vt docent cit. Auct. vbi ſupra.

Itidem ſuperſtitioſum, & vanum eſt ex rebus fortuitis homini contingentibus diuinare, quod aliquid felicitèr, vel infelicitèr euenturū ſit: Vndè ſuperſtitioſos iudico, qui ex occurſu quorundam animalium, vel funeris, vel fractione corrigię aliquid boni, vel mali diuinant. *Azor. Summ. tom. 1. lib. 9. cap. 22. quæſt. vnica. Souſa loc. cit. nu. 7. vani vana attendunt.*

DIFFICVLTAS II.

An per omen futura diuinari poſſint.

Omen eſt diuinatio, quæ attendit hominū verba abſq; intentione diuinandi prolata; quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoſcere, *S. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 7.* vbi *Torre diſput. 3.* ponitur exemplum de Romanis quęrentibus locum aptum, vt ibi manerēt, & Ciuitatem ædificarent; qui, cum veniſſent ad locum, vbi nunc eſt Roma; Vexillarius præcedendo fixit vexillum in terra, & præter intentionem ruit in hæc verba, *Stemus, quia hic optimè manebimus;* hoc autem dictum à Romanis pro omine acceptum fuit.

Reſpondetur difficultati duabus propoſitionibus. Prima ex vocibus hominum, quatenus ſignificant, nulla ſumitur coniectura effectuum contingentium; quinimmò ex illis præ-

prædicere, ſeu diuinare ſuperſtitioſum eſt, cōtinetq; pactum cum Dæmone. *Valent. 2. 2. diſp. 6. quæſt. 12. punct. 3. Azor. t. 1. lib. 9. cap. 18. Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 38. nu. 43.*

Secunda, quamuis licitum ſit aliquandò cognitionem expectare à Deo per aliquam vocem humanam præter intentionem dictam; oportet tamen diuinum percipere lumen, aut aut præceptum ad hoc. *S. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 3. ad 3. Caiet. & Valent. ad dict. art. Sanchez vbi ſupra.* Habemus exempla in Sacra Scriptura *Iudicum cap. 7.* legitur Gedeonē, qui in Cathalogo Sanctorum Hebręorum ponitur vndecimus, vt notat *Nider. loc. cit.* viſum fuiſſe omine diuinando ex hoc, quòd ex inſperato audiuit interpretationem cuiuſdam ſomnij: ſed accepit interpretationem, vt à diuina prouidentia ad ſui inſtructionem, ordinatam. Heliezer ſeruum Abrahæ, dicitur *Gen. 24.* itidem diuinaſſe ex omine, ſcil. ex eo, quod audiuit puellam dicentem, ſe pręſto eſſe ad impertiendum illi, ſuiſq; camelis aquam; hinc de illa ità proloquutus fuit; iſta eſt, quam præparauit Dominus filio Domini mei. *Nider. de Dec. Præcep. Prac. 1. num. 44.* Verùm non licet ex ſola credulitate de facili moueri ad opus: *Sanctus Thom. loc. cit. art. 7. ad 3. vbi Caiet. & Val. Sanchez vbi ſupra nu. 43.*

DISTINCTIO SEXTA.

De Magia diuinatrice ex his, quæ extra hominem.

Partitur hæc diſtinctio in quinque articulos.

Primus, ſumitur ex apparitione Cometæ.
Secundus, ex oraculo.
Tertius, ex volatu, aut voce auium.
Quartus, ex cribro, caraffa, punctis &c.
Quintus ſoluit difficultatem emergentem.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An ex Cometæ apparitione ſuperſtitioſum ſit diuinare famem, peſtem, bellum, aliaq; ex his ſequentia.

NOtandum primò Cometam ex duplici cauſa, ſcil. ex natura, & ex diſpoſitione diuina procedere: ignoramus verò ex qua procedat; & item an ex altera tantum, vel ex vtraque inſimul.

Not. ſecundò Cometā ſemper radios ſuos ad illam partem dirigere, ad quam minatur imminentem calamitatem; quare tunc maximè tempus eſt ad cor reuertendi, enixèq; Deū exorandi; vt pro ſua pietate nos exaudire dignetur. *S. Bon. in 2. diſt. 14. quæſt. vlt.*

Nunc ad propoſitum noſtrū reſpondetur, neutro prædictorum modorum ſuperſtitioſū eſſe ex apparitione Cometę prognoſticari prędicta, de quibus difficultas. Non primo modo, quia Cometa ex naturalibus principijs poteſt illa ſignificare: poteſt ſanè naturalitèr deſignare famē proximè futurā: nam gignitur ex multo vapore ſicco, & valido terreſtri, eleuato ex intenſa, & diurna calefactione Solis; & ſic terra exſiccata ob defectum pluuiarum aduritur; itaut nec ſemina, nec alia vegetabilia fructificare poſſint; & proindè cauſatur penuria, & cariſtia.

Denotat ſimilitèr peſtem inſtare; nam vapor ſiccus, craſſus, calidus, & terreſtris, qui eſt materia Cometæ, vt venenum inficit aerem; homines autèm aerem ſic infectum per reſpirationem attrahentes inficiuntur.

Prætereà ſignat prælia, quia tempore Cometæ eſt exceſſiua caliditas in aere diffuſa, quę inflammās ſpiritus naturales in corpore exiſtētes, reddit hominem cholericum; ex cholera autèm excitatur ad iram: ex ira ad vindictam, & ex iſta ad prælia, ex quibus prouenit plerunq; mors magnatum violenta, vt conſtat ex morte Iudæ Machabæi, & fratrum eius; item naturales cauſantur in ipſis ægritudines peracutè; & ex iſtorum morte cauſantur plerunq; dominiorum, ſectarum, legumq; mutationes; vndè non immeritò dicitur Cometam hæc omnia deſignare.

Neque ſecundo modo, nimirùm ex diſpoſitione diuina ſuperſtitioſum eſt dicere Cometam prædicta deſignare; patet primo, quia Cometa non eſt ex aſtris, quæ ab initio mundi facta ſunt in firmamento: neque eſt ex numero Planetarum; ſed diuina iuſſione opportuno tempore conſtituitur ad dicta ſignificanda: lege *Pelbartum in Roſar. Theol. par. 2. ver. Cœlum 4. §. 54.* quæ rurſus diſſoluitur in aerem, vel ignem. patet ex 1. *Meteorologiorum.*

Probatur ſecundò ex Pſalmo *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*: item ex 2. *Machab. cap. 5. & ex 4. Regum cap. 7. Itidem ex Ioſepho lib. 7. de bello Iudaico*, qui ſtellas, & Cometam præceſſiſſe deuaſtationem Ieroſolimorum per Titum, & Veſpaſianum factam. Prætereà conſtat ex *S. Antonino 2. part. tit. 12. cap. 10.* qui tradit diù apparuiſſe Cometam comas nigras habentem: & ſignaſſe mortem Magni Ducis Mediol., qui tunc mortuus eſt. Idem Doctor loco cit. docet tempore Eugenij IV. apparuiſſe Cometam cum crinibus veluti argenteis; & deindè exorta fuiſſe multa bella, & mutationes.

Verùm ſuperſtitioſum foret, ſi quis ex Cometa, quæ immediatè pendent à libero arbitrio, vel à diuina gratia, diuinare vellet: Dixi; immediatè, quia mediatè, hoc eſt ex conſequenti, patet ex dictis: nam ſi Cometa inflammat, & areſacit corpus; conſequentèr animus diſponitur ad rixas, bella, iurgia, quæ de facili oriuntur, niſi liberū arbitrium ſapientèr reſiſtat iuxta ſapientum morem; Sapiens enim dominatur aſtris.

AR-

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
Diuinatio per oracula an ſuperſtitioſa.

Reſpondetur ſuperſtitioſam eſſe, immò Idolatriæ Comitem, mendacem, vanam, ab Eccleſiaq; meritò damnatam; hinc *Euſebius lib. 4. de Præparatione Euangelica cap. 2.* dicit, etiam Peripateticos, Cinicos, & Epicuros contempſiſſe oracula, vtpotè vana, & prorsùs fallacia. Idem in *cap. 1.* habet omnia oracula apud antiquos reperta fuiſſe falſa, & fortuitò cōtigiſſe; vt vera pronunciauerint, ſcil. reſpectu futurorum à libero arbitrio, vel à diuina gratia dependentium. Idem *lib. 6. cap. 4.* notat *ex relatione Porphyrij in lib. de Oraculis:* Hinc *Cælius Calcagninus in tractatu de Oraculis* refert Apollinem ſæpè reſpondiſſe hoc verſu: *Quid fruſtrà petitis? non noſtrum eſt ſcire futura: Stultus eſt, qui ab ignaro diſcere contendit.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
An diuinatio per augurium, aut auſpicium omninò ſit illicita.

Ratio difficultatis, quia Ioſeph Sanctus *Gen. 44* dixit fratribus ſuis, quod apprimè callebat ſcientiam augurandi: *An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?*

Not. Augurium, ideſt quaſi auigerium, vel auium garria dici: vndè augures ſunt; qui volatus, & voces auium intendunt: Auſpicium ítèm eſt reſpectu volatus, & vocum auium; hinc duo ſunt itidem genera auſpiciorum, vnū ad oculos, alterum ad aures pertinens; ad oculos, .s. volatus, ſeu iter: ad aures verò vox auiū.

Difficultati reſpondetur à DD. duabus propoſitionibus: Prima, licet ex garritu, & item ex motu auium prædicere futura, quæ pendent ex inſtinctu naturali auium: ratio eſt, quia brutorum anima ſubiacet diſpoſitioni corporum cōtinentium, maximè cœleſtium; quare nihil prohibet eorum voces, & volatus eſſe futurorum ſigna; cum cōformentur diſpoſitionibus corporum cœleſtium, & aeris continentis; ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus: ex. gr. Corui frequentèr crocitādo indicant futuram pluuiam, hyrundines ex partibus noſtris fugiendo indicant proximum hyemem, ſicut è cōtra aduentātes deſignant approximationē æſtatis. Mihi tamen probatur, quod potiùs deſignent præſentia, quàm futura: v. g. cœleſtē influxum exiſtentem, ex. gr. humiditatem; ex quib⁹ nos elicim⁹ futura. *Vair. de Faſc. lib. 2. c. 4.*

Secunda propoſitio ex motibus, aut garritu auium prędicere futura, quæ non pendent ex eorum inſtinctu naturali, illicitum eſt; quia horum prædictio prouenire non poteſt, niſi ex pacto cum Demonibus; qui vtuntur motibus, & vocibus auium ad deceptionem illorum, qui talibus vacant.

Quæ autèm dicta ſunt de motibus, & vocibus auium, quantum ad futurorum præſagia; eadem locum habent in cœteris animalibus ratione carētibus, quia ſimiliū ſimilis eſt ratio.

Nec reſolutioni obſtat obiectio de Ioſeph Sancto; quia tantummodo augurabat modo licito: verùm, ſi obiſtas, quòd diuinabat mediāte ſcypho, quod ei non licebat: *ſcyphū, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.*

Reſpondet *D. Auguſt. in quæſt. ſuper Gen. cap. 145. Ioſeph locutum fuiſſe iocò, & non ſeriò, referens hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur.* Hanc autèm reſponſionem *S. Thom 2. 2. q 95. art. 7. ad 1. & reliqui DD. amplectuntur*, quod notat *Binsf. Com. in Maleſ. & Math. lib. 3. quæſt. 1. in fine.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.
An diuinatio ex cribro, caraffa, punctis ſit licita.

Reſpond. omnes, & ſingulos diuinos ex ſigno à Dęmone petito in re ſibi magis viſa abſq; diſtinctione vlla, quidquid diuinent, ſiuè naturalem inclinationem, ſiuè à voluntate pēdens illicitè diuinare, & eſſe ſuperſtitioſos, ac de hæreſi ſuſpectos, & Iudici Fidei denunciandos. Et tales ſunt abſque dubio, qui prædictis inſtrumentis diuinant. Qui ex ſignis in cribro apparentibus diuinant, Coſchinomantici dicuntur. Qui verò diuinant ex ſignis in caraffa aquis plena, in qua proſpicit puer, Gaſtronomantici. Qui autèm diuinant ex ſignis in lineis, aut in punctis in terra formatis, Geomantici: quantùm autèm illicita ſit huiuſmodi diuinatio ſatis colligitur ex *Concil. Prouinc. 1. par. cap. de Magicis artibus cap. 2. de Sortileg. Et Conc. Prou. 4. de Superſtitionibus.*

Eſt ſimilitèr ſuperſtitioſa & illicita diuinatio per annulū .s. p illū quærendo rem occultam: Legenda eſt *Synodus prima Diœceſ. ſub Auguſt. Triolo tit. 2. de Superſtitione, & Arte Mag ca l. 2. C. de Maleficis & Mathematicis*, vbi ars Mathematica, & diuinalis, quod idem eſt, damnata, & interdicta eſt.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.
Cur potius Virginibus, quàm corruptis demonſtrat Dæmon res furto ſublatas.

Reſpond. hoc totum ex Dęmonis malitia prouenire; primò, vt oſtendat ſe nō minus, quàm Deum amare virginitatem; cum tamen illam ſummoperè odio proſequatur, vt notū eſt praxi, exemplis, auctoritatibus, & rationibus, quod ſuperfluum eſt demonſtrare.

Secundò, vt malefici ſub ſpecie boni apparentis decipiantur: nam ipſi faciliùs credunt rem à Virginibus viſam ità ſe habere, vt ipſis demonſtratur: magiſque fideliter ab ipſis viſionem referri, quàm alioquin à malitia, fœditateq; carnis corruptis. faciunt quæ tradit *Cellier. Pariſien de vniuerſo, pa. 2. c. 18. Ioannes Nider. de Dec. Præc. Præc. 1. cap. 11. nu. 5.*

Tertiò, vt fallat, quia ex Scriptura Sacra habemus mundos corde eſſe ad illuminationem ſupernam magis diſpoſitos: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deū videbunt: in malèuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

Ec COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III. LIBER XVIII.

De Magia Aſtronomica, & Aſtrologica, earumq; ſpeciebus, nimirùm de Geneliticâ naturali, & iudiciaria, quarũ vtraq; eſt pars Magiæ diuinatricis: Vndè meritò reuocantur ad ipſam, cui addam de Imaginibus Aſtronomicis: ibiq; colligam aphoriſticè totum omne, quod de Aſtris ſecundum doctrinam in his Commentarijs explicatam, dictum eſt de his Tex. ibi: *O ſi ſian' ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi ſia eſperimento di Magia, &c.*

Notandum primò, quòd liber iſte, licèt denominetur de Magia Aſtronomica, & Aſtrologica tanquàm à cauſa, & à priori, cum denominatio à nobiliori fieri debeat, l. Quæritur, ff. de Statu hominum, c. Quod in dubijs de ſententia, & re iudicata: *tamen non incongruè denominari poſſet etiam de Effectibus Aſtrorum, vtpote præcipuè intentis, ac ordinatis ad eliciendam futurorum cognitionem iuxtà modum infra ponendum: maximè, cum Aſtrorum effectus ſint cauſa finalis proximè à nobis intenta; & ab illa quoque fiat denominatio,* l. Quiſquis, §. Hæc verba, ff. de Vulgari, & pupillari ſubſtitutione: *ſed eſt in priori ſententia permanendum, vtpote in firmiori.*

Notandum ſecundò, quòd licèt hìc agatur de Aſtronomia, & Aſtrologia: non tamen erat agendum de figuris, ſtatuis, annulis &c. Aſtronomicis, quia cum eorum tractatus reſpiciat opus manuum, iure ſpectat ad librum immediatè ſequentem, .ſ. ad Magiam effectricem: omnis .n. tractatus ſuo debet adaptari loco, vt clarior reddatur doctrina: Verùm, vt euitetur confuſio in mente Lectoris, quia dictæ imagines, figuræ, &c. formantur ſub Aſtris, ad hunc librum reuocanda eſt: ideò in fine fit diſtinctio de ipſis: nam quemadmodum oppoſita iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt, l. Vni C. de Caducis tollendis: *ità etiam diſparata, qualia ſunt iſta; & ſic vtrumque capiam, ne error nos capiat.*

Notandum inſuper librum iſtum in quatuor diuidi diſtinctiones.

In prima agitur in generali de Aſtronomia & Aſtrologia.

In ſecunda de Aſtrologia Genelitica naturali.

In tertia de Aſtrologia Iudiciaria.

In quarta de Imaginibus Aſtronomicis, vz. quæ formantur ſub Aſtris.

DISTINCTIO PRIMA.
De Aſtrologia, & Aſtronomia generalitèr.

Secatur hæc diſtinctio in tres articulos, quorum

Primus reſpicit differentiam inter Aſtrologiam, & Aſtronomiam.

Alter oſtendit Aſtrologiam quomodo licitã.

Tertius demonſtrat, an faciliùs ſit diuinari ex ſtellis ſecundis, an ex primis.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Aſtronomia, & Aſtrologia ab inuicem differant.

RATIO difficultatis eſt, quia Aſtronomia, & Aſtrologia, ex quibus denominãtur Aſtronomi, & Aſtrologi ſunt veluti duæ cariſſimæ ſorores, quæ ſimul ſe complectũtur, vnaq; .s. Aſtronomia ad aliam, vz. ad Aſtrologiam ordinatur; & perſæpè à vulgaribus, & minus doctis vna pro alia ſumitur; idcircò meritò mouetur difficultas, an idem iudicium ſit ferendum de vtraq; & videtur primò, quod ſic, iuxtà illud Phyloſophi, de ſimilibus idem eſt iudicium, *l. illud, ff. ad legem Aquiliam.*

Modò deueniendo ad rem dico, quod, quãuis videantur vnũ eſſe Aſtronomia, & Aſtrologia, cum ambæ verſentur circa Aſtra; attamèn, cum alitèr, & alitèr circa illa verſentur, non parùm differunt ab inuicem.

Aſtronomia velut Theorica, ideſt ſpeculatiua agit in vniuerſali de Aſtris, vz. de eorum quantitate, menſura, diſtantia; de eorum ſitu, motu, & curſu; de aſpectibus, de eclypſis, de polis, & hemiſpherijs, de circulis excentricis, & concentricis, de epiciclis, de retrogradationibus, de acceſſibus, & receſſibus, & de alijs ſimilibus ad aſtra, & eorum motus pertinentibus. Cœterùm Aſtrologia, (loquor de naturali) velut practica agit de aſtrorum effectibus, v. g. proprietatibus &c. ex quo apparet Aſtrologiam vtiliorem eſſe Aſtronomia, velut eſt praxis reſpectu theoricæ: & velut finis ipſius aſtronomiæ. Aſtrologia diſcooperit primò tempora ad plantandum, ſeminandum, & ſcindendum apta. Secundò, abundantiam, & caritatem futuram. Tertiò, ventus, tempeſtates, terręmotus, peſtilentias naturales, tàm in hominibus, quàm in iumentis, & alia id generis naturalia. faciunt, quæ habet *Thomas Garzonus in ſua Platea vniuerſali; vbi de Aſtronomis, & Aſtrologis diſcurſu* 39.

DIFFICVLTAS II.
An aliquod interſit diſcrimen inter Stellam, Aſtrum, & Sydus.

RESpondetur affirmatiuè: nam licèt nomina hæc apud Auctores confundantur: vſurpando vnum pro alio: attamèn in rigore ſermonis ad inuicem differunt: tum quia differentia vocabulorum inducit diuerſitatem rerum, & caſuum, *l. Si idem C. de Codicillis*: tum, quia abſque cauſa minimè multiplicantur: vnumquodq; .n. legis verbũ dicitur eſſe cum miniſterio aliquid operandi, *l. 1. ff. de iureiuran.* tum, quia verba debent intelligi, vt de aliquo operentur. *l. Si quando, ff. de Legatis*: tum præthereà, quia nomina debent eſſe conſonantia rebus. *Inſtit. de Donationibus, §. Eſt, & aliud*: tum denique, quia verborum prolixitas à iure reſpuitur, *l. Ampliorem C. de Appellationibus.*

Stella eſt parua reſpectiuè ad plures planetarias, & ità dicitur à ſtando: non quia ſtet immobilis; ſed quia potiùs videtur ſtare, quàm planetariæ; quare Stellæ propriè dicuntur illæ, quæ ſunt in firmamento.

Aſtrum eſt grandis Stella, & clariùs apparet moueri; huiuſmodi autèm ſunt Planetæ; qui ità nominantur ab Auctore, vz. ab Aſtro, Phyloſopho, qui priùs, vt notat *Cathol. con, ver. Aſtrum*, de Aſtris diſſeruit: & ab Aſtro dicitur tàm Aſtrologia, quàm Aſtronomia: inuentor autèm Aſtrologiæ, dictum eſt ſupra quis fuerit: Aſtronomiæ verò nominatur Atlanta, Rex Mauritaniæ, teſte *Plinio lib. 7. Natur. Hiſt. & Polyanthea ver. Aſtrologia.*

Sydus verò eſt collectio plurium Stellarũ, & dicitur à Sedeo: nam plures Stellæ in aliquo Zodiaci ſigno inſimul ſedent; & ità non minus, ac ſtella vocitatur ab actu. faciunt, quæ tradit *Catholicon ver. Stella, ver. Aſtrum, & ver. Sydus.*

DIFFICVLTAS III.
An Aſtrologus differat de Aſtrorum eſſentia.

NOtandum primò, quod Aſtrologus non differit de Aſtrorum eſſentia; ſed de ipſorum motibus, progreſſibus, ac regreſſibus: agit item Aſtrologus de Aſtris planetarijs ſecundùm quod eorum qualitates naturales influunt in corpora tum ſimplicia, tum mixta: naturalis verò conſiderat eorum naturas, vt mobilia ſunt: itèm quis motus eſt ipſis poſſibilis, & quis non. *Auer. 1. Metap.*

DIFFICVLTAS IV.
An Aſtronomi, & Aſtrologi de Fidei religione ſint ſuſpecti.

REſpondetur negatiuè, loquendo de vtriſq; prædicto modo, vt in precedentibus difficultatibus. Non Aſtronomi, quia, cum ipſi differant de Aſtris ſolummodò ſpeculatiuè; non deſcendunt ad concluſiones de Fide, aut de moribus: nec contra iſtas iaciunt fundamẽta, vt ſuppono: nec item Aſtrologi purè naturales; nam iſti, pro vt tales, no prædicunt dependentia à libero arbitrio, aut à diuina gratia: ſed ea, de quibus immediatè anteced. d. ſic. & ſubindè, quatenus tales, Cenſoribus Fidei non veniunt denunciandi.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Aſtrologia licita ſit.

NOT. primò Aſtrologiæ duas eſſe partes: alteram, quæ tradit notitiam corporum cœleſtium, & influentiam eorundem in hæc inferiora: alteram verò, quæ ex Aſtrorum, & corporum cœleſtium inſpectione, & obſeruatione iudicat de his, quæ occurrunt, vel geruntur circa hominem.

Not. ſecundò, varios eſſe effectus, de quibus Aſtrologus ſuum iudicium interponit.

Primò, aliqui ſunt, qui neceſſariam, naturalemq; coniunctionem habent cum ſuis cauſis, vt ſunt Eclypſes, oppoſitiones ſyderum, coniunctiones Planetarum, &c.

Secundò, alij reperiuntur, qui non ſemper; nec neceſſariò à ſuis cauſis dependent; ſed ſolummodò plerunque, vt ſiccitas, pluuia, ſterilitas terræ, peſtis &c.

Tertiò, alij ſunt effectus, qui contingentèr, & fortuitò ex mera, liberaq; hominis voluntate dependent.

Quartò, alij ſunt effectus occulti, & remoti ab humana cognitione, vt furta ſecreta, theſauri in viſceribus terræ deperditi, &c.

Primi effectus liciti ſunt, quia ex ſuis cauſis, à quibus ſemper naturalitèr, & infallibilitèr dependent, cognoſci poſſunt.

Secundi, ſunt itèm liciti, ideſt licitum eſt Aſtrologo de his ferre probabilitèr; ſed non infallibilitèr iudicium, ad differentiam primorum; ratio eſt; tum quia corpora cœleſtia non ſunt tota cauſa talium effectuum; cum ad hos, ſcil. effectus cōcurrant inſimul etiam elementa, & mixta corpora; quæ ſæpè contrarias habent qualitates; quas Aſtrologi interdum, aut nō cognoſcunt, aut nō conſiderant; quod docet *Gabriel in 2. diſt. 14. quæſt. vnica*: tum quia Deus iuxta merita, & demerita hominis, in cuius vſum hæc inferiora miniſterio Angelorum diriguntur; non rarò varias diſpoſitiones immittit iuxta diuinam Scripturam *Pſal. 106. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarū in ſitim, terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea, ideſt prouocatus à malitia hominum: Propter iniuſtitias .n. ſuas humiliati ſunt Pſal. 106.*

De effectibus tertio loco poſitis dicendum eſt Aſtrologum ex inſpectione cœlorum non poſſe itidem iudicium ferre; niſi ex cōſequenti, ſeu mediante influentia cœlorum in corpus humanum: de qua participat anima ratione vnionis cum ipſo: Verùm homo (mediante ratione) paſſiones, ſeu inclinationes moderari poteſt; vti moderantur ſapientes, qui aſtris dominantur: vt in primis notat *Ptolomæus in Almegeſto.*

Effectus quarto loco poſitos per Aſtrologiam cognoſcere eſt omninò illicitum per diuinam Scrip. *Deut. 18. Leu. 19 & 20. & alibi; & per Canones cap. 1 de Sortilegijs & ibidem ex cap. Tuarum*: imponitur pœnitentia Presbytero, eo quod accerſit ad quemdam Aſtrologū, vt inſpectione Aſtrolabij furtum cuiuſdam Eccleſię recuperaret, faciunt notata ab *Arnaldo Albertino de Agnoſcendis aſſertionibus Cathol. & Hæreticis quæſt. 16. nu. 3.*

DIFFICVLTAS II.

Cur vello cognoſcere per Aſtrolabium furtum ſecretum, aut theſaurum abſconditum ſit peccatum:

REſpō affirm. tum quia per naturales ſcientiæ modos non poſſunt cognoſci; tū quia, cum huiuſmodi effectus .s. horum cognitio non dependeat ab aſtris, tanquàm à cauſis ſuis; neceſſarium eſt, ſi cognoſcātur, quòd cognoſcantur cōſilio, aut auxilio Dęmonum, à quorum conſortio pœnitùs cauendum eſt, cum ſint omninò fallaces, ac inimici Dei, & hominis, iuxtà illud *D. Pauli 1. ad Cor. 10. Nolo vos fieri ſocios Dæmoniorū*. Conſentiunt Theologi, Canoniſtæ, & Legis periti, *Sotus de Iuſt. q. 3. art. 2. circa ſolutionem ad tertium, verſu: in his autem: Sanchez lib. 2. Oper. mor. cap. 38. nu. 36. D. Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana*: tum etiam, quia aſtra nō poſſunt imprimere cognitionem in intellectum, nec voluntatem mouere; corporalia enim non agunt in ſpiritualia; & proindè per Aſtrologiam, ideſt per contemplationem Aſtrorum cœleſtium non poſſunt cognoſci furta, aut theſauri ſub terra reconditi, legendus eſt *Arnaldus Albertinus de Agnoſcendis Aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis, quæſ. 16. nu. 2. & 3.*

DIFFICVLTAS III.

An Aſtrologi ex Aſtrolabio, ſeu inſpectione Aſtrorum cœleſtium prælia, v. g. anni immediatè ſubſequentis dignoſcere valeant.

RAtio difficultatis mihi eſt, quia ſępè ſępiùs in facto videmus Aſtrologos ex eorum prognoſticis bella præcipuè anni immediatè ſubſequentis prognoſticare.

Reſpondeo negatiuè, primò, quia, ſi Pręlia ex Aſtrolabio, aut ex inſpectione Aſtrorum cœleſtium cognoſci poſſent; oporteret, vt relucerent in ipſis aſtris tanquàm effectus in ſua cauſa; Aſtra autèm non ſunt cauſa pręliorum, neque immediata, neque mediata: nō immediata; quia illorum cauſa immediata eſt voluntas, vt notum eſt, neque mediata: quia ex probatis in præcedenti difficultate Aſtra nō agunt in potentias rationales; cum corporalia, vtpotè inferiora, non agant in ſpiritualia tanquàm ſuperiora; & ſubindè colligitur, quòd Aſtrologi ex Aſtris non queunt pręlia prędicere (loquendo immediatè, aut mediatè) vt notant cōmunitèr tàm Theologi, quàm Summiſtæ, & inprimis *Arnaldus Albertinus de Agnoſcendis Aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis quæſ. 16. nu. 2.* & faciunt, quæ tradunt *Scotus, & Scotiſtæ 2. Sent. diſt 14 quæſ. fin. Bonau. in 2. diſt. 17. Angelicus Doctor in 2 diſt. 28. quæſ. 1.*

Dixi immediatè, aut mediatè modo dicto; quia remotè nō negamus ex Aſtris: v. g. Marte, Mercurio, Venere, Sole &c. cauſari caliditatem

tatem exceſſiuam, quæ inflãmans ſpiritus vitales, naturales, animales in corpore humano exiſtentes auget humorem colericum, ex colera excitatur ira, ex iſta appetitus vindictæ, & ex iſto à primo ad vltimum pręlia proueniunt.

Idipſum probatur ſecundò, quia ſicut ſe habet res ad eſſe; ità ad cognoſci .i. principia eſſendi; ſunt etiam principia cognoſcendi, vti exponit *D. Bonau.* 1. *Sent. diſt.* 36. *art.* 2. *q.* 2. ſed ex ſupra probatis in præced. difficultate, & cõceſſis tàm à Theologis, quàm à Summiſtis ad eſſe pręliorum Aſtra non concurrunt eſſentialitèr: ità nec ad illorum pręcognitionem.

Tertiò, poſita cauſa ponitur effectus: Vndè poſitis Aſtris exceſſiuam caliditatem in corpora cauſantibus ſemper haberetur pręlium ab omni Principe ſub iſtis exiſtente, quod apparet falſum.

DIFFICVLTAS IV.

An ex Stella, Cometa, caritas, peſtis, mors Magnatorum; ac prælia dignoſci poſſint; vide ſupra lib. 16. diſt. 6. art. 1. diff. vnica.

DIFFICVLTAS V.

Vndè prouenit, quòd Aſtrologi ex conſideratione Aſtrorum frequenter vera pronunciant, etiam in his, quæ pertinent ad humanos actus, & cur vocentur à multis Chaldei.

Reſpondetur, hoc contingere, quia plures hominum paſſiones corporales ſequuntur; ideò actus eorum diſponuntur, vt plurimum ſecundum inclinationem corporum cęleſtium: Pauci autèm ſunt, ideſt ſoli Sapientes, qui ratione huiuſmodi inclinationes moderentur. *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 5. quem ſequitur *Io. Nider. de Decem Prac. Dec. Prac.* 1. *num.* 42.

Aſtrologi verò vocantur à multis Chaldei, eo quòd in Chaldea viguerit præcipuè Aſtrologia.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An facilius ſit diuinare ex Stellis ſecundis, an ex primis.

NOTO in primis, quòd hæc difficultas coincidit cum illa, videlicèt, cui potiùs Aſtrologo ſcilicèt, vel Medico circa complexionem corporis credendum ſit, cum illam vterq; contendat diuinari; alter ex curſu, concurſu, & occurſu Stellarum in eius natiuitate; alter verò ex conſideratione qualitatum cuiuſq; corporis.

Noto ſecundò, quòd primæ Stellæ hoc in loco ſunt Stellæ tàm Planetariæ, quàm fixæ in firmamento; Stellæ verò ſecundæ non ſunt Stellæ; ſed ſunt accidentia in rebus phyſicis apparentia, ex quibus cuiuſq; natura coniecturatur: dicuntur verò Stellæ ſimilitudinariè; quia, ſicut ex illis coniecturatur complexio; ità ex accidentibus (maximè loquendo de proprijs) hæc enim magnam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt rei, ideſt eſſentiam.

His habitis reſpondetur faciliorem eſſe diuinationem ex ſecundis Stellis, quàm ex primis: ratio, quia nobis facilior eſt cognitio ab effectibus, & accidentibus, quàm à cauſis; & in hoc ſenſu accipiendi ſunt Doctores tradentes faciliùs poſſe conijci complexionem ex Stellis ſecundis. *Pelbartus in Roſar. Theol. par.* 2. *ver. Cælum* 4. §. 3. *vbi de primis, & ſecundis Stellis.*

DISTINCTIO SECVNDA.
De Diuinatione ex naturali Aſtrologia.

Diſtinctio hæc in tres partitur articulos.

Primus oſtendit alium alio magis ſyderatum eſſe.

Secundus oſtendit, num ex aſtris alicuius temperamentum, &c. eiusq; propenſiones coniecturari poſſint.

Tertius, ſi Aſtrologus poteſt alicuius infirmitatem futuram prædicere.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An quis plus alio ſit benè, vel malè ſyderatus.

Diſtinctione opus eſt: vel loqmur quoad corpus, vel quoad animã: Si primo modo, cõceditur toto Aſtrologorũ, Medicorũ, & Phyſicorum cõſenſu, vnũ meliorem alio habere quatuor humorũ complexionem; vtpotè illũ, qui humorem humidum, & calidum in æqua proportione habet; quàm illum, qui illos habet improportionalitèr: in debita nanq; temperatura vtriuſq; productior vita conſiſtit; hinc aliqui dicuntur, & de facto ſunt benè complexionati: & aliqui è contra malè; quapropter primi nominantur benè ſyderati: ſecundi verò malè; ſeu, vt vulgus loquitur (ſidrati) Notandum eſt autèm vnum alterum prioritate naturæ antecedere; quia bona ſyderatio pręcedit bonam complexionem, faciunt, quæ tradit *Vairus de Faſcino lib.* 1. *c.* 6.

Cęterùm, ſi loquamur ſecundo modo, nimirùm quo ad animam, ſecus ſentiendum eſt; omnes enim, & ſinguli homines æquè malè, naſcuntur, quia omnes, & ſinguli (teſte D. Paulo) de lege ordinaria, *naſcuntur filij iræ, filij vindictæ, filij gehennæ*: & omnes item ad laborem; *Iob. c.* 7.

Itidèm omnes, & ſinguli æquè benè, quia oẽs naſcuntur ad vitam æternã prędeſtinati ex volũtate Dei antecedentèr; fecit quippè Deus hominem, vt ſummũ bonũ intelligeret, intelligendo amaret, & amãdo frueretur: Dixi antecedẽter; qa illa prędeſtinatio ab ipſo ſolo pẽdet: faciunt tradita à *Seraph. D. in* 3. *Sent. diſt.* 31. *dub. lit.* 3. Nec ſeqr̃ Deũ eſſe partialẽ, eo ꝙ alius cõſequatur vitã æternã, & alius nõ; quia dat oĩb⁹ media: vnde nota alitèr ſe habere ordinando homines ad vitam ęternam, quam Epiſcopus

ordinando ad Sacros, vel non Sacros; aut quã militiarum Dux aſcribendo aliquem in militem; nam, quamuis prædicti ex dicta aſſumptione ordinentur ad Papatum, & ad Regiam dignitatem reſpectiuè; cum ex talibus (vt ſuppono) ſolum eligantur ad dictas dignitates; tamen non omnibus, & ſingulis dantur media pro harum dignitatum conſecutione: quod ſecus facit Deus; qui ordinando ad vitam, & æternam felicitatem, omnibus æquè tribuit ſufficientia media pro illius conſecutione; iuxtà illud: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: legendus eſt *D. Bonau. loc. cit. diſt.* 46. *quaſt.* 1. *D. Thom. lib.* 3. *Sum. contra Gentiles cap.* 92. *Ioan. Nider in Decem Prac. Pracep.* 1. *cap.* 10. *nu.* 39.

Hinc *Ludolphus in vita Chriſti prim. part. c.* 13. de fuga Domini in Aegyptum refert, quòd Herodes timens, ne puerũ, cui ſydera famulabantur, paulò ſupra, vel infra ętatem ſuam transformarent ad eius tempus occultandum; præcepit; vt omnes pueri à bimatu, & infrà occiderentur; hoc (inquam) mandato deſignatur Herodem exiſtimaſſe puerũ natũ benè ſyderatum eſſe, formoſiusq; corpus habuiſſe, quã regulariter talis ætas fert; & ideò inquęrẽdũ in Bethleẽ, & finibus eius in omnibus pueris à bimatu, & infra .i. etiam ſi eſſent vnius diei.

DIFFICVLTAS II.

An integrum ſit dicere aliquam Stellam eſſe bonam, beneuolam, ſalutiferam: vel è contra aliquam eſſe maleuolam, malignam, colericam, melancolicam &c.

Reſpondetur diſtinctione, ſi intelligas aliquam Stellam eſſe talem formalitèr; falſum eſt; cum huiuſmodi qualitates præcisè competant creaturis liberi arbitrij facultate potientibus, vz. hominibus, vti obſeruat *Pelbartus in Roſar. Theol. par.* 2. *ver. Cœlum* 4 §. 46.

Similitèr, cùm dicimus aliquam Stellam frigidam, vel calidam, humidam, ſiccamue, nõ eſt imaginandum dictam Stellam formalitèr talem exiſtere; ſed tantummodò eſſe virtualitèr talem; quatenus .s. influit in corpora caliditatẽ, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem.

Dixi in corpora, vt intelligas Stellas cuiuſcunque generis ſiue fixas, ſiue erraticas nullatenus in animam rationalem influere poſſe; nam influentia eſt ſuperiorum corporum reſpectu inferiorum, cuiuſmodi non eſt Stella reſpectu animæ intellectiuæ. legito *Pelbartum loc. cit. concordantq; Theologi.*

DIFFICVLTAS III.

An homo ex Aſtris, corporeue cœleſti in corpus ſuum ſuſcipere poſſit talem diſpoſitionem, vt ſemper ſibi magis vtilia eligat.

Reſpondetur, quòd quamuis à Deo diſcretionis donũ ſuſcipere poſſit talitèr, vt ex oppoſitis cognoſcat quale per ſingulos dies, & horas ſemper ſibi magis expediat eligere. Ex Aſtris verò, corporeue cœleſti minimè ſuſcipere poteſt diſpoſitionem talem; cum Aſtra non niſi ad vnum oppoſitorum genus inclinent: iuxtà illud commune Phyloſophorum axioma: natura ad vnum ordinatur: quòd adeò verum eſſe cenſeo, vt ſi aliquando contingat oppoſitum, hoc eſt per accidens obueniat; ens autem per accidens non habet cauſam, ſcilicèt naturalem, qualis eſt virtus cœlorum; & ſæpè, quod videtur natura, eſt potius defectus naturæ: v. g. homo laboribus omninò inclinatus, ſi quieſcat, contingit, vel quia natura ſuccumbit ſomno: vel quia ordinat quietem ad laborem: & vbi vnum propter aliud, ibi tantum vnum *l. fin. ff. pro Donationibus*. faciunt tradita per *D. Thom. lib.* 3. *Sum. contra Gentiles cap.* 92. quod notat *Nider de Decem Prac. cap.* 11. *nu.* 40. *& alij.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An licitum ſit ex Aſtrorum aſpectu attento puncto natiuitatis hominis alicuius coniecturare temperamentum, eiuſdemq; propenſiones.

Reſpondetur licitum eſſe, quia Aſtrologia, quæ eſt vna de ſeptem artibus liberalibus, eſt verè ſcientia: & ad id ſe extendere poteſt indirectè, & per quandam redundantiam corporis mouentis humanam mentem, vt docet *D. Thom. de veritate, quaſt.* 5. *art. vltimo: &* 3. *contra Gentes*, quem ſequitur *Cæſar Carena in tract. de Off. S. Inquiſ. part.* 2. *tit.* 12. *nu.* 82. homo autem, vt plurimum ſequitur inclinationes naturales, quæ ſunt motus appetitus ſenſitiui; Verùm huiuſmodi coniecturatio eſt præcisè quędam ſuſpicio, vel, vt ait *Raphael de la Torre* 2. 2. *tom.* 2. *quaſt.* 95. *art.* 5. *diſp.* 1. *aſſertione ſeptima circa finem*, vix nomen coniecturæ meretur. Legendus eſt *D. Thom.* 1. *part. quaſt.* 115. *art.* 4. *per totum. Armilla verb. Aſtrologia nu.* 2. *&* 3. Ratio eſt, quia Aſtra in corpus humanum, & in illius humores directè agunt. *D. Thom. contra Gentes cap.* 84. *&* 85. *Conimb. lib.* 2. *de Cœlo, & Mundo cap.* 3. *quaſt.* 9. *art.* 2. *concl.* 2. Similitèr coniecturari poteſt temperamentum Patris: quia, ſi ex dicto aſpectu, ſeu figura Cœli filius appareret fortis, robuſtus &c. coniecturamus Patrem quoq; eius talium conditionum extitiſſe, ſcil. fortem, & robuſtum, iuxtà illud Horatij: *Nec imbellem feroces &c.* qualis filius, talis pater: ex vngue Leonem.

DIFFICVLTAS II.

An dicta coniecturatio ſit incerta.

Reſpondetur affirmatiuè; quia hominis temperamentum; & ſubindè eius naturales propenſiones à multis cauſis, vz. nedum cęleſtibus; ſed etiam inferioribus: nec ſolum ab efficientibus; ſed etiam à materialibus impediri poſſunt: quinimmò res generanda magis ſequitur diſpoſitionem materiæ, ſeu qualitatem, & naturam ſeminis parentum .i. efficaciam agentis proximi; quam influentias corporum cœleſtium.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

An res generandæ ex alijs cauſis, quàm ab Aſtris diuariari poſſit.

R Eſpondetur affirmatiuè .s. ex varia educatione, ex ventis, vaporibus, æſtu, frigore, regione, aere, &c. vndè facilè actio ſyderum variabitur: varia enim affectio medij mutat actiones cauſarum; Vndè conſtat geminos ſimul editos ſępè diuerſiſſimos habuiſſe fines, & euentus; quia ſumpſerunt diuerſa media: iuxtà Prou. ex medio finem: *Dimmi la compagnia tenerai, ch'io ti dirò il fine, che farai*. patet in Eſau, & Iacob. *Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 43. dub. 6. num. 32. Suarius de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 2. cap. 15. nu. 8.*

DIFFICVLTAS IV.

An ad temperamentum prolis conferat potius conceptio, vel natiuitas.

R Eſpondetur potiùs conferre conceptionem; nam in ipſa formatur corpus, & cõſequentèr eius temperamentum; in natiuitate autem eſt idem, quod erat in vtero; ſed Aſtrologi Genalitici ſolum obſeruant punctum natiuitatis; non autem conceptionis; ideò incerta talis cognitio, quod not. *Fil. tract. 24 de vitijs oppoſitis religioni cap 4 quæſt. 2. num. 82.* Quare falſum penitus cenſeo dictum *Huſtadi de Cęlo, & Mundo diſput. 2. ſect. 6. §. 70.* nempè Aſtrologos certò ſcire diem, vltrà quē aſtrologatus viuere non poteſt. Itidem dictum Bonati; nimirùm, quòd vltra nonageſimum annũ nemo viuere poteſt ob triplicem reuolutionem Saturni: reuoluitur autem Saturnus in ſpatio triginta annorum: tardiusq; quam alij Planetæ ſuũ conficiendo curſum: nam Iupiter illum conficit in 12. annis. Martis in 2. Sol in vno. Luna in 29. Venus in 348. diebus Mercurius 338. Vndè nota, quod iuxtà quantitatē corporis maiorem, vel minorem fit velociùs, aut tardiùs cœli motus. ità ex *tauello de Cęlo, & Mundo cap. 2.*

Itidem iuxtà diuariationem Cœlorum Planetarum, & motuum variantur etiam Angeli motores: ex. gr.

	Lunæ mouet Angelus Gauriel.
	Mercurij Angelus Michaël.
	Veneris Angelus Annael.
Cœlum	Solis Angelus Raphaël.
	Martis Angelus Samael.
	Iouis Angelus Saliel.
	Saturni Angelus Caphiel.

Hęc nómina in primis elicio ex *Theatro Cęli, & Terræ Ioſephi Roſacci.*

Hæc (inquam) ſunt nomina Angelorum, qui mouent, ac gubernant miniſterialiter effectiuè Cœlos Planetarum. Notandum autem ſecundum Franciſcum Maironem, quòd omnia nomina Angelorum Sanctorum terminãtur in el; quòd hebraicè Deum ſignificat, vt notetur beatifica vnio ipſorum cum Deo.

Notandum inſuper, quòd Angeli, qui immediatiùs, & perfectiùs diuinas illuminationes recipiunt, & cooperantur Deo in illuminatione, & deductione aliorum in Deum; dicuntur aſſiſtentes; alij verò, qui illuminantur ab iſtis circa miniſteria ſaluationis hominis; dicuntur miniſtrantes. ità ex *Capuleo ſuper 2. Sen. D. Bonau. diſt. 10. art. 1. quæſt. 2. punc. 5. 6. & 7.*

Notandũ prætereà Hierarchicos actus eſſe tres, nimirùm purgare, illuminare, & perficere; & ſunt à Deo efficientèr, principalitèr, exēplaritèr, & eminentèr: Ab Angelis verò ſuperioribus reſpectu inferiorum diſpoſitiuè tantummodò habentur huiuſmodi actus Hierarchici: purgantur autèm Angeli miniſtrantes à neſcientia; & conſequentèr illuminantur, & perficiuntur. Verùm, quòd vident huiuſmodi Angeli in Aſſiſtentibus, tanquam in ſpeculo imperfecto: vident etiam in verbo, vtpotè in ſpeculo perfecto. ità *Petrus Capuleus loc. cit. art. 2.*

DIFFICVLTAS V.

An Aſtrologus æquali in certitudine prædicat inclinationes pueri, & eius naturale corporis temperamentum.

R Eſpondetur negatiuè; ratio eſt, quia fortior cauſa eſt, quę directè agit: quam quę indirectè tantum, & per accidens; Aſtra autē directè agunt in corpus, & in animam ſolum indirectè.

DIFFICVLTAS VI.

Qualis debeat eſſe prædictio inclinationis.

R Eſpondetur prædictionem huiuſmodi inclinationum debere eſſe vniuerſalem, non autem in indiuiduo: puer enim inclinationem naturalem habebit ad ea, ad quę diſponitur à primis quatuor qualitatibus, aut humoribus. Vndè communitèr Theologi conſentiunt Aſtrologum poſſe dicere puerum: v. g. natum ſub Aſtris ad manſuetudinem inclinantibus fore propenſum ad illam; quia huiuſmodi inclinationes conſequuntur complexionem. Negant tamen Aſtrologum aſſerere poſſe in indiuiduo hunc futurum eſſe talem ratione Aſtrorum in ſua natiuitate: v. g. N. puellam futuram meretricem, ex eo quod Luna coniuncta erat Marti: hoc enim impiũ eſt; ratio eſt, quia quamuis ex Aſtris aliqualem naturalem quis habeat inclinationem ad iſta; eſt tamen in cuiuſq; libertate illi reſiſtere: vt ex communi tenent Theologi, iuxtà illud vulgatum: *Sapiens dominabitur Aſtris, Ptolomeus in Almegiſto*: à Theologis communitèr canonizatum.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Aſtrologus ſano infirmitatem: v. g. ab hinc ad decem annos ei futuram prædicere poſſit.

N OT. primo, non eſt hic difficultas de infirmitate, quæ ex accidenti, vtpotè ex crapula, vel ſimili cauſa prouenit; quia hanc tanquam dependentem potiùs à libero arbitrio, quam ex Aſtris cognoſcere nequit, vt notat *Arriaga in curſu Phyloſophico de Cęlo, diſp. vnica ſect. 6. nu. 66 & Carena in tract. S. Offi-*

S. Officij part. 2. tit. 22. nu. 80. ſed lòquimur de infirmitate, quæ ex aſtris contingere poteſt.

Notandum ſecundò, quòd hic ſuppono Deum permittere ſecundus cauſas ſuos peragere effectus.

Reſponſio eſt affirmatiua, contra *Abul. ad c. 19. Leuitici, quæſt.* 29. cuius ratio eſt, quia puer in puncto natiuitatis ex Aſtris ſortitus eſt tale temperamentũ: Quare Aſtrologus cũ videat directionẽ oppoſitam illius temperamento ab hinc ad 10. annos; poterit illi prędicere, quòd tunc patietur infirmitatem; vndè *Carena loc. cit. nu.* 79. refert Hurtadũ eius diſcipulo prædixiſſe infirmitatem, quę ei pũctualitèr cõtigit tẽpore prædicto. Veruntamèn animaduertant Aſtrologi, quòd (ſtante Conſtitutione Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII.) incipit, *Inſcrutabilis*. edita kalendis Aprilis 1631. non poſſunt ſub pœna excommunicationis ipſo iure incurrenda, & alijs quoque pęnis, iudicium facere de infirmitatibus futuris, & malis directionibus ſcilicèt Summi Pontificis, aut eius conſanguineorum: extenditurque etiam ad illos, qui dicta iudicia in poſterùm apud ſe retinent, vel alicui oſtendunt, aut de his tractant. Militatq; contra iudiciarios Aſtrologos, qui tractant de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ &c. Rationem autem huiuſce Conſtitutionis cenſeo eſſe euitationem ſcandali à Chriſti fidelibus, conſeruationem, & quietem Chriſtianæ Reipublicæ. Dices; Vrbanũ Octauum in prædicta Bulla prohibere nedùm Magiam diuinatricem; ſed etiam tractatus de illius improbatione, ſiue verbis, ſiue ſcripto præſtetur; quomodo igitur tu de illa per extẽſum ſermonẽ habes, ſæpè illam improbando.

Reſpondeo Vrbanum in prædicta Bulla minimè abſolutè, ac plenariè prohibere tractationem diuinationis, vel ipſius impugnationẽ; ſed tantũ prohibere plenariè, & abſolutè partem diuinationis iudiciariam, quam priùs etiã prohibuit Sixtus Quintus in Conſtitutione: Cœli, & Terræ Creator Deus: cui prohibitioni addit, ne Aſtrologi faciant iudicia de ſtatu Reipub. Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu vita Romani Pontificis, aut de eius conſanguineis, vti ſupra dictum: Alijs verò prohibet, ne deſuper prædicta aliquem conſulere præſumant; licèt ab ipſis fieret ratione illam improbandi; ne hac occaſione ab ipſo prohibita tangant: patet ex illis verbis §. 3. 5. qui iudicia, pronoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis.

DISTINCTIO TERTIA.

De Diuinatione, & Aſtrologia Iudiciaria, Genalitica, ſeu Mathematica.

Secatur hæc diſtinctio in tres articulos.

In primo oſtenditur, an Aſtra, Cœliq; ad bonum, aut malum compellant.

In ſecundo diſſeritur de diuinatione ex Aſtris concurrentibus in cuiuſq; natiuitate.

In tertio demonſtratur Aſtrologos iudiciarios eſſe de Fide ſuſpectos, ac denunciandos.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Cœli, eorumuè Aſtra hominem ad bonum, vel malum compellant.

Sciendum eſt Aſtrologorum tres extitiſſe opiniones, quarum duæ ſunt extremæ, alia verò media inter vtramq;. Prima inter extremas fuit Stoicorum, & damnatorum Hæreticorum Priſcillianiſtarum; qui exiſtimarunt, quòd Cœli, Aſtraque nos compellant tàm ab bonum, quàm ad malum; adeò vt nequeamus contra eorum influentiam, aut impulſum operari: vocantq; hanc Cœli virtutem, fatum; contra quos inſurgũt omnes Doctores Catholici, & maximè *D. Auguſt. in 4. lib. de Ciuitate Dei, & D. Thomas in lib. Catholicæ veritatis cap.* 85. doctiſſimè probantes, nullam Cœlorum, aut Aſtrorum influentiam imponere neceſſitatem voluntati humanæ; cũ pluribus modis impediri poſſit, tum à Deo, vt notum eſt: tum ab homine: quia ſapiens dominabitur aſtris: vt docet experientia in his, qui ad cor redeunt: & teſtatur doctiſſimus *Ptolomæus in Almegiſto Aphor. 5. & 8.*

Altera opinio extrema eſt illorum, qui affirmant Cœlos, ſeu Stellas nullum influxum in nos habere, neq; mediatè, nec immediatè, immò Deum nihil agere per ſecundas cauſas; ſed præciſè per ſeipſum omnia operari; quæ ſanè opinio euidentiſſimè improbatur à doctiſſimis Theologis, & potiſſimùm à Doct. Angelico, & à ſubtiliſſimo Doctore locis infra citat. *D. Thomas contra Gentiles lib. 3.* oſtendit, quòd, & ſi Deus quoad ordinationem omnia per ſeipsũ diſponat; quòd tñ quoad executionem regit hæc corpora inferiora per ſuperiora. *Scotus in 2. Sent. diſt. 14. quæſt. 3.* idem comprobat, oſtendens Stellas ex natura operari in corpora noſtra; ex qua operatione anima ad bonum, aut ad malum aliquam habet inclinationem.

Tertia opinio Catholica, & orthodoxa inter prædictas media tenet contra primam opinionem corpora cęleſtia nullam imponere coactionem, ſeu neceſſitatem voluntati noſtræ: contra verò ſecundam affirmat corpora cœleſtia in corpora humana habere influxum; ex quo participatiuè anima aliquam habet inclinationem ad bonum, aut ad malum; quæ tamen inclinatio nullam facit coactionẽ, quod notum eſt. Hæc profectò opinio eſt Catholica; *26. quæſt. 5. ad cap. Non liceat Chriſtianis*; & facit

& facit ad hoc *Gloſſa*: Vndè non reprobatur illa Aſtrologia, quæ docet à corporibus ſuperioribus voluntati noſtræ neceſſitatem non imponi; prętereà illa, quæ præcisè docet Stellas mediatè inclinare, non repellitur ab Eccleſia. Verùm, nec huic Aſtrologiæ nimis intenti eſſe debemus; maximè, quòd apud Catholicos in deſuetudinem abijt, vti notatur 26. *quæſt.* 2. *cap. Sors*. Modò reſpondendo immediatè difficultati; ex præmiſſis ſatis conſtat, quoslibet Aſtrologos primæ, aut ſecundæ opinionis ſectatores tanquàm ſuperſtitioſos, ac de hereſi omninò ſuſpectos eſſe denunciandos: quòd ſecus dicendum eſt de ſequacibus tertiæ opinionis, vt patet ex dictis iuxtà ius vetus: nam iuxtà ius nouum attendenda eſt *Bulla Sixti V. de Aſtrologia iudiciaria*, de qua infrà, quæ nec videtur prædictis obſtare, ſi loquamur de medietate Cœlorum influentia mō dicto: ex qua (mediante corpore humano) aliquā inclinationē participat anima, vide *lib.* 15. *diſt.* 14. *art.* 1.

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Aſtrologia Genalitica ſit attendenda, aut reſpuenda.

GEnalitica Aſtrologia, à qua Aſtrologi Genalitici, eſt illa pars Aſtrologiæ, quę ex hora, aut die natiuitatis cuiuſq; mores diuinat. Hanc Aſtrologiam veteres vocabant Mathematicam: Neoterici verò Iudiciariam.

Reſpondent communitèr tàm Theologi, quàm Canoniſtæ, omnesque ſcientia, & conſcientia præditi, illam eſſe falſam, omninòque ab omnibus reſpuendam; conſtat tum ex natura, tum ex Scriptura Sacra, tum etiam ex DD. ſententia. Patet ex natura. Electo ad ſeminandū die multa grana ſimul in terram proijciūtur, ſimulq; germinant, ſimul herbeſcunt, flaueſcūt; & tamen ſpicas indè coeuas, & (vt ſic dixerim) cōgerminales; alias rubigo interimit, alias aues depopulantur, alias homines euellunt. ità *Auguſt. de Ciuit. Dei lib.* 5. *cap.* 7.

Patet ex Scriptura Sancta in Iacob, & Eſau fratribus, qui licèt vno tempore, eodemq; momento vtrumq; mater fuderit; tamen non vna, nec vtriuſque vita æqualis fuit; ità *Gregorius Papa ex Homilia* 10. *in Euangelia*.

Patet denique ex Doctoribus, & præcipuè ex *D. Ambroſio in Exameron lib.* 4. *cap.* 4. vbi ità proloquitur: *Redempti ſunt Apoſtoli, & congregati ex peccatoribus; non vtiq; ex eorum natiuitatis hora, ſed Chriſti eos ſanctificauit aduentus*. Idē loco cit. *Latro in Crucem damnatus non beneficio ſuæ natiuitatis; ſed Fidei confeſſione ad Paradiſi tranſiuit gaudia*. Idem vbi ſupra. *Ionam non vis natiuitatis, ſed diuinæ præceptionis offenſa præcipitauit in Mare*.

Hanc rationem apprimè cognoſcens Eudoxius auditor Platonis, homo doctiſſimus in Aſtrologia, imò Princeps Aſtrologorum ad mentem Tullij hæc nobis reliquit verba; *Caldęis in prædictione, & in notatione cuiuſque vitæ ex natali die minimè credendum eſt*: ità non eſt credendū concurſum Planetarū, aut aliarum Stellarum diei, aut horæ natiuitatis moribus hominum, aut eorum voluntati aliquam imponere neceſſitatem, aut coactionem; cum ſolummodò aliquam ad ſummum, ſeu (vt veriùs loquar) aliqualem inclinationē mediante corpore afferre poſſint: Quare ſatis imprudentèr, & inſcitè huiuſmodi Aſtrologis creditur; quia, quamuis in generali nouerint corpora cęleſtia influere in noſtra; & proindè ob vnionem ipſorum ad animam; ipſa aliquam participare poſſit inclinationem iuxtà corporum cœleſtium influxus: tamen ob velociſſimum motum ipſorum, qui nunquam ſiſtit; nemò ſcire poteſt in particulari, ſe natum eſſe in tali puncto motus cęli. Vndè ſolummodò in generali dici poteſt; quòd nati ſub tali puncto, conſequentèr talem trahunt participatiuè inclinationem, quam poteſt afferre talis concurſus Planetarum, & Stellarum in illo puncto: Contra huiuſmodi Aſtrologos valet illud Euāgelij: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*.

Verùm ad bonam, aut malam morum compoſitionem mihi potiùs videtur conducere bona filiorum educatio, boni habitus, & præcipuè præclara maiorum exempla; vz. Parentum, Fratrum, Magiſtrorum, & ſociorum, iuxtà illud; *magis mouent exempla, quàm verba*: & iuxtà illud Scripturæ: *Quid communicabit cacabus ad ollam*: & iuxtà illud vulgatum, vz. *Dimmi la compagnia, che terrai, ch'io ti dirò il fine, che farai*.

DIFFICVLTAS II.

An ab Aſtris, à Fato, ſeu à Fortuna bona corporalia, vt domus, Agri, pecunia, &c. proueniant.

RAtio difficultatis mihi eſt, tum quia Ariſtoteles diſtinguens de triplici bonorum genere dicta bona appellat eſſe bona fortunæ, vt videre eſt in primo, & decimo Ethicę. & in ſecundo Politicæ: tum quia Gentiles ponebant Fortunam eſſe Deam, cui vult, & quando vult, diſtribuentem huiuſmodi bona.

Reſpondetur difficultati huiuſmodi bona minimè ab Aſtris, Fato, ſeu Fortuna prouenire: ſed omnia bona cuiuſcunque generis à Deo eſſe: iuxtà illud Eccleſiæ: *Deus, à quo bona cuncta procedunt*: & ſecundum illud Eccleſ. cap. 11. *Bona, & mala, vita & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt*: quæ licèt, vt plurimùm cōtingant nobis (mediantibus ſecundis cauſis) vz. labore, induſtria, amicorum auxilio &c. attamen nihil fit in hac mundi republica; niſi ex voluntate, & ordine Summi Imperatoris Dei, qui eam gubernat: Nihilq; obuenit caſualitèr reſpectu ipſius; ſed omnia, & ſingula ab ipſius omnipotenti manu pendent, & fiūt. hinc benè ſe habet *Capuleus ſuper* 2 *Sent. D. Bonau diſt.* 14. *art.* 2. *quæſt.* 3. *punc* 2. dicens Fatum nil aliud eſſe, niſi diſpoſitio rerum gubernandarum, & conſeruandarum, quæ in mente

diuina

diuina dicitur prouidentia; ſed eadem diſpoſitio in medijs cauſis à Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos in tempore dicitur fatũ.

Nec obſtat reſolutioni dictum Ariſtotelis; quia,cum eſſet gentilis;ignota fuit ei huiuſmodi infallibilis veritas. Idem quoque reſpondendum eſt ponentibus Fortunam, vt Deam, vz. quod allucinati ſunt ratione defectus Fidei Catholicæ; quæ ſola ad cognitionem ſummarum veritatum eleuat; hinc *D. Auguſt. de Ciuit. Dei lib.* 4. *cap.* 18. *& primo Retractat. cap.* 1. in hæc verba, *Non mihi* (inquit ipſe) *placet toties appellare fortunam*: huc confert doctrina *Scoti quolibet.* 2. *ver. Quantum ad primum. S. Bonauen.* 3. *Sent. diſt.* 37. *Albertinus de Agnoſcendis aſſertionibus Catholicis,& Hæreticis, q.*16.*n.*13.*&* 14.

DIFFICVLTAS III.

An ab Aſtris dignitates proueniant.

RAtio dubitandi eſt; tum quia aliqui putant eorum prouectio ad dignitatem adeptã ſibi contigiſſe ex Aſtris fauorabilibus in eorũ concept. aut ortu,habuiſſeq; Solem (vt fertur) in aſcendẽtia:tum,quia aliqui ex antiquis Phyloſophis,& maximè Iuuenalis, vt benè aduertit *Arnaldus Albertinus de Aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis quaſ.* 16. *nu.* 13. loquens cum quodam ſuo amico ruit in hæc verba: *Si fortuna volet, fies de Rethore conſul: ſi volet hæc eadem, fies de conſule Rethor*: intelligens (vt reor) pro fortuna cœlorum aſtra: tum præterea, quia habetur *Oſeæ c.*8. *Regnauerunt,& nõ ex me: Princeps extiterunt,& non cognoui.*

Reſpondetur abſolutè, quòd quæuis dignitas,ſeu Principatus eſt à Deo, & non ab Aſtris: patet ex doctrina D. Pauli: *Omnis poteſtas à Deo eſt*: dicit (Omnis) vt intelligas quamlibet dignitatem ab ipſo eſſe abſque vlla exceptione. hinc *Sapiens Prou. cap.*16. ità proloquitur: *Sortes mittuntur in Sinum,v.g.Buſſola*,vbi colliguntur vota,ſeu ſuffragia concurrentium ad collationem dignitatis, maximè Eccleſiaſticæ; ſed à Domino temperantur: Vndè nõ cecidit Sors ſuper Matthiam caſualitèr Act. 1. ſed ex prouidentia, & Decreto Dei; qui hac via Apoſtolum ſuum eligere voluit.

Vndè attende, quòd interdum contingit, vt idem reſpectu tui fiat caſualitèr, eligendo quẽ fortaſsè non intendebas eligere: ſed reſpectu Dei fiat ex propoſito: ex.gr. in *lib.*1.*Reg. cap.*9. habemus Cis patrem Saulis miſiſſe ipſum Ramatam verſus ad quęrendũ Aſinas:& Deus itèm miſit illuc eundem Saulem,vt vngeretur in Regem à Samuele; iuxtà ipſius verbum, quod pridiè habuerat cum ipſo Samuele: *hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael.* Quòd Saul creatus fuerit Rex in Ramata reſpectu Cis fuit caſualitèr: reſpectu verò Dei, fuit ex propoſito. Nec obſtant reſolutioni rationes in contrariũ obiectæ: non prima de Aſtris; quia, vt ſæpiùs dictum fuit; ipſa non agunt, nec agere poſſunt in animam rationalem; cum corporalia non agant in ſpiritualia, vtpotè inferiora. Non ſecunda, quia Phyloſophis tàm antiquis, quàm Neotericis lumine Fidei Catholicæ carentibus non eſt credendum. Non denique tertia,quia dictum Oſeę intelligitur;quod Deus non concurrit ad peccata, quæ patrarunt tàm electores indignum eligẽdo, quàm electus volendo poteſtatem tàm medijs licitis, quàm illicitis.

DIFFICVLTAS IV.

An ſaltem Aſtris, ſeu ſecundis cauſis iure aſcribere poſſimus mala,quæ ex peccato nobis contingunt.

RAtio difficultatis mihi eſt, tum quia nonnulli,quamuis credant infirmitates,bella, peſtilentias,& alia,quæ contingunt indifferentèr tàm bonis,quàm peccatoribus à Deo eſſe: nõ poſsũt tñ intelligere,quomõ mala, quæ eis ob peccata cõtingunt,ſint ẽt à Deo: tum quia multi ex his,qui exiſtũt in carceribus, triremibus, ſeruitute Paganorum &c. quaſi de ſeipſis deſperantes inculpant ſecundas cauſas, Aſtra .s. ſub quibus nati ſunt.

Reſpř abſolutè dicta mala, quibus afflicti præmuntur; ab Aſtris minimè prouenire, ſed abſolutè eſſe ab illorum voluntate quò ad culpam iuxtà illud *Ioan c.*1. *Sine me factum eſt nihil*: quo verò ad pœnam eſſe à Deo ſecundum illud *Amos cap.*6. *Non eſt malum in Ciuitate, quòd non fecerit Dominus .s. malum pœnæ*: Vndè; quod Iudex N. incarcerauerit, ad triremes condemnauerit &c. non eſt ità ab ipſo, quin priùs, & potiùs à Deo: nam nihil poteſt cauſa ſecunda .s. Iudex, perſecutor &c. ſine prima .s. ſine Deo: quinimmò nec N. valuit patrare malum materiale: v.g. relaxando rotam tormentariam contra inimicum ſuum abſque Dei concurſu: vndè quidquid ſibi obuenit;fuit per prouidam Dei diſpoſitionem, vt ad cor rediret,iuxtà illud: *vexatio dat intellectũ*: mala,quæ nos hìc pręmunt,ad Deum ire compellunt: quare noli incuſare Aſtra, nec alias ſecundas cauſas: omne quippe ens poſitiuũ, quatenus tale, à Deo eſt, vt omnis Theologorum Schola ſuſtinet.

DIFFICVLTAS V.

An ſi ſuperſtitioſa obſeruantia menſis, diei, aut horæ in quibus quis natus eſt.

RAtio difficultatis mihi potiſſimè eſt, quia iam olim euulgabantur libri, ex quibus attento menſe, & die ſui ortus vnuſquiſque dignoſcere poterat qualem quemq; vitam ductũrũ foret: v. g. qualem exercitaturũ artem, qualẽ ſtatũ .s. an Monachalem,vel ſecularem: quales nauigationes ſuſcepturus,quales tribulationes paſſurus, qualia pericula, infirmitates euaſurus,& vt huiuſmodi.

Reſpondetur abſolutè, quòd obſeruantia mẽſium, dierum, aut horarum,in quibus quiſque natus eſt; olet ſuperſtitione, extatq; damnata cum dictis libris: cuius ſuperſtitionis ratio manifeſtè apparet; primò, quia, cum prædicta (vt ſuppono pendeât,vt plurimùm à volũtate; non

non poſſunt colligi ex ſignis zodiaci, ſub quibus quis naſcitur tali menſe: nec ex influxu Planetarum tali diei, aut horæ reſpõdentium; quia corpora cęleſtia non mouent voluntatē, à qua prędicta dependent, iuxtà commune axioma: .s. corporalia non agunt in ſpiritualia: vtpotè dignitate inferiora; hinc videmus experientia quotidiana; natos eodem anno, menſe, eadem die, & hora diuerſam habere inclinationem, diuerſum ſuſcipere ſtatum, varios ſucceſſus ipſis cõtingere; Quare notandũ eſt, quòd corporalia, vti ſunt omnia ſigna Zodiaci, & Planetę (directè, & propriè loquendo) non influunt, niſi corporales qualitates: v. g. Saturnus frigiditatem, & ſiccitatem, Iupiter caliditatem, & humiditatem, & ità de alijs Planetis, & ſignis Zodiaci: nam nemo dat, quod non habet: & nemo in aliud plus transferre poteſt, quàm ipſe habeat: *l. Nemo, ff. de Reg. iuris*: agunt tamen in corpora motu, lumine, & influentia: verùm attende, quod potior eſt vis influentiæ, quàm luminis: quia actio luminis impeditur per corpus opacum interpoſitum, quòd non eſt dicẽdum de influentia: v.g. influentia Solis, & Lunæ penetrat quodlibet opacum interpoſitum. *Ianellus de Meteorologicis lib. 1. vbi de actione Cæli in hæc inferiora.*

DIFFICVLTAS VI.

An ſuperſtitioſum ſit ex Aſtris prædicere effectus ex libero arbitrio pendentes aliqua certitudine euenturos, v. g. matrimonium, inimicitias, liberos &c.

DIſtinguendum eſt de iure veteri, & nouo; Iure veteri prędictio dictorum effectuũ tenuiſſima certitudine .s. coniecturali, nõ erat illicitum, nec prohibitum: & ità ſentire videtur *D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 5. in fine*, vt notat *Candidus loc. inf. cit. dub. 4.* ratio eſſe poteſt: tum quia, vt plurimùm homines ſequuntur paſſiones ſenſitiui appetitus, ad quas cooperari poſſunt corpora cęleſtia: Dixi (tenuiſſima certitudine) quia homines per liberũ arbitriũ paſſionibus ſenſitiuis reſiſtere poſſunt, iuxtà illud Ptolomęi: .s. Sapiens dominatur Aſtris, ſuas ſcil. refręnando paſſiones *D. Thom. p. parte quæſt. 115. art. 4. ad 3. Emanuel Rodriquez Sum. 1. part. cap. 7. nu. 1.*

Ceterùm iure nouo, nempè per Conſtitut. Sixti V, 21. cuius initium eſt: Cęli, & terræ; effectus fortuitos, & caſuales, & futura pendẽtia à libero arbitrio prædici ab Aſtrologis, nec ẽt tenuiſſima certitudine conceditur; probatur primo ex verbis Conſtit. prædictæ: Statuimus, inquit Pontifex, contra facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris cõtingentibus, &c. Nota, etiamſi id non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur. Secundò, quia aſpectus, vel influxus Cœlorum non eſt medium, vel cauſa; ex quibus trahi poſſit aliqua certitudine ſaltem coniecturali talis cognitio. Faciunt *cap. igitur 26. quæſt. 3. cap. Nõ licet, 26. quæſt. 5. cap. Illud, & cap. Sed ad illud, 26. quæſt. 2.* Item Conſtitutio Vrbani VIII. 113. cuius initium inſcrutabilis: & ità cenſent *D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 5. Caiet. ibi*, quos ſequitur *Tolet. Sum. lib. 4. cap. 15. nu. 2.*

Verùm non eſt contra prædicta; per Aſtrologiam prædicere temperamentum, vel inclinationem hominis ad iram, vel ad hæc, vel illa ſtudia; tum quia Cœlum, & influentiæ illius in corpora magnam habent vim: tum quia Conſtitutiones prædictæ tantùm interdicunt prædictionem de futuris contingentibus liberis, & effectibus caſualibus: tũ prætereà, quia illi, qui ab aſtris aliquã trahũt propẽſionem, libero arbitrio illi reſiſtere queũt: hinc Plato à Phyſionomo iudicatus corruptor puerorũ; reſpondit inclinationem ſyderum ſapientia vinci: Iz. .n. Aſtra inclinẽt: nõ tñ faciunt: hæc autẽ, cũ ſint diuerſa; ab vno ad aliud nõ fit illatio. *Candidus diſqu. mor. diſq. 15. dub. 4. Filliu. tract. 24 cap 4. qu. 2. nu. 27. Arnaldus Albertinus de Agnoſcendis Aſſert. Cathol. & Hæreticis quæſt. 16. per totum. Scotus in 2. diſt. 14. quæſ. fin. Bonac. 2. Sen. diſt. 17. &c.* Vndè dictum *Marſil. Fic. lib. 4. c. 36. & Polyanthea, ver. Aſtrologia in fine* .s. Quantum Aſtronomi metiuntur: tantũ Aſtrologi mentiuntur: non multum elongatur à veritate.

DIFFICVLTAS VII.

Bulla Pij V. contra Aſtrologiam Iudiciariam an obliget in foro conſcientiæ.

REperio DD. pro vtraq; parte, vt aduertit *Trullench in Exp. Decal. lib. 2. cap. 10. dub. 4. num. 2. Diana par. 1. tract. 1. Miſcellaneo, cum Suarez cit. à dicto Trullench vbi ſupra*; tenent dictam Bullam ſolummodo obligare in foro exteriori: vndè quidquid licitum erat de iure antiquo prędicere ante prædictam Bullam; licitum eſt etiam nunc in foro conſcientiæ ſecluſo ſcandalo: Alij verò contra tenent veriùs, & ſecuriùs eſſe, quòd obliget etiam in foro conſcientiæ: ità *Sanchez tom. 1. lib. 1. c. 38. nu. 34. & Trullench loc. cit. cum quibus ſto.*

DIFFICVLTAS VIII.

An dici poſſit ſectam Mahumetanam fuiſſe in Aſtris tanquam in ſigno, ideſt præmonſtratam in Aſtris.

NOta hanc difficultatem pendere ab illa; ſcilicèt: an Aſtra ſint ſigna eorum, quæ ab humana voluntate pendent.

Reſpondetur negatiuè cum omni Theologorum placito attenta præcipuè ſanctiſſima Conſtitutione Sixti V. de Aſtrologia Iudiciaria: probatur: tùm, quia Cœlorum Aſtra non ſunt ſigna ab humana voluntate dependentiũ, qualis eſt receptio nouæ Religionis: tùm, quia ſignum ad ſignatum refertur: & ipſo poſito ponendum eſt ſignatum, cum ſint correlatiua ad conuertentiam: ſed Aſtra ex ſupra probatis non ſunt ſigna dependentium à voluntate: ergo nec receptio legis Mahumeticę fuit ſignata; ſed (vt dixi) liberum arbitrium gentilium exiſtit ſemper liberum, ac prorsùs ab Aſtris independens: cum ipſa non agant in ſpi-

ſpirituale, quale eſt ipſum liberum arbitrium: vndè dici non poteſt ſectam Mahumeticam in Aſtris fuiſſe ſignatam.

Cęterùm, ſi intelligas Deū poſuiſſe in Aſtris ſuæ præcognitionis ſigna, hoc non repugnat; ſed conſonat veritati; ne quis fortaſsè ignorantèr exiſtimaret à ſcientia Dei abſconditū fuiſſe, quod futurum erat tempore Mahumeti; verùm hæc ſignificatio libero arbitrio Gentilium Mahumetanorum nullam impoſuit neceſſitatem. Suppoſito igitur, quod aliqua ſigna præceſſerint Gentilium Apoſtaſiam; oſtenſa fuerunt præcisè ad deſignandum nobis, quòd Deo nihil noui contingit: huiuſmodiq; nouitatem iam ipſi cognitam fuiſſe: & potuiſſe occurrere tàm grauiſſimæ Apoſtaſiæ commutando eorum voluntatem, ſi voluiſſet; ſed duxit congruentiùs eſſe, vt homo ex natura liber relinqueretur in manu ſui conſilij potens mittere manum ad ignem, & ad aquam.

ART. III. DIFFICVLTAS I.
An Mathematici Genetliaci, ſeu Aſtrologi Iudiciarij ſint Religionis ſuſpecti, & ſubindè denunciandi.

RESpōdetur difficultati diſtinctione, ſic: Mathematica, à qua Mathematici duplicitèr accipitur vno modo pro ſciētia, quæ conſiderat quantitatem à materia ſeparatam, non ſecundum realitatem, ſed tantū ſecundum rationem; & hoc modo ſumpta eſt licita, vnaq; eſt ex humanis ſcientijs vtilis, ac Reip. neceſſaria: continetq; ſub ſe Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, & Aſtronomiā; ſine quibus phyloſophię apicem non niſi cum difficultate percipere poſſumus. Quemadmodum autē dictæ ſpecies ſub hac contentæ non ſunt prohibitæ; cùm illas homines iuſtè diſcāt, ac exerceāt, vt experiētia docet. itā nec Mathematica, nec Mathematici ab hac nominati ſunt de Religione ſuſpecti.

Alio modo ſumitur pro ſcientia diuinatrice, & iudiciaria; & ſic accepta damnatur: patet *l. Nemo, C. de Malefic ijs, & Mathematicis, & cęteris ſimilibus*, vbi habentur hæc verba: Nemo Aruſpicem conſulat, aut Mathematicum ſub pœna capitis; & proindè damnantur profeſſores huius ab hac appellati: conſtat ex *Aug. lib. 4. conf ß. cap. 3. item in lib quaſt. veteris, & noui teſtamenti cap.* 18 in hæc verba proloquente: Nihil tàm contra Chriſtianos, quàm, ſi arti Metheſeos adhibeant curam: patet idem ex cauſa 26. *quaſt.* 2. nouiſſimè hanc reprobat *Pius Rubeus in Conuitu morali ver. Aſtrologus: item ver. Prædictiones*, afferens plura exempla illorum, qui huic innixi decepti ſunt: horum autem Mathematicorum ſuperſtitioſorū genus eſt conſiderare, quomodo ſe habeant cōſtellationes, ſeu ſydera, cum quiſq; naſcitur; diuinant autem petito à Dęmone ſigno in re ſibi magis viſa: & hoc modo capto nomine Mathematici, idem valet, ac Maleficus, & Magus, vt notat *Garzonus in Platea vniuerſali, ver. Aſtrologi.*

DIFFICVLTAS II.
An Aſtrologi iudiciarij teneantur ad reſtitutionem damnorum, dicendo ſe ex Aſtrolabio cognouiſſe alicuius occultum crimen, v. g. furtum.

SVpponendū eſt primò pro omninò certo non poſſe Aſtrolabio cognoſci occulta, nec futura à libero arbitrio pendentia, vſumq; Aſtrolabij pro huiuſmodi fine eſſe mortalitèr peccaminoſum, anathematiq; ſubiectum.

Suppono ſecundò hanc detectionem factā fuiſſe rudibus, qui peritis indubitatam fidem præſtare ſolent.

Reſpondetur affirmatiuè; quia iniuſtè, & perperàm .s. ope Dęmonis reuelant occultū, proximumq; infamant. *Salon. 2. 2. quaſt. 73. art. 2. in fine controuer.* 2. & poſt ipſum *Trullench loc. infra citand.* vndè aliqui Epiſcopi ſingulis annis promulgant excommunicationem latæ ſententiæ contra diuinantes res incognitas à libero arbitrio dependentes, vt obſeruat *Trullench loc. infra cit.* ſed pretium acceptum retinere poſſunt: ità *Trullench in Exp. Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 16. cum Nau. loc. cit. nu.* 164. nam pretium voluntariè datum eſt: & ille, cui datur ſuam operam, licèt turpem appoſuit: quòd, ſi Aſtrologus non Aſtrolabio, ſed caſu reſeranit occultum crimen; pretium retinere non poteſt, quia datur ob laborem; qui non fuit impenſus, vt ſuppono.

DISTINCTIO QVARTA.

De Magia ex imaginibus Aſtronomicis.

Formantur de hac quatuor breuiſſimi articuli;

In primò dicemus, quid ſit Magia Aſtronomica, quidue imagines Aſtronomicæ, & quomodo differant ab imaginibus Maleficorum.

In ſecundò oſtenditur ſuperſtitioſum eſſe, & de hæreſi ſuſpectam.

In tertiò quærimus, an Dæmones ad nocendum trahantur vi alicuius Aſtri, aut conſtellationis.

In quartò compendiosè referimus difficultates de Aſtris alibi in his Commen. pertractas, & excuſſas.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Quid Magia Aſtronomica, quidue imagines Aſtronomicæ, & quomodo differant ab imaginibus Maleficorum.

REſpondet primò, quòd Magia Aſtronomica eſt ars illa, quá certæ quedā imagines, & figuræ, vt annuli, ſigilla, ſtatuæ, hiſq; ſimilia fabricantur, in

quibus

quibus eius profeſſores affirmant recipi virtutes,ac influxus corporum cœleſtium ad determinatos effectus: Quæ autèm ſint huiuſmodi Aſtra talitèr influentia, non eſt meum docere: nec lectori expedit illa ſcire; maximè, quòd totum hoc eſt vanum,commentitium,ac Diabolicũ ad trahendos poſt ſe incautos, nimisq; curioſos: Vndè melius eſt pro ſtatu iſto ab hominibus talia neſcire, teſte *D. Auguſt. in Enchiridion*.

Reſpondetur ſecundò Imagines Aſtronomicas eſſe illas, quibus vtuntur vacantes Magiæ ſiue diuinatrici, ſiue etiam effectrici, in quibus huiuſmodi Magi ex Cœlorum influxu receptam eſſe tenent aliquam vim, ver. gr. ad ſciendum occulta præterita, vel futura: vel ad patrandum mira, vt ad curàndum à quauis infirmitate;eo quod expoſitæ fuerint tot diebus, aut mẽſib⁹ ſub Aſtris determinatis: differtũq; ab imaginibus Maleficorũ:quia Aſtronomicæ nõ neceſſariò ordinantur in damnũ alicuius; ſed potiùs ad medelam corporis proprij, vel alterius. Verùm, quia ſub ſpecie boni ſe obijciunt nobis: ideò cautiùs ab his abſtinendum eſt: ne incidamus in laqueum Diaboli: Maleficæ verò ſunt tantummodò ad inferendum malum ordinatæ. Vndè abſolutè dicuntur Maleficæ; quia Malefici illis vtuntur in patrandis Maleficijs: ver. gr. Maleficus format ſtatuam cum determinatis cæremonijs, nepharijs precibus, & actionibus,quas iure omitto; quibus peractis illicò Dęmon nocere incipit.

Notandum verò,quòd licèt vlcus ab extra, cauſetur ſcil. à Dęmone: attamèn ab intra præoptat videri habere initium, vt ſuum abſcondat maleficium,imputeturque Aſtris: aut alijs creaturis; notare autèm oportet vlcus differre à vulnere; quia illud habet ab intus principium,& iſtud ad extra: ſed ad rem ſat eſt noſſe maleficiũ præcisè à Dęmone effectiuè puenire, & nõ ab Aſtris, nec ab alijs creaturis.

DIFFICVLTAS II.

An Dęmones obſeruent tempora, quæ maleficia Aſtris, vel alijs creaturis adſcribi poſſint.

RESpř affirmatiuè; vndè interdum potiùs diuexant creſcente Luna; interdũ verò potiùs illa decreſcente iuxtà diuerſam corporum vexãdorum diſpoſitionem: Hinc *Hieron. in Mat. c.* 4 inquit: *Sunt Dęmones obſeruantes lunaria tempora* :*s. in eorum maleficijs: cupientes, vt maleficium retorqueatur in creaturam, vel Creatorem, vt loco benedictionis illum blaſphement, vt cauſam malorum effectiuam.*

Verùm not. Maleficos nedum ad inuocationem Dęmonũ tacitam, aut expreſſam pro maleficio formali inferendo vti imaginibus; ſed etiam caracteribus, ſignis,alijsq; inſtrumẽtis: Quæ omnia, & ſingula ſunt ab Eccleſia damnata: & ab ipſomet naturæ inſtinctu: nec minus euitanda,quàm Dęmon.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Magi, qui vtuntur imaginibus formatis ſub determinatis aſtris ſint de religione ſuſpecti.

RAtio difficultatis eſt, quia influxuum cęleſtium obſeruatio nihil mali ſonat; cum aſtra in hæc inferiora corporalia naturalitèr influant abſque vllo Dęmonum concurſu; vti tota Philoſophorum, ac Theologorum ſchola docet.

Difficultati reſpondetur affirmatiuè, huiuſmodi .s. Magos eſſe de religione ſuſpectos; primò, quia virtus cęleſtis per ſe eſt vniuerſalis, & indeterminata ad hunc,vel ad aliũ quemlibet effectum producẽdum: & pręcisè determinatur à cauſis naturalibus particularibus adaptantibus materiam ad hanc,vel illam formã; & perindè ad effectum ab illa procedentem; imagines autèm, & figuræ, vt tales, non ſunt naturales, vt conſtat; cum ab arte ſint fabricatæ; nec,vt tales,vim habent (vt ſuppono) præparandi materiam ad formam; & conſequẽtèr nec ad hunc,vel illum effectum: ergò,qui vtũtur prædictis, malè olent de religione: piciantq; habere pactum cum Dęmone ſaltèm tacito,facto v.g. cum primo Mago,quem talia edocuit.

Secundò, quia huiuſmodi imagines, ſeu figuræ, vt tales, nihil recipiunt (experiẽtia teſte) ab influxu cęlorum; vnde effectus huiuſmodi à Dęmone eſſe neceſſariò dicere cõpellimur.

Tertiò, quia inſignia ſydera (ſi mathematicis demonſtrationibus credimus) amplitudine maiora ſunt tota terra; quòd, ſi ſic eſt, quomodo illorum influxus ad vnam paruam figuram aſtronomicam reſtringi poteſt, quin ad aliam tali forma carentiam diffundatur? ſed in alijs nullus nouus effectus producitur; ergò neque in iſtis imaginibus, aut figuris aſtronomicis naturalitèr produci põt; qui,ſi cernitur; profectò non deriuat ex vi imaginum, aut ſyderum: ſed Dęmonum hominem ſub colore Magiæ Aſtronomicæ decipere cupientium: quare idem quod prius concludere oportet.

Non nego tamen, quin virtute Aſtrorum iuxta variam materiæ diſpoſitionem diuarientur effectus naturales; tum quia cęlum mirabilitèr operatur in elementa, & in mixta.

Tum quia multa fieri poſſunt plurium naturalium cauſarum concurſu,quam vnius ſolius.

Item non nego,quin adhibitis certis ſeminibus ſub certo aſtrorum ſitu, & concurſu ſtellarum breui tempore opus exurgere poſſit, quòd aliàs longioris temporis moram pluriũ cauſarum concurſu requireret.

Præterea non nego,quin influentia cęleſtis opportunè recepta in materia corporali cauſare poſſit varias virtutes.

Denique nõ nego, quin quidam annuli ferrei ad certam ſtellarum poſitionem fabrefacti paſſim geſtẽtur ad quaſdam ęgritudines depellendas, numerenturq; intèr medicamenta. vti videre poteſt apud *Victoriam de Magia Relect.* 12,

Sed mihi difficile videtur, primò quomodo nouerit actiua paſſiuis adaptare, qui non vacauit Philoſophiæ; cum plura requirantur, vt bene fiat imago aſtronomica abſq; Dęmonis concurſu; maximè, quod hoc non contingit ratione artis, ſed ratione materiæ diſpoſitæ, & expoſitæ, vt dixi, ſub certo curſu ſtellarum.

Secundò, quia nimis difficile eſt cognoſcere, quando fiat huiuſmodi curſus, vel poſitio ſtellarum: & qualis materia ſit adaptabilis; & quomodo adaptetur; ideò vt plurimùm, qui hæc præſtant; ſunt ſuſpecti de conſortio Diaboli; quare diligentèr examinandi ſunt à Confeſſario; vndè nouerunt huiuſmodi adaptationem materiæ: & in tali hora, vel tempore haberi eiuſmodi cęleſtium corporum poſitionem, curſumq; ſtellarum. Dixi ſalua cenſura.

DIFFICVLTAS II.
An geſtatio annulorum, lapidum, imaginũ aſtronomicarũ: item Breuium in carta virginea inſcriptorũ &c. ſit ſuperſtitioſa. vide ſup. lib. 15. diſt. vlt.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
An Dæmones ad nocendum trahantur vi alicuius cæleſtis conſtellationis.

RESpondetur Dæmones ad nocendum minimè trahi vi alicuius cęleſtis conſtellationis. Ratio eſt, quia corpora cęleſtia non poſſunt in ſpiritus, iuxta illud cõmune axioma: *agens corporale, non agit in ſpirituale*, directè loquendo. Dico directè, quia indirectè non negamus; quin bona diſpoſitio corporis redundet in animam rationalem pro ſtatu iſto; patet ex lætitia, quam experitur anima noſtra ex integra corporis ſanitate.

Sed ſi ita eſt, cur Dęmones à Magis aduocati: v.g. vt diuexent aliquem, plerunque, non niſi ſub certis cęli conſtellationibus, & adhibitis determinatis lapidibus, herbis, figuris, &c. hoc præſtant?

Hæc difficultas duas habet particulas, prima ibi tangitur, ſub conſtellatione &c. altera verò ibi, adhibitis &c.

Ad primam reſpondetur triplici ex cauſa Dęmones id efficere; Prima eſt, vt inducant Magos ad credendum aliquod numen eſſe in ſtellis; & propterea eas veneratione dignas; quemadmodum etiam ante Chriſti aduentum à multis credebatur.

Altera eſt, quia, cum Dęmones non niſi per cauſas naturales operentur; animaduertunt, quando virtus alicuius conſtellationis plenius concurrit ad effectum à Mago petitum: & qñ itèm materia, circa quam operari vult ad recipiendum effectum ab ipſo optatum magis reperitur diſpoſita; vt ſic effectus videatur ipſi veluti naturalis, & Dęmonis malignitas abſcõdatur: ex.gr. ſub Incremento Lunæ Dęmones maximè diuexant illos, quos vulgò lunaticos vocamus, eorum phantaſiam perturbando; cuius ratio eſt; tùm quia ex vna parte illorum cerebrum eſt humidiſſimum: tùm quia ex altera Luna habet præcipuam vim commouendi hunc humorem, quãdo eſt ſub incremento. Lege *Doct. infra cit. Vairum de Faſcino lib. 3. c. 8.*

Tertia eſt ad abſcondẽdam eorum malignitatem ſub velamine conſtellationum cęleſtiũ; vt ſuprà oſtẽſum eſt; quia licèt ſint nequiſſimi: nolunt tamèn haberi tales; ſed boni, ſancti, digniq; omni laude, & honore; cui, vt ſuperbiſſimi, toto conatu inhiant; quod notum eſt.

Ad ſecundam particulam verò dicendũ eſt cum *D. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 6.* hoc prouenire; non quia Dęmones verbis, lapidibus, carminibus, &c. velut animalia ad cibum alliciantur; ſed quia cupidiſſimi ſunt, vt obedientia, & honor ipſis præſtetur; quæ ſanè ipſis præſtant Magi obſeruando punctualitèr eorũ pręcepta; tùm quoad pręparationem imaginũ talis, vel talis generis: tùm quoad obſeruantiã cæremoniarum: tùm quoad cultum ipſis exhibitum. faciunt, quæ docent *D. Tho. pri. parte quæſt. 115. art. 5. Pererius aduerſus ſuperſtitioſas artes lib. 1. c. 4. in calce. Sprenger in Malleo Maleficarum par. 1. quæſt. 1. circa finem. & alij.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.
Quæ difficultates de aſtris alibi in his Commentarijs habentur?

REſpondẽ ſequẽtes haberi locis citandis, quæ conſulendo breuitati Neotericis omninò gratæ, ſolummodò hìc referuntur, remittendo lectori ad loca propria.

1 Aſtrum in fronte leonis cęleſtis, & ad genua Tauri ſitum quid deſignat. pag. 285. diſt. 5.

2 An integrum ſit conſulere Aſtrologos, quibus temporibus, diebus, horis cum lucro quis ludere poſſit. pag. 277. art. vlt.

3 Ordinatio rerum inferiorum, prout eſt ab Aſtris dicitur Fatum: prout verò eſt à Deo, dñ prouidentia. pag. 277. art. 1.

4 Aſtra nimis remotè, & indirectè concurrunt ad morum diuerſitatem. loc. cit.

5 Quæ iuuant ad dominandum Aſtris. ibid.

6 Infirmitates, & valetudines corporis, quæ aliquibus contingunt eodem tempore infirmando, & ſanando ſecundùm Aſtrologos, à quo, vel à quibus procedunt. pag. 278.

7 In quo ſenſu ex concurſu, occurſu, et aſpectu Aſtrorum ſortimur bonam animam. loc. cit. diff. 2.

8 Alia eſt vis cuiuſque ſtellæ: alia cuiuſque planetæ. ibidem.

9 Aſtra conſeruantia donnulam breui, vel longo tempore: an toto eodem tempore cõſeruent in ſauciato eandem malignam qualitatem. pag. 280.

10 An Magnes reſpectu Aſtri tramontanæ ſe dimoueat actiuè, vel ſe habeat paſſiuè; et itèm conſiſtat in tali ſitu actiuè, vel paſſiuè. ibi.

11 An ab Aſtro ſolari vigor hominum perpetuò ſaltitantium procedat. ibi.

12 Saturnum Aſtrum planetarium quotuplex, et quale malum cauſet. pag. 286 art. 1.

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III. LIBER XIX.

De Magia malorum patratrice in genere, & in ſpecie.

De dicta Magia loquitur Tex. ibi: *O ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi ſia ſperimento di Magia, ò Negromantia, Incanteſmi, & maſsime con abuſo di coſe ſacre.*

Notandum primò, quòd ſuperioribus libris, vz. decimo ſeptimo, & decimo octauo actũ eſt de Magia omnibus modis tàm licitis, quàm illicitis diuinatrice: nunc ſum in tractatu Magiæ malorum patratricis: illa reſpicit intellectum: iſta verò manum. De illa diſſertum eſt tàm in genere, quàm in ſpecie: & de iſta quoque eodem diſſeremus modo: Verùm, quia priùs eſt genus, quàm ſpecies ſecundum noſtrum modum intelligendi; propterea priori loco dicam de illa in genere, quàm in ſpecie.

Notandum ſecundò Magiam malorum effectricem in genere, alteram tendere nedum in damnũ, ſed etiam in vtilitatem proximi, v.g. ſanitatis corporis: & talis fuit illa, de qua præced. lib. 18. diſt. 4. dictũ, s. de Imaginibus Aſtronomicis, & iſta et, de qua nunc: Alteram verò tantum tendere in damnũ proximi, & iſta coincidit cũ tract. magiæ præcisè maleficæ, de qua in genere, & in ſpecie dicam lib. immediatè ſequen. Vndè notandum in hoc vno potiſſimùm differre hunc librum ab immediatè ſequenti; quia ibi agemus de Magia ſtrictius s. purè proximo, & rebus eius s. corpori diuitijs, honori, agris, iumentis, &c. nocua. Hìc verò agimus de Magia magis vniuerſaliter, prout complectitur quidquid Magus operator vi Dæmonis, ſiue tendat in vtilitatem, ſiue in damnum ſui, vel proximi; Quare quatenus Magus ſuis Magijs, aut Sortilegijs intendit nocumentum ſui proximi non differt à Magia purè malefica.

Notandũ tertiò, ꝙ poſſumus reducere quidquid operamur Dæmonis inuocatione ad Maleficia propriè dicta s. quæ proximo nocent ſiue in perſona, ſiue in filijs, in honore, in diuitijs, iumentis, &c. quia totum omne maleficium eſt. Poſſumus item cũ Paulo Grillando de Sortilegijs lib. 2. c. 1. nu. 3. *omnia diabolica maleficia, & diuinationes reducere ad Sortilegia: Quare ſecundùm ipſum, ſi Sortilegio intendo, vt mihi demonſtretur aliquod occultum, vt furtum, theſaurum abſconditum; dicitur Sortilegium ad diuinationem: ſi intendo alicuius ſolicitationem ad venerea, dicitur Sortilegium ad amorem, &c. ſi intendo alicuius offenſam dicitur Sortilegium etiam ad maleficium; & ſic iuxtà cuiuſque Magi Sortilegi finem Sortilegium ſumit nomen talis Sortilegij: Verùm Magi Sortilegi potiùs, quàm aliorum Magorum malorum patratorum proprium eſt vti re ſacra, Oleo Sancto, Euchariſtia, aqua*

luſtrali &c. Ego autem congruentius omnia prædicta ad hunc librum reducenda eſſe cenſeo: nam Magia malorum patratrix ſub ſe complectitur maleficia, & ſortilegia diabolica: complectitur maleficia, prout nocet: Sortilegia, quatenus plerunq; in magijs vtitur rebus ſacris: & præter hæc addit; quia etiam ordinatur in vtilitate proximi, ſed malo modo: v.g. ad illum curandum ab infirmitate, & ſic à maleficijs, & ſortilegijs diſtinguitur.

Notandum quartò, quod quamuis Textus non veniat intelligendus de Magia generaliter capta, prout complectitur naturalem; quia iſta non eſt S. O. denuncianda: loquitur tamen de ipſa, quatenus comprehendit omnem Magiam ſuperſtitioſam, diabolicam, ſiue noceat, ſiue non noceat proximo, omneſq; eius ſpecies.

Nec refert, quòd Textus faciat mentionem tantùm de duabus, nempè de Necromantia, & Incantationibus; *nam hæ ſpecies poſitæ ſunt pro exemplo; non autem pro illarũ ſufficienti enumeratione; vnde implicitè præcipit denunciationem etiam cuiuslibet alterius ſpeciei Magiæ diabolicè effectricis, quod ſatis conſtat per ſubſequentia verba ipſius Textus, ibi:* O altre ſimili ſuperſtitioſe attioni, & maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Notandũ quintò, quòd Magia effectrix, ſeu operatrix diabolica, de qua hic loquimur; nõ eſt tractãda, niſi abſolutis duob. tractatib. de Magia diuinatrice, & ſic poſteriori ſitu: tùm quia priùs eſt ſcire, quàm operari, ſaltèm prioritate naturæ: tùm quia quæ aduertentèr operamur, priùs cognoſcimus: tùm, quia præſuppoſita priorem locum tenere debent; tractatus autem de Magia malorum effectrice præſupponit cognitionem tractatus diuinatricis.

Notandum denique, quòd etſi de Magia Sortilega aliquid actum ſit ſupra 2. par. lib. 17. vbi de Diuinatrice ex ſortibus, nõ tamen plenè, ideò fuſiùs infra lib. 20. vbi de ſpeciebus Magiæ malorum operatricis.

Notandum vltimò librum iſtum diuidi in ſeptem diſtinctiones, in quarum prima agitur de Magia operatrice in generali; deindè dicam de ipſius ſpeciebus, nempè de Aſtronomica. De Sortilega in genere. De Sortilega in ſpecie ſ. ad amorem. De Necromantica. De Incantatrice. De Faſcinatrice.

DISTINCTIO PRIMA.

De Magia diabolicè operatrice in genere.

Diuidimus autem hanc in tres articulos: in primò oſtenditur quotuplex ſit Magia malorum patratrix, & quotuplex eius finis.

In ſecundò demonſtratur, quòd abutentes Sacramentis, aut Sacramentalibus in eorum Magijs præcipuè veniunt denunciandi.

In tertiò deſignatur, quomodo Dæmon opponatur Sacramentis.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quid, & quotuplex eſt Magia Operatrix.

Reſpondetur, ſi Magia ſumatur generalitèr, ſeu communiſſimè; dicendũ eſt eſſe facultatem patrandi inuſitata, & admiranda ratione quadam hominibus communitèr occulta. faciunt tradita per *Pererium aduerſus ſuperſtitioſas artes lib. 1. cap. 3. circa principium.* dixi generalitèr ſumpta, quia hoc modo comprehendit tàm naturalem, quàm ſuperſtitioſã, & ſic eſt duplex.

Naturalis eſt intima, & præſtantiſſima phyloſophiæ pars, admirandorum effectrix ex occultis rerum virtutibus profecta.

Superſtitioſa item eſt admirandorum effectrix non vi naturæ, ſed Dæmonum fraudibus, & maleficijs; ob id infamis, abominabilis, ac prorsùs exterminanda.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

De naturali quid notandum.

RESpo,cum nõ faciat ad propoſitum nr̃um præciſè noto tria. Primum, plura eſſe mirabilia in ſinu naturæ abſcondita;quæ,ſi homo noſceret, hisq; vteretur; non niſi Dęmonum auxilio illa producere iudicaretur; cum tamen eſſent à cauſis pręciſe naturalibus abſq; vllo Dęmonis concurſu. Quare Confeſſarij partes erunt admonere pœnitentem; quem intelligit omnia in deteriorem partem conſueuiſſe accipere; ne talia abſque debita coniectura vi Dęmonum fieri affirmet; cum ex naturalibus cauſis ſibi quidem occultis; ſed tñ fortè alicui notis cõtingere poſſint. Hinc plerique DD. vti obſeruat *Pererius loc. cit.* ferunt Albertum Magnum, alioſque viros in phyloſophia conſpicuos hac Magia multa mirabilia effeciſſe; quæ,ſi his temporibus fierent; non ſatis crederetur abſque concurſu Dęmonum patrari: Et non ab re, quia pauci Alberti repeꝛiuntur: tamen, vt dixi, ad mali ſuſpicionem lento pede accedendum eſt;quia poteſt eſſe,vt quis in aliqua phyloſophię parte ſit cõſpicuus.

Secundum, cuius ſit theſaurus per Magiam præciſè naturalem repertus (cũ hoc tñ, quod nõ admitto abſolutè,quòd reperiri poſſit, niſi vt infra) Circa theſaurorũ autèm inuẽtionem ſciẽdum eſt primò variam eſſe pro diuerſitate Regnorum, Rerumpublicarum, Ducatuũ, ac Principatuum diſpoſitionem: Alij maiorem; alij minorem inuenienti concedentes partem.

Secundò,ſciendum eſt theſaurum bifariam reperiri poſſe, vel per Magiam diabolicam, .s. mediante Dęmonis concurſu; qui loca,vbi reconditi ſunt, nouit: vel ex indicijs præciſè naturalibus: ſi primo modo totus theſaurus adiudicatur Fiſco,vti patet ex *l. vnica, C. de theſauris*, quod obſeruat in primis *Franciſcus Ceſpedes in dubijs militaribus dub.* 55.; ſecùs verò dicendũ eſt,ſi poſteriori modo inuẽtus fuerit; tunc enim pars taxata per Regum, aut Principũ,&c. decreta inueniẽti theſauros;iuſtè;& validè ab ipſomet inuẽtore retineri poteſt. Lex enim pœnalis contra Magos Dęmoniacos nõ debet extendi ad Magos præciſè naturales iuxtà legem: odia .n. & pœnæ ſunt reſtringendæ; quod patet etiam ratione; quia theſaurus Magia diabolica inuentus regularitèr abſq;labore effoditur opera Dęmonis illum detegentis; quare, cum in illius inuentione non interfuerit opus prętio æſtimabile; non eſt mirùm, ſi lex decernit, vt inuentor nihil habeat; quòd ſanè ſecus eſt de iuſto inuentore theſauri, vti notat idem Doctor loc. cit.

Quare à Confeſſario in foro Sacramenti Pœnitentiæ, quã diligentèr interrogandi ſunt huiuſmodi inuentores theſaurorum; vndè nouerint, quòd in tali loco eſſet theſaurus: an apud ſe habeant aliquod ſcriptum hoc ſibi detegens, &c. idemq; præſtandũ erit ab Inquiſit. in ſuo foro; quia fortaſsè ab ipſo inuenientur diabolica, etiam interdum ignota inuentori.

Vrgeat inſupèr Confeſſarius,nec Magis,nec Aſtrologis aſtrolabio integrũ eſſe inquirere, vbi ſint theſauri: quia ex propria eorũ ſcientia nequeunt iſta noſſe, niſi Dęmonis interuentu, prout aduertit. *Arſen. S Inquiſ* 10 *admon.* 180.

Inſtet, quòd Magus, velut Apoſtata recurrens ad Dęmonem recedit à pacto cum Deo inito in Baptiſmi ſuſceptione, vti notatur in *Arſen. S. Inquiſ. loc. cit. admon.* 178. comparaturq; neganti Fidem Chriſtianam ex mente *D. Aug. & Arſen. vbi ſupra admon.* 27.

Tandèm objiciat pœnitenti, quòd Magia diabolica ex diuina Scriptura ſub pęna mortis interdicitur: & itèm, quòd Magus ex lege Eccleſiaſtica eſt infamis, & excommunicandus: quia hac arte fit ſocius Dęmonum; cum quibus, niſi reſipiſcat, finalitèr in inferno damnabitur. patet ex *Arſen. vbi ſupra admon.* 86.

Tertium, ſciendum eſt illos longè falli, qui ad obtinenda optata: v. g. ad ſciendum,vbi theſaurus exiſtat, Dęmonem externè adorant licèt minimè credant ipſum adoratione dignũ: ratio eſt; primò, quia grauiſſimè peccant attribuendo, quod illi non conuenit.

Secundò, quia annodantur reſeruatione, qua aliquibus in Diœceſibus reſeruari ſolent ſuperſtitiones diabolicæ, vti practicatur in noſtra Bergomenſi.

Tertiò, quia adoratores redduntur perpetuò infames, velut concorditèr teſtantur tum Theologi,tum Canoniſtæ.

Quartò, ſi adorationi extrinſecæ Dęmonis contingat addi credulitatem tenendo ipſum adoratione dignum; tunc adorator, nec per Pœnitentiarium Cathedralis Eccleſiæ,nec per alium abſolui poterit; cum huius criminis abſolutio ad ſolum Pontificem ſpectet: conſtat ex *Bulla Cœnæ Canon.* 1. Neque eximitur ab excommunicatione, eò quod in tali adoratione non fuerit ab aliquo viſus; vel quia eius adoratio omnimodè ſit improbabilis; quia incurrit in illam per ſolum errorem in intellectu, cum actu externo errorem ipſum internum ſatis deſignante; licèt per accidens, ſcilicèt per defectum teſtium non poſſit in iudicium adduci; ſumus in claris. vide *Suarez tom.* 5. *de Cenſuris, diſp.* 4. *ſect.* 3. *nu.* 17. *Bonac. de Cenſ. diſp.* 2. *qu.* 3. *propoſitione vnica nu.*6. *Simancas de Cathol. Inſtit. tit.* 42. *nu.* 7. *& alij communitèr*. faciuntq; notata per *Arnaldum Albertinum de Aſſertionib. Cathol. & Hæreticis quæſ.* 16.

DIFFICVLTAS III.

Magiæ generalitèr ſumptæ quotuplex finis.

REſpr̃ duplicẽ eſſe,alter eſt oſtẽtatio virtutis vel cõmodũ ꝓpriũ,ſeu aliorũ: alter verò eſt nocumentũ alteri mirè inferendũ. Magiam reſpu prioris finis ſequuntur Magi naturales: Magiam verò reſpu poſterioris .s. vt reſpicit alteri⁹ damnũ,vel vtile amplectũtur Magi,de qb. hìc loqmur, lege *Trull.in Dec.lib.*1.*c* 10 *dub.*11. *n.*3. vt verò reſpicit tm̃ damnũ proximi, dicam lib. ſeq.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quando Sacramentis abutentes in Magijs veniant ad Inquiſitores deferendi.

NOT. primò, abuti eſſe re vti contra ſuam naturam. *Rodericus Acbuna de Confeſſarijs in Confeſſ. ſolicit. quaſt. 7. num. ij.* Vti autèm re contra ſuam naturam eſt idem, ac re vti contra id, ad quod ordinatur: ex. gr. Euchariſtia ordinatur pro cõſequtione ſpiritualium gratiarum: quod, ſi quis illam ordinet ad pelliciandam mulierē ad ſuum amorem, illa abutitur.

Not. ſecundò duplicem eſſe Sacramentorũ abuſum, alius minimè de hęreſi reddens ſuſpectum: vti eſt abuſus illorum, qui fœdati culpa mortali audent accedere ad Sacram Euchariſtiam, vel aliud Sacramentum.

Alius verò è contra eſt, qui reddit de hęreſi ſuſpectum, qualis eſt vtentis Hoſtia conſecrata ad inueniendum theſaurum temporalem; his habitis

Reſpondeo, quod abutentes Sacramentis primo modo non veniunt denunciandi Sanctę Inquiſitionis Officio; ſed pręciſè Ordinario Loci; quia ad Sac. Tribunal non ſunt deferendi; niſi, qui cum abuſu ingerunt de ſe ipſis ſuſpicionem hęreſis; aliòquin ſubticentes ex verecundia aliquod mortale in confeſſione Sacramentali forent ſuſpecti de hęreſi: Confeſſores itèm in peccato mortali (quòd abſit) confeſſiones excipiẽtes &c. ꝙ non eſt dicẽdũ.

Secus verò dicendum de abutentibus Sacramentis ſecundo modo; quòd patet ex textu præcipiente omnem de hæreſi ſuſpectum eſſe denunciandum: faciunt notata per *Roder. Acbuna de Confeſſ. ſolic. quaſt. 16. nu. 10. & ibi Freitas.*

Vndè colligo non eſſe Inquiſitori S. Tribunalis denunciandum; qui domi retinens concubinam, vel alio modo exiſtens in peccato accedit ad Sacramentum Confeſſionis, aut Communionis: venit tamen denunciandus Ordinario Loci, vt cautum eſt.

Quòd dicitur autèm de abuſu Sacramentorum primo modo; idem dicẽdum eſt de abuſu Sacramentalium, vt aquæ luſtralis, Agni Papalis, cerei benedicti &c. qui enim his abutitur in Magijs; venit abſque dubio denunciandus, tanquàm de Religione ſuſpectus, patent prædicta ex textu, ibi: *Maſſime con abuſo di coſe ſacre*; quæ verba textus diligentèr ſunt notanda, quia per hæc oſtenditur liquidò, quòd veniunt denunciandæ Magiæ diabolicæ; etiamſi non intercedat abuſus Sacramentorum, vel Sacramentalium: ſed à fortiori, ſi concurrant; iuxtà regulam: *Propter quod vnum quodq; tale, & illud magis*; & iuxtà illam; *Si de quo minus, & de quo magis.*

DIFFICVLTAS II.

Cur Dęmon res illas, quibus Magi vtuntur ad nocendum, cum Sacramentis Eccleſiæ, vel alijs ſacris miſceri procurat.

RESpondetur triplici de cauſa potiſſimùm hoc procurare; Prima, vt per hoc Magi non ſolùm perfidi fiant; ſed etiam Sacrilegi, diuina quantùm in ipſis eſt contaminando. Secũda, vt Deus ſic grauius per Magos offenſus; ipſi Dęmoni maiorem poteſtatem in ipſos permittat.

Tertia, vt ſub ſpecie boni apparentis plures faciliùs decipiantur; tacta Sacramentis, aut putantes Sacramentalibus aliquid numinis obtinuiſſe: cũ tñ è contra plura, & maiora peccata ſint commiſſa. ità *Io. Nider de Decem Præc. Præcepto 1. cap. ij. nu 22.* citans *D. Auguſtinum.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Dæmon Magijs pro poſſe ſe opponat Chriſti Sacramentis, ipſiusq; doctrinæ.

REſpondetur affirm. probatur. Quemadmodum Chriſtus ad curandum hominem ab omni ſpirituali infirmitate diuerſa inſtituit Sacramenta: v. g. Baptiſmum ad curandum peccatum originale: Chriſma ad roborandum contra diabolicas inſidias: Pœnitentiæ Sacramentum ad purganda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, & ſic de alijs: ita è contra Dęmon multa adinuenit, quibus corporalitèr noceret homini, alijsq; rebus corporalibus ad ſuum ſeruitium deputatis.

Itèm Chriſtus voluit Sacramenta ex tribus conſtare, vz. ex materia, forma, & intentione Miniſtri. Ità Dęmon, velut ſimia Chriſti, voluit ſimilitèr Magiam ipſius, ex tribus confici, nimirùm ex materia, .s. materialib⁹, ſeu corporalibus rebus: ex forma .s. ſeruatis determinatis ceremonijs, & interdum etiam certis verbis, vti contingit in incantatione; & ex intentione Magi, aut Magæ .s. nocendi in perſona, aut in rebus ſuis.

Itidèm quemadmodum Chriſtus inſtituit Sacramenta, quæ ſunt ſigna (ipſo aſpirante) pro ucentia ſalutarem effectum gratiæ: ità Dęmonis Maleficia materialia, ſeu Magiæ ab ipſo inſtitutæ ſunt ſigna, quibus inuocatus ab his, cũ quibus confęderatus eſt; aſſiſtit operando malum, quod rogatur inferre. *Ex Io. Tritemio, tract. de Reprobis, & maleficis mulieribus,* ad quæſtiones propoſitas à Maximiliano Cæſare; patet itaq; Dęmonem ſe opponere Chriſti Sacramentis.

Prætereà Dęmon in tradendo ſuam maleficam doctrinam ſe opponit modo, quem tenuit Deus: nam doctrina Dei Patris communicatur Filio, sz. Chriſto, & à Chriſto deſcendit in virum, & à viro in mulierem: & hunc ordinem tangit *Apoſtolus ad Cor. 11.* dicens, *Viri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris vir, caput verò Chriſti Deus*: E contra verò contingit in doctrina Diaboli; quæ priùs ab ipſo in mulierẽ transfuſa eſt: vtpotè, quæ minus habebat de ſenſu, & diſcretione ſpiritus, & per mulierẽ in virũ: Magiæ autẽ, ſeu Maleficia cuiuſcunq; generis ſunt doctrina Diaboli .i. ab ipſo adinuenta in damnum hominis tàm ſpirituale, quàm cor-

corporale; ideò non eſt mirùm, ſi magis, ac frequentiùs maleficia inueniantur in ſexu muliebri, quàm in virili &c.

DISTINCTIO SECVNDA.

Prima ſpecies de Magia operatrice imaginibus, ſeu figuris Aſtronomicis vtente; hæc autèm peti debet ſupra *lib.* 18. *diſt.* 4. quæ ibi ſituata eſt: vt tota doctrina de Aſtris ad hæc Commentaria ſpectans collecta habeatur in vno loco.

DISTINCTIO TERTIA.

De Sortilegica Magia operatrice in generali.

Duas habet partes hæc diſtinctio, altera reſpicit Sortilegia in genere: altera verò Sortilegia in ſpecie, nempè ad amorem.

Prima diuiditur in quatuor articulos.

Primus oſtendit quid, & quotuplex ſit Sortilegium Magiæ operatricis.

Secundus demonſtrat generalitèr inuocationem Dæmonis hæreſim ſapere.

Tertius deſignat, an Sortilegi ad Dæmonem recurrentes veniant denunciandi.

Quartus denique notat, an extet excommunicatio ipſo iure contra Sortilegos.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Sortilegium quid, quotuè eius ſpecies.

SOrtilegium eſt nomen generale, adeò vt dicto nomine veniat quidquid fit Diabolicis inſtrumentis. facit ad hoc diffinitio *Carena in tract. de Officio procedendi in S. Officio tract.* 12. §. 1. qui ſequitur *Bodinum de Dæmonomania lib.* 1. *cap.* 1. *Scacciam de Iud. Ciuil. Crimin. & Haret. lib.* 1. *cap.* 12. *nu.* 20. Vndè ſub hoc nomine comprehenduntur Diuinatores, Incantatores, Magi, Arioli, Aruſpices, &c. qui omnes extenſo nomine dicuntur Sortilegi, *Farinac. de Hæreſi quæſt.* 1. 81. *nu.* 3.

Dixi diabolicis inſtrumentis, v. g. nominibus, aut characteribus ignotis, ſiuè à Sortilego adhibeantur ad bonum, vt ad euitandam grandinem, & colligẽdos fructus, ad curandos morbos &c. ſiuè ad nocendum quouis modo: vide *Farin. loc. cit. nu.* 32. 33. 34. Ad duas quippè ſpecies reuocantur omnia, & ſingula ſortilegia (quidquid placeat *Grillando de Sortilegijs quæſt.* 2. aſſerenti, tres eſſe ſpecies, .s. diuinatricem, per quam Sortilegi quædam præſentia, vel præterita nobis ignota diuinant; amatoriã, quæ ordinatur ad flectendum animos pudicos: & maleficam, quę ordinatur ad nocendũ: moueor, quia ſub Sortilegijs cõtinentur etiã, qui ob bonum finem inſtrumentis diabolicis quærunt ſibi temporalitèr vtilia, vt tempeſtatum fugam, vel fructuum collectionem: faciunt, quæ notat *Farin. loc. cit.* Non loquimur hìc de Sortilegijs quatenus diuinatorijs: quia de his hoc modo ſupra lib. 4. actum eſt; ſed de de Sortilegijs, prout ſunt ſpecies Magiæ operatricis; quæ ab his diuiduntur, prout infra.

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex Sortilegiũ Magiæ effectricis, ſeu operatricis.

REſpondetur duplex eſſe, aliud eſt hæreticale, aliud verò ſimplex; ex cognitione autèm hæreticalis deueniemus in cognitionẽ ſimplicis. Hæreticale eſt, quod exercetur cum aliquo dicto, ſeu facto hereticali, vel cum abuſu Sacramentorum, vel Sacramentalium, vt Olei Sancti, candelæ benedictæ &c. Euangelij, Symboli, Pater noſter, alicuius Pſalmi Dauid &c. *Pegna ad Direct. part.* 2. *Comm.* 67. *Farinacius de Hæreſi quæſt.* 181. *nu.* 2. *& alij.*

Ex dictis ſequuntur nonnulla Corollaria.

Primò, Sortilegium hęreticale committi ab ijs, qui à Dęmone petunt ea, quæ ſoli Deo ſunt reſeruata, vt illuminationem cęci nati. *Farin. de Hęreſi quęſt* 141. *nu* 5.

Secundò, à baptizantibus magnetem, imaginem, &c.

Tertiò, à dantibus Dęmoni honorem latriæ ſoli Deo, vel duliæ ſolis Sanctis debitæ, vel aliquid in eius honorem facientibus.

Quartò, Sortilegium, quod fit ad inuenienda furta; lz. abſit abuſus Sacramentorum, vel Sacramentalium eſt itèm Sortilegium hęreticale.

Quintò, quæcunque ſortilegia cum pacto expreſſo reſpectu operantis; etiamſi talia non ſint reſpectu operis, vti contingit, quando quis à Dęmone petit rem ſuum poſſe nõ excedentem, ſunt itidem ſortis hæretica. *Carena de Modo procedendi in S. Off. tit.* 12. *à num.* 23. *vſque ad* 29. *excluſiuè.*

Sextò, Sortilegium, quod fit inuocatione Dęmonum per verba deprecatiua.

Sortilegiũ verò ſimplex eſt, in quo nulla ex ſex ſupradictis conditionibus interuenit; quod tamen eſt prohibitũ; quia vt plurimùm exerceri ſolet cum pacto Dęmonis ſaltèm tacito.

Secundò eſt illud, quod fit cũ oſſibus mortuorum deſumptis ex cęmeterio.

Tertiò, illud quod fit cum capillis mulieris.

Quartò, quod fit inuocãdo Dęmonem imperatiuè, lz. abſq; cultu, remotaq; omni cogitatione ſubijciendi ſe illi: nec obſtat ridiculum eſſe inuocare Dęmonem per modum imperij, aut ei comminando præcipere; cùm non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei.

Iob

Iob 1. *cap.* quia ad hoc reſpondetur, quod quãuis non ſubdantur; quia tamen interdum, cum inuocantur, obediunt, vel fingunt obedire ob impium eorum finem; non eſt recedendum à reſolutione *Caren. loc. cit. Pegn. Comm.* 68. *ver. Verùm plurimum*: hæc inuocatio fit aliquando ab amaſijs tractis primo impetu habendi amaſiam. lege *Polyantheam, ver. Amor Cupidineus.*

DIFFICVLTAS III.

An Sortilegium factum cum hoſtia non conſecrata ſit hæreticale: & idem quæritur de facto cum nominibus, characteribus, aut ſignis ignotis.

QVoad primum reſpondetur eſſe hæreticale, non obſtante, quod fuerit patratum cum hoſtia minimè cõſacrata; quidquid exiſtimauerint aliqui DD. ratio aſſertionis eſt, quia Hoſtia ſiuè conſecrata, ſiuè non habet in ſe ſignum Crucis, vel Crucifixi, aut nominis Ieſus; vndè ea abuti, eſt abuti re ſacra: nam tàm Crux, quàm Crucifixus ſunt ſigna rei ſacræ. Legendus eſt *Cæſar Carena in tract. S. Officij parte* 2. *tit.* 12. *nu.* 54.

Quoad ſecundum verò ſentio non eſſe Sortilegium hæreticale illud, in quo ſortilegus prçcisè vtitur characteribus, nominibus, aut ſignis ignotis; niſi ſit additum aliquod factum hçreticale: vel aliquod Sacramentum, aut Sacramentale, vel aliqua oratio, vt Pater noſter: vel intercedat pactum cum Dçmone expreſſum; grauiſſimè tamen peccat vtens his ſignis. *Pegna Comm.* 68. *par.* 2. *Azor. Inſt. mor. par.* 1. *lib.* 9. *c.* 26. *quæſ.* 6. *Simancas de Cath. Inſt. tit.* 63. *de Superſtitionibus nu.* 12.

Verùm aduertere debes, ne error te capiat, quòd infraſcripta decem nomina non ſunt ignota, iuxtà ſenſum regularum Indicis lib. prohibitorum, licèt eorum intelligentia ab aliquibus ignoretur; quia hoc non prouenit ex defectu nominum; cum ſint notiſſima callentibus linguam Hçbream: ſed prouenit ex inſcitia dictæ linguæ: vndè notanda ſunt nomina, quibus apud Hçbreos Deus vocatur, vti cõſtat *ex. lib.* 7. *Etym. Iſidori, & D. Hieronym. in Epiſt. ad Marcellum tom.* 3.

Primum, Hel, quod interpretatur fortis.

Secundum, Eloy. Tertiũ, Eloe, quod vtrunque in latinum dicitur Deus.

Quartũ, Sabaoth, quod latinè dicitur Exercituum, ſeu virtutum.

Quintum, Elyon, quod latinè excelſus interprçtatur.

Sextum, Eheie, ideſt, qui eſt.

Septimum, Adonay, quod generale Dominus interpretatur.

Octauum, Ia, .i. Dominus, vel Dominator.

Nonum, Tetragramaton, hoc eſt quatuor litterarum, & erant Iehoua, quod interpretatũ dicitur: ero, qui ero: vel ego ſum, qui ſum.

Decimum, Saddi .i. Omnipotens.

Item infra poſita non ſunt ſimpliciter ignota nomina, ſed tantùm reſpectu neſcientium linguam grçcam.

Agios ò Theos, .i. Sanctus Deus.

Agios iſchyros, .i. Sanctus fortis.

Agios athanatos eleiſon imas, .i. Sanctus immortalis miſerere nobis. ità colligitur ex *Miſſali Romano in die Paraſceue*.

Idem dicendum de nominibus, de quibus libro antecedenti deſinentibus in El, de quibus *Maironus. & Ioſephus Roſaceus in Coſmographia Cœli, & Terræ*: cũ ſint nomina SS. Angelorum, & deſinunt in El ad deſignandum ipſorum coniunctionem cum Deo: nam nomen El (teſte Mairone) ſignificat Deum nobiſcũ: additurq; illud El ad diſtinctionem Angelorũ Malorum, ſeu Cacodçmonum, qui meritò diuina priuantur fruitione.

DIFFICVLTAS IV.

Sortilegi quotuplices ſint.

REſpondetur, Sortilegos eſſe in duplici differentia, quidam enim faciunt expreſsã Sortilegiorum profeſſionem, & illi ſunt peſſimi; nam abnegant Deum, Baptiſmum, & cçtera Sacramenta, & faciunt ſe rebaptizare in nomine Beelzebub, ipſi adherent, obedientiãq; promittunt; vt docet *Grillandus de Sort. quæſt.* 3. *nu.* 3. *& latius quæſt.* 7. *per totum, præſertim n.* 27. *&* 29. qui eodem in loco notat tempus, locũ, & genus perſonarum, quæ interſunt huic promiſſioni.

Quidam verò ſunt Sortilegi, qui nõ emittũt expreſſam profeſſionem Dçmoni; ſed tantùm tacitam; quæ fit alicui Sortilegiorũ Magiſtro, illam recipienti nomine Dçmonis; per quam contrahitur inter Dçmonem, & tacitè profeſſum quædam peſtifera ſocietas. Ipſi autem viceuerſa promittitur, quòd Dçmon in poſterùm ſe facilem reddet in obſequendo appetitui, & voluntati eius: quòd multa mirabilia in vita ſua conijciet, theſauros inueniet: de ſuis inimicis vindictam ſumet: præterita, & præſentia cognoſcet: quauis muliere; cuius amore captus fuerit, fruetur, & alia ſimilia; cum tñ Dæmon nihil poſſit, niſi à Deo ſic diſponente ei permittatur; quod patet tum ex Diu. Script. ibi: *Veruntamen animam illius ſerua*: tum quotidiana experientia veritatis magiſtra optima.

Itèm alij ineunt cum Dçmone pactum expreſſum; alij tantùm tacitum; ſemper .n. Sortilegium innititur auxilio Dçmonis inuocati altero iſtorum modorum *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 2. *&* 3. *Sanchez in Decal. lib.* 2. *cap.* 38 *n.* 1.

Fit cum ipſo pactum expreſſum; quando Dçmon expreſſis verbis inuocatur: vel quando ipſomet facto inuocatio fit; ſicut quando quis ſciens Dçmonem per aliquod ſignum reſpondere, aut aliquid facere; tale ſignum adhibet. *Raphael della Torre ad* 2. 2. *D. Thom. quæſt.* 95. *art.* 4. *diſput.* 1. *Delrius lib.* 4. *Diſquiſ. Magic. cap.* 2. *quæſt.* 5. *Suar. de Relig. t.* 1. *lib. de Superſt. cap.* 9. *nu.* 9.

Tacitum fit, quando quis rem Deo reſeruatam medijs vanis, & indebitis procurat. DD. proximè ſupra citati: nec ad hoc requiritur, vt ali-

aliquis prius cum Dęmone pactum inierit ſe ſe immiſcendi cum his vanis, & indebitis medijs à quocunque adhibitis; ſed ſatis eſt,vt vtatur illis ad effectum aliquem adipiſcendum. *Victoria in relec. de Magia quæſt.6.nu.28. Caiet. in Sum. verb. Incantatio, Sanchez lib.2. cap. 28 n.1.* Nec excludit tale pactum,qui dictis vtitur medijs;quamuis dicat explicitè nolle ſe inire cum Dęmone pactum; ſi vult adhuc experiri vanorum mediorum effectum.

Idem præſumitur, quando non eſt proportio rei cognoſcendæ,vel faciendæ ad medium, quo cognoſci, aut fieri procuratur; vt quando vnum ex alio ſufficienter non infertur: quòd ſecus eſt, ſi vnum ex alio colligatur. *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib.1. cap. 38. nu. 12.* qui proſequitur, præſumi etiam hoc pactum ex parte modi cognitionis; quādo s. requiritur cognitio omninò certa,aut certior,quam haberi poteſt (penſata natura cauſæ,liberi vz. arbitrij, & defectibilium cauſarum contingentium) ſecus verò,ſi tantùm coniecturalis cognitio requiratur.

Pręſumitur denique dictum pactum; ſi ſeriò per media vana effectus ſupra naturam ipſorum mediorum procuretur: dixi ſeriò, quia,ſi ſolius ioci,aut vanitatis cauſa, prædictis medijs quis vtatur, ſecus dicendum eſt. *Caiet. 2. 2. quæſt. 95. art. 2. Souſa loc. cit. nu. 14.*

Dictum Sortilegium, quod ſolùm includit pactum implicitum,aliquando excuſari poteſt à culpa mortali ratione ignorantiæ; quæ nec affectata, nec nimis craſſa ſit; & aliquando ſuſpicionem leuem, vel vehementem excludit: Sortilegium verò,in quo interuenit pactum explicitum cum Demone, neque excuſatur à mortali: neque à ſuſpicione contra Fidem, attento modo, & qualitate facti. Elicio hanc doctrinam ex *Souſa loc. cit. num. 18. & 19. in ſimili de Sortilegica diuinatione.*

Explicandumq;eſt in confeſſione Sacramētali, an pactum fuerit implicitum, vel expreſſum; quia differunt ſpecie, vt tenet *Suarius de Relig. tom. 1. lib. 2. de Superſtitione cap. 10.n.19. D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 3. ad primum, quidquid Dianæ placeat reſol. mor. part. 1. tract. 7. reſolut. 66.* vnum certum eſt, quod in ſortilegijs factis cum pacto tacito non eſt tam clara, & grauis malitia;ſicut in illis,in quibus intercedit pactum expreſſum: Vndè ad tradita *Carena loc. cit.* in conſcientiæ foro Sortilegus ex pacto præcisè tacito interdum excuſatur à mortali: quod non eſt dicendum, vbi reperitur explicitum: *Carena in tract.de Modo procedendi in S.Tribun. Tortel. in dub. regul. verb. Sortilegia nu. 26. Boſnaniauſis in Decis. totius Theolog. lib. 3. cap. 8. concl. 6.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An generalitèr inuocatio Dęmonis ſapiat hæreſim.

RESpondetur affirmatiuè, quia omnis recurſus, ſeu inuocatio Dęmonis ob aliquod ſeruitium, aut beneficium facit conſortium;& perindè amicitiam, quorum vtrumq; reddit recurrentem non ſolum Dei contrarium,iuxtà illud: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit:* ſed etiam de hæreſi omninò ſuſpectum ratione cōſortij cum aduerſario ipſius Dei. faciunt tradita per *Barboſam de Offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 151. nu. 125. Lucernam Inquiſ. verb. Dæmones inuocare num. 1. Reperi. Inquiſit. verb. Sapere hæreſim, Grillan. de Sortilegijs quæſt. 10. nu. 1. 2. 6. 10. 19. Gloſſ. Archid. Gemin. Canoniſt. in cap. Accuſatus, §. Sanè, extra de Hæreticis, lib. 6. & alios.*

Dices Exorciſtam inuocare Demonem, vt ſibi reſpondeat: & tamen nullam hęreſis ſuſpicionem contrahere.

Reſp. latum intereſſe diſcrimen intèr inuocationem Exorciſtæ,& aliorum; quia inuocatio exorciſtæ tractando,aut colloquendo cum Dęmone ordinatur ad illum fugandum è corpore obſeſſo, vti ſe habent ad inuicem bellantes. Inuocatio verò Magorum maleficorum non ordinatur contra Dęmonem: ſed potiùs ad conciliandum ipſum cum homine.

Addo, quòd illa Exorciſtæ, eſt potiùs præceptū ad Dęmonem, quàm inuocatio, vt conſtat: Illa autem, quæ fit ab alijs, vt ab amaſijs, eſt auxilij poſtulatio ad optata conſequenda.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Sortilegi recurrentes ad Dæmonem Inquiſitoribus Fidei veniant denunciandi.

DIſtinctione reſpondetur, ſic: Recurrentes ad Demonem ſunt in duplici differentia: Quidam recurrunt, vt ipſis auxilietur Demon in his, quæ naturalitèr poteſt; vti ſunt multa, quæ nos non poſſumus, & ipſe poteſt: Quidam verò recurrūt ad Dęmones reſpectu eorum, quæ naturalitèr nequeunt, vt illuminare cæcum, ſuſcitare mortuum.

Loquendo itaque de primis, dicendum eſt, quod attentis iuribus antiquis non veniunt denunciandi ratione rei, pro qua erat recurſus; ſi nulla detur aliundè admixtio hęreſis, aut manifeſtus ſapor illius inducatur; cuius ratio eſt, quia ſcire de iſtis aliàs non pertinebat ad Inquiſitorem; *cap. Sciendum, 26 quæſt. 4 cap. Accuſatus, §. Sanè de Hæret. lib. 6. Eymer. 2. par. quæſt. 42. vbi Penna Commen. 67. Farinac. de Hæreſi, quæſt. 181. nu. 91.* erant tamen denunciandi ratione recurſus, quia ſemper facit recurrentem ſuſpectum de Religione.

Cęterùm loquendo de iure nouo denunciandi ſunt omnes ad Dęmonem recurrentes; tàm ſi recurrant ſuper his, quæ naturalitèr poteſt; quàm ſuper his, quæ nequit: & pretereà ratione recurſus. *Azor. Inſtit. moral. prim. par. lib. 9. cap 26 quæſt. 4. Farinac. de Hæreſi, vbi ſupra nu. 101. Sanchez in Sum. lib 2. cap. 38. nu. 92. Sixtus V. Conſt. 17. apud Laertium tom. 2. Bullarum. Raphael de Turre tom. 2. de Relig. quæſt 96. art. 4. diſput. 3. Souſa in Aphor. inquiſ. lib. 1. c. 57.*

Not. autem, quòd recurrere ad Dęmonem ipſum

ipſum inuocando, aut ei ſacrificando, vel aliquo modo ſe proſternendo idolatrare eſt, vt notant communitèr Theologi. Verùm licèt Idolatria exterior ſit ſubiecta excommunicationi exteriori; cum præſumat etiam interiorem: Cęterùm ſecus eſt de foro interiori, vbi attenditur veritas: vtraque tamen eſt peccatum mortale grauiſſimum. Legito *Tol. lib. 4. cap. 14. nu. 5. circa finem.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An contra exercentes Sortilegia, vel alias Artes Magicas lata ſit aliqua excommunicatio ipſo iure.

Reſpondent negatiuè infracitandi DD. quorum ratio eſt; quia nullus Canon, qui ſit legitimè receptus, hoc decreuit: ità *Tol. in Summa lib. 1. cap. 41. nu. 3. Filiuc. Quæſtion. Moral. tract. 14. cap. 6. quæſit. 11. n. 97. Bonac. de Cenſ. in ſpecie diſp. 2. quæſt. 2. punct. 38. nu. 1. & ſequent.*

Dices extare contrà prædictos *Extrauagantē Ioan. XXII.* incipit: *Super illius ſpecula.* Lege *Bullar. tom. 1. Conſtit. 13. dicti Pontificis.*

Reſpondent concorditèr prędicti DD. dictā cenſuram non eſſe vſu receptam, quod notat *Cæſar Carena tract. De modo procedendi in S. Officio tit. 12. §. 20. num. 112.*

Tu conſulito prędictam Extrauagantem ſequendo partem tutiorem; quàm ſanctè amplectitur S. Tribunal, à quo recedere non debes: ſumma quippè eſt ratio, quæ pro religione facit. *l. Sunt perſonæ de reg. iur. & ſumpti fu.* quòd, ſi à cōſilijs fueris; meminiſſe debes multa expreſſa nocere, quæ tacita non obeſſent. *l. Nonnunquàm de Condit. & demonſt.* itèm, quòd longè grauius eſt ęternam, quàm temporalem offendere maieſtatem, *Authen. Gazaros, C. de Hęreticis.* Itidèm, quòd culpa ſimilis eſt, tàm prohibita diſcere, quàm docere, & è contrà. *l. Pen. C. de Malef.* fruſtraq; exprimitur, quod tacitè ſubauditur. *l. Non rectè, C. de fideiuſſ.*

De hac excōmunicatione dictum eſt quoq; ſupra *lib. 17. diſt. 4. art. 2. diff. 1.*

Diſtinctionis Tertiæ, ſecunda ſpecies Magiæ malorum patratricis, s. De Sortilegijs ad amorem.

Præſens diſt. in quinque diuiditur Artic.

Primus oſtendit, quod dantur naturalia ad amorem accendentia: ſed non ergà particularem perſonam: itèm quòd per dicta non cogitur voluntas.

Secundus demonſtrat, an Sortilegia ad amorem ſapiant hæreſim.

Tertius ſignat aperiendum eſſe in Confeſſione Sacramentali tàm circumſtantiā perſonæ cognitæ, quàm Sortilegij.

Quartus deſignat denunciandos eſſe, qui verbis proximo excitant pollutionem.

Quintus notat, quid Cōfeſſarius à pænitente, qui amatoria ſortilegia exercuit inquirere debeat. Notandum Diſtinctio hæc longè diſtingui ab illa de Maleficijs circa actum coeundi: nam hæc ordinatur ad ſolicitationem copulæ illicitæ: & illa retrahit interdum à licita, interdum ab illicita, vt videbitur infrà de Magia præcisè Malefica.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An dentur aliqua naturalia, quæ vim habeant ad accēdendum libidinem, & commouendos animos.

Si credere volumus profanis, reſpondendum eſt affirmatiuè, & ità tenent *Ariſt. de Natura Animalium lib. 6. cap. 22. Plin. lib. 8. Hiſt. naturalis c. 42. & Seruius lib. 3. Georgicorum, & alij,* qui notant etiam in ſpecie habentia hanc vim; quod obſeruat *Binsfeld. in Com. de Malef. & Math. lib. 4. quæſt. 1.* patet in ſimili. Primò de Berylli, & Sapphiri natura, quorum eſt iuuare ad amorem reconciliandū. Patet ſimilitèr à contrarijs: de natura Amethyſti, qui habet virtutem refrigerandi, leniendi, &c. Itèm de Smaragdi natura, quæ iuuat ad laſciuos motus compeſcendos; vndè appellatur amator caſtitatis, quo nomine etiam Sapphyrus appellatur ob eandem vim; & ſic de multis alijs, vt videre eſt apud *Dioſcoridem de lapidibus pretioſis.*

Verùm, dices quomodo huiuſmodi lapides habent has virtutes; ſi corporale non agit in ſpirituale, qualis eſt anima noſtra.

Reſp. quod quemadmodum corpora cęleſtia influunt in corpus noſtrum directè, & in animam indirectè; ità prædicti lapilli, & gemmæ prætioſæ, aliaque corporalia agunt in animam noſtram non vtique directè, ſed præcisè indirectè per redundantiam corporis in animam: nam quemadmodum ex ſanitate corporis redundat lętitia in animam: ità è contra ex lętitia animæ redundat ſanitas in corpus: Vndè vulgatum prouerbium habet: *Puoco cibo, e puoco affanno la ſanità nel corpo fanno.*

Petes, quæ ſunt illa naturalia, quæ habent vim inductiuam ad amorem. Reſpondeo à me conſultò omitti, ne ſint in ruinam procliuorum; licèt enim meæ ſint partes afferre in medium, quæ naturalia compeſcunt luxuriā; non tamen, quæ illam refricant, claret. Non ſunt habenæ indomito equo relaxandæ.

DIFFICVLTAS II.

An dentur aliqua naturalia, quæ habeant vim accendendi in amorem alicuius particularis: v. g. prebentis pocula amatoria.

Occa-

OCcaſio mouendi difficultatem eſt: quia pocula amatoria prębētur amaſiæ.i. perſonæ amatæ; vt afficiatur amore erga prębentem .i. amantem; non autem indifferentèr circa quamcunq; perſonam: quinimmò huiuſmodi amor, vtpotè zelotypus nullam admittit ſocietatem: notum eſt.

Reſpondeo, quòd quamuis aliqua dentur naturalia, quibus dilatatur cor in amorem in genere: non tamen, quæ inclinent in ſpecie erga talem particularem perſonam .i. nō ineſt eis naturalis vis, vt quæ, vel quis inclinetur potiùs in vnam, quàm in aliam perſonam, vti intendit, qui prębet pocula: vel ad hoc defert ſecum lapides, vel aliud quidpiam: quod, ſi præbentem huiuſmodi pocula, vel deferentem lapides ad amorem contingat amari à perſona concupita, hoc eſt per accidens, vel operatione Dęmonis; qui cum Mago ex pacto expreſſo, vel tacito concurrit ad procurandum; vt ametur ab illa perſona, in cuius perniciē Magus Sortilegus amatoria ſigna direxit: operaturq; Dęmon in primis, vt Magus amaſiæ appareat ſpecioſiſſimus, gratioſiſſimus; licèt interdum vtraque careat qualitate: iuxtà illud vulgatum prouerbium: *Qui amat ranam, illam putat eſſe Dianam*: item *Aſinus Aſino, & ſuis ſui pulcher*: Vndè cęcus pingitur amor: quia nullum reperit defectum in amato, iuxtà illud Scripturæ: *Amor, & odium peruertunt iudicium, Eccleſ. c. 9.*

Verùm notandū, quòd inter naturalia vim ſupradictam habentia magnum intercedit diſcrimen; nam alia alijs ſunt perículoſiora: illa .s. quæ præbentur potu, aut eſu reſpectiuè ad illa, quę fiunt tantummodò phylitris, ideſt verbis, ſeu carminibus; quia pratēr inuaſionem diabolicam, & æſtuationē libidinoſam faciunt interdum inſanire, & auferunt vitam; quòd notat in primis *Biusfeldius in Com. de Maleſ. & Mathem. lib. 4. quæſt. 1.* patetq; experientia.

DIFFICVLTAS III.

An Dæmones per pocula amatoria, vel phylitra, ideſt carmina voluntati violentiam inferre poſſint.

RAtio difficultatis eſt, quia multi, (teſte experientia) aſſerunt ſe inuitos trahi ad amorem, vel odium, iuxtà illud *D. Aug. tract. 26. in Ioan. poſt initium*: *Trahit ſua quemque voluptas.*

Difficultati reſpondetur diſtinctione, ſic: Duplex eſt actus liberi arbitrij, nimirùm actus interior, & exterior, actus interior eſt velle; exterior verò eſt actus aliarum potentiarū, quibus voluntas imperat: v. g. pedibus, vt ambulent, manibus, vt laborent, &c. Quoad actum exteriorem poteſt cogi voluntas: nam poteſt quis cogi, vt coram Idolo flectat genua: Quò verò ad actum interiorem; qui eſt velle, eligere, & conſentire, nō poteſt cogi abſolutè; quia actus voluntatis interior de ratione ſuà includit immunitatem ab omni coactione; adeò vt nulli agenti creato ſubijciatur, ſed tātùm Deo agenti increato.

Dixi abſolutè, quia voluntas hominis, ſeu liberum arbitrium eſt potentiſſimum ſub Deo: Verùm tamen eſt per blanditias, minas, & tormenta induci de facto; quando quis amat aliquid infra ſe, vt vitam temporalem: vel aliquid, quod agens creatum conferre, vel auferre poteſt: ità *Seraph. D. S. Bonau. 2. Sentent. par. 2. quæſt 4. Toletus lib. 4. cap. 16. nu 5.*

Nec obſtat reſolutioni obiectio allata, quia etſi homines tententur amore, vel odio: non tamen coguntur; quo fit, vt Confeſſarij nō debeant admittere excuſationem illorum; qui dicunt ſe inuitos ad amorem, vel odium pertrahi. Verùm tamen eſt per aſtutiam Dęmonis ad hæc incitari; mouet enim phantaſmata, eorumq; imaginem: v. g. faciendo apparere minus amabilia amabiliora: & minus odibilia odibiliora, inſuper incitando carnis appetitū; ſemper tamen libera manente voluntate, quæ non poteſt excitari ad amorem iſtius, vel illius in particulari, vt ſupra innui *cum Toleto*: ver. g. præbentis pocula, vel facientis carmina, niſi ars Dęmonis interueniat; qui ad excitandum amorem, vel furorem cōcupiſcentiæ perſonæ excitandæ medijs naturalibus vtitur, attendens excitandi opportunam occaſionē, vtpotè, cum inuenit illam otioſam, vel amoribus vacantem: faciunt allata per *Zanard. in Direct. Theol. part. 1. cap. 5. circa medium, ibi, 4. credendo Dæmones*: per Caſſiodorum ſuper illud Pſalmi, *Perfecto odio oderam illos.*

DIFFICVLTAS IV.

An grauius ſit crimen Sortilegæ, quæ vt amaſiū ſuum ad ſui amorem pelliceat; præbet illi in potum proprium ſemen; an verò illius, quæ ob dictam cauſam menſtrua propria illi præbet.

REſpondetur, huiuſmodi Magarum Sortilegarum crimen ex parte finis eſſe ęquale (cęteris alijs paribus) quia vtriuſq; crimen tendit ad conſecutionem voluptatis venereæ: ex parte āt nocumēti grauius eſt crimen illius, quæ in potum præbuit menſtrua; nam ſemine venenoſius eſt menſtruum; cum ſeminis corrupti propemodùm teneat naturam; Vndè longe grauiores infirmitates in corpore humano cauſare poteſt, quàm ſanum ſemen: ex parte verò materiæ grauiùs eſſe illius; quæ prębet ſemen, ſi voluntariè ideò ſe polluit. Hoc attendat Confeſſarius, vt pro poſſe à traditione huiuſmodi potationū malas arceat fęminas.

Verùm not. quòd nec menſtrua, nec ſemen humanum habent virtutem pellendi ad amorem illa, vel illud potantes; ſed hoc eſt commentitium à Dæmonibus aſtutiſſimè adinuentum; vt vel ſic carnalibus dediti ad maleficia ſecum concurrant; & obindè eorum multiplicentur delicta.

Eſt autèm Dęmon, qui concupiſcentiam incendit, & mouet phantaſmata perſonæ amatæ, vt prouocata ad peccatum carnale cum Mago inducat. Verùm Dęmon nihil poteſt contra amaſiam; niſi ipſa ſpontè aſſentire velit, cum ipſius

ipſius voluntas minimè cogi poſſit; valeatq; reſiſtere cuique impetui: nec permittit Deus nos tentari ſupra id, quod poſſumus, teſte D. Paulo. Immò facit cum tentatione prouentum; ſi nos viriliter reſiſtamus: iuxtà illud Iudit cap. 11. *Quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum*, & poſt pauca ſequitur: *Ideò & manus Domini confortauit te.*

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Sortilegia ad amorem ſapiant hæreſim, quando .s. ſiunt ad effectum, vt Dæmon viri, vel mulieris pudicitiam tentet.

Reſpondetur difficultati negatiuè, nam Dęmoni minimè attribuitur, quod ei non conuenit: ſed quod conuenit; ipſius enim proprium eſt tentare, ad peccataq; animos flectere: iuxtà illud *Matth. 4. Et accedens Tentator. Clarus in §. Hæreſis, ver. Succeſſiuè quæro. Oldradus conſ.* 210. *Canon. in cap. Accuſatus §. Sanè de Hæreticis lib. 6.*

Pro intelligentia notandū primò, Sortilegia alia eſſe hęreticalia, alia ſimplicia. Hęreticalia dicuntur illa; in quibus inuocatur Dęmon ad faciendum, vel innoteſcendum nobis ea, quæ ipſe ex ſua natura facere, vel ſcire nō poteſt: vt ex nihilo aliquid facere, aut notificare ſecreta cordis humani, cuius perſcrutator eſt ſolus Deus: & ratio eſt, quia ſic attribuitur creaturæ, quod ſoli competit Creatori: *Grillan. de Sortil. q. 10. nu. 1. 2. 6. 10. 19. Clarus in Praxi crim. ver. Hæreſis, §. Succeſſiuè quæro.*

Sortilegia ſimplicia dicuntur illa, in quibus inuocatur quidem Dęmon ad facienda, quæ ipſi ſunt naturalia, vt hominis ad peccata prouocare: itèm furta occulta reuelare. Hęc (inquam) Sortilegia, etſi prohibita ſint, grauiq; pœna plectenda; non tamèn ſapiunt hęreſim, *Gloſ. Archid. Gemin. & Canoniſtæ in cap. Accuſatus, §. Sanè extra de Hæreticis lib. 6. Oldradus loc. cit. Clarus in §. Hæreſis: verb. Succeſſiuè* Verùm ad hoc, vt non ſint hęreticalia, comitari debent conditionibus ſequentibus; vt notat *Carena cū aliis ab ipſo citatis in tract. de Modo procedendi in S. Tribun. tit. 12 § 5. nu. 31.*

Prima, quòd ſit ſecluſus Sacramentorum, vel Sacramentalium abuſus.

Secunda, vt non inuocetur Dęmon deprecatiuè.

Tertia, vt excludatur abuſus verborum Sacræ Scripturæ, & pacti expliciti:

Verùm attende, quòd huiuſmodi Sortilegia licèt non ſint hęreticalia reſpectu operis: ſunt tamen talia reſpectu operantis; quod notat idem *Carena loc. cit.*, quia Dęmonis quouis modo inuocator de hęreſi ſuſpectus redditur.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Vtens Sortilegiis, v. g. ad habendam copulam cum aliqua, an ipſa habita teneatur in confeſſione Sacramentali aperire circunſtantiam tàm perſonæ, quàm Sortilegiorum.

Ratio difficultatis eſt, quia, quemadmodum oſcula, & tactus, quæ ordinantur ad copulam immediatè ſequentem; non neceſſariò explicantur in confeſſione; vti communitèr ferunt omnes DD. ità videtur, quòd circunſtantia Sortilegij ad copulam immediatè ordinati non ſit neceſſariò in confeſſione explicanda.

Reſp. quòd Sortilegio vtens ad copulam habendam, vtramq; circunſtantiam tàm perſonæ cum qua habuit copulam, an .s. fuerit Virgo, coniugata, conſanguinea, &c. quàm Sortilegij .s. an hæreticalis, vel non: an cum pacto explicito, vel tacito, &c. in confeſſione Sacramentali aperire tenetur; nam in illa aperiendus eſt, & numerus, & ſpecies peccatorū; in propoſito autèm Sortilegium, & peccatum luxuriæ ſunt diuerſæ ſpeciei, tàm ſi vnū ſeparetur ab alio, quàm ſi vtrumq; coniunctum exiſtat: ergò.

Nec obſtat obiectio in ſimili de tactibus, & oſculis ordinatis ad conſumationē actus; quia diſſimilis eſt ratio; nam oſcula, tactus, & copula ſunt eiuſdem ſpeciei; at Sortilegiū, & copula carnalis ſunt diuerſæ: itèm oſcula, & tactus ex ſe ad copulam ordinātur; Sortilegiū verò nō ordinatur ad copulam ex ſe, ſed ex malitia hominis; quapropter nihil obſtat; quin in confeſſione Sacramentali Sortilegij circunſtantia ſit aperienda ſimul cum ſpecie luxuriæ.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An; qui ſe iactant callere modum excitandi alterius pollutionem ſolo verbo, veniant denunciandi: & idem quæritur de illis, qui apud ſe libros, vel ſcripta huiuſmodi ſpurcitias docentia detinent.

Huiuſmodi difficultas duas habet particulas, vt patet legenti: & ad vtramq; reſpondetur affirmatiuè: Ratio primæ ſumitur tum ex parte verborū, tum à parte ſuperſtitionis. A parte verborum ſic: quia nulla ſunt verba ex ſe efficacia ad pollutionē excitandam; ſi adeò ſecretò proferantur, vt à perſona, quam Maga Sortilega polluere intēdit, non percipiantur; Vndè, ſi excitetur pollutio; neceſſariò dicendum eſt à Dęmone ratione inuocationis ipſius tacitæ, vel expreſſæ excitatam fuiſſe; inuocantes autèm Dęmonem denunciandi veniunt: patet ex textu, ibi: *In qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbino inuocato, ò inuochino il Demonio*: eſt doctrina communis *Iuriſtarum, Canoniſtarum, & Theologorum.*

Sumitur itèm ratio à parte ipſius ſuperſtitionis; quæ de hæreſi eſt ſuſpecta ratione dictæ inuocationis: omnis autèm de hæreſi ſuſpectus eſt deferendus.

Ratio ſecundæ particulę etiam patet ex textu, ibi: *Che habbino hauuto, ò habbiano libri, ò ſcritti &c. cōtinenti Incātationi, Sortilegij (nota) ò ſimili ſuperſtitioni*: quæ ſanè ratio potiſſimū procedit; ſi dicti libri, aut ſcripta dictas ſpurcitias

tias

tias doceant, cum Sacramentorum, aut Sacramentalium abuſu: v. g. cum abuſu Euchariſtiæ, aut nominum Sacræ Scripturæ.

ART. V. DIFFICVLTAS I.

A pœnitentibus, qui amatoria Sortilegia exercuerunt, quid Confeſſarius inquirere debeat.

RESpō, quòd accuratè, omniq; diligentia ab ipſis inquirere debet; an credāt Sortilegia, aut Dęmonē poſſe alicuius viri, aut fęminæ volūtatē ad inhoneſta cogere, quia foret hęreſis aperta; cum libertati à Deo noſtræ voluntati inditæ repugnet; nam, ſi cogatur ad aliquem amandum, iam nō eſt libera: contra Sac. Scrip. *Eccleſiaſt. cap.* 15. Vndè talia credentes à nullo abſolui poſſunt, præterquam à Summo Pontif. Si verò inuenerit ad dicta res ſacras adhibuiſſe: cum per horum vſum reddantur de hæreſi valdè ſuſpecti; inquirere debet., an fortè exiſtiment res ſacras ad malum habere effectum; quia itèm hęreſis manifeſta exiſteret; quæ ſimilitèr (vt dixi) à Confeſſarijs extra mortis articulum minimè auferri poteſt. faciunt, quæ tradunt *Panorm. in cap. 1. de Sortilegijs; & Gloſſa lib. 6. de Hæret. cap. Accuſatus §. Sanè, & Alphonſus de Caſtro de Iuſta Hæret. punitione cap.* 15.

Aduertat inſuper Confeſſarius ſequentia: Primò, quòd abſoluto Sortilego ꝑ Inquiſitorem ab excōmunicatione, ſi quam contraxit; adhuc debet coram ſe ſacramentalr̄ confiteri oīa Sortilegia; ſublata n. excommunicatione adhuc remanet peccatum mort. ſacramentali confeſſione abſoluendum.

Secundò, an ſortilegium ſit reſeruatū Epiſc. loci; nam vt plurimùm ſolent reſeruari ipſi, maximè, ſi fiant cum abuſu Sacramentorum, vel rerum ſacrarum, vt patet ex tabella Diœc. Bergom.

Tertiò, ſi prius ſe præſentet ſibi, videat, an expediat illum ad Superiorem remittere.

Quartò, interroget, an in Sortilegio interceſſerit Sacramentorum, aut Sacramentalium abuſus.

Quintò, grauitatem huiuſce delicti pœnitenti cum explicare oportet, vt timeat; ac inſimul magnam Dei miſericordiam, ne de ſalute ſua omninò deſperet.

Sextò inquirat, an in Sortilegijs aliquem dānificauerit; vrgendo, vt damna reſarciat.

Septimò examinet, an Sortilegium patratū fuerit, pacto cū Dęmone explicito, inſtando, vt omni pacto cum eo inito abrenunciet.

Octauò agat, vt libros Sortilegia continentes ad Inquiſitorem deferat.

Nonò, ſi Sortilegus, Diuinator, Magus, Maleficus hæreſim cōiunctam habuerint, admoneat eos ipſo iure, vtpotè Hæreticos excōmunicatos eſſe, quòd, ſi illam minimè cōiunctam habent; veniunt ſolūmodò excommunicādi. *Suarez de Religione tom. 1. tract. 3. Sanchez in Opere Morali tom. 1. lib. 2. cap. 38. nu. 90. & alij.*

DIFFICVLTAS II.

An in Magia Sortilega, aut quouis modo diabolica admittatur paruitas materiæ.

REſpō minimè admitti, ob neceſſarium pactum cum Dęmone in illis Magijs implicitū: nec excuſatur Magus .ſ. proteſtatione, quòd recuſat omne pactum ſiue cum ſe, ſiue cum alio, vtpotè ſuo magiſtro initum, ſi vtatur medio vano: quia factum proteſtationi contrariatur: ſemperq; pactum cum Dęmone explicitum in confeſſione eſt explicandum, cum culpam inuoluat lethalem.

Verùm attendant Confeſſarij, an inuocatio Dęmonis, ſeu pactum ſit expreſſum, vel præcisè tacitum: nam licèt vtroque modo inuoluant mortale: tamen interdum reſeruatur tantum expreſſa Dęmonis inuocatio; vndè diligentèr notanda ſunt verba tabellæ caſuum reſeruatorum: patet ex *Tabella Bononienſi caſ.* 2. *ibi: Adoratio Dęmonis, & inuocatio eius expreſſa. item ex admonitionib. Confeſſarijs, quæ dictæ tabellæ ſubnectuntur ibi, intorno al ſecondo.* Verùm attende hanc limitationem reſpū denūciationis nihil prodeſſe: cum textus manifeſtè aliud cantet, ibi: *in qualonque modo eſpreſſamente, ò tacitamente habbiano inuocato: ò inuochino il Demonio &c.* nec tabella aliqua caſuum reſeruatorū obſtat Edicto S. Inquiſitionis: nam illa cum reſpiciat abſolutionem in foro Sacramenti; prout expedit illi foro, limitatur, & idem præſtat S. O. reſpectu ſui fori aliud præcipiens.

DISTINCTIO QVARTA.

Species jv. .ſ. De Magia Necromantica tàm operatrice, quàm diuinatrice, de qua Text. loquitur ibi: *O ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi ſia ſperimento di Magia, ò Negromantia.*

Secatur hæc diſtinctio in duos articulos.

Primus reſpicit quædam notabilia circa Necromantiam.

Secundus autem ponit ſpecies Necromantiæ; & demonſtrat, an fiat vera mortuorum ſuſcitatio inuocato Dæmone: & quomodo ſit damnata, & denunciabilis Fidei præcipuis magiſtris.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An aliqua notanda occurrant circa Necromantiam.

REſpondetur affirmatiuè, ac primò notandum eſt, duplicem eſſe Necromantiam, iuxtà duplicem finem, quem habere poteſt illa vtens: Si ad diuinandū dicitur diuinatrix; ſi autem ad operan-

randum operatrix dicitur: Textus verò non potius de vna, quàm de altera loquitur; ac ideò vtramq; complectitur, ac vtriuſq; denunciationem intendit: nam vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: & vbi generalitèr loquitur, generalitèr eſt intelligenda, *l. De pretio ff. de Publiciana in rem actione.*

Secundò not. Necromantiam in hoc textu non diſtingui à Magia generalitèr ſumpta, vt ſpecies à ſpecie, ſed vt ſpecies ſub ſuo proprio genere: comprehendit enim Magia talitèr accepta ſub ſe etiam Necromantiam, tanquàm magis commune minus commune: nihilq; eſt in genere, quod non ſit in aliqua eius ſpecie; Vndè nota Necromantiam poſitam eſſe in Textu pro exemplo, ſicut etiam ponitur Magia incantatrix: quare ſenſus iſtius Textus talis eſt: quòd debent denunciari S. Tribunali omnes, & ſinguli vacantes Magiæ diabolicæ tàm diuinatrici, quàm operatrici, velut ſunt Necromantici, & Incantatores.

Tertiò not. Necromantiam duplicitèr accipi, vz. largè, & ſtrictè, largè ſumpta habet ſub ſe quinque ſpecies: quarum prima eſt Preſtigium, cum Dęmon præſtigioſis quibuſdam appatitionibus ſe ſenſibus hominum objicit ad occulta prænuncianda.

Secunda eſt Diuinatio ſomniorum, quando ſ. per ſomnia procedit.

Tertia eſt Geomantia, quando ſ. Dęmon per ſigna, vel figuras ex corpore terreſtri formatas demonſtrat Necromantico, quod ab illo petit.

Quarta eſt Diuinatio per Phytones, ideſt per homines viuos arreptos.

Quinta eſt Diuinatio per mortuorum apparitionem, vel locutionem; & hoc modo ſumitur ſtrictè Necromantia, de qua intelligitur propriè textus; Vndè, quando ſuprà libro 17. dictum eſt de diuinatione per ſomnia: ſumebatur largè tāquam quid diſtinctum à Necromantia ſtrictè; omnia enim ſuis locis adaptanda ſunt, ne doctrinæ confuſio oriatur. Quare Necromantia ſtrictè dicta, ſeu vt ſpecies Necromantiæ generalitèr, eſt diuinatio per mortuos, *S. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 3. vbi Raphael Torre diſput. 3. tit. de Necromantia.*

Quartò notandum nos hìc agere inſimul de vtraque Necromantia, tum ad euitandam prolixitatem; tum quia vna ſepè ordinatur ad aliam.

Quintò notandum, quòd Necromantici iactant ſe habere ſuam artem à Salomone, ab Adam, & ab Enoch: Verùm omninò falſum eſt; cū iſti nunq̄ vacauerint huiuſmodi diabolicæ arti; vndè ad illam vtcumque cohoneſtādam introduxerunt hoc commētitium; quare ob inde magis, ac magis à Deo abominātur in ſtudijs ſuis; ſitq; error ipſorum (vt ſic loquar) peior priore: huc confert, quod tradit *Faber aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 11. num. 237.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.
Quot modis exercetur Necromantia, Necyomantia, & Sciomantia.

RESpondetur, Necromantiam tribus potiſſimè modis exerceri: Primò, cum quis adhibito ſanguine determinata verborum forma, certis carminibus, deſcriptiſq; circulis, figuris, litteris, aut characteribus à Dęmone mediatè, vel immediatè requiſitis, quæ ignorare expedit ad dicta *D. Auguſt. in Enchiridion, ibi: Melius eſt aliqua neſcire ſ. pro ſtatu iſto;* mortuos ſuſcitare conatur.

Secundò, cum quis animas defunctorum præfatis cęremonijs euocare procurat, vt occulta reuelent.

Tertiò, cum quis ex deſcriptis lineis, figuris, & ſignis in corporibus mortuorum; vel ex certo cadauerum contactu vult occulta indagare. Hæc *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 41. num. 2. 3. & 4 poſt Raphaelem Torre diſput. 3. de Necromantia.*

Necyomātia exercetur, cum ad recēs cadauer calido adhuc ſanguine rubricatū Dęmon euocatus per os cadaueris futura prædicit.

Sciomantia verò practicatur, cum Dęmon (euocata tātum vmbra) ex illa futura prędicit, quod notat *Calep. ver. Necromantia.*

DIFFICVLTAS II.
An ſuſcitatio mortuorum, quæ fit per Necromantiam ſit vera.

RESpondetur falſam, & impoſſibilem eſſe, ac ſolummodò apparentem; tum quia à priuatione ad habitum (teſte *Ariſt. & l. Qui res ff. de Solutionibus, & liberat.*) nō eſt regreſſio: tum quia limitata potentia, qualis eſt illa Dęmonis, cuius vi fit apparens ſuſcitatio, limitatum producit effectū: patet ex *l. in Agris, ff. de Acquirendo rerum dominio;* illimitatus autem eſſet, ſi verè à morte ad vitam mortuos reuocare poſſet: faciunt quæ ſupra 2. *par. lib.* 11. de Poteſtate Dęmonum docuimus, ibi: An Dęmon vera miracula efficere poſſit, an verò Samuel verè ſuſcitat⁹ fuerit; variāt *DD. vti loc. cit. dictum fuit:* lege *D. Thom. p. par. quæſt. 117. art. 4. ad ſecundum: Raphael Torre diſp. 1. tit. de Necromantia concl. p. Suar. t. 1. de Relig. lib. 2. de Superſt. cap. 16. nu. 13.*

Idem patet in ſimili de transſmutationibus hominum in beſtias, & productionibus animalium perfectorum; quę à Necromanticis fieri dicuntur, quæ itèm ſunt impoſſibilia, vana, & falſa, & ſolùm apparentia. *Suar. loc. cit. n. 6. & 14.*

Idem quoq; conſtat de euocationibus animarum, quæ fiunt miniſterio artis Necromanticę, quæ itidem vanæ ſunt, & fallaces: & reſpōſa, quæ dantur, nō ſunt ab animabus, ſed à Dęmone: ità *S. Thom. loc. cit. ad 2. Suarez vbi ſup. num. 14. Torre loc. cit. concl. 6. diſput. 1. quæ notantur à Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1 cap. 41. nu.* 5. 6. 7. faciunt tradita per *Zanardum in Direct. Theol. par. 2. cap. 42. ibi, tertia ſpecies;* qui ſentit, quòd Dęmon poſſit prædicta ex diuina

diſpenſatione. Idem tenet *Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 181. *nu.* 54. *& 55. & latiùs Pererius de Magia lib.* 1. *cap.* 11.

Verùm, etſi animæ apparere poſſint, & aliquando appareant: vt plurimùm tamen ſunt apparitiones per Dęmones factæ in corporibus aſſumptis ad terrendum, vel fallendum homines, prout Deus permittit: hinc Fauni, Satyri, Napeę, Driades Amadriades, Nympheę, & ſimilia, de quibus Poetæ, ſunt Dæmones: quia .n. in diuerſis formis apparuerunt, diuerſis nominibus appellantur. lege *Fabrũ aduerſus impios Atheos diſp.* 1. *c.* 12. *nu.* 294.

Verùm attende eãdem rationem nõ eſſe de Sibyllis; cum certum ſit ipſas verè extitiſſe, nec ex veſania, vel furore carmina confeciſſe; ſed more accurati Scriptoris, teſtimonium illarum de aduentu, & morte Chriſti verum eſſe. ità *Lactantius de Falſa ſapientia cap.* 15. faciunt tradita à *D. Auguſt. lib.* 18. *de Ciuit. Dei cap.* 23. qui ait oſtenſa ſibi fuiſſe dicta Sibyllarũ à quodam Proconſule Flaccianus nomine: quod accuratè aduertit *Faber loc. cit. diſp.* 4. *c.* 1. *nu.* 6.

DIFFICVLTAS III.
An in Necromantia inuocetur Dæmon.

Reſpondetur affirmatiuè; vndè *Vmbertus Locatus in Opere Iudiciali, ver. Necromantia* proloquitur in hæc verba: *Diuinatores .s. via Necromantiæ, vt plurimùm expreſsè, vel tacitè ſunt Dęmonũ inuocatores*: idem notat *in ver. Inuocare*, qui etiam deſignat per quæ indicia dignoſci poſſint Necromantici: vult .n. habere viſũ toruũm, & obliquum ex apparentia, & collocutione cum malo ſpiritu.

DIFFICVLTAS IV.
An Necromantia ſit damnata, & Necromantici denunciandi.

Reſpondetur abſolutè affirmatiuè ad vtrũque quęſitum. Patet Necromantiam eſſe damnatam: militat .n. contra præceptum de adorando ſolo Deo: Vndè *c. Epiſ.* 26. *quęſ.* 5. *& cap. Nimirùm eadem cauſa, & quęſt. & cap. Non obſeruatis* 26. *quæſt.* 7. dicitur, quòd Necromantiæ credens eſt infidelis, & peior Pagano. *Farinac. de Hęreſi quæſt.* 181. *nu.* 58. *& 59. Repert. Inquiſit. verb. Necromantia. Zanchinus tract. de Hęret. cap.* 22. *nu.* 4. *in fine. Lelius Zecchius in Sum. pri par. de Fide cap.* 19. *rubr. de Necromanticis. vide Bullam Sixti V.* 21. *in ordine*, qua expreſsè damnãtur Aſtrologia Iudiciaria, Chyromantia, Necromantia, & ſimiles; ex eo quod huiuſmodi artes non niſi cum occulta Dæmonum ſocietate exerceri valeant: & proptereà cõtra Aſtrologos, & prædictos Necromanticos, Chyromãticos, &c. deueniendũ eſt ad denũciationem; cũ expreſsè ſtatuerit Inqſitores cõtrà ipſos procedere poſſe &c. quod intelligẽdũ eſt iuxtà doctrinam de Aſtrologia, Chyromantia ſupra traditam lib. 17. & 18.

DISTINCTIO SEXTA.

Quarta ſpecies Magiæ effectricis, vz. de Magia Incantatrice, de qua Textus, ibi: *O s'ingeriſcano, ò ſi ſiano ingeriti in qual ſi ſia eſperimento di Magia, Negromantia, Incanteſmi.*

Partitur diſt. hæc in tres articulos, alter demonſtrat quid, & quotuplex ſit Magia incantatrix; & quòd Incantator venit denunciandus, .s. Cenſoribus Fidei.

Alter oſtendit Incantatorum voces minimè eſſe cauſam efficientem incantationis.

Tertius tradit quoddam incantamentum, & oratio incantantium.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Incantatio quid.

Reſpondet *Bordonus reſol.* 40. *num.* 14. eſſe maleficium reddens hominem ſtolidũ, inſenſatum, & quaſi immobilem. Mihi verò potiùs probatur incantationem eſſe Magiam malorũ patratricẽ, qua ſolis verbis redditur animal, vt extrà ſe.

Dico primò eſſe Magiam .s. ſpeciem Magiæ effectricis.

Dico ſecundò (ſolis verbis) vt deſignem incantationem verè eſſe opus Magicum, cum incantans tantummodò verbis mira efficiat.

Dico tertiò, redditur animal, quia nõ tãtùm homo incantari poteſt: ſed alia quoq; animalia, patet ex D. Scriptura de Aſpide ſurdo obturante aures ſuas ad vocem incantantium.

Dico quartò, vt extra ſe, quia animal poſt incantationem apparet ſenſu, & motu carere. Vndè diminuta vidẽ deſcriptio *Bordoni de Incãtatione*, illam ad hominem reſtringendo: è cõtrà verò nimis illam extendit *Ouidius*, dum loquitur de Medea, & *Virgilius in Bucolicis*: ſed cum iſti poeticè loquantur, nihil contra nos. Diffinitio quippè debet conuenire omni contento ſubdiffinito; aut deſcripto: immò cũ illo conuerti: *l.* 1. *§. Dolum, ff. de dolo.*

DIFFICVLTAS II.
Quid, & quotuplex eſt Magia Incantatrix.

Noto itaq; primò, quòd Incantatio ſtrictè eſt quędam ſpecies Magiæ; qua Incantator ope Dęmonis, verbis tantùm aliquid ſupra vires naturæ operatur: Hinc *D. Aug. de Natu. Dęmonum* ità proloquitur: *Incantatores dicũtur, qui artem Magicam verbis tantùm peragunt, patrantq; mirabilia, vt potè firmando ſanguinem, dentium dolorem, &c.* veluti notat *Summa Pacifica ſupra primum Præceptum cap.* 4. *Bordonus reſolut.* 40. *nu.* 14. Interdùm autèm vtũtur verbis profanis, quæ Dæmonis expreſſam inuocationem continent; interdùm verò ſacris (admixtis qui-

buſdam ſuperſtitionibus; ità *D. Tho. 2. 2. q. 95. art. 4. Nau. cap. 1. nu. 30. Capeauilla de Caſib. reſ. parte pri. cap. 8.*

Notandum ſecundò duplicem eſſe incantationem, nimirùm latè, & ſtrictè ſumptam. Latè ſumpta coincidit cum arte Magica: ſtrictè verò contradiſtinguitur ab ipſa, vt ſpecies à genere ſuo; & ſic ſumitur in Textu, quod ſatis patet, cum ponatur ibi pro exẽplo, vt quędam ſpecies artis Magicæ; conſtat videntibus ſeriem verborum textus, ibi: *O ſi ingeriſcano in qual ſi voglia eſperimento di Magia, ò Negromãtia, ò incanteſmi.*

Notandum denique, quod quouis modò ſumatur Incantator venit Cẽſoribus Fidei deferendus, non minus ac Magus; cum incantatio ſit ſpecies artis Magicæ; idemque iuris eſt de parte quò ad partem, ſicut de totò quò ad totum; *l. Quæ de tota, ff. de rei vendicatione:* vitiataq; qualibet totius parte, vitiatur totum; *l. Si nemo, ff. de Teſtamentaria tutela.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Incantatorum voces poſſint eſſe cauſa efficiens, vt quis incantetur.

RAtio difficultatis eſt, quia ex Sacra Scriptura elicitur aſpidem ſurdam non exaudire vocem incantantium, Pſal. 57. nam timens incantantium verba, alteram aurem terra, alteram cauda obſtruit. *Vairus de Faſ. lib. 11. c. 5.*

Reſp. Magorum verba, ſeu voces ex ſe, .s. naturaliter non habere aliam vim, quàm ſignificandi, & afficiendi auditum; adeò, vt ſi quid vltra efficiant; procedit vel ratione rerum per verba deſignatarum, ab audientibus perceptarum, quæ eos variè afficere poſſunt iuxtà rerũ additarum naturam gaudium, aut triſtitiam afferentium; præſertim addita actione decenti, vti cõtingere poteſt ex auditione inſignium Oratorum, aut Concionatorum; qui interdum mouere ſolent; ſed hic modus mouendi ſolummodò reſpicit illos; qui verborum ſenſum percipiunt, vel trahuntur ſuaui modulatione, quod expreſſè patet, experientia: neutra autem iſtarum qualitatum reperitur in verbis Magi Incantatoris, vt ſupponitur; & propterea ſi effectus: v.g. dolor dentium illicò mitigetur ad ipſius verba, vel è cõtra animal ſanũ, ex. gr. bos, ſtatim reddatur immobile, ſtupidum, vel quid ſimile, non deriuatur ab ipſius verbis, tanquam à cauſa naturali; ſed à Dęmone explicitè, vel implicitè inuocato. ità *Pererius contra ſuperſtitioſas artes lib. 1. cap. 4. circa finem*, contra nonnullos Platonicos, Plotinum, Iamblicum, Proculum &c.

Dices virtutem rerum eſſe in lapidibus, herbis, & verbis: licitumq; eſſe ſine incantatione illis vti, vt patet *26. quæſ. 5. Si quis.*

Reſp. quidquid ſit de naturali virtute lapidum, & herbarum pro nunc ſuperſedeo; de verbis dico, quod impotens ad curandum, vel incantandum naturalitèr, ſi efficacitèr medetur, vel incantet; operepretium eſt, vt hoc præſtet vi ſuperioris virtutis, quæ, cum non ſit à Deo, nec ab Angelo bono; conſequentèr eſt à cacodęmone, quare nihil obſtat.

Vrgebis fortaſsè totam vim incantandi deriuare à ſuauitate modulantis, vel vi verborũ, & proindè eſſe naturalem.

Reſpondetur hoc non concedi; quia alius cum Dęmone non habens pactum, non poteſt talia miranda patrare; licèt æquè dulcitèr modulet: vel eadem verba proferat: Quare dicendum eſt Magorum incantationem à Dęmone proficiſci; vndè concludo verba Incantantium minimè incantationis eſſe cauſam efficientem.

ART. III. DIFFICVLTAS PRIMA.

An ſit ſuperſtitioſa, & damnata illa Incantantium Magorum, oratio Diabolo directa, nimirum, Angelo Santo, Angelo bianco per la tua &c. *cum cæteris verbis, & cæremonijs, quæ conſultò ſubticentur: expedit profectò aliqua neſcire pro ſtatu iſto, inquit* D. Aug. in Enchir. *idemq; inquiro de cæteris alijs orat.*

REſpondetur affirmatiuè, ſatisq; conſtat, tum ex hoc, quod oratio illa Diabolo dirigitur: tum quia eius inuocatio, nõ minus, quàm ipſius conſortiũ exiſtunt cuique omninò diuetita: tum prętereà, quia Sanctum Tribunal procedit contra illam euomẽtes, vtpotè de fide ſuſpectos, vti colligitur ex *Arſen. S. Inq. par. 1. ſub tit. Contra quali perſone proceda il S. Officio.*

Sunt itidèm ob eandem cauſam ſuperſtitioſæ, ac damnatæ orationes, quæ vulgò dicuntur S. Danielis, S. Marthæ, S. Helenæ ad effectum incantandi, ſeu pelliciendi aliquem, vel aliquã ad inhoneſtum amorem, quòd item ſanè patet ex *Arſen. S. Inqu. loc. cit.*

Idem quoque ſentiendum de deferentibus ſuper ſe alias orationes ab Eccleſia minimè approbatas, licèt redoleant pietate, & in locis ſacris repertæ extiterint, ſi deferẽtes firma credulitate teneãt, quòd, dum ſuper ſe tales habẽt, nõ poſſunt offendi ab corũ inimicis viſibilib⁹; etiam ſi contra ipſos tota tormentaria relaxata fuerit: aut quouis armorum genere extiterint aggreſſi.

Idémq; & ob eandem cauſam ſentiendum eſt de orationibus in virginea carta exaratis; quas aliqui ad dictum effectum ſuper ſe portant; quod liquidò comprobatur ex eodem *Arſen. vbi ſupra.*

Quare Confeſſarij admoneant pœnitentes ſuos prædicta nihil remedij poſſe conferre; ſed eſſe laqueum, & inſidias antiqui hoſtis, quibus ſub ſpecie deuotionis genus humanum decipere nititur. *26. quæſ. vlt.*

DIFFICVLTAS II.

An ſit diabolicum, & ſubinde ſuperſtitioſum Dęmonum incantamentum, incipit Cinque deti pongo al muro, *cum cæteris verbis, & cæremonijs adiunctis, quæ conſultò omittuntur.*

Reſpon-

Respondetur abſolutè affirmatiuè, quòd liquidò conſtat, tum quia ità in ſpecie colligitur ex *Arſen. S. Inquiſ. prima part. ibi, De Maghi, Streghe, Incantatori, & ſimili. Deut. cap. 18.* legendus eſt *D. Auguſt. lib. 1. de Doctrina Chriſtiana, & habetur 20. quaſ. 2.* tum, quia exercens huiuſmodi incantamentum S. Officio venit denunciandus, vt debitas luat pœnas, patet ex dicto *Arſen. loc. cit. ſub titulo, Contro a'quali perſone procede il S. Officio*: tum præterea, quia agens corporale, qualia ſunt verba, & alia, quæ ad dictum incantamentum concurrunt; non agit in ſpirituale, cuiuſmodi ſunt Dęmones: tum denique, quia (teſte Diuina Scriptura Iob c. 41.) *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei .s. Dæmoni, qui factus eſt, vt nullum timeret*: Vndè ſiue incantatio fiat ſolis verbis, ſiue etiam rebus quibuſdam adiunctis nullatenùs incantatur: Incantatio autèm non niſi his duobus modis contingit fieri, vt notat *Plinius lib. 28. c. 2.* Verùm tamen eſt Dęmonem fingi ſe vtroque modo incantari; vt Incantatorem incantet, alliciatq; ad incantationes: quod patet in ſimili de alligatione in annulis, pixidibus &c. in quibus ſimulat ſe à Magis alligari, cùm tamen minimè ligetur. Notandum tamen exorciſmis Eccleſiaſticis verè alligari, & incantari poſſe: quia virtus diuina, qua ligantur, & incantantur (vt ſic loquar) in infinitum excedit illam Dęmonum: hinc Lucæ 10. habentur hęc verba. *Ecce dedi vobis poteſtatem ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

DISTINCTIO SEPTIMA.

De quinta ſpecie Magiæ malorum effectricis, vz. De Magia Faſcinatrice, quæ etiam ad Magiam Maleficam reduci poteſt.

Abſoluitur hæc diſtinctio triplici articulo. In quorum alterò videtur quid, & quotuplex ſit Faſcinum: & quomodo Faſcinum naturale differat à diabolico. In ſecundo agitur de Faſcino naturali. In tertio de Faſcino diabolico.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quid, & quotuplex ſit Faſcinum.

Reſpondetur primò Faſcinum duplex eſſe, aliud naturale, & aliud Magicum .s. ſuperſtitioſum, & vtrumq; deſcribit *Vairus de Faſcino, de naturali agit lib. 1. cap. 2. De Magico autèm ſuperſtitioſo, & diabolico, lib. 2. cap. vlt.*

Faſcinum naturale eſt vis, qua aliqui aſpectu, laudatione, voce, tactu &c. hominibus, vel iumentis nocent: *Gloſſ. ad illud Pauli 3. ad Galatas; quis vos faſcinauit.* Hoc autèm Faſcinū naturale procedit præcipuè ex quatuor cauſis, nimirùm ex intenſa imaginatione, quæ facit caſum; ex viſu: ex tactu: & ex voce præcipuè obiecti amati; & de hoc non loquor, quia procedit ex cauſis præcisè naturalibus: & poteſt eſſe, ſaltèm in ſui initio abſq; peccato; ſed loquor de Faſcino diabolicè Magico.

Faſcinum autèm hoc eſt pernitioſa qualitas, Dęmonum arte illata ob tacitum, vel expreſsū Magi pactū cum Dęmonibus initum: & hoc Faſcinum præcipuè deriuatur ab odio, vel amore Magi Faſcinantis in Faſcinatū: & iuxtà varias Faſcinantis paſſiones ſunt etiam variæ Faſcini ſpecies: nam aliud cauſatur ob odium, aliud ob amorem concupiſcentiæ .s. gratia fruendæ amaſiæ &c.

Quomodo autèm tacitè, & quomodo expreſsè inuocetur Dęmon habes apud primam partem noſtrorum Commentariorum ſuper caſus reſeruatos caſu 12. & in his quoque Cōmentarijs pluries dictum fuit.

DIFFICVLTAS II.

In quot differt Faſcinum diabolicum à naturali.

Reſpondetur præcipuè in tribus differre. Primum eſt, quòd diabolicum fit Dęmonis malignitate, (ſi a Deo non impediatur) in omniq; loco, & tempore cōtingere poteſt: vndè non prodeſt cautio ab obiecto infecto; quia abſq; illo, tàm hominis, quàm iumenti corpus faſcinari poteſt: quod ſecus eſt in Faſcino naturali; vbi multū prodeſt cautio ab obiecto infecto: & ità ſentit *Trullench in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 13. num 1.*

Secundum eſt; quia ad diabolicum concurrit Dęmon, & Magus malorū patrator: neuter verò contingit in naturali.

Tertium eſt, quia corpus vi Dęmonis Faſcinandum; ſi non eſt benè ad hoc diſpoſitum vi ipſius poteſt diſponi: Vndè Dęmon æquè faciliter faſcinat vetulam centum annorum, ac puerum vnius menſis: naturale verò fit citiùs, aut tardiùs iuxtà ſubiecti diſpoſitionem: actiones .n. ſunt in paſſo prædiſpoſito: Vndè ſicut ignis leuiori negotio accenditur in ligno ſicco, quàm in viridi; ità faſcinum naturale magis cōtingit iuueni, quàm ſeni. vide *Ariſt. 2. de Anima.*

DIFFICVLTAS III.

An idem Faſcinum diuerſas Faſcini ſpecies complecti poſſit.

Reſpondetur affirmatiuè, quia, ſi quis Faſcino ad ſe cor mulieris pelliciat, vt eā deindè neci tradat; non vnius, ſed duarum ſpecierū naturam Faſcinum habebit: Verùm ignorandum non eſt, quòd à deformiori effectu, ſiuè potiùs defectu tunc Faſcinum nomen, & ſpeciem mutuat: huc autem reſpicit illud *Ariſt. dictum 5. Ethica, Qui furto operam dat, vt adulterium committat; magis eſt adulter quàm fur*: ità qui faſcinando allicit ſibi mulieris amorem, vt deindè eam occidat; potiùs eſt denominandum Faſcinum ad odium, quàm ad amorem ra-

ratione finis principalis: faciunt, quæ habet *Vairus de Faſcino lib. 3. cap. 4. circa finem*.

Attendendum tamen, quòd voluntas abſq; eius proprio conſenſu ad peccatum pertrahi non poteſt; quia ipſa ab omni coactione eſt exempta: Vndè, quamuis Deus permittat nos tentari: nō tamen permittit ſupra id, quod poſſumus: teſte D. Paulo: *Fidelis Deus qui non permittit nos tentari ſupra id, quod poſſumus*.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An abſque peccato, .s. naturalitèr interdum contingere poſſit Faſcinum.

RESpondetur affirm. Hinc Gloſſa ad illa D. Pauli verba Gal. c. 3. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit &c.* dicit, quod inueniuntur quidam homines habentes oculos adeò focoſos, & ardentes; vt ſolo aſpectu alios inficiant, & præcipuè paruulos ratione facilioris impreſſionis ob carnis teneritudinē. faciunt, quæ habet *Ricardus de Media Villa quolib. 3. quæſt. 12. & Doctor Angel. part. p. Summæ quæſt.* 117. quorum ratio eſt; quia ab oculis Faſcinantis exeunt ſubtiliores ſpiritus corporales; qui aerem propinquiorem inficiunt vſque ad determinatum ſpacium; & ipſe aer medius inficit obiectum præſens in determinata diſtantia, vt oculos, ſpecula &c. Vndè videmus ſpecula noua, & pura infectionem contrahere ex aſpectu, alituq; mulieris menſtruatæ, teſte *Ariſt. de Somno, & vigilia*.

In huius rei gratiam ad mentem Platonis in Timęo notandum eſt, quod ex oculis amaſiorum exeunt quidam ſpiritus, hoc eſt vapores ſubtiliſſimi, è corde procedentes; qui ad alterius amaſij oculos peruehuntur: ibiq; greſſum non ſiſtunt; ſed ad intima cordis obiecti amati penetrantes, ſuum ibi exequuntur munus, vz. cor vulnerandi, & transfigendi; Vndè paulatim velint, nolint fateri coguntur iſti amaſij, vel amaſiæ ſe validiſſima cuſpide, potentiſſimoq; telo nimij amoris erga obiectum amatum omni ex parte vulneratos eſſe, illiusq; vi cor ſuum habere transfixū: tenereq; diu, noctuq; genas, ac oculos lachrymis madefactos, eſſeq; potiùs, vbi amant, quàm vbi animant: Vndè non rarò ſuſpicantur ſe ab amaſia ſua, Faſcinatos fuiſſe; eo quod vix ad alia cogitationem ſuam vertere poſſint. Quod, ſi vnum ab alio ſeparari contingat, illicò amore languent, & aliquando ægrotant: claret ex *Scriptura Sac. 2. Reg. de Ammon*, qui ob nimiū amorem erga Tamar ſororem ſuam quaſi ægrotare cæpit.

In gratiā horū Faſcinatorū DD. nōnulla documenta tradunt; primū eſt, vt iſti, quo ad fieri poteſt ab obiecti amati conſuetudine, & colloquio præcaueant; quod ſanè præſtare poterūt, ſi ab eo longè diſcedant: ſuadeturq; ipſis per dictum phyloſophicum, .s. remota cauſa, remouetur effectus: & per illud vulgatū prou. quod oculus non videt, cor non dolet.

Secundum eſt, vt huiuſmodi amantes, ſeù, vt veriùs dicā, amētes aliquod munus obeant, ex cuius recta, vel mala functione magnū cōmodū, vel incommodum, laus, vel infamia dependeat: nam pluribus intentus minor fit ad ſingula ſenſus: Vndè quò intenſius vacauerint negotio illi; eò remiſſius erunt circa obiectum amatum.

Inſuper ad hoc plurimùm conducit, ſi amorem ſuum in obiectum pulchriùs, illuſtriùs, ditiùs, amabiliùs, potentiùs, & ſapientiùs cōuertere contendant; nempè in Chriſtum; qui eſt pulcherrimus: *Specioſus forma præ filijs hominum*.

Ditiſſimus: *Gloria, & diuitiæ in domo eius*.

Delicioſiſſimus: *Delectationes in dextera eius vſque in finem*.

Potentiſſimus: *Omnia quæcunque voluit fecit in Cælo, & in terra*.

Illuſtriſſimus: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*.

Sapientiſſimus: *Sapientiæ eius nō eſt numerus, & ſapientiæ eius non eſt finis*. Et vt omnia, quæ dici poſſunt, verbo vno comprehendam: eſt ille *Ex quo omnia, in quo omnia, & per quem omnia &c.*

Ex prædictis igitur liquidò patet concluſio noſtra, .s. quod dari poteſt aliqua faſcinatio merè naturalis, & quæ abſque peccato obuenire poteſt.

DIFFICVLTAS II.

Amatorio Faſcino qui præcipuè ſubiecti.

RESpondet *Leonardus Vairus de Faſcino lib. 1. cap. 13. circa finem*, illos potiſſimùm eſſe ſubiectos, qui ſunt naturæ ſanguineæ; cum abundantia ſanguinis mirabilitèr, naturalitèrq; ad amorem trahat: petatq; ſuperflui expulſionem modo naturæ faciliori, quod fit congreſſu rei amatæ.

Pelbartus in Roſ. Theol. p. 2. ver. Corpus humanum, §. 12. ſentit ob redundantiam dicti humoris ſanguinei eſſe quoq; ſpecialiſſimè ſubiectos dicto Faſcino, qui ſunt naturæ colericæ.

Alij volunt in primis illos potiſſimùm affici amore, qui pręter cōplexionem ſanguineam, q̄ ab eorū cōceptione traxerūt; in ortu habuerunt concurſum, & occurſum Planetarum ad amorem inclinantium: Verùm, cum concurſus, & occurſus Planetarum, aliarumq; Stellarum ordinetur ad idem .s. ad complexionem, non multiplicat cauſam: nam vbi vnum propter aliud, ibi tantum vnum, *l. fin. ff. pro donato*.

Mihi verò probatur illos maximè propriè ſubijci dicto Faſcino, qui hùc, illùcq; figunt lumina in obiecta pulchra; præcipuè, ſi cum illis ſympathia naturalis intercedat: ex cōiunctione enim oculorum pluries refricata exit quidam humor (teſte Platone in Thimęo, vt alibi dictum fuit) qui pertingens ad oculos obiecti amati tranſit ad illius cor, ibiq; mirabilitèr, inuiſibilitèrque actiuè operatur; illud amoris iaculo totum transfigendo: quemadmodum .n. voluntas nō fertur in præcognito;

ità amor non generatur, niſi ex præuiſione formæ rei amatæ: Verùm hæc non eſt tota ratio: vt notat *Faber aduerſus Atheos diſp.1.cap.9.* quia duo alia requiruntur; primum eſt, vt forma ab oculis tranſeat ad phantaſiam, & detineatur in imaginatiua illam contemplando: ſecundum eſt, vt appareat appetitui ſenſitiuo conueniens.

Creſcitq; multùm, ſi ad reciprocum amorem formam amatam diſpoſitam inueniat; actiones enim fiunt in patiente prædiſpoſito *Ariſt. 2. de Anima*. Verùm, dum in illam intuendo remoratur; transfigens retransfigitur; vnuſq; in alium transformatur; adeò, vt alterq; ab altero minimè dimoueri poſſit; quod ſi alter ab altero ſe elongare contendat; illicò ſentit elongationis difficultatem, languorem, defectumq; cordis, amaſiæ abſentiam minimè ſuſtinere valens, vt ſupra dixi: Vndè potiùs eſt, vbi amaſia, quàm vbi ipſe; hinc interdum talitèr amantes fiunt amentes, vt ſupra innui; cætera ſubticeo; quia ſumus in claris: vndè in primis oculorum euagatio euitanda eſt: nam ipſi præter dicta mala indicant animi affectum: v. g. ex cordis gaudio ſubrident, ex timore langueſcunt &c. *Vairus de Faſcino lib. 1. c. 3. Faber aduerſus Atheos diſp. 1. c. 9. nu. 162.*

Notandum verò nos loqui de Faſcino naturali, quod dicitur ad diſtinctionem Faſcini diabolici; quo affici poſſunt non minus flegmatici, & melancholici, quã ſanguinei, & cholerici; Hactenus de Faſcino amatorio.

DIFFICVLTAS III.

Quæ ſunt coadiuuantia Faſcinum naturale.

RESpondetur tria potiſſimùm eſſe. Primũ eſt, ſi perſona contagioſa infirmitate detenta toto conatu, voluntateq; peruerſa feratur ad nocendum proximo; adeò, vt per vehementem apprehenſionem ipſius animæ corpus remaneat immutatum, ſeu alteratũ: nam non poteſt fieri Faſcinatio (regularitèr loquendo) per ſimplicem intuitum contagioſi, niſi priùs facta fuerit immutatio in ipſo, .s. contagioſo; quia requiritur priùs immutatio in agẽte, quàm in patiẽte: iuxtà illud Phyloſ. 3. Phyſ. *Omne agens in agendo repatitur: & omne mouens in mouendo mouetur*; priùsq; eſt, prioritate ſaltẽ naturæ, actio, & motio in agente, quàm ſuſcipiatur in paſſo: eſt .n. ibi præſuppoſitio huius ab hoc.

Dixi regularitèr loquendo, quia poteſt contingere; vt adeò ſit graue, & actiuum contagium, ꝙ naturalitèr agat abſq; noua alteratione contagioſi: praxi expertum eſt tempore peſtis. Alterum eſt, ſi ſecundum rectam lineã infectio illa emanans à corpore infecto pertingat ad obiectum.

Tertium eſt fortis imaginatio patientis, qua credit ex tali actione eſſe inficiendi: iuxtà illud vulgatũ: *Imaginatio fortis facit caſum:* faciunt quæ tradit *Sprenger in Malleo Maleficarum part. 2. q. 1. cap. 4. Nider de Decem Præc. Decal. Præc. 1. c. 11. nu. 27.*

DIFFICVLTAS IV.

An reſtrictio lactis in mulieribus, aut in vaccis contingat interdum ex Faſcino naturali.

RESpondetur interdum cõtingere ex cauſis naturalibus, & interdum etiam ex maleficio: Not. itaque reſtrictionem lactis ex triplici cauſa accidere poſſe: Primò, ex comeſtione alicuius herbæ, aut alterius rei reſtringentis: Secundò, per conceptũ fętum; retorquetur .n. lac ad partem interiorẽ, vbi eſt fętus, vt ex illo paſcatur: Tertiò denique contingit per Faſcinum diabolicum: quare dicere compellor; vt non ſtatim ac mulier, aut vacca caret lacte, alicui malefico, aut maleficæ temerè ſcribatur defectus; nam graue ſatis eſt, vt in re dubia, certa detur ſententia. 11. *quæſt. 3. Nider de Decem Præc. Dec. cap. 11. nu. 36.*

Reuocatur autèm ad Faſcinum huiuſmodi reſtrictio ob ſpecialem qualitatem Faſcini, .s. reſtringendi, quæ hìc propriè reperitur, vt conſtat.

DIFFICVLTAS V.

An Infantes interdum eiulatu proprio ſe faſcinent.

NOtandum eſt eiulare idem eſſe, ac voce alta plorare, vt docet *Calepinus ver. Eiulatus*; qui, vt tradunt infradicti magiſtri, eſt propriè Brutorum.

Difficultati reſpondẽt *Leonardus Vairus de Faſcino lib. 1. c. 10. Cardanus de Rerum varietate lib. 15. cap. 80.* affirmatiuè: verùm loquuntur largè de Faſcino naturali, prout idem eſt, ac nocumentum, quod quis inſcitè ſibi inducit; certũ quippè eſt infantes ex prolixo, ac vehementi eiulatu ipſorũ interiora alterari: adeoq; ſcomponi, vt non niſi magna cum difficultate recomponi queant: vndè, ſi corporis ſcompoſitio cuiq; nocet, licèt eius corpus ſit craſſum, ſolidũ, & iam ad pfectionem redactũ, quomõ non nocebit corpori tenello, ſubtili, & adhuc (vt ſic loquar) in fieri? quis ignorat actiones agẽtis fieri in patiẽte prædiſpoſito, iuxtà *Ariſt. 2. de Anima*, quale eſt corpus infantiũ? poſſunt itaq; ſe ſe faſcinare proprio eiulatu; quare illicò, ac eiulare incipiunt, placandi ſunt.

Verùm, dices, vndè lachrymarum effuſio? Reſpondeo, ſi parua ſit, cauſatur ex conſtrictione ſpongiarum carnearum in cauitatibus oculorum, exiſtentium ad inſtar ſphęrularum, ex quibus velut ex madefacta ſpongia (compreſſione mediante) emittitur humor lachrymarum; ſi verò effuſio copioſa exiſtat; dicendum eſt deriuari non ſolùm à dictis ſpongis; ſed etiam à toto oculo, ab humore cerebri, aliarumq; corporis partium, potiſſimùmq; ex cordis compreſſione ratione doloris, triſtitiæ, &c. quæ ſingula vim habent conſtringẽdi, ac cauſandi emiſſionem interni humoris.

Cur verò pueri, & item mulieres ad lachrymarum ęmiſſionem ſint faciliores. Reſpondeo hoc eſſe; quia citiùs, ac faciliùs ex eorum imbecillitate, & inconſtantia, dolore, triſtitia, &c. afficiuntur.

Dices; ex gaudio noſcitur etiam cauſari emiſſionem lachrymarum, quomodo ergò ex ſuo oppoſito, vz. ex triſtitia? &c.

Reſp. quòd aliter lachrymatio cauſatur ex gaudio, & aliter ex triſtitia, & dolore: ex gaudio cauſatur quatenus ex illo dilatatur humor vſq;ad eius debitam ſphęram, vltra quam, cum non poſſit dilatari; neceſſariò dictus humor conſtringitur, ac emittitur ex propria ianua .s. oculorum: cauſatur verò ex dolore, triſtitia, &c. cum illorum ſit reſtringere, vt ſupra dictũ eſt. ità ex *Magiſtris .s. Bartholomæo de Medula, & Bonauentura de Catana in lib. de Anima diſp. 5. quæſt. 12. art. 2. nu. 376. Cardanus de Rerum varietate poſt Braſichelis Magiſtri S. Palatij correctionem lib. 8. cap. 44.*

DIFFICVLTAS VI.

An quis opinione mali, v.g. ægritudinis ſe ſe faſcinare poſſit.

Reſpondetur affirmatiuè, vti teſtatur *Leonardus Vairus de Faſcino lib. 1. c. 10.* vndè *Senece lib. de Moribus*, ità proloquitur: *Qui ſibi videtur pauper, pauper eſt.* Et ad *Lucillum ſcribens lib. 1. ep. 9.* eſt in hæc verba: *Quid refert, qualis ſtatus tuus ſit, ſi tibi videtur malus: & Boetius de Conſolat.*, inquit, *Nihil eſt miſerum, niſi cum putes.* Quæſtio hæc adeò vera eſt, vt *Vairus loc. tit. cap. 2.* teneat bonam opinionem ægroti de Medico ad ſanitatem conſequendã illi plurimum conferre; maximè, ſi illi prædicat fore ſanandum, rationemq; reddit; quia opinio diu in affectu noſtro radicata habitum efficit; opinionatumq; afficit iuxtà opinionum diuerſitatem: conſtat in ſimilibus de illo, cui poſt cõtractum nimij timoris habitum; etiam quæ ſalutaria ſunt, timorem ei incutiunt: huc etiam ſpectat, quod refert *Nicolaus Cauſinus della Corte Santa lib. 2. oſtacolo 3.* de quodam, qui adeò innitebatur proprio ſenſui; vt crediderit ſuem paruulum, quem ad nundinas ſuper brachia ferebat, canem eſſe; ob cuius firmam credulitatem illum in terram proiectũ cuiusque arbitrio reliquit. De alio quoq; legitur, qui adeò opinionatus fuit; vt crediderit ſe eſſe granum milij; vndè quantum poterat à gallinis ſe ſe elongabat, ne ipſum manducarent. Illis quoq; qui nauigio vehuntur propè terram; præter experientiam tradit curſus *Pariſienſis de Senſu, & ſenſato, vbi de viſu*, quod videtur, terram, & arbores ambulare; cũ tamèn res ſecùs ſe habeat, .s. ipſa immobilitèr conſiſtere, ipſosq; proſpicientes ex nauigio iter carpere: quod ſanè illis con ingit; quia eorum oculi ſpeciebus aquæ decurrentis ſunt repleti; quare iuxtà ſpecies cętera vident; nam quale eſt medium, per quod videmus; tale videtur eſſe obiectum viſum, vti conſtat: vndè proſpicienti ante oculis viridibus, omnia viridia apparent; & ideò quid mirùm, ſi etiam opinionato appareant res iuxtà opinionis ſuæ qualitatem, & proindè faſcinatus reddatur?

DIFFICVLTAS VII.

An fortis imaginatio interdum Faſcinum efficiat iuxtà commune prouerbium.

Loquor de Faſcino naturali; nam de diabolico infrà art. 3.

Reſponſio eſt affirmatiua, iuxtà illud vulgatum: *Fortis imaginatio facit caſum*: hinc *Collector Probl. Ariſt. de Coitu*, §. *Quare imaginatio*, narrat Reginam quandam albam ex forti imaginatione cuiuſdam Ethiopis propè eius lectũ depicti; concepiſſe; ac genuiſſe filium Ethiopē nigriſſimum; & diſtortum equò, ac illum depictum. Itidèm in eiſdem *Problem. vbi de lingua*, §. *Quare nobis audientibus, &c.* habetur tantam eſſe imaginatiuæ vim; vt ſola alicuius grati ſaporis nominatione in ore creſcat ſaliua: cuius ratio eſſe poteſt, quia vis imaginatiua eſt ſuperior vi guſtatiua; concipimus enim illius virtute ſaporem cibi, aut potus. patet idipſum ex deſcriptione Faſcini naturalis, vbi inter alias ipſius partes ponitur imaginatio: legendus eſt *Hieronymus Cardanus de Rerum varietate correctus lib. 8. cap. 44. Leonardus Vairus de Faſcino lib. 1. c. 2.* Ex vehementi enim imaginatiua alterantur humores in toto corpore; ità, vt interdum etiam morbũ inducant; quod de multis legitur: & eò vehementiùs faſcinantur, quo intentior extat vis imaginatiua; contingereq; poteſt, vt vi illius tanta, & talis fiat commotio; quod totum qualitatum temperamentum deſtruatur; nam vis attractiua humorum ſubditur imaginatiuæ, vide *Conimb. lib. 1. de Gener. cap. 9. quæſt. 1. art. 2.*

Vis itèm matris .s. formatiua (quia ſubditur ipſius imaginatiuæ) diuerſas notas, ſeu ſigna in corpore prolis ſepiùs remanere facit: vti inprimis notat *Faber aduerſus Atheiſtas diſp. 1. c. 8. nu. 132. ex mente Medicorum, & Auicenna lib. 8. de Animalib. cap. 4. 6. & vlt.*

Verùm dices, cur dicta ſigna potiùs appareant in parte, ſeu membro, ad quod mater admouit manum, v. g. illud fricando?

Reſpondetur fortaſsè contingere, quia mater longè intenſa obiecto concupito tetigit illud non ſolùm ſenſu tactus, ſed etiam vi fortis imaginatiuæ: ità ex Magiſtris videlicèt *Bartholomæo Meldula, & Bonauentura de Catana in lib. de Anima diſp. 5. quæſt. 12. art. 2. nu. 380.*

DIFFICVLTAS VIII.

An illa ouium Iacob diuariatio, de qua Gen. 30. fuerit naturalis .s. ex vehementi imaginatione ouium coeuntium: vel miraculoſa.

Reſpondetur, quòd aliqui Patres, vt *D. Chriſoſtomus hom. 57. in Geneſim, Theodoretus ad illum Geneſ. locum, & alij* cenſuerunt illud factum extitiſſe miraculoſum: Alij verò Patres vz. *D. Auguſt. in Gen. quæſ. 93. D. Hieronym. in traditionibus hebraicis ad eum Gen. locum*, & alij aſſerunt, quòd actio illa fuerit naturalis, nimirùm ex intenſiſſimo aſpectu virgarum, cum vehementi imaginatione dictarum ouium in ardore coitus: nam fortis imaginatio habet

vim ad producendum effectum ſimilem rei fortitèr imaginatæ, aut realitèr viſæ; Vndè in propoſito, cum oues illi intensè proſpicerent in aquam colore diuariatam ex immiſſione virgarum partim decorticatarũ .s. albarum: & partim non, .s. viridi coloris: & in aſpectu illarum coirent, non eſt mirum, ſi fetus varijs coloribus affectus concipiebatur; vndè ex his ſatis conſtat, quantùm fortis imaginatio agat.

Verùm notandum Phyloſophos non vnius ſenſus eſſe circa modum operandi per fortem imaginationem: nam Platoniſtæ, & Algazeliſtæ, quos ſequitur *Auicenna lib.* 8. *de Animalibus cap.* 4. 6. *& vlt.* tenẽt faſcinationem fieri per extra miſſionem: Ariſtotelici verò ſequentes *Ariſt.* 2. *de Anima tex.* 161. ſentiunt ipſam fieri per intramiſſionem; cuius ratio eſt; quia actus imaginationis eſt actio immanens, nõ tranſiens: Vndè alteratio ſecundùm iſtos oritur ex qualitate obiectorum mouentium ſenſum; & conſequentèr imaginationẽ: hæc autem dicta ſunt, ne oriatur tibi confuſio ex diuerſitate opinionum; Vndè, qui dicunt faſcinationem per oculos fieri ſequuntur Platonicos: qui verò negant per oculos fieri proſequũtur Ariſt. Hinc *Fauentin. aduerſus Atheos diſp.* 1. *c.* 9. *n.* 169. *&* 170. ſequens Ariſt. aſſerit vetulas, nec per oculos, nec per tactũ faſcinare poſſe; quod idem tenent alij Aſſeclæ Ariſt.

DIFFICVLTAS IX.

An vehemens deſiderium aliquam rem habendi faſcinare poſſit.

RESpondetur affirmatiuè, patet primò in amaſijs, quibus omne indicium, licet leue, ac inaduertenter contingens videtur expreſſus cõſenſus perſonæ amatæ; vndè ſæpè ſæpiùs audactèr quærunt, petunt, creduntq; facillimè ſe conſecuturos concupita, quantũlis illicita; hinc de quadam femella iuuenilis ætatis refertur à fide dignis, quòd adeò deſiderio flagrabat nubendi cuidam iuueni, vt etiam vox inarticulata ſoni campanæ Eccleſiæ Parochialis ſibi videretur indeſinentèr dicere; vt illũ in cõiugem acciperet, ſicut & præſtitit; cuius cõiugij ipsã poſteà penitere incipientem, attentis coniugis prauis moribus; poſteà ſonus dictæ campanæ contrarium ſibi videbatur ſuadere; quod ſanè cõtingebat ex demutato deſiderio: patet idem in ambitioſis, qui ad obtinendum ab ipſis deſiderata; totum, vt ſic loquar, mundum euertunt; parùm ponderant amicorum fœdera, omni labori, ſtudio, humiliationi, ſeruituti, elargitioniq; munerum ſe ſubijciunt.

Faſcinati itèm cernuntur; nam pro concupitis patiuntur omnia, benigni fiunt diſtribuetib' concupita: omnia credunt, omnia ſperãt, ſed longè diſſimili modo, quàm charitate præditi: ſemper ſunt pauidi, ſemper attenti, ne dicant; quod prædictis diſpliceat; humilitatem ſimulant, honeſtatem mentiuntur, affabilitatẽ exhibent: ſubſequuntur, & obſequuntur: cũctos honorant, vniuerſis ſe inclinant, frequentant curias; ſunt prompti, & feruidi, vbi placere cognouerint; remiſſi, & tepidi, vbi putauerint diſplicere: probant, & improbant, quæ placet collatoribus dignitatis concupitæ, & demum omninò excæcantur: ita ex *D. Bernardo in Ser. Quadr. & Innocent. his de vtilitate condit. hum.* & faciũt, quę tradit *D. Greg. in Regiſt.* alia ſubticeo.

ART. III. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Faſcinũ Magicũ pluribus modis contingere poſſit.

REſpõ affirm.; primòq; cõtingit, quando vapores ex oculis, ore, &c. perſonę infectæ emittitur, ex.g. ex oculis, aliuq; mulierũ vetularũ, q, cũ ob caloris defectũ amplius nõ patiantur ſolita mẽſtrua, inficiunt, viq; Demonis facti deteriores ordinantur ad nocendũ; faciunt, quæ tradit *Gryſaldus in Deciſ. Fidei Catholicæ, & Apoſt. ver. Striges: cõſule Bordonũ de Varijs reſol. reſol.* 40. *n.* 14. *in ſimili de Incantatione.* Secundò, quando Demon alijs veneficijs, faſcinibusq; ab ipſo confectis veneficat; vndè notandum, quòd ipſe ad faſcinandũ non indiget vaporibus vetularum, nec aliorũ animalium infectorum: cum apprimè nouerit conficere omnia, & ſingula venena: & nominus Baſiliſco, & Aſpide inficiat, Pſal. 9.

DIFFICVLTAS II.

An Faſcinatores ſint denunciandi.

RAtio difficultatis eſt, quia Faſcinatio eſſe poteſt nõ minùs naturalis, quàm diabolica, cum de ipſa differant tum Theologi, tum Phyloſophi, vt benè obſeruat *Vairus de Faſcino lib.* 1. *per tot. ad mentem Phyloſophorum, & lib.* 3. vbi itèm tractat ex profeſſo de ipſo; legis verò interpretatio in mitiorem partem fieri debet: *Reg. iur.* 153.

Difficultati reſpondeo omnes, & ſingulos Magos vi Demonis Faſcinatores ſiue tenellium filiorum, ſiuè pecudum, aut ſegetum, aliarũmuè rerũ eſſe apud S. Tribunal denunciandos: Quod probatur, tum quia qualitas pernicioſa, qua afficiuntur Faſcinatorum corpora; infertur arte Demonum ob tacitum, vel expreſſũ pactũ Faſcinantiũ cum ipſis Demonibus; patet ex propria ipſius Faſcini definitione per *Vairum loc. cit.* tradita: tum etiam, quia Faſcinum eſt ſpecies Magiæ malorum vi Demonum effectricis: hæc autem eſt denuncianda, vt de ſe conſtat: Claret itèm hoc ex 3. *caſu S. Inquiſit.* vbi habentes pacta cum Demonibus apud S. Tribunal denunciari præcipiuntur. faciunt, quæ habet *Bartholomæus Sybilia in Compend. Pereg. qq. decade* 3. *cap.* 8. *quæſt.* 3. *citans D. Thomam contra Gentiles cap.* 103. *& prima parte, quæſt.* 117.

Nec obſtat, quod Faſcinum poſſit eſſe naturale: Nec itèm obſtat legem in benigniorem partem eſſe interpretandam; quia hoc præcisè procedit, quando nec indicia, nec preſumptiones habentur in contrarium reſpectu ſtatus præſentis, vel anteactæ vitæ malæ, vel alterius indicij; quales malas qualitates nos ſupponimus præſto eſſe in faſcinante.

COM-

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III. LIBER XX.

De Magia præciſè malefica, quæ eſt ſpecies Magiæ effectricis non ignota, de qua Textus explicitè, ibi: *O ſi ſiano ingeriti, ò s'ingeriſcano in qual ſi ſia eſperimento di Magia, ò Negromantia, Incanteſimi*; deindè ſubiungit, *ò altre ſimili ſuperſtitioſe attioni*, inter quas potiſsimùm ex communi placito, & praxi includitur Magia tantummodò Malefica, quæ, cum cæteris alijs magis ſcitu neceſſaria exiſtat, latiùs tractatur; propterea meritò de ipſa, ac eius ſpeciebus integrum formamus librum; quo modo autèm differat ab alijs Magijs ſimilibus dictum eſt in principio lib. xjx. verùm ante ipſius tractationem prius quædam ſunt prænotanda pro intelligẽtia, & clariore diſtinctione.

Primum eſt differre Magiam purè maleficam, de qua liber præſens à Magia in genere; quia illa complectitur diuinatricem, & operatricem: tàm licitam, quàm illicitam: itèm tàm illam in vtilitatem proximi, quàm in eius damnum: hæc verò vt ſpecies Magiæ malorum effectricis reſtringitur ad Magiam tantummodò proximo nocuam: quidquid Magia hæc ſub ſe complectitur, aut in ſe inuoluit, quatenus tale, ſemper nocuum, & ſuperſtitioſum eſt; Vndè illam practicans abſque diſtinctione venit S. O. deferendus.

Secundum eſt, quòd ad Magiam maleficam plura inſimul copulatiuè concurrunt, vz. Deus permiſſiuè, Dæmon effectiuè, Magus maleficus, vt cauſa ſine qua non: inſtrumenta maleficialia, vt materia propinqua: pactum explicitum, vel implicitũ Magi, vel Magæ maleficæ, vt materia remota: Exorciſta, ſi coniuncta exiſtat cum Dæmonis obſeſſione: vel alius Sacerdos, ſi abſq; illa exiſtat: Cenſor Fidei, vt ab illa in foro externo abſoluat: Confeſſarius denique, vt itèm abſoluat ab illa, ſed in foro animæ: & doceat, quæ ſunt vitanda, & quæ obſeruanda, ne iterùm Magus Diabolicus ad illam redeat.

Tertium eſt, quòd in hoc tractatu pro eodem ſumitur maleficus Diabolicus, ſeu ſuperſtitioſus; & Magus purè maleficus: cum vtriuſque idem ſit munus: & itèm vtriuſq; idem iudicium: vbi enim militat eadem ratio, idem ius ſtatui debet. l. Illud, ad l. Aquiliam.

Quartum eſt hanc vocari Maleficam; quia ex natura ſua maleficium inuoluit: alioquin contradictio eſſet in adiecto: .ſ. eſſet malefica, & non malefica; præſuppoſitoq; deficiente, deficit diſpoſitio, l. Generalitèr, ff. de Militari teſtamento.

Quintum, quia ſæpiùs contingit in hoc libro agi de cauſa effectiua, ſine qua non; efficiente propriè effectiua, & efficiente tantummodò diſponente: propterea, ne terminorum obſcuritas intelligentiam lectoris retardet; aperiam breuitèr quid ſit qualibet iſtarũ; & quomodo differant. Notandum itaque triplicem eſſe cauſam effectiuam, nimirũ propriè effectiuam, diſponentem, & ſine qua non.

Cauſa efficiens propriè effectiua eſt illa, quæ dat eſſe effectui, ipſum verè producendo in genere cauſæ efficientis, vt Pater in humanis eſt cauſa filij, & Deus eſt cauſa omnium rerum.

Cauſa diſponens eſt illa, quæ verè producit aliquam formam ad vltimum effectum, ſiue principalem diſponentem; ſic tamen, quòd non attingit vltimum effectum; vt generatio hominis eſt cauſa diſponens reſpectu animæ rationalis; quia producit formam propriè organicam corporis humani, quæ diſponit ad animam rationalem.

Cauſa efficiens ſine qua non eſt illa, quæ neceſſariò requiritur ad ipſum principalem effectũ, vel ad eſſe effectus; licet ipſum non producat verè, nec diſponat ad principalem effectum: ex. gr. vnio animæ cum corpore ſecundùm multorum placitum (eſt cauſa ſine qua non) peccati originalis ab anima contracti. item apertio fæneſtræ eſt cauſa ſine qua nõ illuminationis Cameræ: Sol eſt efficiẽs propriè: ipſius verò approximatio ad noſtrum Emiſpherium eſt cauſa diſponens aerem ad illuminationem expellendo gradatim tenebras. Hæc Stephanus Bruliſer ſuper 4. Sent. D. Bonau. diſt. 1. quæſt. 4. *idemq; videre eſt apud* D. Bonau. 2. Sent. diſt. 31. art. 2. quæſt. 2. *vndè ex dictis ſatis colligi poteſt dictorum terminorum diſcrimen.*

Sextum eſt hunc librum in duodecim partiri diſtinctiones; quarum

Prima eſt de Magia purè malefica in genere.

Secunda eſt de cauſa permiſſiua Magiæ maleficæ.

Tertia eſt de Magia malefica quo ad cauſam effectiuam propriè, vz. de Dæmone mala inferente.

Quarta eſt de obſequijs, ſeù officijs Dæmonum ergà Maleficas, aut Maleficos, vt poſt ſe auocet ſimiles diſcipulos.

Quinta eſt itèm de cauſa propriè effectiua Magiæ maleficæ .ſ. de Dæmone, ſed cõparatiuè ad Innocentem, & Reum in carcere, de eiusq; conuerſione, & damnorum reſtitutione.

Sexta eſt de cauſa ſine qua non Magiæ maleficæ, hoc eſt de Maleficijs, ſeu Strigibus.

Septima eſt de recurſu ad Magas maleficas.

Octaua eſt de Magia malefica circa coitionem .i. de Maleficijs circa actum coeundi, & membra virilia.

Nona eſt de infirmitatibus, quæ ex maleficio diabolico prouenire videtur, & nõ proueniunt.

Decima eſt de ablatione effectuum Magiæ maleficæ .i. de ablatione maleficiorum.

Vndecima eſt de Confeſſario Magarum Maleficarum reſpectu ſcientiæ ipſi neceſſaria ad illas curandas, & manutenendas in ſanitate animæ.

Duodecima eſt de compilatione Maleficiorum in ſpecie, de quibus genericè hìc dicam.

DI-

DISTINCTIO PRIMA.
De Magiâ Maleficâ in Genere.

Partitur hæc diſtinctio in quatuor articulos.
In primo oſtenditur quid, & quotuplex ſit Maleficium, & genus Maleficarum.
In ſecundo demonſtratur, quæ ſint cauſæ impulſiuæ ad Magiam maleficam.
In tertio ponitur, vndè habeant efficaciam maleficia Magica.
In quarto ſignatur, quæ ex illis ſint periculoſiora.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Prælydia ad Maleficiorum tractatum.

PRimum. Quemadmodum Maleficus dicitur omnis malè operans: ità maleficium dr̄ eſſe omne malefactum in genere, 26. *quæſt.* 5. *can. Non liceat. l. Congruit, ff. de Officio Præſid. l. Ità vulneratus, ff. ad legem Aquiliam, l. Si operis; C. de Pœnis*: Sed in hoc tractatu nomen Malefici ſumitur præcisè pro illo, qui malum agit ope ſpeciali Dęmonis ratione pacti inter Maleficum, & ipſum initi mediatè, vel immediatè. Nomen itèm Maleficij accipitur hic ſolummodò pro malefacto vi Dęmonis: diciturq; propriè maleficium Magicum.

Secundum. Nomine Malefici, vel Maleficæ, nullo adiecto, per antonomaſiam veniunt præcisè vtentes auxilio Dęmonis in Malefactis: tum ob nimium eorum ſtudium nocendi alijs: tum ob criminis grauitatem: tum præterea ob multitudinem facinorum ad maleficium diabolicum concurrentium; & iſta nomina rectè intelliguntur. ex *l. Habeo, ff. de Supellectili legata.*

Tertium. Leges, quæ in maſculino genere loquuntur de Maleficis; comprehendunt etiã fęminas Maleficas. *l.* 1. *ff. de verb. ſignif. l. Ità ſcriptum, ff. de legatis* 2.

Quartum. Maleficus, licèt effectũ phyſicè, naturalitèr & proximè attingere nequeat, cum eius poteſtatem excedat: cõcurrit tamen tanquàm cauſa partialis moralis voluntate, & cõſenſu; accedente etiam non rarò actione exteriori phyſica, & conatu præuio.

Quintum. Malefici quidam nocent, ſed nõ curant: Quidam è contra curant, ſed non nocent: quidam verò vtrumq; præſtant: Quare remedia vetularũ, itèmq; aliorũ artem medẽdi non callentium, aut cognoſcendi res naturales ſatis ſunt ſuſpecta; maximè quando nulla eſt ſimilitudo intèr cauſam, & effectum.

Sextum. Nomen Malefici ſumptum, prout dixi, adhuc generale eſt, conueniens .s. omni actioni, quæ diabolicam ſapit cooperationem, vt conſtat ex *Ghirlando de Sortilegijs*; idem .n. eſt maleficus, cooperator, & coadiutor Diaboli in damnum proximi (poſitis ſignis à Dæmone requiſitis.)

DIFFICVLTAS II.
Maleficium quid, & quotuplex.

REſpondetur, Maleficium eſt ars nocendi alijs Dęmonis poteſtate. Animaduertendum eſt autèm Magum, & Maleficũ, quatenus diſtinctos, differre pœnes finem: Magus enim vtitur arte Dęmonis ad oſtentationem ſuæ potentiæ, vel ſcientiæ: Maleficus autèm vtitur arte Dęmonis ad nocendum alijs; ipſæ autèm res materiales, quibus proximo Maleficus nocet, conſueuerunt vocari maleficia.

Inſupèr ſciendum eſt, duplex eſſe maleficiũ, .s. amatorium, & veneficum. Amatorium eſt, quo Malefici vtuntur ad inducendos animos hominum ad amorem turpem, ſeu carnalem: & auertendos à bono, licito, & debito: ex quo .s. maleficio conſequuntur quamplurimæ rixæ, iurgia, & odia, inter quos deberet eſſe amor præcipuus, vt inter coniugatos.

Veneficiũ eſt opus magicũ, quo Malefici ſolẽt nocere hoĩb⁹, & duplex eſt; alterũ, quo nocẽt in perſona, ſeu perſonis, vt occidendo: aut infirmitates, vel dolores cauſando: aut etiã ſterilitatem ſexus inducendo. Alterum eſt, quo nocere ſolent rebus, vt deſtruendo vineas, arbores &c. aut ſubuertendo ædificia; ſolentq; præcipuè Malefici iſti excitare ventos, grandines, ingenteſq; tempeſtates: videte, quæ habet *Tol. lib.* 4. *c.* 16. *nu.* 3. & 4.

DIFFICVLTAS III.
Quotuplex Maleficarum genus.

REſpondet *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum parte* 2. *cap.* 2. Maleficas eſſe in triplici genere. Aliæ ſunt lædentes, ſed curare non valentes: Aliæ curantes tantùm, ſed non lædentes, ex aliquo ſingulari pacto cum Dęmone inito. Aliæ denique lędentes, & curantes: Inter lædentes autèm ſunt aliquę, quæ occidunt infantes priuſquàm baptizentur: vel ſaltèm illos Dęmonibus offerunt.

Maleficæ cuiuſq; generis ſe dedicant Dęmoni altero iſtorum modorum, nimirùm priuatim, aut ſolemnitèr; priuatim, ideſt non pręſentibus alijs Maleficis, neque apparente Dęmone in forma humana. Solemnitèr verò è contra. Huiuſmodi autèm dedicatio eſt duplex, vz. altera totalis, partialis altera: Totalis eſt, cum totalitèr Fides abnegatur: Partialis verò, cum profitens ex pacto inito promittit tantũ obſeruare quædam: vt ſextis ferijs veſci carnibus, vel certa crimina in confeſſione celare, &c.

Verùm notandum, quòd intèr Magas Maleficas Fidem abnegantes eſt diuerſitas: nam aliæ tantum ore Fidem abnegant; aliæ verò corde, & ore ſimul. Cùm autèm Dęmon intima cordis penetrare non poſſit; volens experiri, an Malefica, aut Maleficus corde, ſicut ore

ſibi

ſibi promittat; certum annum, vel annos deputat: & interim committit determinato Dęmoni, vtpotè Magiſtro Nouitij, qui (vulgò) dicitur Martinellus; vt eo tempore ex operibus; & conuerſatione mentem ipſius inueſtiget; quem ſi tandem dignoſcat minimè ſtabilem in eius ſeruitute; refert Superiori, ipſumq; abijcit, & temporalibus afflictionibus exponere conatur; vt vel ſic ex deſperatione eius animã lucrari valeat; ità tradit *Doctor prædictus loc. cit. infra duas paginas*, ibi, *Pro declaratione omagij*.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ ſunt cauſæ ad grauiſſimum maleficij crimen diſpoſitiuæ.

MVltæ cauſæ traduntur à DD. ſed potiſſimùm ſequentes, vz.

Prima, defectus ſcientiæ Dei in Paſtoribus: *Quia non eſt ſcientia Dei in terra, ideò maledictio, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt*: *Oſeæ* 4. idem quoque de alijs criminibus credendum eſt ob parem rationem.

Secunda, negligentia Magiſtratus in inquiſitione, & punitione tanti criminis: dum dormirent homines, .s. Magiſtratus; venit inimicus homo, .s. Diabolus, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici.

Tertia, eſt defectus perfectæ Fidei: Fides .n. eſt ſcutum, quo Chriſtianus poteſt omnia tela Nequiſſimi ignea repellere; quod, ſi abijcit, vel malè vtatur, de facili vincitur.

Quarta, eſt nimia curioſitas ſciendi, quæ nõ oportet, contra doctrinam Apoſtoli: *Non pluſ ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, Rom. c.* 12.

Quinta, eſt inſatiabilis cupiditas cõgregandi diuitias: *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, &c.* 1. *Timot.* 6.

Sexta, eſt luxuria: *Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt homines*: *Eccl.* 19. *& auferunt cor*.

Septima, eſt nimia triſtitia.

Octaua, nimium deſiderium ſe vindicandi de ſuis inimicis.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Maleficia vnde efficaciam habeant: & cur potiſſimum patrentur aduentantibus ſacratioribus diebus Natiuitatis, Paſchæ, Pentecoſtes, &c.

QVoad primum reſpondetur ex multis cauſis maleficia efficaciam trahere poſſe, ſed præcipuè ex ſequentibus.

Prima, ex parua confidentia in Deo; quia in ipſo non ſperauit, *Pſal.* 90. quod patet à contrario ſenſu.

Secunda, ex pacto expreſſo, vel tacito cum Dęmone; qui interdũ pactũ ſeruat, vt decipiat.

Tertia, ex nimio deſiderio Dęmonis nocendi homini directè, vel indirectè.

Quoad ſecundum, perpetrantur diabolica maleficia appropinquantibus ſanctioribus Feſtis potiſſimùm duplici ex cauſa: Quarum altera ſumitur ex parte Maleficorum, aut Maleficarum: altera ex parte Dęmonis. Ex parte Maleficarum; quia ſicut ſerui Chriſti aduenientibus ſãctioribus feſtiuitatibus maiori conatu ſe præparant pro ſuſcipiendis cęleſtibus donis; vt iamdudum egerunt Apoſtoli die Pẽtecoſtes appropinquante: ità ſerui Diaboli è contra, ſcientes quod iuxtà numerum, & grauitatem delictorum, maiorem ab ipſo conſecuturi ſunt honorem, præſtantioresq; gratias; præueniunt illos dies pluribus maleficijs.

Sumitur itèm ratio ex parte Dęmonis, qui velut aduerſarius tum Chriſti, tũ noſtri, quoad fieri pòteſt incitat homines vtriuſque ſexus ad peccata; tàm, vt Deus priuetur honore illi debito, quàm vt homo careat congruo premio: tum prætereà, vt dies illi minus reuereantur. faciunt tradita per *Nider de Decem Prac. Prac.* 1. *cap.* 11. *nu.* 23.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ maleficia alijs peiora, ſeu periculoſiora.

REſpondetur, periculoſius eſt opus Maleficorum, quando rebus naturalibus, v. g. veneno vtuntur, quàm quando tantum ſignis: ratio, quia naturalia naturali modo applicata effectum ſortiuntur tàm in bonis, quàm in malis ſecundum proportionẽ actiuorũ, & paſſiuorum: nec valent impediri, niſi miraculosè à Xpõ; qui de Diſcipulis ſuis proloquens, inquit: *Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Quare nec Cruces, nec reliquiæ, nec quęuis ſacramentalia naturalem rerũ curſum impedient; niſi ipſe Deus præter naturam effectum cauſæ naturalis ſuſpendat.

Ceterùm in alijs maleficijs, vbi duntaxat, vtimur ſignis, alitèr dicendum: Quia ſpiritualibus armis ſæpè ſæpiùs Dęmonis inſultus propulsãtur, ac eius actiones impediũtur, ne effectum ſortiantur: ità *Epiphanius contra hæreſim* 40. *de Incantationib.* comprobatur autèm huiuſmodi veritas ſignis euidentiſſimis. in primiſq; patet de ſigno Crucis, & nomine Chriſti, quibus virtus Dęmonis ſępè impeditur. Patet ſecundò de aqua benedicta ſimul cum nomine Ieſu Nazareni, & ſigno Crucis, quibus ſæpiſſimè diſſoluuntur Iudęorũ incantamẽta, & pręſtigia. Cõſtat tertiò ex traditione Eccleſiæ teſtãtis ſingula Sacramẽtalia, & pręcipuè aquã benedictam ſalutaria eſſe contra diabolicas artes, & magicas operationes. *Binsfeldius in Comp. de Maleficis, & Mathem. lib.* 4. *quæſ.* 1.

DIFFICVLTAS II.

An in Magia maleſica, ſortilega, aut quouis modo diabolica admittatur paruitas materiæ. vide ſupra lib. 19. art. 5. diff. 2. pag. 349.

DISTINCTIO SECVNDA.

De cauſa permiſſiua Magiæ maleficæ, ſeu maleficiorum.

Diuiditur hæc diſtinctio in quatuor articulos.

Primus comprehendit Dei permiſſionem ſine qua nihil poteſt quæuis poteſtas.

Secundus oſtendit, cur Dæmon inſidietur pueris.

Tertius demonſtrat, cur Angeli Cuſtodes ſuorum Clientium diuexationem permittant.

Quartus deniq; enodat nonnullas difficultates huic propoſito ſatis opportunas.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.
Cur Deus maleficia diabolica permittat.

DIfficultatis ratio eſt, quia Deus non eſt deſtructor, ſed conſeruator rerũ à ſe conditarum, iuxtà illud *Dionyſij de Diu. nom. cap. 4 Dei prouidentia non deſtruit naturam, ſed illam conſeruat*. Quo circa, cum condiderit naturam, tùm Angeli, tùm hominis libero arbitrio præditam: in tali ſtatu illam ſemper conſeruat: hinc *Aug. 7. de Ciu. Dei cap. 3.* de Deo ſic proloquitur: Deus ſic adminiſtrat res à ſe cõditas; vt eas ſinat ſuos peragere motus: per maleficia autèm natura non conſeruatur; ſed potiùs deſtruitur: ideò videtur Deũ nõ debere permittere maleficia.

Reſpondeo Deum permittere diabolica maleficia; tùm ob ipſius laudem: tùm ob hominis vtilitatem. Laus Dei potiſſimùm relucet in eius ſapientia, potentia, bonitate, & miſericordia; primò autèm hac permiſſione præcipuè relucent ſapientia, & potentia; dum ex maleficijs poteſt, & nouit elicere bona iuxtà illud vulgatum, *Ex ſpinis legens florem*: vndè *Aug. lib. 11. de Ciu. Dei cap. 17. & 18.* inquit, *Deus nullum faceret, quem malum præſciret; niſi paritèr noſſet, quibus bonorum vſibus accomodaret.* Secũdò hac permiſſione, nitet Dei miſericordia, & iuſtitia; ſi .n. omnes homines transferẽtur ad lucem veritatis bene operando; in nullo appareret ſeueritas iuſtitiæ: è contra verò, ſi omnes remanerent in pœna; in nullo appareret miſericordia, ità idem *Doctor in Enchiridio cap. 99.* hinc *D. Thomas in 2. diſt. 23. art. 2.* inquit Deum apparere etiam laudabilem in malefactis; cum per miſericordiam parcat, & per iuſtitiam puniat. Itidèm hac Dei permiſſione apparet non parua hominis vtilitas; per maleficia enim diabolica, quæ in ſe maleficiatus patientèr ſuſtinet; non minus, ac per alia mala pœnæ compellitur (vt ſic loquar) ad Deum redire, iuxtà dictum *Gregorij in Moralibus: Mala, quæ nos hìc præmunt, ad Deum nos ire compellunt*: redduntq; illum glorioſiorem, parumq; refert, vtrum pèr cauſam, vel per occaſionem hominis gloria augeatur: quo circa Deus permittit plures eſſe malos; quia, ſi pauci non auderẽt bonos exercere; oĩs .n. homo .s. malus, aut ideò viuit, vt cõuertatur: aut ideò viuit, vt per eum bonus exerceatur. *S. Auguſ. in Pſal. 54. ad primum verſum.*

Ad rationem verò in oppoſitum dico Deũ per permiſſionem maleficiorum minimè eſſe deſtructorem naturę; ſed illam potiùs hoc modo reddere meliorem; nõ quidem in naturalibus, ſed in moralibus, & gratuitis; patet ex præmiſſis.

Dices, qui aliorum curam gerit, ab his omne malum, quoad fieri poteſt, excludere debet; alioquin apparet, aut inſipiens, aut impotens, vel inuidus; Deus autèm omnium curam ità gerit; vt nec capillus de eorum capite ſine illo cadat, Scriptura Sancta teſte; & eſt ſapientiſſimus, potentiſſimus, & optimus, vt notum eſt: ergò videtur, quòd maleficia minimè permittere debeat.

Reſpondeo diſtinctione, videlicèt duplicẽ eſſe Gubernatorem, alium finitum, alium verò infinitum: finitus limitatam habet ſapientiam, potentiam, & bonitatem: infinitus verò illimitatam. Primus eſt homo, & Angelus; ſecundus autèm ſolus Deus. De Gubernatore finito .s. homine, qui aliorum curam gerit; ſolummodò verificatur, quòd ſit inſipiens, aut impotens, aut inuidus; ſi à cuſtodito non excludat omne malũ. Quod ſecùs quippè dicendũ eſt de Gubernatore infinito; qui omnium rerum curam gerit .s. de Deo; cum permiſſo malo, nõ ſine cauſa (licèt nobis forſan incognita) ſciat, poſſit, & velit elicere bonum: nam (teſte omni Theologorum Schola) triplici malo .s. culpæ, pœnæ, & damni triplex opponit bonum, .s. honeſtum, delectabile, & vtile: malo culpæ opponit bonũ honeſtũ: malo pœnæ opponit bonum delectabile: malo autèm damni opponit bonum vtile. Itèm quemadmodum ex Tyrannorum perſecutione elicit Martyrum patientiam: ità ex Maleficorum operibus elicit probationem Fidei iuſtorum: hinc *Aug. in Enchiridio*, ſic proloquitur; *Adeò miſericors eſt omnipotens Deus; quod non ſineret aliquod malum eſſe in operibus ſuis, niſi inde traheret bonum.* Quod ſanè cernitur etiam in naturalibus: nam corruptiones, & defectus dictis rebus contingentes; licèt ſint contra intentionem naturæ particularis, .s. illius, cui corruptio, aut defectus contingit: ſunt tamen ſecundùm intentionem naturæ vniuerſalis: v. g. licèt ſit contra furis voluntatem, vt ipſe ſuſpendatur; eſt tñ ſecundùm voluntatem naturæ vniuerſalis, .s. vt conſeruentur homines in pace. Itèm, quamuis ſit contra intentionem Paſtoris, vt oues deuorentur; attamen non eſt contra bonum vniuerſi; cum talitèr conſeruetur ſpecies luporũ, vt enim rerum ſpecies conſeruentur; oportet vt corruptio vnius, ſit alterius conſeruatio: Concludendum itaq; Deum permittere diabolica maleficia, ne dum ob allatam rationem .s. cum ſciat, poſſit, & velit maius elicere bonum: iuxtà illud Eccleſiæ: *O fœlix Adæ peccatum, &c.* ſed etiam, ne multa bona contingãt

deeſſe

deeſſe vniuerſo; & ne homo ſit peioris conditionis alijs creaturis, quas omnes ſic adminiſtrat, vt eas agere motus proprios ſinat: quare hominem quoq; in manu proprij conſilij relinquere cōgruum fuit. legendus eſt *Sprenger in Malleo Maleficarum par.* 1. *quæſt.* 12. *Toſtatus ſuper Matth. cap.* 8. quinque aſſignans cauſas, quas ſubticeo breuitatis gratia. *Caſſianus collat.* 7. *cap.* 28.

DIFFICVLTAS II.

An Deus permittat Maleficis, vt patrent quæcunq; mala volunt.

RESpōdeo negatiuè, nam quemadmodum diuina prouidentia tenendo reſtrictam potentiam Dęmonis non permittit ipſi, vt faciat totum illud malum, quod viribus naturalibus facere poſſet; patet *Matt. c.*17. de obſeſſo; quem præcipitabat nunc in aquam, nunc in ignem; ità non permittit Maleficis, vt patrent omnia, & ſingula maleficia, quæ, vt Diabolo rem gratam facerent, libentèr præſtarent. patet in ſimili de Filio prodigo, cui nō permittebat, vt ſaturaretur de ſiliquis, velut deſiderabat. *Toſta. ſuper Matth. c.*15. *quæſ.*66. hinc *Matth.*22. dicitur: *Ecce Satanas expetiuit, vt cribaret vos.*

DIFFICVLTAS III.

Quare Deus in particulari tot puerorum necem iniuſtam, vt praxis oſtendit, permittit?

REſpondetur, quod in hac re nihil certi dici poteſt, cum Dei iudicia ſint inſcrutabilia; nam ſæpè ſæpiùs, quòd primò acceſſu pueris, ac parentibus videtur nocuum; in facto eſt admodum vtriſq; proficuū: poſſumus tamèn coniecturalitèr ex DD. mente aliquid dicere: volunt itaq; dictam necem interdum à Deo permitti ex maledictionibus, ac imprecationibus parentum in filios, iuxtà illud Eccleſiaſtici cap.3. *Maledictio matris eradicat domum*: & illud *Iſa.* 24. *Maledictio vorabit terram*: itèm ex eorumdem negligētia, dum paruulos ſuos ſigno Crucis, orationibusq; deuotis munire non curant. Itidem ex eorum craſſa ignorantia, dum ſalutem filiorum corporalem, potiùs per mulierculas, quas non ſatis norunt; quam per deuotos Religioſos procurare ſatagunt. faciunt tradita per *Bartholomæum Spineū olim Sacri Palatij Magiſtrum in Quęſt. de Strigibus cap.*33. poſſumus quoque ad tradita per Theologos probabilitèr dicere, Deum permittere huiuſmodi puerorum necem ſic graſſari, vt ipſius ſapientia, potentia, & Bonitas eluceat: Sapientia, in modo curandi: potentia in virtute pellendi maleficium, bonitas autèm in reſtrictione potentiæ Dęmonis: nam, ſi quantum vult, & poteſt nocere ſibi permitteretur; nemo ex ipſius manibus illæſus euaderet; eius enim malitia, odium in genus humanū, & itèm eius poteſtas naturalis non ſatis explicari poteſt. Quo circa ſciendum eſt Dęmonis poteſtatem per Chriſtum mediatorem noſtrum alligatam fuiſſe, vt claret Apoc. 20. *Vidi alterum Angelum deſcendentem de Cœlo habentem clauem abiſſi, & cathenam magnam in manu ſua, & appręhendit Draconē, & Serpentem antiquum, qui eſt Diabolus & ligauit*; qui ſanè textus ſm̄ cōmune placitū SS. Patrum, & Theologorū intelligendus eſt in hoc ſenſu, quòd Chriſtus poſt paſſionem ſuam, nō permittit Dęmoni exercere contra genus humanum totam ſuam potentiam ad illud tentandū, & vincendū; quod patet à priori: nam tàm malis, quàm bonis Angelis horū inferiorū ſubiecta eſt natura corporalis quoad motum localem; adeò, vt omnia corpora quoad dictū motum illis obediant iuxtà naturalem rerum ordinem; quia dicta natura eſt infra ſpiritualē tanquàm imperfectiùs ſub perfectiori; vndè niſi Dęmon ſpeciali modo eſſet à Deo ligatus, procul dubiò plura, & grauiora patraret mala, quàm experiamur: eſt enim malorum Angelorum tanta naturalis poteſtas, quanta bonorū, quod patet in ſimili de eorum ſcientia naturali, quæ etiam tanta eſt, quanta bonorum: verùm in malis quemadmodum ſcientia ob peccatum admodum obnubilata eſt, teſte cōmuni Theologorū Schola; ità potentia eſt debilitata; ſed notandum cum *D. Thom. prim. par. qu* 109. *art.* 4. quòd Angeli boni pręſunt malis, lz. natura ſuperioribus, quia virtus diuinæ iuſtitiæ potior eſt virtute naturali Angelorum malorum: vndè boni malos pellere poſſunt.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Cur Dæmon inſidietur pueris, & infantibus tam ante Baptiſmum, quàm poſt, & qua ratione defendi poſſunt?

DVO veniunt ſupponenda; Alterum eſt pueros, ſeu infantes in duplici eſſe differentia, vz. alios nundum baptizatos, alios baptizatos: Alterum tàm pueris quā infantibus maximè inſidiari, vt patet ex antecedente difficultate, vbi ſub nomine puerorū compręhenduntur etiam infantes.

Ratio autem cur iſtis inſidietur eſt: tùm ex inuidia de illorū proſperitate; diſplicet enim illi ſummoperè, quòd æternam felicitatem, quam ipſe amiſit, illi ſint cōſecuturi mediante Baptiſmo: tùm ob odium in Chriſtum, quem Baptiſmo induunt, vocati Chriſtiani ab eius nomine; cū potiùs vellet ipſos in ſuo nomine baptizari, vocariq; Luciferinos ab eius nomine Lucifer.

Remedium autem tuendi pueros, & infantes erit in primis manè, & veſpere ipſos cōmēdare Mariæ Virg. vt ob amorē filij ſui dignetur iſtos protectos habere muniendo ſigno Crucis: nam ex confeſſionibus Sagarum multotiès cognitum fuit, filijs hoc ſigno maximam afferri vtilitatem contra ipſarum maleficia.

Secunda, vt ipſorum parentes, vel alij illorū curam habentes pueros mulierculis ſeniò cōfectis non committant; quia contingere poteſt, vt ab ipſis etiam ſine peccato naturalitèr faſcinentur ratione vaporum putridorum ex ore, oculis, alijſq; partibus ipſarum exeuntium; quod maximè accidit ſtatim, ac ipſis ex ſenectute ceſſant earum purgationes menſtruales,

Cauereq; debent in primis, ne permittant dictos tenellos detineri ab ipſis in lecto; quia cū calor diffundat tunc magis,ac magis dictos putres vapores; facillimè pueri ratione teneritudinis carnis faſcinantur.

Tertiò, ſalubre eſt,ſi aqua luſtrali aſpergantur tum eorum corpora, tum eorum cubicula; cum ſit potiſſima contra infeſtationes Dęmonum, Eccleſia teſte.

Quartò, optimum iuuamen eſt, ſi Agnus Papalis pendeat ex collo pueri, vel affigatur cullæ ipſius. Quomodo autèm in ſpecie veniant benedicendi pueri maleficiati conſule *Florianum Canalem de modo ſanandi maleficiatos par.2. cap.4. vide ſupra lib.15. diſt.7.art.3. diff.8.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Angeli Cuſtodes,cur hominum corpora ſæpè permittunt à Dæmonibus diuexari.

Reſpondetur Angelos interdum permittere hominū corpora à Dęmone vexari, non ex defectu boni patrocinij; nec ex defectu minoris fortitudinis Dęmone obſidente; ſed ad deſignandum, quòd quemadmodum Dęmonibus nō permittitur, vt noceant,quantum naturalr̄ poſſunt,& illorū nequitia vellet; ità Angelis bonis circa hominis cuſtodiam non tantùm permittitur agere, quantùm viribus naturę poſſent,nec quantùm charitate vellent: ſed ſolùm, quantum ſecundum diuinam prouidentiam, & iuſtitiam ipſis operari conceditur.

DIFFICVLTAS II.

An ſaltèm Angelo Cuſtodi adſcribi debeat cuſtoditi peccatum, illumq; derelinquat,cū videt obſtinatum.

Ratio difficultatis eſt, tum quia peccatum cuſtoditi negligentiæ Cuſtodientis adſcribi ſolet: vndè 3. *Reg. cap.* 10. dicitur *Cuſtodi virum iſtum., qui, ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius*: tum quia *Origenes ſuper Num.*25. ità proloquitur: *Praeſt Angelus bonus hominibus, qui pro delictis culpabitur, & in iudicium adducetur, & pro bene geſtis laudabitur.*

Reſpondeo difficultati, Angelo Cuſtodiēti non eſſe imputandum clientis peccatum; ſed ipſi clienti: patet primò ex parte clientis non parentis cuſtodiæ Angelicæ. Secundò, ex parte ipſius cuſtodię,cuius directio minimè cogit hominem ad bonum; ſed tantùm excitat. Tertiò ex parte diuinæ iuſtitiæ, & prouidentiæ, quæ interdum ob demerita cuſtoditi præſcribit modum cuſtodienti.

Nec obſtat dicta ſcriptura, nec litera Origenis; quia in dictis locis per Angelum intelligitur Prelatus, à quo in iudicio requirentur animæ ſubditorum ſuorum; ſi fuerit negligens in cuſtodia ipſorum ſubditorum. ità *Bartholomæus Sybilla in Speculo Pereg. Quæſt. 2. decade, cap 6 quæſt.* 2. citans *Henricum de Aſſia ſuper Gen.* In Angelo verò Cuſtode,cum nulla cadat negligentia in cuſtodiendo ſibi demandatum, de manu ipſius nullus damnatus requiretur, *S. Bonau. in 2. Sent. diſt.* 11. *art.* 2. *quæſt.* 3. nec vlla afficietur triſtitia de cuſtoditi damnatione; cognoſcit enim alium accipere coronam,quę illi fuerat præparata iuxtà illud Ioan. *Vide ne quis accipiat coronam tuam*; quod notat idem *Doctor loc. cit. quæſt.* 2. An verò Angelus Cuſtos ſegnior fiat circa Clientis cuſtodiam, cum videt illum in malo obſtinatum eſſe. Reſpondeo cum *Doctore Seraphico vbi ſupra quæſt.* 1. quòd nec tunc ſit negligens quoad actum retrahendi à peccatis; vndè reſpu huius actus Antichriſtū quoq; cuſtodiet,aliàs plura adhuc mala facturū, quam faciet, ſi nō cuſtodiretur: deſerit verò quoad actū impellēdi ad bonū cū videt obſtinatū eſſe:ne eius iniquitas grauetur: nam grauiùs peccat,cui ſuggeritur bonum, & malū facit,iuxtà illud: *Scienti bonū, & nō facienti, peccatum imputatur.* Verùm nota huiuſmodi deſertionem non adſcribi Angelo ad negligētiam; ſed ad ipſius exactam prouidentiam, & miſericordiam,vti conſtat ex allata ratione.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An vi Dæmonum,aut Maleficarum,puerorum camptiones,ideſt commutationes fieri poſſint.

Reſpondetur diſtinctione,vel loquimur de poſſibili,vti difficultatur,vel de facto:primo modo nulli mediocritèr perito dubium eſt; quin huiuſmodi camptiones puerorū fieri poſſint tàm à Dęmonibus, quàm à Maleficis, qui vi ipſorum operantur maleficia magica: nam, vt pluries cautum eſt: non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ipſis comparetur: quare fruſtratoria eſſet omnis nutricum, aut parētum vigilantia; ſi Deus ipſis hoc permitteret; ſi enim poſſunt maleficiare ad mortem vſque, Deo permittente: ergò à fortiori vnum loco alterius ſupponere poſſunt, formantq; horum corpus ex mixtis, dicique ſolent ſuppoſititij, cambiones, malè ſyderati.

Loquendo tamèn de facto, quàm rariſſimè ex Dei miſericordia permittūtur hæ camptiones, non permittens parentes tentari ſupra id, quod poſſunt; videretur autèm ipſis hoc onus importabile, conſtat, (attento viſceroſiſſimo eorum in filios amore) quibus nil cariùs, nil pręcioſiùs ſuper terram: vt autèm, tàm Dęmones, quàm malefici ab huiuſmodi commutationibus arceantur; ſingulare remedium eſt ipſos muniri ſigno Sanctæ Crucis in fronte: quemadmodū non offendebatur,nec tangebatur CeruaCęſaris,quæ illius ſignum deferebat (vz. Cęſaris ſum, noli me tangere) ſic, qui deferunt ſignum ſupremi Imperatoris Chriſti, vz. Crucem millies, quinimmo infinities benedictam reuereri debent. faciunt tradita à *Nider de Decem Praecep. Decalogi Praecep.* 1. *cap.* 10. *nu.*11. Aliqui (*teſte Martino Delrio Diſquiſ. Magic. lib.2. quæſt.* 15. *nu.* 4.) vocant pueros iſtos, vulgò,cambiones. Alij appellant vagiones à cōtinuo vagitu,vide *Iacobum Sprenger 2. par. Mallei Maleficarum quæſt. 2. cap. 7. Guill. Pariſi. de vniuerſo cap.*25. *Ananiam lib.* 4. *de natura Dęmonum, & alios.*

Habent

Habent hi ſuppoſititij filij (vt tradit idem *Delrius loc. cit.* ex aliorum mente) tres malas qualitates. Prima, ſunt inſaturabiles, vt etiam quatuor nutricum mammillis exhauſtis macilenti perſeuerent.

Altera eſt, quòd ſunt nimis ponderoſi penſata corporis paruitate; vndè *Delrius vbi ſupra*, arbitratur talem extitiſſe certum puerũ quindecim annorum; quem per Galiciam, & alias Hyſpaniæ partes quidam mendicus ſumma cũ defatigatione humeris baiulabat; ſed deniq; repertum fuit extitiſſe Diabolum.

Tertia eſt, quòd huiuſmodi pueri poſt aliquot annos euaneſcunt: quare potiùs cenſeri poſſunt Diaboli humanis corpuſculis aſſiſtentes, quàm pueri ex genere hominum; in cuius ſignum ex diſpoſitione diuina habent dictas peſſimas qualitates; vt indè eliciat homo, quã bonus ſit Iſrael Deus; qui non permittit Diabolo adeò abſcondi, vt non poſſit detegi: hinc apparens Euæ pendens ab arbore pomi ſcientiæ boni, & mali varius viſus fuit; nam à medietate corporis vſq; ad caput incluſiuè habebat formam ſpecioſiſſimæ feminæ: à medietate verò partis inferioris vſque ad pedes præferebat formam Serpentis; tacitè Spiritus Sanctus ſapientèr ità nos admonẽs: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritum, ſi ex Deo ſit: Ioan. Epiſtola 1. cap. 4.*

DIFFICVLTAS II.

Dæmone trahente Arreptum ad actum peccaminoſum, v.g. ad occiſionem; an malum ſit imputandum Arrepto, vel Dæmoni.

RESpondetur diſtinctione ſic, ſi Arreptus à Dæmone nõ cogatur, ſ. externè, violẽtèr illius mouendo manum: dico externè, quia internè eius voluntas non poteſt cogi: ſed ſi ſolùm ad malum incitatus exiſtens, committat occiſionem, aliudue malum; ipſi Arrepto imputatur; quia manet ipſi locus reſiſtendi iniquitati: patet *1. Reg. cap. 18. de Saule*, qui à ſpiritu malo Arreptus, niſus eſt occidere Dauid: quod ſanè factum non Dæmoni, ſeu Sauli adſcribitur; quia licèt malum à Dæmone ei ſuggeſtum fuerit: à ſe tamen liberè patratum fuit: quod profectò ſecùs dicendũ foret, ſi Dæmon cogeret Arreptum ad occiſionem, vel aliud malum; ratio eſt, quia coactus non agit, ſed potius patitur.

Verùm notandum eſt, quòd etſi Dæmon hominis voluntatem cogere non poſſit; cum ſit penitùs libera: poteſt attamẽ (Deo permittente) Arrepti membra mouere adeò violentèr; vt nullatenus reſiſtere poſſit. huc ſpectat illud *Ariſt. 3. Ethicorum, cap. 3.* in hæc verba; *Impulſum à vento, ſuper alterumq; cadentem, ſi ipſum occidat, non eſſe vituperabilem, quia eſt ibi violentèr ſimplicitèr. Toſtat. ſuper Euang. Matth. cap. 19. quæſt.* 119 faciunt tradita à *Porro in Antidotario contra Dæmones dub.* 14. *& alij.*

DIFFICVLTAS III.

Vndè eſt; quod Arreptitij alijs hominibus redduntur fortiores: & qui dicantur peſſimi.

QVoad primam particulam, reſpondet *Toſtatus ſuper Matth. cap.* 8. *quæſt.* 100. hoc accidere illis; tum quia à Dæmonibus valdè alterantur, reddendo eorum membra ſtupida, & inſenſibilia: patet exemplum in freneticis, & maniacis; qui ob alterationem pluribus reſiſtunt hominibus: tum quia à Dæmonibus ipſos mouentibus aſſumunt vires ad reſiſtendum: ſed tamen non queunt tot numero hominibus inſimul ad vnum applicitis reſiſtere; quot requirerentur contra Diabolũ operantem alio inſtrumento à corpore humano, quod ſatis debile eſt; quia iuxta illud Scripturæ: *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ipſi comparetur; qui factus eſt, vt nullum ſuper terram timeat. Iob. cap.* 24.

Verùm quamuis ſit ità fortis: ſubiacet tamen meritis Sanctorum, vt tradit *Gloſſa, ſupra citat. loc. Scripturæ*; vti notat in primis *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum part. 2. qu. 2. cap. 16.* quòd ſic diſpoſuit Deus, primò, vt humiliet Dæmonis ſuperbiam: ſecundò, vt fideles contra diabolicas vires habeant remedia, tum curatiua, tum præſeruatiua; ſicut .n. Deus, & natura non abundant in ſuperfluis: ità non deficiunt in neceſſarijs.

Quo verò ad ſecundam partem, illi Arreptitij dicuntur peſſimi; qui reſpectiuè ad alios plura mala faciunt: dicunturq; ob hanc cauſã habere Dæmonium peſſimum: non quia plus poſſit, ſed quia plura mala facere eis permittitur ob occultum, ſed tamèn iuſtum Dei iudicium: ità *Toſtatus loc. cit.*

DISTINCTIO TERTIA.

De Magia purè malefica quoad cauſam effectiuam, nempè de Maleficante propriè effectiuè, ſ. Dæmone.

Diſtinctio hæc in duos partitur articulos, quorum alter demonſtrat peſſimas Dæmonis conditiones contra genus humanum.

Alter verò deſignat, quomodo effectiuè propriè patrat maleficia.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Dæmonis proprietates, quales.

QVIA contraria contrarijs curantur; ideò partes Cõfeſſarij erũt obijcere Maleficis pœnitentibus, quales ſunt ꝓprietates, ſeu cõditiones Dæmonis, cum quo ſuis maleficijs tacitè, aut expreſsè, conſuetudinem habuerunt, vt vel ſic ipsũ euitare ſtatuant, formident, abhorreant, ac con-

tra ipſum, tanquàm contra nequiſſimum hoſtem pro poſſe pugnare contendant: huius proprietates ex nominibus per Sacram Scripturã ipſi attributis facilè cognoſcere valemus.

Vocatur Aer, 1. *Cor.* 9. quia velut aer peſtiferus nos vndique ſubtilitèr circumuenit, vt moralitèr inficiat.

Vocatur Aquila, *Prouerb.* 3. quia ſublimitèr excedit homines in malitia nõ minus, ac Aquila cęteros aues in aſſenſu.

Vocatur Aquilo, *Iob* 26. quia homines in bono ſpiritualitèr infrigidare contendit, ęquè, ac ventus aquiloniaris naturalitèr.

Vocatur Aſcenſor, quia ſuperbia cupit aſcendere, iuxtà illud Scripturæ Sanctæ: *aſcendam in Cęlum &c.* & illud: *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.*

Vocatur Aſpis, *Pſal.* 9. quia veneno peccati homines perdere ſatagit.

Vocatur Auis, *Luc.* 8. *&* *Iob* 40. *&* *Deut.* 32. quia ſemen verbi Dei in corde hominis ſatum nititur conſumere.

Vocatur Baſiliſcus, *Pſal.* 9. quia ſuo intellectuali intuitu (prout in ipſo eſt) hominem interimit.

Vocatur Behèmot .i. Beſtia, *Iob* 41. quia homines facit beſtiales, quatenus eſt ex parte ſua.

Vocatur Beelzebub, *Luc.* 11. quod interpretatur pater muſcarum .i. omnium, & ſingulorum criminoſorum ſpurcitias carnis ſequentium: iuxtà illud, *Vos ex patre Diabolo eſtis.*

Vocatur Belial, *Num.* 1. quod interpretatur ſine iugo; quia contra Dominum pugnans, pro poſſe renuit ei ſubeſſe.

Vocatur Bos, *Iob* 40. quia velut myſtic' Bos in ſtomacho inferni quęrit deglutire homines, qui fenum dicuntur, iuxtà illud *Iſa.* 40. *Omnis caro fenum.*

Vocatur Cadauer, *Pſal.* 14. quia equè, ac cadauer horribilis eſt.

Vocatur Caligo, *Pſal.* 17. quia ſuboſcurat quoad poteſt rationales mentes.

Vocatur Catulus, *Iud.* 14. quia contra bonos latrat; cum operari bona contendunt: verùm latrare poteſt, ſed non mordere.

Vocatur cętus, *Iob* 7. quia in mari magno, & ſpatioſo mundi huius vagatur, vt prædetur animas, quantùm poteſt.

Vocatur Ciuis, *Luc.* 11. .s. Inferni, cuius, & nos eſſe procurat.

Vocatur Coluber, *Iſa.* 14. quia quærit nos mortificando perdere.

Vocatur Exator, *Iob* 3. quia exigit à nobis ſemper malum, quo nunquàm ſatiatur.

Vocatur Exterminator, *Apocal.* 9. quia homines extra terminos rationis quærit eijcere.

Vocatur Faber, *Iſa.* 54. quia ſemper adinuentat aliquod nouum malum præcipitandi homines; quod patet in primis ex tot Magiarũ, Sortilegiorum, & maleficiorum generibus.

Vocatur Fortis, *Luc.* 11. quia fortitèr dimicat contra Nos, vt eius ditioni ſuccumbamus.

Vocatur Gigas, *Iob* 16. quia ſuperbè contra Deum, & homines erigitur.

Vocatur Impius, *Iob* 9. quia itèm impiè operatur contra Deum, & homines.

Vocatur Inimicus homo, (Anthonomaſticè) ob grauem inimicitiam contra ipſum, quã Eccleſia deſignans, ſic admonet: *Fratres ſobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquàm Leo rugiens &c.*

Vocatur Leo, .s. quia homines, quęrit ſpiritualitèr deuorare. *D. Petri* 1.

Vocatur Leuiathan, *Iſai.* 27. quod interpretatur additamentum; quia pro poſſe quærit, vt homines peccata peccatis addant.

Vocatur Lucifer, 14. ideſt, ferens lucem, ad dignoſcendum, quæ mala contra inimicos noſtros agere valemus: & quibus medijs vti poſſumus pro conſequendis à nobis contra conſcientiam concupitis.

Vocatur Malleus, *Hyerem. c.* 50. quia omnibus modis nos percutere inſiſtit, ſed potiſſimũ ſuperbia, luxuria, & odio.

Vocatur Mammona, *Luc.* 19. .i. quod interpretatur diuitiæ, quia illis vtitur ad decipiendũ homines, ditiſſimumq; ſe iudicat; hinc Chriſto dixit: *Hæc omnia tibi dabo, .s. Regna mundi. Matt. c.* 4.

Vocatur Miluus, *Zachar. c.* 5. quia omni conatu, omniq; ſedulitate rapinæ animarũ vacat.

Vocatur Mors, *Apocal. c.* 11. quia Auctor Mortis fuit.

Vocatur Nox, *Pſal.* 18. quia quærit obſcurare mentes hominum.

Vocatur Oſtium, *Iob* 38. quia per ipſum velut per latam ianuam, illi cõſentiendo introimus in portas inferi.

Vocatur Peccator, *Ioann.* 6. quia vt omninò in peccatis habituatus, quærit nos ad peccata inducere.

Vocatur Porcus, *Luc.* 15. quia perſeuerat, delectatur, ac totus volutatur in immunditijs peccatorum.

Vocatur Rex, *Iob* 41. omnium vz. filiorum ſuperbiæ.

Vocatur Dęmon, quod interpretatur, ſanguinem ſitiens .s. animam ſuper omnia cupiens, iuxtà illud Gen. *Da mihi animas, cętera tolle tibi. Gen. c.* 10.

Vocatur Diabolus, à Dia, quod idem eſt, ac duo: & bolus, quod eſt morſellus; quia duo ſunt morſelli: ex quibus ſaturari cupit, nimirũ anima intellectuali, & corpore humano deſiderans ex inuidia nos perdere nedum quo ad animam: ſed etiam quo ad corpus.

Vocatur Sathanas .i. aduerſarius; quia aduerſatur Deo, & nobis. 1. *D. Petri c.* 5.

Vocatur Serpens, *Iſa.* 61. quia occultè nobis inſidiatur.

Vocatur ſeruus, *Iob* 40. non ſolùm, quia velit, nolit ſeruire nobis cogitur: ſed itèm, quia qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

Vocatur Vectis. *Iſa.* 27. *&* *Pſal.* 106. quia quan-

quantum in ſe eſt, velut vectis tenet nos clauſos in ſtabulo ſpurcitiarum carnalium...

Vocatur Venator, *Pſal.* 90. quia animas noſtras capere quærit in laqueo peccati mortiferi.

Vocatur Vipera, *Iob* 20. quia contra nos liuoris, ac inuidiæ venenum emittit.

Vocatur denīq; Vitulus, *Exod* 32. quia quærit homines facere vitijs indomitos.

Ex his nominibus, & alijs, quæ breuitatis gratia ommittuntur; leui negotio Confeſſarius pœnitenti præoculis obijcere poterit, quā periculoſum ſit habere conſuetudinem cum ſpiritu maligno: & quænam ſint conditiones talis ſpiritus; & proindè qua cautela, quauè diligentia nos ab ipſo oportet elongari. legen. eſt *Valerus Polidorus in Practica Exorciſtarum cap* 12. *per totum, Hieronymus Menghus in fuſte Dæmonum cap.* 2. *item per totum*.

Qui fuſiùs vult notitiam de natura Dęmonum legat Io. Laurentium Ananiam, qui de natura Dęmonum librum integrū compoſuit.

Suadeat deindè pœnitenti, vt omni qua poteſt diligentia examinet ſuam conſcientiam, & magna cum contritione confiteatur; quia peccata per veram pœnitentiā dimiſſa; tecta ſunt Diabolo quo ad imputationem: Vndè illa in puncto mortis moribūdo minimè validè obijcere poterit, *Menghus in Flagello Dæmonum c.* 5. Suadeat præterea illi humilitatem; tum, quia ſic Dæmones odorem illius virtutis ferre non valentes procùl recedunt: tum quia Deus in altis habitans humilia reſpicit in Cœlo, & in terra: tum pręterea, quia humilibus dona ſua elargitur: vt tradit Diuina Scriptura.

DIFFICVLTAS II.

Quantum ſit Dæmonis deſiderium nocendi, ſeu maleficiandi hominibus.

RESpondetur inexplicabile eſſe Dęmonis deſiderium hominibus nocendi ob ſummum odium, & inuidiam in eos, vt ex communi DD. ſententia probatur. *Toſtatus ſuper Matth. quæſt.* 126. obſeruat adeò magnum eſſe, vt gratia illos damnificandi etiam ſe Deo humilient ſupplici precatione ſuperbiſſimam ſuam naturam euincendo, conſtat *Marci c.* 1. vbi Dęmones, qui obſidebant quendam, coacti à Chriſto ad illum dimittendum; enixè ipsū rogauerunt; vt ipſis ſaltèm permitteret ingreſſum in quoſdam Porcos, qui ibi paſcebantur, quod profectò non petijſſent, niſi Porcorum dominis graue damnū ſe allaturos ſperaſſent.

Nec mirùm videri debet; quia hęc eſt maior paſſio, & deſiderium ipſorum, iuxta illud adaptatiuè *Gen. c* 10. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*. Vndè quemadmodum homo duabus paſſionibus preſſus: quarum vna ſit altera maior; maior minorem offuſcat: v. g. eſto, Petrum eſſe preſſum tùm deſiderio lucrandi bona fortunæ: tùm deſiderio fruendi puella: ſi paſſio luxuriæ ſit grauior; offuſcabit illam auaritiæ; Vndè (illa minimè obſtante) ſua conſumabit bona viuendo luxurioſè: item, ſi quis detineatur ambitione, & ſuperbia, ſed ambitio ſit maior; humiliabit ſe, vt dign tatem, ſeu locum ſuperiorem obtineat: patet exem. in Scriptura Sacra de Abſalone, qui licèt eſſet ſuperbia grauatus: humiliabat tamèn ſe cuilibet venienti ad iudicium Patris ſui, vt fieret Dux in Hebron: quare nō demiror, ſi Dęmon etiam ſe humiliat pro complendo ſuo deſiderio nocendi hominibus: cum hoc deſiderium ſit præcipuum inter omnia ab ipſo concupita. *Da mihi animas, cętera tolle tibi*; Vndè *Liranus ſupra Pſal.* 9. *inimici defecerunt framea &c.* ad hæc addit, quòd adeò nobis nocere affectant, vt ſe perire quodammodo reputent; quando ſuperiori poteſtate arceantur, ne nocumentum homini inferant. patet ex *Marco c.* 1 ibi: *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene; veniſti ante tempus perdere nos:* non enim illos è corpore obſeſſo expellendo, annichilabat; ſed Dei prouidentia factum eſt; vt dignoſcamus ſaltèm ex parte, quātùm ſit Dęmonum deſiderium hominibus nocendi. Vndè *Marci cap* 5. legitur, quod ipſi ſupplices deprecabantur eum, ne illos expelleret extra certam regionem; quia, cum iam nouiſſent mores illius regionis, ſperabant potiùs illos, quàm alios ad mala inducturos. ità *Porrus in Antidotario contra Dæmones*.

DIFFICVLTAS III.

Dæmones an lætentur in maleficijs contra homines.

RAtio difficultatis eſt, tum quia quemadmodum in bonis Angelis gaudium non compatitur ſecum aliquam triſtitiam; ità videtur, quòd in malis, pœna, vel triſtitia non compatiatur aliquod gaudium; nam *Philoſophus* 7. *Ethic. cap.* 16. habet hæc verba, nimirùm: *Delectatio ; ſi magna exiſtat omnem expellit triſtitiam*; ergò è conuerſo: triſtitia aut pœna item ſi grauis exiſtat, omne expellit gaudium: cum duo contraria in gradibus intenſis non poſſint ſimul exiſtere, vt patet ex 2. *Periheimenias*. ſed Dęmones ſunt pleni triſtitia, vt notant *DD. & maximè Pelbartus in* 2 *Sent. verb. Angeli* 11. *circa finem*: ergò non poſſunt de aliquo gaudere; & ſubindè nec de maleficijs contra homines.

Reſpondetur, quòd verè Dęmones gaudēt maleficijs in perniciem hominū factis: cuius ratio eſt; tum quia, cum inuideant paci hominum bonæ voluntatis in terra exiſtentium, collectantur ſubindè de eorū aduerſitatibus; tum quia ſolatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum: tum etiam, quia non fiunt maleficia abſq; peccato, & perditione animæ Malefici, quam ſummoperè affectant, hinc *D. Auguſt.* 4. *de Ciuitate Dei c.* 21. loquens de Dęmonibus, ità proloquitur: *Dæmones praua docent & turpibus gaudent*: tum prætereà, quia deſiderium (teſte experientia) completum delectat animam; deſiderium autèm Dęmonum eſt, vt patrentur maleficia; vndè gaudent, quando fiunt.

Verùm tamen eſt, quod huiuſmodi gaudiū, eſt valdè impurum .i. triſtitia admixtum, quia

ſciunt,

ſciunt, quòd quantò plures animas perdunt; tantò eis pœna augetur ad iudicium (non loquor quo ad pœnam, quæ eſt carentia viſionis diuinæ) quia quo ad hanc ſunt in termino: ſed quo ad alias pro omnibus malis, quæ faciunt in mundo.

Quemadmodū ergò homo iracundus gaudet de vindicta, quamuis ſit ſibi ipſi periculoſa, & pœnalis; ſic Dęmones nunc gaudēt de peccatis ipſorum tentatione procuratis, non obſtante malo, quòd ipſis indè euenit. ità *Pelbartus in Roſario Theol. tom. 2. ver. Angeli 11. circa finem poſt Guil. & Bonau. & verb. Dæmones 2. citans Ric. diſt. 6. quæſt. 2.*

Ad rationem difficultatis, reſpondetur ſecundum *Ricardum 2. ſent. diſt. 6. quæſt. 2. art. 2.* quod aliud eſt loqui de bonis Angelis, & aliud de malis: Boni (inquam) quia confirmati non ſunt capaces triſtitię: Mali verò ante iudicium, licèt ſit eorum pœna grauis; quia tamèn nondum eſt conſūmata, nec omninò intenſa; ideò capaces ſunt alicuius gaudij vani: quod ſecùs erit poſt iudicium vniuerſale; tunc enim pœna illorum nō compatietur ſecum aliquod gaudium. Primò, quia tunc pœna in eis erit omninò intenſa; adeò, vt ex nulla re gaudium ſuſcipere poterunt. Secundò, quia tunc ſibi nihil eueniet de his, quæ affectant, aut poſſent in ipſis cauſare gaudium.

DIFFICVLTAS IV.

An Dæmones ſentiant etiam gaudium in præſenti ſtatu ex alijs rebus, v.g. de ſcientia, quam habent, & de proprijs actionibus ab ipſis volitis, & opere completis.

RESpōdetur affirmatiuè; nam ſi loquamur quoad ſcientiam; clarum eſt philoſophiam mirabiles habere delectationes (teſte *Ariſt. 4. Ethicorum*) idemq; conſtat de proprijs actionibus; ipſæ enim (teſte experientia) ſunt vnicuique delectabiles: ſed circa iſta non immoror, quia non ſpectant ad pręſens tractatum.

Notandum tamèn cum *D. Thom. 1. part. qu. 60. art. 3.* quòd in Dęmone non eſt gaudium, quatenus eſt paſſio ſenſus; ſed quatenus eſt ſimplex actus voluntatis.

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An ad maleficia formalia Dæmon, & Maleficus neceſſariò inſimul concurrant; adeò, vt malum illatum ab vno ſine alterius concurſu, minimè dicatur maleficium propriè.

RESpondetur affirmatiuè: nam vbi Dęmon ſine precibus Malefici aliquod malum Dei permiſſu hominibus, aut irrationabilibus creaturis infert; malum illud nullatenus maleficium appellatur: patet ex Scriptura Sacra; nam malum illatum à Satan patientiſſimo Iob non dicitur maleficium, ſed vlcus peſſimum: egreſſus igitur Satan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo.

Malum itidèm à ſolo homine ſine concurſu Dęmonis illatum, minimè appellatur maleficium (ſtrictè loquendo) ſed vlcus, vulnus, colafizatio, mutilatio &c.

Propriè autèm cauſa efficiens maleficij formalis non eſt Maleficus; quia ipſe ex naturali facultate ſe ſolo non malefacit; ſed præcisè dici debet cauſa ſine qua nō; quia maleficium formale nō fit niſi concurrente materiali, ſiue inſtrumentali, quod ponitur ab homine; eſtq; ſignum pacti inter Maleficum, & Dęmonem initi. Dęmon verò eſt propriè cauſa efficiens, quia ipſe infert malum tàm rationali, quàm irrationali creaturæ. Verùm quamuis Dęmon ſit verè auctor, & cauſa efficiens maleficij formalis; attñ illud Malefico adſcribi procurat, quinimmò ipſe Maleficus inſipientèr credit; quod ex ſe ſit potens ad maleficium formale, & tamèn ſolummodò operatur poſitione materialis maleficij.

Notandum eſt autèm ad maleficium formale ſemper duas alias concurrere cauſas extrinſecas, vz. Deum, & inſtrumenta; ſed diuerſa ratione: nam Deus concurrit efficientèr permiſſiuè: inſtrumenta verò effectiuè materialitèr.

DIFFICVLTAS II.

An Dæmones ad nocendum neceſſariò indigeant vſu maleficiorum materialium: ex. gr. oſſibus, pilis, pelle, &c.

RAtio difficultatis eſt, quia Dęmones regularitèr non ſolent nocere, niſi priùs factis, & poſitis maleficijs materialibus, vt ex communi docent Theologi.

Reſpondetur Dęmones ad nocendum minimè indigere vſu maleficiorū materialium; ratio eſt; primò, quia nō eſt poteſtas ſuper terram, quæ ipſos ad aliquid agendum cogere poſſit. *Iob 41.*

Secundò, quia (teſte experientia) Dęmones quamplùribus nocuerunt abſque præuijs maleficijs, & præcipuè Sanctis, ex. gr. D. Antonio, Franciſco, &c.

Tertiò, quia, quemadmodum Deus nō alligauit potentiam ſuam Sacramentis; quin extrà illa genus humanum ſaluare poſſit; ità Dęmon non habet potentiam ſuam inſtrumentalibus maleficijs alligatam; quare etiam abſque illis diuexare poteſt: duobus .n. modis nocet; altero ſine maleficio materiali, ſeu inſtrumentali: altero autèm illo interueniente. Quando vexat abſq; materiali maleficio interdum ceſſat; ne tentatus eius diuexationibus maiorem ſibi meritum cumulet: quando verò diuexat poſito materiali maleficio, vt plurimùm non ceſſat ratione pacti expliciti, vel impliciti; vt habeatur veridicus in ſuis promiſſionibus; licèt totus ſit mendax, verſipellis, & mille artifex, vt notat potiſſimùm *Binsfeldius tractatu de Confeſſionibus Maleficorum.* legendus eſt *Zacharias Vicecomes in Complem. artis Exorciſtæ, doctrina quinta.*

DIF-

DIFFICVLTAS III.
Maleficia, cui potius ſunt imputanda Dæmoni, an Maleficis.

RESpondet *Iacobus Sprenger loc. cit. ſic.* Quãuis Dæmon in maleficijs ſit auctor principalis; cũ propria virtute, & immediata actione noceat, nedum hominibus, ſed iumentis, frugibus, cæterisq; rebus: meritò tamen maleficia Maleficis imputantur; quia ſine ipſis (regularitèr loquendo) Deus non permittit, vt Dęmones maleficia patrent; quinimmò nec ipſi ſine excitante .s. Malefico, aut Malefica illa attentare ſolent.

Verùm libentiùs malefaciunt homini, cęterisq; creaturis ad inuocationem Malefici, aut Maleficæ, quam abſque illa: tùm quia concurrunt inſimul duo mala, vnum corporale, .s. offenſio hominis, aut alterius creaturæ: & alterũ ſpirituale, nempè mortale peccatũ ipſi⁹ Malefici, ꝙ ſũmoperè Dęmon affectat iuxtà illud Geneſis appropriatiuè: *Da mihi animas, cętera tolle tibi, cap.* 14. tùm quia, quemadmodum nouit Deum per huiuſmodi peccata amplius irritari: ità nouit hac via maiorem poteſtatem ſeuiendi ſibi ab ipſo Deo permitti: quapropter, licèt omnes malum patrantes, Malefici, aut Maleficæ iure vocari poſſint ratione offenſæ in Deum, vel in proximũ, aut in ſe ipſos actæ: attamèn (anthonomaſticè loquendo) hoc nomine Malefici, aut Maleficæ veniunt ſolummodò, qui, vel quæ proximum ope Dęmonis offendunt: tùm ob intenſitatem, ſeu grauitatem huiuſce criminis comparatiuè ad alia: tùm demùm ob extenſitatem, & multitudinem criminum, quæ ab ipſis committuntur; hi namque elementa concutiunt, tempeſtates concitant, mentem turbant, vſum rationis offuſcant, filios occidunt, Diabolo offerunt ſacrificia: vlcerant corpora, tùm hominum, tùm iumentorum, &c. *Iacobus Sprenger in Malleo Malæficarum par. 2. cap. 11. item cap. 7. circa finem.*

DISTINCTIO QVARTA.

De obſequijs, ſiue officijs Dęmonum erga Magas, ſeu Maleficas, quæ ſunt cauſæ ſine qua non maleficiorum.

Diſtinctio hæc in tres articulos ſecatur.

Primus demonſtrat Dæmonem Maleficas portare ab vno loco ad alterum, & quomodo.

Secundus oſtendit, ſi Dæmon Maleficis aperiat, & claudat domorum ianuas, aut feneſtras, lapides proijciat, & ſimilia, & quomodo.

Tertius notat, quibus potiùs appareat ipſe Dæmon.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Dæmones ab vno ad alium locum, realitèr portent Maleficas.

CIRCA hanc difficultatem, duas reperio ſententias ad inuicem pugnantes, aliqui ſuſtinent partem negantem innixi Concil. Aquirenſi ad hanc inclinanti. patet 26. *quæſt.* 5. *cap. Epiſcopi*, vz. quòd ſolummodò immaginariè, & apparentèr Maleficæ per Dęmones de vno ad alium locum transferantur.

Aliqui è contra affirmantẽ partem ſequuntur, fundati tàm in nouo, quàm in veteri teſtamento; vbi pluribus in locis habetur hominẽ tàm à bonis, quàm à malis Angelis realitèr de vno ad alterum locum interdum translatum fuiſſe, quod facillimè poſſunt transferre: nam minimus Angelus omnem humanam virtutẽ incõparabilitèr excedit; De malis patet in nouo, *Matth. cap.* 4. *& Lucæ item* 4. *cap. Vbi dicitur.* Chriſtũ per Diabolũ à deſerto ad pinnaculum templi, & de pinnaculo ad montem excelſum translatum fuiſſe. Conſtat itèm Simonẽ Magum à Dęmonibus in aere eleuatum fuiſſe: ſed ad preces D. Petri præcipitem in terrã deiectum poſteà extitiſſe, vt tradit *S. Maximus, homilia* 5. *de SS. Apoſt. Petro, & Paulo.* De bonis Angelis claret in teſtamento veteri *Danielis cap.* 14. vbi regiſtratum eſt Angelum Domini de Iudęa in Caldeam per capillum capitis tranſtuliſſe Abacuch.

Qui amplectuntur hanc ſententiam reſpõdent priori exponendo *cap. Epiſcopi*, de quo ſupra, dicentes, quòd ibi non negatur, quin homo, & maximè Striges, & Strigones à Dęmonibus de vno ad alium locum interdum realitèr transferantur: ſed quod ſæpè translatio, ſeu delatio contingit ſolùm immaginariè; iuxtà illud *Lactantij in libro de origine erroris*, in hec verba: *Dæmones hominem (mentita veritate) deludũt:* & proſequitur ſic: *Non negatur tamen, quin Striges, & Strigones interdũ .s. realitèr deferãtur à Dæmonibus in forma Equitũ apparẽtibus:* & quin ẽt ipſis Maleficis appareat equitare. Itèm non negatur, quin in breui temporis ſpatio, magna terrarum ſpacia pertranſeant ferè per aerem volando; ſed benè negatur error credentium, huiuſmodi Striges, & Strigones æquitare cum Diana, & Herodiade noctis tempore, vt infrà *diſt. 6. art* 1. *diff.* 4. Itidem non negatur, quin Striges, & Strigones factis quibuſdam nefandis cęrimonijs, & vnctionibus aſſumantur à Dęmonibus, ad determinataq; loca portentur; & quin multæ huius generis perſonæ in vnum conueniant locum ad exhibendum Dęmonibus quendam cultum, & honorem: & quin ibi etiam libidini, ac omni turpitudini vacent. De tranſportatione reali.

Ego

Ego hic referam hiſtoriam ex *Bartholomæo Spineo in quæſ. de Strigibus c.* 17. *& Fabro aduerſus impios Atheos diſp.* 1. *cap.* 10. *nu.* 214. quæ ſequenti modo contigit.

Quædam puella, cum moraretur Bergomi apud matrem ſuam, inuenta fuit nocte Venetijs in thalamo ſui affinis veſtibus exuta; qui rei euentu obſtupeſcens, illam interrogauit, quomodo illuc aduenîſſet, & cur nuda extaret; illa (ſtatim ac ab affine veſtibus fuit cooperta) inceſſabiles lachrymas fundēs narrauit ſequētia. Hac nocte, cum in lecto vigilarem, dignoui matrem meam ſilentèr ex lecto ſurgentem, & ex luce fiſſurarum feneſtræ vidi illam, (extracta ſibi camiſia) ſuum perunxiſſe corpus quodam vnguento ſub lateribus cameræ abſcondito: aſcendiſſeq; baculum ad inſtar equitantis, quæ illicò extrà feneſtram deportata fuit: Ego obſeruato loco, vbi vnguentum depoſuerat; curioſitate tracta, ſurgens è lecto, me quoque vnxi; & protinùs huc translata fui, vbi reperi matrem meam propè filium tuum, quæ ex meo aduentu perturbata, ſtatìm à me diſceſsit: ex qua viſione ego quoque turbata, & territa, illicò nomen Domini Ieſu, & B. V. M. inuocaui; & ex tunc remanſi, qualem paulò priùs me vidiſti.

His attētis pater pueri, & affinis puellæ ſcripſit factum Inquiſitori contra hæreticam prauitatem Bergomenſi; à quo capta mater prædictæ filiæ, tormentiſq; expoſita facti veritatē confeſſa eſt; addiditq; ſe à Dęmone pluſquam quinquagies deportatam fuiſſe Venetias ob prædictum finem .ſ. maleficiandi filium dicti ſui affinis, cōtra quem aſſeruit nunquàm quicquam potuiſſe; eo quod illum ſemper inuenerit ſigno S. Crucis, ac ſanctis orationibus à parentibus benè munitum fuiſſe, hæc ibi.

Verùm non poteſt quis abſq; Dei permiſſione ab vno loco ad alterū à Dęmone deportari, patet ex vita Beatorum Mart. Cypriani, & Iuſtinæ. Nam Cyprianus adhuc gentilis, & maleficus, facto recurſu ad Dęmones; vt eorū poteſtate ad ſe adducerent Iuſtinam; reſponsū habuiſſe legitur, nihil poſſe, niſi Deo permittente. Idem conſtat ex hiſtoria B. Iacobi: nam Hermogenes Magus pluries miſit Dęmones ad dictum Beatum, & itèm ad eius diſcipulū, vt ambo vinctos ad ſe producerent, ſed nihil potuerunt, Deo renuente. Concludo itaque Maleficas de vno ad alium locum interdum realitèr deferri; ſed ſæpiùs hoc contingere etiam tantummodò immaginariè: Notandum eſt, vt Dęmonem plures Maleficas ſimul portare poſſe; cum Dęmones naturalia in ſuo caſu nō perdiderint, quamuis debilitata extiterint per Chriſti paſſionem iuxtà ſenſum alibi datum; quo fit, vt Dęmones, qui iam extiterant ex ſuperioribus ordinibus innaturalibus; ſint fortiores Angelis bonis, qui ſunt inferiorum ordinū, vt communitèr ferunt Theologi, faciunt, quæ docet *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par.* 2. *cap.* 3. *circa medium, & D. Dionyſius de Diuinis nominibus cap.* 4. *& nos ſuprà lib.* 16. *diſt.* 4. *art.* 1. *diff.* 1. verùm ſunt omnes, & ſinguli Dęmones longè inferiores Angelis ſāctis ratione gratuitorum donorum, vt loc. cit. dictum fuit, & notat *D. Auguſ. lib.* 3. *de Trin. ibi: Spiritus vitæ deſertor, atq; peccator regitur per ſpiritum vitæ rationalem, pium, & iuſtum.*

DIFFICVLTAS II.

Quomodo Diabolus Striges, aut Strigones portet.

NOtandum Diabolum duobus modis hominem portare poſſe: primo modo inuiſibilitèr, & incorporalitèr, per ſolius virtutis ſuæ applicationem ad hominis corpus; quo fit, vt aliquis manens in vno loco videat ſe ferri ſubitò ad alium longè à pręcedenti diſtantem; ſed non ſentit ſe moueri, nec videt quis eum illuc portauerit.

Interdum ſentit quis ſe moueri, ſed portantem non videt.

Interdum etiam nec ſe moueri ſentit, nec portantem videt.

Hoc modo .ſ. inuiſibilitèr, & incorporalitèr Angeli etiam boni ſemper Cœlos mouent applicando eorum virtutem ad eos: Nam corpora ad hunc effectum Diabolo, aut Angelo Sancto minimè ſunt neceſſaria: ſed ſolummodò ad effectū, vt in eis ab hominibus videātur.

Secundò modo poteſt Diabolus hominem viſibilitèr, & corporalitèr portare aſſumpto .ſ. corpore, v. g. aereo: hoc autèm fit duplicitèr; primò non tangendo aliquam partem corporis aſſumpti; & ſic videretur talis homo per ſe moueri, cum tamèn à Diabolo moueatur: Secundò ipſum tangendo, leuitèr .ſ. aliqua ſola parte corporis aſſumpti, v. g. ſolo digito (claret enim, quod non oportet eum ſuper humeros, vel ſcapulas portare) quem tamen commodè, & conuenientèr portat abſque illius moleſtia, applicando virtutem ſuam motiuam, non tantùm illi digito, ſed etiā alijs partibus *Daniel c.* 14.

Notandum eſt autem, quòd licèt anima extra ſuum corpus pro ſtatu iſto nihil poſſit in alia corpora à ſuo ſeiuncta; niſi illa tangat mediatè, aut immediatè; eo quod anima tota ſit intra corpus tàm ſecundum eſſentiam, quàm ſecundum virtutem, cum ſit ei naturalitèr vnita: Diabolus tamen in corpore aſſumpto poterit mouere multas res propinquas loco, vbi eſt abſq; hoc, quod illas tangat per corpus aſſumptum; & tunc, qui videret illas res moueri; iudicaret eas à ſe ipſis moueri, cum neminem eas tangere, aut impellere videret: ratio eſt, quia Diabolus ſolū vnitur corpori aſſumpto, vt motor mobili; ideò non oportet, vt virtus ſua tota limitetur, & claudatur intrà corpus illud aſſumptum.

Verùm, ſi Diabolus totam ſuam virtutem corporibus aſſumptis applicaret; extra illa, nihil facere poſſet: & dato, quòd aliquod corpus mouere vellet, foret neceſſe, vt applicaret partes corporis aſſumpti ad id, quod mouere vellet,

let, ſicut homo, qui aliquid mouere vult, applicat ſe ad illud, aliter illud mouere non poſſet; licèt res ſit parua, aut facilis ad mouẽdum. Tu autèm adnotare debes; quòd Angelus nõ eſt minoris virtutis ſine corpore, quàm cum corpore aſſumptò, vt in primis notat *Pelbartus in 2. Sent. ver. Angeli 5. §. 2.* Quòd, ſi obijcias cum *D. Bernardo ſuper Cantica*, quòd diſcurrere, & tranſire de loco ad locum non eſt niſi corporum. *Reſp. D. Bonau. lib. 1. Sent. diſt. 37. art. 2. quaſ.* 1. quod hoc dictum *D. Bernar.* intelligẽ de diſcurſu, & tranſitu ſecundùm proprietatem loci corporalis, quæ eſt circumſcriptio, & eſt tantummodò corporum: ſed Angelis conuenit diſcurrere ſine corpore diffinitiuè: circumſcriptiuè verò ratione corporis. *Pelbartus vbi ſupra.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
Quomodo Dæmones Maleficis ianuas aperiant, & claudant; Itèm quomodo lapides proijciant, & corpora moueant.

SVpponit hæc difficultas, omnia, & ſingula prædicta fieri à Dęmone; omnis enim quęſtio vnũ quęrit, & aliud preſupponit.

Ratio difficultatis eſt, quia Dęmones nec manus, nec alia apta inſtrumenta corporalia ad dicta facienda habent, vt notum eſt.

Duæ circa hanc difficultatem ſunt ſentẽtiæ, Altera *Aureoli, & aliorum apud Capreolum*, ponentium in Angelis pręter intellectum, & voluntatem, quandam potentiam motiuam, realitèr .s. diſtinctam; quæ dicitur exequutiua imperij voluntatis; exequens motum, quem voluntas imperat.

Altera ſententia eſt *D. Thomæ, Capreoli, & aliorum quampluriũ*, .s. quòd in Angelo benè ſit potentia motiua, ſed à voluntate minimè realr̃ ſit diſtincta: mouet itaq; Angelus, aut per intellectum, vel per voluntatem; ſed non per intellectum; cum hæc potentia non ſit operatiua, ſed cognitiua, ſicut nec Deus ad extra nõ operatur executiuè ſciendo, ſed volendo iuxtà *Pſal. 113. Omnia quęcumque voluit, fecit*; ergò Angelus operatur per voluntatem; quæ ſanè diſtinguitur à volũtate Dei; quia illa Dei eſt infinita, & mouet oĩa, atq; vbiq; operatur. Volũtas autẽ Angeli eſt finita, nec ſe extẽdit ad oĩa mobilia, nec vbiq;, nec in omni diſtãtia; ſed tñ in diſtantia ſuæ virtuti proportionata; hinc ad plura ſe extendit volendo, quàm mouendo; operanturque Dęmones prędicta, de quibus difficultas imperio voluntatis abſque alijs inſtrumentis; quidquid .n. poteſt homo inſtrumentis corporalibus; poteſt Dęmon abſque iſtis; & per hæc patet obiectũ, ſeu rõ difficult.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
Dæmones, quibus potius Maleficis appareant.

REſpondet *Petrus Gregorius in Syntaxi artis mirabilis tom. 1. lib. 7. cap. 6.* quòd Dæmones multis generibus hominũ interdùm apparent; ſed potiſſimùm his quatuor ſpeciebus.

Primò illis, quos bonis actionibus inueniũt vacuos.

Secundò illis, qui nimis curioſa ſectantur.

Tertiò illis, qui nimia triſtitia deijciuntur.

Quartò illis, qui nimio odio proximi vltionem pernicioſiſſimè expetunt.

DISTINCTIO QVINTA.

Itèm de cauſa propriè effectiua maleficante, hoc eſt de Dæmone, ſed reſpectiuè ad Innocentem, & Reum in carceribus: Itèm de Magorum conuerſione, & reſtitutione damnorum ab ipſis illatorum.

Diſtinctio præſens in quatuor ſecatur artic.
Primus notat, quæ Deus regularitèr non permittit nequitiæ Dæmonis.
Secundus ſignat Maleficas conuerti poſſe non obſtante pacto, iuramento, & ſcriptura.
Tertius demonſtrat, quomodo pro Maleficis orare, & ſacrificia offerre poſſimus.
Quartus oſtendit obligationem tùm Maleficæ, tùm hæredum reſtituendi damna realia Maleficiatis illata.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Innocens Dæmonum nequitia in conuentibus Maleficarum præſentari poſſit, & ſubindè denunciatione infamari.

REſp. quòd, etſi ex permiſſione diuina, & diabolica nequitia innocens poſſit ibi repręſentari, & conſequẽtèr denunciari; & etiam pro aliquo tempore fama priuari: attamèn, cũ hoc onus ſit nimis graue; non ſolet à Deo Dęmonibus permitti, vti in primis notat *Binsfeldius de Confeſſione Maleficarum in ſolut. argum. ad 2. argum.*

Nec obſtat Deũ grauiora Dæmonibus ſolere permittere; vz. cędem in vtilitatem, & gloriam ſeruorũ ſuorũ, tàm pro præſenti, quàm futura vita; quandoquidèm ipſis omnia cooperantur in bonum iuxtà illud: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: & iuxtà illud: *Quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis*; Nam ex ſingulari prouidentia Dei ordinatum eſt; vt Tribunal Sãctum, & ſi ad horam falſitatum nõ ſatis proſpiciat veritatem; tñ proceſſu temporis oĩa ei referantur: agitat quippè, & factitat adeò Rei cauſam hinc indè; vt demũ eluceſcere veritatem, neceſſe ſit. facit ad hoc *c. Graue 36. quæſt. 9.* nouitq; Tribunal illud inconcuſſum, quod plus valet, quod eſt in veritate,

tate, quàm quod in opinione conſiſtit. Itèm, quòd paria ſunt falſum exprimere, vel ſupprimere veritatẽ, *cap. Super litteris extra de Reſcript.* itidèm nouit commẽtitia nullius eſſe valoris, *l. Eleganter. ff. de Pignoratitia act.* Præterea in illo S. Trib. quia veritas per plures inquiritur, melius inuenitur, *cap. Per*, §. *Verùm, vbi Gemin. de Hæreticis in 6.*

Idem conſtat; ſi attendatur, quòd Deus præſeruat Dominos Inquiſitores, eorumq; Miniſtros ab acri nequitia, & mortali odio Dęmonum, Maleficorum, & Maleficarum; quos, ſi ad horam ipſorum traderentur potentiæ; protinùs de medio illos tollerent, vt infrà extenſiùs videbitur *diſt. 6. art. 2. diff. 2.* idipsũ claret, ſi attendas; quòd veritas, quamuis ad tempus patiatur vulnera: tñ nõ patitur mortem: & lz. interdũ occultetur: demum tñ tẽpus illã parit.

DIFFICVLTAS II.

Dæmones an Maleficas è carceribus liberare poſſint.

Ratio difficultatis eſt, quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, vt docet Sacra Scriptura; idcircò nihil ipſis obſtare videtur, quin ipſas è carcerib. eripere poſſint.

Reſpõſio eſt negatiua, & ratio eſt; tum quia id vetitum eſt ſibi à Deo: tum quia ipſi Dęmones ab Angelis bonis (teſte *D. Aug. 3. de Trinitate*) impediuntur: tum quia, ſi Maleficas è carceribus liberare poſſent; graue haberetur abſurdum, nempè quod Dęmonis potentia, videretur eſſe maior diuina. *Paludanus in 4. Sent. diſt. 34. quæſt. 2. art. 2. D. Auguſtinus lib. 15. cap. 23. & lib. 18. cap. 16. de Ciuit. Dei*, vt notat *Aloyſius Bariola in Aphor. verb. Maleficæ.*

Per has autem rationes ſatis occurritur rationi in contrarium adductæ: vndè not. cum *D. Thom. in Quæſtionibus diſputatis de potentia quæſt. 6. de miracul. art. 5. & de malo quæſt. 16. de Dæmonibus art. 10. & 10. apud Bariolam loc. cit.* quòd in Paſſione Chriſti plurimùm fuit detractum poteſtati Dęmonis; quo ad hoc, quòd nõ permittitur ei tanta; quanta priùs, in praxi claret; Vndè ferè nunquam conceditur illi, vt ad libitum in longinquas regiones transferat pias perſonas: faciunt allata per *Nauarram in Man. cap. 11. num. 38. Sanchez in Decal. par. 1. lib. 2. cap. 40. nu. 8. Pegna Comm. 68. part. 2. Direct. Inquiſ. Martini Delr. Mag. lib. 29. nu. 16. apud Bariolam loc. cit.*

Quare Confeſſarij Maleficis nutantibus circa veram conuerſionem, illis atteſtari poteſt; quòd, ſi demum capti erunt; ope Dęmonum non eripientur è Iudicũ manibus: nam quemmodum non eſt prudentia, non eſt concilium, nec aliud contra Dominum: ità non eſt poteſtas: Sumus in claris.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Maleficę conuerti poſſint ad ſaniorem mentem.

Ratio difficultatis eſt, quia Maleficæ abnegato Dei nomine, Baptiſmo, & reliquis Sacramentis Eccleſiæ, pacto Dęmoni adhęrent; perpetuam ei obedientiam ſpontaneè promittendo, quod notat in primis *Binsfeldius de Confeſs. Malef. Præl. 6.*

Difficultati reſpondetur affirmatiuè, Maleficas iterum ad Deum conuerti poſſe. Patet tum ex parte Maleficæ, tùm ex parte gratiæ Dei: ex parte (inquam) Maleficæ, quia adhuc retinet libertatem arbitrij: ex parte item Dei, quia eius gratia non attenuatur ob grauiſſimũ Maleficarum peccatum: Vndè per Sacram Scripturam ipſas ad reuerſionem viſceroſiſſimo affectu inuitat: *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te, reuertere ad cor Hieruſalem &c.*

Prætereà, ſi Maleficæ ad cor redire non poſſent; graue inferretur abſurdum, nempè quod Dęmon potentior eſſet ad perdendum, quàm Chriſtus ad ſaluandum contra veritatem ab Apoſtolo traditam *Rom. 5. Vbi enim abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*: Nec obſtat pactũ inter Maleficam, & Dęmonem, .s. ſemper ipſi adhærendi; quia pacta ſecundum iura ſunt duplicia; alia valida, & alia inualida; validaq; diſtinguuntur eſſentialitèr ab inualidis: quia illa, .s. valida ſubſiſtunt: quia fundantur ſupra firmam petram Iuſtitiæ; inualida verò corruunt; quia iniuſtè fundata, *l. Iuris gentium* §. *Pactorum*, & §. *Et ſi ob maleficium. ff. de Pactis, l. Pacta, quæ contra, C. eodem titulo, quæ contra ius, de reg. iur. in 6.* Pacta autem cum Dęmone ſunt inualida, nulla, turpia, & contra legem diuinam, & humanam, & ſubindè nullam inducunt obligationem.

Sũt itèm iniuſta tàm ex parte pacti Maleficę, quã ex parte Dęmonis: Ex parte Maleficę, quia iam priùs cũ Deo in Baptiſmo inijt pactũ validum, & iuſtũ, omniq; ſubſiſtentia circumuallatum abrenunciandi Satanæ, & operibus eius.

Itèm ex parte Dęmonis eſt iniuſtum; quia nullũ habet ius extorquendi illud, cum apprimè cognoſcat, quod cuiuſuis creaturæ ſolus Deus eſt Dominus.

Nec itèm obſtat Maleficis, quin ad cor redire queant, illud vulgò diſſeminatum ſcilicèt, quòd Dęmon Maleficis eradicat Chriſma à fronte, quia hoc eſt falſum, & ſuperſtitioſum à Dęmone ipſis Maleficis ſuggeſtum; vt credant ſe impotentes ad reſipiſcendum à tam infelici ſtatu, & ad rumpendum fœdus iniquum per pęnitentiam, & veram ad Deum conuerſionem: Patet primò; quia Chriſma, quo Chriſtiani in Baptiſmo, more Catholico inunguntur, fronti ampliùs non hæret; ſed iamdiù aqua ipſum deterſit.

Secundò, quia cum Malefica ad cor redit, nõ iterũ vngitur, ſicut nec de nouo baptizatur.

Tertiò patet, quia character in Chriſmate receptus corrumpi nequit; cùm non habeat contrarium à quo corrumpatur, & indelebilitèr animæ inhæreat: & irrationabile eſt, quod indelebile deleatur, quid notiùs? lege *Simancam tit. 63. nu. 13.*

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Quomodo liberari poſſit Malefica, quæ cum Dæmone pactum iniͅt, relicto ſcripto apud ipſum.

RESpondetur, ad effectũ liberationis à poteſtate Dęmonis minimè neceſſariò requiri; vt denuò habeatur recurſus ad Dęmonem; immò pro nullo caſu, adeò, vt nec etiam pro diſſoluendo maleficio ad ipſum ſit recurrendum; cũ huiuſmodi recurſus faciat conſortium, & conciliet corda.

Nec itē requiritur, vt Dęmon reddat ſcriptum, nec vt ipſum dilanietur; ſed ad hoc ſufficit commiſſi criminis vera pœnitentia intrinſeca, vt docet *Arſenale S. Inquiſ. parte* 10. *art.* 162. dico intrinſecā; quia per extrinſecam, aut fictam nullus à Dęmonis poteſtate liberatur. Itèm plùs refert, vt reſcindatur ſcriptura formalitèr, .s. firma ſtabilitate, & propoſito ampliùs non peccandi, quam materialitèr ipſam dilacerando. veritas enim non conſiſtit in verbis ſcriptorum, ſed in eorum ſententia: nõ in ſuperficie litteræ, ſed in medulla ſenſus: nõ in folijs apparentiæ, ſed in radice rationis, vt notat *Naldus ver. Dæmon, nu.* 2. *itèm ver. Chirographum, nu.* 4. *Sanchez in Sum. lib.* 2. *c.* 40. *Simancas tit.* 63. *nu.* 13.

Nec Dęmoni fit iniuſtitia: quia, quod à principio nõ valuit, neque tractu temporis valebit, *l.* 1. *§. Puberis, ff. Commo.* non valuit autèm pactũ inter Maleficam, & Dęmonē, vt dictũ eſt diff. 1. ergò. Itèm, quod noſtrum eſt (poteſt iuſtè dicere Deus) ſine facto noſtro alterius fieri non poteſt: anima autèm rõnalis eſt Dei ſolius, cũ fuerit prius ipſius Creator, & poſteà Redemptor: ergò ſine illo non poteſt fieri alterius, *l. Quod noſtrum eſt, ff. de Reg. iur.* Deus autèm nõ abijcit animam, quæ verè ad cor reuertitur.

Nec obſtat iuramentum, quòd fortaſsè cum pacto interceſſit; quia illud nõ eſt vinculũ iniquitatis: itèm quia iuramentum contra bonos mores præſtitum nullum eſt; prætereà, quia iuramentum regulatur ſecundùm naturam actus, ſuper quo interponitur, *l. vlt. C. de non numer. pec.* Demùm, quia iuramentũ factum in pacto à iure communi remoto, non eſt obſeruandũ, *l. Iuris gent. §. Idem Marcellus, ff. de Pactis.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An pro Maleficis, Strigibus, Strigonib. &c. vltimo ſupplicio affectis poſſint Orationes, Sacrificia, & alia ſuffragia offerri.

SVppoſito, quòd huiuſmodi Malefici deceſſerint Pœnitentes, diſtinctione ſatisfacimus quæſito; poſſunt quidem hæc bona pro eis fieri duplicitèr, vel cum ſolemnitate apparatus exterioris, vel priuatim: primo modo non decet, vt pro talibus Maleficis ſolemnes fiant exequiæ eo modo, quo pro alijs Chriſtianis, qui cum honore vitam temporalē finierunt, fieri conſueuit: quia, quemadmodũ à iuſtis vita ſuperſtite Malefici fuerunt diſcreti in moribus, & laboribus; ità etiā in honore, & veneratione poſt præſentem vitam eſſe debēt. Priuatim verò loquendo, non eſt cauſa, cur pro eis prædicta offerri non debeant. Patet ex *cap. Quæſitum* 13. *quæſt.* 2. *de Hæreticis, cap. Super eo de Hæret. in* 6. *de damnatis in genere. Angel. in verbo Eucharistia* 3. *§.* 27. *Armilla in ver. Communio nu.* 27. *& alij*, iuuantq; Maleficis prædicta opera, cum (vt ſupponimus) pœnitentes finierint vitæ temporalis curſum: alitèrq; ſentire eſſet hęreticum, cum ſcriptum ſit: *In quacunque hora ingemuerit peccator .s. peccata ab ipſo patrata, hoc eſt, ipſi corde diſplicuerint: omnium iniquitatum eius ampliùs non recordabor*; itèm: *Nolo mortem peccatoris &c.*

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Diabolo dannificante aliquem in bonis fortunæ, vtpotè in diuitijs nomine Malefici .s. vt ipſi rem gratam faciat, ſed abſq; illius commiſſione; an dictus Maleficus ratum habens damnum ſuo nomine factum; ad reſtitutionem teneatur.

RAtio difficultatis eſt, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur *cap. Ratihabitionem, de Reg. iur. lib.* 6. *l. Hoc iure §. Dicit, ff. eodem titulo, cap. Si quis de ſent. excommunicat. in* 6.

Reſpondetur negatiuè, nam licet Maleficus ratum habendo damna alteri ſuo nomine à Diabolo illata peccauerit: non tamen tenetur ad reſtitutionem damni illati: quia, vt aliquis ad reſtitutionem teneatur; oportet, vt ſit cauſa, vel concauſa efficax damni, vel acceptionis iniuſtæ; ità *DD. in cap. Cum quis de ſent. excomm. lib.* 6. Sed præfatus Maleficus ratum habens non fuit nec cauſa, nec concauſa, vt ſuppono; ideò non tenetur: ità *Medina Cod. de Reſt. qu.* 7. *Iacob de Graffys in Deciſ. Caſ. Conſc. lib.* 2. *cap.* 127. *nu.* 7. *Nau. in Man. cap.* 17. *nu.* 133. *& conſ.* 30. *de ſent. excomm. Valer. de Diff. vtr. fori, ver. Reſt. dif.* 3. *per totum.* Rationi in oppoſitum obiectæ reſpondetur ratihabitionem non comparari mandato, quoad effectum reſtituendi; ſed quoad effectum incidendi in excommunicationem, *c. Si quis de ſent. excom. in* 6. vbi talis figuratur caſus: cùm Clericus intuliſſet laico iniuriam; quidam eius familiaris volens dicto laico rem gratam facere abſque eius mandato talem Clericum verberauit; cui, cum relatum fuiſſet iniuriam ſibi illatā, vindicatam fuiſſe ſuo nomine; ratũ habuit factũ, verberātēq; ſtrictius in familiarē aſſumpſit; ob quam cauſam reputatur laicus ille excommunicatus non minùs, ac ſi mandaſſet factum. Verùm dicta Regula patitur ſuas exceptiones, etiam in materia excõicationis, vt ſi quādo percuſſus fuit Cleric⁹ nomine iniuriati, ille erat infans: ita vt ab ipſo non potuiſſet percuſſio mandari. *Meſtrenſis in Florib. l. reg.* 286. vbi alias tradit exceptiones.

DIFFICVLTAS II.

An hæres Malefici, quem Iudex ad mortem condemnauit, illata damna reſtituere teneatur.

RAtio difficultatis eſt, quia mors omnia ſoluit, vt tradunt *Iuriſtæ in Auth. de nupt.*

 §. *Dein-*

§. *Deinceps, col. 4.* itèm morte extinguitur crimen, *l. 1. C. Si res, vel accuſator mortuus fuerit*;

Reſponſio eſt affirmatiua .s. quòd tenentur ad omnia damna parti offenſæ illata; cuius ratio eſt, quia lex naturalis, & diuina obligat ad reſtituendū damnū parti, ēt antequam Maleficus à Iudice puniatur; & illius punitio, cum in vindictam publicam irrogetur, eſt compenſatio iniuriæ ſolummodò Reipublicę illatæ, quę non liberat à debito, ad quod Reus tenetur: nam, qui duobus res diuerſas debet, non liberatur ſatisfaciendo vni ab alterius debito: ergò heredes Malefici occiſi, ſi bona ipſius ad eos peruenerint; obligantur ad damna per Maleficum illata non minùs, quàm ad alia debita realia. Facit *cap. Vt famæ de ſent. excomm. l. Ità vulneratur, ff. ad legē Aquiliā*. Verùm hęredes in conſcientię foro nō tenentur ad plùs, quàm ad ipſos peruenit, licèt nō cōfecto inuentario.

Quinimmò etiam Fiſcus, ſi bona confiſcata fuerint; tenetur priùs ſatisfacere damnis parti illatis: *l. Non poſſunt, & l. In ſumma de iure Fiſci*.

Tenentur etiam in foro conſcientiæ priùs ſatisfacere huiuſmodi damnis, quàm legatis; niſi hęreditas ſufficeret ad ſatisfactionem omnium, & non eſſet dolus.

Nec obſtat ratio obiecta, quod mors omnia ſoluat, & quod morte extinguitur crimen; quia aliud eſt reſtitutionis debitū, aliud eſt pœna mortis: pœnæ enim regularitèr tenēt ſuos auctores, nec grauant hęredes, niſi in quibuſdā criminibus; at debitum tranſit ad hęredes, ſicut onus cum honore: patet in ſimili in foro Sacramenti Pœnitentiæ, vbi pœnitens adimpleta pœnitentia per Confeſſariū impoſita; obindè non liberatur à reſtitutione damnorum illatorum, aut debitorum.

DISTINCTIO SEXTA.

De cauſa ſine qua non Magiæ purè maleficæ, nempè de Magis, ſeu Strigibus.

Partitur hæc diſtinctio in quinque artic.

Primus reſpicit maledictas conditiones Strigum.

Secundus oſtendit, quos Striges offendere nequeunt.

Tertius demonſtrat, cur Striges à Dæmone non ditentur.

Quartus deſignat, cur potiùs fœminæ, quā viri ſunt maleficijs deditæ.

Quintus notat, an filia matrem maleficam denunciare teneatur.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quibus nominibus vocentur Magæ largè ſumpto nomine, vz. prout ſub ſe complectitur quoduis genus vi Dæmonum Maleficarum.

CVM multa, variaq; ſint ſcelera, quæ à Magis maleficis patrantur; proptereà varijs etiam nominibus à Scriptoribus nuncupantur; quorum nominum rationes afferre non erit incongruum; cum hac via earum ſcelera magis aperiantur.

Primò appellantur Magæ; quia, quæ adeò mira, ac nocua ſunt, vt viribus humanis nullatenùs perfici poſſint; auxilio Dæmonum exercent.

Vocantur Sagæ; tum quia nimis verſutæ in inferendis malis tùm herbis, tùm carminibus reperiuntur: tùm quia nimis ſunt curioſæ addiſcendi, quæ non expedit contra illud: *Non plus capere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Codrunchus de morbis veneficis lib. 3. cap. 3. Cicero lib. 1. de Diuinatione.*

Dicuntur Lamiæ per ſimilitudinem; quia quemadmodum Lamia eſt animal adeò crudele, vt occidat proprios etiam filios; ità ſe habent Magæ, tenellos pueros maleficijs occidendo. Lamia itèm naturalis habet ſpeciem, & faciem mulieris, ſed pedes equinos: ità hæ lamiæ ſimilitudine habēt formam humanam: ſed earum affectus ſunt beſtiales, & inhumani; *Horat. lib. 1. Carmin. itèm lib. 3. Apuleus lib. 1. de Aſino.*

Nominantur veneficæ, quia plerumq; veneno nocent, & licèt venenum ſumatur in bonā, & malam partem, *l. Qui venenum, ff. de Verborū ſignificat.* adeò, vt qui venenum dicit; debeat adijcere, vtrum bonum eſſet, vel malum; nam medicamenta ſunt venena, quæ mutant naturam eius, cui adhibentur: & venenū à vi vehementi immutandi naturam dicitur; Verùm ab his ſolummodò, prout nociuum applicatur maleficiatis; ideò reſpectu earum ſemper accipitur in malam partem.

Denominātur Striges; nam, ſicut aīalia Striges vocata, tenellas carnes, & earū pinguedinē appetunt; ità hæ methaphoricè Striges; eaſdē ſitiunt ad conſumanda ſua tùm maleficia, tùm veneficia. Itèm ità vocantur, quia non minùs, ac Striges naturales nocturno tempore hùc, illùcq; diuagantur ſtridendo. *Lucanus lib. 6. Plinius lib. 11. cap. 36. Ouidus apud Calepinum, ver. Strix*, vbi docet Strigem eſſe auem quendam nocturnam, & importunam; quæ itidem qualitates belliſsimè his ſimilitudinarijs Strigibus adaptantur.

Nuncupantur Incantatrices; quia quibuſdā verbis, quæ Scriptores carmina vocant, ope Dęmonum mira operantur: vt ſanguinē ſiſtere, vulnera curare, dentium dolores mitigare, &c. faciunt, quæ fert *Plin. lib. 28. cap. 2. & 21.* Verùm interdum verbis adiungunt res, vt obſeruant *Sūmiſtæ, ver. Incantatio, & Calep. ver. Incanto.*

Deni-

Denique notificantur nomine Sortilegarũ, & quidem congruentèr ſic dictæ à ſortilegio; quòd vniuerſalitèr acceptum omnes artes diabolicas complectitur, vt atteſtatur *Paulus Grillandus lib. 2. de Sortilegijs, & Plinius lib. 28. c. 4. & alij.*

Verùm quia ſupradicta nomina non ſatis explicant harum prauarum fęminarum ſcelera; idcircò nonnulli DD. & maximè Syluester Prieras, loco nominum ſimplicium .s. non compoſitorũ inuenit nomina ex his ſimplicibus compoſita: ex. gr. nominat illas Strigimagas, quia habent peſſimas qualitates tàm Strigum, quàm Magarum, vt viſum eſt; Strigiſagas, Strigilamias, Strigiueneficas, & ſic de alijs, quia habent deteriores qualitates ſingularũ; vt mihi verò potiùs vocari debere centũnocuas, immò mille nocuas: quia habent nedum centum, ſed mille nocendi artes, & modos; quemadmodum etiam earũ prothodoctor, & archimagiſter Diabolus vocatur Centaurus, Hypocentaurus, mille Artifex, mille Nubigena, mille Caligena &c. *Cornucopia Perottus in Commentarijs* tradit varia nomina Centaurorum, quæ iure adaptantur Strigibus, & Diabolo.

DIFFICVLTAS II.

Magæ, & Maleficæ quomodo conueniunt, & differunt ab inuicem.

RESpondeo, nomen Magæ, & Maleficæ nedum ad inuicem conuenire, ſed propemodùm ſorolizare: nam vtraq; ex pacto cum Dęmone inito operatur; tametſi Maga occultiùs, quàm Malefica, vt benè notat *Binsfeldius in Comment. de Maleſici, & Math. lib. 6. Eraſtus in Dialogis de Lamijs.*

Primò, differunt autem, quia Maga, vt talis regularitèr ob ſolam delectationem, iocum, & ludum, aut oſtentationem mira patrat: Malefica verò, qua talis, ſemper ſua opera dirigit in perniciem aliorum: nam non foret malefica, niſi maleficaret actu, vel habitu, conſtat.

Secundò, Maga putat ſe Dęmonem cogere; & quo ad hoc ſe illo potentiorem eſſe credit: & nonniſi ab ipſa cōpulſũ ad illius actionē concurrere: Malefica autèm Dęmonē tanquā Patronum agnoſcit, ei reuerentiam exhibet, in auxiliumq; tacitè, vel expreſsè inuocat, quādo actu aliquod malum proximo inferre vult; hæc autèm intelligēda ſunt in rigore vocabulorum: ſed attento Summiſtarum vſu vnum pro alio vſurpatur.

Tertiò, Maga ex libris, vel aliorum instructione artē ſuam diſcit; Malefica verò ab ipſo Dęmone ſeducitur, licèt etiam aliquando aliquæ perſuaſione aliorum inducantur.

Quartò, Maga, nec Deo, nec communioni Sanctorum expreſsè abrenunciat, niſi in ſummo malitiæ ſit gradu: Malefica autèm, vt plurimùm hoc præſtat; ex quibus clarum eſt Magam ſtrictè ſumptam à Malefica in malitia ſuperari: ità *Binsfeldius in Commen. de Maleſic. & Math. l. 6.*

Nos verò loquimur de Maga largè, quatenus comprehendit ſub ſe Maleficam, tanquā ſpeciem ſub ſuo genere: nihil .n. eſt in ſpecie, quod non ſit ſub aliquo genere: Vndè licèt ſpecies deroget generi iuxtà legalem reg. vz. per ſpeciem derogatur generi: non tamen genus derogat ſpeciei, *c. Dudum de præbend. in 6. l. In omni de Reg. iuris*: ſemperq; ad ſpecierum cognitionem debet præcedere cognitio generis, *l. 1. ff. de Iuſtitia, & iure.*

DIFFICVLTAS III.

Quomodo Maleficæ ſint reæ læſæ Maieſtatis Diuinæ.

RAtio difficultatis eſt, quia maleficia tendunt immediatè in perniciem Reipublicæ: non autèm contra Deum, vt de ſe patet: nam Maleficæ directè intendunt inferre malum hominibus.

Reſpondetur Maleficas eſſe, & meritò dici reas lęſæ Maieſtatis diuinæ: tùm, quia Deo, eiusq; regno abrenunciant, pacta contra Chriſtum, & eius exercitum contrahendo: tùm, quia ſocietas ſubditi cũ hoſte Regis, aut Principis ſiue conſummata, ſiue etiam tantùm inita facit reũ lęſæ Maieſtatis, vt rectè docet *Caiet. 2 2. quæſt. 95. art. 4.* & quis neſcit hoſtes Regis, & Regni dici illos, quibus à Rege indictum eſt bellum? itèm quis neſcit omnem ſocietatem cum Dęmone eſſe homini interdictam; cum à Deo tali hoſti (vt dixi) indictum ſit bellũ perpetuum; *S. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 2. ad vltim. Caiet. ibidem, Dominicus Sotus de Iuſt. & iure quæſt. 3. art. 2.*

Idem quærendum eſſet de alijs reis in S. Tribunali inquiſitis: ſed quia ſatis patet; ſufficiat dicere, Hæreticos Fautores &c. eſſe reos lęſæ Maieſtatis, quia contradicunt directè Sponſæ Summi Regis. Blaſphemos itèm; ſi enim crimen lęſæ Maieſt. committit, qui in Imperatorem, Regem, Principem, aut eius Sponſam cōuicia conijcit; quantò magis obnoxij erunt tanti criminis, qui Maieſtatem Diuinam, aut B. V. Mariam, alioſq; Sanctos blaſphemant, itidem, ſi committitur crimen lęſæ Maieſt. perſequendo, aut offendendo Miniſtros Pretoris, quomodo non committitur perſequendo Miniſtros Inquiſitoris? qui eſt Iudex Reip. ſpiritualis, ille Ducē, ſeu Regē; iſte Summum Pōtif. repręſentat; quare omnes, & ſinguli Rei occurrentes Præceptis Edicti Inquiſitorum ſunt meritò nuncupati noxij Regiæ Maieſtatis, res nota eſt.

DIFFICVLTAS IV.

An Maleficę noctis tempore cum Herodiade Philippi vxore, de qua Euang. S. Marcus cap. 6. *æquitent ſuper beſtias, item ſi cum Diana Paganorum Dea iuxtà vulgi opinatum æquitent.*

REſpondetur totum hoc falſum eſſe, figmentum, ac deluſionem Dęmonum: nam Herodias, cum qua dicuntur æquitare Maleficæ, non eſt in hac mundi parte ſuper terram, ſed in Inferno inferiori ad luendas cōdignas ſuarum iniquitatum, & impudicitiarum pœnas.

Nec veriſimile eſt Deum hucuſq; permiſiſſe, & modò etiam permittere, tàm perfidam fœminam; quæ ceſſit è vita, minimè peracta pœnitentia, vt reor; exire ad libitum à flammarum incendijs ad ſolaciandum ſuper terrarum ſpatia in equis, & equitibus, cum Nequioribus mundi. ità *Bartholomæus Sybilla in Speculo Pereg. qq. cap. 7. quæſt.* 4. qui addit falſum quoque eſſe dictas Maleficas iterùm, tertiò, & infinities maledictas equitare ſup beſtias, velut ipſæ putant: ſed benè ipſas interdum realr̄ deferri à Dęmonibus in forma beſtiarum apparētibus: interdum verò tantū illuſiuè ipſis cōtingit in ſomnis illas deludendo, illiſq; oſtendendo modò triſtitia, modò lęta, nunc cognita, nunc incognita. Ratio autem falſitatis eſt, tùm quia in tàm breui tempore, qualis eſt decurſus duarū, vel trium, aut quatuor horarum beſtiæ reales, quęquæ illæ ſint; minimè tranſcurrere poſſunt tot paſſuum milliaria, quot ipſæ dicunt: tum quia huiuſmodi animalia terreſtria nō poſſunt adeò ſilentèr ambulare, quin audiantur: patet itaq; falſitas prioris partis. Patet quoq; idipsū de Diana, cum qua itidèm dictæ Striges equitare aſſerunt. Nam Diana nec in hoc, nec in alio mūdo reperitur, ſed eſt quoddàm fictitiū, vt conſtantèr aſſerunt DD. & potiſſimè *Bartholomæus Sybilla loc. cit.* non nego tamen (vt aliàs innui) quin Dęmon Maleficas corporalitèr deuehere poſſit: v. g. ad ſuos Amaſios, ſi Deus illi permiſerit, fortaſsè in pœnam ſuorū criminum: quemadmodum patet de vectione Chriſti ſupra Pinnaculum templi, & montē excelſum *Matth. cap.* 4. Verùm delatio corporalis rariſſimè contingit. *Repertorium Inquiſit. verb. Xorguina*: determinant hánc difficultatē *Ioan. Papa 22. in Extrauag. ſuper illius ſpecula, cap. Epiſcopi, 26. quæſ.* 5 *Ghirlan. de Sortileg. q. 7. nu. 1. Ponzinus in tract. de Lamijs nu.* 49. *Albertinus de Aſſert. Cath. q.* 24.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An Maleficæ cooperentur Principibus ipſarum Fautoribus ad interemptionem inimicorum, ſeu partis contrariæ.

RESpondet *Iacobus Sprenger loc. infra cit.* affirmatiuè. s quod coadiuuāt, quoad poſſunt: Verùm ipſorū inimicis nullum inferre poſſunt malum; licèt vtantur Dęmonis brachio, niſi à Deo ipſis permittatur, quod rariſſimè cont.ngit; ratio eſt, tum quia ità expoſtulat Dei bonitas, eiuſq; prouidentia; ne homo fragilis, indè ſumat incentiuum habendi recurſum ad Dęmonem pro hoſtium ſuorum debellatione: tum quia S. Angeli ex altera parte maleficia, ac Dęmones impediunt, quantum volunt iuxtà diuinum beneplacitū, quod ipſis notificatur, hominem cuſtodiendo iuxtà illud Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandauit de te. vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.*

Nec imaginandū eſt bonos Angelos dumtaxat ab initio mundi contra malos habuiſſe prælium: aut ſolùm tunc de ipſis glorioſam obtinuiſſe victoriam; nam etiam nunc temporis pręliantur in defenſionē Principum Chriſtianorum: & de contrarijs victoriam reportant, iuxtà, vt innui, diuinum placitum, eiuſq; prouidam manum, quod in primis notat *Sprēger in Malleo Maleficarum par. 1. quæſt. 18.*

DIFFICVLTAS II.

Quibus Maleficæ obeſſe nequeunt.

LIcèt attenta Dęmonum poteſtate, cui maleficæ innituntur; cum ſit ſuper vires humanas, omnibus, & ſingulis nocere queant: penſata tamen Dei prouidentia tria potiſſimū hominum genera ſunt, quibus Maleficæ minimè nocere poſſunt.

Primum genus ſunt Miniſtri Iuſtitiæ, vtpotè Inquiſitores, eorum Vicarij, Conſultores, Notarij, ſed de his viſum eſt ſupra prima parte de Inquiſitore.

Alterum ſunt Miniſtri Eccleſiæ multa Sacramentalia ad imminuendam vim Dęmonū inſtituta conficient[illegible]: & vtrumq; regularitèr comprobatur experientia.

Tertium ſunt illi, qui verè Chriſtum volunt, ad dicta Diui Antonij, quod ſatis cōſtat exemplo Iuſtinæ Virginis contra quam tota Dęmonum poteſtas nihil profuit; hiſtoria ex Breuiario Romano nota eſt: ex Sacra itèm Scriptura idem comprobatur, colligitur enim nihil valuiſſe Maleficos, nec ſingulas Dęmonum artes contra Populum Dei, dum obſeruauit eius præcepta. Hinc D. Antonius Abbas inquit Diſcipulis ſuis; *Mihi credite. arma aduerſus Dęmones eſſe vitā ſincerā & intemeratā in Deum Fidem.*

Verùm nihil mali ſuſpicandum eſt de quauis perſona, quæ maleficijs diuexatur; quòd nimirùm verè Deum non colat; quia licèt doctrina Diui Antonij ſtet: tamen diuina iudicia, quæ inſcrutabilia ſunt, perſcrutari non poſſumus, *Romanorum cap.* 11. legendus eſt *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. quæſt. 1. ibi, tria ſunt genera hominem, &c.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Maleficæ cur à Dæmone non ditentur.

REſpondet *Sprenger loc. inf cit.* ex nequitia Dęmonis hoc contingere quadruplici ex cauſa. Prima eſt, ne qui priùs nouerant ſtatum paupertatis illarum ex diuitijs ſubitò, aut breui temporis ſpatio obtentis earum perditam, & infamam cōuerſationem, indè prudentèr cōijciant; & perindè paulatim ad notitiam cenſoris Fidei perueniant, qui earum maleficijs imponat finem.

Altera eſt, prouidentia Dei; quia, ſi multæ ſunt Maleficæ, licèt non ditentur; quid contingeret, ſi ditarentur?

Tertia, vt indè intelligamus harum miſerrimum ſtatum derelinquendo Deum omnium bonorum ampliſſimum largitorem pro Dęmone, qui nec minima bona, qualia ſunt fortunæ, ſine Dei permiſſione conferre poteſt: hinc meritò de his conqueritur Deus, *Ierem. cap.* 2. his verbis: *Me dereliquerunt fontem aquę viuę,*

viuę, & fœderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quę continere non valent aquas.

Quarta, ne in alijs in Fide infirmis, ac debilibus incentiuum deſerendi viam rectam relinquatur.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

Quare plures fęminę, quàm viri maleficijs deditę reperiantur.

RAtiones quamplures de hac veritate redduntur à Doctoribus.

Prima, quia fęminæ, vt plurimùm lubricam habent linguam; & perindè, ſi quas malas norunt artes, alijs citò reuelant, quibus ſine difficultate perſuadent, vt idem ſapiant ſecum, minimè conſiderantes exitum rei futurum: vndè vna illarum facta (vt ſic loquar) morbida pecus, totam corrumpit Ciuitatem, Pagum, Villulam, domum, vbi hæc peſtilentiſſima fęmina degit.

Secunda, quia fęminæ ſunt puſillanimes, affectæq; aliqua graui triſtitia non facilè ab illa ſe expediunt; quare occurrit Dęmon, occaſionē perſcrutatur, tentat, & ſæpè illas vincit; quod notat in primis *Gregorius in Syntaxi artis mirabilis tom. 1. lib. 7. c. 6. & nos cum ipſo ſup. diſt. 4. art. 3. diff. vnica.*

Tertia, quia fęminæ nimia afficiuntur ira, vindicareq; ſe vehementiſſimè affectant: vndè Dęmon data opportunitate, vindicandi modū, & auxilium pollicetur. hinc *Eccleſ. 25. Commorari cum Leone, & Dracone plùs placebit, quàm habitare cum muliere nequam*: itèm breuis omnis malitia reſpectiuè ad malitiam mulieris.

Quarta, quia fęminæ admodum pronæ ſunt ad credendum, & ignaræ; hinc Dęmon facilè illas decipit, & ſæpè ſub ſpecie boni, & recti.

Quinta, quia fęminæ ſunt nimis curioſæ, ſcire appetentes etiam, quæ eis non conueniunt; curioſitas autèm eſt magna diſpoſitio ad ſuperſtitiones, & maleficia.

Sexta, quia fęminæ ſunt mollioris complexionis, ob quam faciliùs impreſſiones à ſpiritibus capiunt: quare quemadmodum à bonis ſpiritibus inſtructę valdè bonæ, & deuotę redduntur; ità è contra adeò peſſimæ fiunt, quàndo ſuperſtitionibus Dęmonum conſenſum præbent; vt non ſit malitia ſuper nequitia ipſarum.

Septima, quia fęminæ ſunt fragiliores ex natura ſexus; quare Dęmon ab initio priùs inſidias tetendit mulieri, tanquàm parti debiliori. faciunt, quæ tradit auctor Mallei Maleficarum *Iacobus Sprenger, 1. par. quæſt. 6. Alexander de Aleſ. 2. par. Sum. quæſt. 53. cap 9. art. 6. Bartholomæus Sybilla in Speculo Pereg. qq. decad. 3. c. 9. q. 16. Binsfeldius in Comm. de Maleſ. & Mathem.*

DIFFICVLTAS II.

Quæ mulieres inter alias inueniuntur magis maleficæ.

SEntiunt nonnulli Doctores illas præcipuè eſſe, quæ minùs ſtabiles reperiuntur in Fide, quorum ratio eſt: quia quemadmodum Fides eſt omnium virtutum radix, & fundamentum; ità è contra infidelitas, & vacillitas, cuiuſcunque ſuperſtitionis, & maleficij eſt origo, & germen, ſeu ſeminarium.

Alij volunt eſſe mulieres longè alijs ambitioſas, quæ. s. nimis appetunt videri ſupra cæteras potentiores; aut ſapientiores: tractæ enim deſiderio tali non minùs curioſè, quàm auidè omnibus vijs quærunt diſcere modum apparendi tales, & ſic paulatìm euadunt ſuperſtitioſæ, & interdum maleficæ.

Alijs verò Doctoribus videtur potiùs dicendum illas mulieres præ cæteris eſſe magis ſuperſtitioſas, ac maleficas, quæ etiam prę cęteris vitijs carnalibus pręmuntur, vtpotè ſunt meretrices, & adulteræ, huic ſententiæ adhęreo ob cognitionem, quam ex libris acquiſiui, intēdūt præcipuè impedire vim generatiuam, actumq; coniugalem virorū cum proprijs coniugibus. faciunt, quæ docet *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 6. quæſt 6. per totum.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An filia Cenſoribus Fidei denunciare teneatur matrē, quam ex multis ſignis Strigem eſſe dignoſcit.

RAtio difficultatis; ratio eſt, tum quia nemo tenetur denunciare ſeipſum: filia autèm reputatur vna perſona cū matre; cum dedecus illius redundet in infamiam filiæ, vt de ſe notū eſt, tū quia mulieres, iuxta *l. Sequi, C. Qui nō poſsūt accuſare* nō admittūtur ad accuſationē, niſi res ad eas pertineat.

Attendendum aliquas Striges eſſe tantummodò ſibi nocuas, vtpotè illæ, quæ cum Dęmonibus carnale habent commercium, ob voluptates carnis explendas: aliquas verò nedū ſibimetipſis, ſed alijs quoque nocuas eſſe.

Itèm attendendum eſt, an malum iam tranſierit in pręteritū adeò, vt iam Strix à maleficijs reſipuerit: aut adhuc in fieri exiſtat, his habitis.

Difficultati duabus reſpondetur propoſitionibus.

Prima, ſi Strix, de qua ſermo, nō nocet alijs: vel ſi interdum nocuit, iam plenè ceſſauit (datis ſignis veræ reſipiſcentiæ ſufficientibus) cenſeo filiam ad denunciandam illam s. matrem ſuam minimè teneri ob ſtrictiſſimum vinculū cum ipſa; nam iuris fictione vna cenſeantur perſona, mater, & filia, & vnius infamia in alterius infamiam redundat.

Si verò huiuſmodi Strix alijs quoq; ſit infecta in maleficijs cōtinuando, denūcianda eſt ēt ab ipſamet filia, minimè obſtante ſtrictiſſimo vinculo propinquitatis; tum quia, cum bonum publicū periclitatur; quiſque tenetur incommoda ferre, vt illud conſeruet, natura ità dictāte, & lege tàm diuina, quàm humana ſic edocente: tùm quia, ſi filiæ, vel filij ſint neceſſarij ad coercendos impetus parentum patriam impugnantium; tenentur (iubente Rege, aut Duce) eis vim inferre; cum præceptū eos colendi ad huiuſmodi caſum non ſe extendat: ità in propoſito filius, & filia ob bonū commune Chriſtianæ Fidei defendendum, (iu-

(iubente Eccleſia) tenentur deferre patrem, & matrem, vt per *Pegnam par. 2. Direct. inquiſ. quæſt. 4. Comm. 67. Comitolum lib. 4 Moral. reſponſ. quæſt. 9.* tùm prætereà, quia ſummus omnium parens mortalibus parentibus anteponendus eſt; & idem aſſerendum de eius gloria, & honore, *cap. Relatum de ſent. excomm. Lazarius Canoni qq. de Blaſphemia quæſt. 12. Homobonus to. 1. tract. 7. cap. 3. qu. 16. & alij.*

Verùm attendendum eſt, an certè bonum publicum periclitetur, vel tantùm periclitationis ſuſpicio ſuboriatur; nam ob ſolam ſuſpicionem non tenetur filia tantùm pati damnū.

Quemadmodum autèm, vt ſupra innui; habenda eſt ratio, an malū ſit in fieri, aut in facto eſſe; ità habenda eſt ratio, an maleficiū ſemel tm, aut ſemel, & iterum, aut pluries factū fuerit. Itèm, an Strix ſit aſſueta maleficijs; vel ipſis vnicâ vice, aut duabus tantummodò fœdata fuerit; & deinceps plenè reſipuerit. Si eſt in fieri, aut, ſi adeò aſſueta eſt, vt plena emendatio probabilitèr minimè credi poſſit; venit illicò denuncianda, licèt eius crimen ſit occultum; *Homob. de Exam. Eccl. tract. 7. cap. 3. q. 17.* non autèm ſi ſecus eſt.

Ad obiectionem autèm, quòd mulieres nō poſſunt accuſare; dicendum nihil valere: tum quia Edictum reſpicit quodlibet perſonarum genus: vt patet attentis verbis ipſius: tum quia crimina, de quib. Edicta, ſunt excepta, vt tradidi *lib. 3. in Expoſit. terminorum ad S. Trib. ſpectantiū.*

Si dicas cum *l. Prætor, §. Non autem, ff. de Iure iuran.* mulierem nullam habere diſcretionem; reſpondeo hanc regulam, ſeu legem ſuas habere limitationes, ſeu exceptiones: primò itaque fallit, qui lex illa loquitur execratiuè, ſeu (vt veriùs loquar) ampliatiuè, in deteſtationē indeſcritionis fœminarū, q̄ in ipſis potiùs, quā in viris viget: ſecundò fallit ob allatas ſuperiùs rationes: Immò à fortiori fallit, quia etiam extrà S. Off. ipſæ admittuntur in pluribus caſibus; quos notant DD. ſcilicèt in codicillis, in quibus mulier poteſt eſſe teſtis, vt notant gloſſ. ab omnibus recepta in *l. fin. C. de Codicillis*, & in teſtamentò ad pias cauſas condito, vt per *Abbatem in cap. Cum eſſes de teſtam.* & in alijs caſibus: quare nihil obſtat obiectio.

Nec itèm obſtat mulieres eſſe falſas, fragiles, & corruptibiles, iuxtà *l. Qui teſtamento, ff. de Teſtibus*: nam præter rationes prædictas dicendum eſt plenè ſupplere prudentiam iudicum S. Trib. qui apprimè callentes mulierum qualitates norunt quid ex earum denunciationib. colligere debent, ex ſpinis legēdo roſas. Vndè per has rationes nec obſtat, quòd ſint nimis loquaces. *l. 1. ff. de Poſthumis*, vt aliqui obijciunt.

DISTINCTIO SEPTIMA.

De recurſu ad Magas præcisè maleficas.

Diſtinctio hæc quinque amplectitur articulos, quorum

Primus reſpicit recurſum tàm licitum; quàm illicitum.

Alter illarum coactionem.

Tertius obſeruationem rei ipſis promiſſæ.

Quartus circunſtantias huiuſmodi recurſus in confeſſione Sacramentali aperiendas.

Quintus denique methodum à Confeſſario obſeruandam ante illarum abſolutionē.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An pro ſanitate recuperanda licitum ſit recurrere ad Maleficam, vel Maleficum; qui, vel quæ ſuis materialibus maleficijs infirmitatem intulit.

SVpponit huiuſmodi difficultas ex probabilibus coniecturis ſatis nobis notum eſſe Maleficam.

Reſpondetur cum diſtinctione, duplex eſt maleficium, nempè aliud perpetuum, quod .s. è loco, vbi repoſitum eſt abſque nouo recurſu ad Dęmonē dimoueri non poteſt: aliud temporale, quod ad libitum Malefici abſque nouo recurſu ad ipſum amoueri poteſt.

Si perpetuū eſt, nullatenus cuiq̄ integrū eſt ad Maleficum, aut Maleficam habere recurſū. Tum quia vti Maleficorum opera eſt per ſe malum; cum inuoluat pactū, inuocationemq; Dęmonum; Vndè quocunq; fine, etiam optimò, quis illa vtatur non poteſt cohoneſtari; nam finis ad ſui naturam minimè attrahit ordinata in finem, vt doctè annotauerunt *Antonius à Butrio, & Ioannes de Annania in cap. Ex tuarum.*

Secūdò, quia expreſſa eſt Apoſtoli ſentētia, .s. quòd nō ſunt facienda mala, vt eueniāt bona; quare potiùs expedit iacturam pati in corpore, aut bonis fortunæ, quàm in anima: cum iſta reſpectu animæ ſint inferioris ordinis: immò præſtat omnia Diaboli tormenta, totamq; ſubſtantiam perdere; quàm opera ipſius Diaboli vti cum acquiſitione omnium bonorum temporalium: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur &c.* Hanc doctrinam omnes Theologi, Canoniſtæ, Iuriſq; periti amplectuntur, & concordat cum Diuina Scriptura *Leuit. 19. & 20. & cum iure Canonico 26. quæſt. 5. Can. Nec mirùm, cap. Admoneant 2. quæſt. 2. capit. Ex tuarum de Sortilegijs.*

Dices legem ciuilem minimè punire recurrentes ad Maleficas pro iuſto fine, vt conſtat ex praxi. Reſpondetur legem ciuilem potiùs attendere, quæ concernunt pacem, ac bonum externum, quam conſcientiam, vti patet ex *l. Gracchus, C. de Adult. & l. marito, ff. eodem tit.* Vndè ad pœnę mitigationem ignoſcitur marito occidēti vxorem in fragranti crimine adulterij

terij deprehenſam, & ex *l. 2. C. de Reſcind. vend.* quæ nō reſcindit contractum venditionis, niſi notabiliſſima interceſſerit iniuſtitia. Verùm iſta non approbat tanquàm rectè facta; ſed cognoſcendo eſſe mala remittit punitionem eorum ad legem Canonicam, ſecundum quam peccat mortalitèr tàm maritus vxorem occidens, quàm ſcientèr proximum defraudans. patet ex *cap. Inter hæc 33. quæſ. 2. & cap. ſequenti.*

Ceterùm, ſi maleficium eſt temporale, adeò vt abſq; nouo recurſu ad Dęmonem à Malefica auferri poſſit; integrum eſt recurrere ad illam, vt auferat maleficium materiale .s. inſtrumentum maleficiale; quia ipſo ablato, cuiuſuis ſpeciei ſit; ſubindè abſque nouo recurſu ad Dęmonem: ceſſat etiam maleficium formale .i. aufertur infirmitas. faciunt tradita à *Scoto 4. ſent. diſt. 34. quæſt. vnica; Ioan. Baptiſta Conrado quæſt. 150. Bartholom. Gyptio de Caſib. reſeruatis, caſ. 3. nu. 50. Gabriel. in 2. ſent. diſt. 8. quæſt. 2. art. 4. dub. 2. Syluest. ver. Maleficium num. 2. Sot. in 4. diſt. 34. quæſt. 1. art. 3. Megala lib. 5. cap. 14. nu. 6. Layman. lib. 4. tract. 12 c. 4. num. 9.* Quare notandum eſt, aliud eſſe maleficium maleficio ſoluere, quod nunquam licitū eſt; aliud verò recurrere ad Maleficum, aut Maleficam notam; quæ iam fuit infirmitatis nequitèr procuratrix, ipſam cogendo ad auferendū è loco maleficiū materiale in ſua libertate poſitū, (vt ſuppono) ſi poſſit illud auferre abſq; nouo peccato; tota ratio eſt, quia nulla in hac diſſolutione maleficij Dęmonis inuocatio interuenit: & petitur act⁹ bonus bono fine; auferre enim tale maleficium eſt quid bonū, cum ex hac ablatione ceſſet offenſio Maleficæ. *Nal. ver. Maleficium nu. 3. Sanchez in Decalog. lib. 2. c. 41. nu. 12. & 13.*

Verùm mihi adhuc diſtinctiùs procedendū eſſe placet, vz. minimè peti poſſe maleficij diſſolutionem à Malefico, niſi concurrentibus tribus conditionibus. Prima eſt, vt illius diſſolutio à Malefico iuſtè .s. abſque Dęmonis inuocatione expreſſa, aut tacita fieri poſſit.

Altera eſt, quòd adſit neceſſitas ex parte petentis.

Tertia, vt neceſſitas petentis, modusq; iuſtus petendi notificetur in caſu, quod ſubſit probabile periculum ſcandali, maximè puſillorum.

Sed nec his cōcurrentibus Maleficiatus permittere poteſt, vt ſibi applicentur medicinæ, quas nouit vanas, aut ſuperſtitioſas; aliòquin ſaltem ad tacitā Dęmonis inuocationem concurreret. *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 95. nu. 12.* quem ſequitur nouiſſimè *Mazuchelius de Caſib. reſer. diſp. 2. cap. 10. quæſ. 6. diff. 2. n. 113.*

DIFFICVLTAS II.

Licet ne recurrere ad Magam maleficam pro diſſolutione maleficij, quando dubium eſt, an ſciat modum licitum auferendi illud.

RESpondetur abſolutè minimè licitū eſſe; quia tunc perindè eſt, ac dubitare, an ſolutio illa maleficij poſſit licitè fieri, quo dubio exiſtente nefas eſt ad illam habere recurſum. ità *Sanchez in Summa lib. 2. cap. 41. nu. 6. Martinus Delrius lib. 6. Diſquiſ. Magicarum cap. 2. sect. 1. quæſt. 2. Carolus Baucius in Miſcellaneis Practicis tract. de modo interrogandi Dæmonem. ibi petes 10. qui ex mente Delrij loc. cit.* tradit modum euincendi huiuſmodi dubium, vz. interrogando Magam maleficam, qualibus medijs vti velit ad maleficij ſolutionem; quæ, ſi illa explicare renuit; redditur vehemētèr ſuſpecta; ſi verò illa explicet, attendendū eſt, an licita ſint; hinc cenſeo maleficij diſſolutionē ab alio, quàm ab auctore non eſſe petendam; niſi de loco, vbi repoſitum eſt maleficium materiale alius inſtructus fuerit, aliàs dubium foret, vt maleficio maleficium ſolueret: Verùm illicitum non eſt interrogare aliam Maleficam, an norit, vbi ſit poſitum tale maleficium, vt deſtruatur; quæ ſi ignoret locū, aut modū licitū illud auferendi; nō poteſt induci, ſicut nec auctor: ſi verò nouit locum, illud auferre poteſt; etiamſi ex hac ablatione aliquod damnum redundet in Maleficam maleficij auctricem, quę ſibi damnum imputare debet: nam facienti, quod nō debet, obuenit ei, quod non credit: ſtultaq; in culpa, in pœna debet fieri ſapiens. *cap. Niſi de Offic. Dele. & ibi Bal. nu. 2*

Tenetur autèm tàm repoſitor maleficij, quàm quiſquis alius illud auferre, ſed differentèr; Repoſitor ex iuſtitia tanquàm auctor maleficij: tenetur verò quiſque alius ex lege charitatis, ſi commodè poteſt; niſi ſit Miniſter iuſtitiæ; quia ſic itèm teneretur ex iuſtitia claret.

Reſpondent alitèr alij Doctores infrà citandi .s. quòd vrgente neceſſitate licitum eſt, vti alterius iniquitate ad proprium commodum; quorū ratio eſt; quia ſi Malefica vellet (vt ſuppono) abſq; peccato materiale maleficium tollere poſſet; quòd ſi auferat cum peccato ſuæ impietati, & nequitiæ adſcribendum eſt: probant in ſimili de petente mutuum à parato ad fęnerandum, à quo nouit probabilitèr pecuniam non eſſe, niſi ſub vſuris ſibi mutuandam.

Idem comprobant in petente iuramentum ab infideli, quem dubitat per falſos Deos iuraturum. *Coar. in cap. Quamuis p. 1. relect. ſeſſ. 1. nu. 7. apud Megolam Peregri. Inſtitutionum, lib. 5. cap. 14. nu. 6.* faciunt tradita per *Caiet. tom. 2. Opuſc. tract. 129. Mengum in fuſte Dæmonum cap. 5. per totum; Henricum de Gandauo quolib. 5. quæſt. 33. Martinum Delrium Diſquiſ. Magic. lib. 6. quæſt. 2. verb. Dico 4. & 5.* qui in hęc verba proloquitur: *Accederem ad illam perſonā, quæ mihi dedit talia .s. maleficia nō, vt faciā homagium Diabolo: nec, vt colam illam maleficam, ſed vt mihi auferat, quod mihi dedit:* ſi ipſa agat cum Diabolo non conſentio: ſed tantùm peto, vt remoueat malum quod mihi dedit, ſi nimirùm poteſt abſq; peccato. An ſaltèm liceat quando Maleficus ad hoc paratus eſt, vide infrà *diſt. 9. art. 2. diff. 2.*

DIF-

DIFFICVLTAS III.

An ſaltèm licitum ſit vti opera Malefici parati ad hoc.

RAtio difficultatis eſt, quia ſecundum *Auguſtinum in Epiſt. 154. ad Publicolam, & habetur in c. 22. quæſt. 1.* cuique licitum eſſe vti ad commodum ſuum iuramento hominis infidelis; quamuis ſciat illum iuraturum per Deos falſos, quos colit. Itèm ex communi Doctorum conſenſu poteſt quiſque in neceſſitate exiſtens mutuum petere ab eo, quem nouit niſi ad vſuram daturum.

Difficultati reſpondetur abſolutè negatiuè: cuius ratio eſt, quia non licet inducere Maleficum, vt id faciat, quod ſine peccato fieri non poteſt iuxtà Pauli ſententiam: *Digni ſunt morte non ſolùm, qui faciunt, ſed etiam qui cõſentiunt facientibus*; ſed paratus ad maleficium peccat, ergò & qui vtitur opera eius.

1. Ad rationes in oppoſitum dico, quòd non valet ſimilitudo de petente iuramẽtum ab infideli; quia petens ab illo, vt iuret, non cupit, vt per Deos falſos iuret, aliòquin peccaret, quia peteret id, quod eſt apertè delictum, ſed ſolùm petit, vt iuret; Vndè, ſi eſſet in optione offerentis iuramentum; mallet infidelem per Deum verum iurare. Eadem ratione, qui petit mutuum ab vſurario; non petit ſub vſuris pecuniam; quinimmò illam ſine vſura vellet ſibi mutuari, cum id fieri poſſit: ſed petit ſibi dare mutuũ, quod laudabile, & meritoriũ eſt.

Verùm notandum, quòd, ſi maleficium factum eius eſſet generis, quod aliqua naturali virtute ſine inuocatione, aut auxilio Dęmonis, diſſolui poſſet; non eſſet illicitũ petere diſſolutionem maleficij, ex. gr. Si quis noſſet Maleficam poſuiſſe ſub limine domus vicini materiale maleficium, quo remanente eius vaccæ morerentur, aut lac eis ſubtraheretur; non peccaret petendo ab ea, vt remoueret tale maleficium; ſi in tali remotione nec recurſum ad Dęmonem: nec itèm commercium habeat; nec oriatur ſcandalum, nec aliud malum, vt ſupponitur.

1. Nec obſtat Dęmonem ampliùs non diuexare iam maleficiatum; quia non interceſſit nouum pactum Maleficæ cum Dęmone; vt deſinat diuexare, quando ipſa abſtulerit ſignũ: ſed ſolùm inijt pactum cum illo, vt tandiù moleſtet; quandiù ſignum poſitum remanet, & deinceps ſit ad libitum Dęmonis tàm diuexare, quàm non: Vndè primum pactum minimè comprehendit ſecundum: ſed vnum ab alio eſſentialitèr ſeparatur; quarè ad vnius poſitionem, aliud non infertur, iuxtà *l. Papinianus exul, ff. de Minoribus, l. fin ff. de Calumniatoribus*, itèm quia ſeparatorum ſeparati ſunt effectus, *l. Si maritus §. 1. C. de Donat. inter virum, & vxorem*. Itidèm, quia in omni actu, v.g. in actione pacti, attenditur principale, non conſecutiuũ, *l. Si quis nec cauſam, ff. Si certum petatur*. Prætereà, quia de his, quæ veniunt in conſequentiã nulla eſt conſideratio, *l. 1. ff. de auctoritate Tutorum, l. Conditionibus pupillus, ff. de Condit. & demonſtrat.*; ſed clariùs difficultate ſequenti.

DIFFICVLTAS IV.

An liceat maleficij ſignum auferre hoc fine, vt Diabolus nocere deſinat.

REſpondetur cum diſtinctione, vel aufertur ab eo, qui illud poſuit, vel ab alio, qui nõ poſuit; ſi à primo ſubdiſtinguo, vel ille inierat duo pacta cum Dęmone, primum, vt ipſe permanente ſigno nocere debeat; ſecundum, vt illo ſublato teneatur non nocere: vel vnum tantùm init, vz. vt præcisè nocere teneatur, dum manet ſignum, nulla mentione facta de ſecundo, his habitis

Reſpondetur, quando duo ſunt pacta, Maleficus, auferendo ſignum, vult adhuc ſibi ſeruari pactum ſecundum; & ſic non licet ipſi illud auferre, quia ſic confirmaret illud aliud, .s. ſecundum: vel pœnitentia motus vult pactum omne cum Dęmone initum ceſſare, & ideò, vt reſcindatur, aufert ſignum, quod eſt pacti vinculum, non quatenùs ablatio eſt nota ſecundi pacti; quia ſic, vt dixi, cõfirmaret illud; ſed quatenùs eſt deſtructiuum cuiuſuis pacti, & ſic licitum eſt.

Vel aufertur ab illo, qui illud non poſuit: & ſic vel auferens nouit ſecundum pactum; & ſubindè non poſſet ab illo auferri: quia pro quanto in illo eſſet; vellet à Dęmone ſeruari ſecundum pactum, & malo cooperari: ſi verò ignorans, vel gnarus illud tollat, duntaxat, vt maleficium deſtruat: vel, vt pactum reſcindatur, lz. ſperet Dęmonem liberè ceſſaturum à nocendo; nullo modo cooperatur pacto primo, quia iuxtà illud non operatur: nec itèm cooperatur ſecundo, quia renuit, vt ablatio ſit ſignum alicuius pacti.

Deniquè, ſi vnicum Maleficus fecit pactum, etiam tunc licet auferre ſignum in deſtructionem pacti. ità *Martinus Diſquiſit. Mag. lib. 6. c. 2. ſect. 1. quæſt. 2. vide infra lib. 8. diſt. 1. art. 2. diff. 2.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An peccent Iudices ſeculares, qui cogunt Maleficas benedictione quadam, maleficium auferre.

REſpondetur affirmatiuè; nam hæc illarũ benedictio nihil aliud eſt, quã formula, qua ex pacto Dęmon eſt ceſſaturus. ità *Mart. Delrius Diſqu. Magic. lib. 6. c. 2. ſect. 1. qu. 2 Arſen. S. Inq. par. 10. adm. 155.* Et quidem, ſi benedictione ſanãdus eſt maleficiatus, benedictione Sacerdotali vtendum eſt; cum ſit miniſter veri Dei potentis illicò ſanare, ſi expedit: vel alteriùs probi hominis: non autèm Malefici, cum ſit execrabilis. Peccat itèm Malefica obtemperans tali iuſſioni, quia ipſa conſcia eſt pacti expliciti, aut taciti.

Peccant ſimilitèr ægri hanc benedictionem quærentes: valdèq; falluntur, qui credunt licere maleficijs ſanitatem quærere, vel conferre, ſi id Magiſtratus iubeat: vndè impium, & hereticum eſt dictũ Paracelſi, vz. *Nihil referre,*

an

an Deus, vel Diabolus: an Angeli boni, vel mali ægro ferant opem, modò morbus ſanetur, ſequens legalem regulam .ſ. *Modus non curatur, dummodò effectus habeatur. l. Si mater C. de Inſtit. & ſubſt.* Verùm dicta lex intelligenda eſt, niſi modus ſit à lege reſtrictus, & limitatus, *argument. l. Cum hi, §. Si Prætor, ff. de tranſact.* ver. gra. in propoſito quærere ſanitatem ab Accharon, à quo non poteſt (Sacra Script. teſte) ità *Martinus Delrius Diſquiſ. Magic. lib. 6. cap. 2. ſect. 1. q. 2. loc. cit.*

DIFFICVLTAS II.

An licitum ſit priuato homini cogere Maleficã minis, vt auferat maleficium materiale è loco, vbi illud repoſuit.

RESpondent *Martinus Delrius Diſquiſ. Mag. lib. 6. quæſt. 2. ver. 4. & 5.* qui de communi teſtatur. Itèm *Gauacius in Compen. Maleficarum lib. 2. cap. 12.* licitum eſſe Maleficum minis, & etiam leuibus verberibus, vt maleficium tollat, quandocunq; probabilitèr creditur, maleficium ſine nouo maleficio auferri poſſe, vti contingit, quando maleficium materiale eſt in poteſtate Maleficæ, vt ſupra diximus, ſuppoſito, quod certò nouimus Maleficũ. *Nal. ver. Maleficium, n. 4. Leſſ. lib. 2. c. 9. dub. 8.* nã interdũ contingit, vt à loco abſq; Dęmonis auxilio, auferri minimè poſſit, & tunc non poteſt cogi, *Martinus Delrius vbi ſupra circa finem,* v. g. proiectum fuit in mare, vel in profundum puteum, quod non poteſt indè exhauriri abſq; recurſu ad Dęmonem; & tunc vt dixi non poteſt vllo modo Maleficam cogere.

Multis tamen non placet, quòd priuato integrum ſit, verberibus, ſz. leuibus, extorquere ſanitatem à Malefica, quam certò nouit maleficium intuliſſe: tum quia nemo eſt bonus Iudex in propria cauſa: tum quia extorquens non excuſatur ex eo, quod actualitèr cruciatur maleficio illo à Malefica ſibi certè illato: ſub prętextu, quod vim vi cuique repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ: nam vt quis dicatur vim vi repuliſſe dicto modo; ſaltèm neceſſarium eſt, vt aggreſſus abſque dedecore non poſſit arripere fugam: *l. Scientiam, §. Qui cum alitèr, ff. ad l. Aquiliam. Doct. omnes ad l. Vim vi &c.* Maleficiatus autèm non eſt in dicto caſu, quare &c.

Admittendum tamen eſt, vt ad eam poſſit haberi recurſum, vt diſſoluat maleficium, quãdo ex ore ipſius expiſcatum eſt, quod poteſt licitè illud auferre: nam nemò præſumitur immemor ſalutis ſuæ, *l. fin. C. ad l. Iuliam repetundarum*; quæ, ſi mentitur, ſibi imputare debet peccatum: ſcienti enim, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus, *c. Scienti, de Reg. iur. in 6.* nemoq; præſumitur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt, *l. Nemo, ff. de Reg. iuris.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An promittens aliquid pro maleficio, eo ſequuto poſſit licitè ſoluere promiſſum.

REſpondetur affirmatiuè, ſed non ex vi promiſſionis, aut ratificationis maleficij, ſed in eleemoſynam, paupertatis ſubſidium, & in con eruationem ſui honoris; ità vt maleficium non ſit cauſa principalis, ſed ſine qua non. *Nauar. conſ. 10. de Simonia, nu 8.* quod obſeruat *Bariola in Aphoriſ. ver. Malef.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An recurrens ad Maleficam paratam pro ſoluendo maleficio Dæmonis ope, inductionis circunſtantiam in confeſſione Sacramentali explicare teneatur.

AFfirmat *Henriquez de Pœnitentia lib. 5. cap. 7. nu. 7.* vt notat *Diana in Reſolutionibus moral. par. 1 tract. 7. reſolut. 34.* Negat verò *Fagundez lib. 4. præcep. 2. cap. 5. n 3. cum alijs*, cuius ratio eſt, quia, cum Malefica ſit omninò parata, vt ſupponitur, propriè, & ſtrictè loquendo non inducitur; ſicut propriè, & ſtrictè nõ inducitur tabernarius ad vinum vendendũ, cũ ad hoc vendendũ expoſitũ teneat ſignũ: ſicut, nec meretrix publica propriè dicitur induci ad peccatũ, vt ſupra innui; ſed potiùs ipſam incautos inducere: claret ſumpto argumento à tacitis: nam in his caſibus par eſt vis taciti, & expreſſi, *l. Cum quid. ff. Si certum petat.* fruſtraq; exprimitur, quòd tacitè ſubauditur, *l. Non rectè C. de fideiuſſorib.* Ego ſequor partẽ affirmatiuam .ſ. quòd recurrens ad Maleficam tenetur cõfiteri peccatum mortale, quod ex parte ſua commiſit, ad illam recurſum habendo; ob quem .ſ. recurſum præter mortale piaculum, maiori annodatur excommunicatione: Verùm nulli reſeruatur, patet ex *cap. Si quis 26. q. 5.* quod notat *Tolet. lib. 4. c. 14. nu. 6.*

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

Qualis modus per Pœnitentiarium obſeruandus eſt, priuſquam abſoluat hoc caſu irretitum.

PRimò Pœnitentiarius obijciat huiuſmodi pœnitenti Deum his prҫcipuè offendi peccatis, quibus vera ſui colendi ratio corrumpitur. Referatq; potiſſimè exemplum *lib. 1 Regum cap. 28.* vbi Saul videns caſtra Filiſtym contra ſe præualere; Dominum conſuluit, quomodò ſe gerere deberet; cui cum ob iuſtum eius iudicium non reſpondiſſet, conſuluit Phytoniſſam; ob cuius recurſum iratus permiſit, vt tàm Saul, quàm eius filius Ionathas in prҫlio periclitarentur. Multa ſanè flagitia iam patrauerat Saul; & tamen ob nullum horum, adeò ipſum puniuit, vti ob recurſum ad mulierem ſpiritum Phytonem habentem; vt detur nobis ſignum, quanto odio habeat conſulentes Dęmonem.

Secundò obijciat eos meritò in neceſſitatibus à Deo negligi; qui itèm iniurias cultui ſuo illatas negligunt.

Tertiò, admoneat ipſos ſuis maleficijs, v. g. incantationibus minimè poſſe impedire iuſtitiam humanam: aut eripere ſe ipſos è manibus Iudicum: quia virtus naturalis demoniaca eſt minor poteſtate diuina humano Iudici conceſſa, patet *Exodi c. 22.* ibi *Non patieris in te viuere Maleficos:* conceſſo .n. ſubſequenti, conceſſa ſunt omnia neceſſariò prҫcedentia. legito *Paulum Grillandum de Sortileg. num. 39. & Nal. ver. Maleficium, nu. 2.* Quar-

Quartò addat, quòd Magi malefici veniunt excommunicandi, ſunt de hęreſi ſuſpecti, ac Idolatrę; ſi cultu latriæ Dęmonem adorant. ità *Nal. loc. cit. nu. 7.*

Quintò vrgeat, quòd dato vno abſurdo aliud facilè ſequitur, *l. Katas, C. de Reſcind. venditione*: quare doceat, vt de cętero caueant nedum à maleficijs; ſed etiam ab omni Maleficorum, aut Maleficarum conſuetudine: nam illa admiſſa, aut conceſſa conceduntur, & admittuntur, quæ ſequuntur: conceſſo antecedenti, cõceditur, & conſequens, *l. 2. ff. de Iuriſdict. omn. Iud.* ſicut è contra, remoto antecedenti, omne eius conſequens remouetur. Quinimmò nõ modò conſortium ab his cauendum eſt: ſed amicitia paulatìm extinguenda iuxtà rationis dictamen: nam plerunque amicitiæ ratione conceditur, quod ſimplicitèr non concederetur, *l. Interdum, ff. de Aqua pluuiali arcenda.*

Sextò inſtet ſibi cauendum eſſe à dicta Maleficorum, & Maleficarum conſuetudine ob tuendum propriam famam: quia, ſi adhuc perſeueret; facilè credent proximi ſui, quòd in maleficijs perſiſtat: nam aſſueta fieri facilè præſumuntur, *l. Certi, ff. Si cert. pet.* potiſſimè, quia durũ eſt aſſueta relinquere, *l. Pracipiunt, ff. de Aedilitio Aedicto.*

Si dicat pœnitens non poſſe cauere ab omni conuerſatione, cum ſit animal ex natura ſociabile, & quod nemo ſine crimine viuit; vrgeat Pœnitentiarius, quòd cauſa proxima magis attenditur, quàm remota: Malefici autèm ſunt (vt ſic loquar) ſuorum maleficiorum, vèlut cauſa propria: dico velut: quia (ſtrictè loquẽdo) non ſunt niſi cauſa ſibi impulſiua; cum voluntas minimè cogi poſſit: itèm tum quia connexorum, & ſimilium idem eſt iudicium, ſicut è contra diuerſorum diuerſum eſt iudicium: tum quia contraria ſimul eſſe non poſſunt; vndè ad poſitionem vnius ſequitur remotio alterius: tũ pretereà, quia plura ſimùl vnita pro vno reputantur, *l. Si plures, §. filio, ff. de Vulgari, & pupillari ſubſtit.* quare eſto, quod conuerſans cum Maleficis non ſit talis; tamen habetur pro tali: quia iuxtà prou. *Omne ſimile ſibi ſimili aſſociatur.*

DISTINCTIO OCTAVA.

De Magia malefica circa actum coeundi, & requiſita.

Huiuſmodi diſtinctio in tres partitur articulos, quorum

Primus reſpicit potentiam Dæmonis ad impediendum actum coeundi.

Alter diſcrimen inter frigidos, & maleficiatos.

Tertiò verò itèm potentiam Dæmonis circa virile membrum.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Dæmon actum coeundi impedire valeat.

Reſpondetur affirmatiuè, ſuppoſito, quod à Deo non impediatur: ratio eſt: tum, quia maior eſt poteſtas Dęmonis, quàm hominis, cũ ſcriptũ ſit de illo: *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparetur. Iob.* 40. homo autèm poteſt impedire alium ab actu coeundi multis modis; ergò &c. tùm, quia *Magiſter Sent. in 2. diſt. 7. cum D. Aug.* oſtendit, Dęmones habere poteſtatem operandi ſuper corpora, niſi arceantur à poteſtate ſuperiori, vt notat *Toſtat. tom. p. ſuper Euang. Matthæi 19. cap. 33. quæſt. 1. cap. Si per ſortiarias, & maleficas artes.*

DIFFICVLTAS II.

Malefici per Dæmones an actum coeundi, aut generandi (integra remanente potentia naturali) impedire poſſint.

Reſponſio eſt affirmatiua, quæ conſtat, tum ex quotidiana praxi, quæ eſt veritatis magiſtra: tum ex *Toſtato in Euang. Matth. cap. 19. quæſt. 90. ver. Actus generandi.*

Dices primò, ſi Malefici per Dęmones impedire poſſent actum generandi; poſſent etiam impedire greſſum, vocem, viſum, auditum, cęteraſq; operationes humanas, quinimmò totum deſtruere mundum; ſed hæc non poſſunt, vt patet experientia: ergò nec poſſunt impedire actum coeundi, aut generandi. Reſpondeo certum quidẽ eſſe, quod poſſent nos priuare greſſu, voce, viſu, auditu, tàm perpetuò, quàm ad tempus; ſi Deus eis permitteret; cum non ſit poteſtas ſuper terram, quę ipſis comparetur: apparetq; experientia aliquos eſſe mutos, ſurdos, elingues; interdum per Maleficos virtute Dęmonum talitèr effectos (Deo permittente).

Cur autèm ſępiùs circa actum coeundi permittantur maleficia operari, quàm circa alios actus humanos. Reſpondent Theologi hoc eſſe; quia peccatum originale, per quod homo ſeruus Diaboli effectus eſt; contrahitur ſecundum ſententiam Thomiſtarum per dictum actum, dum infunditur anima in corpus, (contra Scotiſtas volentes peccatum originale contrahi ratione pacti inter Deum, & Adam) qui etiam fuit medium, quo vſus eſt Dęmon ad introducendum peccatum in mũdum, ità *Toſtat. loc. cit. lit. K.* & facit *cap. Si per ſortiarias 33. quæſt. 1. Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. cap. 6.*

Notandum autèm non niſi raró fieri maleficia circa actum coeundi fornicariũ, tum quia coitus illicitus Dęmonibus placet: tum quia non ſunt ſibi contrarij in noſtri damnum. *Toſtatus vbi ſupra*: fiunt verò regularitèr circa copulam coniugalem ex inuidia, ac nequitia illorum; quæ tanta eſt, vt pro quanto in ipſis eſt non patiantur hominem habere abſq; peccato aliquam ſatisfactionem corporalem.

Dices ſecundo, opus Dei opere Diaboli fortiùs

tiùs eſt; hæc de ſe conſtat: ſed maleficia ſunt opus Diaboli; copula verò coniugalis ad generationem ordinata, eſt opus Dei; cum ipſe illam inſtituerit, *Gen.* 1. & 9. ergò non poteſt per opus Diaboli, hoc eſt per maleficia impediri.

Reſpondetur quòd, quamuis opus Dei ſit fortiùs opere Diaboli: tamen hoc ex Dei permiſſione virtute Diaboli impediri poteſt: ità *Toſtatus vbi ſupra ad 2. Sprenger in Malleo Maleficarum par. 1. q. 1. & 8. circa finem*: Verùm nō impedit per violentiam deſtruendo, vti ſolent Tyranni, ſed per quandam artem extrinſecā; nam (regulariter loquendo) non permittitur ipſi, vt deſtruat naturam; ſed ſolùm, vt hominem exerceat, patet in *Iob cap. 2. & 3.* vbi Deus permiſit ipſi, vt ſolummodò ſeruum ſuum diuexaret; pacto tamen, vt eius animam, .s. naturam eius corporalem non deſtrueret: veruntamen animam illius ſerua: ità *Sprenger par. 1. quæſt. 1. & 8. circa finem.*

Impeditur autèm actus coeundi non impedita potentia generatiua duobus modis; primò per impedimentum reale organorum potentiæ generatiuæ deſeruientium: ſecundò per impedimentum intentionale factum in imaginatiua; quæ ſolet multùm mouere potentiam illam inferiorem; primo medio vtitur regulariter reſpectu viri: ſecundò verò reſpectu fœminæ.

Modus verò curandi hæc, & ſimilia maleficia eſt per orationes, eleemoſinas, ieiunia, & cętera bona; & maximè per quoſdam Eccleſię exorciſmos, puram cōfeſſionem, & integram ſatisfactionem: legenda ſunt amuleta, quę tradidimus circa finem lib. 15. vt ſcias modum occurrendi huiuſmodi malis.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quomodo diſcerni poteſt impedimentum generationis prouenire ex maleficio, & non ex infirmitate naturali, .s. ex frigiditate.

RESpondent *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 1. quæſt. 8. ibi, incidentur aliqua declarantur dubia*; ex hoc potiſſimùm ſigno probabilitèr cognoſci poſſe, quando virga nullatenus mouetur, adeò, vt vir nunquam aliquam mulierem cognoſcere potuerit; ſignum (inquam) eſt impedimentum ex infirmitate prędicta procedere: quod ſecus coniecturandum eſt; ſi virga erigatur, & tamen minimè actum venereum perficere potuerit, ſignum (inquit) eſt maleficij.

Idem *Doctor loc. cit.* ſentit maleficium etiam fieri poſſe (Deo permittente) ne mulier concipiat, vel vt abortum faciat.

DIFFICVLTAS II.

Frigidi a Maleficiatis in quibus differant.

PRimò differunt, quia, qui frigidus eſt reſpectu vnius mulieris; eſt etiā frigidus reſpectu cuiuslibet: cum frigiditas dicat impotentiam naturalem: ſed Maleficiatus quoad actū coeundi interdum eſt impotens ſolummodò reſpectu vnius, non tamèn reſpectu aliarum; *gloſſ. extra de Frigidis, & Maleficiatis cap. litteræ.*

Secundò differunt; quia Frigidus venerea non concupiſcit, quia deeſt ipſi calor, vigor membrorum, ac humor ſeminalis: quod ſecus contingit in Maleficiato, cui nullum iſtorum deeſt.

Tertiò differunt quoad ea, quæ per ipſos exequenda ſunt, ex præcepto Confeſſarij, vel alterius viri docti: nam Frigido imponendum eſt, vt per triennium fidelitèr attentet explere copulam: quo expleto, ſi nō potuerit peruenire ad illam; coniuges ab inuicem ſeparantur, cum videatur tale impedimentum in Frigido ferè naturale.

Verùm, ſi ſoluto matrimonio, qui frigidus cenſebatur, habeat copulam cum alia; redire cogitur ad primum matrimonium; etiam ſi eius prior coniux tranſuolaſſet ad ſecundas nuptias: patet ex *cap. Laudabilem de Frigidis, & Maleficiatis.*

Cęterùm, maleficiato non præcipitur, vt triennali tempore vacet copulæ; ſed orationibus, ac pœnitentijs, quo expleto, ſi ſoluatur matrimonium ob maleficium, quod iudicatur perpetuum; poterit vterq; tranſire ad aliud matrimonium, patet ex *cap. Littera de Frigid. & Maleficiatis*: ſed cum hoc diſcrimine, quod ſi quis maleficiatus erat, cognoſcat iſtam, ad quam tranſiuit; non cogetur, ſicut cogitur frigidus, tranſire ad primam: quia verè fuit ſolutum matrimonium, & adhuc cenſetur perſeuerare illud impedimentum, quod interceſſerat reſpectu prioris coniugis; nam maleficia interdum ſunt perpetua reſpectu vnius, & non reſpectu alterius, patet experientia, & fuſiùs infrà. Tempus autèm triennij incipit ab aſſignatione facta à Iudice. *Nal. ver. Maleficium, nu. 1.* quidquid alij volentes tempus computandum eſſe à cohabitatione præterita.

DIFFICVLTAS III.

Maleficium quomodo intelligatur eſſe perpetuum.

RAtio difficultatis, quia notum eſt tam Deum, quàm Dęmonem omnia maleficia auferre poſſe: ideò nullum perpetuum eſſe videtur, ſed quodlibet temporale eſſe.

Reſpondetur maleficium in hoc ſenſu eſſe perpetuum, quòd, .s. opere humano minimè auferri poteſt: dixi opere humano: licèt enim Deus omnia, & ſingula maleficia auferre poſſit: non tamen ob hoc dicuntur temporalia, ſed adhuc cenſentur perpetua, .i. quæ ex ſui natura ſemper permanerent, niſi Deus miraculosè illa auferret: patet in ſimili, corpora cęleſtia ſunt perpetua, quia ex ſui natura ſemper ſunt permanſura: tamen Deus illa annichilare poſſet, ſic in propoſito.

Itèm frigiditas eſt impedimentum perpetuum, ſicut etiam arctatio vuluæ, quæ naturalitèr auferri non poſſunt: & tamen per Deum ablata adhuc cenſentur perpetua, quia hęc impedimenta humano opere auferri nō poſſunt.

Dixi

Dixi itèm humano modo: quia,ſi aliquod iſtorum impedimentorum,quæ apud Eccleſiã cenſentur perpetua, à Dęmonibus tollerētur; non per hoc deſinerent eſſe perpetua;cum humano modo .i. per homines non poſſint auferri. Itemq; cenſentur perpetua,ſi auferantur ab homine,ſed auxilio Dęmonis; qa ſignũ eſt; quod erat ipſi impoſſibile: quod enim iuſtè fieri non poteſt,impoſſibile iudicatur; nam illud poſſumus,quod iuſtè poſſumus.

Verùm ſciendum,quod non quodlibet maleficiũ per quemlibet Dęmonem auferri poteſt: nam, ſi maleficium fiat per Dęmonem ex ſuperioribus ſecundum totum poſſe ſuum operantem; non poterit auferri per Dęmonẽ ex inferioribus, licèt operetur ſecundum totam ſuam vim; quia inferiores ſunt minoris poteſtatis,& ſapientiæ ſuperioribus;ſed neceſſarium erit inferiori, vt ſibi permittatur à ſuperiore illud auferre. faciunt quæ habet *Toſtatus ſuper Matthæum cap. 19. quæſt. 90. lib. 1.*

DIFFICVLTAS IV.

Maleficiatus an impediri poſſit à coitu reſpectu vnius feminę, & non aliarum.

Occaſio huius difficultatis eſt, quia videmus nonnullos poſſe coire cum qualibet fęmina, aliqua tamen dempta; & itèm nõnullas mulieres poſſe ſuſtinere copulam cum quolibet viro, aliquo tamen dempto, licèt non ſibi improportionato; & quia hoc contingere ſolet ex maleficijs; ideò meritò mouetur ſupradicta difficultas.

Cui difficultati reſpondetur affirmatiuè, & ratio præcipua eſt, quia maleficium nõ prouenit à natura;quia,cum ipſa agat vniformitèr, ideò, vel reſpectu omnium eſſet impeditus, vel nullius; ſed à Dęmone, qui agit voluntariè; ideò, ſi illi à Deo permittatur; poteſt impedire coitum reſpectu vnius, & non reſpectu alterius, & itèm ceſſare ab impedimento, quando voluerit, quod ſatis claret ex S. Scriptura in Sara vxore Tobiæ Iunioris; quæ reſpectu aliquorum fuit impedita, reſpectu verò Tobiæ minimè.

Poteſt etiam peti ratio reſpectu Malefici, aut Maleficæ exigentis à Dęmone, vt aliquem impediant reſpectu vnius tantum perſonæ determinatæ: & non reſpectu aliarum, quod quidem Dęmon præſtare poteſt; quia eſt impedimentum artificiale, non autèm naturale. Quare notan. eſt Dęmonem minimè impedire intrinſecam vim generatiuam, lędendo .s. organum generatiuè: ſed ſolummodò extrinſecè: poteſt autèm dicta præſtare tàm per ſe, .i. per virtutem propriam excitando concupiſcentiam reſpectu vnius, & auferendo reſpectu alterius: vel per alienam .s. virtutem, v. g. per lapides, herbas &c. ità *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 1. quæſt. 8.* ibi,incidentèr aliqua dubia declarantur, citans *Seraph. Doctorem Bonau. & Petrum de Palude.*

Duplici autèm modo impedire ſolet tàm marem, quàm feminam. Primò impedit maritum operando, vt eius genitale membrum non fiat rigidum: vel dato, quod fiat, ſtatim, vt approximatur vxori, concidat. Secundo ipſum impedit per impreſſionem factam in eius imaginatione: verb. gra. operando, vt qualitas, quam ipſe abominare ſolet, appareat exiſtere in vxore; exempli gratia,quod ſit immunda,&c. Itèm dupliciter impedire ſolet etiam vxores: primò per imaginationem impreſſam in earum phantaſia, (ex. gr.) quod membrum genitale viri ſit ſibi omninò improportionabile; vt vel ſic tanquam ſibi nocuum abhorreant; ſecundò itèm modo imprimendo in eius phantaſia, quòd facies mariti ſit nimis deformis: vel quod habeat illam qualitatem, quam nouit ipſi mulieri eſſe prorsùs abominabilem.

Verùm (regularitèr loquendo) Deus non ſolet hoc permittere.

Attendendum verò eſt, Dęmonem poſſe maleficare tàm marē, quàm fęminã reſpectu cuiuslibet: ità,vt cũ nullo copulã habere poſſint, ſed faciliùs eſt maleficare reſpectu vnius. faciunt; quæ habet *Toſtatus in Euang. Matth. cap. 19. circa finem, cap. Si per Sortiarias. Can. Requiſiſti 33. quæſt. 1. de Frigid. & Maleſ. Paludanus in 4 Sent. diſt. 34. quæſt. 2. art. 5.* qui quinque modis notat Dęmones impedire maritos, ne cum vxoribus coire poſſint; vti diligentèr obſeruauit *Petrus Gregorius in Syntaxi Artis mirabilis tom. 1. lib. 7. cap. 7.* ſcil.

Per interpoſitionem corporis.

Per refrigerationem virtutis generatiuæ.

Per detentionem membrorũ genitalium.

Per occluſionem ſpirituum, quorum vi fit congreſſus, &

Per ſpeciem oculis obiectam, efficiendo v. g. vt vxor marito appareat deformis.

DIFFICVLTAS V.

In dubio an impotentia mariti coeundi cum vxore præceſſerit matrimonium: vel facta ſit, poſt illius celebrationem, quid præſumendum?

Duas contrarias ſententias refert *Bonac. loc. infra cit.* nam quidam DD. ſentiunt pręſumendum eſſe factam poſt matrimonium: cuius fundamentum eſt, quia in dubio iudicandum eſt in fauorem matrimonij, cum ſit materia fauorabilis, vt communitèr tradunt Doctores. Nonnulli verò è cõtra docent pręſumēdum eſſe, maleficium fuiſſe factum ante matrimonium; quorum ratio eſt; quia hoc modo fauetur proli,hoc eſt eius procreationi, & generationi; quæ itèm fauorabilis eſt; cum ordinata ſit ad multa bona, & præcipuè ad euitandum fornicationem: & ſatisfaciunt ſententiæ oppoſitæ dicendo, tunc matrimonium eſſe fauorabile,quando ſuum poteſt ſortiri effectum .s. procreationem prolis,aut ſaltèm fugam fornicationis; ſed ſecùs volunt; quando impeditur proles, & occaſio fornicandi fouetur,iuxtà illã iuris regulam: *Quod fauore alicuius intro-*

introductum eſt, in eius damnum retorqueri non debet; *regula, quod gratioſè, &c. de Reg. iur. in 6.* itá *Bonac. de Matrimonio quæſt. 3. punct. 13. prop. 2. nu. 11. apud quem loc. cit. habes plures Doctores.*

In dubiò autèm, an quis habeat potentiā ad copulam, præſumitur illā habere: nam potētia huiuſmodi eſt homini naturalis; & ſubindè quilibet prǽſumitur eſſe ad illam aptus; hinc aſſerenti ſe eſſe impotentem; incumbit onus probandi ſuam impotentiam; cum præſumptio ſit in contrarium.

In dubiò verò, an ſublatum ſit maleficium, propter quod N. reddebatur impotens ad conſūmandum cū coniuge; & propter quod facta fuit ſeparatio quoad thorum, præſumendum eſt non eſſe ſublatum, quamuis cum alijs fœminis conſummare poſſit, itá *Bonac. loc. cit. n. 10. cum alijs.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Dæmon an reipſa virile membrum ab aliquo realitèr auferre poſſit.

RAtio difficultatis eſt, quia ex multis colligitur hiſtorijs nonnullos veneficijs diabolicis virili membro priuatos fuiſſe, quod notat in primis *Baptiſta Codroncbus de Morbis veneficis &c. lib. 3. cap. 5. circa finem. Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. cap. 7. & alij*: eorum ratio eſt, quia Dęmon ſuper corporalia potentiam habet, maximè ſuper inferiora.

Reſpondetur, quod licèt argumentis id eſſe poſſibile Dęmoni demonſtrari poſſit; & præcipuè ob maximam poteſtatem ſuper corporalia: nihilominùs cenſeo cum Doctoribus modò ſupra allatis loc. cit. ex propria ipſorum mente probabiliùs eſſe (quidquid ſit de poſſibili) de facto realitèr nunquam virile membrum à Dęmone amputari; ſed ſolummodò id fieri præſtigioſa Dęmonis arte (vt infrà dicam) quod multis modis contingere poteſt, vt alibi docui; vbi egi de modo illudendi ſenſus noſtros apud Dęmones conſueto; moneor autèm hac ratione, quia ſicuti Dęmon non poteſt realitèr auferre tale membrum abſque læſione; itá non poteſt abſq; dolore; ſed dolor non ſentitur: ergò nec auferrur realitèr.

Hiſtoriæ autèm; quæ loquuntur de ablatione virilis membri à Dęmone interdum facta; exponendæ ſunt non de reali amputatione, ſed ſolummodò de præſtigioſa, ſeu apparente. Nec Deus permittit Dęmoni omnia, ad quæ ſe extendit eius potentia; aliòquin, quotiès homo detineretur in mortali; cognito eius ſtatu, protinùs ipſum occideret; patet ex Sac. Scriptura, quamuis enim Dęmon viribus ſuis Iob occidere potuiſſet, non tamen ſibi permiſſum fuit; quinimmò prohibitum: ecce in manu tua eſt: veruntamen animam illius ſerua.

Facit adhoc mirabilitèr deſcriptio præſtigij, quam refert *Sprenger loc. cit.* præſtigium propriè ſumptum eſt illuſio Dęmonis; quæ non habet cauſam ex parte mutationis rei; ſed ſolummodò cognoſcentis, qui deluditur, ſiue quantum ad interiores ſenſus, ſiue quantum ad exteriores. Nec mirùm videatur, Dęmones talia poſſe; nam etiam naturæ corporali hæc contingere poſſunt virtute corporū tum cęleſtium, tum terreſtrium, patet in maleficis, maniacis, ebrijs, phreneticis; qui putant ſe videre, quæ non vident; vel alitèr videre, quàm ſit à parte rei, v.g. clara vidēt eſſe nubilloſa &c.

Dices Conc. Aquilenſe, vt notat *Gratianus 26. quæſt. 5. cap. Epiſcopi vocare Infidelem*, & Pagano deteriorem, qui credit creaturam in aliā transmutari poſſe. Reſpondetur Concil. loqui tantum de tranſmutatione reali, & eſſentiali: non autèm de prǽſtigioſa; quà vna creatura aliam eſſe virtute Diaboli apparet; & de hac loquitur *D. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei*, cum inquit: *Circem Magam famoſam tranſmutaſſe ſocios Vlyſſis in beſtias*; quòd priùs ipſo notauit *Virgilius in Bucolica*, dicens, *Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis*: Vndè quamuis Dęmones circa genitalia magnam habeant vim iuxtà illud Scripturę Sanctæ *Iob c. 40. Virtus eius, ſ. Dæmonis in lumbis, & vmbilico*: non tamen illa auferre poſſunt; hinc *Torrus in Antidotario contra Dæmones dub. 5.* affert exemplum de quodam, qui genitalibus carere inſcitè credebat; quaproptèr ad ſe accito Chirurgo, perſpectiſq; perſpiciendis inuenit illum à Dęmonibus deluſum fuiſſe. Dices *D. Thom. 1. Sent. diſt. 7. art. 5.* docere omnes Angelos tàm malos, quā bonos ex vi naturæ illorum habere poteſtatē ſuper corpora; ergò illa etiam auferre poſſunt: Reſpondeo, quod etſi ordo naturæ ſit talis, vt ſpiritualia euincant corporalia; tamen eis non conceditur totum omne, quod naturalitèr poſſunt; ſed quod conuenit diuinæ prouidentiæ, vt ſupra cautū fuit cum *Toſtato ſuper Matth. cap. 15.*

DIFFICVLTAS II.

An maleficiatus in ſolis genitalibus ſit irregularis.

REſponſio eſt negatiua: licèt enim ſit inhabilis ad matrimonium: non tamen eſt inhabilis ad ordines, cum ob eam cauſam caſtior ſit. itá *Maiolus lib. 2. cap. 17. nu. 6. Henriquez lib. 14. cap. 8. §. 8.* quod notat nouiſſimè *Glianes in Summa cenſurarum, & irregularitatum, verbo, Maleficiatus.*

DISTINCTIONIS PRÆDICTÆ Altera pars.

De coitu Magarum cum Dęmone.

Secatur huiuſmodi diſtinctio in duos articulos, quorum

Alter reſpicit coitum Magarum cum Dæmone.

Alter verò complectitur filios opera Dæmonis ſuccubi, vel incubi natos.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quomodo Dæmones, qui carnem, & oſſa non habent delectantur peccato carnali? Quomodo itèm mulieres, & viri ex coniunctione cum Dæmonibus delectationem capere poſſint.

RAtio difficultatis eſt, tum quia, nihil afficitur, niſi ad id, quod ſuæ naturæ conueniens eſt; coitus autèm non conuenit Dęmonibus, cum decidere ſemen ex eorum natura minimè poſſint: tùm quia, ſi carnalis delectatio eſſet in ipſis; poſſent illam explere, alij aſſumendo formam ſpecioſiſſimam mulierũ, & alij ſpecioſiſſimorum virorum, & ſic coniungi; quæ ſanè coniunctio ob naturæ ſimilitudinem maiori cum voluptate fieret.

Reſpondetur difficultati diſtinctione ſic; Dęmones non delectantur peccato carnali ex affectu erga hominem: ſed ex inuidia in illum. Non delectantur ex affectu naturali, quia tali delectari eſt tãmodò animaliũ: Vndè ſpiritualis creatura non trahitur ad carnalia; nam ſimile delectatur ſuo ſimili, graculus aſſidet graculo; ſimilia ad inuicem coniunguntur; delectantur verò ex inuidia contra genus humanum inuidẽtes eius felicitati æternæ, quam conſequi poteſt; quia autèm peccata pręſtant illi impedimentum ad illam conſequendam; ideò illis delectantur, ità *Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 27.*

Alteri parti difficultati: Reſpondetur itèm quòd tàm mulieres, quàm viri carnalem delectationem ex coniunctione capere poſſunt; tùm quia licèt non ſit ibi realitèr ſimilitudo naturarum, nec deciſio ſeminis ex parte Dęmonum; eſt tamen apparens: fortis autèm imaginatio facit caſum, maximè quod ſe repræſentant in ſimilitudine Amaſij, & Amaſiæ: tum quia aſtutia Dęmonum inflammatur caro mulieris, aut viri, quibus coniungi volunt, iuxta illud Scripturæ: *Alitus eius facit ardere prunas: Iob c.* Operatur nanque quoad poteſt, tùm vt illa titillet, tum vt pruriat; ex quibus deriuatur naturalitèr deſiderium coeundi, quod quidem ceſſat ex diſſolutione carnis: habito fine ceſſat motus.

DIFFICVLTAS II.

An Dæmon poſſit eſſe incubus fœminæ coràm multis abſq; hoc, quod videatur à circunſtantibus.

REſpondet *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. cap.* 8. Dęmonem incubum verè agere poſſe ſuas ſpurcitias inuiſibilitèr quoad circunſtantes, ratiò conſtat; primò quia poteſt interponere media corporalia inter mulierem, & ipſum; adeò, vt nec ipſe, nec mulier ſuccuba videatur.

Verùm dices (interpoſito medio corporali) ſi neuter videatur; non committitur incubatio coram multis; vti quæritur; idcircò addo, quòd etiam non interpoſito medio corporali poteſt hoc præſtare, faciendo, v. gr. quod deſcendat ex oculis aſtantium aliquis humor, vel rubeus, vel aqueus viſionis impeditiuus &c.

DIFFICVLTAS III.

An coitus cùm Dæmone ſuccubo, vel incubò ſit beſtialitas, vel reducatur ad beſtialitatem.

REſpondeo non eſſe beſtialitatem, quia nec Homo, nec Dęmon eſt eſſentialiter beſtia, quod notum eſt: reducitur tamen huiuſmodi coitus ad beſtialitatem.

Vndè notan. quòd differt dicere huiuſmodi coitum eſſe beſtialitatem: & dicere, quòd reducitur ad illam: nam primum requirit, vt ſaltèm alter ex coeuntibus inſimul ſit realitèr beſtia: ſecundum verò minimè hoc exigit; ſed ſat eſt coeuntes eſſe diuerſæ ſpeciei; ſicut adamuſſim contingit, quando Dęmon, & homo ſimul coeunt.

Verùm nota nõ eſſe beſtialitatem, cum duo animalia irrationalia ſimul commiſcentur; ſed potiùs beſtiarum naturalitatem; quarè huiuſmodi congreſſus hominis cum Dęmone, ſiue ſuccubo, ſeu incubo reducitur ad beſtialitatẽ non ſolùm ob allatam rationem, quia .s. ſunt diuerſæ ſpeciei Homo, & Dęmon; ſed etiam quia corpus aſſumptum à Dęmone non eſt verè corpus humanum; nec habet animam ipſum informantem, aut viuificantem: Dęmon .n. minimè corpus humanum informat, nec ei dat eſſe viuum; ſed ſolùmodò ipſi aſſiſtendo illud defert, quo vult: ac vt inſtrumento vtitur ad coeundũ. Vndè ſemen, quòd in huiuſmodi coitione intercedit, à Dęmone minimè deciditur; cum talis deciſio ſuæ repugnet naturæ; ſed aliundè accepit .s. ab homine, illud in ſuo eſſe conſeruans. faciunt, quę tradit *Fillincius tom. 2. tract. 30. cap. 8. Bonac. de Matrimon. quæſt. 4. punct. 10. & ſeqq. Azor tom. 3. lib. 3. cap. 9. & 18.*

DIFFICVLTAS IV.

An mons Veneris, in quo impudica patrantur ſit fictitium, aut reale: & idem quæro de monte Bernenſi, in quo è cõtra dicitur latitare tùm viros, tum mulieres agentes ibi ſpiritualia.

IOannes Nider de Decem Præceptis, Præcept. 1. cap. 10. num. 6 ex mente Guilielmi lib. de Vniuerſo cap. 21. propè finem*, tradit non dari montem Veneris realem, qui .s. ſit poſſeſſus à Venere, vel ab ipſa fabricatus; ſed eſſe quid fictitium, ab otioſis, & luxurioſis adinuentum, ſeu falsò imaginatum: quemadmodum etiam falſum eſt dari fœminam nomine Dea Venus, quæ ſemper ſuperſtes exiſtat, vt infra.

Secundum verò Chyromanticos datur in manu quædam carnoſitas inter policem, & indicem ſatis eleuata, quę ab ipſis ſimilitudinariè dicitur mons Veneris; & hoc modo non eſt quid fictitium, ſed reale.

Secundũ Maleficos itèm datur mons Veneris, realis; & eſt locus, vbi Dęmones cũ Strigib' Maleficis quibuſdam diebus; & præcipuè die Iouis, quatuor ieiunij temporib' conueniunt ad adorandum, laudandum Dęmonem, ipſiq; ſacrificandum; & poſteà noctem illam decurrunt

runt in luxurijs, comeſſationibus, & ebrietatibus: mons huius generis apud noſtram Prouinciam dicitur Tonalis, nec imaginandum vnum tm̃ eſſe, ſed plures iuxta Prouinciarum diuerſitatem: Hæc de monte Veneris.

Quoad montẽ verò Berneñſem dico ſimilitèr fictitium eſſe, quòd in dicto monte latitent viri, & mulieres omninò à conuerſatione humana ſemotæ; qui, & quæ ferũtur per aera diebus ſolẽnioribus: v.g. Paſchæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Natiuitatis, &c. ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, *Ioann. Nider vbi ſupra.* Hæc .n. procedunt à vocibus popularibus, quæ non ſunt attendendæ iuxta *l. Decurio, ff. de Peculio legato:* nulloq; nituntur fundamento: ſed arte Dæmonum latentèr introducuntur, vt aliquam inducant hæreſim in Dei Eccleſia ſub ſpecie pietatis: vbi autèm maius periculum; ibi cautiùs eſt agendum, *l. 1. ff. de Carbonario Edicto, l. Manifeſtiſſimi C. de Furtis.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ex Dæmone ſuccubo, vel incubo aliquis naſci poſſit.

Admittunt Doctores communitèr hominem talitèr naſci poſſe. Vndè notandum Dæmonem, qui eſt ſuccubus reſpectu viri (aſsũpto corpore mulieris) poſſe fieri incubus (aſſumpto corpore viri) & cum muliere commiſceri effundendo ſemen ab aliquo viro mutuatum. faciunt, quę docet *Angelicus Doctor prim. par. quæſt. 3. art. 3. Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 1. quæſt. 3. circa medium:* aſſentit gloſſa ſuper *Gen.* ad illa verba: *Videntes filij Dei filias hominis,* ita proloquens: *Non eſt incredibile quoſdam homines à quibuſdam Dæmonibus genitos, &c.* idem ſentit *Aug. lib. 15. de Ciu. Dei; Scotus 2. Sent. diſt. 7. quæſt. vnica; Ricardus de Mediauilla item in 2. diſt. 8.* Merlinusq; à pluribus Theologis cenſetur ex Dæmone incubo natus.

Quemadmodum enim Dęmones aſſumunt ſemina rerum multarum ad aliquos effectus complendos; ita interdum aſſumunt ſemen alicuius viri ad generationem humanam; non ob delectationem corporalem, cum ipſi, vt puri ſpiritus carnem, & oſſa non habeant, quæ informent; ſed vt per luxuriæ vitium hominis corpus, & animam lędant: huc ſpectat illud *Iob cap. penult. Poteſtas eius .ſ. Dæmonis in lumbis, & vmbilico eius:* quia, cum ipſe non habeat lumbos, nec vmbilicũ, oportet intelligi, quòd multum præualet ſuper hominem mediante luxuria; cuius ſedes reſpectu virorum eſt in lumbis; cum inde decidant ſemen; reſpectu verò mulierum eſt in vmbilico; cum item ab illo in ipſas decidat ſemen; quod notat In primis *Iacobus Sprenger in Malleo Maleficarum par. 1. quæſt. 3. circa medium, item par. 2. cap. 11.*

Dices, ſemen non habere virtutem generatiuam; niſi quamdiu calor animæ in eo retinetur, quòd tamen exalare neceſſe eſt; maximè, ſi per magnam diſtantiam de loco ad locũ deferatur. Reſpondeo Dęmones callere modum conſeruandi calorem ſeminis tam viri, quàm mulieris.

Verùm notandum, quòd quamuis creatura, quæ talitèr generatur dicatur eſſe ex Dęmone incubo, vel ſuccubo: reipſa tamen non eſt filia Dęmonis, ſed hominis, cuius eſt ſemen acceptum; vt communitèr docent Theologi, vt notat *D. Thom. loc. cit. Iacobus Sprenger loc. cit. par. 1. quæſt. 3. circa medium.*

Itidem huiuſmodi copula nefaria non eſt principium alicuius affinitatis; cuius ratio eſt, quia ex Dęmone, ſiue ſuccubo, ſiue incubo, & homine nunquam fit vna caro; cum ſemen ex parte Dęmonis non ſit deciſum, ſed ſolummodò aliundè aſportatum.

Vndè nõ dimanat affinitas illius viri, aut mulieris, cuius eſt ſemen ſm̃ cõſuetũ modũ; ſicut contingit ex copula illicita viri, & mulieris vſq; ad ſecũdũ gradũ: quia inter Dęmonẽ, & hoĩem nõ fit vna caro, vt ſupra. ita *Diana in Reſolut. moral. tract. 5. Miſcellan. Baſilius Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 33. nu. 2. Barboſa de Poteſt. Epiſ. alleg. 51. nu. 170.* quorũ ſententia mihi placet: tum quia leges reſpiciunt, quæ communitèr accidunt, non quæ rarò, *l. 3. 4. & 5. ff. de leg. Anton. de Butr. in cap. fin. de Conſuetudine:* tum quia lex, quæ multipliciter intelligi pōt; debet interpretari ſm̃ id, quod frequẽtius obſeruatũ eſt, *l. Si de interpretatione, ff. de legibus.*

DIFFICVLTAS II.

An filij nati ex Dæmone ſuccubo, vel incubo ſint fortiores alijs hominibus modo conſueto generatis.

Reſpõ (quidquid ſit de facto) loquendo de poſſibili dicendum eſt, quòd, quemadmũ talitèr cõceptus oĩum hominum debiliſſimus eſſe poteſt; ita è contra poteſt reddi fortior cęteris hominibus modo conſueto conceptis, cuius ratio reddi poteſt; primò, quia Dęmon ſcire poteſt virtutem ſeminis deciſi, poſſibileq; eſt, vt optimum accipiat; tum vt homines alliciat ad huiuſmodi peccata cum ipſo patranda: tum ob ſuperbiam, vt videatur ſuper alios modo conſueto generantes præpotens, & maximus generantium.

Secundò, quia agnoſcere poteſt bonam, & malam diſpoſitionem illius, à quo ſemen vult accipere.

Tertiò, quia item optimè callet aſtrorum conſtellationem; quæ ad virtutem corporum maximè conducit.

Quartò, quia itidem nouit proportionem mulieris ad ſeminis ſuſceptionem: immò illã reddere poteſt ad hoc proportionatam.

Verùm notandum, quòd ſemen in ſomnis emiſſum; non habet tantam vim generandi, quantam habet malitioſè deciſum; & hoc apprimè nouit Dęmon; ideò cenſeo ad generandum hominem fortem potiùs ſuſcipere ſemen voluntariè deciſum; & maximè illud, quo ipſe plurimùm delectatur, vz. ſemen ex adulterio, ſacrilegio, & abuſu conſanguineo-

rum,

rum, aut affinium. faciunt, quæ notat *Iacobus Spienger in Malleo Maleficarum par. 2. quæſt. 1. cap. 4.* quam ſemen iuſtè coniugatorum.

DISTINCTIO NONA.

De nonnullis infirmitatibus, quos ex maleficio diabolico prouenire credunt minus periti; cum tamen ex defectu naturali deriuentur.

Diſtinguiturq; in quatuor articulos.

Primus reſpicit infirmitates, quæ videntur primo acceſſu ex maleficio.

Secundus tres defectus mulierum, qui item videntur ex maleficio.

Tertius aſſignat cauſam productionis maſculi.

Quartus ponit qualitatem nutricum.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ ſunt infirmitates, quæ interdum ex maleficio videntur.

NOtandum in primis dolorem capitis, quem nonnullæ femellæ præcipitantèr, ac inconſideratè ſępè ſępiùs attribuunt maleficio diabolico; ex cauſis potiùs naturalibus cenſendū eſt ipſas deriuari. Quare ſecundum *Conſtantinum in lib. de Stomacho*: dolor capitis prouenire poteſt, primò ob aſcenſionem malorum vaporum ex ſtomacho ad caput. Secundò ob nimiam ſtomachi repletionem: nam iuxtà Galeni doctrinam, duo magni nerui tranſeunt ab orificio ſtomachi ad cerebrum; hinc ſtomachus, & cerebrū ſemper inſimul patiuntur. Tertiò ob vinum forte vel cibaria fumoſa, & acuta, vti ſunt alium, cępa, &c. Quartò, ex flēmate in ſtomacho, ex quo plerunq; febres quotidianæ contingunt. Quintò in mulieribus menſtruatis nedum à dictis cauſis cauſari poteſt; ſed etiam ex mēſtruorum immundiſſimo, & venenoſiſſimo fumo, qui ſurſum aſcendens petit exitum, vt tradit *Albertus Magnus*, & notat *Collector Problemat. Ariſt. de Capite, §. Quare caput, &c. & §. Quare mulieres*: Quapropter eſt attendendum cum *Ariſt. de Somno, & Vigilia*, quòd oculi mulieris menſtruoſæ inficiunt ſpeculum; cuius ratio eſt, quia, cū fumus mēſtruorum ab illa ad eius caput aſcendat; ex oculis deindè, cum ſint poroſi, exijt vaporando, ac ſe multiplicando vſq; ad ſpeculum; quod, cum ſit ſolidum, ac mundum; faciliter immundum fumum recipit: vndè ſummoperè refert ſcire; quòd vetulæ mēſtruorum tempore inſpiciendo ſpeculum, aut alias res ſolidas lędūt ſeipſas: quia ab his obiectis ad ipſas fumi reflectuntur: iterumq; intra earum corpus recipiuntur cum nō parua earū offenſione: quod patet in ſimili de Baſiliſco' cuius humores itèm venenoſi, ſi terminentur ad corpus terſum, ſolidum, non poroſum, ad ipſumq; reflectantur intrà debitam diſtātiam, interficiūt ipſum; qui, ſi terminētur ad corpus molle, vtpotè ad illud pueri tenelli; nō reflexè, ſed directè interficitur. ità *Collector Prob. Ariſt. de Capite §. Quare Baſiliſcus, Nicolaus Cauſinus de Curte Sancta, lib. 3. cap. 31. circa medium.*

Dices, quomodo huiuſmodi mulieres rèpletæ dictis humoribus viuere poſſunt.

Reſpondetur, quòd ab aſſuetis nō fit paſſio, & ſi fiat non tantùm; propterea refert Albertus Magnus de quadam puella, quæ comedebat omnes araneas nil ei nocentes, quòd obſeruat *Collector Problem. Ariſt. de coitu, §. Quare mulieres taliter exiſtentes, Cardanus de Rerum varietate lib 8. cap. 40.* Hinc *Ariſt. de Regimine Principum ad Alexandrum Regem* narrat de quadam puella, quæ in iuuentute veneno fuit nutrita: *& Commentator 2. Phyſ.* addit, quòd quidem homines adeò aſſueti fuerunt venenū comedere; vt deindè fuerit eis aptiſſimus cib⁹.

Secundò notandum, non ex maleficio diabolico, ſed ex humore colerico, qui eſt amarus; tàm cibus, quàm potus iudicari amara; nā ſtomacho colera infecto (mediante ipſius fumo) inficitur lingua; qua infecta infirmus iudicat non minus cibum, quàm potum amarū eſſe; cum tamèn reipſa amaritudo non ſit in cibis, nec potibus, ſed in lingua: vndè ſciendū eſt linguam eſſe medium guſtus: per poros autèm ipſius ſapor prouenit ad dictū ſenſum.

Tertiò, nō prouenit ex maleficio diabolico (regularitèr loquendo) quòd aliquæ mulieres fętu concepto inordinatum habent appetitū ad comedendum nociua: v. g. carbones, cineres, &c. ſed prouenit, quia nociui humores ſunt in earum ſtomacho; quales autèm ſunt humores in ipſo, talia appetunt nutrimenta: Vndè, quia in ipſo ſunt putridi, & corrupti humores; ideò appetunt ſimilia; cū ſimile ſimili naturalitèr cohærere cupiat.

Similitèr ciborum nauſea de facili maleficio Strigarum non eſt aſcribenda; maximè, ſi mulier tunc temporis menſtrua patiatur; nam natura potiùs laborat ad illorū expulſionem, quàm ad digeſtionem: quare conſultiùs eſt, vt huiuſmodi infirmitate laborans, parcè comedat: quia, ſi caperet plus cibi, quàm tunc ferat illius calor; maneret crudus cum periculo alicuius alterius infirmitatis; quòd natura ſagax tali aborrimento deſignat. legendus eſt *Collect. Problem. Ariſt. vbi de Menſtruis.*

Quartò, non eſt aſcribendum maleficio diabolico: ſi interdum fętus naſcatur maculoſus: v.g. leproſus, imbecillis: nam hoc contingere poteſt; quia mulier menſtruorum tempore concepit: menſtruū .n. eſt venenoſum; vndè fętus à muliere immūda immūdus ꝓducitur: effectus enim gerit ſimilitudinem ſuæ cauſæ; quare, quoad fieri poteſt, à congreſſu cum mu-

muliere, dũ patitur mẽſtrua, abſtineri oportet.

Verùm notandum menſtruum, quod ſingulis menſibus expellitur: & illud, de quo fętus generatur, non eſſe idem: nam, quod expellitur eſt impurum, & ad generationem indiſpoſitum: aptum verò generationi eſt valdè purum, & clarum, ità ex *Collector Problem. Ariſt. de Menſtruis*, §. *Quæritur vtrum menſtruum &c.*

Vbi notandum mulierem poſt fluxum mẽſtrui facilitèr concipere; quia tunc melius eſt diſpoſita, cum à menſtruis ſit mundata; vndè legitur Exodi, quòd, cũ Iudæi eſſent in Aegypto, breui tempore ſuper Aegyptios augmentabãtur; cuius nulla alia ratio aſſignatur naturalis; niſi quòd ipſi non habebant congreſſum cum ſuis vxoribus, niſi priùs à menſtruis eſſent purificatæ.

Quintò, infirmitas ſimilitèr fętidi anhęlitus maleficio Strigarum nõ eſt facilè attribuenda; cum potiùs conſtet procedere ex putridis ſtomachi fumoſitatibus, corruptioneq; pulmonis; hinc leproſorum anhęlitus eſt infectus; quia ipſorum interiora ſunt corrupta; incipitq; corruptio ex sãguine ad membra vſq; ; ex qua deriuatur etiam eorum vocis rauctio ob itèm corruptionem inſtrumentorum vocis, & maximè pulmonis; quod dicitur ad differentiam rauctionis minimè leproſorum, quę ſolet procedere ex reumate à cerebro deſcendente, canaliaq; pulmonis replente: vel in collo congregato; aut denique ex apoſtematibus in gutture. ità ex *Collect. Problem. Ariſt. vbi de anhelitu, & raucedine*, §. *Quàre aliqui homines habent fętidum anhęlitum*, §. *Quare homines raucescunt*.

Sextò, Pallor in muliere, ſi tunc patiatur menſtruorum infirmitatem, potiùs aſcribendus eſt beneficio naturali, quàm maleficio diabolico; ratio eſt, quia priuatio caloris cauſat in facie pallitudinem: tali autèm tempore in dictis mulieribus calor recedit ab omnibus mẽbris exterioribus ad interiora adiuuando naturam ad menſtruorum expulſionem.

Septimò, Carentia olfaciendi itidèm non eſt attribuenda maleficio Strigarum, quamuis poſſit eſſe; quia procedit naturalitèr ex nimia frigiditate, & humiditate; quibus cerebrum indiſponitur ad olfactum, vt patet ex *Ariſt. & Themiſtio, 2. de Anima*, quod notat *Collector Problem. Ariſt. vbi de naſo*, §. *Quare inter cætera animalia, &c.* idem de canitie decidendũ, quæ cauſatur ex defectu caloris naturalis vaporem humidum à ſtomacho aſcendentem tempore ſenectutis minimè conſumentis: putrefacto autèm dicto vapore circa radices pilorum ſequitur canities: Verùm interdùm etiam cauſatur ex nimio timore, vel cura: vndè verſus: *Cura facit canos, quamuis homo non habet annos*; Caluities item non eſt aſcribenda maleficio diabolico: ſed defectui humiditatis, qui ſępiùs contingit hominibus in ſenectute: ſenectus enim eſt frigida, & ſicca: humiditas autèm dat nutrimentum pilis; frigiditas verò poros cutis capitis conſtringit.

Octauò, non eſt facilè applicanda maleficio Strigarum infirmitas illorũ, qui habentes oculos claros nihil vident: nam obuenire poteſt ex opilatione, & deſtructione neruorum viſiuorum: vndè virtus viſiua à cerebro ad oculos deferri non poteſt, legenda ſunt *Problem. Ariſt. cap. De capite*, §. *Quare aliqui habent oculos claros &c.* idem dicendum de balbutione in pueris: quia clarum eſt *ex Ariſt. Problem.* oriri ob cerebri, & linguæ nimiam humiditatem, quæ in dies diſſecata, amplius non balbutiunt.

Nonò denique illicitè, ac imprudentèr attribuitur maleficio Strigarum, quòd vngues ſenum nigreſcant, aut paleſcant; cum notum ſit naturalitèr prouenire ex defectu caloris cordis, vt teſtatur *Ariſt. in Problem. cap. de Vnguibus*, §. *Quare vngues ſenum, & ſequenti*. *Galenus in Comment. pronoſticorum. Cardanus de rerum varietate poſt correctionem lib. 15. cap. 79.*

Verùm obitèr notandũ eſt cum ipſo vbi ſupra, ex colore vnguium, vaporis, ſeu humoris prædominationem, ac complexionẽ dignoſci poſſe; ſi croceæ, & nigræ ſimul exiſtãt, deſignatur prędominiũ humoris malẽcholici; ſi rubeæ tantùm prędominium bilis .i. choleræ; ſi itèm rubeæ, ſed ſimul denigrantes prędominiũ ſanguinis: ſi deniq; ſint valdè maculatæ albedinis, ſignatur flegmæ prędominium: idemq; dicẽdum de multis alijs infirmitatibus.

Nunc ad rem noſtram immediatè deueniẽdo, dico omnium, & ſingulorum prędictorũ notandorum vnam eſſentialem extare rationem, vz. tùm, quia in dubio, an effectus procedat à naturali cauſa, vel diabolica; iudicandum eſt à naturali procedere, vt tradit *Sanchez in Sũma lib. 2. c. 40. nu. 44.* quem ſequitur nouiſſimè *Moronus in Centum Reſponſis, reſponſo 95. nu. 149.* tùm, quia abſq; cauſa nõ pręſumimus delictũ: tùm, quia in natura ſunt multa nobis incognita: v. g. incognitum eſt, quare Galli Gallinacei aſpectus timorem incutiat Leoni, vt notat *Calepinus ver. Leo*. Aliqui volunt, quòd oriatur ex antipatia occulta, vt *Faber aduerſus Atheos diſp. 1. quæſ. 9. num. 167.* nonnulli putant hoc prouenire ratione coronæ, quam defert in capite; ſed hoc ineptè dicitur, quia neſcit, quid deſignet corona; Vndè mihi potius probatur Leonis timorem naſci; quia (teſte Calepino vbi ſupra) naturalitèr timet ignem; Criſta autèm Galli Leoni videtur ignis flammella. faciunt, quæ tradit *Vairus de Faſcino lib. 1. cap. 3.*, ſequens *Lucretium Poetam*.

Itèm incognitum videt, quomodo Remora Piſciculus, ſæuientibus etiam ventis, ſiſtat nauem, vt ait *Ariſt. 2. lib. Animalium*. *Fauentinus aduerſus impios Atheos diſp. 1. cap. 9. num. 175.* Verùm nonnullis DD. probatur Nauis remorationem cõtingere non vi Remoræ, ſed calamitæ; quæ ad ſe trahit ferrum nauium propè montes calamitarum tranſeuntium; Remoramq; eſſe pręcisè ſignum loci, vbi reperitur nauis retenta. legendus eſt *Vairus de Faſcino*

lib. 2. c. 10. Cardanus de rerum varietate poſt Correctionem Braſichel lib. 7. cap. 37. ſed hoc quoq; dubioſum eſt; nam ſi vi mōtium calamitarum hoc contingeret; nauis traheretur ad montes; non trahitur autèm; ſed firmatur: Vndè nec placet dicere, quòd impediatur nauis à ſcopulis, vbi inſedit Remora: quia aliæ naues tranſeunt abſque impedimento.

Itidèm incognitum videtur, quare plaga ex morſu Muſtellæ, ſeu Tarantulæ cauſata indeſinentèr perſeueret (vt vulgò fertur) quouſq; ipſa moriatur; illaq; mortua ceſſet: & licèt dici poſſit, vt alibi viſum fuit; quòd influxus cęleſtis Muſtellam cum dicta qualitate cōſeruans; conſeruet quoq; eandem ſpecificè qualitatē in ſubiecto offeſo inflictam, ꝙ admitti pōt, prout qualitas in ſe cōſideratur ſpeculatiuè: ratione tamèn varij ſubiecti, & in praxi repugnare videtur: vndè potiùs placet propriæ ignorantię humilis confeſſio, quàm ſuperba gloriatio, iuxtà *11. quæſ. 3. cap. Iniuſtum iudicium:* Verùm aliquibus ſubtilizando videtur varietas ſubiectorum minimè facto pugnare, ſed plurimum conſonare; cum altero moriente, ſcilicèt Muſtella, ſuperſtes exiſtat iam morſu ipſius ſauciatus: quorum ratio eſt, quia precisè vnū ſunt (ſpecificè loquendo) quo ad malignam qualitatem, non quo ad ſubſtantiam; quare ēt precisè ſunt relatiua ad conuertentiam reſpectū illius: vndè hoc modo tantummodò poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt.

Nec obſtat (inquiunt iſti, quòd Cęlorum influxus adhuc inceſsātèr perſeueret reſpectu aliarum Muſtellarum) quia ſatis eſt, vt deſierit reſpectu defectus conſimilis qualitatis in vtroque ſubiecto; nam non entium nulla eſt qualitas, *l. Eius, qui in prouincia, ff. Si certum petatur,* quæ ſanè lex procedit in non ente, effectu carente, vt in propoſito. vti declarat *Meſtrenſis in Florib. legum Reg. 216.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
Qui ſunt defectus mulierum minimè maleficio Strigarum aſcribendi.

RESpondī primò, quòd eſt ſterilitas, quę ſ. Dęmoni ſit poſſibilis, ſi ipſi à Deo permittatur, & Strigibus etiàm vi Dęmonis: attamèn non facilè hæc ipſis aſcribi debet: nam ob multas cauſas naturales ſecundùm Medicos mulieres fieri poſſunt ſteriles. Prima ex parte viri, quando eſt nimis frigidæ naturæ; quia tunc eius ſemen eſt generationi ineptum; vel quia itèm eius ſemen in matrice ſuſceptum eſt nimis aquoſum, in ipſaq; minimè moram trahens.

Secunda, ſumitur ex parte mulieris, v. g. ex nimia illius pinguedine, aut caliditate: nam nimia pinguedo impedit ſeminis retētionem: & nimia caliditas cauſat illius extinctionem: quemadmodum .n. parua aqua à magno igne citò conſumitur; ità parua ſeminis humiditas ab alterius magna caliditate. *Hippocrates in Aphor. ſect. 5. ver. Aphor. 46. & ibi. Ogglerius Medicus, & Phyloſ. peritiſſimus.*

Tertia, ſumitur ratio ex parte vtriuſq; coniugis, quando vz. illorum ſemen eſt diſportionatum, vt ſi viri eſt melācholicum, & mulieris ſanguineum: nam agens, & patiens proportionata eſſe debent, alias actio impeditur, patet ex *pri. de Gen. Animal. & 2. de Anima.*

Summum autèm remedium ad tollendam ſterilitatem ſecundùm Ariſtot. eſt accipere in potu matricem leporis puluerizatam: ſed verum ſcilicèt remedium ęſt habere recurſum ad Deum fide firma nihil hæſitando: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabo vobis*, .s. ſi expediens fuerit. *Petite, & accipietis; quęrite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis*, vz. ſi vobis expediens fuerit.

Abortus ſimilitèr ſiuè frequens, ſiuè rarus maleficio .s. diabolico non eſt aſcribendus, ſed potiùs cauſis naturalibus. Primò, aſcribi pōt comeſtioni cibi infecti, v g. carni rancidæ: quia ſic in matre generatur ſemen infectum; vndè à natura proijcitur, vtpotè minimè aptum pro forma nobiliſſima.

Secundò, ſaltationi, notabili corporis commotioni, vel grauibus laboribus corporalibus: nam in talibus motibus, ac laboribus ligamenta embrionis ſoluuntur.

Tertiò, nimio gaudio: quia tunc calor tranſiens ad cor dimittit matricem; ipſaq; depauperata calore fœtum fouente, ex conſequenti facilè contingit abortus.

Quartò, aſcribitur etiam nimio timori, nam muliere timore correpta eius calor ex diſpoſitione naturæ vniuerſalis currit ad ſubueniendum membro principali .s. cordi, matrice derelicta, facilèq; contingit in primo, ſecundo, & tertio menſe; nam, quemadmodum fructus vtpotè pira, poma, &c. ſub principio de facili cadunt, quia ligamēta adhuc ſunt mollia, & debilia; ità dicendum de fructu ventris; quòd ſecùs eſt in quarto, quinto, & ſexto menſibus; quia tunc ligamenta ſunt magis ſolida.

Aſcribi etiam poteſt æſtatis tempore tonitruo magno; quod nec mirùm videbitur; ſi attendamus eadem de cauſa interdùm ēt vinum in dolio abortiri .i. corrumpi, vt ſępe experientia demonſtrat, *Collector Problem. Ariſt. de coitu, §. Vndè prouenit, Albertus Pelbartus in Roſario Theol. par. 2. ver. De gradibus ætatum, §. 6.* Faciunt tradita à *Cardano de rerum varietate lib. 8. c. 44. ab Hippocrate in Aphor. ſect. v. Aphor. 51.* quem ſequitur *Ogglerius ad dict. Aphor. loc. cit.*

Debilitatio etiam fętus non minus, ac abortus aſcribenda eſt cauſæ naturali; coniecturaturq; duobus ſignis; primum, ſi mamillæ mulieris moleſcunt; quia, vt notat *Collector Proble. Ariſt. de Mamillis, Hippocrates in 2. part. Aphor. & Ogglerius ad Aphor. Hippoc. ſect. v. Aphor. 52.* quia menſtruum, de quo fętus nutriri deberet, non fluit ad illas; nutritur .n. vt dixi, ex menſtruo iam ſemicocto, .i. tranſacto in lactis naturam; quod quamuis ſit coloris rubei; tamèn ex dicta decoctione fit album: è contra verò

cogno-

cognoſcitur fœtus fortitudo; ſi mamillæ ſint ſatis duræ, .i. plenæ. Alterum ſignum debilitatis fœtus eſt; ſi lac fluat ex mamillis; deſignat enim natura (hac lactis emiſſione) puerum non ſatis nutriri, & proindè debilitari. Notãdum autèm mamillas habere cum matrice colligantiam mediantibus quibuſdam venis, quas tempore partus obſtetrices abſcindunt; & per illas lac fluit ad vmbilicum fœtus; per illumq; capit nutrimentum: non autèm per os, vt aliqui minus periti putant; nam, ſi fœtus per os illud ſumeret, etiam ſtercorizaret, quod nõ ſatis apparet; cum non videatur, quò dimittantur illius ſtercora.

Denique generatio Hermaphroditi non eſt de facili aſcribenda maleficio Diabolico; cum contingere poſſit abſque vlla Diaboli opera: vndè ſciendum eſt, quòd in matrice ſunt tres cellulæ principales: altera in dextero latere, altera in ſiniſtro, & tertia in medio; in qua (ſemine recepto) dr̄ generari Hermaphroditus; quòd ſanè contingit ex multiplici indiſpoſitione matricis, ſeminis, &c. & contrà intentum naturæ, quæ ſemper intendit perfectũ .i. maſculum; Hermaphroditus autèm eſt homo imperfectus vtriuſque ſexus particeps: attendendumq; eſt, in quo vtriusq; ſexus membro ſit potior ad venerea; & ſecundùm illum baptizari habet nomine viri, vel mulieris reſpectiuè, in iudicioq; ſtare; iurando, ſi opus fuerit, quo membro potius vti poſſit, legendus eſt *Collector Probl: Ariſt. de modo generandi fœtũ promiſcui ſexus*, §. *Quæritur, quomodo generabitur: &c.*

Verùm supereſt dubium, nempè an Hermaphroditus ſit irregularis cenſendus; de quo ſic eſt diſtinguendum: aut enim in ipſo viget magis fęmineus ſexus, & ſic eſt irregularis, *Gol. Canon. ſi teſtes*, § *Hermaphroditus, 4. q. 3.* excluditurq; à teſtimonio ferendo in caſibus, in quibus excluditur fęmina: nec eſt ſuſceptiuus characteris, ſicut nec fęmina: aut eſt parilitas in vtroq; ſexu; & ſic quo ad facultatẽ ſuſcipiendi ordines pro fęmina reputatur, *Canon. ſi teſtes, c. 3. quæſt. 4.* §. *eodem*; aut magis viget ſexus virilis; & ſic non repellitur à teſtimonio: & eſt ſuſceptiuus characteris iuxtà communem ſententiam, vt notat *Tolet. lib. 1. c. 18. n. 5.*

Ego cenſeo ità eſſe diſtinguendum, vel defectus eſt notorius; & ſic non eſt ad ordines promouendus ob ſcandalum populi, vt dicit *Archid. 17. quæſt. 1. Can. Diaconiſſam*; ſed nõ ob indè ab alijs virilibus officijs excludẽdus: vel ę cõtra defectus eſt occultus, & magis viget ſex⁹ virilis: & ſic ordinari poteſt, vti tenent nõnulli DD. quos citat *Tolet. loc. ſup. cit.* docens ibi vitium naturale non inducere irregularitatem .s. ex defectu, niſi ſit talis inhabilitas, quæ ab altaris miniſterio arceat, vt nimia faciei deformitas, aut ſcandalum; neutrumq; eſſe in Hermaphrodito ſupponimus; ſicut etiam ſupponitur vitium naturę occultum eſſe.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An aſſignari poſſit cauſa productionis maſculi, ſignaq; huiuſmodi productionis.

SI theologicè, ac propriè loquamur dicẽdum eſt minimè aſſignari poſſe, ſed reſeruari Dei diſpenſationi, qui nouit quid cuiq; magis expediat: at ſi phyloſophicè loquamur, referam, quid ſentiat *Hippocrates in ſuis Aphoriſmis ſectione 5. aphor 48. & Ariſt. in ſuis Problem. de Coitione*, §. *Quare quædam mulieres concipiunt maſculos*: ipſiusq; rationem reddit .s. quia ſemen cecidit ad dexteram partem matricis: vndè intendens habere maſculum poſt congreſſum coniugalem debet pręcipere coniugi, vt immediatè iaceat ſuper dextero latere, ad effectum, vt ſemina fluant ad illam partem; quæ, cum ſit calidior, vtpotè epati vicinior, facit ad maſculi generationem: quòd ſecus contingit, ſi ſemen fluat ad ſiniſtram matricis partẽ frigidiorẽ ratione ſplenis adiacentis.

Verùm mihi placet dicere tunc cõcipi maſculum; cum ſemen patris ſemini matris prædominatur; quemadmodum è contra tunc cõcipi fęmellam, quando ſemen matris ſemini viri præualet, quod notauit *Collect. Problem. Ariſt. de Coitu*, §. *cit. Pelbartus in Roſ. Theol. p. 2. ver. Corpus humanum*, § 31.

Petes quot, & quæ ſint ſigna maſculi in vtero exiſtentis.

Reſpondetur quatuor ſequentia, primum eſt, ſi mulier, quæ iam concepit dexteram mamillam duriorem ſiniſtra reperiat.

Alterum, ſi lac egrediens ex ipſius mamillis ſit ſpiſſum: quòd ſecùs eſt, ſi rarum, longèque fluidum.

Tertium, ſi illius dextera pars magis tumet, reſpectu alterius partis.

Quartum, ſi mulier exiſtat multi caloris, ità colligitur ſummariè ex *Problem. Ariſt. & Pelb. loc. cit.* qui aliud ponit ſignum, vz. ſi prægnans ſurgendo ſuſtentatur manu dextera: itèm, ſi in motu ambulationis priùs mouet dextrum pedem: *Hippocrates in Aphor. ſect. 5. aphor. 38. in Oggleriis.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Qualis nutrix pro filiorum lactatione potiùs eſt eligenda.

RESpondet *Ariſt. loc. inf. cit.* illam potiùs fore eligendam, quæ ſequẽtibus qualitatibus dotatur.

Prima, vz. cuius calor eſt maior reſpectiuè; quam ſanè qualitatem obſtetrices percipiunt ex paruitate, & mediocritate mamillarum; calor enim vnitus eſt maior ſeipſo diſperſo.

Secunda itidèm ob eamdem maioris caloris rationem deligenda eſt nutrix ad negredinem declinans; nam fuſcæ ſunt alijs calidiores, meliusq; digerunt cibum; & proindè illarum lac melioratur, vtpotè magis coctum.

Tertia, quæ prę alijs Magis elongatur à congreſſu maritali: nam ſecundum *Ariſt. lib. de Animal. ſubtilior*, ac melior pars lactis vadit ad vaſa ſeminalia mulieris congreſſum habentis: & peior

& peior pars manet in mamillis: vndè deterioratur infans tali lacte nutritus. *Ariſt. in Probl. de Mamillis*, §. *Quare lac in mulieribus coeuntibus, & itèm* §. *Quare lac mulierum fuſcarum. Pelbartus in Roſ. Theol. par. 3 ver. de gradibus, & terminis ætatum*, §. 6. qui addit nocuam eſſe conſuetudinem parentum tradentium alijs mulieribus filios ſuos lactandos; cum lac propriæ genitricis magis proficiat, vtpotè magis ſimile eorum ſubſtantiæ; vndè, qui ab ipſiſmet matribus nutriuntur; euadunt fortiores, quod probat *Hali, & Auicenna*, vt notauit prædictus Doctor vbi ſupra, *Cardanus de rerum varietate lib.* 8. *cap.* 40

Quarta, quæ ſit ætatis mediocris, vz. inter annos 25. & 30. quia hæc eſt ætas ſanitatis, & complementi.

Quinta, quæ abortire minimè conſueuit. Nutrix verò debet cauere, ne comedat ſalſa, nec acetoſa; neuè vtatur porris, cępis, ſtipiticis; quòd, ſi ei ægritudo accidat, vel multa ventris ſolutio, aut cōſtrictio alia interim lactet infantem, donec prior curetur, ità *Pelbartus loc. cit.*

Bonitas autèm lactis nutricis ſic probatur, ſi gutta ipſius ſupra vnguem diſtillata; non ſit multum ſpiſſa, nec multum liquida: bonumq; habeat odorem cum aliqua dulcedine: è contra lactis prauitas dignoſcitur, ſeu probatur ex ipſius odore fœtido, quod notat *Razi citatus à Pelbarto, vbi ſupra*. De muliere autèm lac habente, licèt non ſit grauida, neque pepererit, quid phyloſophandum? tu conſule *Hippocratem in Aphor. ſect. 5. Aphor. 39. & ibi Franciſcus Ogglerius*: cum quibus probabilitèr conijcerè potes huic menſtrua defeciſſe; & ſubindè vi naturæ, debitiſq; decoctionibus illa in lac conuerſa fuiſſe, ad mammaſq; tranſiſſe.

DISTINCTIO DECIMA.

De ablatione effectuū Magiæ maleficæ

Diſtinctio hæc ſecatur in tres articulos.

In primo oſtenditur, à quo ēfficienter maleficia auferri poſſint.

In ſecundo deſignatur, quomodo liceat auferre tempeſtates à Dæmonibus concitatas.

In tertio notatur, à quo maleficium perpetuum auferri poteſt.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Malefici maleficia ab ipſis illata, ſemper curare poſſint.

NOtandum ante reſponſionem Maleficos duplicitèr poſſe inferre morbos; nimirùm per ſe, ideſt abſque ſpeciali concurſu Demonis, .s. mediantibus rebus naturalibus venenoſis, vti etiam faciunt alij veneno interficientes: interdum verò cōcurrente ſpeciali Dęmonis concurſu ex inito pacto: vt cum Maleficus conficit maleficium materiale, illud in determinato loco reponēs, & Dęmon infert maleficium formale: ver. gr. corrodendo ſtomachum illius, in cuius damnum appoſitum fuit maleficium materiale. Loquor de maleficio primo modo, .s. præcisè naturali, ad quod ſcilicèt non concurrit Dæmon effectiuè propriè, ſed tantùm inductiuè.

Reſpr̄ difficult. affirmatiuè regulr̄ loquēdo; ratio eſt, quia mala, quæ mediātibus cauſis naturalibus proueniunt, mediantibus contrarijs eiuſdem ordinis auferri poſſunt iuxtà vulgatū Aphoriſmum: *Contraria contrarijs curantur*; dixi regulr̄, quia ex accidenti contingere pōt; vt ars talitèr maleficiantis nō ſufficiat; vtpotè; ſi venenum fuit validiſſimū; ità vt ſtatim totius corporis Maleficiati diſpoſitionem inuaſerit: aut ſi veneficatus ità ſit debilis cōplexionis, q̄ nequeat retinere medicinas vſq; ad debitā operationē; aut, ſi nimis tardè applicētur remedia: quare accidere pōt, quod nec Maleficus, neq; Dęmon hoc modo Maleficiatum curare poſſint; quia, cum impedimenta ſanitatis naturalibus remedijs remoueri debeant; ſi ob tarditatē natura omninò deſtituta ſit remedijs naturalibus minimè redintegrari poterit. Dices, nihil eſſe tàm naturale, quàm eo genere quid diſſoluere quo colligatum eſt, *l. Nihil. ff. de Reg. iur.* reſpondetur hoc procedere in contractibus, vbi poſt factum ſuppoſita vtriuſque contrahentis voluntate diſſolui poſſunt: quod ſecus eſt in naturalibus cibis, quibus ſumptis ſiue per cibū, ſiue potum: velimus; nolimus operantur non iuxtà ſumentium voluntatem, ſed iuxta eorum naturam: nec obſtat, quod actus agentium non debent operari vltrà eorum intentionem, *l. Non omnes. ff. Si certum petatur.*: quia itèm reſpondetur prout ſupra, .s. dictam legē intelligi debere in contractibus, non in naturalibus, notum eſt.

DIFFICVLTAS II.

An Maleficus maleficia ab illo illata auferre poſſit.

LOquor hìc de maleficijs ſtrictè ſumptis, in quibus concurrit Dęmon ad inferendum malum ex pacto inito cùm Malefico explicitè, vel implicitè.

Difficultati reſpondetur diſtinctione ſic: ſi Dęmon, qui cooperatur Malefico in diſſolutione maleficij ſit inferioris ordinis; & ſubindè virtutis; is autèm, cuius opera malum inductū eſt; exiſtat ſuperioris ordinis, & conſequentèr virtutis: & ſecundum totam ſuam virtutem operetur; illud minimè diſſoluere poterit, niſi ipſe ſuperior iuri ſuo cedat; par̄ in ſimili de Medicis ſcientia, & praxi præſtantioribus; qui leui negotio aliquas infirmitates nouerunt curare, quas Medici ſcientia, & praxi inferiores minimè curare ſciunt.

Cęte-

Cęterùm, ſi Dęmon, qui cooperatur maleficio, ſit è contra ſuperioris ordinis; maleficium diſſoluere poterit per illam regulam legalem, *Si de quo minùs, & de quo magis*, patet exemplo: nam in eadem republica quidquid poteſt Pręton; & Dux, ſed non è contra. Vndè talis Dęmon Malefico dicere poteſt: *Si vinco vincentē te, à fortiori vinco te*, *l. de Acceſſionibus*, *ff. de diuerſis tempor.* immò idem poterit ſuperior Maleficus, .s. qui habet pactū cum Dęmone ſuperioris ordinis: & virtute ipſius operatur, cõparatiuè ad inferiorē Maleficū, .s. qui habet pactum cum Dęmone inferioris ordinis: nam diſſolutio fit vi Dęmonis ſuperioris, potentiorisq; virtute, *Toſtatus ſuper Matt. c. 19. qu. 90. l. C.*

Verùm interdum, nec ſuperior, nec inferior Maleficus, nec item Dęmon quālibet infirmitatem curare poteſt, vt ſupra claruit: v.g. quando iam deſtructa eſt natura ob diuturnitatem ipſius: quare morbum ſenectutis curare non poteſt; Verùm tàm Dęmon, quàm Maleficus eius vi interdum curare poſſunt morbos, quos ars Medicorum curare nõ valet; ratio eſt, quia Dęmon, qui ex pacto concurrit cum Malefico maioris eſt ſcientiæ, & potentiæ naturalis, quā quiſque doctiſſimus, vel expertiſſimus Medicus. Sumus in claris, ſed attende, quòd omne ius potentiùs eſt in cauſa principali, quàm in cauſa ſine qua non, *l. Digna vox, C. de legib.* & item, quòd cauſa proxima magis attenditur, quàm remota, *l. Ligui, ff. de legib.* quæ notatū volo, vt dignoſcas maleficiorum diabolicorū cauſam propriè efficientem eſſe ſolummodò Dęmonem: Maleficas verò cõcurrere ad illa præcisè, vt cauſa ſine qua non; vti ab initio huiuſce libri vigeſimi cautum fuit.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An licitum ſit tempeſtates à Maleficis virtute Dęmonū concitatas ſonitu campanarum diſſoluere, & ſigno ſanctæ Crucis.

RESpondeo *cum Guillelmo Pariſienſi lib. de Legibus fol. 44. col. 1.* quem citat *Binsfeldius de Conf. Maleficiorum circà finem, ante ſolutionem argumentorum*, licitum eſſe: patet primò tùm ex laudabili ritu Eccleſiæ Catholicæ: tùm quia campanæ, vt tubæ Caſtrorū Dei Poteſtatibus aereis, vz. Dęmonibus in media regione aeris degentibus incutiunt timorem, quatenus excitant fideles ad exorandum Deum; vt ſua potētia arceat ipſorum poteſtatem, ne noceant.

Verùm non eſt cogitandū illas hanc virtutē habere, quia ſint baptizatæ (vt vulgus putat) quia eius ſuppoſitū eſſet falsū: patet, tum quia baptiſmi non ſunt capaces; ſed homo tm̄ qui naſcitur filius iræ, vindictæ, & gehennæ: tum quia notum eſt Campanas ſolummodò benedici, Deoque dedicari iuxtà ritum in Pontificali præſcriptum: & voces populares non ſunt attendendæ.

Verùm per illam benedictionem aliquid ſpeciale contra poteſtatem Dęmonum recipiunt; alioquin fruſtrà benedicerentur, quod abſurdum eſt, vel cogitare: in omni .n. diſpoſitione, vel actu interptatio fieri debet, vt abſurditas euitetur, *l. Nam abſurdū ff de bonis libertorum*: datoq; vno abſurdo, aliud facilè ſequitur, *l. Ratas, C. de Reſcindenda venditione*. Attendendum tamen eſt; quòd accidens merè ſpirituale non poteſt inhęrere alicui corporali, vt accidens ſuo ſubiecto: ſicut nec accidens corporale poteſt inhęrere alicui rei merè ſpirituali: vt gratia non inhæret Sacramentis; & tamen ad dignam ipſorum ſuſceptionem illicò confertur: vt in primis notat *Stephanus Brulifer ſuper 4 Sent. D. Bonau. diſt. 1. quæſ. 3.* & ità ſuo modo dicendum reſpectu rerum benedictarum; aut Deo conſecratarum. Secundò pulſantur Campanæ ad deſignandum, quòd, ſi tempeſtas eſt à Dęmonibus præparata in perniciem frugum ad humanam ſalutem productarum naturali eorum potentia nitentibus: quòd nos è contra ſolummodò confiſi in auxilio Dei, quod tunc temporis enixè imploramus: & in precibus S. Eccleſiæ Catholicæ, quæ item tunc humilitèr, confidentèr, & ſupplicitèr ipsū exorat, vt ſpirituales nequitias, vz. Dęmones virtute ſua repellat; quaſi dicamus, Dęmones veniunt contra nos in virtute ſua naturali confiſi: & nos venimus ad te tantùm nomine tuo nixi. Tertiò, quia, quemadmodum in nonnullis Ciuitatibus, & pręcipuè Bergomi dato ſigno maioris campanæ Ciuitatis poſt primam, & dimidiam horam noctis tenentur omnes, & ſinguli Ciuitatis per ipſam ad ſua negotia deambulātes, arma deponere: ità probabilitèr, & piè credendum eſt, quòd Dęmones illicò ac ſentiunt tubas Dei, tacitè proclamantes, nè cuiquam noceant; illicò ſub timore grauis pęnæ deponunt arma; quæ ſanè inuiti dimittūt; niſi tñ Deus ſua infinita prouidentia dignoſcat fore expediens, vt eius populus flagello tempeſtatum mulctetur: nam plerunque, quod oculis carneis videtur nocuum; diuinis oculis proficuum cognoſcitur: Vndè frequentèr neſcimus, quid petamus: ſemper tamen exaudimur in nomine Saluatoris petēdo iuxtà illud: *Quicquid petieritis in nomine meo dabo vobis. Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Verùm nõ ſemper ad vocem, ſed ſolùm ad mentem, sm̄ quàm iuſtè, & rationabilitèr potius volumus, quod nobis expedit.

Aliqui etiam DD. cauſam aſſignant naturalem, quarè ſonitu campanarum tempeſtates fugantur: volunt iſti, motum pulſationis illarum aerem rariorem facere, denſitatemque materiæ diſpergere; & ſubindè tempeſtates diſſolui. Verùm hęc naturalis ratio non ſatis me vrget: quia, cum omnis poteſtas corporea ſit inferior Dęmonum poteſtate, vt ſępè dictum eſt; niſi cõcurrat ſpeciale Dei auxilium frenās Dęmonum rabiem contra genus humanum, non ſatis valerēt. attentis pręcisè hinc, & indè

viri-

viribus naturalibus Campanæ, & Dæmonum.

Fugamus itidèm licitè aereas Dæmonum poteſtates ſigno ſanctæ Crucis, vt deterreantur attendendo; quod illo vtimur inſtrumēto, quo iam extiterunt victi: & quod itèm ſignamus loca: ver. gr. agros, vineas, oliueta, viridaria, &c. vt hoc ſigno ſtemmata non audeant illis nocere: Vnde in *Apocalypſi cap. 7.* habemus quēdam Angelum clamaſſe voce magna quatuor Angelis, quibus datū erat nocere terræ, & mari, præcipiſſeq; illis infraſcripta: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quo ad vſque ſignemus ſerui Dei noſtri in frontibus corū:* quòd idem perindè fuit, ac ſi dixiſſet: ſcio, quòd eſtis ex inuidia, & odio contrà genus humanum parati ad nocendum prædictis: ideò præcipio vobis; vt ne illa audeatis nocere quo ad vſque, &c. poſtquàm verò erunt ſignati ſerui Dei in frōtibus ſuis; ſufficiet vobis ad illos reuerēdos ſcire eſſe ſignatos Dei ſigno in frontibus eorū.

Quemadmodum autèm Dæmones reuerentur ſeruos Dei illius ſigno notatos; ità ob dictam cauſam reuerebūtur bona nr̄a, vt tempeſtatibus, pruinis, diluuio aquarum, &c. illis nocere non audeant.

Munimur bona nr̄a ab vna ad alteram Ciuitatem, aut locum aſportāda ſigillo, ſeu marca Ducis, Regis, Principis, &c. contra mercium exactores, ne nocumentum patiantur: & idem faciendum eſt contra Dæmones Dei exactores ſignando ſigillo Crucis omnia noſtra campeſtria bona, ne illa tempeſtatibus, aut alijs aeris iniurijs ſubijcere præſumant.

Quòd, ſi interdùm taliter ſignata, dictis flagellis adhuc ſubijciantur: manifeſtum eſt illa à Deo immitti ob peccata noſtra, & bonum noſtrum: iuxtà illud: *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim: terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea: propter iniuſtitias .n. ſuas humiliati ſunt.* quòd, ſi percuſſi his defectibus careant; recordentur *Ioann. Euang.* prologij: vz. *Quos amo, corrigo & caſtigo:* ferantque equo, ac miti corde tanquàm à viſceroſiſſimo patre, & iuſtiſſimo Iudice immiſſa, iuxtà illud: *Immiſſiones per Angelos malos.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Maleficium, quod aufertur per deuotas, & perſeuerantes orationes in Deum; dicendum ſit miraculosè ablatum.

RÉſpondr. negatiuè, quia tollitur modo ordinario: quemadmodùm .n. peccatorum remiſſio per Sacramenta obtenta; non dicitur miraculoſa, cum habeatur modo cōſueto, licèt virtute ſupranaturali, ità *Bonac. de Matrim. quæſt. 3. punct. 13. n. 2. & 4.* Similr̄ cōuerſio, quę fit à Sacerdote de pane, & vino in corpus, & ſanguinem Xp̄i vi verborum, licèt ſit miraculum grande, cum excedat cuiuſque creaturæ potentiam, vt aduertit *Peirinus de Priuilegijs Minimorum ad Conſt. 16. nu. 7.* tū eius cōuerſio non dicitur miraculum, nec Sacerdos dr̄ homo miraculoſus: tum, quia fit modo ordinario à Chriſto ſtatutō, vt ſupra docuit *Bonacina de Matrim. quæſ. 3. punct. 13. nu. 2. & 4.* tum, quia non fit ex merito tranſſubſtantiantis miniſterialitèr .s. Sacerdotis: ità dicendum de Maleficio, quòd per orationes auferatur ob rationem allatam.

Notandum autèm, cum dicitur de pane fit corpus Chriſti, illud (*de*) accipitur, quatenus dicit ordinem; ibi .n. eſt ordo; quia ſubſtantia panis non manet exiſtente Chriſti corpore. Quemadmodum enim priùs eſt mane, deindè merides: ità quòd priùs erat panis; & vinum, tranſubantiatione mediante eſt corpus, & ſanguis Chriſti.

Et ſicut facto meridie, non manet ampliùs mane: ità exiſtente corpore, & ſanguine Xp̄i, non eſt ampliùs ibi panis, nec vinum: Verùm in gratiam minùs peritorum hi termini exponuntur, ne error illos capiat credendo, quòd ex pane cōponatur materialitèr corpus Chriſti: aut ex vino componatur ſanguis Chriſti.

Prętereà, nota, quòd corpus Xp̄i reale poſt conſecrationem eſt ſignificatum, & ſignificatiuum: eſt ſignificatum reſpectu ſpecierum: eſt verò ſignificatiuum reſpectu corporis Chriſti myſtici.

DIFFICVLTAS II.

An Deus miraculum patret auferendo maleficium perpetuum.

RESpondeo in rigore loquendo, dicendum eſt, Deum minimè miraculum efficere, quia attenta eius omnipotentia, nihil eſt ſibi impoſſibile; iuxtà illud Archangeli dictum: *Non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum,* ideſt, nihil eſt Deo difficile; dummodò non ſit repugnans, vel ex parte rei, vt quod ſimul eadem creatura ſit rōnalis, & non rōnalis: vel ex parte ipſius Dei, vt quod ipſamet bonitas peccato inuoluatur; largè tamen loquendo, dicendum eſt Deum miracula facere: ſed non reſpectu ipſius, quia nihil eſt ſupra eius poſſe: ſed benè reſpectu noſtri; quòd quidem duobus modis contingere poteſt; primò efficiendo aliquid, quod natura nequit, vt reſuſcitare mortuum: à priuatione enim ad habitum non eſt regreſſio vi naturæ creatæ. Secundò producendo effectum, quem ſanè natura producere poteſt, alio tamen modo, quàm natura producere conſueuit; Illuſtro rem exemplo: Chriſtus cōuertit aquam in vinum, quod natura etiam facere poteſt; dum aqua in nutrimentum vitis aſſumpta, ſuo tempore in ſuccum vuæ perdigeſta conuertitur: ſed Chriſtus illicò abſque medijs naturalibus, quod non poteſt natura. ità *D. Bonauentura in 2. diſt. 7. art. 2. quæſt. 3. Fuſtis Dæmonum cap. 10.*

DI-

DISTINCTIO VNDECIMA.

De Confeſſario Magarum maleficarum reſpectu ſcientiæ ipſi neceſſariæ ad illas curandas, & manutenendas in ſanitate.

Hæc diſtinctio tres habet articulos.

Alter reſpicit munus Confeſſarij.

Alter verò inſtructionem Magarum pœnitentium tàm in Sacramento confeſſioni, quàm extra.

Tertius verò reſpicit munus ipſius Confeſſarij circa detectionem adinuentionum diabolicarum.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Quæ Confeſſarium circa maleficia ſcire oportet reſpectu ſui.

RESpondetur, Confeſſarius nouerit in primis in omnibus maleficijs tàm ad amorem, quàm ad odium ſemper tacitum, vel expreſſum pactum inter Dęmonem, & Maleficam, vel Maleficū intercedere, vz. vt poſita re, quæ vulgò dicitur maleficium in loco deſignato: v. g. in lecto, in puluinari, ſub lumine introitus domus, cameræ, &c. Dęmon agat in corpus creaturæ diuexandæ, vel præſentialitèr, vt in Energumenis; aut ſolùm poteſtatinè, vt in maleficiatis præcisè. faciunt, quæ notat *Mengus in fuſt. Dęmon cap. 12.*

Secundò, ſciat Dęmonem pręſentialitèr, & propriè illū diuexare, cuius omnibus membris interiùs, exteriùsq; vtitur: illum verò ſolùm poteſtatiuè diuexare: quem affligit tantūmodò in aliqua corporis parte, abſque tamen ſui præſentia reali; lege prædictum *Doct. vbi ſup. cap. 14.*

Tertiò notet, quòd quamuis inſtrumentale maleficium non agat naturalitèr, nec effectiuè propriè: agit tñ vt cauſa ſine qua nō; quia (ipſo poſito) Dęmon diuexat, & ipſo remoto, non. patet in ſimili, de apertione feneſtræ domus, quæ non eſt cauſa effectiua illuminationis cameræ, ſed ſolùm ſine qua non; quia, ſi non aperiretur feneſtra, non illuminaretur camera: itèm patet in ſimili de vnione animæ ad corpus; quæ non eſt cauſa effectiua productionis hominis; ſed cauſa ſine qua non; quia ſine vnione animæ ad corpus, non produceretur homo, vt alibi cautum fuit ad aliud propoſitū.

Quartò, Confeſſarium ſcire oportet, quòd maleficialia inſtrumenta per Magas maleficas fabrefacta, Dęmones ad præceptum ipſarum, deferunt ad domus illorum, contra quos dictæ Magæ maleficæ mouentur odio, amore, aut malignitate ipſa abſcondendo in eorum lectis, puluinaribus, ſub limine domus &c. vel ſaltem coadiuuando ad illa reponēda; ex. gr. aperiendo oſtium domus, cameræ &c. diſſuendo cubile, puluinaria &c. ipſaq; renouant Dęmones, vt plurimùm quotoquoque menſe; ſi loca dictis inſtrumentis cōſpurcata, purgata veniant, vt in primis obſeruat *Hieronymus Menghus lib. 1. cap. 18.*

DIFFICVLTAS II.

Quæ Confeſſarium noſſe opus eſt reſpectū aliorum, s. pœnitentium.

RESpondetur, primò, ſi Confeſſario inter excipiendas confeſſiones audire contingat, maleficialia inſtrumenta in dictis locis, inuenta fuiſſe: v. g. plumas, oſſa, capillos, grana, ferrum, lapides, clauos, ſulfur, acus, & alia eiuſdem generis; docebit pœnitentem, vt ſeorſum illa reponat, poſteà deſignanda exorciſtæ; qui igne benedicto illa comburet. faciunt, quæ habet *Mengus loc cit.*

Secundò, confortabit Confeſſarius pœnitentem tàm Energumenum, quàm præcisè Maleficiatum ad ferendum ęquo animo diuexationem ei per Diabolum quouismodo illatam; obijciendo illi motiua, ob quæ Deus illi permittere poteſt talem tribulationem, quarū

Primum eſt, ob commune bonum, ad remouendum vz. errorem nonnullorū ex Phyloſophis; qui negare audent Dęmones eſſe; ideò (inquam) non eſt mirùm, ſi Deus permittat, aliquos ſenſibilitèr vexari, nam ſcriptū eſt *Ioan. 4. Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.*

Secundum eſt ob alicuius graue peccatum puniendum; hinc legimus *1. Corinth. 5.* Paulū Satanæ tradidiſſe quendam Corintum corporalitèr vexandum; qui iam admonitus, vt ſe à carnali mixtione cum ſua nouerca abſtineret, obedire renuit.

Tertium eſt ob augmentum gratiæ, & meriti, vt conſtat de Iob, quem Dominus à Dęmone diuexari permiſit.

Quartum eſt ob manifeſtationem doni gratiæ ſanitatis alicui collati, iuxtà illud Pauli: *Alij datur prophetia, alij diſcretio ſpirituum: alij gratia ſanitatis &c.*

Quintum denique eſt ad oſtendendum perceptibilitèr Dei potentiam eſſe maiorem procul dubiò illa Cacodęmonis; ideò (inquam) vult, vt in eius nomine Dęmon proculpellatur: hanc cauſam notat *Ioan. 9.* ibi; *Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo*; lz. ad aliud propoſitum.

Dices quomodo Dęmon è corporibus per Exorciſtas, eijci poteſt, ſi non eſt poteſtas ſuper terram; quæ poteſtati ipſius comparari valeat, (teſte Scriptura Sacra in Iob). Reſpondetur, quòd illa ſcriptura intelligi debet de poteſtate ſolummodò reſpectu creaturarum, quarum nulla eſt maior: non autèm reſpectu poteſtatis diuinæ, qua Sacerdotes, Dęmonem è corporibus licet reluctantem expellunt.

Si ãt contingat (Deo permittente) ipſũ non expelli, ſcias hoc nõ prouenire ex defectu potentiæ diuinæ; ſed ex ſpeciali ipſius prouidẽtia in vtilitatem maleficiati: ver. g. ob augumentum gratiæ, meriti, & prẹmij: idcircò partes ipſius Confeſſarij erunt ſuadere tolerantiam maleficiatis; ne ob tędium ad illicita remedia contra Dei voluntatem recurrant.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quomodo Confeſſarius cum Maga malefica vltro ad ſacram confeſſionem accedente ſe gerere debeat.

Reſpondetur infraſcripta eſſe illi obſeruanda, vz. Primò, ſi Maga ad Confeſſarium veniens de maleficijs ſit ſuſpectã ob aliqua indicia; illi proponere debet periculum animæ, in quo verſatur, niſi ritè confiteatur; notificetq; illi ſtrictiſſimã obligationẽ, quam habẽt Cõfeſſarij obſeruandi ſigillum ſacramentale, vt mors potiùs ab ipſis ſit ferenda, quàm peccatum quodcunque pœnitentis directè, vel indirectè alicui manifeſtare; vt vel ſic illi aperiatur via, alliciaturq; ad confitendũ ſua peccata.

Secundò, ſi Cõfeſſarij ſuaſione confiteatur ſe Magam maleficam eſſe; diligentèr exquirat à quo tempore, quo motiuo in tale execrandum crimen lapſa fuit; vt ex enarratis circunſtantijs circa examen adiuuari poſſit.

Tertiò, examinet quibus conditionibus adhęſit Diabolo, an renuntiauerit Fidei Chriſtianæ ex animo, vel Diabolum adorauerit: an rebus ſacris abuſa fuerit: an Hominibus nocumentũ intulerit in bonis fortunæ, aut in perſona; an offenderit Clericos, aut Religioſos; quia ſic in cenſuram excommunicationis incurrit. Vtrum alios ſeduxerit, & an hi in tali crimine perſiſtant: nam illos ad viam veritatis reducere tenetur; quos, ſi opus ſit denunciare debet, prout ſupra de Denunciatione lib. 4. Ità docet *Laymãn. lib. 3. ſect. 5. tractatu 6 §. 1. de Sagis, nu. 18.* ſequens *Martinum Delriũ lib. 6. Diſquiſit. Magic. ſect. 3. §. Quoad interrogationem.*

Quartò ſuggerat illi Deum peccatores oẽs ad ſe inuitare: ac omnes verè conuerſos recipere; vt ſic abiurato Diabolo, fidem, & ſpem in ipſum concipiat. ità ſe Confeſſarius geret cum Sagis ad ſe ſpontè venientibus.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum Maga à Iudice capta, contra quam ſunt violenta indicia: vel iam condemnata.

Reſpr̃ Confeſſarium documenta ſequentia obſeruare debere, ſi ante iudiciale examen Confeſſarius à capta Saga vocatus fuerit; primò ipſam diſponat ad cõtritionem peccatorum ſuorũ, ad patientiam, & obedientiam Inquiſitori debitam: illãq; exhortetur, vt ſincerè agat cum Deo, eiusq; Miniſtris: neq; ſinat ſe à Dęmone decipi, neque ad æternas pœnas adduci.

Secundò, ſi Maga Confeſſario fateatur crimen; ſtatim illam examinet de modis, & circũſtantijs, de quibus ſupra; Deindè obijciat magnam vtilitatem, quam ex veritatis cõfeſſione illi proueniet: itèm Dei miſericordiam, à qua præuenta eſt (mediante S. O.) adeò, vt facilè nunc eripi poſſit ex Dęmonum faucibus.

Tertiò animet ad fortitèr ſubeunda ſupplicia corporis, breui tempore duratura; quibus ſatisfacere poterit pro peccatis ſuis: atque etiam redimere pœnas alterius vitæ diù duraturas.

Quartò, ſi Maga in iudicio confeſſa; apud Cõfeſſariũ verò cõſtantèr aſſerat ſe eſſe innocentem; & vi tormentorum extortam fuiſſe ſuam confeſſionem; recordetur ipſi, etiam Martyres iniuſtè paſſos fuiſſe: & pœnam fuiſſe illis ad meritum, atq; ad vberem ſatisfactionem aliorum peccatorũ ſuorum. Obijciatq; illi, quòd Deus nõ poteſt decipi, & vt caueat, ne ſi innocentem ſe faciat contra veritatem, & voluntatem Dei; cum Diabolo perpetuas pœnas luat.

Quintò, Confeſſarius Magam (crimine ſuo confeſſo) examinet; num conſortes eiuſdem criminis, quas nouit, Inquiſitori prodiderit; quia ex charitate obligatur pernicioſa flagitia impedire, vt extirpentur.

Deniq;, ſi Maga conſtantèr aſſeueret, ſe per inuidiam, aut ob tormentorum metum, è contra innocentes denunciaſſe; vrgere eam debet, ſtrictiſſima obligatione teneri ad reuocationẽ falſæ denũciationis coram Inquiſitore; etiamſi timeat, quod ob hanc noua tormenta ſuſtinere cogetur. Quod quidem documentum ità intellige, modò ſpes aliqua ſubſit Iudicem habiturum eſſe aliquam Fidem huiuſmodi reuocationi contra priorem iuratam iudicialem depoſitionem. legendus eſt *Petrus Nauar. lib. 2. cap. 3. nu. 251. Abbas in cap. Sicut, num. 1. de Teſtibus. Iacobus Menoch. de Arbitr. Iudicum caſu* 108. & alij apud *Layman. loc. cit. num. 20. quĩ num.* 21. addit, quod in tali caſu; Confeſſarius illi ſuadere poterit; vt publicè coram populo ſe retractet; quia talis reuocatio coram Deo facta à proxima morti aliquatenus debilitat priorem denunciationem: ità vt, ſi alia etiam inditia commiſſæ falſitati contra denunciatam perſonam addantur, procedi non debeat.

Sextò, ſi in aliquo caſu Confeſſarius arbitretur cõſultum fore, vt Iudicem de innocentia alicuius admoneat, ex. gr. quando etiam indicia innocentiæ N. habentur; roget mulierem, vt extra confeſſionem ſibi dicat, vt hoc ipſum Inquiſitori ſignificare poſſit.

Septimò, ſi Confeſſarius cognoſcat ſufficientèr aliquam mulierem, vi tormentorum ſibi malum imputaſſe; illam hortetur, vt conſiderato dedecore, quòd ſibi, ac familiæ ſuæ intulit; confeſſionem ſuam coram Iudice, conſtantèr retractet; qui enim cauſam ſuæ mortis poſuit; tenetur eam tollere, ſi poſſit; aliòquin ſui ipſius occiſor erit: ità *Layman. cum multis*

multis à ſe citatis, vbi ſup. nu. 24. contra aliquos. Arſen. S. Inquiſ. par. 4. pag. mihi 110.

Octauò, licèt mulier crimen ſit confeſſa, vel ſecundùm præſumptionem fori externi conuicta ſit: ſi tamen coràm Confeſſario factū neget; fides ei habenda eſt in foro Sacramenti Pœnitentiæ; & conſequentèr à peccatis abſoluenda, ſacroq; viatico ante diem ſupplicij munienda eſt; Verùm, ſi poſt confeſſionem Sacramentalem publicè aſſerat ſe eſſe innocentem, communio illi neganda eſt propter ſcandalū; quia publicè præſumitur mendax, atq; impœnitens, vt notat *Layman. loc. cit. nu.* 32.

Nonò, obijciat Maleficæ; quod illas, quas ſemel corrupit Dęmon, poſt plures impietates ab ipſis patratas; tandem conatur ad interitum æternum inducere; quod ſatis colligitur inprimis ex hoc ſigno; quia, ſi contingat Maleficas ſub Inquiſitoribus Fidei deuenire; pro poſſe inducit earum corda, ne confiteantur delicta: licèt vndequaque indicientur. faciunt tradita per *Guaccium in Compendio Maleficarum lib. 2. cap.* 13. itemque, ne vnquam ſatis ipſarum delicta ſubijciant Sacramento Pœnitentiæ.

Decimò, conſiderabit Confeſſarius, num damnum à Malefica intentatū ſit adhuc pendens, vel iam fuerit illatum: ſi primum non erit abſoluenda, donec quocunq; modo licito malis futuris occurrere conetur: ſi verò ſecūdum, itèm illam non abſoluat ſine prænia ſatisfactione; quam, ſi præſtare nequeat de præſenti; prouideat conſcientiæ illius cogendo ipſam ad cautionem fideiuſſoriam, vel ſaltèm iuratoriam. *Martinus Delrius Diſquiſ. Magicarum lib. 6. ſect. 3. circa medium.*

Significet inſuper Maleficæ, quòd per ipſius pœnam mortis non euadit realem obligationem reſtituendi, reſarciendiuè damna illata; nam mortis pœna infligitur ob iniuriam reipublicæ irrogatam: non autèm ob priuatorum damna abolenda.

Hæc ſanè realis obligatio ad quoſuis Maleficarum Hęredes tranſit; cum non ſit pœna, ſed debitum, quatenus .s. ad eos ex bonis Maleficæ commodum prouenit. Verùm huiuſmodi obligatio ceſſaret; ſi pars læſa profiteretur ſe tali ſupplicio contentam eſſe, ac ſatisfactam. *Martinus Delrius vbi ſupra*: vndè in hoc ſenſu non valet illud prologium: *Mors omnia ſoluit.*

Attēdat ēt reſpu iſtarū Maleficarū in carcere detentarū, quod ſupra dictū eſt de Maleficis ſpontè accedentibus ad ſacramentalem Confeſſionem, num .s. Maleficium pręſtitum ſit perſonæ Eccleſiaſticæ; quia, ſi ex tali ſecuta ſit mors, vel mutilatio, præter excommunicationem, ſi patrator maleficiorum extiterit vir, incurrit etiam in irregularitatem.

Denique aduertat, an Malefica crediderit, aliquod falſum: v. g. diabolum eſſe omnipotentem, vel omniſcium, vel Sacramenta Eccleſiæ non habere efficaciam ſupernaturalem: vel habere vim ad operationem Maleficiorū, &c. quia ſic eſt hęretica, cuius abſolutio Pontifici maximo reſeruatur, vt notum eſt.

DIFFICVLTAS III.

An alia ſint obſeruanda a Confeſſario cum Maleficà, de qua ſupra, in carceribus S. Trib. detenta.

Reſpondē affirmatiuè, primò ei objiciat, quòd ex ſingulari Dei dono fuit capta, in carcereq; detruſa; cuius ratio eſt, quia iam de ſalute quaſi deſperare poterat ob peccata à ſę commiſſa: & de facili committenda, ſi libera euaſiſſet. Nunc verò metu mortis, & inſtructione ad cor facilius redire poteſt, miſerum ſtatum ſuum recognoſcendo; in quo, ſi deceſſiſſet impęnitens, vt ſæpè cōtingere ſolet; ſine dubio, igni perpetuo cremanda tradita fuiſſet; quòd ſecus nunc ſperandum eſt; cum ſit Deo reconcilianda, & in tenuem, ac temporalem pœnam ſit commutanda æterna.

Secundò objiciat Maleficam teneri proſequi maiori amore Iudicem Fidei, quàm ipſius impios, aduocatos, conſultores, defenſores, &c. quia iſti licèt primo acceſſu ſibi appareāt fideles amici: ſunt tamèn crudeles inimici tàm ſibi, quàm Reipublicæ; cùm minimè conuerſam ad veram pœnitentiam liberare contendant, conſultatione fugæ, patrocinio potentium, cauillationibus Iuriſperitorum, aduocatorum, &c. vt ſic in ſtatu diabolico moriatur; quaſi miſericordia ſit parcere corpori ob aliquem humanum reſpectum cōtra charitatis ordinem, requirentē; vt potiùs anima proximi, quàm ipſius corpus diligatur. ità *S. Aug. lib.* 1. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 27. *&* *S. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 5. Momentaneū eſt, quod delectat; ſed æternum, quod cruciat. Momentanea, inquam, eſt pœna per ſententiam Inquiſitorum inflicta; ſed æternum eſt gaudium in cęleſti patria, quòd delectat.

Tertiò eis quoq; proponat illud *Auguſtini ad Vincentium Donatiſtam, inſertū* 23. *quæſt.* 4. *Can. Nimium, .s. non omnis, qui parcit, amicus eſt: nec omnis, qui verberat inimicus. Meliora ſunt vulnera amici, quàm blanda oſcula inimici: Melius eſt cum ſeueritate diligere, quàm cū lenitate decipere.*

Quartò vrgeat, quòd populus iure murmuraret contra Iudicem Fidei; ſi omitteret eius punitionem: vel ſi ergà ipſam mitiùs ſe haberet, quam par ſit.

Addat, quòd Populus ęgrè fert, vt executio iuſtitiæ protrahatur, cupiens citius Rempublicam videre vtcumque expurgatam: ſiniſtraſque ſuſpiciones de Iudice oriri, quando ſegniorem ſe habet in extirpatione tāti ſceleris.

Quintò, inſtet prætereà, quòd Iudex alienorum peccatorum cenſetur particeps; ſi cōniueat, vel ſomnolentius procedat; tenetur .n. ſine acceptione perſonarum (ſola iuſtitia, & Dei gloria attenta) contra reos procedere, purgando Rempublicam. *l. Congruit, ff. de Officio Præſidis*, nam ignoſcendo nocentibus,

innocentium ſalutem cuſtodire non poteſt, iuxtà vulgare prouerbium; *Qui parcet Malis, nocet Bonis*: ob dictas cauſas, tenentur Reæ Maleficæ, potiùs etiam diligere iuſtos Iudices, quàm Parentes,& Affines, eas iniuſtè liberare contendentes.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA. Confeſſarius miſſus ad carceres ob inuiſendum vehementer ſuſpectos de Magia malefica, (exiſtente adhuc lite ſub Iudice) quæ illas edocere debeat.

PRimò,ipſam doceat,vt quemadmodum ex Angelis bonis, quidam præſunt Prouinciæ, quidam Regnis,quidam Ciuitatibus,quidam perſonæ particulari: ità ex malis Angelis quidam Regno, quidam Prouinciæ, quidam Ciuitatibus: quidam denique perſonę particulari deputātur in exercitiū virtutis:v.g. Lucifer deputatur ad tētandū peccato Superbię:Mammon Auaritiæ: Aſmodeus Luxuriæ: Satan Iræ, & diſcordiæ: Belzebub Gulæ: Leuiatan Inuidiæ; Beelſegor Accidiæ: quo fit,vt Dæmon alius dicatur ſpiritus ſuperbiæ: alter ſpiritus luxuriæ, &c. quia de illo vitio, cui maximè deputatur; etiam maximè tentat, & ab illo denominatur; ſuggerat itaq; Maleficæ, vt caueat ſibi, ne ab aliquo maligno ſpiritu decipiatur.

Secundò, illam edoceat, quòd Dęmon primo fingit facere poſſe,quę nequit,vt liberare à carcere &c. Itèm ſcire,quæ ignorat: v.g. ſcire futura à libero arbitrio Inquiſitorū pendentia, quæ minimè noſſe poteſt; cum voluntas non ſit determinata ad vnum.

Tertiò, quòd fingit maleficia fieri per ipſas Magas maleficas: cum tamen ſit ipſe, qui infert malum formalitèr.

Quartò, quòd ſimulat ſubijci Maleficæ, vt illam ſubijciat ſibi.

Quintò; quòd fingit ligari ab ipſa temporalitèr, vt ipſam liget æternalitèr.

Sextò, illam doceat Dęmonem variare ſuas adinuentiones iuxtà perſonarū varietatem; cū bonis ſub ſpecie exiſtētis boni: cum malis ſub ſpecie apparentis boni: cum aliquibus non ſinit eos ſtatim totū conſumare malum: vt ex impletione non ſatientur;& proindè tracti cōplemento praui deſiderij, multiplicentur delicta: cum alijs operatur,vt cōſumetur pręuaricatio; vt ex intenſione actus producatur habitus malus &c. Vndè,vt alibi cautum eſt;iure dr̄ verſipellis,mille Artifex,mille nocuus &c.

DISTINCTIO DVODECIMA.

De Magia purè Malefica in ſpecie, hoc eſt de ſpeciebus maleficiorum.

Facto verbo de Magia præcisè malefica in genere, de illius ſpeciebus diſſerere oporteret; tum quia ſermo generalis non ſatis illuminat Lectorem, ſed parit obſcuritatem; niſi ſermoni generali ſubnectantur eius ſpecies, vt notat *l. Ità fidei ff. de Iure Fiſci*: tum quia in omni iure per ſpeciem derogatur generi, *l. Sanctio legum, ff. de pœnis, l. In omni ff. de Reg. iur.* tum prætereà, quia quod ſpecialiter declaratur, validius operatur, quam quod in genere, *l. 2. vbi Baldus, C. de Seruo pignori dato, manumiſſo*: tum demum, quia,quæ notabilitèr facta ſunt, niſi ſpecialitèr notentur, quaſi neglecta videntur, *l. Itèm apud Labeonem, §. ait Prætor, ff. de Iure iur.* Tamen, quia in tradendo doctrinam generalem Magiæ præcisè maleficæ obitèr dictū eſt ratione clarioris intelligentiæ de eius ſpeciebus; idcircò breuitati Neotericis gratæ conſulendo;dicam tantūmodò ſignantèr,vbi reperienda ſit quælibet huiuſce Magiæ ſpecies iuxtà ordinē habitū in traditione dictæ Magiæ in genere,& iuxtà traditā doctrinā in ſuperioribus libris;& ſic vtrūq; capiam .s. breuitatem, & claritatem, ne error me capiat: conaborq; vt vtile dulci coniunctum maneat iuxtà illud Horatij: *Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.*

De Magia in ſpecie formatur vn. art. & item vnica diff. prout nunc ſubijciam,

ART. VNICVS DIFFICVLTAS VNICA. Quot ſunt ſpecies Magiæ purè maleficæ.

REſpondeo reuocari poſſe ad numerum decenarium.

Prima, & ſolemnior ſpecies huiuſce Magiæ eſt faſcinatio tenellium puerorum; quæ nimis graſſatur multis in regionibus,vt praxis oſtēdit, de qua vide ſupra *diſt. 2. art. 1. diff. 3. art. 2. diſ. vnica, lib. 19. diſt. 7.* Vbi de Faſcino quatenus coincidit cum maleficio diabolico: vbi etiam reperies,quomodo etiam pueri faſcinentur naturalitèr. Amuleta reperies ſupra 15. lib. non ſolùm contra prædictam maleficij ſpeciem, ſed etiam contra alias ſpecies infrà ponendas.

Secunda ſpecies eſt camptio, ſeu mutatio puerorum vi Maleficarum; quæ tamen raro contingit,de qua ſupra *diſt. 2. art. 4.* & tantùm reductiuè reuocatur ad has ſpecies:quia fit per Maleficas ad nocendum, & afferendum dolorem ipſorum parentibus.

Tertia eſt reſtrictio lactis in Mulieribus, Vaccis &c. de qua ſupra *lib. 19. art. 2. diff. 4.*

Quarta eſt Faſcinum ad amorem,de quo lege *lib. 19. diſt. 7. art. 3.* Sortilegium itèm ad amorem *lib. 19. diſt. 3. art. 1. diff. 3.*

Quinta, Sortilegium ad nocendum. *lib. 15. diſt. 3. art. 1. diff. 1.*

Sexta eſt Incantatio. *lib. 19 diſt. 6. art. 1. diff. 2.*

Septima eſt Maleficium contra honorem, vbi inquiritur, quid per Maleficas fieri poſſit contra honorē iuſtorum. *l. 20. diſt. 5. ar. 1. diff. 1.*

Octaua eſt Maleficium cōtra diuitias; certū quippè eſt Maleficas ope Dęmonum nocere in bonis fortunæ. *l. 20 art. 4. diff. 1. vbi diff. 2.* notaturque onus reſtituendi, quo annodantur tàm Maleficæ, quàm ipſarum Hæredes.

Nona eſt Maleficium circa actum coeundi. *lib. 20. diſt. 8. art. 1. diff. 1.*

De-

Decima eſt maleficium contra pudendum membrum. *lib. 20. diſtin. 8. part. 2. artic. 3. diſſ. 1.*

Hic duo neceſſariò veniunt notanda; alterū eſt, quod omnes prædictæ ſpecies; licèt poſitæ ſint ſub diuerſis libris, & titulis: tamen quatenùs nocuæ ſunt; poſſunt iure adhunc reuocari librum, & diſtinctionem; nam prout tales, conueniunt cum Magia, de qua præſens liber: accidentia .n. plurimum iuuant ad cognoſcendam eſſentiam rei, vt tradit *Ariſt. 1. de Anima*: (loquor de accidentibus proprijs) nam communia ad hanc cognitionem minimè conducunt; quoniam, cum ſint indifferentia: & inſint multis, & diſtinctis naturis; nequeūt nos ducere in determinatam cognitionē vnius naturæ: Alterum eſt, quòd propèmodum quælibet ſupradictarum ſpecierum congruè poteſt dici genus ſubalternum; cum habeat illius naturā: nam quemadmodum dictum genus reſpectu ſuperiorum generum in arbore, ſeu linea prædicamentali eſt ſpecies: reſpectu verò inferiorum ſibi in dicta linea eſt genus: ità prædictæ ſpecies, ſi comparentur ad Magiam malorum patratricem, quæ eſt vniuerſalior Magia præciſe malefica; vti ſupra in principio huius libri viſum fuit, ſunt ſpecies; ſi verò comparentur ad ſpecies, quas ſub ſe habent, ſunt genera ad diuerſas alias ſpecies, vt Faſcinum ad diuerſas ſpecies Faſcini: Incantatio ad diuerſas ſpecies Incantationis. Sortilegium ad diuerſas Sortilegiorum ſpecies, &c.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III. LIBER XXI.

De locorum infeſtatione, eorumq; curatione; tangitur in textu, ibi: *O altre ſimili ſuperſtitioſe attioni*: non .n. eſt nouum, vt poſt multa ſpecies Magiæ ſignanter poſitas in textu: v. g. *Negromantia, Incantamenti, &c.* generalis clauſula ſubijciatur omnia complectens, *l. Si ſeruus, §. Inquit, ff. Ad l. Aquiliam.*

Notandum primò ſecundùm aliquos DD. infeſtationem locorum partem eſſe Magiæ Maleficæ: vndè ſatis congruentèr ſubnectitur ſuo toto, & immediatè poſt ipſum: ſecundùm alios verò notatur potius Magiæ eſſe ſpeciem; ſed quo ad propoſitum noſtrum redit in idem: quia omnes ſpecies ſub ſuo genere comprehenduntur: & de omnibus illis prædicatur, l. 2. ff. Si certum petatur.

Notandum ſecundò hunc librum differre à libro Magiæ Maleficæ non ſolùm prædicto modo, ſed etiam alijs modis, prius ratione obiecti; quia illa eſt potiſſimùm reſpectu corporis humani: iſta verò eſt præcipuè reſpectu Domorum, Turrium, Arborum ſuboſcuriorum. Deindè, quia obſeſſio corporum eſt frequentior; infeſtatio autem locorum rarior; conſtat experientia. Poſtremò, quia, vt plurimùm truculentiores ſunt Dæmones obſidentes corpora, quàm loca infeſtantes; vt infra patebit; modò non inferatur aliud malum præter hominum ibi degentium perturbationem: claret attento obiecto hinc indè: altioris enim ordinis eſt Corpus, quàm Domus, vel aliud quidpiam noſtrum, loquendo de rebus extrinſecis. ſumus in claris.

Notandum tertiò ſpectare hunc librum ad Edictum S. Off. eo modo quo Maleficium Diabolicum, cum ſit eius ſpecies non minus, ac aliæ Maleficij ſpecies: v. g. quàm

faſcinatio, quàm impedimenta ad coitum, ſterilitas animalium, ſiccatio lactis ipſorum, &c. nam quemadmodum aliæ Maleficiorum ſpecies formaliter vi Dæmonum fiunt; ità locorum infeſtationes: nam eadem concurrit impietas, & malignitas; & conſequenter non minus veniunt denunciandi, qui huiuſmodi Maleficium procurant, quàm, qui illa. ſumus in claris; iuxtà illud eadem ratio, idem ius.

Notandum quartò, non eſſe hic ſermo de ſtrepitibus, qui interdum in littoribus, & ſub aquis ſentiuntur: nam iſtos conſtat procedere ex arcto vapore concluſo, ſuper aqua exhalante, vt in primis notat Hieronymus Cardanus de rerum varietate lib. 15. cap. 84.

Notandum quintò diuidi iſtum librum in tres diſtinctiones, in quarum

Prima agendum eſt de locorum infeſtatione quoad cauſam efficientem.

In ſecunda quo ad alias cauſas.

In tertia verò de eorum curatione.

DISTINCTIO PRIMA.

De moleſtijs, ſeu ſtrepitibus à ſpiritibus illatis.

Tres articulos complectitur hæc diſtinctio.

Primus amplectitur ſpiritus, qui potiùs homines moleſtant.

Alter verò deſignat diſcrimen inter moleſtias illatas ab animabus purgandis, & illatas ab animabus damnatis: itemque differentiam inter moleſtias Dæmonum, & humanorum ſpirituum.

Tertius verò deſignat, quas præcipuè perſonas ſpiritus Dæmoniaci moleſtant, & quas potiſſimùm ſpiritus purgãdorum, & ſpiritus damnatorum.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

Quot ſunt genera ſpirituum infeſtantium domus, turres &c.

Notandum hoc in loco infeſtare idẽ eſſe, ac moleſtare, perturbare, & ſimilia.

Reſp. infeſtãtiũ tria eſſe genera, vz. Dęmones, Animas damnatas, & Animas Purgatorij: Verùm tamen eſt etiam Angelos bonos, Sanctasq; animas iam in Cęlo regnantes interdum inuiſere nos: ſed tunc locus ille, vbi iſti, vel iſtæ apparent minimè infeſtari dicitur; ſed honorari, ac condecorari.

De infeſtatione Dęmonum refert exempla *D. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8.*

De infeſtatione animarum damnatorum referuntur exempla ab *Alexio Porro in Antidotario contra Dæmones, dub. 37.*

De infeſtatione Animarum Purgatorij, referuntur itidem exempla à *Porro loc. cit.*

Ex qua forma verò dignoſcantur ſpiritus Demoniorum ab alijs habetur infra; de hisq; refert exempla *Alexander lib. 4. genialium dierum, cap. 19.*

DIFFICVLTAS II.

Qui ex ſpiritibus Demoniacis magis infeſtant loca.

Nota huiuſmodi ſpiritus in duas diſtingui, ſpecies, vz. in Lares, & Truculentos: Lares ſunt, qui potiùs turbant, quàm noceant, vulgò dicuntur, *Foletti*; Truculenti ſunt; qui nedùm turbant, ſed nocent: de vtraque ſpecie proloquitur *Caſſianus, collat. 7. cap. 32.* Lares illuſionibus, & cachinnis ſunt dediti, & obſidentes vias terrent prætereuntes; cum verò aliquã inhabitant domum; ibi degentibus incutiunt timorem: dicuntur mites non quidem abſolutè, ſed comparatiuè ad Truculentos. Verùm nec his deeſt voluntas nocendi hominibus: omneq; eorum obſequium in homines tendit ad eorum damnum, quidquid nobis primò acceſſu videatur; latet nanque Anguis in herba, & ſub ouina pelle conteguntur lupi: quare, nec his, ſicut nec Truculentis credendum eſt: oportetque ſemper memores eſſe inter nos, & illos bellum implacabile, iugemq; inimicitiam intercedere: legendus eſt *Petrus Thyreus de locis infeſtis par. 1. cap. 2. 3. & 4.*

Itèm ſciendum eſt, quòd, tàm illi, quàm iſti longè infeſtiores eſſent, niſi diuina poteſtate forent ligati. De Demonibus moleſtantibus interdum domus, turres &c. lege *Cardanum lib. 16. cap. 93.* qui refert caſum notabilem, in hęc verba. *Eſt familia nobilis, ac inter primas Parmæ Torrellorum; in qua ſolet videri anus, iam centum annis, quotiès ex familia obiturus eſt aliquis,* idem exemplum affert *Porrus in Antidotario contra Dæmones, dub. 36.*

DIF-

DIFFICVLTAS III.

An Dæmones ſtrepitu moleſtantes ſint ex ſuperioribus choris, vel ex inferioribus?

RESpondet *Thyræus de locis infeſtis par. 1. cap. 6. à num. itèm 6. vſque ad decimum ſeptimum*, in hæc verba: *Licèt Spiritus mali ſuperiorum chororum ardentiùs alijs inferioribus affectent viuorum loca infeſtare, vt ipſis nulla relinquatur quies: frequentiùs tamen illi, qui inferiorũ ſunt ordinum loca reddunt infeſta; hominibusq; ſunt moleſti*; ratio primæ partis eſt, quia odium ipſorum ex inuidia noſtrorum bonorum proficiſcitur; quò autèm hæc perfectiùs cognoſcunt; eò grauiori odio erga nos flagrãt; ſed ſuperiores tantò perfectiùs inferioribus cognoſcunt, quantò naturæ dignitate, vi, & ingenij perſpicuitate in cognitione inferiores ſuperãt: ergò. ratio verò ſecundæ partis eſt, quia Deus exigit ſupplicia pro delictorum rõne, grauiſſima ꝑ grauiſſimis, leuia ꝑ leuibus puniẽdo, ſecundũ illud Scripturæ: *iuxtà delictum, erit & plagarũ modus*: ſuperiorum autèm ſpirituum grauiora fuerunt peccata; ideò illorum etiam grauiora ſunt ſupplicia; cenſent autèm Theologi grauiores eſſe Inferni carceres illis aeris caliginoſi, vel alterius loci huius mundanæ habitationis: quare probabilitèr iudicandum Dæmones apud nos diuerſantes, eſſe vt plurimùm illos, qui ſunt inferiorum ordinum; quod ſatis cõijcere poſſumus (vt dixi) tùm penſata iuſtitia Dei in Dæmones nequiores; tùm miſericordia ipſius Dei erga nos; qui non permittit fortiores, & nequiores ſtare contra nos, iuxtà etiã verbum Apoſtoli: *Fidelis Deus, qui non permittit nos tentari, ſupra id, quod poſſumus, immò facit cùm tentatione prouentum*: Ex bello pax.

DIFFICVLTAS IV.

An etiam Dæmones corpora humana diuexantes exiſtant ex maioribus, medijs, vel infimis?

REſpondetur diſtinctione ſic: attentis præcisè Dæmonum naturalibus dicendum eſt, quod diuexantes humana corpora ſunt ex infimis: nam in cæleſtibus ſpiritus primæ Hierarchiæ ſemper Deo aſſiſtunt: illi ſecundæ tãquàm Dei miniſtri curam gerunt; vt Dei præcepta executioni demãdentur: illi verò tertiæ Dei mãdata promptè exequuntur: & ſubindè ſuperiores in naturalibus, ſuperiora quoque agunt negotia: medij media, infimi infima: omnia .n. in cæleſtibus ſecundum Hierarchicũ modum procedunt; vt communitèr tradunt DD. & præcipuè *Alexius Porrus in Antidotario contra Dæmones, dub. 2.* diuexari autèm hominem eſt munus infimũ, ideò eſt minimorũ.

Attenta verò Dæmonum nequitia, ingentiq; deſiderio nocendi humano generi cogimur dicere; quod diuexantes nedum ſunt ſpiritus infimi; ſed etiam medij, & ſuperiores; qui cùm abundent (cæteris paribus) maiori nequitia; contempta in damnum noſtrum eorum naturali dignitate, acriùs alijs hominem diuexant: difficiliùſq; expelluntur, vti in primis teſtatur *Liranus ſuper Marc. c. 9.* his verbis: *Cum .n. viribus ſint impares ſpiritus; qui maioribus inſtructi ſunt, difficiliùs ex hominibus expelluntur: & qui minoribus, faciliùs*, quod notauit *Porrus in Antidotario contra Dæmones dub. 30.* Verùm nota, quod difficultas non attenditur reſpectu Dei, cui nihil eſt impoſſibile; nec vnum alio difficiliùs: illimitati .n. virtuti fortaſsè limitata virtus reſiſtere poterit?

Inſcitè ãt, & imprudentèr Dæmones confuſione perfunduntur, dum à Deo expelluntur; cũ nouerint ipſius potentiam in infinitũ illam ipſorũ excedere; Vndè nõ eſt ipſis ignominioſum, ꝙ Dei potẽtia ſuperentur, ac expulſentur, vt ex communi fatentur Theologi: ſed benè ipſi ignominioſiſſimum eſt, quod cæcitate mentis preſſi, diuinæ potentiæ, quoad poſſunt, obſiſtant, quaſi ignari, ac imprudentes, quòd non eſt potentia, vel prudentia contra Dominum: foret quidem confuſio; ſi ab hoĩe præcisè virtute ſua naturali fretus illos expelleret; ſed hoc minimè contingit: cum expulſio virtute naturali minimè fiat, ſed diuina.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Quomodò dignoſci poteſt an ſtrepitantes ſint Dæmones, vel ſpiritus humani.

SVpponit hæc difficultas moleſtias deriuari poſſe à quolibet ſpiritu, & de facto interdum eſſe à Dæmonibus, interdum verò à ſpiritibus humanis, v. g. damnatis, vel purgandis: A quibuſdam verò ſignis elici poſſumus; quando potiùs ſunt ab illis, quàm ab illis: Notandum itaque.

Primum, ſi moleſtiæ excitentur indifferentèr: ver. gr. non magis de nocte, quàm de die; probabilitèr iudicantur potiùs ab Animabus Purgatorij, quàm à Dæmonibus, aut ab Animabus hominum in Inferno detentorum; ſecùs verò, ſi moleſtiæ inferantur potiùs de nocte, vel tantùm nocturno tempore; cuius ratio eſt, quia quemadmodũ *Io. 3. Qui benè agit, non refugit lucem*; ità è contra, qui malè: Animæ autèm purgandæ ſtrepitus excitando non malè agunt, nec iniuſta petunt, quærendo hoc modo bona ſibi fieri; quod aliter dicendum eſt de Dæmonibus, & animabus damnatis: nam cuius finis bonus eſt, ipſum quoq; bonum eſt; velut è contra: cuius finis malus eſt, ipſũ quoque malum eſt: itèm ſicut ſe habet propoſitũ in propoſito, ità oppoſitum in oppoſito. *Thyræus de locis infeſtis cap. 35. nu. 4.* quem ſequuntur *Guadagnus in Theſauro Doctrinæ Chriſt. Præcepto 1. de vana obſeruantia, Binsfeldius de Confeſſione Maleficarum pagina mihi nu. 99. & 100.* Alia ratio eſt, quia nox, & tenebræ magis deſeruiunt fini peruerſorum ſpirituum; cum .n. mediantibus ſtrepitibus, & vmbris terrere intendant; diligunt tempus noctis, quod naturalitèr timorem affert, & auget.

Verùm interdum animæ purgandæ prò ſuffragio petendo nocturnum eligunt tempus, ſed non ob finem malignorum ſpirituum, aut dam-

damnatarum animarum: ſed quia in ſilentio noctis faciliùs audiuntur eorum clamores, cũ in ipſa homines non ſint adeò, ac in die diſtracti occupationibusq; diſtenti, faciunt tradita per *D. Gregorium in 4. Dialog. cap. 40. Ioannem Nider de Decem Praeceptis Praecep. 1. cap. 11. poſt Guillerm. & Caſsianum ab ipſo citat.* ſed nota in rigore loquendo, quòd nec locus, nec tempus ad ſtrepitus excitandos ſpiritibus iuuat, niſi ad dictas congruentias.

Alterum eſt, quod animæ Purgatorij diù perſeuerant in ſimili petitione, indeſinẽtèr inſtando quouſq; s. ſuffragia ipſis ferantur: nec mirùm, cum iuſta petant.

DIFFICVLTAS II.

Ex quot, & quibus cauſis, ſiue ſignis ſtrepitus cognoſcuntur in ſpecie eſſe a Dæmonibus, potius quam ab humanis ſpiritibus.

RESpondeo ex quatuor cauſis ſatis congruentèr elici.

Ex cauſa materiali, vt quando tales moleſtiæ ab hominibus fieri non poſſunt, v. g. euerſiones ædium, ſine armis inflicta vulnera, & his ſimilia: Dæmones enim potentia adeò excellunt, vt nulla humana illam attingat, vt ex communi docent *Theologi in 2. Sent.* quod notat *Thyreus de locis infeſtis par. 1. cap. 23. num. 3.*

Ex efficienti: nam Dæmones abſq; animabus, ſiuè purgandis, ſiuè damnatis moleſtias inferre poſſunt: dictæ verò animæ abſq; Angelorum ſiuè malorum, ſiuè bonorum opera minimè poſſunt, vti docet prædictus *Doctor loc. cit. cap. 24. num 23.* hinc fit, vt ad moleſtias ab animabus ad Infernum damnatis concurrant inſimul Dæmones; quemadmodum etiam ad moleſtias nobis illatas ab animabus purgandis concurrunt Angeli boni, tanquam concauſæ efficientes; ideò, ſi conijciatur moleſtias in malum tendere; v. g. impediendo bona, quę tunc fiunt, potiùs aſcribendæ ſunt Dæmonibus; ſi verò è contra conijciatur illas tendere ad bonum, potiùs Angelis Sanctis.

Ex cauſa formali: tunc moleſtiæ attribuendæ ſunt Dæmonibus, quotiès apparent ſub forma humana, ab vſitata quodammodo degenerante: v. g. ſi appareant cum pedibus belluæ, vt canis: ſiuè cum nimia corporis mole: aut è contra cum nimia corporis exiguitate. *Nal, ver. Columbus, n. 2.* quod contingit ex Dei prouidentia, vt dignoſcantur; nam ſpiritus tàm damnatorum, quàm purgandorum non ſolent apparere niſi in humana ſpecie s. conſueta. vide *Antidotarium Porri contra Dæmones, dub. 38. Nicolaum Remigium in Dæmonolatria lib. 1. cap. 7.*

Ex cauſa finali; nam purgandæ moleſtias excitant; vt hominum ſuperſtitum ſubſidijs iuuentur; damnatæ, vt in ſe Diuinæ Iuſtitiæ teſtimonium perhibeant: Dæmones verò, vt noſtra inquietudine conſolentur, faciunt, quæ habet ſupradictus *Doctor de locis infeſtis par. 5. cap. 10.* Vndè rariſſimè inferunt moleſtias damnatæ: rarò purgandæ; ſæpè verò Dæmones.

Ex alijs quoque indicijs dignoſci poſſunt moleſtiæ Dæmonum, v. g. in propoſito ſtrepitus à moleſtijs ſpirituum humanorum.

Primò, ſi loca, vbi audiuntur ſtrepitus ſint deſerta, & ab hominum conſuetudine aliena; cenſentur eſſe à Dæmonibus.

Secũdò, ſi ſtrepitus referunt ſonum nonniſi brutorum animalium; hinc ſancti viri præſentiam Dæmonum deprehendebant ex ſibilo, rugitu, vlulatu, grugnitu, &c. Dæmones enim quemadmodum formis monſtrorum, & brutorum effictis ſe obijciunt viſui: ità brutorum animalium effictis vocibus ſe obijciunt auditui. Itèm eorum vox ſolet eſſe ad inſtar loquentis in dolio, aut teſta rimoſa, eſtq; obſcura, confuſa, exilis, *Porrus loc. cit.*

Tertiò, ſi ob ſolam moleſtiam afferendam excitantur: nam ex Diuina prouidenta damnati magis ſe produnt, quàm noceant.

Quartò, ſi tales ſtrepitus humanis viribus fieri nequeant.

Quintò, ſi diuinent, aut indicent ea, quæ naturalitèr hominum cognitio nequit percipere, ſiuè illa ſint præterita, ſiuè futura, ſiuè præſentia.

DIFFICVLTAS III.

Quomodo coniecturalitèr dignoſci poteſt, an ſpiritus moleſtantes ſint animæ Purgatorij, vel profundiſsimi Inferni.

RESpondeo ſequentibus ſignis cognoſci.

Primò, animæ damnatorum non minus bonos, quàm malos moleſtant, v. g. tàm Catholicos, quàm Hæreticos: animæ verò Purgatorij ſolummodò excitant bonos, à quibus ſuffragari poſſe cognoſcunt, exempli gratia tantùm Catholicos. *Thyræus de locis infeſtis cap. 34. nu. 13. itèm cap. 46. nu. 3.*

Secundò, ſi appareant in forma humana, ſic diſtinguũtur, vultus damnati trux, & horridus apparet: vultus verò purgandi amabilis.

Tertiò, quia gemitus, eiulatus, & ſuſpiria damnati ſunt cum impatientia non parua; gemitus verò &c. purgandi è contra magna aſſociantur patientia.

Quartò, petita ab animabus damnatorum, vel apertè perniencioſa ſunt: vel tantùm apparẽtem inuoluunt honeſtatem, eiuſdemq; ſpeciei ſunt petita à Dæmonibus: petita verò à purgandis ſunt manifeſtè bona, & honeſta: v. g. vt fiant ſuffragia pro animabus ſuis.

Quintò, obſequia ab animabus damnatorũ præſtita præſeferunt cordis leuitatem: illa ãt ab aĩabus Purgatorij vtilitatis ſpeciem referunt.

Sextò, damnatorum animæ rariſſimè verſantur in templis; non itèm purgandorum. ex *Thyræo de locis infeſtis p. 1. à cap. 36. vſquè ad 46.*

Verùm, ſi in templo, vel extra ſtrepitus audiri cępit poſt mortem infidelis: vel ſi fidelis, miserè, & non Chriſtianè mortui; eſt ſignum potiùs damnati: è contra verò, ſi ſtrepitus in templo audiri cæpit poſt mortem fidelis piè mor-

mortui, potiùs eſt ſignum purgandi ſpiritus; Porrò ex hoc ſigno de alicuius damnatione nihil certi tenendum eſt: cùm quiſque etiam in extremo vitæ contritione, & confeſſione in voto ſaltèm ſaluari poſſit, *Conc. Trid. teſte*; faciunt tradita per *Guadagnum in Theſauro Doctrinæ Chriſtianæ Præcepto primo, de vana obſeruantia: Binsfeldium de Confeſſione Maleficarum poſtnamibi 59. Thyræum de locis infeſt. par. 2 cap. 50. 51. & 52. fuſiùs procedentem à cap. vigeſimo ſexto, vſque ad quadrageſimum*, à quo peti poſſunt rationes, auctoritates, ac exempla hùc ſpectantia, quæ breuitati ſtudens omittuntur.

ART. III. DIFFICVLTAS PRIMA.

Spiritus Dæmoniaci, quas perſonas potiſſimùm ſtrepitibus moleſtant?

RESPŕ. duo hominum genera præcipuè, nimirùm homines ſãctitate celebres, & grauès peccatores. De primis patent clariſſima exẽpla in Antonio, Hilarione, Franciſco, &c. idem apparet in fragiliori ſexu; de multis fęminis, quas nõ ſolùm ſtrepitibus infeſtarũt; ſed acri perſecutione offenderunt: Eufraſiam Virginem de tertio ſolario aliquando præcipitarunt, aliquandò in puteum detruſerunt, aliquandò grauiſſimè ſauciarunt; Sanctam Catharinam D. Birgittæ filiam nunc è lectulo excuſſerunt, nunc crudelitèr ceciderũt: Sanctę Marinæ itidèm pluries moleſti fuerũt: partim illi apparendo ſub terribilibus formis, partim ſub horribilibus ſibilis eius aures offendendo: partim verò fœtidos ſpargẽdo odores, &c. faciunt tradita à *Catechiſ. Romano de ſexta petit. Orat. Dom. num. 7. D. Aug. ſerm. 25. & 93. de temp. Caſſiano coll. 7. cap. 23. D. Athan. in vita S. Antonij*. Verùm Dęmones quantùm, aut quandiù volunt homines tentare nõ poſſunt, conſtat ex *Cathec. vbi ſupra nu. 8. Caſſ. collat. 8. c. 18. D. Aug. in pſal. 61. Apoc. pluribus in locis*; potiſſimùm tamèn nos omnes tentant cùm ſupremum vitæ diem appropinquare animaduertunt; vt nos omninò perdant; ac ſi fieri poſſet, ſpẽ nobis diuinæ miſericordiæ eripiãt: *Catechiſm. Rom. de Sacram. Extrema Vnct. nu. 15.*

De ſecundis habetur clara auctoritas *Petri Thyræi de locis infeſtis par. 1. cap. 17. à num. 10. vſque ad 16.* qui præter alios enumerat pauperum Oppreſſores, & Tradẽtes ſeipſos Dęmonibus; vti in primis ſe habent ſtrigæ, ſtrigones, &c. oſtenditq; hanc veritatem maniſeſtiſſimis exemplis. nec mirum eſt, ſi huius farinæ homines à dictis ſpiritibus infeſtentur diuerſis moleſtijs; cum eorum mala vita hoc, maiuſq; ſupplicium expoſtulet: ſed potiùs mirandum eſt, quòd quandoq; ab his moleſtias non ſuſtineant; cùm ſint Dei miniſtri in vindictam malefactorum ordinati.

DIFFICVLTAS II.

Quid petit Eccleſia in Oratione Dominicali, dicendo: Libera nos à malo?

RESPONDEO ex ſententia *S. Baſilij Magni in Homilia, quòd Deus nõ ſit auctor malorum, Chryſoſtomi Homilia in Matth. Auguſt. de Eccleſ. Dogmat. cap. 57. Damaſc. de Orthod. Fide cap. 20.* Eccleſiam his verbis præcipuè petere, vt liberetur à Dęmone, qui hominum culpæ author fuit: malus autèm dr̃ Dęmon ob eam cauſam, quòd & ſi nihil læſimus: tamèn perpetuum bellum nobis infert, & capitali nos inſectatur odio: quòd, ſi nobis & fide armatis, & innocentia tectis nocere non poſſit: tamèn nullum finem facit tentandi nos externis malis, & quacunque poteſt ratione diuexãdi; quamobrèm Deum precamur, vt nos à malo, .i. ab ipſo Dęmone liberare velit.

Dicimus autèm à malo, & non à malis ob id, quod mala, quæ contra nos à proximis proueniunt; illi aſſignámus tanquàm auctori, & impulſori. Vndè minus proximis iraſci debemus; ſed odium, & iracundiam in ipſum Satanam nos conuertere oportet; à quo homines ad iniuriam inferendam impelluntur: itaque, ſi te in aliquo lęſerit proximus; cũ preces facis parenti Deo; pete, vt non modò te liberet, .i. ab ijs, quas tibi proximus imponit, iniurijs; ſed, vt illũ ipſum proximũ eripiat ex Diaboli manu; cuius impulſu homines inducũtur in fraudem. ità ex *Cathec. Romano par. 4. de ſept. petit. num. 9. & 10.*

Petitur etiam, ne id Deus concedat, quòd ſuaſore Dęmone (ſimulato lucis Angelo) velut bonum imaginarium poſtulamus: maximè, cum conſtet ſtudium noſtrum deprauatũ eſſe; rectiſſimum videbatur illud Principis Apoſtolorum ſtudium, pietatiſq; pleniſſimum; cum Chriſtum Redemptorem noſtrum à conſilio proficiſcendi ad mortem auocare conabatur; & tamèn à parte rei non erat tale: Vndè illum Chriſtus acritèr obiurgauit illis verbis: *Diſcede à me. Sathanas, &c.* rectiſſimum quoque videbatur petitum à SS. Iacobo, & Ioanne contra Samaritanos iratis: quia Chriſtum Dominum hoſpitio recipere noluerant: petierũt namque à Chriſto, vt iuberet ignem è cęlo deſcendere, qui duros illos, & inhumanos abſumeret: ſed à Chriſto repręhenſi ſunt illis verbis: *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis: filius enim hominis non venit animam perdere, ſed ſaluare.* ità ex *Catechiſ. Rom. de quinta petit. Orat. Dom. n. 16.*

DIFFICVLTAS III.

Spiritus animarum purgandarum, quibus præ cæteris ſunt infeſti moleſtijs, v. g. ſtrepitibus illos moleſtando.

RESPONDET *Thyræus loco infra citãdo* duobus hominum generibus, nempè Catholicis, & illis coniunctis vinculo conſanguinitatis, affinitatis, vel quauis alia ratione, cuius ratio eſt; quia ab his potiùs, quàm ab alijs expectant ſuffragia: à Catholicis (inquam) quia ab Hęreticis illa habere omninò diffidunt: cum iam nouerint illos minimè credere animas purgari; à coniunctis verò illa expectant ratione bonorum illis relictorum: ab amicis verò ratione legatorum, vel fidei ipſis datæ; hòsque inclamant illis clamoribus, de quibus *Iob c. 19.*

Miſe-

Miſeremini mei; miſeremini mei, ſaltèm vos amici mei, quia manus Domini tetigit me, .S. vi cruciatuum: *Thyręus de locis infeſtis, cap. 16. & 17.* nec perperàm ſe habent hi ſpiritus excitando ſtrepitus, cum iuſtè petant ſuffragia. *nam cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt*: omnis .n. actus à fine iudicatur, *l. Rem non nouam, C. de Iudicibus*: inductaq; ad vnum finem contrarium effectum non operantur, *l. Legata inutilitèr, ff. de adimendis legatis.*

DIFFICVLTAS IV.

Quos præcipuè infeſtant moleſtijs ſpiritus damnatorum.

Reſpō probabile eſſe illos potiſſimùm moleſtijs diuexare, q fuerūt cauſa, vel occaſio ſuarum pęnarum infernalium, quos patiuntur omninò inuiti: libido .n. diuexandi, perſequēdi, &c. ab odio in alium deriuatur. ità *Petrus Thyręus de locis infeſtis cap. 16. & 17.*

DIFFICVLTAS V.

An animabus damnatorum credendum ſit, quod verùm probabilitèr videtur.

Svpponit difficultas hæc, quòd animabus damnatorum non ſit credendum: ſed dubium eſt, ſi ſaltèm illis credi poſſit, ſi dicant veriſimilia: omnis namq; quæſtio vnum quęrit, & aliud pręſupponit.

Reſpō negat. quicquid veri dicere appareat: nam, cùm malæ ſint arbores, vt tales, non niſi infectos, ac infeſtos fructus ex ſe producunt: numquid ex ſpinis vuas? nō poteſt arbor mala bonos fructus facere, quòd notauit in primìs *Porrus in Antidotario contrà Dæmones dub. 39.* Hinc *Lucæ cap. 16.* legitur noluiſſe Abraham præbere aſſensū animæ Diuitis in inferno exiſtētis, lz. ipsū ſupplicitèr rogauerit, vt mitteret aliquem ad fratres ſuos, vt ſe corrigerent; ne ipſi quoq; ad illum tormentorum locum, vbi ipſe degebat, compellerentur intrare.

Alia ratio addi poteſt, tùm quia de animab⁹ illis, vt talibus ſemper ſuſpicari poteſt in earū petitionibus, vel ſupprimere veritatem, vel exprimere falſum, quæ paria ſunt, *c. Super litteris extra de Reſcript.* Mēdax autèm precator, quod petit, minimè obtinere debet, *l. Penult. C. Si cōtra ius.* tùm quia, ſicut qui ſeqr̄ veritatē Deum ſequitur, *C. Quiſquis 11. quæſ. 3.* ità è cōtra. qui ſequitur Diabolum verſipellem, mendaciorum prothoparentem, ac auctorem; ſubindè ſequitur falſitatem.

DISTINCTIO SECVNDA,

De locis infeſtis quoad cauſam materialem, formalem, & finalem.

Partitur hæc diſtinctio in tres Articulos,

In primo agitur de locis infeſtis quoad cauſam materialem.

In ſecundo, quoad cauſam formalem, & finalem.

In tertio ſoluuntur duæ difficultates ſatis notabiles, ac vtiles.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

Quæ loca moleſtijs Dæmonum ſunt potius alijs locis ſubiecta, ſeu infeſta.

Notandum primò ea loca dici infeſta, in quibus percipiuntur tumultus, ſeu ſtrepitus à ſpiritibus concitati.

Notandum ſecundò loca infeſta eſſe duplicia, v. g. alia infeſta per ſe, alia verò per aliud: illa dicuntur per ſe infeſta, quæ ſolummodò ratione qualitatis loci libentiùs à Dæmone habitantur. legendus eſt *Binsfeldius de Confeſſione Maleficarum pag. mihi 101. 102. &c.* è contra illa dicuntur per aliud infeſta, quæ ratione perſonæ ibi manētis habitantur à Dęmonibus, vti contingit, cum Dęmon aliquem obſequio proſequitur, vbicumq; ſe recipiat.

Notandum tertiò vnum locum ex ſua natura non eſſe magìs alio Dęmonibus ſubiectū; ſed hoc prouenit ex voluntate ſpirituum, & prouidentia Dei. His prænotatis.

Reſpondeo loca potiùs alijs infeſta eſſe hęc quinque ordine ſequenti notata.

Primò, ſolitaria, nè à ſanctis viris habitentur; cum ſint mirabilr̄ contemplationi apta.

Secundò, humida, & paludoſa; quia ſunt ſigna nefandorum peccatorum, quibus ſummoperè delectantur.

Tertiò, ſpecus ſubterraneæ, vt hominibus perſuadeant ſe ſaltèm talium locorum eſſe Dominos.

Quartò, obſcura, opaca, tenebroſa ingerentia triſtitiam iuxtà illud: *Qui malè agit, odit lucem, vt non arguantur opera eius.*

Quintò, vbi commiſſa ſunt enormiſſima delicta; quia in his diù homines nequiſſimi ipſis deſeruierunt; vndè ex longo vſu propemodū volunt eſſe facta iuris ipſorū. faciūt annotata per *Thyręum de locis infeſtis par. 1. c. 14. & 15. Guadagnum in Theſauro doctr. Chriſti, precept. pri. vbi de vana obſeruantia. Binsfeldium de Confeſſ. Maleficarum pagina mihi* 101.

Cùm itaq; huiuſmodi loca præ alijs placeat Dęmonibus, nedum in ipſis magis verſantur; ſed etiam quęrunt à Maleficis ibi ſibi ſacrificia offerri, & laudari. *Didacus Coarruuias lib. 4. Variar. reſolut. cap. 6. D. Greg. lib. 3. Dialog. c. 4.* referens lepidam hiſtoriam, quæ breuitatis gratia omittitur.

DIFFICVLTAS II.

Quid ſignificant ſtrepitus, & tumultus, qui in dictis locis audiuntur?

Reſpondetur, quod ſignificant lætitiam, quam ex talium locorum habitatione percipiunt; ſi qua lætitia perfrui poſſunt, penſato eorum infelici ſtatu: ſe gerunt enim ad inſtar militum triūphantium de Ciuitate, quā multis annis oppugnauerant; quemadmodum enim illi ad ingreſſum, & poſſeſſum illius dant

ſigna

ſigna lætitiæ omnibus inſtrumentis bellicis; ità Demones poſt alicuius domus ingreſſum.

ART. II. DIFFICVLTAS I.
Moleſtiæ, quæ à Dæmonibus inferuntur homini, an variæ, vel vnius ſpeciei ſint.

REſpō moleſtias varias eſſe, quędam percipiuntur auditu, quædā viſu, quædā tactu, quædam etiam alijs ſenſibus, ſed rariùs cōtingit: itèm alia eſt leuiſſima, alia grauior, alia grauiſſima: lęuiſſima eſt, quæ auditu percipitur; grauior, quæ viſu, grauiſſima verò, quæ tactu.

Auditu deprehenduntur Dęmones varijs modis; v.g. nunc inſinuant eorum præſentiam agitato quaſi aere: nunc ſtrepitus excitant, nunc inceſſum ſimulant; nunc cachinnos, ac riſus edunt: nunc promunt ſuſpiria, & gemitus; nunc vociferantur, clamoribusq; loca replent: nunc ſuauius loquuntur; nunc cātillant.

Viſui etiam varijs formis ſe obijciunt Dęmones: nunc in forma humana cōſueta; nunc in forma hominis nigreſcentis, nunc ſqualidæ faciei, &c. nunc ſub forma brutorum, v. g. canum, catorum, luporum, vrſorum, murium, ſerpentum, leonum, taurorum, aſpidum, porcorum, ſcorpionum &c.

Interdum vnus Satan plures hoïes tentat. Interdum gregatim Demones in ſingulos impetum faciunt; quod iſſe cōfeſſus eſt Dęmon, qui interpellatus; quod ſibi nomen eſſet; reſpondit: legio mihi nomen eſt, nempè Dęmonum multitudo, quæ miſerum illum diuexarat. *Mat. c.* 5. *&* 9. *Luc. c.* 6. & de alio ſcriptum eſt: *Aſſumpſit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Catechiſ. Rom. de* 6. *petit. Orat. Dom. nu.* 6. *Mat.* 12. *Luc.* 11.

Itidem varijs modis nos moleſtant tactu, modò abſq; doloris perceptione; modò abſq; corporis lęſione: vti cum aliquo in eodem lecto cubando, aut extra expellendo: interdum è contra cum perceptione doloris, cum læſione corporis: & interdum etiam infligendo verbera, & etiam ſcindendo cutem, & carnem. patet in Iob, qui à planta pedis vſq; ad verticem capitis fuit à Dęmone afflictus.

Sub frigidis corporibus ab ipſis formatis, vt plurimùm percipiuntur; teſtes ſunt, tum, qui ſuſtinent ipſorum tactus: tum, qui cum ipſis nefarios congreſſus exercent: nec mirùm; nā vtuntur plerunque miniſterio corporum defunctorum, vel ex aere compactorum; quæ natura ſunt frigida, & incapacia caloris naturalis viuentium. Ità *Petrus Thyræus de locis infeſtis cap.* 22. *nu.* 4. *& ex antecedentibus capitulis.*

DIFFICVLTAS II.
Quibus modis ſpiritus hominibus infligant verbera, aut vulnera.

RAtio dubitandi in hoc conſiſtit; quia tàm ad verberationem, quàm ad vulnerationem requiritur ſaltèm corpus percuſſum, & corpus percutiens; ſpiritus autèm ſunt incorporei, vti affirmant Theologi. ideò &c.

Supponit difficultas hęc veritatem tàm verberationis, quàm vulnerationis à ſpiritibus ex Diuina Scriptura conſtare: vti patet ex libro Iob in perſona ipſius, & ex *lib. Machab. cap.* 3. *in Heliodoro.*

Reſpondetur tribus modis ſpiritus poſſe infligere hominibus tàm verbera, quàm vulnera; immò mortem Deo permittente: v. g. per aſſumpta corpora, per ſubſidiū concitati aeris, & vi poteſtatis ſuæ naturalis.

Primus modus nullam habet difficultatem: nam quemadmodum nos vulnerādo, aut verberando vtimur corporalibus inſtrumentis: v. g. fuſte, haſta, gladio &c. ità efficiunt ſpiritus in aſſumptis corporibus.

Secundus itèm clarus eſt; nullus enim ignorat à ſpiritibus aerem concitari poſſe, concitatumq; plurimum poſſe; conſtat enim vi ipſius diſiectas fuiſſe ædes, concitata maria, arbores confractas, &c.

Tertiùs ſimiliter modus conſtat; vires enim Dęmonum naturales in corpora tantæ ſunt; vt illa leui negotio diſrumpere, atq; diſtrahere valeant; quod patet tum experientia in Arreptitijs; tum ex Scriptura Sacra, ibi; *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei .s. Dæmoni.*

Nec reſolutioni obſtat ratio dubitandi; cum illa procedat præcisè de vulneratione, & verberatione, quæ eſt ab homine; ad quam verò requiritur, vt tàm percuſſum, quā percutiens ſit corporale: quod ſecus eſt de illa, quæ eſt à ſpiritu tàm bono, quàm malo; cum ſpiritus longè ſuperent in poteſtate omne agens corporale tàm aſſumptis corporibus, quàm non; vt conſtantèr tenent communitèr Theologi.

DIFFICVLTAS III.
An ſpiritus voces formare poſſint.

RAtio difficultatis eſt, quia vox ad dicta Ariſt. eſt ictus aeris reſpiratione attracti; ſpiritus autèm reſpiratione carent; cum ſint abſq; pulmone, quinimmò abſq; corpore.

Itèm animalium tantummodò eſt habere vocem; verùm non omnium, ſed reſpirantium tantùm; quorum etiam non quicunq; ſonus vox eſt: ſed ille tantùm, qui attractus per reſpirationem ſignificat affectum, ſeu conceptum animalis: ſpiritus autèm animalia non ſunt, vt notum eſt.

Difficultati ſatisfit duabus propoſitionibus, quarum prima eſt, ſpiritus verè voces edere non poſſe; & perindè, nec clamorem, nec gemitum, nec riſum, nec cantum. Altera eſt, ſpiritus verum ſonū edere poſſe; probatur prior pars primæ propoſitionis tum per rationes ſupra allatas: tum quia ad vocem articulatam, de qua nos loquimur; multa requiruntur, .s. lingua, palatum, duo labia, quatuor dentes, & alia quibus ſpiritus carent; probatur ſimilitèr poſterior pars ex ſuppoſitione prioris; quia, ſi ſpiritus veras voces non formant; conſequentèr nec clamores; quia clamor ſine voce eſſe non poteſt: neque enim aliud eſt clamor, quā

intenſa

intenſa vox: nec itèm gemitus, nec ſuſpiria; quia iſta ſunt ſigna affectuum animalis, quale non eſt ſpiritus, vt notum eſt: Nec riſibilitas, cum ab eſſentia hominis deriuetur; illa autèm non eſt homo, ſed ab illo diſtinguitur. Nec deniq; formant cantum; quia ſtrictè loquendo, non formatur ſine voce; voces autèm, vt cautum eſt, non formant; ergò nec cantum. Dixi ſtrictè loquēdo, quia largè ſumpto cantu abſq; voce formari poteſt, organis, alijſq; muſicis inſtrumentis.

Probatur itidem ſecunda propoſitio, ver. gr. quòd ſpiritus poſſunt formare ſonū: poſſunt nanque percutientia corpora percuſſis adaptare; inter quæ aere fracto formatur ſonus. Notandum autèm pauciora requiri ad formationem ſoni, quàm vocis: quia ad iſta requiruntur, quæ ſupra innuimus: ad ſonum verò ſufficiunt hæc tria, vz. corpus percutiens, corpus percuſſum, & aer fractus.

Verùm notandum ex illuſione ſpirituum, præſertim malignorum; nos plerumq; decipi exiſtimando audire ſonos: v. g. ſtrepitus, tumultus, &c. qui tamen verè non formantur, quod ſatis hinc colligitur; quia nos illos audimus, & alij illos minimè percipiunt; licèt eodē in loco exiſtant. ità *Petrus Thyræus de loc. infeſt.*

De cauſa finali non agitur, tum quia obiter de illa ſæpè ſupra dictum eſt; tum quia cauſa finalis eſt curatio dictorum locorum; de qua infra diſtinctione immediatè ſequenti; itèm cautio à ſuperſtitione diabolica in ſupradicta curatione.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Conductoribus à dictis ædibus inſolito pretio migrare liceat: eo quod diabolicis tumultibus inquietentur.

RESpondeo ſibi licitum eſſe, nec teneri ſoluere mercedem ab eo tempore, quo domum inhabitauerunt: & ità ſemel, & iterum iudicatum fuiſſe in Prætorio Granatenſi teſtatur *Coaruuias lib. 4 Variarum reſolutionum cap. 6.* quem citat *Petrus Binsfeldius de Confeſſionibus Maleficarum præludio 12. dub. 5.* cuius ratio eſſe poteſt; quia huiuſmodi qualitas domus, ſi à Conductore ſcita fuiſſet, illam nullatenus conduxiſſet; & perindè ignorantia huiuſce qualitatis dedit cauſam contractui; quod autèm ab initio non valet, neque tractu temporis ſ. confirmatur. *l. 1. §. Puberis ff. Commodati. cap. Placet de conuerſione Coniugatorum.* Itèm, quia in generali conductione nō veniunt ea, quæ quis in ſpecie non eſſet conducturus; ſi rerum qualitates conductori manifeſtatæ fuiſſent, *de Reg. iur. in 6.*

Dices, Conductor à principio exceptionem huiuſmodi qualitatis domus contractui apponere debuiſſet. Reſpondeo, quòd defectus exceptionis, non obſtat reſolutioni: quia inſolita non præſumuntur. *l. Certi, §. Si nummos, ff. Si certum petatur.*

Vrgebis fortaſsè à principio conductionis domum hac qualitate caruiſſe, ſed ſtatim poſt ingreſſum conductoris, ità affectam eſſe. Reſpondetur idem, quod priùs; quia ſicut vtilis qualitas, qua domus afficitur eſt in vtilitatem Domini; ità è contra mala qualitas, qua detinetur, eſt in eius damnum: nam qui ſentit cōmodum, & incommodum ſentire debet, *c. Qui ſentit de Reg. iur. in 6. l. Secundum 20 ff. de Reg. iur.*

Præterea domus perit Domino, ſi caſualitèr contingat comburi, vt ex communi teſtantur Summiſtæ: ergò idem videtur, ſi cōtingat alia mala affici qualitate abſq; alterius malitia, aut craſſa negligentia, *l. Quæ fortuitis, C. de Pignoratitia actione. l. fin. creditor, ff. eodem tit.*

Verùm, ſi perturbatio, ſeu tumultus cauſaretur non ex qualitate domus: ſed ex qualitate Conductoris, ſecus dicendum eſſet: pro qua exceptione notandum eſt Dęmones familiares, qui tumultus excitare cōſueuerunt, interdum ſequi domos, quas ſibi elegerunt: interdum verò ſequi perſonam quocunq; migrat: quare, ſi nouit tumultū fieri nō ex qualitate domus, ſed perſonæ; tenetur ſoluere pretium cōductionis: licèt Cōductor illam minimè inhabitet: nam perſonalia ſequuntur perſonam; & extinguuntur cum ea, *cap. Priuilegium de Reg. iur. in 6.*

Quare autèm huiuſmodi tumultus habeantur potiùs in hoc loco, quàm in illo; ratio certa minimè reddi poteſt præter aſſignatam, quę eſt congruentialis: vnum tantum certum eſt, Dęmones nihil operari poſſe ſine Dei permiſſione particulari, cuius iudicia occulta ſunt multa; iniuſta nulla, vt dicit *S. Auguſtinus lib. 18. de Ciu. Dei.* Aliquando excitantur tumultus huiuſmodi in pœnam peccatorum: aliquando ad exercitium: aliquando ob cauſam occultam; quam nimis anxiè inquirere non debemus: his autèm ſtrepitibus Dęmones potiùs nos fatigare, quàm nocere ſtudent.

DIFFICVLTAS II.

Qui ſomniando per tegulas domorum, & ædificiorū altiſſimorū incedunt nihil obſtando eorū tranſitum, an ferantur ab animabus eorum: vel à cæleſtibus influentijs, aut à Dæmonijs.

REſpondet *Sprenger loc. infra cit.* non eſſe imaginandum, quod à proprijs animabus, aut ab influentijs corporum cæleſtium ferantur: non inquam ab animabus; quia anima coniuncta non poteſt ità ſubitò transferre corpus ſuum localitèr: nec in altum eleuare, vt patet experientia; poſſet tamen ſeparata (Deo permittente.)

Nec itèm feruntur ab influentijs corporum cęleſtium; quia licèt concedi poſſit, vt corpus humanū à cęleſtibus corporibus eleuari poſſit: non tamen eo modo, quo ſupra quæritur, vt nihil ei obſtare poſſit; adeò vt eleuatum, vel depreſſum per corpora cęleſtia, aut per aerem nullam patiatur offenſionem.

Dicendum eſt autèm, quod iſti vehuntur, ac transferuntur de vno ad alium locum abſq;

læſione, aut paſſione opera illorum Dæmonũ, qui ſolùm iaculatoriè homines exercere ſolent, oſtendendo eis ipſorũ potentiam, vti ſunt aliqui de inferiori ordine, faciunt, quæ habet *Sprenger in Malleo Maleficarum par. 2. cap. 3. per totum, hinc inde colligendo eius doctrinam*: ratio autèm, cur corporalia obſtacula iſtos minimè impediant, eſt; quia eorum virtus naturalis eſt validior corporali; hinc Scriptura ſancta de Satan habet: *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei*; Vndè de Lucifero dicit prædictus *Doctor loc. cit.* quod tanta eſt eius poteſtas naturalis; vt maior nõ exiſtat in Angelis bonis. iuxtà *l. Naturalia non mutantur, ff. de Iure naturali*. Verùm *Gloſſa* ſuper illud: *Non eſt poteſtas ſuper terram &c. habet, etſi omnia ſuperet: meritis tamen Sanctorum ſubiacet*: homoq; valet ei reſiſtere iuxtà illud: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis*: & ſecundum *D. Auguſt. Spiritus deſertor .s. Dæmon cogitur ſubijci ſpiritui iuſto*, vt ſæpè dictum fuit; ſunt tñ eorum naturalia debilitata quo ad hoc; quod non permittitur eis; vt faciant omnia, quæ viribus naturalibus poſſent, ità ex *Cathec. de 6. petit. Orat. Dom. num. 8.*

Eadem difficultas formatur de his, qui feruntur per loca ſubterranea abſq; vllo impedimento, & eodem modo reſoluitur; nam de ſimilibus idem eſt iudicium; eadem ratio, idẽ ius: ſimile factum, ſimili iure finitur: nam paritas rationis paritatem exigit diſpoſitionis.

DISTINCTIO TERTIA.

De modis tum ſuperſtitioſis, tum iuſtis liberandi loca infeſta.

Duobus articulis abſoluitur huiuſmodi diſtinctio, quorum

Alter refellit tres ſuperſtitioſos modos liberandi loca ab infeſtatione Dæmonum.

Alter verò deſignat tres Catholicos modos.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An ſepelitio cadauerum ſub foco cum determinatis cærimonijs, ne eorum ſpiritus ad viuos redeant ſit ſuperſtitioſa.

LOquimur de ſpiritibus hominum defunctorum. Dictus abuſus fuit iam dudum Philapporum, teſte *Thyræo de locis infeſtis par. 3. cap. 63. per totum*.

Reſpondetur difficultati affirmatiuè; moueor primò, tum quia nec focus, nec locus, in quo ſituatur: nec itẽ ignis, nec cinis, nec aliud quidpiam corporale habet vim adimendi facultatem ſpiritibus, ne redeant: cum quodlibet horum ſit inferiorum virium ſpiritibus, vt notum eſt: tum quia corporale nõ agit in ſpirituale: tum prætereà, quia agens paſſo præſtantiùs eſſe debet, quòd hìc non contingit.

Secundò, quia dictorum ſpirituum non eſt illa conditio; vt loca reuiſere renuant, quorum cadauera focus continet, vt docet *Thyræus loc. cit. num. 8.* ſi enim non redeunt, hoc fortaſsè prouenit, vel quia ſibi nõ permittitur: vel quia nec ſibi, nec alijs ità expedit.

Tertiò quia, cum nec textus Sacræ Scripturæ, nec ratio hoc dictet, nec de voluntate Dei exiſtat ſignum; vix alio, quàm ſuperſtitioni impedimẽtum talis reditus aſcribi poteſt. Quemadmodùm enim Deus operatur effectus gratiæ mediantibus Sacramentis ſenſibilibus; non tanquàm cauſis ſuaptè natura ſufficientibus; ſed tanquàm ſignis effectuum: ità ipſi Dæmones quędam efficiunt, adhibitis medijs; quæ re vera ad ipſos effectus nihil prorsùs conferunt; quibus proindè vtuntur homines tanquàm ſignis.

Vt igitur Dæmones in hac ſuperſtitione detineant ſibi Credentes; perſuadent impedimẽtum reditus dictorum ſpirituum pendere ex hoc; quia eorum cadauera ſub foco fuerunt depoſita. ſed quid leuius, aut ſuperſtitioſius?

DIFFICVLTAS II.

An effuſio ſanguinis innocentium ad tollendum Dæmonum moleſtias è domibus ſit ſuperſtitioſa.

COnſultò omittuntur cærimoniæ, quæ in hac effuſione obſeruantur, quia ratione imperfectionis noſtræ melius eſt (teſte Auguſtino) aliqua neſcire.

Occaſio, & ratio difficultatis eſt; quia docet *Iſſelt*, vt notat *Thyręus de locis infeſt. par. 3. c. 61. num. 2.* lacum eſſe in Liuonia, qui opera Dæmonum vicinis plurima affert damna; qui, vt ab his ſe expediant, ſingulis annis in eundẽ infundunt innocentium ſanguinem, alijs ſeruatis cæremonijs.

Rȩſpondetur ſuperſtitioſum eſſe; quia certum eſt vim nullam ineſſe innocentium ſanguini, vt Dæmones coerceat: quare, qui moleſti ſunt antȩ dictam effuſionem; moleſti eſſe poſſunt ipſo effuſo; patet quia, quȩ inferiorum ſunt viriũ; in rem virtute præſtantiorem nihil poſſunt; ſanguis autem eſt inferioris virtutis Dæmonibus; quare per ipſius effuſionem minimè cogi poſſunt; vt loca deſinant infeſtare; nam inferius virtute non agit in ſuperius.

Nec noua eſt ſuperſtitio hæc: nam eadem etiam populus Dei iam antiquitus inuolutus fuit, lege *Pſalm. 105.* ibi: *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum: & immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs: & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam: & infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum &c.* Vndè fuerunt ẽt nõnulli Anno ab Incarnat. 1273. (vulgò flagellantes) qui (non niſi effuſo ſanguine humano) Deum placari inſcitè crediderunt, & docuerunt.

Nec obſtat ratio difficultatis; quia vel relatio illa non eſt fidelis, vel ſi talis exiſtat, Dæmonis aſtutia

aſtutia introducta fuit ad ſeducendum hominum genus.

DIFFICVLTAS III.

An proiectio fabarum nigrarũ poſt terga, cum alijs cæremonijs ad fugandos ſpiritus hominum defunctorum è locis ab ipſis habitatis ſit ſuperſtitioſa.

RESpōdetur affirmatiuè, ratio eſt, tum quia fabis, ſiuè nigris, ſiuè albis, ſiuè alterius coloris non eſt communicata talis vis pellendi ſpiritus defunctorum è locis infeſtis, vt communitèr teſtantur DD. & potiſſimùm *Thyraus de locis infeſtis par. 3. cap. 64. nu. 10* tum quia corporale, qualis eſt faba non agit in ſubſtantiam ſpiritualem, qualis eſt Dæmon; quo fit, vt huiuſmodi fabarum proiectio ſit ſignum ſuperſtitionis, & pacti cum Dęmone ſaltē taciti.

Dices ſpiritus hominum defunctorum interdum deſijſſe moleſtare poſt dictam proiectionem: Reſpondeo, quod, ſi aliquando contigit; nō euenit, quia ſpiritus infeſtantes coacti fuerint ad deſerenda loca illa ob huiuſmodi fabarum proiectionem; ſed quia Deus ità diſpoſuit ſuo occulto, ſed iuſto iudicio: Vndè hęc fabarũ proiectio à nobis attendi nō debet. *cap. Quia veriſimile de pręſumptionib.* in obſcuris ſecundum magis veriſimile eſt iudicandũ, *l. In obſcuris, ff. de Regulis iuris*: itèm quia, quæ procedunt de iure ceruelotico, & ſuperſtitioſo nō habentur in conſideratione. *l. 4. in Princ. ff. de Fideicommiſſarijs libertatibus*. legito *Thyræum loc. cit. n. 13.* vndè nec excuſat loci cōſuetudo.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ remedia valent ad expulſionem Dæmonum à locis infeſtis.

RESpondet *Binsfeldius de Confeſſione Maleficarum dub. 3. principali, concl. 1.* illa remedia valere, quæ faciunt ad expulſionem ipſorũ à corporibus obſeſſis: quia par eſt ratio, de ſimilibusq; idem eſt iudicium.

Sunt autèm potiſſimùm hæc quatuor, vz.

Primus, oratio, ieiunium, eleemoſina, & alia pœnitentiæ opera.

Secundus, Sacrificium Corporis Chriſti.

Tertius, Reliquiæ ſanctæ.

Quartus, Exorciſmi.

Expellitur oratione: quapropter expulſio Dęmonis à Saule ad tempus fiebat non virtute melodiæ citharæ Dauidicæ, ſed poteſtate diuina, mediante ſincera, & iuſta oratione Dauidis; qui laudes diuinas pro ſalute Saulis in cithara canebat. Itèm non fumus iecoris expulit Dęmonem è domo Saræ; ſed orationes tum Tobiæ, tum ipſius Saræ, tum Angeli virtus. *Tob. 6. c.* non (inquam) corporalia hæc expellebant tyrannicam Dæmonis vexationem; quia corporale non agit in ſpirituale: verũ tamen eſt, quod, ſi melodia ſuaui hominis diuexati cogitationes eleuentur; ēt naturalitèr non ſentiet in tanto gradu diuexationem Dęmonis: quare quo ad hunc effectum ex parte vexati iuuare poteſt; ſed non ex parte Diuexantis .ſ. Dęmonis ob allatam cauſam.

Expellitur interdum ieiunio iuxtà illud Euangelij: *Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio.*

Eleemoſina itèm expellitur: quia, qui expellit à fratre ſuo famem, ſitim, aut nuditatem; meretur; vt ab ipſo quoque expellatur Dæmon ipſum diuexans.

Sacrificio itidèm Corp. Xpi; cũ Dęmon non poſſit illud ſuſtinere ob nimiũ odiũ cōtra ipſũ.

Exorciſmis denique Eccleſiaſticis; quia directè ab Eccleſia ad Dęmonis eiectionem ſunt ordinati: ratio eſt, quia Dæmon omnia prædicta abominatur, iuxtà illud: cōtraria ſimul eſſe non poſſunt, *l. Mutuis, ff. de Societate*: ideò ad poſitionem vnius ſequitur remotio alterius; *l. Si inter, ff. de except. rei iudic.*

Verùm quamuis prædicta remedia pro dicta liberatione ſint bona: tamen non habent vim infallibilem ſemper producendi effectum liberationis: licèt nullum ponatur impedimẽtum ex parte facientis eleemoſinam, orantis, ieiunantis, offerentis ſacrificia, aut exorcizantis, &c. patet in ſimili in aqua luſtrali, quæ non ſemper Dęmonē fugat, vt experientia docet: quòd dicitur ad differentiam Sacramentorũ; quæ ſemper gratiæ effectum producunt; niſi ponatur obex peccati mortalis ex parte ſuſcipientis; in hoc enim potiſſimùm ſecernuntur Sacramenta à ſacramentalibus. Verùm ſacramentalia habent efficaciam ad cohibendum Dæmones, ne impediant Baptiſmi receptionem. vti tradit *Nal. v. Dæmon, nu. 5.*

DIFFICVLTAS V.

An homo Dæmoni percipere poſſit, vt domum moleſtijs ſtrepituum infeſtam moleſtare deſinat.

RAtio difficultatis eſt, quia præcipere eſt ſuperiorum reſpu inferiorũ; ſed Dęmon eſt natura homine ſuperior; ideò vidr̃ minimè integrum eſſe homini, vt illi aliquid præcipiat, cum inferior in ſuperiorem non habeat poteſtatem: ſi .n. par in parem non habet imperiũ; quomodo in ſuperiorem?

Reſpondeo, quòd licèt Dęmon natura homine ſit ſuperior: eſt tñ homine inferior ratione poteſtatis ſuper ipſum ei traditæ à Chriſto: patet ex actibus Apoſtolorum, & alijs locis Scripturæ Sanctæ Dæmones ſæpè coactos fuiſſe ab Apoſtolis exulare. patet idem ex *Auguſtino lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 22.* in hæc verba proloquente: *Vera pietate homines aeream poteſtatem inimicam, contrariamq; pietati exorcizando eijciunt.* hinc patet poſſe hominem Dęmoni præcepta imponere.

Quinimmò erraret, ſi contra Dæmonem; aliter quàm poteſtatiuè imperando ſe gereret: vndè ſatis falluntur; qui verbis deprecatorijs vtuntur Dęmonem adiurando, quod liquidò colligitur 1. *Cor. cap. 11.* illis verbis: *Nolo vos* (inquit Apoſtolus) *ſocios fieri Dæmoniorum*, quòd contingeret adhibendo deprecationem: deprecatio .n. non minùs, ac oratio eſt inferioris reſpectu ſuperioris, & conciliat corda.

Ve-

Verùm tamen eſt, quòd,ſi quis ſatis dignoſceret ſpiritus moleſtantes nō eſſe Dęmones, nec damnatorum animas, ſed purgandas; verbo etiam deprecatorio vti poſſet; non tamen errat vtendo imperio, maximè, quando eſt in dubio: vndè per Deum illis præcipere poteſt; vt ſuum manifeſtent ſtatum,aperiendo quales ſint,qui ſint, quid velint, ob quas cauſas ſtrepitibus moleſtias inferant.

Expeditq; vt contra ipſos vtatur adiuratione, illa .s. per Deum viuum, vel illa per Crucifixi virtutem: nam,quæ bonæ ſunt; ex reuerentia, qua Deum proſequuntur,produnt ſtatū ſuum: impiæ verò ex timore, vti faciūt Dęmones, qui cōtremiſcunt (Sacra Script. teſte) ſimilitèr produnt ſuum ſtatum; quanta autèm ſit vis adiurationis, ex Sacra Scriptura colligi poteſt. ex *Gen. 24. 50. ex primo Regum 14. itèm ex 3. c. 22. & Euang. Marci cap. 5. &c.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An bonus ſit vſus Crucis ad fugandos Dæmones.

Ratio difficultatis eſt,quia nonnulli Hęretici ſentiunt Dęmones nequitèr fingere fugam ad inuitandum .s. homines ad ſuperſtitioſum honorem Crucis;vti notat *Thyræus loc. inf. cit.*

Reſpō vſū Crucis bonū eſſe,falsūq; Dęmones fingere fugam ad Crucis preſentiam;cuius ratio primò eſt; quia ex Cruce homines occaſionem ſumunt faciendi bona,& declinandi à malis;vndè illam odio habent.

Secundò, quia recordantur per illam victos fuiſſe; iuxtà illud Eccl. *Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.*

Itèm *per lignum ſerui facti ſumus,& per ſanctam Crucem liberati ſumus.*

Tertiò,quia talis vſus ex Apoſtolica deſcendit traditione, vti præcipuè docent *Irenæus, & Tertulianus apud Thyręū de locis infeſt.c. 68.n.27.*

Quartò, quia cōſtat talem eſſe communem Eccleſiæ Doctorum conſenſum.

Nec obſtat obloqutio Hæreticorum non verecundantium obſcurare (prout in ipſis eſt efficaciſſimam Crucis virtutem, quæ ex ſignis manifeſtiſſimis ſæpiùs innotuit.

Iſta (teſte Eccleſia in eius officio) attulit ſalutem miſeris.

Iſta nobis vitam cęlitem præparauit.

Iſta Chriſtus noſtra deſtruxit vincula criminum.

Iſta Chriſtus triumphauit.

Iſta mortem ſuperauit in æternum, ò Crucis victoria.

De mirabili virtute Crucis Chriſti integrum volumen edidit Cyprianus Obertus in quinque partes diuiſum: de hac itidèm mira proloquitur S. Bonau. in Opuſculis, vbi de laudiſſimo Crucis, & Phylomena amantis I. Chriſtū.

Lege itèm *Paruulorum Theſaurum, vbi in primis pag.* 2. habes hoc ſignū tueri Populos, Vrbes,Viatores,Oppida,rura, pecus &c. qui pag. 11. cum Chryſoſtomo ab ipſo citato, procedit in hæc verba: *Crux eſt deuictio Diaboli,aduerſus Dæmones triumphus, obſeſſorum murus, tribulatorum requies, paruulorum cuſtos, ſcutum perpetuū, orbis terræ cautela, perditio impiorū,arma inexpugnabilis:* cætera ſubticeo,quia ſumus in claris.

Legito itidèm S. Martialem vnum ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis in hæc verba, quæ affert Auctor dicti Theſauri pag. 15. *Salue Crux Armatura inuicta contra Sathanam: Galea cuſtodiens caput, Lorica protegens pectus: Clypeus tela Maligni repellens: Gladius iniquitatem, & angelicas inſidias peruerſæ poteſtatis ſibi appropinquare nullo modo ſinens; hoc ſolo ſigno cæleſtis victoria data eſt nobis.*

Vndè longè mihi probatur,quod olim geſtū fuit apud Alexandriam, vz. vt ſignū S. Crucis loco Idoli Serapidis, vti priùs, vnuſquiſq; in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſq; depingeret. legito *Hiſtor. Eccleſiaſt. lib.* 11. *cap.* 29. & faciunt,quæ tradit *Hiſtor. Tripar. lib. 9. cap. 29.*

DIFFICVLTAS II.

Qua Cruce magis pellatur Dæmon.

Notandum,quòd duplex eſt Crux, nimirū illa,quam in aere manu formamus,quæ vocatur Crux trāſiens; alia verò,quæ eſt Crux picta, ſculpta, aut alio modo arte conſtructa, quam vocamus permanentem. Vtraq; autèm Cruce pellitur Dęmon: ſed tamèn melius deſeruit Crux permanens, quàm trāſiens quoad hoc,quia illa perſeuerat: hæc autèm mox euaneſcit, poſtquàm manu facta eſt; ac propterea Dęmones hac pulſi mox redire poſſunt; illa verò ità pelli videntur; vt reditus omninò ſit illis prohibitus.

Dixi, quòd melius deſeruit Crux permanēs quoad præſeruationem: quia quoad aliud .s. quoad cōiunctū imperium, & virtutem Exorciſtarū Dęmones cogentiū melius deſeruire poteſt illa tranſiens. De Cruce tranſeunte legēdus eſt *Origenes in Exod. Hom.6. cap.5.* ità proloquens: *Timor, & tremor cadunt ſuper Dæmones; cum ſignum Crucis in nobis viderint fidelitèr fixum*: De permanente loquitur *Apoſt. Coloſ.2.* ibi: *Expolians Principatus, & poteſtates &c.*

Attēde prætereà,ꝙ minimè eſt imaginandū in Cruce tranſeunte, aut permanente ineſſe aliquam virtutē,qua agat in Dæmones,quemadmodum calor ineſt igni, quo calefacit circunſtantem aerem: nam accidens corporale non ſubiectatur in re ſpirituali: nec è contra accidens ſpirituale in re corporali, quia repugnat ipſorum naturæ: *Brulifer ſuper 4. Sent. D. Bonauent. diſt.1.quæſ.* 3. Fugiunt autèm Dęmones Crucem, quia illam ferre nequeunt, deteſtantur,& odio proſequuntur: ideò ad illos fugandos,illis illa obijcienda eſt.

DIFFICVLTAS III.

An vſus Reliquiarum faciat ad Dæmones profligandos.

Ratio difficultatis eſt, quia nonnulli Hæretici,vt videre eſt apud *Thyræum de locis infeſtis par. 3. cap. 67. num.* 5. docent Dęmones

Sanctorum Reliquias non ſuſtinere; non idcircò, quod illas oderunt, deteſtentur, & fugere cogatur; ſed vt (mediante fuga) inuitent homines ad reliquiarum cultum, velut ad impiã ſuperſtitionem; fingunt fugam (inquiunt Hæretici) ſed non coguntur fugere inuiti.

Reſpondetur difficultati tribus propoſitionibus. Prima eſt Dęmones torqueri ad Reliquiarum præſentiam. Reliquiæ Sanctorum, inquit *Chriſoſtomus Hom. 66. ad populum Antiochenum*, ſiſtunt, & torquent Dęmones, & vinctos ab illis ſoluunt. Idipſum aſtruit in *lib. contra Gentiles de vita S. Babilæ Antiocheni Epiſcopi, & Martyris*: idem quoque in *Sermone de adoratione Catenarum S. Petri*, vti notat prædictus *Doctor loc. cit.* qui fuſiùs procedit comprobando hanc veritatem rationibus, & exemplis.

Patet idẽ ex clamoribus, quos coacti emittunt Dęmones ad Reliquiarum præſentiam, qui profectò non ſunt indicium animi exultantis: ſed graues moleſtias patientis.

Inſuper, ſi Sancti Dęmonibus moleſti fuerunt, dum hìc viuerent, cur mortui non itèm? neque enim tantum, quod in ipſis viuebat Dęmonibus moleſtiam afferebat; ſed illud, quod ipſis coniunctum erat, gratia .s. diuina ipſos vbiq; impugnabat.

Præterea naturale omnibus eſt, vt quos inuidia, aut odio proſequuntur, eorum nec aſpectum ferant: Dęmones autèm ità ſe habent in Sanctos, ipſorumq; Reliquias.

Secunda propoſitio eſt, falſum eſſe Dęmones allicere homines ad cultum Reliquiarum; nam certũ eſt, ac de fide, quod cultus Reliquiarum eſt bonus; Dęmones autèm ad bonum minimè inuitant: ſed pro poſſe nos ſequeſtrãt: ergò &c. legendus eſt *D. Chriſoſtomus Homil. 7. de ſeptem Machabeis*, in hæc verba: *Ea eſt Sanctorum poteſtas; vt nec vmbra, aut veſtes ferre poſſint Dæmones*: idèm legitur *Actuum Apoſtol. cap. 19. de ſudarijs, & ſemicinctijs D. Pauli*.

Tertia propoſitio eſt, quòd, quemadmodũ nominibus Sanctis, & maximè nomine Ieſu Chriſti, & Deiparæ, Dęmones in fugam conuertuntur: ità fugantur Sanctorũ Reliquijs, quòd, cũ conſtet quotidiana experientia; nulla alia indigemus probatione. Exempla quædam habes in calce huius tractatus tàm de nomine Ieſu, quàm de Reliquijs Sanctorum.

Verùm pro maiori intelligentia notandum eſt, quòd ſicut (in rigore loquendo) Sancti (virtute propria) Dęmones non expellunt, ſed diuina poteſtate: ità dicendum eſt de eorũ Reliquijs; nam ipſis nulla ineſt virtus, ſeu poteſtas ad pellendos illos ab eorum habitatione; quia ſi ineſſet, vel eſſet ſpiritualis, vel corporalis: nõ ſpiritualis; quia in re corporali, qualis eſt Reliquia, non ſubiectatur accidens ſpirituale: nec itẽ eſt corporalis; quia ſic nõ poſſet expellere ſpiritũ, cuiuſmodi eſt Dæmon: res enim corporea non valet contra Dęmones; cum ſit inferioris virtutis reſpectu cuiuſcunq; ſpiritus.

DIFFICVLTAS IV.

An vſus rerum conſecratarum, v. g. Agnus Dei, Cerei Paſchalis, ſalis, aquæ, &c. ad fugandos Dæmones ſit ſuperſtitioſus.

Difficultati reſpõdetur negatiuè. Probatur primò, quia Eccleſia à Deo petit, vt res ipſi cõſecratę, & quas ipſe cõdidit in vſũ generis humani, valeant ad profligãdos Dęmones, cuius verba ſunt iſta: *Vt creatura tua myſterijs tuis ſeruiens ad abigendos Dæmones, morboſq; pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectum*: idem petit in conſecratione Agnus Dei, ibi: .s. *Vt à te benedicti virtutem accipiant contra diabolica tentamenta*.

Nec mireris res ſenſibiles, etiam ad effectus ſpirituales, & ſupernaturales valere poſſe: nam etiam in veteri lege aqua à Sacerdotibus maledicta prodebat mirabilitèr crimen adulterij, *num. c. 5.* in nouo quoque teſtamento nouimus tempore Chriſti extitiſſe Piſcinam, quæ ab Angelo mota; ſanitatẽ priſtinam primo ipſam ingredienti reſtituebat: *Ioh. cap. 5.* non eſt itaq; ſuperſtitioſus vſus rerum conſecratarum contra Dęmones; eſſet quidem ſuperſtitioſus; ſi crederemus res ante conſecrationem valere ad profligandos Dęmones: ſed non ità poſtquam ſunt conſecratæ iuxtà Dei promiſſa: *Quicquid petieritis in nomine meo, dabit vobis Io. 16.* Verùm diſtinguntur ab inuicem Crux, Sanctorũ Reliquię, Cereus Paſchalis, & Aqua luſtralis; Crux nanque, & Sanctorum Reliquię valent contra Dęmones ſolùm indirectè; quatenus .s. ipſi iſta abominantur adeò, vt nec patiantur illa videre. Aqua verò benedicta tanquam inſtrumentum diuinæ virtutis; Cerei autèm ne dum, vt inſtrumenta; ſed etiam vt ſigna alicuius diuini Myſterij; hinc oportet, vt ardeant, ſi perfectè id, cuius ſunt ſigna, debeat ſignificare. Legendus eſt *Thyræus de locis infeſtis, qui latiùs procedit par. 3. cap. 69. per totum.*

DIFFICVLTAS V.

An odoribus quibuſdam, herbis, & ſuffumentis loca liberentur ab infeſtatione Dæmonum.

Ratio difficultatis eſt, quia infra lib. 22. dicemus corpora obſeſſa prædictis, multũ iuuari: quare non ab re hìc ſiſcitatur, num etiã loca à Dęmonibus infeſta, prædictis medijs liberari poſſint; differtq; hæc difficultas ab illa, quia illa reſpicit corporis humani obſeſſionẽ: hæc autèm tantum aliarũ rerũ infeſtationem.

Reſpondeo duas reperiri ſententias omninò contrarias. Affirmatiuam refert doctiſſimus *Toſtatus Abulenſis in 2. Reg. cap. 16. qu. 43.* non ex mente propria, ſed aliorum: nititurq; duobus fundamentis, alterum eſt; quia dicta corporalia aliquod deſignant myſteriũ, quod Dęmones pœnitus abominantur; adeò, vt ab illorum præſentia diſcedere cogantur, vel ſaltem admodum prouocentur. Alterum eſt, quia Tobias ab Angelo edoctus fuit fumo cordis, iecoriſq; cuiuſdam Piſcis omne Dęmoniorum genus extricari *Tob. c. 6.*

Ne-

Negatiua alijs fulcitur fundamentis; primũ eſt,quia tàm odores,& ſuffumenta, quàm herbæ ſunt obiecta potentiæ olfactiuæ, & viſiuæ corporalis; quarum vtraq; carent Dęmones, cum ſint incorporei. Secundum eſt,quia corporale non agit in ſpirituale; prædicta autèm remedia ſunt corporea,& Dęmones incorporei; vndè Dęmones his medijs expelli non poſſunt.

Vtraq; harum ſententiarum licèt oppoſitarum eſt probabilis in ſuo ſenſu,& conciliantur leui negotio. Affirmatiua attendit vim dictarum rerum moralem; negatiua verò naturalẽ; non expelluntur autèm Dęmones dictis rebus à locis ab ipſis infeſtis virtute naturali; ſed ſupernaturali Eccleſiæ conceſſa: vndè abſolutè tenenda eſt pars affirmatiua: verùm quamuis ſemper expelli poſſint: ex diuina tamen prouidentia non ſemper expelluntur; nec ſemper expedit ex parte noſtri.

In fauorem affirmatiuè, quam ſequimur, refert *Ioſephus de Antiquitatibus Iudaicis lib. 8. c.6.* de quadam radice, quæ adeò Dęmonibus eſt abominabilis; vt ab ipſis ſuſtineri non poſſit, quòd fortaſsè contingit ob aliquod myſterium ab ipſa rappreſentatũ, ipſisq; cognitum.

Verùm,quod dictũ eſt ſupra de fumo cordis, iecorisq; piſcis sẽtio ità intelligẽdũ eſſe; quod Angelus Raphael voluerit inferre; non quod fumus vi ſua eijceret Dęmonem: ſed quod ad exitum fumi Dęmon fugeret à domo Saræ: Vndè, quemadmodum (me ſcribente) contingit Eclipſis,non quidem ex ſcriptione mea: ſed quia illo tempore ſit: ità fumus ille non eiecit Dęmonẽ: ſed ad illius exitum Dæmon diſceſſit: quare ſentio Angelum admonere voluiſſe Tobiam de tempore, quo liberaretur Sara, *Tobiæ c.* 8. ex ſeparatis autèm non infertur, *l. Papinianus, ff. de Minorib.* tum quia ſeparatarum cauſarum ſeparati ſunt effectus, *l. Si maritus la prima, C. de donationibus inter virum, & vxorem:* tum quia à remotis nõ fit conſequentia. *l. Non hoc, ff. vnde cognati.*

DIFFICVLTAS VI.

Quibus potiſſimùm amuletis liberantur loca infeſta?

Reſpondetur,vtſupra innui,locà liberari ab infeſtatione Dęmonũ inuocatione nominis Ieſu: & Sanctarum Reliquiarum præſentia. De nomine Ieſu claret *Marc. vlt. ibi. In nomine meo Dæmonia eijcient: hinc S. Ciprianus de Idolorum vanitate,* in hæc verba proloquitur: *Dæmones per Deum verum adiurati à nobis ſtatim cadunt*: & proſequitur, quòd exire coguntur; Itidem ſcribens ad Demetrianum proconſulẽ idem teſtatur: Vndè *D. Bernardus, vti narratur in hiſtoria eius vitæ lib.2.cap.4.* poſuit ſuper mulierem hæc verba, vz. *Præcipio tibi Dæmon in nomine D.N. I. Chriſti;* vt ab hac muliere diſcedas, & amplius ne in illam ingrediaris; qui ſtatim diſceſſit,nec vltra ad ipſam ingreſſus eſt. Idem refert *Surius tom. 1. menſis Ianuarij de Sancto Eugenio Abb.*,qui ordinauit, vt ad collũ cujuſdam obſeſſę ſimilis appenderetur exorciſmus, quo obſeſſa illicò liberata extitit, ità notat *Porrus in Antidotario contra Dæmones dub.27.* Vndè elicio in ſimili poſſe iuuare reſpectu locorum: quare laudabilis eſt conſuetudo illorum,qui intus, & foris domus muniunt turri fortiſſima nominis Ieſu, iuxta illud Eccleſiæ: turris fortiſſima nomen Domini.

De Reliquijs Sanctorum notandum *D. Auguſt. lib.22. de Ciuit. Dei,* referre Mediolani iam extitiſse domum à Dęmonibus infeſtam; quæ liberata fuit, appoſita in ipſa quadam terræ ſanctæ particula.

Refert ſimilitèr *Porrus loc. cit. dub.29.* quandam mulierem à Dęmone obſeſsã ex præcepto D. Bernardi ductam fuiſse ad Reliquias Sãcti Syri,quarum pręſentiam,cum Dęmon malitiosè fingeret non timere,clamare cæpit: nõ me Syrolus, non me Bernardulus eijciet; cui S. Bernardus ſanctè reſpondit,.s.non te Syrus, non te Bernardus eijciet: ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus; & ſtatim Dei virtute coactus illam reliquit;quod autèm dicitur de obſeſſione corporum, idem pœnitùs intelligendum eſt de infeſtatione locorum: nam de ſimilibus idem eſt iudicium,eadem ratio, idem ius.

Habes deniquè apud *Florianum Canale par. 2. cap.4.* benedictionem loci,vel domus à Maleficis per Dæmones diuexatæ, *pag. mihi* 116. *vide ſupra lib.* 15. *circa finem.*

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS III. LIBER XXII.

De Obſeſsione Dæmonum, quatenus partem Magiæ Maleficæ contingit eſſe, vz. ſecundùm quod eſt obſeſſioni coniuncta: & tangitur in textu, ibi:

O altre ſimili ſuperſtitioſe attioni.

Nec nouum eſt, quòd poſt ſpecies ſignatas clauſula generalis ſubijciatur, *l. Si ſeruus, ff. ad l. Aquiliam*; tùm quia textus præcedens determinatur per ſubſequentem, *l. Non eſt nouum, ff. de Legibus*; tùm quia nihil eſt in legibus ſuperfluum: immò vnumquodq; legis verbum dicitur eſſe cum miniſterio aliquid operandi, *l. 1. ff. de iure iuran.* quare clauſula illa generalis, videlicèt, *O altre ſimili ſuperſtitioſe attioni*: non gratis ponitur: ſed tùm ad ſignandum, quatenus ad obſeſſionem poteſt concurrere Maleficus, aut Malefica: tùm ad ſignandũ, quòd Edictũ generalr cõplectitur omnem Magiam maleficam, lz. videatur maior ratio de vna, quàm de alia, *l. 1. §. Quod autem, ff. de Aleatorib.*

Notandum primò, cùm tractatus Obſeſſionis Dæmonum; & ille Magiæ Maleficæ ſint non minus ſimiles, quàm diſſimiles reſpectu diuerſorum, vt infra dicam; idcircò poſt tractatum Magiæ Maleficæ, infeſtationisq; locorum habetur tractatus de Obſeſſione Dæmonum; ne ſimilitudo, & diſſimilitudo intelligentiam retardet; mixta .n. ab inuicem ſecernenda ſunt, omniaq; ſuis locis collocanda. l. 2. ff. de ſtatu hominum.

Notandum ſecundò, quòd differunt tractatus de Magia Malefica à tractatu de Obſeſſione Dæmonis; nam ad Magiam Maleficam concurrit ſemper Magus, vel Maga cum Dæmone: alter .s. Magus, vel Maga, vt cauſa ſine qua nõ; alter autem .s. Dæmon, vt effectiua propria: Ad obſeſſionem verò non ſolet concurrere Magus, vel Maga; vndè aliquis poteſt eſſe obſeſſus, & non maleficiatus: & è contra, vt patet: tamen non repugnat, quin concurrere poſſit petendo à Dæmone; vt ne dum N. maleficet, ſed etiam obſideat: mixtum autèm ſub ſimplici continetur, l. 2. in princ. ff. de verborũ obligationib. l. Si ità quis, ff. de liberis, & poſth.: *Conueniunt verò, quia tàm Maleficiatio formalis, quàm obſeſſio eſt à Dæmonibus effectiuè; & itidem vtraque iſtarum poteſt eſſe à Maleſico, ſeu à Malefica, vt à cauſa ſine qua non: vt dixi ſupra.*

Notandum tertiò, tractatum iſtum pertinere ad Edictum S. Inquiſitionis, non quia Dæmon obſidens ſubijciatur excõicationi, vt homo inobediens Edicto: aut quia Dæmon deferendus ſit Fidei Cenſoribus, quòd abſurdũ eſt; ſed rõne tùm coincidentiæ ma-

leficij cũ obſeſſione, quæ ſæpè contingit; tùm rõne modorũ ſuperſtitioſorum eijciendi Dæmonem, quorum vtrumq; ſpectat ad S. O. Inquiſitionem: vnde propemodùm coacti trahimur ad huiuſmodi tractationem: nam mixtim, & confuse poſita, ab inuicem ſecernenda ſunt: & ſicut vtile per inutile vitiari non debet; ex l. qui teſtamento, ff. de excuſat. tut., cap. turbat. diſt. 37. *ſic quod neceſſariò explicandum eſt, omitti non debet ratione coniuncti minimè ad rem pertinentis conſtat.*

Notandum quartò, quòd Maleficus præcisè, prout concurrens ad obſeſſionem quouis modo ſiue inſtrumentis maleficialibus, pacto, promiſſione, idolatria, &c. venit denunciandus; ſumus in claris. Conueniunt autèm maleficium, & obſeſſio; nam lz. vtrũq; fiat principaliter à Dæmone: maleficium tamen potius imputatur hominis quamuis illius præcisè exiſtat cauſa ſine qua non: Obſeſſio verò potius imputatur Dæmoni, quia interdum obſidet minimè concurrente homine.

Nec obſtat, quòd Dæmon interdùm offendat hominem ſine Malefici concurſu, vt patet in Iob, & in alijs Dei ſeruis; quia tunc mala ab ipſo Dæmone præcisè illata non ſortiuntur nomen Maleficiorum, ſed tantùm malorum.

Notandum quintò tractatum hunc de Obſeſsione Dæmonum reduci ad illum Magiæ Maleficæ, vtpotè eius ſpecies ratione maleficij, vt plurimùm coniuncti obſeſsioni.

Notandum ſextò, præſentem librum partiri in quatuor diſtinctiones.

Prima eſt de Obſeſsione Dæmonum in generali.

Secunda eſt de inſtrumentis maleficialibus; & rebus contrà maleficia, hoc eſt de cauſa ſine qua non Maleficiorum.

Tertia, De cauſa obſeſsionis Dæmonis: & de his, quæ ad ipſius eſſentiã videntur requiri.

Quarta eſt de munere, ac partibus Exorciſtarum.

DISTINCTIO PRIMA.
De Obſeſſione Dæmonum in generali.

Diuiditur hæc diſtinctio in tres articulos, quorum

Primus eſt de Obſeſsione Dæmonum in generali.

Secundus demonſtrat, qui ſunt ſpiritus Phytones, ipſorumq; locus.

Tertius oſtendit, an liceat petere, vel expectare aliquid à Dæmone.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An Dæmones ad noſtrum exercitium ſint ordinati.

REſponſio eſt affirmatiua: nam quẽadmodum intèr bonos Angelos eſt ordo ad benefaciendum; ità intèr Dęmones eſt ordo ad nobis nocendum; & propterea dicuntur habere regnum: cuius eſt multitudo congregata ſub vno ſupremo Principe; hinc Chriſtus ait; *Si Satanas Satanam eijcit*; quomodo ergò ſtabit regnum eius? quaſi dicat, non eſt diuiſa, ſed ordinata multitudo Dęmonum in malũ contrà nos. Verùm huiuſmodi Dęmonum ordinatio in die Iudicij euacuabitur: quia tunc nòn erit àmplius nocendi, nec merendi locus. Sanctorum verò Angelorum ordinatio ad decorem manebit; lz. deinceps ipſi quoque non ſint ampliùs Cuſtodiam, quàm modò circà nos habent, exercitaturi; *Ità Toſtat. ſuper Matthæum, cap. 8. quæſt.* 111. nam tunc non erit Satan, i. occurſus malus.

DIFFICVLTAS II.
Spiritus, qui ingrediuntur corpora humana ad illa diuexanda, an ſint animæ Purgatorij, aut Inferni; vel Dæmonis.

A*Lphonſus Toſtatus ſuper Matth. cap. 8. q. 124.* hanc difficultatem mouet, & pluribus rationib. probat dictos ſpiritus eſse Dęmones.

Dices primò ſpiritũ obſidẽtẽ energumenũ interdũ aſſerere eſſe animam alicuius, v. g. N. Reſpondetur nõ eſſe ei credendum; quia hoc aſſerit, vt decipiat credentes; & introducat aliquem errorem in Eccleſia Catholica.

Dices ſecundò, ſpiritum interdum operari ea, quæ iam N. agebat, cuius animam aſſerit eſſe, v. g. eodem modo cantando, citharizando, diſputando &c. Anima autèm eſt principium operationis. vt ait *Ariſt. 1. & 2. de Anima.*

Reſpondetur, quòd facile eſt Dęmoni imi-

tari hominis operationes, vt decipiat.

Dices tertiò ſpiritum aliquando petere, vt pro ſe oretur; quod nõ faceret, ſi eſſet Dęmon ratione ſuperbiæ.

Reſpondeo hoc fingere, vt decipiat, v. g. vt homines credant dictum ſpiritum eſſe alicuius in Purgatorio, aut in Inferno exiſtentis; idem ſimiliter fingit, quando ſuadet bona, vt confeſſionem peccatorum, reſtitutionem malè ablatorum, &c. omnia enim ordinat ad decipiendum nos ſub ſpecie boni. ita *Toſtatus vbi ſupra*: cuius finis malus, ipſum quoq; malum: finis ãt actus eſt attendendus. *cap. Scientes de cenſibus, exactionibus, & procurationib.* Duplexq; eſt finis ad tradita *Ariſt. 2. de Anima .s.* finis quo, & finis gratia cuius, & vterque eſt malus in Dęmone: Vndè nihil faciendum ad eius petitionem.

DIFFICVLTAS III.

An aliter vniatur Dæmon corpori obſeſſo, & aliter animæ.

RESpondeo affirmatiuè, quòd liquidò conſtare oſtenditur: Anima vnitur corpori tripliciter, vt forma; vt motor .s. intrinſecus, & vt finis. Vt forma dat eſſe ſpecificum, vt motor dat vegetationem, & ſenſationem: vt finis verò dat ipſi perfectionem.

Cęterùm Dęmon vnitur corpori obſeſſo tantũmodò, vt motor extrinſecus; non enim vegetat corpus, nec dat ei ſenſum, ex. gr. non audit, neq; videt per corpus; ideò non eſt talis motor, qualis eſt anima.

Itèm aliter eſt Dęmon in corpore obſeſſo, & alitèr anima; nam ipſa eſt in ipſo .s. vt in propria materia, & in ſuo loco; nam, vt forma dat ſpeciem, cum materia nullum eſſe habeat, niſi gnale, ſeu hęccheitatem: & ipſa forma è conuerſo recipit eſſe indiuiduatum per vnionem ad tale corpus; Dæmon autèm non eſt ibi, vt in propria materia: nec informat intrinſecè corpus, & conſequentèr non eſt, vt in loco ſuo: ſed, vt in alieno.

Conueniunt tamen ad inuicem Dęmon, & anima ſoluta à corpore: quia vterq; poteſt eſſe in alijs corporibus, vt in loco alieno abſq; viuificatione, & illa localitèr mouere, legendus eſt *Toſtatus ſuper Matth. cap. 8. & ipſius Toſtati* 124. *capitulum, & ſequentia.*

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo anima, & Diabolus poſſint eſſe in eodem corpore.

RAtio difficult. eſt, quia duo ſpiritus creati nequeunt eſſe in eodem loco adęquato.

Reſpondetur non eſſe impoſſibile Dęmonem, & animam eſſe in eodem corpore, cum ibi ſint aliter, & alitèr: nam anima eſt in corpore, vt forma in materia, vt ſupra dictum fuit; Angelus verò malus eſt ibi nõ formalitèr, ſed talitèr; quòd oẽs vires eius corporales ad motum localem pertinentes exerceat in tali corpore; non poteſt autèm, vt dixi eſſe ibi formalitèr; quia quilibet Angelus eſt perſona in ſe; ipſa completè ſubſiſtens; quæ nõ poteſt eſſe pars ſuppoſiti; cum non ordinetur ad alterius perfectionem, & compoſitionem.

Verùm dices, quomodo imaginabile eſt aliquem ſpiritum, ſiue Bonum, ſiue Malum mouere poſſe corpus, cui nõ vnitur informatiuè.

Reſpondetur, quòd poteſt contingere duobus modis, primò ad motum per ſe ipſius ſpiritus coniuncti; ſeu adherentis corpori. Secundò per appręhenſionem ad imperium voluntatis, mediante potẽtia executiua: ità *Bart. Sybill. in Speculo Peregrin. qq. decade 3. cap. 3. q. 1. & 2. poſt Henric. de Aſia ſupra Gen.* cui concordat *Pelbartus in Roſar. Theolog. tom. 2. ver. Dæmones* 5. §. 77. ità proloquens: *Diabolus eſt in quibuſdam humoribus internis, qui non perficiuntur ab anima, nec ſunt conuerſi in ſubſtantiam corporis, nec vnquàm eſt Diabolus ſimul cum anima in eadem parte corporis humani.*

Notandum autèm, quòd licet corporalis natura obediat imperio ſpirituum; quantùm ad motum localem: v. g. ſuſcipiendo impulsũ impetus, proiectionem, &c. oportet tamen intelligi cum limitatione .s. ad certam vnionem, & præſentiam ipſorum ſpirituum ad corpora, quæ mouere volũt; poſſuntq; inſupèr ſpiritus influere in corpus immediatè qualitates alteratiuas, vz. caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, vt notat *Barth. Sybilla loc. cit.*

Demùm ſciendum eſt, quòd licèt Dęmones ob ſubtilitatem naturæ ſine obſtaculo intrare poſſint corpora humana, niſi ꝓhibeãtur à Deo immediatè, vel mediantibus Angelis eius: illa perturbare; eisq; moleſtiam inferre, immò illabi alicui corporeo humori, v. g. vrinæ, fecibibus, ſanguini, choleræ, vt docet *Sybilla loc. cit. cum alijs, DD.* tamen non poſſunt illabi animabus, .s. penetrando ſupremum, aut intimum ipſarum; cum illapſus in animam ſit ſolius Dei. ità *Auguſt. de Eccleſiaſt. Dogmatibus cap. 50. Beda ſuper illud actuum cap. 5. Anania cur tentauit Sathanas cor tuum, & alij.*

DIFFICVLTAS V.

An Dæmon Arreptitijs imprimere poſſit deſiderium nocendi alicui.

REſpondet *Toſtatus ſuper Matth. cap. 8. negatiuè*; cuius ratio eſt, quia nihil poteſt directè ſuper voluntatem humanam, vt communitèr teſtãtur Theologi. Dices in facto eſt, quod aliqui Arreptitij mala operantur: ergò videtur, quod ipſis impreſſerit deſiderium nocendi: patet quia nocent etiam illis, contra quos nullum habent odium. Reſpõ negando conſequentiã; quia nõ ſeqr: obſeſſus operatur malũ: ergò Dęmon impreſſit ei deſideriũ nocẽdi: quia põt eſſe vt ſit ipſe Dęmon, qui operetur per diuexatũ; adeò vt nõ ſit in ipſius poteſtate reſiſtere operationi illi, q̃ Dęmon per ipsũ efficit: vndè potiùs ſit patiens, quàm agẽs: patet, quia Dęmon per Arreptitium loquitur quidquid vult, cum ſępè ipſe Arreptitius nihil intelligat eorum, quæ loquitur: Quemadmodum ergò Dęmon: v. g. plenè poſſidet linguã

Arrep-

Arreptitij; ità plenè poſſidere poteſt phantaſiam, quæ eſt aliquid corporeum, ideſt virtus corporis; & ſic turbata phantaſia videbitur Atreptitio ſe benè agere: vel ſaltèm nihil iudicabit. vide ſupra *lib. 16. diſt. 3. art. 2. diff. 2.* hinc pendet ſolutio illius vulgatæ difficultatis, vz. An obſeſſus proximum damnificans peccet, & ad reſtitutionem teneatur. Cui ſentio reſpondendum, quòd reſpu peccati videre eſt, an fuerit magis patiens, quàm agens, vel è cõtra: reſpectu autèm reſtitutionis, an ſit in aliquo factus ditior. aſſentit *Alexius Porrus in Antidotario contra Dæmones dub.* 14.

DIFFICVLTAS VI.

Dæmon cur hominem diuexat, modo corporalitèr ipſum obſidendo: modo ſpiritualitèr ipſum tentationibus ſubijciendo.

RESpondetur duplici ex cauſa ipſum corporalitèr diuexare; tum quia ſic ſatisfacit ſuæ inuidiæ: inuidet enim ipſius proſperitati, cum videat ipſum effectum maiorem ex gratiæ adoptione: locoq; ipſius ſubrogatum in æterno Beatitudinis Regno, à quo ipſe ob ſuã ſuperbiam miſerrimè cecidit. Itidèm hoc modo ſatisfacit quoq; ſuæ ſuperbiæ: quemadmodum enim homines per ſuperbiam de facto præeſſe contendunt his, quibus de iure non poſſunt, illos quoad poſſunt deprimendo; ità Dęmon ſuperbia ductus violentèr vſurpat ſibi corpus hominis, illud pro quanto ſibi permittitur diuexando.

Diuexat itèm ſpiritualitèr ipſum tentationibus concutiendo ob allatas cauſas, vt ſ. ſatisfaciat tùm inuidiæ, tùm ſuperbiæ ſuæ; ſatisfacit ſuperbię ſubijciendo ſibi hominem pro quanto in ſe eſt; nam, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, teſte Scriptura Sacra: ſatisfacit quòq; inuidiæ, in quantum nititur impedire illum ab impletione diuinorum mandatorum; & proindè à conſecutione æternæ hæreditatis; faciunt tradita per *Toſtat. ſuper Matth. cap. 4. qu. 65. hinc Iſaias cap. 59. Iniquitates ſeparauerunt inter vos, & Deum veſtrum.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Spiritus Phytones, qui dicantur, & quæ ipſorum ſedes.

PHytones ſpiritus, vt patet ex *Tolet. lib. 4. cap. 15. nu. 4.* dicuntur Dęmones illi, qui loquuntur per homines, de quibus *Reg. cap. 8.* vbi dicitur Saulem abſtuliſſe Magos, & Ariolos de terra: eoſq; interfeciſſe, qui habebant Phytones in ventre: de eiſdem ſpiritibus legitur *Actuum* 16.

Aliqui DD. inhęrentes huic ſcripturæ dicūt illos habere ſedē in ventre Arreptitij apud pulmonē, quia eſt principale mēbrū inter organa locutionis, cuius eſt concitare aerem ad refrigerandum cor, pœnes quod ſubtiliatur; vt ſit conueniens materia ad voces articulatas: aer enim exterior manens, cum ſit groſſus, non eſt conueniens materia ad formandas voces: ſed ſolummodò ad ſonos; cum itaq; Phytones loquantur per obſeſſum, & locutio maximè fiat per pulmonem, apud ipſum manent, vt commodiùs illum moueant. Dixi, vt commodiùs; quia, quamuis Dęmones extra corpus manendo poſſint intrà ipſum operari per ſolã applicationē virtutis motiuæ: commodiùs tamen operantur intra exiſtentes, ſibi aptando organa. ità *Toſtat. in Matth. cap. 8. quæſt. 113. per tot.*

Notandum autèm Dęmonem, tàm intra corpus, quàm extra exiſtentem, ſi ſibi permittatur; poſſe immutare non ſolùm ſenſus exteriores, ſed etiam vires organis corporeis affixas; nam alteratis organis corporis, ipſæ quoq; alterantur. *Toſtat. in Matth. cap. 8. quæſt. 116.* poteſt nanque Dęmon quicquid poteſt natura corporea, dummodò non repugnet ſuæ naturæ, vt decidere ſemen, quòd repugnat ſpiritui.

Alij ſentiunt difficile eſſe ſcitu, vbi habeant ſedem; quorum ratio eſt, quia minimè neceſſarium eſt; vt vbi operantur, ibi ſint tanquàm in ſede propria, volentes ipſos, vt plurimùm in vna corporis parte exiſtere, tanquam in loco proprio, & in alia operari: alia quippè eſt ſphęra actiuitatis, & alia præſentiæ: vndè nec quia ſpiritus ſentitur in brachio, vel vngue; propterea ſequitur ibi eſſe; ſed benè ibi operari; poſſuntq; plures ſpiritus ſimul exiſtere in qualibet corporis parte, vt ex communi teſtantur *Theologi in 2. Sent.* & præcipuè *Seraphicus Bonau. in 2. diſt. 2. art. 2. quæſ. 3.*

Alij dicunt dictos ſpiritus regularitèr tenere ſuum ſitum in excrementis corporis, volentes dici ſpiritus immūdos nõ tantùm; quia immunda procurant; ſed etiam, quia materialitèr in immundicijs degunt; & fortaſsè ex diuina diſpoſitione, vt manifeſtentur dictæ eorum qualitates.

Alij denique opinantur ipſos habere ſedem circa cor, quorum ratio eſt, quia cum Dęmon ſit ſimia Dei, nititur quoad poteſt oſtendere ſe ſimilem Altiſſimo, qui illabitur cordi; vt ex communi placito teſtantur Theologi: Verùm ipſe non illabitur animæ, nec illam intrat; tum quia hoc eſt proprium Dei: tum quia locus, vbi manet Angelus tàm bonus, quàm malus eſt partibilis; & ſubindè quantitatiuus quantitate molis: anima autē eſt ſimplex intra cuius terminos nõ eſt niſi eſſentia; nec obſtat, quòd ſpiritus ſuperiores nõ minus mali, quàm boni habere poſſint operationes circa inferiores, ipſos v. gr. edocendo: quia & ſi hoc admittatur: non tamen admittendum eſt vnum in alio ſuam habere ſedem. Huc ſpectat exemplum, de quo *Surius in vita S. Laurentij Archiepiſcopi tom. 6. cap. 28.* qui volens obſeſſo ſanitatem cõferre illius pectus ſigno Crucis obſignauit, tenens Dęmones degere propè cor.

DIFFICVLTAS II.

An liceat maleficiato à Dæmone expectare effectum, ſeu beneficium liberationis.

REſpondet *Martinus Delrius Diſquiſ. Magic. lib. 6. q. 3. diſtinctione*, ſic duplex eſt effectus, nimirū poſitiuus, & priuatiuus, poſitiuus nun-

nunquàm ab ipſo expectari poteſt, tùm, quia inuoluit in ſe pactum expreſſum, vel ſaltèm tacitum cum ipſo; tum, quia conciliat amorem, facitq; ſocietatem cum ipſo. Priuatiuus verò expectari poteſt, ſed non, vt ab ipſo: licitum enim eſt expectare fugam Dęmonis ab obſeſſo: itèm ceſſationem à tentatione, & alia id generis; quia iſtá habentur nō ex ipſius voluntate, ſed contra eius voluntatem, .s. ex beneficio Exorciſmorum, Sacramentorum, Sacramentalium, vt Aquæ luſtralis, Reliquiarium, Agni Papalis, Orationum, Ieiuniorū, &c. vide ſupra *par. 3. lib. 20. diſt. 7. art. 1. diff. 3.*

ART. III. DIFFICVLTS PRIMA.

An interdum liceat petere à Dæmone, vt à maleficio ceſſare velit.

Ratio difficultatis eſt, quia quemadmodum interdum licitum eſt recurrere ad Maleficum; quando videlicèt ſpes eſſet, vt remedio licito vteretur; itá videtur licitum eſſe recurrere ad Dęmonem; quando nimirùm nullum ex parte noſtra exigit peccatum.

Reſpondeo omninò illicitum eſſe petere à Dęmone, vt ceſſet à maleficio; quia petitio illa intrinſecè eſt mala, vtpotè inuoluens pactum, & ſocietatem cum Dęmone, vt ex *Suarez lib. 2. de Superſtit. cap. 18. Sanchez lib. 2. Oper. Moral. cap 41. num. 6. Trullench in Expoſitione Decalog. lib. 1. cap. 10. dub. 13. nu. 7.*

Nec obſtat obiectio; quia, licèt Dęmon nihil à nobis requirat: tamèn ipſemet recurſus, ſeu petitio, vt dixi, eſt intrinſecè mala; adeò, vt non poſſit benefieri ad differentiam recurſus ad Maleficum; qui interdùm poteſt auferre à loco maleficium materiale abſque nouo recurſu ad Dęmonem, quando .s. eſt in ſua poteſtate: quare obiectio non militat contra reſolutionem.

Verùm poſſet quiſque obiurgare Dęmonē illi imperando in nomine Chriſti, vt ceſſet à maleficio; non quidèm ſolemnitèr, & publicè, quia hoc eſt pręcisè Miniſtrorum Eccleſiæ Sāctæ, .s. Exorciſtarum: ſed priuatim, qua adiuratione poſſunt omnes Chriſti fideles vti; quia *Marci vltimo* dicitur generalitèr: ſigna autèm eos, qui crediderint, hæc ſequentur: *In nomine meo, &c.* legendus eſt *Naldus, ver. Dæmon n. 9.* cenſeoq; in hoc ſenſu intelligendum eſſe *Vgolinum de Officio & Poteſtate Epiſcopi par 2. c. 47. nu. 6.* quem citat *Nal. vbi ſupra*, dum aſſerit non poſſe Epiſcopum prohibere hoc munus: eò quod à Chriſto auctoritas iſta tributa fuerit Exorciſtis, atq; fidelibus cunctis per illa verba: *In nomine meo Dæmonia eijcient.*

DIFFICVLTAS II.

Cur Dæmones potiùs obſident mulieres, quàm viros, & maximè lunaticas.

Reſpondent cōmunitèr DD. ob duas contingere cauſas; vna eſt, ne Dęmones in corporibus obſeſſorū adeſſe deprehendantur: ſed eorū obſeſſio ſaltèm per aliquod temporis ſpatium iudicetur nralis infirmitas; quare ſępè ſępiùs ſub nomine humorum matricalium ſe occultare ſatagunt. Altera eſt, ne maleficia imputentur ipſis: ſed leuitati cerebri, quæ potius eſt in mulieribus; quia, licèt (vt ſic loquar) ferè innumerabilium malorum ſint cauſa nedum impulſiua, ſed etiam effectiua; cum maleficia omnia formalitèr, & effectiuè propriè tàm contra homines, quàm contrà alias creaturas ſint ab ipſis: attamèn quoad fieri poteſt ſtudent apparere innocētes, boni ęmulatores, affectantq; ſupra modum appellari ſancti, ac lucis Angeli iuxtà illam Incantatorum orationem: *Angelo ſanto, Angelo bianco, &c.* de qua *Arſenale S. O. par. 1.* ibi: *Contro quali procede il Santo Officio.*

Additur pręthereà alia ratio, cur vexant potiſſimùm lunaticas; vt .s. Deus diffametur in Luna, quæ in homines talem infirmitatem influxit, prout aduertit *S. Thomas 1. par. quæſt. 115. ad primum*, quòd notat *Nald. ver. Dæmon, nu. 7.*

Itèm, quia illarum cerebrū eſt magis diſpoſitum ad patiendum huiuſmodi vexationes, vt ibidem tradit prædictus Doct. Pro ipſarum āt curatione quid agendū? placet dicere à probatis Eccleſiæ, .s. Exorciſmis, & adiurationibus, maximè traditis à Paulo Quinto felic. record. in libello pro vſu Exorciſtarum eius iuſſu edito, minimè recedendum eſſe.

DISTINCTIO SECVNDA.

De Inſtrumentis maleficialibus, ac de amuletis contra maleficia.

Diſtinctio hæc diuiditur in duos articulos, quorum

Alter reſpicit inſtrumenta nocua à Maleficiatis deuomita, ſeu alitèr è corpore emiſſa.

Alter verò reſpicit inſtrumenta, quæ poſſunt contra maleficia.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

An inſtrumenta maleficialia, vtpotè imagines, carbones, claui, acus, pluma, capilli, vngues &c. aliquid agant contra homines, aut animalia bruta.

Ratio difficultatis eſt; quia, ſi nihil agerent contra maleficianda fruſtrà abſconderentur in puluinaribus, cultris, ceruicalibus, in liminaribus domorum, veſtibus maleficiandorum, &c. & fruſtrà Exorciſtæ illa quærerent in dictis locis: tùm quia fruſtratoria remedia lex non introducit, *l. Qui bis idem, ff. de Stipulatione ſeruorum*, tùm quia fruſtra illud expectatur, cuius nihil operatur euentus, *l. Si quis ità ſcripſerit, ff. de hæredib. inſtituendis*; tùm etiam quia fruſtratorius eſt actus, qui non aſſequitur finem ſuum,

l. ver-

l. verbis, ff. de vulgari ſubſtitutione: tùm deniq; quia fruſtratorium eſt prouidere, vbi non expedit, *l. Si plures ff. de teſtamentaria tutela.*

Reſpondetur prædicta inſtrumenta quouis loco poſita nihil efficere ex vi naturæ nec contra hominẽ, nec contra iumenta; ratio eſt, tum, quia ex ſe ad maleficia operanda nequaquam naturalem habent vim; quod ſatis conſtat tali ſigno; nam ipſis adhibitis cum ſolitis obſeruationib. ſuperſtitioſis pernicioſos edũt effectus contra proximum, eiusque bona; omiſſis verò, nihil mali oritur: tùm quia, eſtò aliqua vi polleant; adhuc agere non poſſunt; cum à Paſſo, ſeu Maleficiato ſint remota, vt ſuppono; actio enim naturalis non producitur niſi per tactum corporalem, aut virtualem intrà debitam diſtantiam; Vndè vltrà ſphæram ſuæ actiuitatis non operatur, vt concorditèr concedunt Philoſophi.

Verùm & ſi dicta inſtrumenta nihil agant effectiuè propriè: ſunt tamen cauſa ſine qua non: quare eruenda ſunt ex locis, veſtimentis, cultris, lectis, vbi poſita ſunt, ad tradita Theologorum, & praxis Eccleſiæ Sanctæ. Nec in hac parte audiendus eſt Ioannes Bodinus; qui arbitratus eſt non licere inſtrumenta hæc perquirere; ne homines exiſtiment habere vim lędendi; quod notat *Codroncbus de Morbis veneficis lib. 4. cap. 3.*

Inſtabis, ſi ex ſe huiuſmodi inſtrumenta nullius ſunt efficaciæ; (propriè, & formalitèr loquendo) quare igitur Dęmon exigit talia?

Reſpondetur ideò Dęmonem talia exigere, vt videatur cogi ad agendum ob pactum cum Maleficis contractũ: nam reſpu illorũ, qui cũ Dæmone fędus explicitũ non inierunt; aut, ſi initum fuit, deindè diſſolutum extitit; poſitio dictorum inſtrumentorum in quouis loco nullius eſt valoris.

Sciendum eſt autèm, quod etſi interdum Malefici vtantur rebus naturalibus; quæ ex ſe producere poſſunt morbũ, quem intendunt; attamen non vtuntur illis, vt ad ſimilem effectum aptis; ſed vt ſignis pacti inter Maleficum, & Dęmonem, quibus poſitis, quemadmodum Maleficus paret Dæmoni ponendo ſigna obedientiæ ſuæ, .ſ. apponendo Maleficium materiale in tali loco; ità Dæmon ex conſequenti paret Malefico inducẽdo Maleficium formale, vz. infirmitatem, quam intendit Maleficus, aut Malefica: intercedit .n. inter ipſos velut contractum innominatum, .ſ. do, vt des, facio, vt facias: &c. verùm; quia huiuſmodi contractus eſt contra legem, & ſubſtantialia contractus nihil valet, *l. Pacta, quæ contra, C. de pactis cum ſimilibus.*

DIFFICVLTAS II.

An inſtrumentum, v. g. acus, clauus, carbones, ſulfur, & his ſimilia; quæ interdum à Maleficiatis deuomuntur; vel per ſeceſſum emittuntur ſint naturalia, vel ſolummodò talia appareant.

Reſpondeo, aliqui arbitrati ſunt ea non eſſe verè naturalia; licèt talia videantur, quorum ratio eſt; tum quia breui tempore reſoluuntur; tum quia, ſi forent naturalia, non poſſent tranſire per anum, aliamuè partem ſtrictã abſq; vulneratione, vel ſaltèm ſenſibili læſione illarum partium.

Alij è contra dixerunt illa eſſe naturalia: nõ tamen reijci verè ex corporibus; ſed Dęmones aliundè delata in ipſo vomitu, vel deiectione citiſſime, ac inuiſibili modo, ità immiſcere, & abſcondere; vt cum euomitis, alijsq; excrementis educta eſſe videantur.

Has opiniones refert *Paulus Grillandus lib. 2. de Sortil. quæſt. 3. nu. 27; Binsfeldius in Comment. de Malef. & Mathem. lib. 4 q.7.* contra nonnullos, qui aſſerunt prædicta inſtrumẽta à Dęmone immitti in corpus, & ab eo extrahi; nec aliundè eſſe delata, quorum ratio eſt; quia Dęmon leui negotio illa frangere, & conterere poteſt in minutiſſimas pulueres; illasq; inſenſibilitèr in corpus maleficiandi immittere, & (ipſis ingeſtis) illas rurſum compingere: & cũ è corpore maleficiati vi Exorciſmorũ inſtrumẽta emittuntur; iterùm Dęmon illa reducit in pulueres; & iterùm ſtatim cõponit, & indurat ob imperiũ; quod (permittente Deo) in nr̃alia habet; addũtq; DD. nõnulla ex dictis inſtrumẽtis ſeruata fuiſſe, vt cernere eſt in multis locis, vbi ad honorem Sanctorum, & maximè Sanctiſſimæ Genitricis Mariæ omnium conſpectui ſunt expoſita. Huic opinioni vtpotè ſatis probabili adhęreo, maximè, cum ſit potentiæ Dęmonis conſona; hanc *Codronchus de morbis veneficis lib. 4. c. 3.* aſſerit eſſe quorumdam doctiſſimorum Theologorum; quorum tamen nomina ſub ſilentio inuoluit.

Verùm vnum notatum eſſe cupio, videlicèt quòd interdum ex cauſis naturalibus in homine producuntur quædam tortiones, dolores, acutasq; infirmitates cauſantia: quare non ſtatim ſuſpicandũ eſt de maleficio, & minùs de maleficiante in ſpecie; nam graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia *11. qu. 3. cap. Graue. & facit cap. Quamuis, & cap. Non ſolum eadem cauſa, & quæſ.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An aliqui odores, ſuffumenta, &c. Dæmonibus contraria eſſe poſſint; & idem petitur de nonnullis lapidibus.

Reſpondeo affirmatiuè; verùm notandũ illa minimè vim habere Dęmones à ſedibus ſuis pellendi; ſed tantùm illos impedire, ne quantũ vellent in mortales exerceant tyrannidem; quomodò autèm impediant; dicetur infrà difficultate ſequenti. Patet primò, quia quorumdam odorum, & ſuffumẽtorum ea eſt virtus; vt valeant humores componere, reficere, remouere; & ſubindè afferre lętitiam. Secundò, quia, cum Dęmon humoribus obſeſſi ad ipſum moleſtandum vtatur; eò minùs per ipſorum humorum motionem mole-

moleſtatur, quò maior eſt virtus in cōtrarium per odoramenta, aut ſuffumenta allata: agens enim tantò minùs poteſt in ſubiectum; quantò plura ſunt, quæ ei reſiſtunt: Vndè à pari potentia non fit actus, *l. Sabinus ff. de communi diuidundo*.

Hinc colligo Exorciſtas non eſſe damnandos, vtendo in vſu exorciſmorum odoribus, ſuffumentis, herbis, lapidibus, &c. Quo circa D. Hieronymus (teſte Gratiano) non herbis tantùm, ſed lapidibus quoq; ſine incantationis crimine vti permiſit contra obſeſſos à Dęmone 26. *quæſt 7. vide Albertum Magnum ſupra Lucam cap. 9. Liran. Paulum Burdegalenſem in primo Reg. cap. 16. apud Thyreum de locis infeſtis p. 3. cap. 62. nu. 11. Iacobum Sprenger in Malleo Maleficarum part. 2. quæſt. 1. cap. 16. itèm q. 2. cap. 5.* ſed tàm herbæ, quàm lapides ex illo genere eſſe debēt, quibꝰ paſſim Eccleſia Catholica ad fugandos Dęmones vti conſueuit; qualis eſt herba, quæ vulgò fuga Dęmonum appellatur.

Caueatq; Exorciſta, ne credat huiuſmodi herbas, aut lapides, vel his ſimilia ex ſua natura Dæmones expellere, vt putant Necromantici: vndè *D. Thom. 4 Sent. diſt. 7. art. vlt.* ita proloquitur: *Non eſt credendum Dæmones ſubiacere virtutibus corporalibus*. Idem iudicium de quibuſdam animalium carnibus, ſiue in cibum ſiue in potum ſumantur ad curandum Obſeſſos: quare minimè arguendi ſunt, qui in Energumenorum curatione operam Medicorum docent requirendam.

Verùm prædicta licèt efficiant, ne Dæmones corporibus obſeſſorum afferant tantam moleſtiam, quantam deſiderant; tamen non pellunt ipſos Dæmones à ſedibus ſuis .i. ab humanis corporibus, niſi modo quo infrà: nā ſi actus, vt ſupra cautum eſt, non fit à pari potentiâ: à fortiori non fit à minori, qualis eſt illa hominis reſpectu Dæmonis.

DIFFICVLTAS II.

Quā ratione res ſenſibiles, v.g. herba, ſonus muſicalis, & his ſimilia habent virtutem contra obſeſſos à Dæmone?

Ratió difficultatis eſt primò, quia agens corporale non agit in ſpirituale, vti ex communi conſenſu teſtantur Theologi. Secundò, quia agens paſſo prętantiùs eſſe debet, *Phyloſoph. 1. de Anima*; res autèm ſenſibiles nō ſunt Dęmone præſtantiores, vt de ſe patet. Tertiò; quia Dæmonis poteſtas rebus ſenſibilibus potior eſt, iuxtà illud *Iob 41. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ipſi, .s. Dæmoni, comparetur.* minor autèm poteſtas ſuper maiorem non habet virtutem, vt conſtat: idcircò videtur dicendum, quòd non dentur rès ſenſibiles, quæ aliquid poſſint contra detentos à Dæmone.

Reſpondetur diſtinctione; Difficultas intelligi poteſt duplicitèr, vz. an prædicta contra obſeſſos à Dęmone habeant virtutèm directè, aut indirectè; itèm per ſe, aut per accidens: Loquendo directè, & per ſe res ſenſibiles non poſſunt contra Dęmonem, quod probant rationes modo ſupra allatæ; ſecùs dicendum eſt, ſi loquamur indirectè, & per accidens, vt probant rationes ſequentes. legendus eſt *Naldus ver. Superſtitio, nu. 4.* nam multa per obliquum conceduntur, quæ directo prohibentur, *l. 1. ff. de Auctoritate tutorum*.

Prima, omnis cauſa limitatæ virtutis effectū intenſiorem in materiam magis diſpoſitam, quā in minus efficere poteſt: nam teſte *Ariſt. 2. de Anima, & l. 1. C. de Hæred. inſtituendis: operationes agentis ſunt in patiente benè diſpoſito*; ſed Dęmon eſt agens limitatæ virtutis: ideò intenſiori modo diuexare poteſt corpus ad diuexationem diſpoſitum, quam indiſpoſitum, ex. gr. malencholiæ ſubiectum, quam liberū: vndè actus naturalis efficacior, & potentior eſt violento, quod iam *Bart. obſeruauit in l. 1. & per iusiurandum, §. Qui ità, ff. de Acceptilationibus*.

Secunda, experientia demonſtrat quaſdam armonias, vt illā citharę Dauidicę aliqd potuiſſe, contra Dęmonis vexationem, ſaltèm illam mitigando: idemque dr̄ de quibuſdam herbis, vt ruta; verùm tamen eſt dicta nō agere, vt dixi directè, nec per ſe in Dęmonem, ſed ſolùm indirectè, & per accidens inducendo in corpus diuexati oppoſitam diſpoſitionem ab illa à Dæmone requiſitam: ver. gr. lætitiam loco triſtitiæ, ſeu malencholiæ. Hinc *Liranus ſuper primo Regum cap. 16.* ità proloquitur: *Videtur rationabilitèr concedendum melodiam, & aliqua alia ſenſibilia alleuiare poſſe à Dæmonibus diuexatos, vt illorum actioni minùs ſubijciantur, iuxtà reg. iur. Res ſi non valet eo modo, quo vellem: valet eo modo, quo poteſt*. Quinimmò caſus cōtingere poteſt; vt per aliquod temporis ſpatiū ꝓpemodùm nō percipiatur diabolica diuexatio: vt ſi ex altera parte melodia ſit adeò excellens, vt ſpirituū vitalium dilatationem inducat; & ex altera Dęmonum diuexatio exiſtat parua.

Tertia ratio eſt, quia iuxtà mēſuram delicti, debet eſſe & plagarum modus (teſte Diuina Scriptura) ſed Dæmon per ſuperbiam contra Dei voluntatem renuit deſeruire homini, volens illi omninò præeſſe non ſolùm in naturalibus, ſed etiam in gratuitis; ideò meritò ſubijci debet rebus ſenſibilibus homine inferioribus: v. g. igni infernali, à quo velit, nolit; tanquam ab inſtrumento diuinæ iuſtitiæ affligitur, *Matt. c. 25.* itèm rutæ, quæ ab ipſis ſuſtineri non poteſt, &c. cauſa autèm ponitur ſequenti difficultate.

Verùm notetur, quòd licèt quibuſdam ſenſibilibus, vt dictum eſt, alleuietur obſeſſus; his tamen non aufertur maleficium materiale à loco, vbi poſitum fuit; quo ſtante perſeuerat etiam maleficium formale: nam vnum ſine altero non aufertur; & fortè hac de cauſa, Saulis diuexatio iterabatur, & perſeuerabat.

Ex fundamentis huius reſolutionis pendet intelligentia ſequentis difficultatis.

DIFFICVLTAS III.

Propter quid ruta à Dæmone abominatur ab illa longè recedendo.

RESpondent DD. propter tria præcipuè; Primùm eſt, quia ob ſuam amaritudinẽ deſignat Paſſionis Chriſti amaritudinẽ,qua victus,& ligatus fuit;vt non poſſit omnia,ad quę ſe extendit eius poteſtas naturalis, vt in primis docet *Catechiſ. Rom. de 6. petit. orat. Dom. nu. 8.* Et quamuis nec ante Chriſti Paſſionem omnia poſſet in noſtrum damnum: poſt Paſſionem tamen reperitur adhuc magis ligatus ob Chriſti meritum, lege *Nald. ver. Superſtitionum. 4. Cathec. Rom. loc. cit.*

Alterũ eſt, quia ruta luxuriæ,cuius maximè ſe complacet ob graue damnum, quod nobis affert; eſt vtcumque contraria ratione ſuæ frigiditatis illius ardorẽ extinguẽdo,vel ſaltèm diminuendo. legendi ſunt naturales, *ver. Ruta, & ver. Topazius, & Smaragdus,* qui ſimilitèr cõtrariantur libidini eius ardorem mitigando.

Tertium eſt,quia itidèm ratione ſuæ frigiditatis, ſerpentes è ſuis locis naturalitèr expellit; nam ipſi, vtpotè frigidi, quærunt loca calida; Dęmon autem in ſac.Script. vocatur Serpens; iuxtà illud Gen. *Serpens .i. Dęmon erat callidior cunctis animantibus.* faciunt, quæ docent *Malleus Maleficarum par. 2. cap. 5. Magiſter Hiſtoria Eccleſiaſticæ cap. vnico. Flagellum Dæmonum c. 3. Bartholom. Sybilla in Compend. Pereg. qq. decad. 8. quæſt. 2. & alij.*

DIFFICVLTAS IV.

Qui lapilli contra Dæmones valent.

LIranus ſupra *Apoc. cap. 21.* ad illa verba; *Fundamenta muri Ciuitatis S. Hieruſalẽ omni lapide prætioſo ornata,* referendo proprietates lapidum muri illius Ciuitatis; dicit nonnullos lapides habere virtutem effugandi Dæmones; & ſubindè non eſſe ſuperſtitioſum illis vti ad dictum effectum;in cuius veritatis gratiam aliquorum lapidum virtutes afferam à prædicto Doctore loco citato collectas, & maximè illorum, de quibus *Apoc. cap. 21.* Ciuitatem Dei dicitur eſſe conſtructam; inter quos duo sm̃ hunc Doct. ſunt contra Dęmones,prout infra, & sm̃ Dioſcor. de lapillis prętioſis duo alia.

Primus eſt Iaſpis, qui oculos purgat, viſum acuit,& confortat; & ſecundum Dioſcoridem valet contra maleficia, & incantationes.

Secundus, Saphirus, qui humanum corpus vegetat membra integra conſeruando.

Tertius eſt Calcedonius, qui valet (nota) contra illuſiones Dęmonum, aduerſus illos habendo antipathiam, ſiue ob ſignificata in ipſo myſteria: ſiue quia Eccleſia Sancta ipſis vtitur contra ipſorũ illuſiones: ſiue in ipſorũ cõtemptũ: ſiue ob aliam cauſam nobis occultã.

Quartus, Smaragdus, qui valet contra morbum caducum,& vigorat ad locutionem,& sm̃ Dioſcor. valet contra illuſiones Dęmonum.

Quintus,Sardonix,qui inclinat ad pudicitiã.

Sextus,Sardius,qui gaudium accendit,& expellit timorem.

Septimus, Chryſolitus, qui confortat organum;quo vtitur intellectus pro ſtatu iſto.

Octauus,Berillus,qui inclinat ad mititatem, & benignitatem.

Nonus, Topazius, qui valet contra lunaticã paſſionem,quæ frequentèr (nota) per Dæmones excitatur.

Decimus, Chryſopraſſus, qui valet contra lepram.

Vndecimus,Hyacintus, qui membris dat vigorem,& ſalutiferum facit ſaporem.

Duodecimus, Amethiſtus, qui facit vigilẽ.

Nec obſtat, quòd corporale de ſe non agat in ſpirituale; quia dicti lapilli tanquàm inſtrumentum Diuinæ Iuſtitiæ etiam in ſpirituale agere poſſunt: vel dicendum; quod hoc contingit non ob virtutem rei corporalis; ſed ob defectum Dęmonum,qui odio habent omnia Eccleſiæ inſtrumenta ad illorum illuſiones retundendas ordinata: Vndè

Notandum,quod lapillorum actio; non eſt directè contra Dęmones; ſed tantùm indirectè diſponendo corpus aliter, quàm ipſi exigunt; Itèm dicta lapillorum actio iuuat ad bonum animæ acquirendum tantummodò indirectè, .s. quatenus diſponit eius corpus: actiones enim fiunt in patiente benè diſpoſito, *lib. 2. de Anima:* nam multa conceduntur per obliquum,quæ directo prohibentur, *l. 1. ff. de Auctoritate tutorum.*

DISTINCTIO TERTIA.

De cauſa obſeſſionis Dęmonis,& requiſitis ad eius expulſionem.

Diſtinctio hæc in tres partitur articulos.

Primus reſpicit cauſam obſeſſionis Dæmonum.

Secundus requiſita ad expulſionem.

Tertius ſoluit dubium emergens.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An homo ob peccata à Dæmone veniat obſeſſus,

REſpondeo (abſolutè loquendo) non poſſumus hoc fari: nam,teſte *Caſſiano in Collatione collatione 7. cap. 25.* nouimus etiam viros ſanctos corporalitèr obſeſſos eſſe, varijsque infirmitatibus fore ſubiectos. Verùm tamen eſt nonnulla dari crimina, quæ potiùs alijs prouocant Dæmonẽ ad impetrandum à Deo facultatem obſidendi auctores, Deumq; ad illam ei impertiendam; Vndę *Alexius Porrus in Antidotario contra Dæmones dub. 2.* quatuordecim enumerat peccantium ſpecies inter cæteros potiùs ſubiectos, inter quos potiſſimùm noto Abutentes Sacramentis Pęnitentiæ,& Euchariſtię,Luxurioſos, Inuidos,Blaſphemos,Infideles,Dęmoniſq; Inuocatores. De ſingulisq; probationem cum exemplis affert prædictus Doctor loco citato.

De

De luxurioſis probabilis eſt ratio: quia immundi ſpiritus, quales ſunt Dęmones, immunda quærunt receptacula.

De inuidis ſufficiat exemplũ ex Sacra Scriptura de Saule inuido, qui à ſpiritu nequam legitur obſeſſus.

De Infidelibus, *Stapletonus in Sermone Dominicæ 3. Quadrageſimæ refert*, quòd temporibus ſuis multi ex illis, qui à Fide defecerant, obſeſſi fuerunt à Dęmonibus.

De Inuocatoribus Dæmonum, vti potiſſimùm ſe habent Magi tàm cupidi occulta diuinandi, quàm mira patrandi, ſuadet violenta ratio; nam, cum à Deo receſſerint ad Accaron recurrendo; meritò ab ipſo puniendi in corpore derelinqui debent.

Idemq; dicendum de Abutẽtibus Sacramẽtis, cum habeantur innumeri caſus, & exempla, ſuperfluum eſt hoc probare: iuxtà illam regulam, *quòd patet expreſsè, probare non eſt neceſse*: vt notat *Baldus conſ. 370. col. 2. vol. 3.*

De Blaſphemantibus denique legendus eſt *Baronius in Annalibus circa annum Domini 630. tom. 7.* qui affert mirandum exemplum de quibuſdam Grçcis Deiparam blaſphemantibus, qui illicò à cacodęmonibus correpti dederũt pęnas. Refertq; *Torrus loc. cit.* de quodam, qui in S. Lupum euomita blaſphemia, adeò in poteſtate Demonis relictus fuit; vt nedũ ab ipſo obſeſſus fuerit; ſed etiam tàm ſeuè diuexauerit, vt tribus tantùm diebus ſuperſtes extiterit; quarè qui à Dęmone obſiderĩ refugit; præcipuè à dictis criminibus omninò cauere debet, & à fortiori ab alijs grauioribus iuxtà illud: *Nolite locum dare Diabolo.*

DIFFICVLTAS II.

An Dæmon recedens à corpore ab ipſo obſeſſo, interdum iterum ad illud reuertatur.

Reſpondetur affirmatiuè iuxtà textum illũ *1. Reg. cap. 16. Spiritus malus recedebat ab eo, ſ. à Saule; poſt diem autèm alteram inuaſit illum Spiritus Domini malus*: itèm iuxtà illum: *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine ambulans per loca arida &c.* dicit, *reuertar, vndè exiui, Luc. c. 8. & Marc. cap. 5.* hinc *Torrus loc. infra cit.* refert Dæmones à quodam Exorciſta coactos fuiſſe exorciſmis ad reſpondendum, an indeſinentèr manſiſſent in quodã corpore ab ipſis obſeſſo; qui reſpõdiderunt ex mãdato Principis eorũ, die, qua ſepultus fuit Martinus Lutherus ipſos diſceſſiſſe, iuiſſeq; ad eius funerale, & iterùm redijſſe. refert idem Doctor loco citato aliud ſimile exemplum ex *Cæſario lib. 12 cap. 10.* legendus eſt *Torrus in Antidotario contra Dæmones dubio 7. Rit. Rom. de Exorciz. obſeſſ. à Dæm.*

Verùm regularitèr non relinquunt corpus ab ipſis obſeſſum, niſi exorciſmis coacti, vel mãdato Superioris ad hoc cogentis: ad illudq; quam libentiſſimè redeunt, cupidi pro poſſe exercendi in illo omnem tyrannidem, quæ ipſis à Deo permittitur: ambitioſèq; manifeſtiùs oſtendendi, quòd viribus naturalibus obſeſſos ab ipſis longè excedunt.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An ad pellendum Dæmonem è corporibus ab ipſo obſeſſis requiratur neceſſariò ſanctitas.

Reſpondetur negatiuè, patet primò reſpectu Dęmonis ſuperioris ordinis in naturalibus; qui licèt ſit nequior illis inferiorũ ordinũ; attamen illos expellere poteſt, niſi Deus illi reſiſtat; ratio eſt, quia, cum ſit maioris potentiæ, inferiores illi reſiſtere nequeunt.

Patet ſecundò reſpectu hominis mali Dęmonem expellentis; cuius ratio eſt; quia donũ expellendi Dęmones eſt gratia gratis data, vt ex communi teſtantur Theologi; ad cuius receptionem non prærequiritur gratia gratum faciens: quod patet ex Diuina Scriptura: nam Caiphę iniuſto gratia gratis data impertita fuit, gratia ſ. prophetandi; prophetauit nanque, quod expediebat, vt vnus pro populo moreretur homo ſ. Chriſtus.

Idem quoque conſtat manifeſtiſſimis ſcripturis ſanctis: nam *Matth. 7.* habetur, quòd multi peccatores in extrema die Iudicem ità interpellabunt: *Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus*, quibus illicò reſpondebit: *Neſcio vos* ſ. ſcientia approbationis. Itidem *Lucæ, cap. 9.* Diſcipuli Chriſti ità ipſum allocuti ſunt: *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo Dæmonia eijcientem, & prohibuimus eum; quia nõ venit nobiſcum.* Prætereà Fariſæi volẽtes Chriſtum calumniari, vti legitur *Lucæ c. 5.* ità oblequebantur illum inſultando his verbis: *Diſcipuli Ioannis frequentiùs ieiunant, & obſecrationes faciunt, tui autèm non*: attamèn potiùs Diſcipuli Chriſti, quàm Ioannis Dęmonia eijciebant; Vndè colligo ſanctitatem nõ eſſe neceſſariam ad Dæmonum eiectionem.

Verùm quamuis (abſolutè loquẽdo) ad pellendum Dęmonem è corporibus obſeſſis eſſentialitèr non requiratur ſanctitas: ſunt tamen aliquæ virtutes; quæ reſpectu Exorciſtarum maximè faciunt ad pellendum quorundam Dæmoniorum genus: Vndè Chriſtus de hoc genere ità proloquitur: *Hoc genus Dæmoniorum nõ eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio*: cuius ratio fortaſsè eſt; quia huiuſmodi virtutes iſti Dæmones maximè abominantur. Dixi reſpectu Exorciſtarum: quia reſpectu Dei tale medium minimè eſt neceſſarium, iuxtà illud *Lucæ cap. 1. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.*

DIFFICVLTAS II.

An Hæreticus, vel Infidelis Dæmonem ab obſeſſis corporibus eijcere poſſit equè, ac fidelis.

Reſpõdetur affirmatiuè (abſolutè loquendo) cuius ratio eſt, quia, cum donum eijciendi Dęmonem ſit gratia gratis data, vti etiã eſt illud prophetiæ, ſeu prophetandi, expellaturq; præciſè virtute diuina; non repugnat, quin tàm Hæreticus, quàm quiſque Infidelis Dæmonem è corpore obſeſſo eijcere poſſit. Vndè *Matth. cap. 24.* dicitur: *Surgent Pſeudo Chriſti, & Pſeudo Prophetæ, & dabunt ſigna magna,*

magna, & prodigia, ità vt in errorem inducantur ſi fieri poſſet etiam electi; verùm huiuſmodi ſigna non erunt miracula; cum ipſa non niſi à Deo fieri poſſint. huc ſpectat illud *Lucæ 9. .s. Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum; quia non venit nobiſcum*. itèm illud *Actuum c.19.* de quibuſdam Iudæis, qui adiurabant ſpiritus malos per Ieſum, quem Paulus prædicabat: hęc procedunt de poſſibili. De facto autèm loquendo nec Hæreticus, nec alterius generis Infidelis Dæmonem eijcit. Vndè *Marc. cap.16.* legr. *Signa eos (Nota) qui crediderint, hæc ſequuntur: in nomine meo Dæmonia &c.* Hanc veritatem euidentiſſimis exemplis demõſtrat *Porrus in Antidotario contra Dæmones dub. 22.* Refertq; ibidem qualitèr Martino Luthero quædam obſeſſa puella fuit adducta, circa cuius liberationem quantum inſudauerit, difficilè eſt creditu; quam tamen minimè liberare potuit: affert itèm eodem in loco alia notabilia exempla de Caluino, alijſq; Hæreticis, quibus fictiones eijciendi Dæmonia, vel patrandi alia miracula nihil profuerunt.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Energumenis tradenda ſit Euchariſtia?

RAtio difficultatis eſt, quia *Conc. Elebertinũ* de illis agens ità ploloquitur *Canon. 39. Energumenis, qui ab Eratico ſpiritu exagitantur, nec nomen quidem ad altare cum oblatione eſt recitandum*.

Difficultati reſpondetur affirmatiuè, primò, quia *D. Thom. 3. part. q. 80. art. 9. ex mente Caſſiani loc. inf. cit.* inquit, *Qui ab immundis diuexantur ſpiritibus communionem ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam inuenimus interdictam; quòd ſatis comprobatur praxi pręſcripta, & inolita.*

Secundò, quia ipſe *Caſſianus in Collationibus collatione 7. cap. 30. de Energumeno* loquens in hæc verba proloquitur: *Magis, ac magis inimicus inſultabit .s. Energumeno offenſo; cum eum à cęleſti medicina ſegregatum viderit*; inferre volens ab illius ſumptione minimè eſſe elongandum.

Tertiò: quia ſine culpa pœna nõ infligitur, *l. Sancimus, C. de Pœnis*: poteſt autèm Energumenus abſque propria culpa eſſe obſeſſus: ver. gr. ob exercitium, & meritum ipſius: quæ ſanè ratio adeò vera eſt, vt ſatiùs ſit nocentem abſolui, quàm inſontem damnari, *l. Abſentem, ff. de Pęnis*: licèt .n. prodeſſe alteri nemò cogatur: vetatur tamen cuique obeſſe proximo ſuo, *l. In ſumma, §. Ità vauus, ff. de aqua pluuiali arcenda*: fit autèm nocumentum Energumeno, denegando illi Euchariſtiam, quam Catholici dignè ſumentes donis quampluribus, & ſpecialitèr gratia cumulantur, vt docet Eccleſia in Officio Auguſtiſſimi Sacramenti, ibi: *Mens impletur gratia, & futurę glorię nobis pignus datur*.

Quartò, quia odioſa non minùs, quàm pœnalia reſtringi debent, fauoreſq; ampliari, *l. Cũ quidam, ff. de liberis, & poſthumis*, & maximè, quòd nobiliores præſumptiones ſemper in dubijs eligendæ ſunt, *l. Merito, ff. pro Socio*.

Quintò, quia licèt vanis cupiditatibus non ſit indulgendum; ſecùs tamen eſt iuſtis affectionibus, cuiuſmodi eſt iſta ſumendi Chriſti Corpus, Euchareſtiam: huc ſpectat *l. Illud, ff. de manumiſſis vindicta*: potiſſimèq; ei concedenda eſt: quia nemo multiplici onere pręgrauandus eſt: ſed potiùs grauatus in vno, ſicut eſt Energumenus, in alio eſt ſubleuandus, *l. Eum, qui in princ. ff. de Iureiurando*. Vndè ei plena manu concedi debet, vt vndequaque debilitatus, & afflictus refici, recreari, ac refocillari poſſit hoc ſalutari manna.

Nec obſtat prædictum *Conc. Elebertinum*, cũ intelligi debeat, vt exponit *Porrus in Antidotario contra Dæmones dub. 15. per totum*; quòd tunc præcisè Energumeno non eſt danda Euchariſtia; quando publicis detinetur criminibus, aut maiori ligatur excommunicatione: ſicut nec impertitur alijs, qui ſimilibus ligaminibus irretiuntur; cum preciosiſſima illa totiùs mundi margarita ante porcos non ſit obijcienda, munda mundis.

DISTINCTIO QVARTA.

De his, quæ reſpiciunt partes Exorciſtarum.

Partitur autèm in tres articulos.

Primus oſtendit, quæ attendere debet Exorciſta in munere ſuo.

Secundus demonſtrat, an commercium cũ Dæmone quis habere poſſit, quiduè ab eo petere.

Tertius deſignat modos, quibus Dæmon per Arreptitium ab Exorciſta cognoſci poteſt; quidue poſſit contra ipſum, & pro ipſius expulſione.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

A quibus cauere debet Exorciſta.

REſpondetur, quòd potiſſimùm à ſequentibus. Primum eſt, ne exiſtimet fatigationem obſeſſi, quæ fit alapis, flagellis, ſputo, ſulfure &c. vim aliquam habere directè ad expellendum Dæmonem: quia nullum corporale agit contra ſpirituale: quare hæc tantùm admittuntur in ipſius contemptum; ſicut etiam in eius contemptum comburitur ipſius nomen in papyro ſcriptum, vt notat *Naldus ver. Angeli nu. 1.*

Secundum eſt, ne exiſtimet, quod radere pilos, aut capillos obſeſſi faciat ad directam Dæmonis expulſionem; patet ob dictam rationẽ; quia .s. corporale non agit in ſpirituale.

Tertium itèm, ne credat ob ipſius, aut obſeſſi culpam Dęmones non expelli: quia etiã ex occulto Dei iudicio; aut ob ipſius obſeſſi maiorem vtilitatem, vel aliorum exemplum, aut ob aliud Eccleſiæ commodum contingere poteſt: Vndè graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia; 11. *quaſ. 3. cap. Graue, & facit cap. Quamuis, & cap. Non ſolùm eadem cauſa, & quaſ.*

Quartum eſt, ne credat poteſtatem eijciendi Dæmonem potiùs fundari in ſanctitate Miniſtri, quàm in nomine Dei, eiusq; Eccleſiæ, in cuius vi Exorciſmi, velut ſacramẽtalia ex opere operato Dæmones expelluntur; *D. Thom. 3. part. qu. 71. art. 3. Sotus in 4. diſt. 6. qu. 2. art. 3; Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 146. 7.* & deinceps *Sanchez lib. 2. moral. cap. 42. n. 16. 23.* Hoc clariùs ſupra diſt. 3. expenſum fuit.

Quintũ attẽdat, quòd, ſi ſpiritus Energumeni aſſerat eſſe animam alicuius, qui iam in mũdo exiſtebat: v. g. Iudæ; non debet illi præſtare fidem, ex dictis *diſt. p. art. 1. diff. 2.* poteſt benè eſſe ſpiritũ, qui alicui fuit datus in exercitium; nam ſpiritus malus, qui iàm vni datus fuerat in eius exercitium; nõ repugnat, quin alteri itèm ſit in exercitium, ipſum diuexando non minus, ac diuexabat primum.

Sextum, Energumeno non eſt credendum, ſi redeleet aliquem ex proprijs demeritis in Dęmonem, ſeu in pecudem à Deo conuerſum fuiſſe: quia hoc modo ſub ſpecie boni .s. dignæ vltionis molitur maximam hæreſim, nempè mortalitatis animæ, vt notat *Aug. lib. de Hæreſibus cap. 86* nam quod in aliam vertitur ſubſtantiam corrumpitur: anima autèm hominis extat incorruptibilis, & immortalis. *Mengus lib. 1. cap. 18.* errores ãt, qui ſub ſpecie boni palliantur, ſunt alijs periculoſiores; vndè illis diligentiùs occurrendum eſt, *l. 1. §. Sed, & ſi quis, ff. de Carbonario Edicto.*

DIFFICVLTAS II.

An alia quoque ab Exorciſta ſint attendenda.

Reſpõ affirm. primũ eſt, infirmitates, vt plurimũ à cauſis nr̃alibus originari: raró ãt (reſpectiuè loquendo) à Strigibus maleficis: vndè regularitèr ab infirmo, aut eius parentibus, vel ſaltèm ab Exorciſta priùs conſulendũ eſt Phyſicos de qualitate infirmitatis, de accidentibus, & circunſtantijs: ſciſcitandumq; eſt, an arte medicinę curari poſſit, cuius vi, ſi ſanari nequeat; tunc non incongruè ſuſpicio oriri poteſt de maleficio diabolico. Dixi in plurali conſulendos eſſe Phyſicos: quia per plures veritas melius inuenitur; *cap. Per hoc, §. Verum, vbi Geminianus de Hæreticis in 6.*

Secundum eſt, maleficij diabolici paruum eſſe indicium, ſi in lecto, ceruicali, &c. .s. infirmi globuli lanæ, aut pennæ, qui arte globati videntur, reperiantur; nam ex continua prædictorum voluitione, & reuoluitione formari poſſunt, maximè, ſi illorum vna pars percuſſa, conſtringatur; altera manente dilatata, vti contingit, cum lecti, & ceruicalia ſternuntur. Vndè quamuis qualitas adiecta enti illud qualificet, & in diuerſa ſpecie reponat: & accidentia plurimùm conferant ad rerum cognitionem, *l. 1. & l. Quod nolit, §. Qui mancipia, ff. de Aedilitio Edicto*: tamen vbi datur curſus naturæ, & accidentis ſemper natura præfertur, *l. Quid habet, in fine, ff. de tutel.* & natura, ſeu aptitudo rei magis, quam alicuius emergentis qualitas ſpectanda eſt. *Gloſ. in l. Venditio, ff. de venditione rerum Fiſcalium.*

Eſt itidem paruum maleficij indicium, ſi ibidem reperiantur acus: nam cum prædicta à mulieribus, vt plurimùm ſternantur, & ex occaſione interdũ ab ipſis ſuantur, ac diſſuantur, quid mirũ ſi inibi aliqua acus fuerit repoſita, ex obliuione ibi relicta, vel caſu ibi deperdita?

Prætereà Dęmonis opera ibi prædicta inſtrumenta abſq; alicuius Strigis interuentu figi poſſunt ad effectum, vt Exorciſta credat non niſi Strigum opus eſſe; & ſubindè quis, vel qua indebitè moleſtetur: patet in ſimili ex alijs ipſius actionibus.

Tertium, exorcizando non interroget Dæmonem, quomodò, vel per quam partem corporis obſeſſi ſit ingreſſus; nec de maleficij auctore: quoniam non eſt ei credendum, cum ſit omninò mendax, & humanæ quietis pœnitùs inimicus, licèt etiam interdum veriſimilia inſinuet, vtpotè perſonam alias ſecundum vulgum ſuſpectam.

Quartum, attendat certum non eſſe Dęmonis diuexationem ex Strigis maleficio ſemper obtingere: nam ſine vllo maleficio poteſt Dæmon ex diuina permiſſione cuiuſq; corpus diuexare, vti conſtat ex Diuina Scriptura de Iob.

Quintum, ob alicuius malam famam in materia maleficiorum, nõ illicò ſuſpicandum eſt illius opera N. eſſe maleficiatum, quamuis .n. huiuſmodi indicium alioquin plurimi exiſtimetur: ſecus tamen eſt in hac materia, quia ob odium vniuerſale cõtra Striges facilè exoritur fama contra perſonam aliàs ſuſpectam, maximè, ſi exiſtat vetula, facieq; deformis: nam quemadmodum non poteſt illam de bonis fortunæ ſpoliare ob præſumptionem de damno tibi illato: ità nec de fama; quæ emolumento pecuniario præponderat. *l. Si duobus, ff. de re iudicata.*

Sextum, ſi qua mulier conuicta, vel confeſſa exiſtat, patraſſe ſortilegia ſimplicia, de quib. ſupra de ſortilegijs: v. g. ad amorem, aut ad ſanãdum aliquod animal, &c. ob indè minimè neceſſariò colligitur Strigem eſſe formalem, cum prædicta abſq; apoſtaſia, .i. abſq; pacto cũ Dęmone Fidem Catholicam deſerendi fieri poſſint; redditur tamen plus, minusuè ſuſpectà iuxtà circunſtantias concurrentes: Strix quippè formalis eſt illa, quæ paciſcitur cum Dæmone à Fide apoſtatans: qua neſcio, an mundus grauius ſuſtineat pondus, diciturq; telluris onus, ac mundi peripſema.

Sep-

Septimum, notet contingere interdùm matrem, vel nutricem maximè pauperes eorum paruulos in proprio lecto collocatos miſerè ſuffocare; quæ poſteà timentes, ne ex facto ſibi quid mali obueniat; minimè verentur diſſeminare ex Strigum impietate euenisse: ità ex *Arſen. S. Inquiſ. par. 7. ibi, Modo di procedere contra le Streghe &c.* Prædicta documenta deſeruient, nedum Exorciſtę, ſed etiam Inquiſitori in proceſſu contra Striges; immò pro ipſis in primis à prædicto Doctore introducta ſunt.

DIFFICVLTAS III.

An Exorciſtæ integrum ſit præcipere Dæmoni ſub pœna excommunicationis, vt Energumenum amplius non diuexet.

RESpondetur negatiuè, quia Demon cenſuræ Eccleſiaſticæ eſt incapax, cum ſit extra Eccleſiam militantem: *De his, quæ foris ſunt, nihil ad nos, c. Gaudemus de Diuor. ſeu conſor.*

Dices, in Sacerdotali Romano inſtrui Exorciſtam, vt contra Demonem excommunicatione vtatur, vt v. g. exeat à corpore obſeſſo.

Reſpondetur non ſumi ibi excommunicationem proprio modo; ſed prout idem eſt, ac execratio, aut maledictio, quod in primis notat *Suarez tom. 5. tert. par. diſp. 5. ſect. 1.* quē ſequitur nouiſſimè *Baucius in Miſcellaneis practicis, tract. 2. ibi, quarto petes.* Inutile quoque eſt contra Dæmonem vti terminis iudiciarijs præcipiendo ei, vt tali die ſe ſiſtat in iudicio; quia nec Exorciſta, nec alius homo eſt ipſius Iudex, *Delrius Diſquiſ. Magic. lib. 6. monitione 10.*

Dices, ſi Exorciſta non eſt Dæmonis Iudex, quare igitur contra ipſum procedit præceptis?

Reſpondeo procedere contra ipſum non proprio; ſed Dei nomine.

DIFFICVLTAS IV.

An Exorciſta adiurans Dæmonem adhibendo rutam ad ipſum eijciendum peccet.

NOta hanc difficultatem minimè coincidere cum illa, de qua ſupra: quia ibi traditum eſt, quare Dæmon odio habeat rutam; hìc verò an valeat ipſa ad expellendū Dęmonē è corporibus obſeſſis: ideò lz. videatur coincidere: tamen non coincidit: nam aliud eſt videri idem: aliud eſſe idem, iuxta *l. Si maritus, §. l. Iuliæ, & ibi Barth. ff. de Adulteris cum ſimil.* ſed benè vna alterā ſequitur: nam, ſi Dæmon rutam odio habet, conſequenter bona eſt ad illum eijciendum.

Reſpondetur diſtinctione. Adiurans, vel adhibet rutam in contemptum Dæmonis, vt inde arripiat cōfuſionē, occaſionemq; exeundi ab obſeſſo, vel illam adhibet credendo eam vim naturalem habere ad ipſum fugandum; primo modo non peccat; tùm ob bonum finē iuxtà illud Phyloſophi: *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt*: tùm; quia dicta herba ob ſuam amaritudinem, vt præcedenti diſtinctione *art. 2. diff. 3.* dictum eſt, deſignat myſterium amaræ Chriſti Paſſionis, ex quo ipſi grauiſſima confuſio fuit; vt notat *Naldus ver. Angeli n. 1.* tùm, quia deſignat amaritudinem lachrymarum perfectæ contritionis, qua ipſe Dęmon amittit animas ſibi iam deuictas. Secundo verò modo illam adhibens peccare poteſt; cum neſciat, quæ ſcire tenetur, vz. corporalem creaturam abſq; diuina diſpenſatione in ſpiritualem minimè agere poſſe; cenſeo tamen interdum vtcumque excuſari à peccato; quia .s. fortaſsè non aduertens, bona fide illam adhibet; maximè ſi illam viderit ab alijs quoque Exorciſtis adhiberi: nam in obſcuris inſpici ſolet, quod plerunque fieri ſolet à peritis in arte: *de regulis iuris ciuilis reg. 115.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An liceat Exorciſtæ aliquod habere commercium cum Dæmone.

RAtio difficultatis eſt, quia aliqui DD. infra citandi diſtinguendo de commercio inferunt aliquod commerciū cum Dæmone poſſe concedi; aliud verò nullatenus.

Dicunt itaq; duplex eſſe commerciū; aliud ad extorquendum aliquid contra ipſius voluntatem: aliud verò ad effectum rebellandi à Deo, & Dęmoni ſe ſubijciendi: primum admittunt; ſecundum verò minimè: quorum ratio eſt; quia primum militat contra ipſum: quod ſecus eſt de ſecundo. faciunt tradita per *Zanardum in Sum. precep. diuin. par. 2. cap. 64. ver. Moueor ad hoc. Carenam in tractat. S. Officij par. 2. tit. 12. §. 13. num. 138. qui citat Pegnam*, loquunturq; de illo, quod intercedit mediantibus exorciſmis ab Eccleſia ordinatis, ne .s. Dęmon hominibus, aut eorum rebus noceat; cū nullum aliud licitum ſit; iuxtà illud: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea*: & iuxtà illud: *Quid communicabit cacabus ad ollam*: nec eſt propriè commercium: quia non vnit, ſed ſeparat.

DIFFICVLTAS II.

An quis cum patrantibus maleficia diabolica commercium habere poſſit, ſaltèm quoad mercaturas.

RAtio difficultatis eſt, quia quemadmodū Principes admittunt cōmunionem ſuorum ſubditorum cum ſubditis aliorum Principum, licèt contrariorum, quoad mercimonia vendenda, & emenda; ità Chriſtus Princeps, & Rex vniuerſæ terræ, eiuſq; Eccleſiæ videtur, quod idem permittere debeat Chriſtianis, vz. vt cum maleficis prędictis poſſint inſimul eſſe, quoad contractationem mercium emendo, & vendendo; dummodò caueant ab his, quæ faciunt apoſtaſiam à Fide: vel quouis modo ſubijciunt Dęmoni tenebrarum Principi.

Reſpondeo periculum apoſtatandi non eſſe totam cauſam cauendi à commercio cū Maleficis: quia adhuc (illo dempto) alia ſuperſunt pericula .s. infamiæ, & ſcandali. Vndè nō obſtat ſimilitudo de ſubditis Principis temporalis commercantibus cum ſubditis alterius Principis proprio Principi contrarij; quare cū hoc ſit illo periculoſius, cauendum eſt ab iſto, licet

licet ab illo, non teneamur; iuxtà *l. vbi maius periculum, ibi cautiùs procedendum: numquid tenebræ lucem afferent?*

DIFFICVLTAS III.

An peccet Exorciſta preceptiuè inuocando Dæmon in his, ad quæ eius poteſtas naturalis ſe extendit: v.g. ad diſcendum aliquid.

RESpondetur duplicem eſſe Dęmonis inuocationem, nimirùm deprecatiuam, & coactiuam; deprecatiua nullatenùs cohoneſtari poteſt; quia ſic ordo creaturarum inuerteretur: hac enim ſubijcitur homo Dæmoni; quod nullo modo permittendum eſt: quamuis enim Dęmon, eius nobilitate penſata, ſit maior ipſo homine: eſt tamen illo longè inferior, attentis donis gratuitis ipſi hõi collatis, & ex communi concedunt Theologi. Quare, cum gratuita naturalibus ſint potiora; propterea non poteſt; nec debet homo Dæmoni ſe ſubijcere.

Loquendo verò de coactiua .s. in nomine Chriſti; adhuc diſtinguendum eſt: altera enim eſt contra ipſum Dęmonem: v.g. vt deſinat diuexare aliquam creaturam, vel locum mediantibus exorciſmis ab Eccleſia ordinatis: alteraverò eſt in ipſius fauorem; vt, cum quis illũ inuocat pro beneficio ab ipſo obtinẽdo, ſiue ꝓ ſe, ſiue pro alio; prima eſt licita; quia ordinat hominem contra Dęmonem: ſecunda verò eſt prorsùs illicita, patet: tùm quia hæc facit vnionem cum Dæmone: tùm, quia vergit in graue præiudicium, & dedecus inuocantis: tùm prætereà; quia hac admodum dehonoratur Deus; cum fiat recurſus ad Idolum Accaronitarum, quaſi non ſit Deus verus in Eccleſia Catholica præſto ad impertiendum omne donum perfectum. faciunt ad hæc tradita per *D. Thom. 2. 2. q. 90. art. 2. Sot. lib. 8. de iuſtitia, quæſt. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 18. nu. 8. Naldus ver. Dæmon nu. 6. Sanchez Decal. lib. 2. cap. 42. nu. 15. Bellarm. de Sacram. lib. 1. cap. 25. & alij.*

Dices huiuſmodi recurſum non ſapere hæreſim, cum ad docendum, v. g. ſcientias naturales potentia Dæmonis ſe extendat. 16. *q. 2. c. nuſlis, Lucerna Inquiſ. ver. Sortilegia, num. 1. & ver. Hæreſim ſapere manifeſtè.*

Reſpondẽ Dæmonis inuocationẽ prohiberi nõ obindè tm̃, quia ſapiat hereſim, ſiuè manifeſtam, ſiue non: ſed ẽt quia Dęmonis conſortium ſemper eſt perniciofiſſimum, experientia teſte. Verùm grauiori crimine ille annodatur; qui Dęmonem pro maleficio, q̃ qui pro beneficio inuocat: quia ſic ex duplici capite crimen augetur, nempè ratione recurſus, & rõne maleficij; & ità peccant, qui ad Dęmonẽ recurrunt, vt mulieris, vel alterius perſonæ pudicitiam tentet.

Dices, ſi interrogare Dæmonem in energumeno de aliqua re ſit mortale.

Reſpondetur, quòd, ſi interrogatio non fiat deprecatiuè, nec animo addiſcendi, nec firmitèr credendi, ac ſine periculo aliquod peccatũ occultum detegendi; ſed ſola leuitatis cauſa, erit præcisè veniale: aliàs mortale: *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 55. nu. 10. citans Syluestr. Valen. & Sanchez*; ſed periculoſum eſt longos ſermones cum ipſis habere, vt notat *Nald. ver. Dęmon nu. 6.* Hinc Rituale Romanũ de exorcizandis obſeſſis à Dæmone, ità proloquitur. Exorciſta, ne vagetur in multiloquio, aut ſuperuacaneis, vel curioſis interrogationibus præſertim de rebus futuris, & occultis ad ſuum munus non pertinentibus: ſed iubeat immundum ſpiritum tacere: & ad interrogata tantum reſpondere &c. iubeatq; illum dicere, an detineatur in illo corpore ob inſtrumẽta malefica; quæ, ſi obſeſſus ore sũpſerit, prętet, vt illa euomat: vel, ſi alibi extra corpus fuerint, reuelet, vbi ſint; & indè auferãtur, & cremẽtur.

Neceſſariæ autèm interrogationes cenſentur ſequentes.

Prima, de numero, & nomine Obſidẽtium corpus illud.

Secunda, de tempore, quo ingreſſi ſunt.

Tertiã addunt aliqui, .s. quòd Exorciſta põt iuſtè interrogare Dęmones de obſeſſionis cauſa, vt videre eſt ex Rituali Rom. loco citat. ſed mihi probatur attẽdẽdum eſſe, an expediat de hac querere, maximè corã aſtãtibus, qui pauci eſſe debent, & admoniti, ne ipſi interrogent obſeſſum: ſed potiùs humilitèr, & enixè Deũ pro eo præcentur; quòd, ſi obſidentes interrogati de cauſa, reſpondeant cõtigiſſe ob obſeſſi peccatum: v. g. fornicationem, adulterium; nullatenùs erit ei credendum; ſed illicò cum omni fiducia in Deũ acritèr obiurgandi erũt de mendacio, & admonendi circunſtantes, ꝙ Dęmones vt plurimùm fallacitèr reſpõdent: quòd potiſſimùm Exorciſta curare debet; ſi perſona obſeſſa ſit mulier. Quibus ãt artibus, ac deceptionibus vtantur Dæmones ad Exorciſtam decipiendum habes apud *Rituale Rom. loc. cit. ibi aduertat*: ſed fuſiùs apud Franciſcum Picum de Mirandula in Dialogo *(la Strega)* in tres libros diſtincto.

DIFFICVLTAS IV.

An liceat Exorciſtis aliquid petere à Dæmoniaco, vt tali.

RAtio difficultatis eſt, quia velle ſcire aliquid à Dęmoniaco, vt tali; eſt idem, ac illud ab ipſo Dęmone velle ſcire; & ſubindè ab ipſo aliquod beneficium expectare; quod iuxtà commune DD. placitum omninò diuetitũ eſt ob periculum contrahendæ amicitiæ cum ipſo; quæ regularitèr ex beneficijs oritur. conſtat.

Reſpondetur, quòd, quamuis cum Dæmoniaco ob periculum non liceat longos protrahere ſermones, maximè iocoſos, aut ſimiles, nec confabulari, nec ipſi firmitèr credere, vt ex communi tradunt DD. & cautum eſt ſupra: integrũ tamen eſt ipſum interrogare, nõ quidem deprecatiuè; quia hic modus interrogãdi con-

confert ad conciliandā corda, ſed ſolummodò imperatiuè; petendo præciſè, quæ faciunt ad expulſionem ipſius à corpore humano: vel in ordine ad diminutionem ipſius Dæmonis potentiæ in diuexatum: v.g. conducit ſcire nomen ipſius, vt illi præcepta; quibus contra ipſum vtimur, nominatim dirigamus.

Nec obſtat difficultas obiecta, quia procedit reſpectu eorū; qui aliquid deprecatiuè petunt à Dęmone: vel eorū quæ nō faciunt ad ipſius expulſionē, faciunt, quæ tradit *Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 42. nu. 23. Carolus Baucius in Miſcellaneis Practicis tract. 2. quæritur 1. ibi*; quæ licitè poſſunt peti à Dęmone per Exorciſtam; quinimmò in Sacerdotali Rom. inſtruitur Exorciſta; vt petat à Dęmone ſignum ſui egreſſus à corpore energumeni.

Verùm non licet Adiuratori contra tempeſtates à Dæmone excitatas ipſum inuocare, vt ceſſet à nocumento; legendus eſt *Sotus de Iuſtitia lib. 8. quæſt. 3. art. 2. Suarez de Religione, tom. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 8. Leſſius de Iuſtitia lib. 2. cap. 44. dubio num. 46. Sanchez in Summa lib. 2. cap. 42. nu. 21.* ratio eſt: tùm, quia, ſi ceſſabit à paruo nocumento, non ceſſabit à magno; tùm quia beneficia recepta trahunt moralitèr ad amorem, & amicitiam beneficiantis, à quibus abſtinendum eſt: quinimmò tenemur contra ipſum ſtare: *Reſiſtite Diabolo; & fugiet à vobis: eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, &c.* hinc ait Chriſtus: *non veni pacem mittere, ſed gladium &c.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

Dæmon quot ſignis ab Exorciſta, vel ab alio per Arrepticium cognoſci poteſt.

RESpondeo quatuor ſignis probabilibus poſſe dignoſci.

Primum eſt, ſi Arreptitius loquatur talia; qualia aliàs loqui neſciret: vt ſi loquatur lingua hębrea, cùm illam prius non didicerit: vel ſi ignarus linguæ intelligat talitèr loquentem. *Rituale Rom. de exorcizan. obſeſſis à Dæmon.*

Secundum, ſi lingua conſueta loquatur de ſcientijs altiſſimis ſcientificè.

Tertium, ſi poſt arreptionē neſciat amplius loqui, de quibus priùs perfectè, & ſubtilitèr diſputabat.

Quartū denique eſt, ſi Arreptitius prophetet, aut diuinet, quæ homo abſq; dono prophetiæ ſcire non poteſt; plura .n. ſciunt Dęmones, quàm homines: vndè aliqua, quæ à Dęmone naturali ſcientia cognoſcuntur; ab homine neſciuntur: vel ſi patefaciat diſtantia, & occulta. *Ritual. Rom. loc. cit.*

Quintum, ſi vires ſupra ætatis, aut conditionis naturam oſtendat. *Ritual. Rom. vbi ſup.*

DIFFICVLTAS II.

An Dæmon ab Exorciſtis interdum in deſertis locis alligari poſſit.

REſpondetur poſſe, ſi Deus concedat, dico, ſi Deus concedat, cum hoc contingat præciſè diuina virtute; nam humana vi, ſicut ab obſeſſo expelli non poteſt; ità nec aliquo in loco alligari; nam non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ipſi comparetur, conſtat ex Diuina Scriptura *Iob* 1. Quod autèm poſſit in deſerto loco interdùm alligari; vt nulli deinceps nocere poſſit, cum ibi nihil, cui noceat, præſens habeat; patet exemplo Angeli Raphaelis, qui in deſerto ſuperioris Aegypti per aliquod temporis ſpatium relegauit Aſmodeum; qui ad peccata carnalia pellicere ſolet; vt deindè illis aſſentientes occidat, ſi ipſi pmittatur, velut fuit illi permiſſū cōtra priores ſeptem viros Saræ, qui cum illa (prima nuptiarum nocte) libidinosè conuerſati fuerant. Ne autèm ad ſimilia traheret Tobiam Iuniorem, qui vltimò duxerat in matrimonium ipſam Saram; in notato deſerto Aſmodeum alligauit (traditis dictis coniugibus quibuſdam monitis) patet 3. & 8. *cap. lib. Tob.* legendus eſt *Toſtatus*, qui fuſiùs narrat hanc hiſtoriam ſuper *Matth. cap. 8. quæſ.* 132. Verùm (nota) non tantùm vnum eſſe Aſmodeum, ſed plures; vt aliàs oſtenſum fuit: nam non eſt idem numerò Aſmodeus, qui in hac hora Bergomi, & Venetijs pellicit ad carnalia: cū Angelus ſit in loco diffinitiuè, adeò, vt non exiſtat pro eodem puncto temporis pluribus in locis.

DIFFICVLTAS III.

An interdum è contra liceat Exorciſtis conniuere petitioni Dæmonis ab obſeſſi corpore egreſſuri, vt ſi petat ignominijs non affici; & quid aduertere oportet.

REſpondetur affirmatiuè, ſuppoſito, quòd Dæmon nō petat aliquid contra Dei honorē, aut in damnum proximi: ratio eſt, quia ſic non eſt velle ei complacere: aut aliquid cōcedere tanquàm amico; ſed facilitare ipſius egreſſionem à corpore obſeſſo, ità *Thyræus de Dæmoniacis cap. vltimo à nu. 1. vſq; ad 8.* quē ſequitur *Sanchez in Summa lib. 2. cap. 42. nu. 36.* & nouiſſimè *Carolus Baucius in Miſcellaneis practicis, tract. 2. ibi petes 7.*

An autèm Exorciſtæ interdùm Iudicibus Fidei veniant denunciandi, remiſſiuè *par. 2. lib. 15.* vbi de Superſtitionibus Cōiuratorum.

Penès Dæmonis aſtutias vnum potiſſimè animaduertere neceſſum eſt, nimirùm ipſum pro poſſe niti fieri Scimiam Dei: Vndè ad eius ſimilitudinem vult ſibi fieri ſacrificia, altaria, fana, i.. templa, Sacerdotes .s. impios, diuinos, & his ſimilia. Quinimmò vt appareat talis (Deo permittente) vt potè diuinæ iuſtitiæ miniſter interdùm vindicat mala, .i. peccata: Verùm non ad bonum finem, vti facit Deus, ſed ad malum, vz. vt tandèm omninò perdat ſibi deuictos.

Quemadmodùm autèm Dęmon quandoque imitatur Deum in puniendis peccatoribus: ità è contrà etiam interdùm imitatur detegendo veritatem delictorum, ac reddendo perſonam perperè, & iniuſtè criminatam,

in ſontem, & innocentem ſecit: hinc refert *Valerius Maximus* exemplũ cuiuſdam Virginis Veſtalis, Tuſciæ noĩe; quę accuſatà de crimine inceſtus, vt ſuam cuique oſtenderet innocẽtiam, cribro accepto, ait: O Dea Veſta, ſi ſemper caſta vixi, & talis veni ad tua ſacrificia, precor, ita quęſo, vt coram aſtantibus, hoc perforato cribro ex Tebro hauriam aquam: illamque deferam ad templum tuum; & ſucceſſit factum, prout optauerat. Similem quoque caſum ſcribit *Sabellicus* de Claudia item virgine Veſtali, quæ vt à ſe detergeret maculam luxuriæ zona fragili, qua ſe cingebat contrà impetum aquarũ, mirabilitèr attraxit nauem magnam ad ripam.

Ob hanc poteſtatem, quæ interdùm relinquitur Dæmoni, .s. vindicandi malá, & iuſtificandi innocentem probabilitèr cenſeo citationem in Valle Ioſaphat interpoſitam contrà aduerſarium potentia, diuitijs, & auctoritate, nimiorem, diuetitam fuiſſe à pluribus Epiſcopis Diœc. Bergom. vt notat *Tertius vbi infra*, vtpotè ſuſpectam ſuperſtitionis, in qua .s. opus Dæmonis interuenire poſſet in damnum nocentis. De multis nanque, qui ad huiuſmodi citationem in fine taxati temporis mortui sũt, quamplura traduntur exempla à *Ioan. Tracagnota lib. 15. Hiſtoriarum Mundi, à Baptiſta Fulgoſio lib. 1. & à Petro Meſſia in ſua Sylua part. 3. cap. 21.* quos Doct. fidelitèr cumulat *Ioannes Baptiſta Tertius in tract. de Remedio ſupremo lib. 1. pag. 13. & lib. 4. pag. 161.*

Not. inſupèr, quòd Dęmon ne dum vt imitetur Deũ vindicat mala, & detegit veritatem: ſed etiam ob alium finem vz. vt ſub bonó facto abſcondat multa mala: & ſub veritate interdum detecta ſolet multas veritates; hinc meritò dicitur verſipellis.

Verùm vnum eſt tibi maximopere obſeruandum, vz. quod multa fuerunt in veteri teſtamento tradità, quæ, ſi modò fierent, viderentur ſapere ſuperſtitionem: cum tamen tunc nullam in ſe inuoluerent: ex. gr. ſacrificium Zelotipiæ, quæ fiebat ad dignoſcendum an mulier adulterij conſcia foret, bibendo quandam aquam, de qua *Numerorum cap. 5.* itèm inueſtigatio homicidæ occulti mediãte ablutione in ſanguine vitellæ in valle alpeſtri: de hac legitur *Deuteronomij c. 21.* ſanatio item infirmi a quacumque detinebatur infirmitate, ſi primus poſitus erat in probatica piſcina (de qua *Ioan. cap. 5.*) ſtatim ac ab Angelo mouebatur: hæc .n. omnia contingebat Iudæis in figuris ad deſignandum occultiſſima myſteria in nouo teſtamento complenda: Non (inquã) in illis partem habebat Dæmon; quarè nec tale quid ſuſpicari integrũ eſſet: talia .n. à Deo habuerũt Iudęi: tñ foret peccatũ, ſi modò quis vellet adhuc vti talibus ad prædictos effectus: nam tunc ſignificabant, quod erat explendum in nouo teſtamento: Vndè, qui talibus nũc vteretur deſignaret adhuc cõplenda, quæ iam completa ſunt: & ſubindè Chriſtum adhuc minimè veniſſe; quæ omnia, & ſingula abſurda ſunt, ex quibus alia ſuboriri poſſent: In omni .n. diſpoſitione, vel actu interp̄tatio fieri debet, vt abſurditas euitetur: nam dato vno abſurdo aliud facilè ſequitur. *l. Ratas, C. de reſcinden. vendit.*

D I F F I C V L T A S IV.

An Regulares exorcizantes incidãt in pœnas, quas Epiſcopi fulminant contra Exorcizantes ſine eorum licentia.

EGO circa hanc difficultatem ægrè me moueo, & dum me vrgeo, diuèrſis retrahor rationibus; tum, quia, cum egomet ſim regularis, cenſeo non eſſe expediens Iudicem agere in eam cauſã, quæ ẽt ad me ſpectat: quare potiùs cenſeo remittere Lectorem ad expeditiores Iudices, vz. ad *Portel. ver. Exorciſmus*, ad *Peirinum in formulis Prælatorum cap. 26. num. 5.* ad *Dianam tract. 2. par. 3. de dubijs Regularibus reſol. 36.* & demùm ad *Ceſpedem Neotericum Doctorem in tractatu de Exemptione Regularium dub. 135.* qui benè, & reſolutè reſpondet cum prædictis DD. loc. cit. tendens in partem negantem: cuius ratio eſt, quia in hoc Regulares Ordinario minimè ſubduntur: quemadmodum etiam in multis alijs, quod longum eſſet referre, & traduntur à prædicto Ceſpede non minùs doctè, quàm clarè, iuxtà morem DD. ſuæ religionis.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

COM.

PARS
QVARTA
COMMENTARIORVM
EDICTI S. OFFICII.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS IV.
LIBER XXIII.

In hac autem parte abſoluto tertio Caſu S. Tribunalis, .s. de Superſtitionibus conſequenter differitur de quarto, quinto, & ſexto, nempe de Blaſphemantibus hæreticaliter, Offendentibus Miniſtros S. Officij, vel quatenus tales impiè impugnantibus: De legentibus, aut retinentibus libros prohibitos: ac demum de diſcriminibus inter Catholicos, & noſtri temporis hæreticos; in quatuorq; libros partitur iuxtà quatuor pertacta.

Primus eſt de Blaſphemia Hæreticali in genere, & in ſpecie.

Secundus, De reſiſtentia S. Officio, ac eius Miniſtrorum offenſione.

Tertius, De retinentibus, aut legentibus libros prohibitos, ac de pluribus alijs ad ſubiectam materiam facientibus; vbi per extenſum habetur propemodùm quicquid præcipuè præcauendum eſt in lectura, & in intellectione librorum.

Quartus, De erroribus Hæreticorum præſentis temporis, vbi patet, quam miſerè ipſi cæcutiant vnà cum ipſorum Fautoribus, Defenſoribus, &c.

Præſens liber differit de Blaſphemia hæreticali, ſeu potius de Blaſphemantibus hæreticalitèr, & tangitur in textu, ibi: Che contro Dio, de' ſuoi Santi, e particolarmente della B. V. Maria proferiſcono beſtemmie hereticali.

Notandum primò, quòd non loquimur de Blaſphemia abſolutè, .s. in ſua generalitate; vz. prout comprehendit tàm hæreticalem, quàm ſimplicem; nam hoc ſpectat ad Theologum, & Summiſtam: ſed loquimur de ipſa in ſpecie, nimirùm quatenus contracta ad hæreticalem, cuius ratio eſt; quia pro inſtituto partes noſtræ ſunt, vt ſequamur textum, qui præcisè eſt de Blaſphemia hæreticali.

Notandum ſecundò, nos hìc minimè locuturos eſſe de blaſphemia hæreticali in ſua latitudine, ex. gr. prout comprehendit conſiderationem Criminaliſtarum de ipſa, ſed prout exigit munus tum Confeſſarij, qui tenetur admonere pœnitentem (quando opus eſt) de eius obligatione ad denunciandum Blaſph. Hæret.: tùm pœnitentis, qui tenetur obedire Edicto S. Inquiſitionis denunciando dictos Blaſphemos hæretical.

Notandum tertiò, quòd huiuſmodi caſum, & librū abſoluemus quinq; diſtinctionibus.

Prima eſt de hæreticali Blaſphemia quo ad eſſentiam, & diſtinctionem.

Secunda eſt de ipſa in ſpecie. Tertia, Quo ad denunciationem.

Quarta, Quo ad reſeruationem. Quinta, De quibuſdam dubijs circa ipſam emergen.

DI-

DISTINCTIO PRIMA.

De Blaſphemia hæreticali quo ad eſſentiam, & diſtinctionem.

Diuiditur autem in duos articulos. Primus tangit eſſentiam Blaſphemiæ; Alter verò ponit diſtinctionem inter Blaſphemiam hæreticalem formaliter, & hæreſim formalem. itemq; diſtinctionem inter Blaſphemiam hæreticalem, & ſimplicem.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

Blaſphemia hæreticalis quæ?

ALiqui reſpondent illam eſſe, quæ hereſim ſapit; *Eymer. 2. par. Direc. quæſt. 41. num. 1. & 2. vbi Penna commen. 66*

Alij volunt illam eſſe, qua euomitur aliquid Fidei contrarium: vtpotè Deum eſſe iniuſtum, impotentem, ignarum, & quid ſimile. *Sanchez lib. 2. cap. 32. nu. 117.*

Diuiditur autem in quatuor ſpecies,

Prima eſt, cum Deo attribuitur, quod ei nō conuenit, vt iniuſtitia.

Altera, cum ei denegatur, quod ſibi conuenit, vt iuſtitia.

Tertia, cùm creaturæ attribuitur, quod ei non conuenit, vt Diabolo omnipotentia.

Quarta denique, cum quis Fidei credenda abnegat, vt Sacramenta, aut ipſammet Catholicam, & Orthodoxam Fidem, quam Romana ſequitur Eccleſia.

Iuxtà verò nōnullorum Doctorum placitū. Blaſphemia hęreticalis in duas tantùm diuiditur ſpecies; quarum altera continet inſimul quatuor prædictas ſpecies; quarum ſingulæ precisè verbis conſummātur. Altera verò eſt, quæ è contra non verbis, ſed factis præcisè perpetratur, qualis eſt, ex. gr. Sanctorum imaginū conculcatio, deturpatio, aliauè rebus ſacris, aut ſacratis iniuria; & de vtraq; venit intelligēdus textus vtriuſque denunciationem præcipiendo: procedit nanque in hoc textu regula illa legalis, .s. lex generalr̄ loquēs, generalr̄ eſt intelligenda, *l. de Pratio, ff. de Public. in rem act.*

Sed attende Blaſphemiam (propriè loquēdo) non conſiſtere in factis, ſed in ſolis verbis, ore, vel ſcripto prolatis; & ratio eſt, quia opponitur laudi diuinæ, quæ ſolis verbis exhibetur: licèt honor, qui contrariatur blaſphemiæ, factis, aut ſignis etiam exhibeatur. *Suarez tom. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. nu. 4. & 5. Sanchez in Opere Morali tom. 1. cap. 32. nu. 3.*

Dices, quomodo cognoſcitur Blaſphemia hæreticalis? Reſpondeo ita cognoſci, quia per verbum indicatiui modi aſſeritur aliquid Fidei contrarium, dico indicatiui modi: quia quando profertur per verbum modi optatiui, aut imperatiui, nihil falſum dicitur .i. nihil aſſeritur, vel negatur: verùm hoc intellige, niſi aliquod affirmatiuum, vel negatiuum includatur in dicto: vt ſi quis ità blaſphemet, ò Deum iniuſtum; includitur .n. in hac blaſphemia, affirmatio, .s. Deum eſſe iniuſtum. ità *Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. nu. 7. & 8. Sanchez in Opere Morali, tom. 1. cap. 32. nu. 36.*

Cognoſcitur etiam hæreticalis per differentiam à ſimplici, quæ non affirmat, nec negat aliquid contra Fidem; vti hæreticalis; ſed tantùm irreuerenter, & contumelioſè profertur. *Albertinus de Agnoſc. quæſ. 6. nu. 25. Eymer. 2. par. Direct. quæſ. 41. nu. 1. & 2. vbi Pen. Comm. 66 & alij.*

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex eſt blaſphemia hæreticalis?

REſpondeo duplicem eſſe, vz. aliam formatam, quæ eſt cum intentione dehonorandi Deum, qualis eſt illa damnatorū, & odio habentium Deum, vti ſunt aliqui Aleatores, qui in ludo (deperdita notabili denariorum ſumma) illicò afficiuntur odio contra Deum, ſumuntq; vindictam hęreticalia Deo attribuētes. Alia verò eſt informis, illa .s. quæ eructatur abſq; tali praua intentione; vti eſt illa; quæ procedit ex ira; cuius tamen circunſtantiæ deſignāt blaſphemiam hęret., vndè denunciatur S. Off. Patet in ſimili de Fide, quæ item duplex eſt, nō min⁹ blaſphemia, nimirùm formata, & informis; formata dicitur illa, quæ charitati coniuncta eſt: informis verò eſt illa, quæ charitate non perficitur. Et quemadm̄ Fides eſt verè virtus, lz. careat perfectione charitatis; ità blaſphemia eſt verè hęreticalis in S. O. ſi hęreticè detrahet Deo, lz. nō adſit mala voluntas ipſū dehonorādi. Legēdus eſt *Bannes 2. 2. qu. 13. art. 1. notab. 4. Petrus de Ledeſma tom 2. Sum. tract. 1. cap. 9 concl. 4. Mazuchellus de Caſ. reſer. cap. 10. diff. 1. nu. 5.* qui affert eamdem diſtinctionem de blaſphemia in genere.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An inter blaſphemiam hæreticalem, & hæreſim intercedat diſcrimen.

REſpondetur affirmatiuè; quadruplex autem reperio diſcrimen: primum, quia blaſphemia hæreticalis eſt formalitèr talis, etiam ſi non adſit error in intellectu, vt ex communi teſtantur DD. poteſt enim quis aliqua motus paſſione: v. g. ira aliquid velle ſignificare falſum, quod tamen non credit ita eſſe: ex. gr. Petrus iratus contra Paulum virum doctum, contumelioſè ipſum vocauit ignarum, licèt ipſum crediderit doctum eſſe: Secùs verò dicendum eſt de hæreſi .s. formali, quæ neceſſariò inuoluit aſſenſum vnà cum ſignificatione falsà à parte rei: aut ſaltèm credita tali, & contra Eccleſiæ determinationem, quamuis non ſit.

Alterum eſt, quod blaſphemia hæreticalis (propriè loquendo) ſolùmodò conſummatur

or e

ore; cum directè laudi diuinæ proprio modo ſumptæ opponatur; ſed hæreſis conſummatur non tantùm ore, ſed etiam opere. Dixi (propriè loquendo) quia impropriè, & largè nuncupatur etiam blaſphemia opus prauum, iuxtà illud Auguſtini tractatu 50. in Ioann. poſt initium: *Qui malè viuunt, & Chriſtiani vocantur iniuriam Chriſto faciunt, de quibus dictum eſt*; quod per eos nomen Dei blaſphematur; & in primis hoc procedit, ſi facta ſint directè, & immediatè in dedecus Dei, aut Sanctorum, vt ipſorum imaginum conſpurcatio, aut dilaceratio iniurioſè facta. *Carbonus tom. 3. lib. 1. cap.* 59.

Tertium eſt, quia hæreſis aduerſatur Fidei; blaſphemia verò tàm ſimplex, quàm hæreticalis aduerſatur religioni: grauiùsq; eſt peccatum, quod aduerſatur Fidei, quàm religioni: & perindè grauiùs peccatum eſt hæreſis, quàm blaſphemia: nam illa tollit totum auferendo fundamentum: iſta verò tollit tantum debitam reuerentiam.

Verùm blaſphemia quatenus procedit ex odio Dei, eſt maius peccatum hæreſi; quia opponitur charitati, quæ eſt maxima omniũ virtutum, 1. *Corint. cap.* 13. ità *Carbonus loc. cit. & Theologi communitèr 3. Sent. part.* 2. *in tr. de virtutib.*

DIFFICVLTAS II.

An differant ab inuicẽ blaſphemiæ hæreticalis à ſimplici.

QVid ſit vtraq; blaſphemia traditum eſt in noſtris *Comm. ſuper Caſus reſ. p. 2. caſ.* 11. propterea ad ibi dicta vos remitto.

Ad difficultatem reſpondetur affirmatiuè, notoq; inter ipſas triplex diſcrimen, quorum

Alterum eſt reſpectu grauitatis.

Alterum reſpectu Iudicis ipſarum.

Tertium vero reſpectu falſitatis.

Quo ad primum differunt; quia ſimplici (cæteris paribus) grauior eſt hæreticalis; quo fit, vt eius abſolutio difficiliùs obtineatur; quòd notum eſt: nam vbi maius periculum, ibi cautiùs eſt agendum, *l. 1. §. Si quis, ff. de Carbonario Edicto, l. manifeſtiſſimi C. de furtis.*

Quo ad ſecundum verò, ſciendum eſt, quòd blaſphemia ſimplex eſt mixti fori; adeò, vt inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſecularem detur locus præuentioni, *cap. 2. de maledictis, & ibi Abbas, nu.* 9. hæreticalis verò ab Epiſcopo, vel Inquiſitore cognoſci debet, *cap. Vt Inquiſitionis, §. Prohibemus de hæreticis in 6. & Eymericus in Direct. Inquiſ. par. 2. quæſ. 46. verſ. Sic arguitur*, quod notat *Praxis Archiepiſcopalis Frãciſci Leonis, par. 2. cap. 16. num. 30. Lazarius de blaſphemia, quæſ. 5. nu. 79. & quæſ. 6. num. 3. & regularitèr DD.*

Quoad tertium blaſphemia hæreticalis falſitatem continet; quia aliquid Deo attribuit, quod ei non conuenit, vt partialitatem: vel negat, quod ſibi conuenit, v. g. miſericordiam cum voluntate quadam ipſi derogandi. *Carbonus tom. 3. lib. 1. cap. 58. poſt D. Thom. 22. quæſ. 13. ar.* 1. Simplex autèm blaſphemia nihil falſi inuoluit: ſed tantùm euomitur cum quadam voluntate, & modo cõtumeliandi, vt dicendo, *Chriſtone, perche non mi fai vincere?*

Hæreticales ità appellantur, quia ſunt ſimiles hæreſi; cum in externo ſignent falſitatem, vt facit hæreſis: è contra ſimplices, quia non deſignant falſitatem, nec vniuntur cum illa; ideò ſortiuntur nomen ſimplicis. *Layman lib. 4. tract. 10. cap. nu.* 1.

DIFFICVLTAS III.

An blaſphemiæ, ſiue hæreticales, ſiue ſimplices ex praua conſuetudine, vel ira inaduertentèr euomitæ ad culpam mortalem ſint imputandæ.

NOtan. non quæro, an peccet, qui ſatis aduertens prauam conſuetudinẽ blaſphemandi, à ſe illam auferre minimè curat; quia conſtat peccare: ſed quæro, nùm blaſphemię ex praua conſuetudine inaduertentèr prolatæ ſint mortalitèr peccaminoſæ.

Reſpõ dictas blaſph. ad culpã mort. minimè imputari: quia, nec ſunt peccata in ſe ratione inaduertentię: nec in cauſa: nam peccata, quę ex ore procedunt, ſunt talis naturæ, vt nullam ex ſe malitiam habeant; & conſequentèr ad culpam non imputentur; niſi quatenus à mala voluntate procedunt; quę talis non eſt cenſenda, niſi quando agit cum plena aduertentia, & deliberatione iuxtà Euangelicum dictum: *Nõ quòd intrat in os, hoc coinquinat hominem; ſed quod ex ore procedit: de corde enim exeunt &c.* ex quo conijcitur, quòd ea, quæ ex ore prodeunt, non ſunt peccata, niſi quatenus à corde ortum habent: ità *Sanchez in Summa tom. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 28. Regin. in Praxi t. 2. lib. 18. cap. 6. ſect. 3. num. 85. Suarez de Religion. tõ. 2. lib. 3. cap. 7. Fillin. to. 2. tract. 25. cap. 10. nu. 317. Sancius in Selectis diſp. 20. nu. 5.* contra nonnullos, quos notat *Mazuchell. de Caſ. reſer. diſp. 2. cap. 16. q. 4. diff. 4. nu. 75.*

Argues, Ebrio imputatur homicidiũ, quod ante ebrietatem præuiderat: ergò, & blaſphemanti ex praua conſuetudine imputandæ erũt blaſphemiæ, quam minimè conatus eſt extirpare; nihil obſtante inaduertentia.

Reſpondetur cum *Sanchez loc. cit.* negando ſimilitudinem: Primò, quia homicidium, licèt proximo non ſit iniurioſum, vtpotè abſq; intentione patratum: eſt tamen illi maximè nocuum: blaſphemiæ verò inaduertẽtèr euomitæ, quemadmodum nulli ſunt iniurioſę: ità nec nociuæ, vt ſuppono: vbi autèm maius periculum, ibi cautiùs eſt agendum, *l. 1. §. Si quis. ff. de Carbon. Edict.* ideò nec procedit ſimilitudo. Secundò, homicidium eſſentialitèr conſiſtit in priuatione vitæ, quod non minus in ebrietate, quàm extra conſummatur: ſecùs dicẽdum eſt de blaſphemia, quę formalitèr conſummatur tm̃ prauo affectu voluntatis.

Nec obſtat huiuſmodi homicidium prędicti Ebrij ratione defectus intentionis, non eſſe formale; nam quamuis non ſit tale in ſe: eſt tamen tale in cauſa, quia priùs nouit, quod etiã in tali ſtatu nocet, quòd non poteſt dici de blaſphe-

ſphemijs, cum in tali ſtatu (dempto ſcandalo) non ſint in iniuriam Dei, nec in damnum proximi; vndè non ſunt in cauſa mortaliter peccaminoſæ.

Contrà: ſi blaſphemiæ per te ex praua conſuetudine inaduertentèr prolatæ non forent peccata; ſequeretur, quòd minus malum eſſet blaſphemò inducere ſibi blaſphemãdi cõſuetudinem, quam illam à ſe abſcindere; vt vel ſic blaſphemiæ, quas in die inaduertentèr eructat; ſibi non imputarentur, quod non eſt dicendũ.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia licèt non peccet blaſphemus ratione inaduertentiæ; peccat tamen ratione ſcandali, quouſq; conſtet apud doctos de totali inaduertentia, aut ſuperabundanti ira: dico apud doctos; quia apud rudes fortaſsè nunquàm tollitur, ſi non erudiantur; vndè dicta praua conſuetudo non eſt illi in adiutorium, ſed in damnum; & proptereà argumentum contra te retorquetur.

Verùm aliqua veniunt notanda. Primò oppoſitam ſententiam inſignes habere patronos, qui eam defendunt, volentes dictos blaſphemos peccare in cauſa; quam ſententiam cenſeo tantùm admitti poſſe ratione circunſtantiæ, non autèm abſolutè.

Secundò, Cõfeſſariorum partes eſſe admonere pœnitentes, quòd cõſuetudinem abolire poſſunt ſtabili propoſito ampliùs nõ blaſphemandi de cætero: itèmq; quod ab audiẽtibus meritò deferri poſſunt ad S. Officiũ; niſi ſtatim euomita blaſphemia publicè ſe corrigant dando de hoc ſignum extrinſecum, vt percutiendo os ſuum, pectus &c. intellige tamèn præmiſſa correptione fraterna, & non admiſſa ab illis, vt conſtat ex dictis alibi, .s. de Denunciatione lib. 4. Dixi ſalua cenſurà.

DIFFICVLTAS IV.

An diſtinguatur blaſphemia hæreticalis ab atroce.

Reſpondetur affirmatiuè. Blaſphemia dicitur atrox, quia iniurioſa: dicitur verò hæreticalis, quia ſapit hæreſim; & vtraque eſt triplex iuxtà triplicem gradum atrocitatis, & ſuſpicionis hæreſis .s. de leui, de vehementi, & de violenti: nam datur blaſphemia atrox, longè atrox, & atrociſſima, licèt communitèr longè atrox, vel atrociſſima, cõſueuerit nominari ſolummodò atrox. Ex blaſphemia hæreticali naſcitur ſuſpicio hęreſis maior, & minor iuxtà tres gradus ſuſpicionis ſupradictos; Iudices autèm ſeculares circa ipſam attendunt maiorem, vel minorem atrocitatem; & iuxtà ipſius gradus blaſphemantibus pęnas infligunt: Inquiſitores verò conſiderant maiorem, & minorem hæreſis ſuſpicionem; & iuxtà gradum abiurare faciunt blaſphemos de leui, aut de vehementi: prout quis delinquit, & ità debet puniri; qui plus delinquit, plus punitur; & qui grauiùs, grauiùs debet puniri: nam iuxtà delictum, & plagarum modus, teſte Diuina Scriptura.

DISTINCTIO SECVNDA.

De nonnullis blaſphemijs hęreticalibus in ſpecie apud impios frequentioribus, quas vnico articulo complectimur.

ART. VNICVS DIFFICVLTAS I.

An ſit blaſphemia hæreticalis effutire illud execrandum .s. ſanctum Diabolum: quæ aliquibus in locis frequens eſt, vt plures teſtantur DD.

Reſpondetur, licèt aliquibus in locis, vt in Sicilia proptèr communem vſum habeat rationem ſimplicis blaſphemiæ: tamen reipſa facere Dæmonem ſanctum eſt blaſphemia hæreticalis; patet tum, quia ſanctitas attribuitur creaturæ potiſſimũ impijſſimæ; quæ conuenit ſoli creaturæ ab omni impietate, & terrena labe exẽptæ, prout fert creata fragilitas: tum quia ſanctitas, vti virtus generalis omnem perfectionem complectens, eſt omninò à Dęmone aliena, maximè, cum cõtrarias teneat qualitates: tum prætereà, quia talis eſt communis ſenſus tum Eccleſiæ, tum omnium Sanctorum Doctorum, conſtat.

DIFFICVLTAS II.

An blaſphemet hæreticalitèr, qui ex ira erumpit in hæc verba: .s. non eſt Deus, niſi hominem (ſignato N.) grauitèr puniat etiam in hoc præſenti ſtatu.

Reſpondetur affirmatiuè: ratio eſt, tum, quia potentiam ad nõ eſſe attribuit Deo æterno, qui eſt ipſummet eſſe, ab omni re independens: iuxtà illud Sac. Script. *Ego ſum, qui ſum, Exodi cap. 3.*: tum quia Dei exiſtentia vult pendere ex re contingenti .s. ex punitione alicuius, quod maximum eſt abſurdum, cõſtat: tum prætereà, quia attribuit falſum Deo per modum indicatiui temporis; quòd eſt adamuſſim qualitas hæreticalitèr blaſphemantis, vt communitèr tradunt Doctores. *Candidus in Diſquiſ. Moralibus par. 1. diſq. 19. art. 2. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. num. 7. & 8. Sanchez in Opere Morali tom. 1. cap. 3. n. 36. Albertinus de Aſſertion. Catholicis quæſ. 6. nu. 25. Eymericus 2. par. Direct. quæſ. 41. nu. 1. & 2. vbi Penna Comm. 66. & alij.*

Idem iudicium faciendum eſt de his, qui relaxant os in has blaſphemias: non credo in Deum, renego Deum, Fidem, Crucem, Chriſma, Baptiſma, &c. quia omnes, & ſingulæ inuolunt errorem contra Fidem per modum indicatiui. Opponunturq; cõfeſſioni Fidei, quatenùs affirmant, aut negant, quod Fides docet: religioni verò, prout tollunt reuerentiam Deo debitam. *S. Thom. 2. 2. quæſ. 13. art. 1. Ledeſma in Summ. tom. 2. tract. 1. cap. 9. concl. 1. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæſ. 2. & alij.* Paritas ãt rõnis, paritatem exigit diſpoſitionis; ſimile factum, ſimili iure finitur: eadem ratio, idem ius.

DIFFICVLTAS III.

An blaſphemia illa impiiſſima; vz. al diſpetto di Dio, *ſit hæreticalis.*

RAtio difficultatis eſt, quia nonnullis, quorum nomina ſub ſilentio inuoluit *Nald. ver. Blaſphemia*, viſum eſt huiuſmodi verborũ locutionem importare quidem blaſphemiã; ſed non hæreticalem, illam ſic interpretantes; etiam, ſi nouerim delictum hoc Deo diſplicere: attamen illud perpetrare volo; ità eam in ſpecie declarat *Suarez de Fide*: vult enim per hæc verba, non ſignificari aliquid fieri poſſe contra efficacem Dei voluntatem; ſed enixam ſignificari voluntatem aliquid agendi, licet Deo diſpliceat voluntate antecedente, vt vtar Theologorum verbis: ità obſeruant DD. infrà citandi, quam tamen opinionem minimè ſequuntur.

Difficultati reſpondetur affirmatiuè, colligitur ex *Gramat. deciſ.* 50. *Menoch. de Arbitrar. Iud. caſu* 395. *num.* 4. *Molfeſ. in Summa, tract.* 11. *cap.* 3. *nu.* 20. *& 27. Nald. in Sum. verb. Blaſphemia num.* 1. *Cæſare Carena de Modo procedendi in Sancto Officio, tit.* 7. §. 2. *nu.* 8. *Lazario de Blaſphemia, quæſ.* 7. *nu.* 37. *Capeauilla de Caſib. reſer. c.* 19. *quæſ.* 2. *Tol. lib.* 4 *c.* 13. *nu. Sayro in Claui lib.* 6. *cap.* 13. *nu.* 3. *& alijs.*

Probatur primò, quia huiuſmodi obloquutor pro quanto in ſe eſt, facit Deum impotentem; deſignat enim ſe aliquid facturum, velit, nolit; ac ſi diceret, Deus mihi impedire non poteſt, quin hoc faciam.

Secundò, quia ſic negat ipſius omnipotentiam contra primum Fidei articulum.

Tertiò, quia in Sancto Officio inconcuſsè habetur pro hæreticali, vt teſtatur *Carena* Auditor, Conſultor, & Aduocatus Fiſcalis S. Officij Cremonæ loc. cit.

Ego ſentio cum diſtinctione procedendum eſſe: nam aliud iudicandum erit in foro exteriori S. Tribunalis, in quo non creditur Reo in fauorem ſui loquenti; aliud in foro interiori Sacramentalis confeſſionis, vbi nos ſumus; & in quo creditur pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe. In foro Inquiſ. dicta verba important blaſphemum velle operari aliquod contra abſolutam Dei voluntatem; & ſic propoſitio huiuſmodi eſt hæreticalis contra articulum omnipotentiæ; & ſubindè Cenſoribus Fidei venit denuncianda: quod ſecus dicendum eſt in foro ſacramentali reſpectu abſolutionis, in quo, ſi pœnitens declarauerit ſe, quod his verbis præciſè intellexit oſtendere ſuam enixam ac deliberatam voluntatem ſumendi, v. g. vindictam de inimico ſuo; licèt noſſet Deo diſplicere, ac crederet ab ipſo omninò impediri poſſe; non iudicabitur talis.

Dices, blaſphemiam fieri hæreticalem non ex eo, quod credo, ſeu teneo aliquam propoſitionem eſſe contra illud, quod noui tenere Eccleſiam Catholicam; quia ſic blaſphemia non diſtingueretur ab hæreſi: ſed ex eo, quod intendo proferre in iniuriam Dei; iſte autèm talitèr blaſphemans hoc modo ſe gerit, ideò exiſtit blaſphemus hæreticalis. Reſpondeo conceſſa maiori, negatur minor: nam deuomens hæc turpia verba (*al diſpetto di Dio*) cum ipſe ſit horum verborum editor, ad ipſius interpretationem in confeſſione ſacramentali recurrere oportet; cui, cum præſtet fidem Cõfeſſarius tàm pro ſe, quàm contra ſe, nec peccet blaſphemus alio modo, quàm velit; ſi dicat, quod his verbis voluit tantùm deſignare deliberatam voluntatem peccandi: licèt ſciret diſplicere Deo: non autèm iniuriandi illum, dicendum eſt non euomiſſe blaſphemiam hæreticalem pro illo foro, ad differentiam fori externi, vbi iudicatur talis, cum in illo nõ præſtetur fides Reo, ſed ſtetur legitimis probationibus, & interpretationibus dicti fori. Vndè non obſtat obiectio. Verùm attende, quòd ille, qui ſentit ſua actione poſſe impedire Dei omnipotentiam; nõ eſſet præciſè blaſphemus hæreticalis, ſed verus Hæreticus, qui quomodo ab inuicem diſtinguantur, vide ſupra, vbi ſecernimus blaſphemum ab Hæretico.

DIFFICVLTAS IV.

An blaſphemia illa execrabilis, vz. Putana di Dio, *ſit deferenda Fidei Cenſoribus; & perindè Confeſſarius denegatione abſolutionis ad hoc compellere debeat pœnitentes, qui illam audierunt, ſi obedire renuat.*

DIfficultas hæc ex duabus ſequẽtibus pendet, vz. an hæc blaſphemia ſit hæreticalis: itèm an talis blaſphemia ad Inquiſitorem, vel ad Epiſcopum pertineat.

Blaſphemiæ autèm Inquiſitoribus deferendæ ſunt, quæ contra Fidei articulos proferuntur, vt Deum non eſſe omnipotentem: itèm quæ confeſſioni Fidei directè opponuntur: vt abnego Deum, non credo in Deum, renego Fidem &c. ità *Pegna in Directorio Inquiſ. Comm.* 66. *Laurentius Peirinus in Priuilegijs Minimorum tom.* 2. *Conſtit.* 9. *Pauli V. num.* 16. *Lazarius de Blaſphemia, quæſ.* 7. *nu.* 5. *Arſenale S. Inquiſitionis part.* 1. *ibi, de Beſtemiatori.*

Aliqui Doct. tradunt aliam regulam ad cognoſcendas blaſphemias hæreticales, vz. quòd tales ſunt, quando per verbum indicatiui modi aſſeritur aliquid Fidei contrarium, ità *Zanardus in Direct. Theologorum part.* 2. *ſecundæ part. cap.* 64. *Cæſar Carena tract. de Modo procedendi in cauſis S. Officij tit.* 7. *nu.* 9. *& nos ſupra.*

Ad difficultatem: Reſpondetur quoſdam Doctores cenſere hanc blaſphemiam non eſſe hæreticalem; & proindè Fidei Cenſoribus minimè deferendam eſſe. ità *Vincentius Grilenzonius conſ.* 85. *num.* 18. *Peirinus loc. cit.* quorum ratione eſt, tum quia illam euomentes per hæc verba vel neſciunt, quid dicant, niſi quòd de Deo obloquuntur; aut ſaltèm non intendunt irrogare iniuriam illam Deo, quòd habeat meretricem; ſed potiùs irreuerentèr, & fortè iniurioſè nominant mulierem aliquam, quę iam

meretrix, nunc autèm ad Deum conuerſa: v. g. Magdalena: Contrarium ſentiunt communitèr DD. *Arſenale S. Inquiſ. loc. cit. Naldus ver. Blaſphemia, nu. 1. Cæſar Carena loc. cit. Bellochius de Caſibus reſer. par. 2. quæſ. 1. nu. 241. Homobonus de Caſibus reſer. par. 2. caſ. 1. verſ. Contra colligitur, & alij.* ratio eorum eſt, tum quia repugnat puritati diuinæ: tum quia tale communitèr conſtat eſſe peritorum iudicium. Idipsū quoque, & ob eandem cauſam dicendum eſt de ſimilibus, ex. gr. de illa, (*Vota di Dio*) quòd notat *Cæſar Carena loc. cit. & Viuius deciſ.* 388.

Idem itidē de illa (*Putana della noſtra Donna*) nam contrariantur immaculatæ puritati Virginis Mariæ, *Lazarius de Blaſphemia quæſ. 7. nu. 5.* apud quem *Plot. Decianus tract. crimin. tom. 2. lib. 6. cap. 5. nu.* 4. Non euomat venenum, qui non vult denunciari, vt venenatus.

DIFFICVLTAS V.

An in euentu improuiſæ occiſionis alicuius ſit blaſphemia hæreticalis dicere: ſic erat in fatis.

Satisfaciendum eſt difficultati diſtinctione ſic: vel dicta verba ſumuntur communitèr ſecundum falſum ſenſum Gentilium credentium fatum .i. ſecundas cauſas imponere neceſſitatem abſolutam hominibus; & perindè blaſphemia eſſet hæreticalis: patet tàm ex parte improuisè occiſi, qui non fuit coactus abſolute tali tempore, hora, cum talibus ſocijs exiſtere, vel occurrere inimicis, vel inueniri in tali loco &c. patet idem ex parte voluntariè occidentis, qui itèm non cogitur ad occidendum, cum eius volūtas ſemper maneat libera.

Vel huiuſmodi dictum accipitur iuxtà verū ſenſum Catholicorum, qui apprimè noſcunt fatum, hoc eſt, ſecundas cauſas minimè auferre libertatem humanam; nec Deum ſecundarum cauſarum effectus contingentes impedire ſolere, vt tradit *D. Auguſ.* pluribus in locis; & ſic non eſt blaſphemia, nec hæreticalis, nec ſimplex: faciunt, quæ docet *Lopez p. 1. Inſtr. c. 282. verſ. ſeptima. Candidus in Diſquiſit. Moral. par. 1. Diſquiſ. 19. art. 3. dubit.* 5. Nec (vt innui) admitto fatum, niſi prout ſumitur pro diuina prouidentia, quæ ſecundas cauſas ordinat ad effectus producendos. *Gryſaldus in Deciſion. Fidei, ver. Fatum.*

DIFFICVLTAS VI.

An ſit blaſphemia hæreticalis dicere: hoc eſt ità verum, ſicut Euangelium.

Reſpondetur diſtinctione ſic: duplicitèr cōſiderari poteſt huiuſmodi propoſitio, altero modo, vt illa dictio (ſicut) deſignet æqualitatem, & ſic dicta propoſitio hæreſim in ſe inuoluit; quia ſemper magis eſt certa veritas reuelata, quale eſt Euangelium, quàm quæcūque alia veritas humana, licèt euidentiſſima: altero vero modo quatenus .s. dictio illa (ſicut) dicit ſolùm ſimilitudinem; & ſic minimè hæreſim continet: & regularitèr ex cōmuni vſu venit hoc modo intelligenda, niſi in confeſſione, vel extra alitèr conſtet. *Sanchez in Sum. lib. 4. cap. 32. num.* 54. quem ſequitur *Cæſar Carena in in tract. S. Officij, part. 2. tit. 7. num.* 54. quibus me ſubſcribo nedum ob eorum rationem, ſed etiam quia prolator huiuſce propoſitionis in hac comparatiua ſimilitudine conijcio prædiſè comprobare dictum ſuum ex certitudine veritatis Euangelicæ. Verùm partes Confeſſarij erunt admonere pœnitentem, vt caueat ab huiuſmodi verbis, tanquàm temerarijs, ſcādaloſis, piarumq; aurium primo acceſſu offenſiuis.

DIFFICVLTAS VII.

An hæc blaſphemia, abnego D. Franciſcum, ſit hæreticalis.

Reſpondet *Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 32. num.* 36. non eſſe talem, nec denunciandam Inquiſitoribus: verba illius ſunt (quando de Sanctis renegatur, nil inueni apud Doctores, an ſint blaſphemiæ hæreticales huiuſmodi renegationis verba, vt renego D. Petrum: ſed exiſtimo non eſſe, nec de illis cognoſcunt Inquiſitores, vt ab ipſiſmet recepi; quia non negatur aliqua veritas de illis pertinens ad Fidē, ſed tantum eſt verbum quoddam cōtumelioſum in Sanctos, & ideò blaſphemum, hæc ille, quem ſequitur *Carena de Officio S. Inquiſ. par. 2. tit. 7. nu. 12. Facundez tom. 1. in Decalog. lib. 2. c. 3. nu.* 26. & in terminis de renegante Sanctū Franciſcum, *Bonac. de Legibus diſp. 3. qu. 8. p. 1. nu. 3. & 4. in fine.* Hinc *Sebaſtianus Cæſar. de Eccleſ. Hierarchia diſp. 1. §. 4. nu.* 9. ità proloquitur, *Si quis negauerit D. Franciſcum*: v. g. eſſe in Cœlo, non propterea apertè Hæreticus reputatur; vt enim talis ſit, neceſſarium eſt, vt neget aliquid, quod ſcit, vel ſcire debet eſſe contra ſententiam ab Eccleſia traditam, tanquàm de Fide ſine vlla apud orthodoxos controuerſia, quòd in propoſito nō contingit; Verùm mihi hæc reſponſio in totum non probatur, .s. quo ad partem, quod non ſit denuncianda: nam ex *Calepino ver. Abnego*, hoc verbum ſonat maximè nego, quod maximè profiteri debeo: vndè, quia hæc propoſitio, abnego Sanctum Frāciſcum, ſonat nego Sanctum Franciſcum eſſe Sanctum; & conſequentèr potuiſſe Papam, & Eccleſiam errare illum canonizando: ideò

Dico primò talem propoſitionem eſſe temerariam; nam temerarium eſt dicere Sanctū ab Eccleſia canonizatum non eſſe Sanctum, vt *Turrianus tom. 1. in. 2. 2. diſp. 16. dub. 3. §. 2. placet, & § 4. dicendum, contra Megalium tom. 1. Promptuar. ver. Canonizatio nu.* 3. & alios putantes eſſe Hæreticum. *Lazarius Canon qq. quæſt. 12. de Blaſphemia nu.* 92. in ſimili de illo, qui diceret B. M. V. non fuiſſe in corpore aſſumptā in Cœlo, qui licèt non eſſet Hæreticus; cum talis veritas non ſit propoſita ab Eccleſia tanquàm de Fide: eſſet tamen nimis temerarius: hoc habes in proprijs terminis apud *Cæſarem Sebaſtianum de Eccleſiaſt. Hierarchia diſp. 1. vbi ſupra*, qui prædictæ ſuæ aſſertioni addit: eſſet tamèn temerarius, & ſcandaloſus, .s. qui diceret,

ret, nego D. Franciſcum, & vtrumque probat *Cano de locis Theol. lib. 5. cap. 5.* nimirùm, quòd dicta propoſitio nō eſt hæreticalis: ſed tantùm temeraria, & ſcandaloſa.

Dico ſecundo tale dictum Inquiſitoribus eſſe denunciandum, quia ſaltèm hæreſim ſapit dicere Sanctum Canonizatum ab Eccleſia, nō eſſe Sanctum: aut illam errare poſſe in canonizatione, vt plenè probat *Bannes in 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 7. concl. 2.* & colligitur ex *D. Thoma quodlibet. 9. ar. 16.* vbi ait (quia honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio Fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus) iuſtè credendum eſt, quòd nec etiam in Sanctis canonizandis iudicium Eccleſiæ errare poſſit, idem probat *Sebaſt. Cæſar. loc. cit.*

Vndè notandum, quòd Sanctorum Canonizatio per traditionem habetur in Eccleſia Dei; cum ad communes Eccleſiæ mores multùm referat ſcire, quos debeamus religione colere. vide *cap. A nobis il ſecondo, de Sentent. Excommunicat. & gloſ. in cap. Glorioſus, de Reliq. & veneratione Sanctorum in 6. Candelabrum Aureum par. 3. cap. 17. Bariolam in Floribus Direct. par. 2. ad Comm. 42.*

Idemq; ſentiendum de Generalibus Concilijs auctoritate Papæ confirmatis, & de Eccleſia in pertinentibus ad Fidem, & vniuerſales ipſius Eccleſiæ mores, ad ſalutem neceſſarios. *Ex Pegna par. 2. Comm. 42.* quod notat *Bariola ad dictum Comm. Peirino de Priuilegijs Minimorū par. priori, Conſt. 16. nu. 9. Bellarmino tom. 2. controuer. 4. lib. 1. cap. 9. Garzia in digreſſione de Canonizatione Sanctorum §. 13. Azor. par. 2. lib. 5. cap. 6. quæſt. 5. D. Thom. quodlibeto 9. art. 16. qui in arg. ibi, ſed contra,* ait, in Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis; qualis foret iſte, ſi veneraretur tanquàm Sanctus, qui fuit peccator; quia ſcientes ipſius peccata, crederent hoc eſſe falſum; quòd ſi ità cōtingeret, ad errorem perduci poſſent: ergò Eccleſia in talibus errare non poteſt.

Nec obſtat illud dicteriū, quod D. Auguſtino attribuitur, vz. *Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna:* quia (*teſte Bellarmino, quem citat Peirinus loco notato*) nunquàm in operibus D. Auguſtini illud potuit reperire: quod ſi reperiretur, intelligi poſſet de impijs, qui honorantur ſuperbiſſimis ſepulchris; cum tamèn eorum animæ torqueantur in gehenna: vel de corporibus fraude aliqua ſuppoſitis pro corporibus Sanctorum: vel deniq; de Martyribus Donatiſtarum, qui honorabantur ab Hereticis, vt Martyres, cum eorum animæ re vera torquerentur in Inferno. hucuſq; *Peirinus loc. cit.*

DIFFICVLTAS VIII.

An propoſitio aſſerta contra ſententiam Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Gregorij, vel aliorum DD. ab Eccleſia approbatorum ſit cenſenda hæretica.

Senſus eſt, an teneat hæc conſequentia; hæc propoſitio eſt contra Auguſtinum, Hieronymum, & alios; ergò eſt hæretica.

Notandum, quòd Doctores ab Eccleſia approbati, ſunt Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, &c. quos colligere eſt ex *cap. Glorioſus Deus, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum lib. 6. & ex cap. S. R. E. diſt. 15. & ex D. Thom. in lib. contra Gentiles 4. cap. 24.* vti notat *Arnaldus Albertinus, de Aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis, quæſ. 15. nu. 2.*

His habitis: Reſpondetur duabus propoſitionibus.

Prima, ſcripta prædictorum DD. de Fide Catholica, aut de condemnatione Hereticorū ſunt ab Eccleſia talitèr approbata; vt nulli liceat contrarium ſentire, alioqui cenſetur Hæreticus. vide *Cardinalem de Turre Cremata diſt. 9 D. Thom. loc. cit. Auguſtinum de Fide ad Petrum cap. 9* quod obſeruat in primis *Arnaldus vbi ſupra nu. 12.*

Secunda propoſitio, ſcripta prædictorum DD. materiam alterius generis tractantia ab Eccleſia non approbantur talitèr, quòd non liceat aliter ſentire: nec ſunt ea tenenda tanquàm veritates Catholicæ. *Arnaldus loc. cit.*

Probatur primò, quia ipſimet DD. de dictis ſuis dubitant, an in eis errauerint, vel nō. vndè *D. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 2.* inquit: *Nec pigebit me, ſicubi hæſito, quærere: nec pigebit me ſicubi erro, me corrigere*, & hoc patet in *Lib. Retractationum*, in quo multa ex dictis ſuis damnat, & retractat, & idem intelligere poſſumus de alijs DD. vti probatur eiuſdem *auct. in cap. Negare, diſt. 9.*

Probatur ſecundò ex diſcordia, quæ inter ipſos DD. reperitur. Diſcordia enim teſtimonium eſt falſitatis; cum ſit neceſse, quòd vnus diſcordantium falſum dicat; quia neceſſariò vna pars contradictionis eſt falſa: verò enim, & veritati omnia conſonant, vt tradit *Phyl. 1. Ethicorum*; qui vult videre diſcordantias inter Auguſtinum, & Hieronymum: inter Auguſtinum, & Bedam: inter Hieronymum, & Ambroſium: legat *Arnaldum Albert. loc. inf. cit. nu. 5. & Picum in 1. quæſt. ſuæ Apologiæ.*

Probatur tertiò à ſpeciali prærogatiua Sac. Scripturæ, cui ſoli conceditur infallibilis veritatis excellentia. Vndè dicebat *Auguſt. in cap. Quis neſciat, diſt. 9.* quòd de Scriptura Sacra omninò dubitari, & diſceptari non poteſt, vtrū verum, vel vtrum rectum ſit, quod eſt in ea ſcriptum; nefas quippè eſſet dicere, quòd Scriptura Sacra mentiretur; *cap. Quid ergo 23. quæſt. 5.* & ratio eſt, quia habetur ex Dei reuelatione, qui non poteſt fallere, nec falli, vt dicit *Card. in dicto cap. Quis neſciat.*

Quare licèt ſcripta DD. Eccleſiæ legantur in Eccleſia, & cum debita ſuſcipiantur reuerentia; non tamèn ſunt ità firmæ auctoritatis, quin liceat eis contradicere, aut circa ea dubitare, vbi Scriptura Sacra euidentèr nō probantur, aut per Eccleſiam non determinantur firmam, & indubitatam veritatem cōtinere, qualem

lem continent ea, de quibus prima propoſitio, de qua ſupra; circa quæ non eſt diſſentio inter DD. nec vllum dubium. Vndè *S. Thom. 1. par. quæſt. 1. art. 8.* inquit: *Fides noſtra innititur reuelationi factæ Apoſtolis, & Prophetis; qui canonicos libros ſcripſerunt: non autèm reuelationi, quæ fuit alijs DD. facta:* Non ſequitur igitur: Hæc aſſertio eſt contra dicta D. Auguſtini, vel aliorum; ergò eſt hæretica.

DISTINCTIO TERTIA.

De Blaſphemia quo ad denunciationẽ.

Circa quam tres aſſeremus articulos.

Primus oſtendit euomentes blaſphemias hæreticales, aut propoſitiones hæreticales eſſe denunciandos.

Alius reſpicit, cui facienda ſit denunciatio.

Tertius verò demonſtrat naturam blaſphemiæ Epiſcopo, ſeu Ordinario deferendæ.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An euomentes hæreticales blaſphemias, aut propoſitiones ſint denunciandi.

PRæter infraſcripta conſulenda ſunt tradita de denunciatione in S. O. ſupra lib. 4. per totum.

Reſpondetur hæreticales blaſphemias, aut propoſitiones deuomentes abſq; dubio apud Cenſorem Sanctæ Fidei denunciandos eſſe; ratio eſt, tum quia tales de hæreſi vehementèr ſuſpecti ſunt, vt notat *tract. informatiuus ad Vicarios Sancti Officij cap. 1. & ſeqq. de quo Lazar. infra. Praxis Neapol. c. 18. num. 11. Pater Aloyſius Bariola in Compend. Inquiſ. circa finem. Lazarius Canon. qq. de blaſphem. quæſ. 12. nu. 46.* tum quia talis præſumitur ſentire, prout locutus eſt iuxta illud Benedicti Saluatoris: *ex abundantia cordis os loquitur:* & qui in corde malè ſentit, malè loquitur; eſt enim mira verborum cum moribus connexio, inquit *Alfonſus de Caſtro lib. 1. de Iuſta Hæret. punit. cap. 12.* tum etiam, quia regula generalis eſt, illum qui nouit aliquem eſſe Hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, vel Hæreticorum libros habere: ſiue propoſitiones protuliſſe hæreticas Sacræ Inquiſitioni ſub pœna peccati mortalis denũciare debere, vt patet ex Bulla Sixti V. incipit, *Cœli, & terræ Creator Deus:* tum, vt diſcutiatur per S. Inquiſ. Officium, qua mente hanc euomuerit. *Zecchius de Caſ. reſer. caſ. 2. nu. 3.* teneturq; ad hoc, etiam ſi prædicta probare non poſſit; nam, licèt aliquis non teneatur (Iudice etiam mandante ſub excommunicationis pœna) quando id probare non poteſt, vti teſtatur *Nauar. in Manual. cap. 17. nu. 134.* id tamen nõ procedit in negotio Fidei; in quo Hæretici etiam occulti ſunt denunciandi. *D. Thom. 2. 2. quæſt. 68. ar. 1. Directorium Inquiſitorũ Eymerici par. 2. quæſt. 52.* quòd notat *Zecchius vbi ſupra.*

Idem reſoluendũ eſt de illo, q vidit operantem hæreſim denotantia .s. quod tenetur illũ denunciare: conſtat per DD. citatos locis prędictis.

Verùm ſatis etiam probabile eſt documentum *Io. Valery de Differ. vtriuſq; fori, ver. Hæreſis, diff. 1. nu. 1.* nempè, vt audiens verbum malè ſonans, vel propoſitionem hæreticam, antequàm denunciet; interroget oblocutorem, qualis ſit ſenſus ſuorum verborum; cuius ratio eſt, quia non ſtatim quocunq; verbo audito, licèt ſuſpecto, & aliàs condemnato debemus indiſtinctè quemuis accuſare, vel denunciare: nam ſi talis eſt notoriè optimus Chriſtianus; magis credendũ eſt id dixiſſe per errorem, ignorãtiam, vel ſimplicitatem, quàm animo obſtinato, & pertinaci; quod maximè procedit, quando verba ſunt dubia: nàm in tali caſu potiùs exponenda ſunt in ſenſum Catholicum, quàm Hæreticum, vt teſtatur *Arſenale S. Inquiſitionis part. 10. admon. 97.*

Sed nec facilè credendum eſt ſe excuſantibus hæreticalia dixiſſe per iocum, vt habet *Pegna ſuper 3. par. Eymer. Commen. 14. nu. 72.* quòd in primis obſeruandum eſt; ſi blaſphemus deſcendit ex iudaiſmo, vel eſt apertè prauæ vitæ; nam contra tales eſt mala præſumptio: ex mala autèm arbore regularitèr non colligitur bonus fructus: hęc obſeruatio olim tradita fuit à quodam ſapientiſſimo viro Ord. Prædic. vz. à Petro de Salamanca, teſte *Ioan. Valer. loc cit.* Verùm has qualitates attendit Iudex externus in ſuo foro: Confeſſarius verò credit pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra.

DIFFICVLTAS II.

An blaſphemis hæreticalibus ante denunciationem correptio fraterna ſit præmittenda.

REſpondeo à Doctoribus tres afferri ſententias.

Prima aſſerit eſſe faciendam denunciationẽ abſq; præuia correptione; cuius ratio eſt, quia denunciatio iudicialis, qualis eſt illa in Edicto præcepta; intendit punitionem ad differentiã denunciationis Euangelicæ, quę intendit emẽdationem. ità *Sancius in Selectis diſp. 11. nu. 56. Azor. Inſtit. moral. lib. 9. cap. 28.* & alij, quos breuitatis gratia omitto.

Secunda docet è contra correptionem fraternam denunciationi præmittendam eſſe; cuius ratio eſt, quia præceptum correptionis eſt de iure naturali, & diuino, vt patet ibi: *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum, cui præceptum humanum denunciandi praualere non poteſt;* legendi ſunt DD. infrà immediatè notandi, quos cumulat *Mazuchel. loc. inf. cit.*

Dices pręceptum Euangelij non aduerſatur Edicto S. Inquiſitionis, nec è contra, quomodo igitur ſecunda ſententia cohęret primæ, & prima ſecũdæ? Reſpondetur diuerſis vijs procedere: nam Edictum intelligitur, vt denuncientur publici blaſphemi: Euangelium verò,

vt

vt non denuncientur occulti, niſi præuia correptione: vel abſque illa, ſi periculum eſt in mora: ratio eſt, quia talis denunciatio eſt nocuua, ſeu derogatiua famæ ꝓximi abſque hoc, quod ſit vtilis cõmunitati, ſeu ſtatui Reip. nam, cũ delictum ſit occultũ, illi adhuc non nocuit; nec Iudici deſeruit; quia per talem denunciationem non poteſt interrogare denunciatum, niſi cõcurrant alia indicia, neq; de illo inquirere, vt in proprijs terminis docet *Mazuchel. de Caſibus reſer. diſp. 2. cap. 16. diff. 6. nu. 89. citans Sotum, Sylueſt., Tolet., Lazar. de Blaſphemia, Angel., Roſellam, D. Thom., Villalobos 2. par. tract. 1. diff. 15. nu. 6. Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 11. dub. 3. nu. 1.* quam ſententiam nõ amplector abſolutè, prout iacet; quia, cum periculo boni Communitatis, vel tertiæ perſonæ in fieri non eſt premittenda, vt ſupra innui, non obſtãte damno Rei, & quod crimen ſit occultum; nam exponendum eſt diſcrimini bonum particulare Rei, vt ſaluetur vniuerſale, vel particulare innocẽtis, lumine naturæ ita dictante. hinc *Liranus ad Epiſtol. D. Petri 2. c. 1.* itâ proloquitur *Bonum communius .s. publicum eſt diuinius, & melius; hinc priuatorũ commodis anteponitur.*

Tertia ſententia diſtinguit hæreſim formalem ab alijs criminibus, quæ hæreſim tantùm ſapiunt, docens Hæreticos formales eſſe denunciandos abſq; vlla præuia correptione; alios verò criminoſos prius eſſe corrigendos, quàm denuncientur. itâ *Mazuchellus loc. cit. nu. 90.* ſed mihi minimè probatur hæc diſtinctio, niſi ſecundo membro de criminibus hæreſim ſapientibus addatur limitatio prædicta: quia nec iſta patrantibus facienda eſt correptio ob allatam rationem in caſu .s. periclitationis boni communis, aut tertij innocentis.

Verùm ſententia, quæ docet denunciationem eſſe faciendam abſq; correptione, non tollit probabilitatem contrariæ.

Ego in tribus caſibus præcipuè cenſeo correptionem eſſe omittendam, primò, quando delictum eſt publicum.

Secùndò, quando de occultò deſperatur fore, vt correptio profit: vt ex *Sanchez de Matrim. tom. 1. lib. 3. diſp. 15. nu 3. Fagundez 2. præcepto Eccl. lib. 4. cap. 3. nu. 31.*

Tertiò, quando blaſphemus ſcientèr, ſciò, appenſatèq; euomit, vel ſolitus eſt euomere blaſphemias, vel propoſitiones hæreticales: ratio eſt primò, quia præſumitur ſentire, prout illas eructauit, iuxtà illud: *Ex abundantia cordis os loquitur*; & facit *Pſal. Credidi propter quod locutus ſum.*

Secundò, quia blaſphemia hoc modo euomita ſapit hæreſim ſecundũ *Boerium decif. 100. nu. 1.* quod procedit præſertim, ſi ex leui cauſa blaſphemauerit.

Tertiò, quia nõ ſatis verìſimile eſt; eum, qui ex malitia delinquit priuati hominis admonitionem auſcultaturum: *Homobonus de examine Eccl. tom. 1. cap. 3. quaſ. 17.*

E contrà cenſeo in ſequentibus caſibus premittendam eſſe, primò, quando ex ſufficienti ſigno cõijcio, ꝙ Reus correptione ſanabitur. itâ *Baiardus in Addit. ad praxim Clari §. Blaſphemia, nu. 23. Simancas de Cathol. Inſtit tit. 8. nu. 7. Lazarius Canon. qq. de Blaſphemia, quaſ. 12. n. 35.* & alij apud ipſum.

Secundò, quando quis aliòquin bonæ famæ vir linguæ lubrico ex ſubita ira blaſphemaret: *Tolet. lib. 4 cap. 5. nu. 1. Rodriquez de ord. Iudic. cap. 6. nu. 18. & in Sum. par. 1. c. 34. nu 6. & in qq. Regularib. tom. 2 quaſ. 5. art. 6. in fine. Lazarius loc. cit. nu. 31.*

DIFFICVLTAS III.

Num denunciandi ſint prædicti, ſi proteſtentur ſe de rebus Fidei rectè ſentire.

Ratio difficultatis eſt, quia proteſtatio in foro cõſcientiæ videtur irritare dictum, vel factum, vt cum *Felino notat Lucas Fluronus de Caſib. reſer. par. 2. caſ. 3. §. 1. nu. 4.*

Antequam reſpondeamus præmittenda ſunt aliqua, quorum primum eſt, quid ſit proteſtatio. Proteſtatio itaq; iuxtà ſubiectam materiam, quæ in rebus Fidei fieri conſueuit; eſt cõfeſſio Fidei exterius facta ad oſtendendum, quid interius de Fide ſentiat proteſtans. itâ *Albertinus tract. de Agnoſcendis aſſert. Catholicis quaſ. 12.*

Secundum eſt, quòd ad integritatem Fidei in facie Eccleſiæ non modò neceſſarium eſt firmitèr credere; ſed etiam oportet exterius nõ contradicere, vt communitèr tradunt DD. & ſpecialitèr *Pegna par. 1 Direct. Inquiſ. Comm. 26. lit. E.* Modò accedendo propiùs ad reſponſionem dicendum eſt; quòd ſi iſte, qui proteſtatur de rebus Fidei, prout ſupra, poſt fraternã correptionem in erroribus prædictis, vel ſimilibus adhuc perſeuerat; non obſtante præcedente eius proteſtatione denunciandus erit, quòd ſatis colligi poteſt ex *Pegna loc. cit.* in ſimili. Ratio eſt, tum quia ex tali proteſtatione non elicitur ſufficientèr intentionem proteſtantis contrariam eſſe erroribus; faciunt adducta per *Nauar. in conſ. 7. de temp. ordi. num 7.* tum quia, ſi huiuſmodi proteſtatio excuſaret, liberum eſſet cuiq;, quas vellet hæreſes impunè deuomere, quos vellet libros detinere, vel legere &c. & ferè omnes proteſtationis velamine ſe defenderent; & proindè creſceret malitia, deperiret iuſtitia, & Fidei zelus extingueretur: tum etiam, quia proteſtatio contraria factis non excuſat proteſtantem, vt ſi quis: ex. gr. proteſtetur in genere ſe credere omnia, quæ credit Eccleſia; vel in particulari dicat ſe credere Deum eſſe excelſum, & laudabilem; ritu tamen damnatorum Iudęorum, Hæreticorum, vel peruerſorum hominum obloquatur de Chriſto, aut de Sanctis; non iuuabitur (inquam) proteſtatione: quia tm̃ per contrariũ dictum, vel factũ recedit proteſtans à proteſtatione; *gloſ. in cap. Olim cauſam de cenſibus, verbo Proteſtatus. gloſſa ſingularis in cap. Tua nos, ver.*

Mulierum de ſponſal. Albertinus tract. de Agnoſcendis aſſert. q. 12. *nu.* 9. quem ſequitur *Simancas de Cathol. Inſtit. tit.* 55. *nu.* 7. *Gerſon. tract. de Proteſtat. conſid.* 3. *facit textus in cap. Exiſtimant* 11. *q.* 3. *Pegna loc. cit. & Arſenal. S. Inquiſ. par.* 10. *admon.* 89. *&* 90. *&* 24. *& alibi.*

Nec huiuſmodi reſolutioni obſtat ratio difficultatis ab initio obiectę; quia illa non procedit, vbi dictum, vel factum eſt iniurioſum; nam dicere iniuriam alicui cum proteſtatione, nolo illum offendere; non obindè releuat illum, vbi verbum per ſe iniuriam infert: & idem de facto iniurioſo, quod ex natura ſua importat infamiam, dicendum eſt. Ità *Couar. lib.* 1. *Var. reſ. cap.* 11 *nu.* 1. *Finelius de Caſibus reſer. caſ.* 3. *nu.* 11. *ver. Hoc eſt. Lucas Floronus vbi ſup. nu.* 6.

DIFFICVLTAS IV.

An differat propoſitio hæretica ab hæreſi.

RESpondetur differre, quamuis enim hæreſis, & propoſitio hęretica ferè coincidāt, & pro eodem communitèr vſurpentur: nihilominus tamen differunt, *Suarez de tribus virtutibus Theolog. par.* 2. *diſp.* 19. *ſect.* 2. *nu.* 3. primò differunt ſicut peccatum, & materia circa quam verſatur; hæreſis enim propriè ſignificat quoddam peccatum infidelitatis: propoſitio autèm hæretica præcisè ſumpta tantùm ſignificat materiam, circa quam verſatur illud peccatum.

Secundo hæreſis .s. formalis importat ſemper pertinaciam; nam non datur Hæreticus formalis abſq; illa: quod ſecùs dicendum de propoſitione formali hæretica, quæ de ſe non inuoluit pertinaciam, cū ſignificet ſolū materiam: vnde quis errare pôt. & nō eſſe hęreticū.

Tertiò notandum excommunicationem contra Hæreticos latam ex ſe nō compręhendere tenentes aliquam; vel aliquas ex propoſitionibus damnabilibus ab hæreſi ſeiunctis; quia nulla illarum eſt hæreſis; pęnæ autèm nō ſunt extendendæ.

Verùm Inquiſitores poſſunt procedere cōtra eos, qui aſſerunt, vel prædicant propoſitiones ſuſpectas, ſcādaloſas, periculoſas, erroneas, hæreſim ſapientes, & Chriſtianæ pietati, ac bonis moribus non conformes. *Paulus* 3. *Bulla edita ann.* 1542. incipit, *Apoſtolici culminis*, quā habes in fine *Directorij Inquiſ. & in Bullario to.* 1. *pag. mihi* 659.

Quartò, *Arnaldus Albertinus de Agnoſcendis Aſſertionibus Catholicis, & Haeret.* ponit idem diſcrimen inter hæreſim, & dogma falſum, ſeù peruerſum, quod ponitur inter hæreſim, & errorem; quia omnis hæreſis eſt dogma falſum, ſiue error, ſed non è contra: omnis enim hæreſis inquit Hieronymus in Epiſt. ad Galatas peruerſum dogma eſt: *cap. Inter hæreſim* 24. *q.* 3. dogma autèm peruerſum non eſt neceſſario hęreſis: Vndè dogma ponitur in definitione hæreſis, vt quid communius hæreſi. *Arnaldus loc. cit. quæſt.* 11. *nu.* 1. *&* 2. Hinc *Aug. p. de Ciuitate Dei*, ità proloquitur: *Errare potero, ſed Hæreticus non ero.*

Notandum tamèn, quòd quamuis hæreſis ſit dogma falſum, ſeu peruerſum; factum tamen peruerſū non eſt hæreſis, nec facit Hæreticum; niſi concurrat falſa credulitas: ſi quis enim furetur, vel adulteretur, licèt peruersè agat, vtpotè contra præcepta: non furtum facies: non mœchaberis; non tamen eſt Hæreticus, ſumus in claris. *cap. Contra Chriſtianos de Hæreticis lib.* 6. *Arnaldus loc. cit. nu.* 5. *&* 6.

DIFFICVLTAS V.

An filius Patrem, vxor maritum, frater fratrem hæreticalitèr blaſphemantes teneatur quiſq; reſpectiuè ad illorum denunciationem.

VIde de cauſa efficiente denunciationis, *art.* 1. *diff.* 1. vbi Auctor ad partem negantem declinat.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Blaſphemi cui Iudici denunciandi, an Inquiſitori contra hæreticam prauitatem: vel Iudici Ordinario.

PRimò notandum eſt, quòd blaſphemia duplex eſt hęreticalis vna: ſimplex alia. *Ledeſma concl.* 6. *Eymericus in Directorium Inquiſ. part.* 2. *quæſ.* 41. *vbi Penna Commen.* 66. *Souſa lib.* 1. *Aphoriſ. cap.* 12. Blaſphemia hæreticalis eſt, quæ continet, aut ſapit hæreſim, illa nimirùm, quæ continet errorem contra Fidē: ſimplex verò, quæ hæreſim non continet, nec ſapit, vz. quæ ſecundum ſe contra Fidem nihil affirmat; licèt ex modo dicendi aliquid in contumeliam Dei ſignificet, vt dicendo, *al coſpettazzo di Dio. Albertinus de Agnoſcend. aſſertionibus Catholicis, & Hæret. quæſ.* 6. *nu.* 25. *Eymericus* 2. *par. Direct. quæſ.* 41. *nu.* 1. *&* 2. *vbi Penna Commen.* 66. *Bannes* 2. 2. *quæſ.* 13. *art.* 1. *Sanchez in Opere Morali tom.* 1. *cap.* 32. *nu.* 1.

Notandum ſecundo blaſphemiam hæreticalem illam eſſe, qua per verbum indicatiui modi aſſeritur aliquid Fidei contrarium: vt Deus eſt iniuſtus ad differentiam illius, quæ euomitur per verbum optatiui, vel imperatiui: ver. gr. Deus non videat, maledictus Deus; quia per hos modos nihil falſum dicitur de Deo, niſi in tali locutione aliquid affirmatiuū, vel negatiuum includatur: ex. gr. ò Deum iniuſtum. *Suarez tom.* 1. *de Religione tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 7. *&* 8. *Sanchez vbi ſupra num.* 36. *& Nos ſupra diſt.* 1. *art.* 1. *diff.* 1. *huius libri.*

Notandum tertiò illi Iudici denunciandos eſſe blaſphemos, à quo veniunt corrigendi: cum ad hunc finem denuncientur; aliòquin fruſtrà illi deferentur.

Modò ad reſponſionem, dico blaſphemos hæreticales denunciandos eſſe Inquiſitoribus contra hæreticam prauitatem; quia ad ipſos ſpectat corrigere: alios verò Ordinario. ità *Eymericus & Penna loc. cit. Albertinus de Agnoſcend. Aſſertionibus Cath. & Hæret. quæſ.* 22. *nu.* 63. *Simancas de Cathol. inſtit. tit.* 8 *nu.* 6. *Sanchez loc. cit. nu.* 27. *Souſa lib. &c. vbi ſupra num.* 16. Hinc *Alphonſus de Caſtro de Iuſta Hæreticorum punitione, cap.* 12. dicit eum non debere puniri ab Inquiſitoribus, qui non ex credulitate hæretica,

retica,ſed ex quadam vehementiore perturbatione blaſphemiam euomiſſet. quod notat *Comitolus reſpon. moral. lib. 4. cap. 3.* qui etiam ex mente dicti Doct. tradit hanc regulam generalem, vz. *Rem omnem, quæ vehementem ſuſpicionem hæreſis affert ad Inquiſitores ſpectare. Royas de hæreſi 2. par. aſſert. 12. nu. 171.*

Porrò blaſphemi,qui audiunt ſe apud S.Tribunal denũciatos eſſe tanquàm de Fide ſuſpectos; non debent iraſci contra Denunciatorẽ, tum quia ad hoc tenetur ſub culpa mortali: tum quia iuſtè ſuſpicari poſſunt, quòd talitèr blaſphemantes ſint de Fide ſuſpecti: mira .n. verborum cum moribus eſt connexio: nam ipſa ſunt factorũ ſimulacrum, repreſentantq; ſpeciem cuiuſq; animi, debentq; eſſe memores, quòd Deus non iudicat bis in idipſum;animus enim præſumitur ab effectu, actusq; præſens deſignat præteritam intentionem; vndè ſi patientèr ſe habebunt; punitio breuis, ac præſens à longiori, & acriori in futuro ipſos liberabit: recordenturq; quod nemini propria auctoritate integrum eſt iniuriam vindicare, licèt Sanct. Offic. iniuſte fuerit denunciatus. facit 23. *quæſ.* 4. *inter quarelas, & quæſt. 5. de occidendis.*

DIFFICVLTAS II.

An qui denunciat blaſphemum hæreticalem Ordinario loci ſatisfaciat Edicto.

REmiſſiuè,vbi de denunciatione in generali quo ad cauſam efficientem lib. 4.

DIFFICVLTAS III.

Cathecumenus hæreticalitèr blaſphemans an apud Inquiſitorem contra hæreticam prauitatem ſit denunciandus.

NOtandum primò huiuſmodi difficultatẽ ab illa pẽdere, .s. ſi Cathecumenus prolabens in hæreſim, vel apoſtaſiam, tanquàm contra Fidem delinquens puniri poſſit.

Not. ſecundò nõnullos DD. velle ſuſceptionem Fidei nõ requirere neceſſariò ſuſceptionem baptiſmi, vt notat *Lud. Carbon. in Summa Summ. tom. 3. lib. 1. cap. 49. ibi tertium dictum:* Quare volunt Cathecumenũ, qui ſufficientèr fuit inſtructus de rebus Fidei, relinquendo Fidem Catholicam Romanam in foro interno coram Deo verè eſſe Hæreticũ, ſi illam relinquat in parte: & verum apoſtatam à Fide, ſi in toto illam deſerat. *Sanchez lib. 2. Moral. cap. 7. tom. 1. Farinac. de Hæreſi, quæſ. 178. §. 6. nu. 131. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 4. nu. 12.* contra nonnullos,qui tenent, quòd nõ ſit propriè Hæreticus &c. cum nõ ſuſceperit Fidem mediãte Baptiſmo. vt *Boſſius cũ alys apud ipſum de Priuil. Iubilæi, ſect. 1. caſ. 10. §. 4. nu. 53. & 54.*

Notandum tertiò, quod ad hoc, vt quis ab Inquiſitore hæreticæ prauitatis puniri poſſit tanquam contra Fidem delinquens; non ſufficit ipſum ſuſcepiſſe Fidem ſemiplenè .s. per ſolam inſtructionem articulorum Fidei, per quam ſit Eccleſiæ membrũ quo ad meritum; adeò,vt mereatur ſalutem; ſicut ſi intra Eccleſiam reſideret, vti teſtatur *Ferdinandus par. 1. tract. 4. diſp. 1. punc. 4. §. 1. nu. 2.* ſed requiritur etiam, vt profiteatur Fidem ſub ſpeciali Sacramentorum ſigno: his habitis.

Reſpondetur ad difficultatem negatiuè .s. quod Cathecumenus hæreticalitèr blaſphemans non eſt denunciandus: quia denunciatio ordinatur ad correctiuam punitionem; Eccleſia autèm non punit, niſi, qui plenè ſuſceperunt Fidem, nedũ inſtructione,ſed etiam Baptiſmo, qualẽ Cathecumenus nondum ſuſcepit,niſi ſemiplenè. faciunt,quæ tradit *Carbonus vbi ſupra, Ferdinandus itèm loc. cit. Sanchez, & Farinac. loc. ſupra cit.* cum autèm non puniatur; conſequentèr nõ venit denunciandus: e contra, quia Hæretici profeſſi ſunt Fidem ſub ſpeciali Sacramentorum ſigno, ratione illius profeſſionis veniunt denunciandi, puniendi, & coercendi. Vndè ceſſat illa quæſtio, vz. quare Eccleſia Cathecumenos non punit, & punit Hęreticos. Quare ſciendum eſt Hæreticos eſſe intrà Eccleſiam, & extra illam: ſunt extra illã, vt membra contagioſa per ipſam à ſe eiecta, & ſunt intrà illam, quatenus ſub ſpeciali Sacramentorum ſigno Fidem aliquando profeſſi ſunt, quali modo Cathecumeni Fidem nunquam profeſſi ſunt; ideò non eſt mirùm,ſi alitèr ſe gerat contra Hæreticos, quàm contra Cathecumenos. *Ferdinandus loc. cit.*

Ob eandem rationem reprobi baptizati nõ minus,ac prædeſtinati pertinent ad Eccleſiam, & ſunt illius membra: nam,vt dixi,profitentur Fidem eodem ſigno Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum,ac prædeſtinati.

Itidem Excommunicati ad Eccleſiam pertinent, & illius membra ſunt; tum quia poſſunt eſſe membra viua, & Chriſto Domino viſibilitèr vnita per charitatem, ſi contriti, & pœnitẽtes exiſtant: tum quia non deſerunt Fidem, ſed ſolum excluduntur à participatione communi orationum, & ſuffragiorum Eccleſiæ. Hæc *Ferdinandus loc. cit.*

DIFFICVLTAS IV.

An veniat denunciandus S. Tribunali blaſphemus hæreticalis, qui ſtatim blaſphemia effutita plenè ſe retractat percutiendo ſibi pectus, aut os.

REſpondeo probabilitèr huiuſmodi blaſphemum non eſſe denunciandum. Probatur, tum quia,qui alicui errori plenè voluntariè aſſentit,nõ ità facilè reſipiſcit:nec ità citò contra ſeipſum afficitur magna triſtitia, vti iſte ſe habuit; requiritur autèm ad peccatum actus prorsùs voluntarius: dico prorsùs, quia non ſat eſt ex aliqua parte eſſe voluntarium: & tunc grauius, vel leuius peccatum eſt, quo magis, vel minus eſt voluntarius actus, vel receſſus. ità *Tol. lib. 3. cap. 1. nu. 6.* Tum quia ad blaſphemiam mortalem requiritur aduertentia. Vndè euomens blaſphemiam aliquam ſiue hæreticalem,ſiue non;minimè aduertens, vt accidere ſolet vehementiſſima ira omninò excecato,qui nõ blaſphemat formalr̃,ſed ſolũmodò

modò materialitèr, quamuis etiam ſciuerit ſe in tali iræ paſſione ſolitum eſſe effutire verba blaſphemiæ.

Tum præterea, quia ad contumeliam, quæ eſt, vt ſic loquar, blaſphemia, ſeu iniuria in faciem, & contemptum alicuius deuomita, requiritur ſcientia, iuxtà *l. 5. ff. ad l. Aquiliam*; non enim contemnit, qui ignorat, vt colligitur *ex l. Si ignorans ff. locati. Layman lib. 4. cap. 6. nu. 2. Vaſquez. 1. 2. diſp. 127. cap. 3. Luiſius Turianus 2. 2. diſp. 58. dub. 2. §. 8. Suarez tom. de Religione tract. 3. lib. 10. cap. 6. nu. 11. &c. Sanchez in Summa lib. 2. cap. 7. nu. 14.*

Verùm non excuſatur à malo habitu, qui nō facit, quantum ex parte ſua eſt, vt illum auferat; cum Deus etiam ex parte ſua ſemper ſit præſtò, maximè in neceſſarijs ad ſalutem, iuxtà illud hymni Eccleſiæ: *Dat dexteram ſurgentibus*: nec permittat hominem tentari ſuper id, quod poteſt; immò, cum tentationis permiſſione prouentum intendat. Quare ad euitandum blaſphemias tenetur etiam, ſi ſibi opus ſit, abſtinere ab his, quæ ipſum ad has impellunt, vt à ludis, negotio, &c. memor Euāgelicæ admonitionis: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*; memor itèm, quod ſtultus in culpa, ſapiens in pęna fiet. *cap. Niſi de Offic. Deleg. & ibi Bald. 2. qui .n. facit, quod non debet, ei obuenit, quod non credit: cod. cap. & tit.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An blaſphemia non hæreticalis, quę Ordinario reſeruatur, neceſsè ſit, vt ſit publica.

CLaret, quòd non minus poteſt quis blaſphemare publicè, quàm ſecretò; ideò non immeritò quæritur, ſi blaſphemia, quæ Epiſcopo reſeruatur, ipſiq; denuncianda; ſit ſolummodò, quæ publicè euomitur, vel comprehendatur etiam illa, quæ priuatim eructatur. Satisfacit huic difficultati *Summa Corona, verb. Blaſphemia*: ſic reſpondēs: meritò blaſphemiæ abſolutio Epiſcopo reſeruatur; quod intellige ſecundum *Panormitanum in cap. Statuimus de maledicto*, quando blaſphemia eſt publica. idem aſſerit *Comitolus in Reſp. Moralibus lib. 4. de crimine, & criminoſis cap 8. Ludouicus Carbonus tom. 3. lib 1. cap. 60.* publica autèm fit duobus modis ſecundum *Hoſtienſem verb. Notorium*, iuxtà duplicem notorietatem .ſ. iuris, & facti; notorium iuris eſt, quod conſtat via iuridica, nimirùm per teſtes, per ſentētiam Iudicis, vel per confeſſionem Rei: Notorium facti eſt, quando factum in propoſito, (blaſphemia) conſtat ex euidentia facti; quia coràm multis fuit euomita: quot autèm perſonæ requirantur ad huiuſmodi euidentiam, variant DD. nam alij decem: alij ſeptem: alij quinque exigunt: vnum certū reperio, quòd vnus, & idem numerus perſonarum reſpectu diuerſitatis locorum interdum eſt multus, interdum paruus: v. g. reſpectu Ciuitatis, & Villæ, neceſſeq; eſt, vt audita fuerit: quia, ſi ità ſubmiſſa voce prolata fuit, vt aſſiſtentes non audierint, non erit notoria.

Addunt aliqui DD. quòd ad notorietatem facti attendenda eſt etiam qualitas loci, & temporis; Loci, vt ſi euomatur in domo propria, (extraneis minimè aſtantibus) nō ſit talitèr notoria. Temporis, vt ſi noctis ſilentio audiatur à multis, itèm non ſit talitèr notoria, cum blaſphemus ex voce non ſatis innotuerit.

Verùm notandum, quod quamuis Epiſcopis à iure ſolummodò reſeruetur blaſphemia publica, prout dictum eſt: ab homine tamen, hoc eſt ab ipſis, etiam occulta reſeruari poteſt, & de facto in Diœceſi Bergomenſi (vbi ſcribimus) reſeruatur, vti tradidimus in Commentarijs ſuper caſus reſeruatos Epiſcopo Bergomen. caſ. 11. quia reſeruat generalitèr blaſphemiam abſq; vlla diſtinctione: qui autèm generalitèr loquitur, generalitèr eſt intelligendus, quòd patet etiam ex praxi, & communi peritorum ſenſu: dices, ſi Epiſcopus omnem reſeruaret blaſphemiam .ſ. tàm publicam, quàm occultam: apponeret ſignum vniuerſale reſeruationi, quòd, cum nō apponat; videtur reſeruare præciſè publicam, quę ſibi à iure reſeruatur. Reſpondetur, quod apud Phyloſophos propoſitio indefinita, qualis eſt illa caſus 11. tabellæ Diœc. Bergomen. æquipollet vniuerſali: ideò idem quòd prius, reſolutum manet.

Denique attendendum eſt, quod hìc non loquimur de blaſphemia hæreticali, quæ Inquiſitoribus contra hæreticam prauitatem deferenda eſt: nam circa illam attendendū eſt ipſorum Inquiſitorum Edictum.

DIFFICVLTAS II.

An, qui Deum, aut Sanctos factis blaſphemat: v. g. deturpando eorum imagines, ſtylo illas tranſuerberando, conculcando &c. veniant S. Officio denunciandi. vide, quæ aliàs ſup. diſt. 1. art. 2. diff. 1. *obitèr tradidi cū* Carbone tom. 3. lib. 1. cap. 59.

REſpondetur affirmatiuè: ratio eſt, quia quod ſapit manifeſtam hæreſim, venit denunciandus illi Tribunali: vt patet ex communi Doctorum placito: huiuſmodi autèm imaginum deturpatio, aut tranſuerberatio ſapit manifeſtā hæreſim, vti notat *Souſa in Aphoriſmis Inquiſit. lib. 2. cap. 42. nu. 14.* in hæc verba: *Qui imaginem Chriſti, Deiparæ, ac Sanctorum (data opera) percutit, vulnerat, deturpat, lapidem in eam iacit, vel ſimilia facit, violentam hæreſis ſuſpicionem incurrit*: hoc .n. factum manifeſtam hæreſim ſapit, & raro, vel nunquam inuenitur ab hæreſi ſeparatum. *Alphonſus de Caſtro de Iuſta Hæret. punitione cap. 15. Siman. tit. 33. nu. 18. Farinac. tom. 1. q. 20. nu. 68.*

DIFFICVLTAS III.

An filius teneatur denunciare patrem hæreticales blaſphemias ex conſuetudine proferentem.

ITèm an frater fratrem.

Itèm an vxor virum. Circa dubium hoc reperio DD. pro vtraq; parte: nam alij tuentur

par-

partem negantem: alij defendunt affirmantẽ; pro negatiua eſt *Say. lib. 12. Clau. Reg. cap. 20. dub. 7. prop. 3.* vbi alios citat *Megalib. Inſtit. Confeſs. par. 1. lib. 1. cap. 5. nu. 28.* & alij quamplures apud *Homob. de Caſib. Reſer. par. 2. caſ. 1.* ibi, qui denunciare teneantur; ratio eſt, tum quia cognati (excepto hæreſis crimine) ad hoc à iure non coguntur: tum quia pater, & filius; vxor, & maritus, & fratres inter ſe cenſentur vna, & eadem perſona; iuriq; naturali repugnat ſeipſum apud Iudices accuſare; tum quia rarò euenire ſolet, quin ob denunciationem ab huiuſmodi perſonis aliquod ſuboriatur damnum ſiue in corpore, ſiue in bonis fortunæ, vel ſaltèm circa pacis bonum.

Idem placet *Homob.* vbi ſupra, dicendum eſſe de famulo; qui audiuit dominum ſuum blaſphemantem .s. hæreticalitèr; ſi ipſi quoque ex denunciatione immineat aliquod notabile damnum, ità ex *Nauar. in Manu. cap. 18. in fine. Rodriquez in Sum. par. 1. cap. 79. & alij.*

Cęterùm pro parte affirmatiua eſt in primis *Pegna 3. par. ad Direct. Inquiſit. Comment. 119. Comitolus lib. 4. Reſponſionum Moral. quæſt. 8. Lazarius Canon. qq. de Blaſphemia, quæſ. 12. nu. 58.* & alij, quos breuitatis gratia omitto; & ratio horum Doctorum eſt; quia crimen hoc melius per domeſticos, quàm per alios probari poteſt.

DIFFICVLTAS IV.

An aliquod præmium ſit conſtitutum deferentibus Blaſphemos S. Tribunalis?

Reſpondetur affirmatiuè: ſed breuitatis gratia nolo ſuper hoc immorari, afferendo magna præmia ipſis conſtituta; remittendo Lectorem ad dicta de denunciatione diſt. vlt. & ad *Concil. Lateranenſe ſeſs. 9. de Reſor.* vbi etiã iubet Confeſſarium blaſphemãtem ex habitu grauibus iniunctis pœnitentijs compeſcere debere.

Quando autèm quis dubitauerit, an blaſphemum denunciare teneatur, quid faciet? reſpõdetur (remota omni hæſitatione) deferri debet, ſi caſus eſt publicus; vel ſi occultus, periculum ſit in mora: ratio eſt, tum quia agitur de periculo animæ, & incurrendæ excommunicationis: tum, quia in dubio tutior pars eſt eligenda, *cap. Iuuenis de Sponſalibus. Lazarius Canon. qq. de Blaſphemia quæſ. 12. nu. 70.*

DISTINCTIO QVARTA.

De Blaſphemia hæreticali quoad reſeruationem, & abſolutionem.

Hanc diſtinctionem ſecamus in quatuor articulos.

Primus oſtendit qualis blaſphemia reſeruari ſolet.

Secundus deſignat, cui reſeruatur blaſphemiæ hæreticalis abſolutio.

Tertius verò demonſtrat, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius circa blaſphemiam habentem duos ſenſus, &c.

Quartus denique oſtendit quomodo itèm ſe gerere debeat tàm Confeſſarius ſimplex, quàm Pœnitentiarius circa Blaſphemos.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

An blaſphemia hæreticalis, de qua tabella caſuum reſeruatorum Ordinario, vel Inquiſitori reſeruatur.

Notandum primò, cum loquimur de reſeruatione, conſtat, quòd ſermo eſt de ipſa in foro Sacramenti Pœnitentiæ; quia tabella caſuum reſeruatorũ reſpicit illud. Notandum ſecundò hanc difficultatem non coincidere cum illa, de qua ſup. cui .s. blaſphemia hæreticalis debeat denunciari: quia illa reſpicit forum externum: hęc verò forum internum.

Notandum tertiò, vnicam tantùm eſſe tabellam caſuum reſeruatorum in Dięceſi reſpicientem forum internum; & vnus tantũ illos reſeruans quoad dictum forum.

Notandum poſtremò Inquiſitores eſſe pręciſè Iudices pro foro externo ad puniendos denunciatos, quos reos repererint, vt ſępiùs oſtenſum eſt, & conſtat, *Pegna ad Direct. 3. par. quæſt. 59. Comm. 12.*

Reſpondetur, quòd blaſphemia, licèt ſit hęreticalis, in foro Sacramenti Pœnitentiæ non reſeruari Inquiſitori, ſed Ordinario; cuius ratio eſt, quia (vt ſuppoſitum eſt) Inquiſitor eſt præciſè Iudex ad puniendam blaſphemiam hæreticalem; nõ autèm ad illam ſibi reſeruandam in foro interno.

Dices blaſphemiam non hęreticalem reſeruari Ordinario; ergò hęreticalis reſeruatur alij, v. g. Inquiſitori.

Reſpondetur, quod vtraq; in foro Sacramẽti Pœnitentiæ Ordinario reſeruatur, quod maximè patet ex contratabella caſuum reſeruatorum; vbi conceditur facultas Confeſſoribus, ſi blaſphemia non fuerit hęreticalis; ergò illam ſibi reſeruant, ſi fuerit hęreticalis: verba enim debent intelligi, vt aliquid operentur, *l. Si quãdo, ff. de legat. 1.* patet hoc euidenti ſigno, quòd Inquiſitor non ſe ſubſcribit tabellæ caſuum reſeruatorum; quia in illa non habet partem: è contra verò ſe ſubſcribit Epiſcopus in Edicto Inquiſ., quia in illo habet quotam ſuam, vtpotè Ordinarius.

DIFFICVLTAS II.

An differat blaſphemia hęreticalis, à blaſphemia cum hæreſi coniuncta.

Reſpondetur affirmatiuè; nam blaſphemia hæreticalis reſeruatur in tabella caſuum reſer-

reſeruatorum, illiusq; abſolutio, tàm Ordinarij, quàm ab ipſis deputati impertire poſſunt: quòd ſecùs eſt de blaſphemia cum hæreſi coniuncta; cuius abſolutionem, nec ſibi poſſunt reſeruare, vt patet ex *Decreto Congreg. Cardinalium ſuper abſolutionem à caſibus reſeruatis*, vbi cauetur, vt caſus in Bulla Cœnæ reſeruati per Ordinarios minimè reſeruentur: quod notat *Quaranta ver. Caſus reſeruati*; nec abſoluere poſſunt, vt patet ex Bulla Cœnæ; licèt caſus fuerit occultus ſecundum probabiliorem ſententiam: parùm enim refert, quòd hæreſis ſit ſeparata ab alijs delictis, vel cum illis coniuncta quo ad abſolutionis effectum: Blaſphemia āt hæreticalis diſtinguitur ab hæreſi, vt aliàs ſæpò oſtenſum fuit: non enim blaſphemia hæreticalis ſemper inuoluit in ſè hæreſim formalem, nimirùm, cum talitèr blaſphemanti non eſt error in mente: ſed præcisè habet ſaporem hæreſis: quemadmodum itaq; non ſequitur; aqua mellita habet ſaporem mellis: ergò eſt mel, immò eſſentialitèr differunt; ità in propoſito, non ſequitur blaſphemia hæreticalis habet ſaporem hæreſis: ergò eſt hęreſis: ſumus in claris; nam aliud eſt eſſe tale: aliud verò haberi pro tali. *l. Si maritus, §. l. Iuliæ, & ibi Barth. ff. de Adult. cum ſimilibus*.

DIFFICVLTAS III.

Quomodo venit intelligenda tabella caſuum reſeruatorū reſpectu blaſphemiæ quando reſeruando blaſphemiā, non diſtinguit de publica, aut ſecreta, de hæreticali, vel ſimplici.

RESpondetur ſic eſſe intelligendam: niſi in tabella reſeruationis notetur diſtinctè tàm publica, quàm ſecreta; intelligitur reſeruari ſolummodò publica: & niſi exprimatur, tàm hæreticalis, quàm non hæreticalis; intelligetur tabella ſolummodò de hæreticali; ità ſuadente lege pœnali, quæ potiùs eſt reſtringenda, quàm amplianda iuxtà illud vulgatum: *Pęnæ ſunt reſtringendæ*: habet autèm reſeruatio rationem pęnæ, vti docet *Nal. ver. Caſus reſer.* quo fit, vt nonnulli DD. & præcipuè *Homobon. de Examine Eccleſiaſt. tract. 8. par. 2. cap. 2. qu. 6. Zambellus in Repertorio morali ver. Blaſphemia, Io. Egidius Trullench in Expoſ. Decal. lib. 1. c. 11. dub. 3. nu. 2. cum Barboſa de Officio, & poteſtate Epiſcopi, tom. 1. alleg. 11. nu. 105. in fine*, & alij dicant ſecretum Blaſphemum non incidere in reſeruationem, poſſeq; ab omni Confeſſario approbato abſolui abſq; vllo priuilegio in foro interiori Sacramenti Pœnitentiæ: quia blaſphemia ſecreta non eſt reſeruata pro foro interiori de iure communi: vndè, ſi Ordinarius vult illam reſeruari in ſua Dięceſi debet aliquo ſigno talem reſeruationem demonſtrare: Similitèr dicendum, ſi intelligit reſeruari ſimplicem. Quemadmodum prudentèr egit Ordinarius noſtræ Bergomenſis Dięceſis deſignando in contrabella caſ. reſer. velle reſeruare ſibi non ſolùm blaſphemiam hæreticalem, ſed etiam ſimplicem: patet, ibi, conceditur .s. blaſphemia, dummodò non fuerit hęreticalis; ex quibus verbis ſatis colligitur, quòd etiam ſibi reſeruat ſimplicem; aliòquin nihil concederetur, quod abſurdum foret: quia verò non fit mentio de ſecreta; reſeruaretur tantùm publica, niſi obſtaret conſuetudo rationabilis, & præſcripta. Verùm, quia non oībus conſtat hæc conſuetudo, ideò cōſultiùs eſſet, ſi in tabella exprimeretur tàm ſecreta, quā publica.

Nec obſtat aliquorum DD. alium eſſe ſenſum: quia reſeruatio non pendet à ſenſu DD. ſed à reſeruantis voluntate, quæ ex ipſius verbis maximè in tabella expreſſis petenda eſt. *DD. communitèr, ver. Reſeruatio, vel caſus Reſer.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

In quo ſenſu intelligitur blaſphemia hæreticalis eſſe Inquiſitoris.

REſpondetur intelligi, quia huiuſmodi blaſphemia illi denuncianda eſt, ab ipſo puniēdus talitèr blaſphemans; & tunc ab ipſo abſoluitur ab excommunicatione in ſuo foro, tàm ſi cum hæreſi eſt coniuncta, quàm ſi eſt diſiuncta: fundatur .n. Inquiſitor in præſumptione: verùm alitèr abſoluit, ſi exiſtat coniuncta: aliter ſi non; ſi eſt cōiuncta, abſoluit ab excōicatione abſolutè; ſi non, abſoluit tm̄ cōditionatè. legendi ſunt *Zanardus in Direct. Theol. par. 2. præcep. 1. c. 11. Bannes 2. 2. D. Tho. qu. 11. ar. 4. §. Quæritur 2. concl. 3. arg. 2. Torreblanca de Magia lib. 4. c. 5. n. 8.* & alij. Aduerte tm̄ blaſphemiam hęreticalē dictis modis tunc illi eſſe reſeruatam, quia Reus præſumitur in ſuo foro Hæreticus: verùm ceſſat hæc reſeruatiò in foro Sacramenti Pœnitentiæ, ſi pęnitens verè Hæreticus non ſit: nam ibi attēditur veritas, non ſuſpicio, nec præſumptio.

DIFFICVLTAS II.

An qui ab Epiſcopo, ſeu Vicario generali obtinuit facultatem abſoluendi ſacramentalitèr à blaſphemia, ſeu ſuperſtitionibus indigeat et Inquiſitoris facultate pro dictorum caſuum abſolutione.

RAtio difficultatis eſt; quia regularitèr blaſphemiæ, & ſuperſtitiones ſapiunt hæreſim; quare videtur, quòd facultas abſoluēdi in foro Sacramenti Pœnitentiæ etiam ab Inquiſitoribus, ſaltèm, quando ſunt hęreticales, petenda ſit.

Reſponſio eſt negatiua, ratio fundamentalis eſt; tùm, quia Inquiſitorum auctoritas eſt ſolummodò pro foro externo, & communi bono Reipublicæ, vt cōmunitèr tradunt DD. vt notat *Caſtrus Palaus tract. 4. diſp. 4. §. 6. nu. 3. Eymer. 3. par. Direct. quæſ. 59. vbi Pegna Comm. 12. Valerus de differentijs vtriuſq; fori, ver. Hæreſis diff. 3. nu. 3. Zanchinus de Hæreticis cap. 34. & ibi Campegius*: tum, quia, ſi Inquiſitores haberent partem in horum caſuum reſeruatione; in tabella caſuum annotari deberet, tanquā communi Epiſcopo, & Inquiſitori, veluti obſeruatur in Expoſitione Edicti S. Inquiſitionis, vbi non minus Epiſcopus, quàm Inquiſitor hære-

hæreticæ prauitatis, tanquàm inſimul illius efficientes, & promulgatores nominantur: Epiſcopus velut Ordinarius; Inquiſitor verò tanquàm Delegatus Sedis Apoſtolicæ.

Tùm prætereà, quia ſequeretur, vt qui haberet facultatem ab Ordinario circa blaſphemias, vel ſuperſtitiones itèm hæreticales; nihil poſſet, niſi obtenta etiam facultate ab Inquiſitore, quod non eſt dicendum; verba enim tabellæ, vbi Ordinarij ſibi reſeruant aliquos caſus pro foro Sacramenti Pœnitentiæ debent intelligi, vt aliquid independentèr ab Inquiſitore operentur; cum ab ipſo non exeat, neq; ſubſcribatur, & facit ad hoc *l. Si quando ff. de legat.* 1. aliter nihil valeret, quòd non admittitur, neq; concedit praxis; ſed dicendum eſt, quòd blaſphemia ſpectat ad Ordinarium, quoad forum ſacramentale: quoad forum verò cõtentioſum ad Inquiſitorẽ contra hæreticam prauitatem delegatum; vt patet ex fundamentis *Eymer., Zanchini, Caſtri Palaij loc. ſup. cit.*

Verum tamèn eſt Inquiſitorem, quoad dictos caſus in foro Sacramenti Pœnitentiæ nõ eſſe deterioris conditionis alijs Confeſſoribus, ſi exiſtat Sacerdos, vndè abſoluto Reo in ſuo foro ab excõicatione, æquè, ac alij Confeſſarij põt abſoluere à peccatis: immò ſi quid habeat plus cęteris, vt par eſt, ſaltèm reſpectu ſuæ perſonæ, ex præſcripta conſuetudine in foro Sacramenti Pœnitentiæ; illo vti poſſe non eſt negandum: nam conſuetudo eſt altera lex ex *cap. Conſuetudo, diſt.* 1.

DIFFICVLTAS III.

Blaſphemia hæreticalis impropria, quæ conſiſtit in factis; qualis eſt illa, (quod abſit) conculcantium Sacramentum Altaris, vel aliud: item deturpantiũ Sanctorum Imagines, Crucifixum ſtylo tranſuerberantium &c. à quo abſolui poteſt in foro Sacramenti Pœnitentiæ.

NOtandum, quòd huiuſmodi blaſphemiæ ſpectant ad S. Inquiſit. Tribunal quoad forum externum; quoad internum verò Sacramenti Pœnitentiæ illas abſoluere poterit quilibet Confeſſarius; niſi reſeruetur in tabella alicuius Diœceſis: vel niſi adſit error in intellectu; quia ſic reſeruatur S. Pontifici, cum habeat annexam formalem hæreſim, conſtat ex *Bulla Cęnæ.*

DIFFICVLTAS IV.

An vbi abſolutè reſeruatur blaſphemia, vt fit in Diœc. Bergomen. reſeruetur blaſphemia factis.

RAtio difficultatis eſt, quia lex generalitèr loquens, generalitèr eſt intelligenda. *l. de prętio ff. de Public. in rem act.*

Reſpondetur negatiuè, quia blaſphemiæ reſeruatio fieri ſolet tantùm de propriè accepta, qualis eſt illa, quæ opponitur laudi diuinæ: Vndè, ſicut laus ꝓpriè fit verbis: ità fit blaſphemia propriè dicta: adeò, vt vbi lex reſeruationis de blaſphemia (factis) nullam facit mentionem; de illa verbis præciſè intelligenda ſit: talis eſt enim natura reſeruationis, vt. ſ. lex ſtrictè, & in proprio ſenſu intelligatur. faciunt, quæ docet *Suarez tom. 2. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. Leſſius lib. 2. cap. 45. dub. 5. Bonac. de Decem Pręcep. quæſ. 8. punc. 1. prop. 2. nu. 2. & alij.*

ART. III. DIFFICVLTAS PRIMA.

Confeſſarius, cui pęnitens confitetur ſe euomiſſe blaſphemiam duplicem ſenſum habentem, alterũ s. hæreticum; Catholicum alterũ, quomodo ſe gerat.

REſpõ, quòd etſi Iudex Fidei in S.Offic. (omiſſo ſenſu hęreticò) Catholicum in fauorem Rei, niſi quid obſtet, ſequi ſoleat; tùm quia proniora ſunt iura ad abſoluendum, quàm ad ligandũ, *l. Arrianus. ff. de act. & obl. l. Fauorabiliores, ff. de iur.*: tùm quia dubia in meliorem partem interpretari debemus; ità *Albertinus de Agnoſcendis aſſert. quæſt. 7. nu. 15.* itèm *quæſt. 34. nu. 48. Lucerna Inquiſ. verb. Præſumptio, nu 7.* Confeſſarius attamèn in foro Sacramenti Pœnitentiæ non ità ſe geret; ſed attendet pœnitentis mentem, an s. illius blaſphemia hęreſi coniuncta fuerit; qua poſita, talem blaſphemum minimè abſoluere poterit, licèt exiſtat Pęnitentiarius Epalis; cum excõicatione Bullæ Cęnæ Summo Pontifici reſeruata, annodetur.

E contrà licèt in aliquibus caſibus in foro fori in dubio pro hęreſi præſumatur, & pręcipuè in his duobus. primus, quandò is, qui dubiam protulit propoſitionem, aliàs erat de hęreſi ſuſpectus. Secundus, quandò erat de prouincia de hęreſi infecta. *Pegna in Direct. Inqu. par. 3. quæſt. 62. Lucerna Inquiſ. ver. Præſumptio.* Confeſſarius tamèn in ſuo foro, in quo non ſequitur pręſumptionem, ſed veritatem; ſi cognouerit pęnitentem ab omni hęreſis contagione in mente ſanum eſſe; eiuſq; peccatum in tabella caſuum reſeruatorum exiſtere, ipſum minimè abſoluere poterit.

DIFFICVLTAS II.

Blaſphemiarum qualitatem, & numerum, quando pęnitens in confeſſione ſacramẽtali explicare teneatur.

QVò ad qualitatem obſeruo pœnitentem in duobus caſibus præcipuè teneri; alter eſt, cum blaſphemia ex odio Dei formali procedit: alter verò eſt, quandò blaſphemia hęreſim continet: ità *Lazarius tract. de Blaſphemia, quęſt. 3. nu. 51. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæſito 10. Caiet. in Sum. ver. Blaſphemia. Valentia tom. 3. diſp. 1. quęſ. 13. punct. 1. Ghilinus in reſolut. Caſuum conſcientię, ver. Circunſtantia num. 3. & alij.*

Quo ad numerum autèm noto tot eſſe peccata in Confeſſione ſacramentali manifeſtãda, quot ſunt conuicia in Deum, vel Sanctos diuerſa formalitèr: v. g. ſi quis contra Deum eructet prius hoc conuiciũ, nempè eſt iniuſtꝰ: & poſteà, quòd eſt impotens; duo impijſſima perpetrauit peccata; minimè obſtante eodem moralitèr actu iræ, eodemq; morali tempore, dummodò neceſſaria aduertentia adfuerit: dico neceſſaria: nam, ſi ad primum ſolũmodò conuicium aduerterit, & ſecundum non obſeruauerit, nec ex intentione protulerit; conſequen-

ſequatèr vnum, precisè erit peccatum formalitèr, licèt fortaſsè plura materialitèr. faciunt, quæ docent communitèr DD. *ver. blaſphemia. Zanardus in Direct. Theologorum, ac Cōfeſſ. par. 2. cap. 10. Ghilinus in Reſolutionib. practic. Caſ. conſcien. ver. Iniuria, & alij.* Ratio àt cur ſint plura peccata, quandò diuerſificata sūt conuicia formalitèr, eſt; quia quodlibet conuicium ſuam habet deformitatem diuerſis perfectionibus, ſiue virtutibus oppoſitam. *Diana tom. 1. tract. de Circunſtantijs aggrauantib. reſol. 50. 51.*

Verùm ſunt aliqui Doctores exiſtimantes omnia cōuicia eſſe eiuſdem ſpeciei, quoniam conueniunt in intentione auferendi alteri honorem; & perindè ſecundùm iſtorum placitū, non foret diſtinguendum de diuerſitate conuiciorum formali. Legēdus eſt *Reginaldus lib. 24. nu. 102.* ſed non eſt relinquenda veterum ſemita pro recentiorum calle.

ART. IV. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Blaſphemus hæreticalis ignarus reſeruationis per ſimplicem Confeſſarium .s. non habentem facultatem ſuper reſeruata abſolui poſſit.

RESPĒ difficultati duabus propoſitionibus. Prima, Blaſphemus hereticalis, ſi ſuo dicto nouit ſaltèm mortalitèr blaſphemare Deum, vel Sanctos; non deſinit eſſe ligatum reſeruatione ob ignorantiam reſeruationis, vel intelligentiæ vis verborum: cuius ratio eſt, quia ſumus in delicto de iure naturali, & diuino prohibito; quod afficit etiā ignorantes reſeruationem eccleſiaſticam. *Homobonus de Exam. Eccleſ. tract. 5. c. 4. quæſ. 34. & Noe in Comment. ſuper Caſ. reſer. par. 1.*

Secunda, Si è contrà blaſphemus hereticalis, nedum ignorat reſeruationem; ſed etiam an peccet mortalr̄ talia euomendo; à ſimplici Confeſſario abſolui poteſt; quia non datur reſeruatio, niſi ſuppoſita cognitione ſaltèm peccati mortalis. ità *Bellochius de Caſib. reſ.* quem citat *Carena tract. de S. Offic. par. 2. tit. 7. §. 19. nu. 98.* ratio autèm diſcriminis intèr huiuſmodi blaſphemantes eſt; quia ex allatis rationibus Eccleſia non punit, qui aliàs neſciunt ſe peccare; ſed illos, qui (cognito delicto) aduertētèr blaſphemant: nec ſatìs eſt, vt quis nouerit malum agere; ſed etiam neceſſe eſt, vt dignoſcat peccare grauitèr .s. mortalr̄: quia nullus afficitur reſeruatione, niſi ſuppoſito mortali; poteſt tamèn eſſe, quòd iſte peccet mortalitèr ratione ignorantiæ affectatæ, aut craſſæ.

DIFFICVLTAS II.

An habenti conſuetudinem blaſphemandi hæreticalitèr à Penitentiario abſolutio impertiri poſſit, ſi habeat reliqua requiſita pro receptione Sacramenti.

RESPŌ diſtinctiōe, vel loqmur de rigore, vel de equo, & bono: primo modo loquēdo dicēdum eſt huiuſmodi blaſphemum abſolui poſſe: quia penitens habens dolorem de præterito, & propoſitum cauendi de futuro habet requiſita ad obtinendum ſacramentalitèr abſolutionem; & per conſequens data etiam cōſuetudine peccandi, poteſt à Confeſſario abſolui; cum, vt tradit *Ioan. Sanchez loc. infra cit.* Confeſſarius nō habeat ius interrogādi penitentem ſuper cōſuetudine peccandi, cū id (inquit ipſe) nullo iure diuino, aut huāo caueatur. Verùm hæc ratio, prout iacet, non mihi placet; ſed cenſeo circa requiſita ad confeſſionem perfectam alitèr procedendum eſſe cum rude, & alr̄ cū docto; reſpectu rudis arbitror Confeſſarium habère ius ad illum interrogandum; cum teneatur conſulere eius ſaluti; reſpectu verò Docti, qui nouit remedia ſibi neceſſaria; quæ vult ſibi applicare (ſuppoſita eius diſpoſitione) omitti poteſt interrogatio ſuper conſuetudine. *Ioan. Sanctius apud Cęſarem Carenam tract. de officio S. Inquiſitionis par. 2. tit. 7. §. 10. num. 105.*

Ceterùm loquendo de equo, & bono cū oī penitēte faciēda eſt experiētia de ſtabili reſipiſcētia ſaltèm aliquibus diebus ad iudiciū ipſius Cōfeſs., qui iuxtà prudentiam variare poteſt modū pro varietate qualitatum pœnitentium.

Verùm vnum notatum eſſe cupio, nempè quòd conſuetudo blaſphemandi poſtquàm fuerit correcta efficaci propoſito nō blaſphemandi, nō imputabitur ad mortale: Vndè blaſphemiæ ex ipſa prouenientes inaduertentèr, & propemodùm naturalitèr non apparent neceſſariò peccata mortalia, vt fuſiùs ſequenti difficultate. ità *Laymann Theol. Moral. tract. 2. cap. 3. nu. 6. Ghilinus in Summa Caſuum conſ. ver. Blaſphemia nu. 11. vbi addit.* DD. docentes denegandam eſſe abſolutionem habenti conſuetudinem blaſphemandi; loqui de habente talē conſuetudinem cum aduertentia: ità prædictus Doctor, qui pro ſe loc. cit. citat *Suarèz, Sanchez, Reginaldum &c.* cui rationi (cum ſit ſatis conſona veritati) adhęreo.

DISTINCTIO QVINTA.

De quibuſdā dubijs circa blaſphemias, & blaſphemos hæreticales.

Quæ in duos diuiditur articulos.

Quorum alter tangit duas difficultates penès blaſphemias emergentes.

Alter verò tres enodat difficult. blaſphemos reſpicientes.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

In Edicto nouo S. Inquiſitionis cur nunc temporis ſubticetur illa dictio (ſolito beſtemiare) quæ in antiquo ponebatur: vt patet ex Edictis antiquis. lege Edictum F. Benedicti Rotæ anni 1616. & F. Auguſtini Pedretti anni 1620. ambo Inquiſit. Bergomi: formæ autèm Edicti nihil addi, vel detrahi poteſt, l. 1. ff. de nou. Oper. nunciat. & *neglecta forma quidquid agitur, infirmatur,* l. 1. C. de Prædijs Decurionum,

Pro-

PRobabilitèr ſentio magna cum maturitate, diſcuſſione, prudentia, ac peritorū conſilio actum eſſe: tum quia in re tanti momenti, qualis eſt denunciatio apud Sanctum Tribunal multi denunciationē omittebant, neſcientes, an quem ipſi audierant hæreticalitèr blaſphemare; ad ſimilia ſolitus eſſet, hinc ex vna parte religionis zelo trahebantur ad denunciandum; ſed ex alia detinebantur, ne intempeſtiuè denunciarent: tum quia adhoc, vt quis ſit ſolitus .s. blaſphemare, non ſufficit duabus, aut tribus vicibus blaſphemaſſe: *Alex. conſil. 72. in prim. volum. num. 8. Boerius deciſ. 301. ſub nu. 1. Albertin. de Agnoſc. veritatibus Cathol. & Hæret. quæſ. 20. & alios apud Quaranta loc. cit.* plures reiterationes requirentes, vt quis dicatur ſolitus. *Iaſon in l. ait Prętor §. Iuraui, nu. 4. ff. de Iureiurando apud Quaranta, qui alios citat:* idem concludunt de prauo vſu, & vitioſo habitu; nimirùm, quòd ad illos conſtituendos plures iterationes duabus, aut tribus requiruntur.

Non erat autèm facile ſcire, an blaſphemus hæreticalis aliàs pluries tribus vicibus blaſphemaſſet, & non niſi cum magno vitæ diſcrimine, aut perpetuæ inimicitiæ ab eius parentibus, & amicis ſufficiens informatio ſumi poterat; ideò meritò prouiſum eſt à Superioribus, vt dictum verbum, vz. (*ſolito*) ab Edicto reformato remoueretur, iuxtà *l. Oratione, ff. de ferijs*, quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, nouaq; diſpoſitione. Nec obſtant prędictæ leges à principio obiectæ, quia reformationem Edicti cenſendum eſt factam ab his, qui poſſunt, vel de ipſorum auctoritate. *cap. Qui peccat 23. quæſ. 4. cap. Dixit 14. quæſ. 5.*

DIFFICVLTAS II.

Blaſphemiæ hæreticalis ſcrupuli an contemnendi.

REſpondet affirmatiuè *Ioan. Sanchez in Seclectis diſp. 41. n. 28. 29. 30. 31.* cuius ratio eſt, quia ad infidelitatem, aut blaſphemiam, (vti experientia demonſtrat) non eſt intenſa procliuitas: quemadmodum eſt ad peccata carnalia.

Verùm ſcrupuloſus, circa neutram materiam ſcrupulos attendere debet; ſed Confeſſario doctrina, & conſcientia prædito ſecundum communem exiſtimationē prorſus credere, & obedire debet: Quemadmodum enim, qui oculorum perſpicacitatem habent, ſi vtantur ante oculis; experiuntur tunc minus videre; quod quidem contingit ex ipſorum ſanitate integra: ità ſaniores in Fide, ſi ante oculis ſcrupulorum vtantur; illorum conſcientia obtenebrari potiùs, quàm illuminari videtur; ſed id profectò non euenit ex Fidei ipſorum defectu, ſed ex integritate illius virtutis. Vndè, ſicut illi experientia dictorum mediorū minus videndo, ex eo nullā capiunt animi turbationē; ſed potiùs conſolationem, cum inde eliciant perfectionem propriorum oculorum: ità ſe gerere debent, ſuo modo ſcrupuloſi; quando interdum aliquod Fidei myſterium minus diſcernunt, quàm vellent. faciunt, quæ docet *Io. Sanchez loc. cit. nu. 30.* Quæ .n. nobis ſunt ſummè cara; ſemper timemus illa perdere; vndè non eſt amor ſine zelotipia.

Admoneat autèm Confeſſarius huiuſmodi ſcrupuloſos, prout in ipſis eſt non parum derogare diuinæ bonitati, quæ præſtò eſt omnibus ipſam inuocantibus.

Docendiq; ſunt, primò ne verſutias Dęmonis timeant.

Secundò, quòd ſcrupulis contra Fidem moleſtari non eſt peccatum, vt ipſi opinantur: ſed eſſe infirmitatē, vt plurimùm ex nimio timore, & amore proprio, vel eſſe Crucem à Deo.

Tertiò, quòd, dum huiuſmodi tentationes habere renuunt; ſignum eſſe nō vulgare ipſos illis minimè aſſentire. Quare, niſi ipſi obtenebratam haberent rationem; nullo vrgentiori argumento habere poſſent de ipſorum integra Fide, quàm ob timorem affici dolore illius diminutionis: qui nec requiritur percipi ſenſu: ſed ſat eſt deteſtatione rationis.

Doceat deniq; ipſos, quòd attentio nimia ad vitandū ſcrupulum, ſcrupulum parit; ideò cōſultius cōtenuntur; itèm doceat, qñ ipſis certū nō eſt, an ſcrupulū, vel dubiū patiātur; ꝙ ſufficit eis, vt non peccent, tenere ipſos ſcrupulis angi. idem *Doctor, eadem diſp. nu. 16. & 22. vide ſecundam par. lib. 10. diſt. 4. ar. 2. diff. 1.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An blaſphemans hæreticè Eccleſiaſtica immunitate gaudeat.

REſpondetur difficultati affirmatiuè, .s. quòd blaſphemus, lz. hæreticalis immunitate Eccleſiaſtica gaudet, patet ex diſpoſitione Bullæ *Gregorij XIV.* incipit, *Cum alias.* Itèm ex *Theſauro fori Eccleſiaſtici par. 1. cap. 13. nu. 15. & ſeq.* Itidem ex *Summa Bullarij, ver. Reuerentia diuinorum circa finem*; excipiuntur enim à beneficio immunitatis Eccleſiaſticæ ſolummodò publici Latrones: Viarum graſſatores publica itinera obſidentes: viatores ex inſidijs aggredientes &c. nulla facta mentione de blaſphemis cuiuslibet generis; ibiq; prohibetur, ne fiat extenſio ad alios æquipollētes caſus ex paritate, identitate, aut maioritate rationis. Quapropter præter exceptos in dicta bulla, cæteri omnes delinquentes potiuntur Eccleſiaſtica immunitate. ità *Lazarius de Blaſphemia, quæſ. 5. nu. 69. & 70. 71. 72. Farinac. conſil. 76. nu. 14. Ambroſinus de Immunitate Eccleſiaſtica cap. 8. nu. 10. Nicolaus Boerius deciſ. 120. per totum, Baiardus in addit. ad Clarum, quæſ. 30. nu. 15. Coar. lib. 2. Variar. reſol. cap. 20. num. 11. Gutierez Hæreticarum qq. lib. 3. cap. 4. q. 28. num. 67.* quòd quidem probant per *cap. fin. de Immunitate Eccleſiæ.*

Verùm, ſi mihi fas ſit loqui, dicam, quòd in his, quæ ſpectant ad S. Inquiſit. Tribunal, cum ſit vndequaque priuilegijs circumuallatum, ac ſingularizatū; ſolummodò eius antiquiſſimus

Pp ſtylus

ſtylus eſt attendendus; qui talis eſt, vt non ſolũ blaſphemus hæreticalis; ſed etiam quicunque alius de hæreſi; quouiſmodo ſuſpectus ad Eccleſiam confugiens; ab ea à Miniſtris S. Officij indifferentèr extrahatur: teſte *Farinatio de Immunitate Eccleſiæ cap.* 13. *num.* 175. quod notat *Ghilinus ver. Blaſphemia.*

DIFFICVLTAS II.

Blaſphemus recipiens precium, vt ſe à blaſphemijs hæreticalibus coerceat; an teneatur acceptum reſtituere? ſolet hunc contractum interdum contingere inter piam Matrem; & blaſphemum filium.

RESpondetur negatiuè; cuius ratio eſt; quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione ſolius iuſtitiæ commutatiuè, vt communitèr teſtantur Doctores; in hoc autèm cõtractu non violatur huiuſmodi iuſtitia, vt de ſe patet, cum nulli fiat iniuria: volenti enim, & conſentienti nulla fit iniuria, *de Reg. iur. in* 6.

Obijcies, primò; accipientem aliquid pro peccato euitando; ad reſtitutionẽ in foro fori compelli poſse, *l.* 2. *vt Puta, ff. de Conditionibus ob turpẽ lucrum, & l.* 7. *Iuriſgentium, ff. de Pactis*; ſed iſte ſub hoc pacto accepit precium: ergò ad illam tenetur. Reſpondeo negando conſequentiam; & ratio eſt, tum quia ex his legibus ſolummodò colligitur in foro externo dari actionem ad repetendam rem traditam pro non patrando peccato; ſed, ſi precium iam receptum non repetatur, aut receptor non condemnetur, ad nihil tenetur: tum quia nõ ſemper valet argumentum à foro externo ad internum: nam multa prohibentur in vno, quæ in alio conceduntur. faciunt, quę habet *Bonac. de Reſtit. quæſ.* 3. *punt.* 2. *prop.* 1. *&* 2. *per totum cum alijs communitèr.*

Obijcies ſecundò, qui alteri dedit pecuniã, ne blaſphemaret, coactè dedit; quia, ſi potuiſſet illum remouere à blaſphemijs abſq; traditione precij, libentèr egiſſet; ideò ſignum eſt, coactè illud tradidiſſe; & perindè receptorem ad reſtitutionem in foro conſcientiæ teneri. Reſpondit hìc *Bonac. loc. cit. prop.* 1. *nu.* 1. *cum Vaſquez*, huiuſmodi hominem pium non tradidiſſe precium coactè; cùm per vim minimè illud dederit: ſed ſolummodò per charitatem virtute religionis impulſus; ideò, qui illud recepit, ad reſtitutionem non tenetur; patet caſus in ſimili de emente; qui aliquo modo coactè dat pecuniam, quam minimè daret; ſi merces gratis obtinere poſset; & nihilominus certum eſt accipientem ad reſtitutionem minimè teneri, quid certius?

DIFFICVLTAS III.

An blaſphemis; aut alijs ad mortem damnatis Sacramentum Euchariſtiæ ipſa die; qua ſuſpendendi, decapitandi, aut concremandi ſunt, adminiſtrari poſſit.

LIcèt aliqui ob Sacramenti reuerẽtiam partem negantem tenuerint, vt .s. non ſit eis adminiſtrandum: attamen affirmatiuam ſequi poſſumus; quininimmò dari debet, ſi ab ipſis petatur, 13. *qu.* 2. & ità practicatur Romæ, vt tradit *Flauius Cherubinus in Compendio Bullarum* idem practicatur Bononiæ, vt docet *Corſet. ſingul.* 68. *in fine.* cuius ratio eſt; quia horum animabus hoc cognoſcitur magis proficuum, (inquiunt DD.) contrariamq; conſuetudinẽ, tanquam abuſum ſentiunt eſſe vitandam.

DIFFICVLTAS IV.

An blaſphemans hæreticalitèr interdum extra mortis articulum abſolui poſſit à quolibet Confeſſario.

RESpondetur affirmatiuè tribus conditionibus obſeruatis. Altera eſt, vt blaſphemia hæreticalis non ſit reſeruata in tabella caſuum reſeruatorũ Diœceſis, vbi Confeſſarius excepit confeſſiones. Altera ne ſit coniuncta cum hæreſi. Tertia ne, qui talitèr blaſphemauerit, ſit ſub Inquiſitoris cuſtodia, aut carcere: incõſulto Inq. faciũt tradita à *Diana de Sacram. trac.* 4. *reſol.* 43. *Zambello in Repert. caſuũ conſcien. v. Hæreticus, nu.* 5. vide dicta ſupra *diſt.* 4. *art.* 2. ratio eſt, quia talis minimè abſolui poteſt, niſi prius ab Inquiſitore, vel eius Commiſſario excõicatio certa, vel preſumpta ablata fuerit.

DIFFICVLTAS V.

An ſicut ſuſpectus de hæreſi venit denunciandus S. Officio; ità ſit denunciandus ſuſpectus de blaſphemijs.

RESpondetur negatiuè, pete reſolutionem ſupra de hæreſi denuncianda. *lib.* 10. *diſt.* vbi ponitur diſcrimen inter hereſim, & alios caſus in genere, de quibus Edictum Inquiſitionis.

DIFFICVLTAS VI.

In confeſſione ſacramentali an explicanda ſit qualitas blaſphemiæ, an .s. contra Deum, vel contra Sanctos effutita fuerit.

NOtandum difficultatem hanc cum illa coincidere, .s. an differat ſpecie blaſphemia contra Deum ab illa contra Sanctos.

Reſpondeo diſſidere admodùm DD. tendentes alij ad partem affirmatiuam: alij ad negatiuam. Tenentes, quòd differunt ſpecie, ſupponunt blaſphemiam cõtra Deum opponi religioni: blaſphemiam verò contra Sanctos obſeruantiæ ipſis debitæ; huius autèm ſententiæ eſt in primis *Ioan. Sanchez in Selec. diſp.* 6. *nu.* 6. *cum alijs.* Qui verò tenent partem negatiuam .s. quòd ſint eiuſdem ſpeciei, ſupponunt blaſphemiam contra Sanctos etiam opponi religioni, ſicut opponitur illa contra Deum, & hanc ſententiam ſequitur *Lazarius de Blaſphemia queſ.* 3. *nu.* 5. *cum alijs.*

Vnum certum noui, .s. in duobus caſibus blaſphemias ſpecie differre; primò hæreticales à ſimplicibus. Secundò illas, quæ ex odio formali contra Deum euomũtur; ab illis, quæ ſine odio; ratio eſt, quia licèt ex *Conc. Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 5. circunſtantiæ aggrauantes non neceſſariò explicentur in Sacramento Pœnitentiæ; tamen ſecus eſt, quando mutant ſpeciem, ſicut contingit in his duobus caſibus. *Thom. Sanchez lib.* 2. *Oper. Moral. cap.* 32. *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.*

cap. 28. queſ. 10. Caiet. in Summ. verb. Blaſphemia. Valentia tom. 3. diſp. 1. qu. 13. punc. 1. & alij. Qare his duobus caſibus blaſphemias confusè confiteri, non ſufficit. vide *Tho. Sanchez loc. cit.*

DIFFICVLTAS VII.

Blaſphemia grauitas qualis, & quanta.

S. Auguſtinus ſuper illud *Matth. blaſphemauit*, proloquitur in hæc verba: *Non minus peccant, qui blaſphemant Chriſtum regnãtem in Cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris*, ſtatusq; regnantis in Cœlis eſt maior ipſius patientis in terris: hinc D. Paulus de his proloquens dicit: *Iterum crucifigentes Chriſtum.*

Idem *Doctor tractatu decimo in Ioan. poſt initium*: inquit; *Flagellatur* (loquitur de Chriſto) *Blaſphemijs falſorum Chriſtianorum: multiplicãt flagella Domino Deo ſuo, & neſciunt.*

Lexicon Theolog. ver. Blaſphemia, vult, quòd blaſphemia ſit potiſſima cauſa peſtilentiarum, Bellorum, Cariſtiæ, aliarumq; tribulationum in Chriſtianitate; & poſt pauca, addit, peccatũ blaſphemiæ cadit omninò ſuper eos, qui ipsũ audiunt libentèr, vel non ponunt impedimentum, hæc ibi: modus autèm impediendi, fit denunciatione ad S. Trib.

D. Bonau. in 2. Sent. 21. art. 3. quaſ. 3. dicit; Peccati grauitatem conſiderari poſſe duplicitèr .s. quo ad intenſionem, & quo ad extenſionem, vultq; peccatum blaſphemantis Deum maius eſſe (loquendo intenſiuè) quam illud Adæ: dicit quo ad intenſionẽ, ſeu intenſitatẽ, quia extenſiuè aliud dicendum eſt. hinc Scriptura Sancta 1. *Reg. cap.* 2. ità proloquitur: *Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?* Quare ipſe Deus conqueritur de talibus. *Pſal.* 54. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: & ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo.* De eiſdem conqueritur in *Iſa. cap.* 1. his verbis: *Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autèm ſpreuerunt me .s. blaſphemijs:* nam grauius fertur iniuria, quæ fit à propinquo, quàm illa, quæ fit ab extraneo, & ignoto, *l. Cum oporteret, C. de bonis liberis*: hinc Iulius Cæſar Imperator Romanus, vt cognouit, quòd Brutus eius filius conueniſſet cum inimicis ſuis in mortem ipſius: de illo ſolo cõqueſtus eſt his verbis: *tu quoque fili mi? tu quoque fili mi? tu quoque fili mi?* & Chriſtus Benedictus ſolummodò cõqueſtus eſt de illo, cui parum antea ſanauerat auriculam, dicens: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autèm benè, cur me cædis?*

Quare mihi videtur de prædictis peccatoribus blaſphemis, ac ingratiſſimis Chriſtum ità lamentari: *Quid vltra debui facere, & non feci?* S. pro illis.

Theophilatus ſuper illum text. Matth. velum templi ſciſſum eſt in duas partes; habet, quòd hæc demonſtratio, ſeu ſignum fuit ab æterno Patre ad deſignandum, quale, & quantũ foret peccatum illorũ, qui blaſphemauerunt Chriſtum: erat nanque mos apud Hæbreos, vt illicò (audita contra Deum blaſphemia) dilacerarent veſtem; ideò ipſe quoque voluit ſuam dilacerare veſtem .s. velum templi.

Grauitas huiuſce delicti etiam dignoſci poteſt; nam nullus ex peccatoribus intendit Dei offenſam, ſeu Deum contumeliari (dempto blaſphematore ex malitia) Hæreticus illa de Deo dicit, quæ vera eſſe credit, quamuis erret, ſed blaſphemus ex malitia, illa de Deo fatur, quæ nouit non eſſe vera, nec fanda.

Gloſſa ſuper cap. 18. Iſaia, habet; *Omne peccatum blaſphemiæ comparatum leuius eſt*: & ferè illud idem tradit *D. Hierony. ſuper Iſa. Blaſphemiæ peccatum omni alio horribilius eſt.*

Gerſon part. 2. & Lexicon Theol. ver. Blaſphemia, ſunt in hæc verba: *Peccatum blaſphemiæ eſt peius, & horribilis, quàm comedere carnes in die Veneris, vel in Quadrageſima.*

Hæbrei ex teſtimonio D. Pauli 1. ad Cor. cap. 2. Si agnouiſſent Chriſtum apertè, illum minimè crucifixiſſent: ſi .n. cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; & iſti illum turpitèr blaſphemant, licèt cognoſcant.

D. Bonau. in 2. Sent. diſt. 43. circa text. habet, quòd aliqui blaſphemant ob infirmitatem, ſeu fragilitatem; & hi peccant contra Patrem: aliqui ob ignorantiam, & hi peccant contra Filium: aliqui verò ob malitiam, & hi peccant contra Spiritum Sanctum, & hoc blaſphemandi genus eſt peſſimum.

DIFFICVLTAS VIII.

An grauiſſimè puniatur blaſphemum?

Reſpondetur affirmatiuè; omnia .n. iura contra ipſum clamant. In lege veteri *Leuit. c. 24.* dicitur *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt manus ſuper caput eius, & lapidet eum vniuerſus populus*

In lege noua *Matth c. 5.* qui dixerit fratri ſuo fatue, Reus erit gehennæ. Vndè, ſi contumeliantem fratrem habet pati gehennam; qui Deum blaſphemauerit, quot gehennas pati debet?

In lege Canonica *Extra, de Maledictis cap. Statuimus*, itèm grauitèr punitur; taxanturq; ipſi plures pœnæ, quas breuitatis grã omitto.

In lege ciuili, *l. Quiſquis, C. ad l. Iuliam*, prætèr alias pœnas; habetur, quòd blaſphemans principem eſt infamis: quòd à fortiori colligitur, ſi quis blaſphemet Principem omnium, Regem Regum, Dominum Dominantium.

Nabuchodonoſor Paganus contra blaſphemos huiuſmodi poſuit Decretum: vt regiſtratur *Danielis cap. 3.* in hæc verba: *A me poſitum eſt hoc Decretum, vt omnis populus, tribus & lingua quæcunque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum, Sydrach, Miſach, & Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur.*

Verùm tamen eſt, quòd flagellis, quibus à Deo affligitur in hoc mũdo, veniunt ab ipſo, vt à patre, qui filij emendationem quærit. hinc D. Auguſt. in quodam ſermone de Faraone

flagellato aureo ore ità prologuitur: *Dum Deus immittebat Faraoni flagella; impendebat miſericordiæ beneficia, quia cor eius ad conuerſionem excitabat: cum verò illa ſubtrahebat, hoc erat ex rigore iuſtitiæ*, quod notat *D. Bonau. in 1. Sent. diſt. 36. art. 2. quæſ. 2. in fine*, hinc prædictus *D. Bonau. loc. cit.* ità ſubſequitur: *Non deriuatur omnis pœna à Dei vindicta*: immò poteſt eſſe à Dei miſericordia; quia erudit, & flagellat omnem filium, quem recipit; ſic .n. competit præſenti ſtatui. huc ſpectat illud Vgonis ſuper illa verba Pſal. *Et cum hominibus non flagellabuntur*, habet, quòd illi, qui in hac vita non fuerint flagellati cum hominibus: quòd poſteà in altero ſeculo flagellabuntur cum Dęmonibus.

DIFFICVLTAS IX.

An blaſphemia ſit notabilis coniectura præſciti.

RESpondetur affirmatiuè; quod intellige; niſi blaſphemia omninò tollatur plena reſipiſcentia: quamuis autèm reprobatio non poſſit à priori, ſeu per cauſam cognoſci; quia nemo ſcit vtrum amore, vel odio dignus ſit: poteſt tamèn à poſteriori .s. per effectum, iuxtà illud: *Ex operibus eorum cognoſcitis eos.*

Quemadmodũ Eques cognoſcitur ex ſigno, cuius ſit Eques: ſic ex charactere Diaboli cognoſcuntur quique ipſius Eques: ſignum autèm Diaboli eſt blaſphemia; hinc de Antichriſto reprobando dicitur in *Apoc.* quod *aperiet os ſuum in blaſphemias ad Deum, Apoc. c. 13.*

Ex lingua cognoſcitur quiſque, cuius ſit nationis: Vndè etiam D. Petrus ex tali ſigno cognitus fuit, quòd Galileus erat: iuxta illud: *Galileus es: nam & loquela tua manifeſtum te facit*: quòd autèm damnati in Inferno euomant blaſphemias, ſeu maledicta, patet ex Pſal. ibi: *Maledicent illi .s. damnati: & tu* (loqĩ cum iuſto) *benedices*. patet idem in duobus latronibus cum Chriſto crucifixis: qui erat damnandus, maledicebat blaſphemando: *Saluum fac temetipſum, & nos*: Saluandus verò aiebat: *Nos quidem iuſtè digna factis recipimus*: hic verò nihil malè geſſit: *Qui de terra eſt .s. damnatorum, de terra loquitur, .s. blaſphemias, maledicta &c. qui verò de Cęlo: loquitur, vt in Cęlo benedicens Deum*: hinc Plato dicebat, quòd homines, & vaſa figuli eadem ratione probâtûr, .s. ex ſono. & in iure ciuili, in *l. Eum, qui probabile C. de Epiſcopis, & Clericis*, traditur modus dignoſcendi legitimos filios à putatiuis, vz. quòd ille qui inſurgit contra patrem, non debeat haberi pro filio: *Felinus in cap. Afferte, de præſumptio.* & ſubindè paterna priuatur hæreditate: ità priuatur æterna hæreditate, qui inſurgit contra Deum blaſphemijs, ſeu maledictionibus. ſumus in claris.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS IV. LIBER XXIV.

Vbi diſſeritur de caſu quinto S. Inquiſit. vz. de impedientibus S. Inquiſitionis Officium, eiusq; Miniſtros offendentibus: tangiturq; in Text. ibi: *O che habbiano impedito, ò impediſcano l'Officio della S. Inquiſitione: ouero habbino offeſo, ò offendino alcun teſtimonio, ò Denonciatore, ò Miniſtro d'eſſa.*

Notandum in primis, quòd in hoc Caſu terminus (impedire S. Inquiſitionis Officium) accipiendus eſt in ſua latitudine, quatenus .s. complectitur ſub ſe non minus indirectum impedimentum, quàm directum, vt infra ſuo loco dicetur; quare in hoc textu procedit potiſſimum regula illa: lex generalitèr loquens, generalitèr eſt intelligenda, l. de Prętio, ff. de Public. in rem act.: *itèm illa: indefinita legis oratio æquipollet vniuerſali;* l. Si pluribus, ff. de legibus 2. *notant Doctores* in cap. de eo de temp. ordin. *itidem illa, lex, quæ multiplicitèr intelligi poteſt; debet interpre-*

terpretari ſecundùm id, quod frequentius obſeruatum eſt, l. Si de interpretatione, ff. de Legib. Antonius de Butrio in cap. fin. extra de Conſuetudine.

Secundò, terminus (Offendere Miniſtros S. Inquiſitionis) e cõtra omninò ſtrictim erit accipiendus, .ſ. non prout Miniſter S. O. eſt homo, vel proximus, ſed præciſè prout eſt S. Trib. Miniſter: nam cõtra Offendẽtem primis duobus modis iam ſatis prouiſũ eſt per diuinam, & naturalem legem præcepto quinto, ibi: Non occides: *Quare, qui Miniſtrum S. O. offenderet ob aliud motiuũ, quam, quia talis Miniſter; licèt peccaret æquè, ac quilibet alius: tamen non incideret in hunc quintum Caſum. patet tùm quia diſpoſitio facta in fauorem aliquorum, intelligenda eſt iuxtà ſubiectam materiam. facit* Decius conſ. 287. *tùm quia; vbi agitur de pœna impoſita, non fit extenſio de vno caſu ad alium* l. Pater Seuerinam in princ. & ibi Bartholus ff. de Conditionib. & Demonſtrationib. *tùm præterea, quia in odioſis diſpoſitio facta de ſimplicibus caſum diuerſum non comprehendit: itèm omnis diſpoſitio generalis reſtringenda eſt, ne quis damnum indebitè patiatur, & abſurditas omnis excludatur; nam dato vno abſurdo, aliud facilè ſequitur*, l. Ratas, C. de reſcind. venditione.

Tertiò, vterque prædictorũ terminorum .ſ. offendere, & reſiſtere venit intelligendus non in abſtracto, ſed in concreto, iuxtà l. Si in rem in princ ff. de rei vindic. *pœna nanq; reſeruatio, denunciatio, & ſimilia, non ponũtur legi, ſed perſonæ. Nam lex non verbis, ſed rebus .ſ. hõibus poſita eſt.* l. 2. C. Communia de legatis, & fideic.

Vndè etiam notandum in hac materia non minus, quam in alijs, Maſculinum concipere fæmininum. l. 1. ff. de verb. ſignif. l. Si ità ſcriptum, ff. de legib. 2. l. Seruum legatis, ff. de lega. 3.

Quartò, abſoluemus librum hunc tribus diſtinctionibus.

Quarum prima eſt de offendentibus S. Tribunalis Miniſtros, vel impiè eidem S. Tribunali occurrentibus.

Altera eſt explanatio Bullæ Pij V. (ſi de Protegendis) contra impedientes S. Officium, eiusq; Miniſtros offendentes.

Tertia demum eſt ſummarium aliarum Conſtitutionum ad S. Tribunal ſpectantium.

DISTINCTIO PRIMA.

De offendentibus, aut impedientibus Miniſtros S. Officij.

Partiturq; in duos articulos.

In quorum altero declarantur termini textus, l3. aliquod lumen illuxerit nobis ex præfatione huiuſce libri.

In altero quædam enodantur difficultates.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Qui ſunt impedientes S. Officium: vel eius Miniſtros offendentes.

IMpedientes primò ſunt, qui reſiſtunt Inquiſitoribus, ne fabricent proceſſum contra Inquiſitum in S. Officio.

Secundò, qui contrariantur Inquiſitoribus, ne puniant inquiſitum, iam per eorũ ſententiam condemnatum; qui, ſi exiſtat Hæreticus; ſunt excommunicati in Bulla Cœnæ, ſuppoſito, quòd impedimentum ex motiuo hæreſis proceſſerit.

Tertiò, qui ſcientèr occultant Hæreticorũ libros de religione ex profeſſo pertractantes, ne ab Inquiſitoribus inueniantur, vel comburantur; iſti præter alias cenſuras Conſtitutionũ Apoſtolicarum afficiuntur excommunicatione Bullæ Cœnæ, quod notant communitèr DD. & maximè *Bonac. de Cenſ. diſput. 2. quæſt. 5. punc. 4. nu. 17.*

Impedimentum autèm ab ipſis duobus modis præſtari poteſt; nempè directè, & indirectè: Directè, qñ non per medium, ſed immediatè infertur. Indirectè verò, quãdo fit aliquid, ex quo ſeqr̃ impedimen., vt qui abſcondit libros Hęreticorum, impedit indirectè, ne dicti comburantur libri. *Ioan. Andræas in cap. Statutum*

de Hæreticis in 6. Direct. Inquiſ. part. 2. quæſt. 54.

Notandum verò Text. loqui nedum de impedientibus directè, ſed etiam indirectè: itèm tàm de præſenti, quàm de præterito; quod patet ex littera ibi: *Che habbiano impedito, ò impediſchino &c.*

Offendentes, primò ſunt, qui Executores mandatorum Inquiſitionis quoquomodo offendunt, ſiuè in corpore, ſiuè in rebus, immediatè, ſcilicèt per ſe ipſos, vel mediatè, .s. per alios.

Itèm, qui offendunt Teſtes, aut Denunciatores in S. O. tàm reſpectu præteriti temporis, quàm præſentis. vide text.

Secundò, qui ſcripturas, libros, vel aliud quodpiam ad S. Offic. pertinens deprædantur.

Tertiò, qui Edicta S. Officij, vel Decreta, ſiue præcepta expoſita dilacerant, vt nō legantur, vel temerè auferunt de loco, vbi affixa fuerant. faciunt allata per *Arſen. S. Inquiſ. p. p. tit. de Reſiſtentibus S. O., aut offendentibus eius Miniſtros*, & per tex. ibi: *Non ſia rimoſſo*, vz. Edictū S. Inquiſit. (a loco vbi affixum fuit ex ordine Reuerendiſs. P. Inquiſit.) *ſotto pena di ſcommunica*. De Præceptis, ſiue Decretis conſtat ex Arſen. vbi ſupra.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An impedientes S. Inquiſitionis Officium ſint ſuſpecti de hæreſi.

ANte reſponſionem aliqua veniunt notanda, primum eſt S. Officium in his Catholicis regionibus non præſumere, quòd impedientes S. Officium intuitu hæreſis, aut in odium Fidei hæc præſtent; ſed potius ex affectu carnali, ſeu ex alia cauſa; & ideò huiuſmodi Reis non ſolet regularitèr abiurationem iniungi, vt patet ex ſententijs, quæ in hac materia publicè leguntur: poſſunt attamèn puniri, vt perturbatores S. Trib., vt infra cauetur ſuo loco: verùm intellige, niſi ex coniecturis aliud dignoſcatur: nā ex vngue leonē.

Secundum, venit in conſequentiam prioris veritatis, .s. quod impedientes S. Officiū tunc præcisè redduntur ſuſpecti de hæreſi, cum id faciunt gratia hæreſis; non autèm ſi pretio, vel amore carnali: vndè contra eos non procedit, vti contra ſuſpectos de hęreſi; ſed vt cōtra turbantes iuriſdictionem S. Officij. *Farinac de Hæreſi quæſt 1. nu. 87. Duardus ad Bullam Cęnæ lib. 2. con. 1. quæſt. 33 nu. 28 & ſeq.*

Tertium, ad diſcernendum an impedientes ſint ſuſpecti de hæreſi; attendenda eſt nedum cauſa, qua moti ſunt ad impediendum S. Off. .s. ſi fuit odium in ipſum, aut amor erga Reum &c. ſed etiam attendere oportet qualitatem perſonarum impedientium: nam poteſt eſſe, quòd ſint ruſtici, & idiotę; Quare in his, neſcio, (vt vtar verbis *Carenæ in tract. S. Officij part. 2. tit. 13 §. 23. nu. 97.*) quomodo ſuſpicio hæreſis cadere poſſit; vndè narrat *loc. cit. §. 21. de quadam muliere*, quæ, cum è manibus Iuſtitiæ eripuiſſet virum capitalitèr damnatum, Excellentiſs. Senatus Mediolanenſis illam nec abſoluit, nec condemnauit; ſed decreuit pro tunc nō eſſe moleſtandam, donec ab ipſo aliť fuiſſet ordinatum: fortè tum, quia multa tranſeunt in vniuerſo, quæ ſingularitèr non tranſirent, *l. Quędam, ff. de Acquir. rer. dom.* tum, quia multa rōne incertitudinis trāſeūt, quæ alioquin itèm non tranſirent; tum etiam, quia multa in ſolatium afflicti conceduntur, quæ aliàs non concederentur, *l. Iure ſuccurſum, ff. de Iure dotium.*

DIFFICVLTAS II.

An impedientes S. Inquiſitionis Officium: vel eius Miniſtros offendentes veniant denunciandi.

REſpondetur affirmatiuè, quod conſtat triplicitèr: .s. ex Textu, ex ſuſpicione hæreſis, & ex DD. auctoritate. Primò ex Textu, ibi: *Che habbino impedito, ò impediſcano, &c. Item, che habbino offeſo, ò pure offendano alcun Miniſtro, Teſtimonio, ò Denonciatore del S. Officio.*

Secundò, ex hæreſi velut ex fonte oritur, tàm impedimētum, quàm offenſio Miniſtrorum S. Officij, quatenus talium: verùm hìc duo veniunt notanda; alterum eſt, quòd ſuſpicio hęreſis variatur ad varietatem indiciorum, quorum aliqua reddunt ſuſpectum ſolùm de leui, aliqua de vehementi: aliqua verò de violenti. DD. communitèr; Alterum eſt, quod dicti impedientes, aut offendentes, licèt ſint interdum de hæreſi ſuſpecti; non tamen reputantur Hæretici. faciunt notata per *Eymer. 3. par. Direct. quæſ. 54. vbi Penna Comm. 79 Farinac. de Hæreſi, quæſt. 182. § 5. num. 88. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. p. cap. 10. num. 8.* Dixi interdum, quia in terris Catholicorum ob indè præcisè non habentur tales, niſi motiuo hæreſis impediant, aut offendant perſonas, de quibus Edictum, quòd videant ipſi, & attendat Confeſſarius in ſuo foro, ne mittat falcem in alienam meſſem.

Tertiò, ex Doctorum auctoritate, maximè ſupra citatorum; ad horum denunciationem ſufficit altera dictarum conditionum, vz. vt impedimentum ſit directum, aut indirectum, quòd fit verbis minacibus, aut ſignis. *Penna part. 2. ad quæſt. 54. Comm. 79. Farinacius de Hæreſi, quæſt. 182. § 5. nu. 84.* vel offenſio ſit immediata, aut mediata, quę fit etiam verbis iniurioſis, vel ſignis, perterrefaciendo. patet ex *Conſtitutione, Si de protegendis*: ad veritatem .n. diſiunctiuæ propoſitionis ſufficit alteram partem verificari, *l. Si ita quis, ff. de verb. obligat.* proceditq; præcisè, ſi prædicta fiant in odium, aut contemptum S. Officij. *Farinacius de Hæreſi quæſ. 184. nu. 80.*

DIFFICVLTAS III.

An ſub caſu de Offendentibus, aut Reſiſtentibus de quibus ſupra comprehendantur dantes ad hoc conſilium, auxilium, aut fauorem; & ſubindè veniant denunciandi.

QVO ad primam particulam, vz. ſi comprehendantur ſub caſu.

Reſpondetur affirmatiuè, tum quia præ-

præſtantes prædicta, prout in ipſis eſt S. Officium, eiusq; Miniſtros impediunt, aut offendunt ſaltèm mediatè, & indirectè: tum quia, vbi eadẽ eſt ratio, idem quoque ius eſſe oportet. *Farinacius de Hæreſi quæſt.* 182. §. 5. *Ioan. Calderinus in tractatu de Hęreticis cap.* 2. *l. A. verb. Suſpecti in tertio caſu. Conſtitutio, ſi de protegendis in proprijs terminis.*

Quoad ſecundam particulam, nimirùm, ſi veniant denunciandi, itèm reſpondeo affirmatiuè, .s. quòd ſunt denunciandi: ſunt enim de hæreſi vehementèr ſuſpecti, vt teſtatur *Farinacius, vbi ſupra*, & faciunt adducta per *Repertorium Inquiſitorum, ver. Fautores circa finem*. Paritas autèm rationis, paritatem exigit diſpoſitionis: nam ſimile factum, ſimili iure finitur, iuxtà illud: *Eadem ratio, idem ius; qui itaque non vult denunciari, non agat denuncianda: nam, quos ratio connectit, non debet iuris diſpoſitio ſeparare.*

DIFFICVLTAS IV.

An impedientes S. Inquiſitionis Officium, aut offendentes eius Miniſtros in aliquam incidant cenſuram.

RESpondeo in duas præcipuè incidere cenſuras, altera eſt, de qua *Conſtitutio Pij V. ſi de protegendis*: Altera de qua. *cap. Vt Inquiſitionis de Hęreticis in* 6. illam: *Si de protegendis*, habes in litteris *Apoſtolicis S. Inquiſitionis apud Direct. Inquiſitorum fol.* 135. *apud Naldum ver. Hęreſis*; illam verò *cap. Vt Inquiſitionis, habes apud Summiſtas ver. Excommun. apud Cathalogum Excommunicationum Ludouiſij cap.* 9., & maximè apud *Toletum lib.* 4. *cap.* 5. *nu.* 3.

Circa vtranque aliqua veniunt notanda: penès illam, *Si de protegendis*, obſeruo in primìs quemuis ex dictis incidere, licèt nemo ſit occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, emiſſus, ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, denique nullus ſequutus effectus; ſed ſolum attentatus: punitur enim conatus, ſi cõiungitur actui exteriori delicto proximo. *Farinacius de crimine lęſę Maieſt. qu.* 116. *num.* 147. *&* 154. *qui teſtatur de communi*: nam proximè accintus habetur pro accinto, iuxtà illud: *Potentia proxima actui habetur pro actu, l. penul. ff. de teſtam. milit.*

Obſeruo ſecundò prędictos incidere in iſtã, etiamſi error non ſit in intellectu.

Obſeruo tertiò incidere auxilium, conſiliũ, aut fauorem publicè, vel occultè in prædictis ſcientèr pręſtantes; quæ ſingula patent ex ſerie dictæ Conſtitutionis. *Eymeric.* 3. *part. Direct. quæſt.* 47. 53. 54. *Penna Comm.* 105. *Farinacius de Hæreſi, quæſt.* 182. *nu.* 84.

Verùm notandum Conſtitutionem intelligendam eſſe de dante conſilium, auxilium, fauorem reſpectu delicti patrandi: quòd ſecus eſt reſpectu delicti iam patrati contra aliquem ex Miniſtris, Teſtibus, Denunciatoribus apud S. Officium. *Farinac. de Conſultoribus, quæſt.* 132. *nu.* 41. *&* 42. *qui alios allegat*. ratio eſt, tum quia pęnæ ſunt molliendæ, & non aſperandæ, *l. Interpretatione ff. de pęnis*. tum quia leges dant formam futuris negotijs, *l. leges, C. de legibus*. tum prætereà, quia legibus non exemplis iudicandum eſt, *l. Nemo, C. de ſententijs, & interlocutionibus omnium Iudicum.*

Circa verò *cap. Vt Inquiſitionis*, obſeruandũ eſt ſimilitèr, non ſolùm incidere, qui directè, vel indirectè impediunt proceſſum, vel ſententiam contra Hæreticos, vel ſe opponunt Inquiſitoribus, vel Epiſcopo in cauſa Hæreticorum ipſos impediendo; ſed etiam incidere, qui Poteſtatibus, & Dominis ſecularibus conſilium, vel auxiliũ præſtant ad tales actus, quòd notat in primis *Toletus vbi ſupra*.

Obſeruo ſecundò dictum capitulum militare contra Iudices, Dominos, Poteſtates, Balliuos, & alios huiuſmodi Rectores locorum, Prouinciarum, vel ſimiliũ in ſeptem caſibus, quos ſigillatim notat *Toletus vbi ſupra*.

Obſeruo tertiò huiuſmodi excommunicationem eſſe latæ ſententiæ, ſed nemini reſeruari; dummodò tales Poteſtates hoc non faciant in Hæreticorum defenſionem formalitèr, .i. vt Hæretici ſunt; quia ſic cenſerentur Hæreticorum Fautores; & proindè in Bulla Cęnæ excommunicati. Vide *Caiet. cap.* 2. *Syluest. excom.* 9. *nu.* 58. *caſu* 28. *Nau. cap.* 27. 135. *Tolet. lib. p. cap* 38. *nu.* 19.

DIFFICVLTAS V.

An omittens denunciare impedientes S. Officium: vel eius Miniſtros, Teſtes, Denunciatores, Offendentes, afficiatur excommunicatione.

REſpondetur affirmatiuè, quòd patet ex textu, ibi: *Commandiamo &c.* nec hoc in loco procedit diſtinctio de obligatis ex iuſtitia, aut ex charitate; quia tàm iſti, quàm illi indifferentèr obligantur ſub excommunicatione ad denunciandum, patet, ibi: *Commandiamo à tutti &c.* hæc autèm excommunicatio non eſt inferenda; ſed eſt ipſo iure lata, claret ex illis verbis textus: *Et dalla detta ſcommunica, & pene nelle quali incorreranno i diſobedienti; non potrà &c.* ligatq; nedũ omittentẽ ſupradicta, ſed quemlibet inobedientem præceptis Edicti: eſt enim præceptum generale, vt cautum eſt de denunciatione in generali facienda in S. Officio, conſtat ex littera vbi ſupra: *Commãdiamo à tutti &c.* iuxtà illam regulam: *lex generalitèr loquens, generalitèr eſt intelligenda l. de Precio, ff. de Publiciana in rem actione*: & iuxtà illam: *Quod omnes tangit, ab omnibus obſeruari debet*, tangit autèm *l. Edicti omnes*, vt patet legenti textum, ibi: *Commandiamo à tutti di qualſiuoglia conditione.*

DIFFICVLTAS VI.

An impedientes Officium S. Inquiſitionis dici poſſint Hæreticorum Fautores.

SVppoſito, quòd impedimentum non præſtetur in odiũ Fidei: ſed propter alias cauſas, quicquid placeat. *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. p. cap.* 28. *nu.* 17. vtramque partem probabilem eſſe exiſtimans.

Ego cenſeo probabilius eſſe, non cenſeri Fautores Hæreticorum; tum quia, ſi in re dubia

bis benigniorem interpretationem ſequi non minus iuſtius, quam tutius eſt, *Reg. iur. ciu.* 153. à fortiori illam ſequi debemus, quādo certum eſt excludi cauſam hæreſis: tum quia, quemadmodum verba, quæ in hæreticum, & catholicum ſenſum interpretari poſſunt; in catholicum potius, quàm in hæreticum interpretari debent, vt notat *Royas part. p. de Hæreticis, nu.* 366. ità in ſimili idem dicendum eſt de (*factis*) nam vbi eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet, & facit 11. *quæſt.* 3. *cap. Graue, & facit, cap. Quamuis, & cap. Non ſolum, eadem cauſa, & quæſtione*. Verùm hæc in foro Sacramenti Pœnitentiæ, vbi nos ſumus, nō proſunt: quia in hoc ſtatur verbis pœnitentis ſiue pro ſe, ſiue contra ſe; qui attēdere debet, ne, vt apparentèr abſoluatur corā hominibus; inijciat ſe in laqueos Diaboli; & pro leui, ac breui confuſione vitanda, grauiſſima, & æterna demum ligetur.

DIFFICVLTAS VII.

An impedientes Officium S. Inquiſitionis in fauorem Hæreſis effectu non ſequuto impeditionis: quia Reus fuit captus; annodentur cenſura Bullæ Cœnæ.

RAtio difficultatis eſt; quia huiuſmodi impedientes Hæreticis fauorem præſtant; quare non minus, ac Fautores Hæreticorum videntur dicta cenſura ligari.

Reſpondent infradicti DD. negatiuè, *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. p. cap.* 23. *nu.* 19. *Farinac. de Hæreſi quæſt* 182. § 7. *nu.* 101. *Thomas Sanchez in Præcep. Decal. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 9. *contra Graſſ. lib.* 4. *deciſ. c.* 18. *nu.* 34. *& plures alios*: patet ratio in ſimili de Receptatoribus, & Defenſoribus Hæreticorum, qui licèt excommunicentur in Bulla Cœnæ: illa tamen nō afficiuntur, niſi effectu ſequuto. Quinimmò ipſimet Fautores, ſecundùm probabilem ſententiam, in ipſam non incidunt, niſi ſequuto effectu, quòd non obſcurè docet *Souſa loco citato c.* 23. *n.* 19.

Et quemadmodum Impedientes motiuo hæreſis iuxtà dictam ſententiam non incidunt in Bullam Cœnæ, niſi ſequuto effectu; ità non incidunt in alias Conſtitutiones, quæ ſub excommunicatione prohibent fauorem; niſi ſequuto effectu. ità *Capeauilla de Caſibus reſer. p* 1, *cap.* 6. cuius ratio eſt; quia, quando tractatur de pœna temporali, aut de excommunicatione, quæ eſt maxima pœnarum, verba ſunt propriè intelligenda. vide, quæ diximus ſupra *de fauore Hæreticorum par.* 2. *caſ.* 1. *diff.* 3. Verùm huiuſmodi impedientes, (licèt nō ſequuto effectu) ab Inquiſitoribus puniendi ſunt per Conſtitutionem (*Si de Protegendis*) iuxtà regulam: *per ſpeciem derogatur generi, de Reg. iur. in* 6. *Sanchez in Decalog. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 9. Attendere etiam oportet, quæ ſupra lib. 14. dixi de effectu Fautoriæ concordando doctrinam doctrinæ, nam leges legibus concordare omnibus modis debemus, *l. Vni, C. de Inoſficioſis dotibus*.

DIFFICVLTAS VIII.

Quando ligato hoc caſu, præmittenda eſt correptio fraterna, antequam denuncietur.

SVppoſito, quòd tàm offendens Miniſtros S. Officij, quàm ei reſiſtens, non ſumpſerit motiuum ex hæreſi; ſed præciſè ex his, quæ ſibi, vel ſuis parentibus, aut amicis circa S. Officium obtigerunt, quòd maximè attendendum eſt, cum à diuerſis non fiat illatio. *l. Papinianus ff. de Minoribus*.

Reſpondetur prædicto correptionem fraternam denunciationi præmittendam eſſe, quando nec inſtat periculum damni tertij, aut intereſſe S. Officij, occultusq; eſt criminoſus emendatus, aut ſperatur emendatio; quod dico, quia in dubio poſſeſſio ſtat pro Edicto denunciationem præcipiente; ſicut etiam ſtat, quando ex correptione nulla ſperatur emendatio, fruſtraq; expectatur euentus, cuius nullus effectus. *l. Quibus diebus* §. 2. *ff. de Condition. & demonſtrat.* ſed aduerte, quod iàm ſupra traditum eſt; correptionem nō eſſe differendam, quando præmittenda eſt denunciationi. Itèm aduerte, quòd ratio prædictorum eſt: quia damnum innocentis potiùs, quam nocentis euitandum eſt. Itidèm damnum commune, potiùs quàm priuatum: quia eſt diuinius, & melius (teſtibus *Ariſt. lib.* 1. *Politicorū, & Lirano ſuper Epiſt. D. Petri* 2. *cap.* 1. *ſub lit. F.*) Verùm *Arſen. S. O. tract.* 1. cum multis alijs DD. docēt in nullo caſu S. O. præmittendam eſſe correptionem fraternam; quam ſententiam in praxi tutius, ac prudentius ſequeris.

DIFFICVLTAS IX.

Offendentes, aut impiè S. Trib. reſiſtentes, de quibus à Confeſſario interrogandi ſunt?

REſpondeo in primis interrogandos eſſe, an offenderint S. Tribunalis Miniſtros, aut reſtiterint S. Tribunal in odium Fidei, aut S. Inquiſitionis: vel ratione pretij, amoris in amicum, propinquum, conſanguineum &c.

Si primo modo attendat, an ſint Hæretici, vel hæreſis, aut Hęreticorum, quatenus talium Fautores; quia ſic non poſſet illos abſoluere, vt potè ligatos excommunicatione Bullæ Cęnæ, caſ. 1. Si ſecundo modo ſciat illos ligari excommunicatione, *Si de Protegendis*, admoneatq; eos, vt caueant de cætero ab huiuſmodi criminibus, quibus redduntur de hæreſi ſuſpecti ſecundum textum, ibi: *ò habbino offeſo &c. Lucerna Inquiſit. ver. Offendens. Ioan. de Imola in Clement.* 2. *de Hæret. ſuper gloſs.*

Secundò in ſpecie illos examinabit, an impedierint teſtes, ne dicerent veritatem, & quo motiuo; an (vt ſupra) in fauorem hæreſis, aut amicitiæ, vt vel ſic dignoſcat, ſi poſſit illos curare; aut ſi ad S. Pontificem ſunt remittendi. faciunt tradita per *Geminianum in cap. Accuſatus*, §. *Sacerdotes. Lucernam Inquiſit. verb. Fautor Hæreticorum. Lalium Zecch. in Summ. part.* 1. *tit. de Fide, rubr. de Hæreſi num.* 5. *verb.* 3. *ſuſpicio. Farinac. de Hæreſi quæſt.* 182. §. 5. *nu.* 87. *Barthol. Gyptium tract. de Caſibus reſer. cap.* 6. *caſ.* 4. *n.* 83.

Tertiò, Confeſſarius Iudicum ſecularium excipiens confeſſionem attendat Conſtitutionem

nem Iulij Tertij, quæ incipit, *Licèt à diuerſis*, nè omittat, quæ ſunt ſui muneris in re tanta: recordêturq; potiſſimùm tria hæc; primū, quòd ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit. *l. Sunt perſonæ, ff. de Religioſis, & ſumptib. funerum*. Secundum, quòd longè grauius eſt æternam, quā temporalem offendere maieſtatem. *Authen. Gazaros, C. de Hæreticis*. Tertium eſt, Bonum publicum priuatorum commodis anteponendum eſſe. *Authen. Sancimus, ff. de Reſtitutionib.*

DISTINCTIO SECVNDA.

Quæ tota verſatur circa explicationem Conſtitutionis Pij V. (*Si de Protegendis*) contra impedientes S. Officium, eiusq; Miniſtros offendentes.

Diuido autèm iſtam in duos articulos. In quorum altero examinatur, ſi excommunicatio dictæ Conſtitutionis ſit reſeruata.

In altero verò enodantur nonnullæ difficultates circa illam.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An excommunicatio Conſtitutionis (ſi de Protegendis) contra offendentes Miniſtros S. Officij &c. ſit reſeruata.

Doctores circa hanc difficultatem admodum controuertuntur interpretantes aliqui verba dictę Conſtitutionis ſatis obſcura nullā importare reſeruationē, huius ſententiæ eſt Auctor *Memorialis Sciendorum à Clericis in Cathalogo excommunicationum, cap. 9. excomm. 66. & cap. 6. excom. 6. Filliucius item in Cathalogo excommunicationum nemini reſeruatarum, itèm tractatu 14. cap. 6. quæſito 7. nu. 92.* qui tamen vtitur *ver. Videtur. Vinaldus in Candelabro de Excommunicationibus nulli reſeruatis, excommun. 52. Cæſar Carenà de Modo procedendi in cauſis S. Officij, tit. 13. §. 25. num. 103.* nonnullis citatis Doctoribus, qui de communi teſtātur: quam tamen ſententiam non ſequitur, amplectens oppoſitam, cui inprimis fauet *Sayr. de Cenſuris, lib. 3. cap. 31. nu. 7. & Scortia in Selectis Conſt. Epitome 106. Theoremate 278. ver. Pœnæ prædictorum*. Ego nolo hìc Iudicem agere, ſed vnum ſatis tibi eſſe debet, quòd vtraque ſententia habetur probabilis, & attentis qualitatibus perſonæ, loci, temporis, &c. modò vnā, modò alteram ſequi poteris; & ità prudentèr te geres; tum quia melius eſt intacta iura ſeruari, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere, *l. fin. C. In quibus cauſis in integrum reſtit.* tum quia melius eſt pauca agere cautè, quàm multa periculosè: facit *Nouella 44. de Tabellion.* tum præterea, quia meſſem per alienam tranſiens in eam falcem mittere non debet *6. quæſ. 3. c. Scriptum*.

Addo, quòd multa per patientiam, ſeu pro bono pacis tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia non debent tolerari, *c. Cum iam de præbend. & dignit.* Itidē multa ratione incertitudinis permittuntur, quæ aliàs non concederentur, *l. 1. C. de pac. l. Si ea, C. de Vſuris*.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Per quam actionem afficimur excommunicatione (Si de Protegendis.

Notatur duplicem eſſe actionem, vz. alteram poſitiuam, priuatiuam alteram; poſitiua diuiditur in Phyſicā, & Moralem: exemplum primę eſt, quando quis ſuadet alteri, vt Miniſtrum S. Officij offendat: exemplum ſecundæ, vt quando potens impedire alterius offenſam, illam non impedit, licèt teneatur ex iuſtitia, vt tenetur Iudex, ſeruus pro defenſa conductus. Priuatiua, vt ſi pereat fame pauper; eo quod nō paſcitur à diuite, qui ex charitate tenetur, iuxtà illud D. Ambroſij: *Si non paniſti, occidiſti, & facit cap. Non inferendum, 23. quæſt. 3. cap. Qui poteſt, & cap. Quantæ in fide, de ſent. excom.*

Actio poſitiua tàm Phyſica, quàm Moralis in effectum influit: quòd ſecus eſt de priuatiua, vti patet (attentis allatis exemplis).

His habitis reſpondetur, neminem affici dicta excommunicatione per actionem præcisè priuatiuam, cum talitèr agens nullatenus influat in effectum; nec, vt ſuppono, ex iuſtitia teneatur: quòd ſecus dicendum eſt de agente actione phyſica, aut morali: patet diſcurrenti per ſingulos caſus dictæ Conſtitutiones; primò de illo, qui expugnat, inuadit, incendit, expilat ædes Eccleſiæ, aliasuè res ſiue publicas, ſiue priuatas S. Officij, aut Miniſtrorum.

Secundo, de illo, qui comburit, diripit, interuertit libros, litteras, exemplaria, regeſta, protocolla, inſtrumenta ſiuè publica, ſiuè priuata, &c.

Tertio, de illo, qui prohibet ſeruari, vel defendi res, ſiuè perſonas Sancti Officij.

Quarto, de illo, qui carcerem effringit, vinctum extrahit, occultauit, aut dedit facultatem effugiendi, &c. & ſic diſcurrendo per alios caſus; intelligemus ſolummodò prohiberi ſub excommunicatione actiones, quæ influunt phyſicè, aut moralitèr in effectum: nec obſtat, quòd priuatiuè actiones interdum imputentur; quia hoc procedit prçcisè exageratiuè, in materia fauorabili: non autèm in pęnali, & odioſa, qualis eſt excommunicatio: tum, quia fauores ſunt ampliandi, & odia reſtringenda, *l. Cum quidam, ff. de liberis, & poſthumis*: tum, quia inducta in fauorem, nō debent in odium retorqueri, *l. Nulla, ff. de Legibus*: ſicut nec è contra inducta in odium, in fauorem redundare non debent, *l. Relegatorum in fine, ff. de Inter-*

ter-

terdictis, Relegatis, & Deportatis; laudabilius tamèn eſt directũ, quàm obliquum, .i. fallor, quàm odium, *l. fin. vbi Bal. C. Qui manumittere non poſſunt*.

DIFFICVLTAS II.

An Miniſtros S. Officij perterrefaciens verbis tantùm, ligetur dicta cenſura.

ANtè reſpõſionem tria veniũt ſupponẽda. Primum eſt perterrefactionem debere eſſe de re graui; quæ timorem in conſtantem virum incutere poſſit; ratio eſt, quia, cum huiuſmodi Conſtitutio ſit pęnalis ſtrictè intelligi debet, vz. de illo timore, de quo in iure mẽtiô haberi ſolet, qualis eſt grauis.

Alterum eſt, vt timor, ſeu metus cadat in conſtantem virum, quinque conditiones exiguntur, vt notat *Sanchez de Matrim. lib. 4. diſp. 2. num.* 10. Prima, vt malum minitatum ſit graue; Secunda, vt ſit probabilitèr certum; Tertia, vt perterrefaciens potens ſit mandare minas executioni; Quarta, vt ſit ſolitus minitata exequi; Quinta, quòd perterrefactus nõ poſſit facilè reſiſtere huiuſmodi malo.

Tertium eſt, quòd huiuſmodi Conſtitutio eſt pęnalis, vt patet intuenti litteram per totũ, & ità tenent *communitèr DD.*

Reſpr̃ difficultati negatiuè. probatur, tum quia, cum Papa voluit in Conſtitutione pęnali comprehẽdere etiam perterrefactionem verbis; hoc expreſſit, vti præſtitit in Canone xiij. Bullæ, vbi comparauit perterrefactionem cõminationi, & concuſſioni, quæ verbis fieri ſolent, vt notat *Cæſar Carena loc. cit.* §. 15. à quo compendioſè extraho hanc reſolutionem; hoc autèm maximè procedit, cum ſimus in odioſis, & pęnalibus, vbi ſtricta ſit interpretatio: penæ, & odia ſunt reſtringenda, *l. Cum quidam, ff. de Liberis, & Poſthumis*.

Hic tamèn aduerte aliud eſſe diſputare, vtrũ prædicti delinquentes annodentur cenſura, ſi tantùm verbis Miniſtros prædictos perterrefaciant; aliud verò quęrere vtrum debeant denunciari Tribunali S. Inquiſitionis; quia ſępè diuerſum iudicium faciendum eſt; quod diligènter notatum volo etiam pro alijs difficultatibus hìc diſcuſſis, & diſcutiendis; nè fortè aliquo errore capiamur, videnda eſt *diſtinct. 1. art. 2. diſſ. 2. in fine*.

DIFFICVLTAS III.

An incidat in cenſuram Conſtitutionis, (Si de protegendis) ratam habens offenſam Miniſtris S. O. eiuſq; nomine illatam: & idem quæritur de Mandante.

QVò ad primam particulam de ratum habente, notanda ſunt tria, primum; (Ratum habere) in propoſito eſſe cõprobationem offenſæ nomine comprobantis illatæ S. O. Miniſtris. facit *cap. Ratum habere, de reg. iur. in 6.*

Secundum, (Factum) duobus modis poteſt haberi ratum, vz. verbis, aut opere: verbis, vt ſi ratum habens dicat; gratum mihi feciſti vulnerando nomine meo N.: Opere, vt ſi vulneratori pro offenſa illata N. nomine ſuo offenſori beneficium aliquod conferat.

Tertium. Ratum habere, differt à Mandare; nam ratum habens in effectũ nihil influit, cum habeat illud acceptum iam ſequuto effectu. Mandans verò è contrà in effectũ influit moralitèr. his habitis reſpondeo ratum habẽtem minimè incidere in dictam excommunicationem; tùm quia, vt alibi vidimus, ad incidendum in illam requiritur actio poſitiua ante factum; quòd hìc non contingit; tùm quia cũ dicta Conſtitutio ſit pęnalis non admittit ampliationem, iuxtà regulam: pęnæ ſunt reſtringendæ, *Farinac. de Conſultore, quæſt. 135. nu. 71.*

Dices ratum habens comparari mandanti. Reſpr̃ non comparari ſecundum veritatem, ſed precisè iuris fictione.

Quò autèm ad ſecundam particulam reſpõ ſimilitèr Mandantem non incidere, niſi Mandatarius deuenerit ad aliquem actum exteriorem delicto proximum, vt doctè notat *Carena loco infra cit.*

Itidèm non incidit, ſi mandatum reuocauit expreſsè, aut tacitè, quamuis ex accidenti reuocatio mandati Mandatario non innotuerit; rõ eſt, quia ad incidentiam in hãc cenſuram, requiritur dolus, qui ſanè ceſſat per reuocationem fidelem, *Carena de Modo procedendi in cauſis Fidei*, citans *Farinac. de Conſultor. & Mandat. quæſt. 135. num. 174. Duardum in Bulla Cænæ lib. 2. can. 11. quęſt. 13. Marium Alterium de Cenſ. lib. 5. cap. 6. Innóc. in cap. Mulieres in fin. de Sent. excommunic.*

DIFFICVLTAS IV.

An offendens Miniſtrum S. O. iam officio functum incidat in dictam excommunicationem?

RAtio dubitandi mihi eſt, quia Albericus loquens de ſtatuto contra Offendentes Ancianos, vel Officiales, inquit habere locum etiam functo eorum officio, *l. Ordine, ff. de Publicis iudicijs, & in tract. Statut. par. 2. quęſ.* 20.

Reſpõſio eſt negatiua, ratio eſt primò, quia qualitas verbo adiecta intelligi debet ſecundũ tempus verbi; ſed veritati repugnat finito officio adhuc Officialem eſſe, talemq; manere: aliud .n. eſt, talem nunc eſſe: aliud verò iam fuiſſe; ſumus in claris.

Secundò patet in ſimili de Vaſſallo; nam quemadmodùm ille à Vaſſallaggio liberatus, ſi offendat, qui prius fuerat ipſi Dominus; nõ punitur pęna, qua punietur, qui Dominum offendit; ſed alia Iudicis arbitrio: ſic offendẽs, qui aliàs fuit S. O. Miniſter, pęna, qua punietur, ſi Miniſtrum offendiſſet, minimè puniri debet.

Tertiò, quia priuilegium ratione officij cõceſſum requirit officiũ in actu: Miniſtri autẽ, qui functi ſunt officio, non ſunt tales in actu. Et ità deciſum fuit Neapoli (teſte *Farinacio deciſ. 326.*) vti notat *Carena vbi infra*.

Nec reſiſtit reſolutioni ratio dubitandi; quia dictum

dictum Alberici eſt contra communem opinionem, vt obſeruat dictus *Carena de Off. S. Inquiſit. part. 2. tit. 13. §. 4. per totum*, ex mente grauium Doctorum.

Verùm annotare debent Confeſſarij; quòd, ſi quis contemplatione officij præteriti dictos Miniſtros offendat, ſine dubio peccat grauius; & in foro fori (cognita nequitia) venit puniendus, iuxtà illud: *Malitijs hominum nō eſt indulgēdum, l. In fundo 38. ff. de Rei vindicat.*

In dubio verò, an quis offenderit S. Officij Miniſtros ex priuato odio, vel in odium S. Officij; in foro Sacramenti Pęnitentiæ attendenda eſt cuiuſque conſcientia: in foro autèm fori externæ circunſtantiæ: à diuerſis .n. non fit illatio, *l. Inter ſtipulantem, §. Sacram. de ver. obligat.* Itidèm, aliud eſt eſſe talem, & aliud haberi pro tali. *l. Si maritus, §. legis Iulię, & ibi Barth. ff. de Adult. cum ſimilibus.* In foro Sacramenti Pœnitentiæ requiritur, vt pœnitens offenderit voluntariè: in foro autèm fori, ſatis eſt, vt Reus, pro tali ratione vrgentium circunſtantiarum habeatur.

DIFFICVLTAS V.

An incidat in Bullam (Si de protegendis) mulier virum percutiens, quia indicauerat ſatellitibus S. Officij eius matrem, aut maritum de maleficijs ſuſpectum.

Reſpondetur negatiuè; primò, quia dicta Bulla proloquitur præciſè de offendentibus S. Officij Miniſtros, vz. Accuſatorem, Denunciatorem, Teſtem, qualis nō fuit perſona percuſſa, vt ſuppono; à verbis autèm Bullæ, maximè in materia pœnali, minimè recedendum eſt; cum præſumendum ſit Summum Pontificem talis fuiſſe voluntatis, qualis ex ipſius verbis colligitur, vt in puncto dictæ Bullæ dixit *Riccius deciſ. 74. num. 8. & 9. vol. p.* quòd notat *Ceſar Carena tractatu de Offic. S. Inquiſ. tit. 13. §. 2.*

Secundò, quia in terminis proprijs fuit ità deciſum in Curia Archiepiſcopali Neapolit. teſte *Riccio loc. cit.*

Tertiò, quia nec in fauorem Fidei fit extenſio de perſona ad perſonam. *l. Si quis ità, §. penultimo, ff. de teſtam. tutel. Cepol. conſ. 107. Socin. Senior. conſ. 175.* cuius ratio eſt, quia in materia pœnali, qualis eſt dicta Bulla; nunquam debet ſubintelligi perſona extrinſeca. *l. Pater Seuerinam, vbi Barth. ff. de Conditionibus, & Demonſtrationibus. Bal. in l. Cum proponas, C. de Hęredibus inſtituendis.*

Dices exemplis non eſſe iudicandum, ſed legibus, *l. Nemo, C. de Sententijs, & interlocutorijs omnium Iudicum*: addesq; fortaſſè exempla nō reſtringere, *l. Regula, §. fin. ff. de Iuris, & facti ignorantia*; & ideò prædicto exemplo non eſſe ſtandum, nec reſtringere Conſtitutionis prædictæ verba. Reſpondetur, quòd dictæ leges non procedunt in exemplo Principis, ſeu Magiſtratus, quod ſequi poſſumus, *l. Et hoc Tyberius, ff. de Hæredibus inſtituendis*, ſicut etiam ſequi poſſumus Magiſtri exemplum, *l. An manumittere, ff. de Manumiſſis vindicta*; quòd intellige, dummodò exempla non ſint mala. Itidem licèt exempla non reſtringant verba dictæ Cōſtitutionis: declarāt tamen, & inſtruunt; exemplisq; res fit manifeſtior, *l. Prætor, §. Iulianus, ff. de Collatione bonorum.*

Sed quid dicendum, ſi è contra dicta mulier, vel alia perſona idiota percuſſit S. Officij Miniſtros, vel alios, de quibus Conſtitutio prædicta; dico incidiſſe, niſi excuſetur ignorantia; quòd dico, quia, vt quis incidat in excommunicationem; requiritur, vt nouerit factū prohibitum eſſe ſub excommunicatione; & non excuſetur iræ impetu primo: vel inaduertentia. Verùm nota interdum aliquem excuſari à cenſura, & non à peccato; quia licèt ignorauerit illam: nō ignorauit tamen ſe malè agere, vt ſuppono.

Nota etiam diſtinctiones de ignorantia multiplici à DD. inſinuatas.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An contra impedientes Inquiſitionis Officium poſſit Inquiſitor procedere, ac illos punire.

Ratio difficultatis eſt, quia Inquiſitorū iuriſdictio, & poteſtas eſt delegata: & ad cauſas ſolummodò hæreſis, ſiue quæ pertinent ad Fidem, vt *Ext. de Hæreticis cap. Per hoc, & cap. Accuſatus, §. de quæſtionibus*; & per hoc non videtur poſſe ſuam iuriſdictionem extendere ad alia non commiſſa, iuxtà illud: *Non commiſſa Iudex non attentet, vt 25. q. 2. amputato, & C. Si à non competente Iud. l. 1. & per totum.*

Difficultati reſpondetur affirmatiuè, ratio eſt, tum quia impedientes Officium S. Inquiſitionis ſunt de hæreſi, ſeu Fautoria Hæreticorū ſuſpecti, *Extra de Hæreticis, cap. Vt Inquiſitionis, §. fin. & cap. Vt Officium, §. Denique, lib. 6.*

Tum quia id Inquiſitori datum eſt, ſine quo officium ſuum exercere non poteſt: Vndè ex quo Inquiſitoribus mandata eſt iuriſdictio; mandata videtur etiam coertio, *vt ff. de Officio eius, cui man. eſt iur. l. fin.*

Tum præterea, quia Iudex criminoſos exceſſus circa ſuum officium commiſſos punire poteſt, vt *l. Nullam, C. de Teſti. & l. Moris, ff. de Pęnis*. Quare ob dictas rationes non obſtat ratio difficultatis: Pęna verò, quàm Inquiſitores imponent iſtis impedientibus, cum non ſit determinata à iure, vt teſtatur *Zanchinus Vgolinus de Hæreticis cap. 31. nu. 7.* eſt ipſis arbitraria, conſideratis perſonis, & qualitate facti, *l. Aut facta, ff. de Pęnis*, quæ eſt canonizata *de Pęnit. diſt. 1. c. Aut facta, l. 1. §. Expilatores, ff. de Effractorib.* vide *Campegium ad prædictum cap. Zanchini.*

Hæc quinque tamen Inquiſitor præoculis habere debet; primum, quod facta non præſumuntur, niſi probentur. *l. Cum quædam, ff. de Liberis, & poſthumis.*

Secundum, pro facto haberi, quod proximè futurum eſt. *l. penult. ff. de Milit. teſtamento.*

Ter-

Tertium, quòd facta ſunt potiora verbis, *l. Pupillo, §. Meminiſſe, ff. de Oper. nou. nunciat.*

Quartum, quòd vbi opus eſt facto, verba nō ſufficiunt. *l. Non omnes, §. fin. ff. De re militari.*

Quintum, quòd attendendum eſt factum, & cauſa faciendi, *l. Verùm eſt, ff. de Furtis, §. Malitijs hominum non eſt indulgendum.*

DIFFICVLTAS II.

An Inquiſitor poſſit ſibi iniuriantes punire.

Ratio difficultatis eſt duplex: altera, quia in hoc excederet fines mandati, procedendo ſuper his, quæ non tangunt hæreſim, & ſic ſuper non commiſſis, vtſupra proxima difficultate fuit dictum. Altera, quia Inquiſitor eſt delegatus, vt notum eſt. Vbi autèm fit iniuria Iudici delegato, ipſe nō punit, ſed delegans, vt *Extra. de Pœnis, c. Dilectus*. Itèm nemo iniuriam propriā vindicare debet auctoritate propria 23. *quæſ.* 4 *inter quærelas, & quæſ.* 5. *de occidendis.*

His minimè obſtantibus in fauorem Fidei, & officij. Reſpondetur poſſe eundem Inquiſitorem procedere cōtra iniuriantem: primò, quia hoc crimen commiſſum in Inquiſitorem videtur tangere Eccleſiam, 2. *quæſ.* 7. *Si quis ab Epiſcopo.*

Secundò, quia iniuria ſibi illata, maximè dum eſt in actu explendi officium; non videtur ſibi facta prætextu ſuæ priuatę perſonæ: ſed in contemptum, ſeu impedimentum officij, vt *Ext. de foro compet. c. 2. de Sent. Excom.*

Tertiò, quia non minor connexio eſt inter Inquiſitorem, & eius officium, ſeu dignitatem, quàm inter patrem, & filium: inter maritum, & eius vxorem: inter imaginem, & illum, qui per imaginem repreſentatur: denique inter Delegatum, & Delegantem: Vndè vix iniuria Inquiſitori inferri poteſt; quin officio Fidei Catholicæ, & Romano Pontif. inferatur.

Verùm, ſi Inquiſitor poteſt conijcere iniuriam cōtra ſe illatam; ad eius perſonam referri non ratione officij; ſed alicuius eius defectus; tunc debet illam patiētèr tolerare, ſi expediat; cauendo inſuper, ne quācunque ſibi illatam iniuriam ad officium trahat, veluti Fidei negotio irrogatam; ſed vt iuſtus iuſtè procedat.

Porrò notandum, quòd pęna poſita eſt in arbitrio Inquiſitoris, ſicut dictum eſt in præcedenti proxima difficultate, quòd notat *Zanchin. de Hæreticis cap. 35. & ibi Campegius*: ſed obſeruandum venit; quòd iniurians grauiùs puniri debet, quàm ſi alteri priuatæ perſonæ iniuriam intuliſſet: *ff. de Iniurijs, l. Iudici, ff. de Pęnis, l. Aut facta, §. Perſonam cum ſimilibus*. faciunt tradita per *Vmbertum Locatum in quæſt. additis ad opus iudiciale Inquiſ. quæſ.* 23. Verùm non ità grauanda eſt manus, ac ſi oblocutor iniuria intuliſſet S. Pontifici: nam ſimile non eſt idem: imagoq; S. Pontif. non eſt eius perſona: ſubrogatus tamen ſapit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur, *l. Si eum, §. Iniuriarum, ff. Si quis cautionibus.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

An à caſu Offendentium, aut impiè reſiſtentium Miniſtris S. Trib. prout talibus quis abſoluere poſſit in foro Sacramenti.

Reſpondī breuitèr tribus propoſitionib. Prima, ſi huiuſmodi caſus ſit coniunctus cum errore intellectus ſpectat ad Summum Pontificem ex Bulla Cęnæ.

Verùm Fautores, Defenſores, & Receptatores, licèt verè non ſint Hęretici; ſunt tm̄ excommunicati in Bulla Cęnæ.

Secunda, ſi careat prædicta qualitate, ſed ſit in tabella Epiſcopi reſeruatus; ſpectat eius abſolutio ad Epiſcopum, & eius Pęnitentiarium, vel alium habentem facultatem abſoluendi à caſu prędicto: nam abſolutio à reſeruato ſpectat ad reſeruantem; aliàs ſibi fruſtrà caſum reſeruaret.

Tertia, Si verò dictus caſus vtraque ſupradictarum qualitatum careat; eius abſolutio à quolibet Confeſſario impertiri poteſt. faciūt tradita à *Lazar. Can. Quæſt. de Blaſphemia, quæſt. 12. nu. 81. Zanard. in Direct. Theol. par. 2. cap. 11. Diana in Moral. Reſol. part. 3. tract. 4. reſol. 143. Souſa in Aphor. Inquiſ. ver. Blaſphemus. Sanchez in Opere Morali lib. 2. cap. 8. num. 14. Barboſa de Offic. & Poteſt. Epiſc. allegat. 51. nu. 93.* vti conſtat 26. *q* 5. *cap. contra Idolorū, & cap. Epiſcopi, & cap. Peruenit.*

Tùm quia Inquiſitores (regularitèr loquendo) poſſunt cognoſcere niſi, quæ manifeſtè ſapiunt hęreſim; cū ipſis ſit attributa iuriſdictio, exiſtēte qualitate dicti manifeſti ſaporis, vt not. *Gloſſ. in cap. Accuſatus*, & obſeruat *Repert. Inq. verb. Epiſcopus, & ver. Sapere hęreſim*; Dixi regularitèr, quia de iure nouo inquirūt Inquiſit. contra omnē ſuperſtitioſam artem diuinandi dummō ſapiat hęreſim. *Sixti V. Conſtit. 17. Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 1. cap. 58. num 3. Nal. ver. Superſtitio, num. 10.* Hinc conſtat in quo gradu prædictus caſus ſpectat in vtroque foro ad Summum Pontificem, ad Epiſcopum, ad Inquiſitorem, ad Pęnitentiarium, & deniq; ad ſimplicem Confeſſarium; In foro autèm externo ſpectat nedum ad Sum. Pontificem, ſed etiam ad ſuos Delegatos, vz. ad Inquiſitores, qui in dicto foro perficiunt quidquid neceſſe eſt pro ſalute Rei, & conſummationis cauſæ, ipſum abſoluendo etiam ſacramentalr̄, ſi Inquiſitor exiſtat Sacerdos: & pęnitens velit ipſi ſe ſubijcere; quoties .n. aliquid alicui demandatur, omne etiam, ſine quo illud nequit expleri .s. demandatur, *l. 2. ff. de Iuriſd. omn. iud.*

DISTINCTIO TERTIA.

De Conſtitutionibus ad S. Tribunal ſpectantibus tantummodò ſummariè relatis.

Quarum omnes, & ſingulæ ſub vno Artic. & vnica difficultate complectuntur.

ART.

QVoniam longum eſſet hic referre ad litteram Conſtitutiones ad officium S. Inquiſ. aduerſus hæreticam prauitatem pertinentes, quarum præcipuarum obſeruãtia, & exercitium iniungitur; maximè, quòd omnes habentur per extenſum apud Bullarium; itèm in litteris Apoſtolicis poſt tertiam part. Direct. & alibi; ſatis erit ſignificare quid quæque Cõſtitutio tractet, & quomodo incipiat, vt facilè illas reperiri valeas.

Sit igitur tibi hoc compendiolum materiarum, quæ in dictis Apoſt. Conſtit. continentur.

Aſtrologiæ Iudiciariæ artem, aliaq; diuinationum genera exercentis, libroſuè deſuper legentis, vel tenentis pęna. *Sixti V. Conſtit.* incipit: *Cęli, & terra Creator*, eamq; extendit ad alia Conſtit. Vrbani VIII. incipit: *Inſcrutabilis iudiciorum Dei*.

Beatificatorum nondum, nec Canonizatorum imagines cum radijs ſplẽdoribus, aut laureolis proponi; eisq; tabellæ, aut luminaria ad eorum ſepulchra apponi; eorumuè geſta, miracula, reuelationes, & beneficiorum impetrationes publicari, aut imprimi prohibentur, incipit: *Sanctiſs. D. noſter ſolicitè animaduertens*.

Carceratum ex cauſa S. Officij eximentis, vel ne carceretur impedientis pęna. Pij V. Cõſtitutio, incipit: *Si de protegendis*.

Confeſſarij ſolicitantes ad turpia in Confeſſione, qua pęna coarceantur. Conſtitutio Pij IV. incipit: *Cum ſicut nuper*. Itèm Conſtitutio Gregorij XV. incipit: *Vniuerſi Dominici gregis*.

Confeſſarij monere debent ſolicitatos in confeſſione, vt ſolicitantes Confeſſarios denuncient. *Conſtitutio eiuſdem Gregorij citata*.

Confeſſionem Sacramentalem audientis ad ordinem Presbyteratus non promoti, cauſa pertinet ad S. Officium, itèm eius pęna. Conſtitutio Gregorij XIII. incipit: *Officij noſtri partes*. Item Conſtitut. Clem. VIII. incipit: *Et ſi aliàs*. Nec ſuffragatur minor ætas. Conſtitut. Vrbani VIII. incipit: *Apoſtolatus officium*.

Hæretici in Italiæ, & adiacentium Inſularum locis commorari prohibentur, eorumq; Fautorum, & Receptatorum pęna. Conſtit. Greg. XV. incipit: *Romani Pontificis*.

Impedientes Inquiſitores in eorum officio, eorumq; complices, & Fautores ſeuerius puniuntur. Conſt. Iul. III. incipit: *Licèt à diuerſis*.

Ingerentes ſe in cauſis Inquiſitionis præter Ordinarios, & Inquiſitores damnantur. Conſt. citata.

Inquiſitorum laicos ad criminis hæreſis cognitionem admittentium pęna, eadem Iul. III. Conſt.

Itali ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, ſiue vſus Catholicæ Religionis non exiſtit proficiſci, in eisuè habitare prohibentur. Conſtit. Clem. VIII. incipit: *Cum ſicut non &c.*

Libri vbicunq; compoſiti ſine Vicarij, & Magiſtri Sacri Palatij in Vrbe, & extra eã ſine Ordinarij, & Inquiſitoris, aut ab eis deputatorum licentia imprimi prohibentur. Conſtitut. Vrb. VIII. incipit: *Sanctiſs. Dominus &c.*

Libros prohibitos legendi, habendiuè licentiatum reuocatio. Conſt. Greg. XV. incipit: *Apoſtolatus noſter &c.* Itèm Conſt. Vrb. VIII. eodem modo incipit.

Miſſas celebrantis ad ordinem Presbyteratus non promoti cauſa ſpectat ad S. Officium, eiusq; pęna. Greg. XIII. Conſt. incipit: *Officij noſtri partes*. Itèm Clem. VIII. Conſt. incipit: *Et ſi aliàs*. Itèm Conſt. Vrb. III. cui nõ ſuffragatur minor ætas, incipit: *Apoſtolatus Officij*.

Offendentium Miniſtros S. Officij accuſatores, denunciatores, vel teſtes pœnæ. Pij V. Conſt. *Si de protegendis*.

Regulares omnes quomodolibet priuilegiati comprehenduntur in Conſt. Apoſtolicis in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editis, & in poſterum etiam ſuper quacunq; alia re edẽdis, niſi ſpecialiter in eis excipiantur. Conſtit. Vrb. VIII. incipit: *Cum ſicut accepimus*.

Superiores regularium iubentur commonere ſuos ſubditos, de obſeruantia, & executione Apoſtolicarum Conſtit. ad S. Officium pertinentium: Nec non affigere in loco apud eos publico exempla huius Decreti, & de tali affixione, & commonitione publico documẽto certiorem facere Sacram Congreg. S. Off. Vrbis. Decretum incipit: *Sanctiſs. Dominus noſter*.

Superiores regularium cauſa ſuorum ſubditorum ad S. Officium pertinentes cognoſcere prohibentur. Conſt. Pauli V. incipit: *Romanus Pontifex*.

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS IV. LIBER XXV.

De lectione, detentione, combuſtione, conceſsione, correptione, impreſsione librorum, ſcriptorumue quouis modo prohibitorum. Tex. ibi: *Che habbiano hauuto, ò habbiano libri, ò ſcritti, che contengano hereſie, ò libri di Heretici, che trattino di religione ſenza auttorità della Santa Sede Apoſtolica: ò che li habbino letti, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti ſtampare, ò diffeſi; ò li leggano, tengano, ſtampino, fanno ſtampare, ò diſendano ſotto qual ſi voglia preteſto, ò colore: ouero libri di Negromantia, Magia, ò continenti Incantationi, Sortilegij, ò ſimili ſuperſtitioni, maſsime con abuſo di coſe ſacre.*

Sciendum in primis, quòd non loquimur de prohibitione librorum in ſua generalitate, quatenus comprehendit etiam libros à Principibus ſecularibus ob aliquam cauſam in eorum ſtatu diuetitis: tùm quia hoc longum eſſet referre: tùm quia noſtræ partes ſunt præcisè ſequi textum: qui notat ſatis clarè quale librorum, aut ſcriptorum genus prohibeatur, cognoſciturq; vna pars per alteram: quemadmodum .n. lex præcedens determinatur per ſubſequentem; ità prior Edicti pars per aliam; l. Non eſt nouum, ff. de Legibus, l. 1. ff. ad l. Aquiliam. *Edictumq; tractat materiam ſuo titulo competentem; alioquin non diceretur congruè ſituata,* l. 2. ff. de Statu hominum. *Similitèr interpretans intelligi debet ſecundum naturam legis interpretatæ,* l. Nihil, ff. de coniungendis cum emancipato liberis eius.

Deinde ſciendum eſt, minimè ſuperfluè prohiberi in Edicto S. O. libros Hæreticorum de Religione .s. Chriſtiana differentium: licèt ijdemmet libri prohibiti ſint in Bulla Cœnæ Domini ſub excommunicatione S. Pontifici reſeruata tàm reſpectu retinentium, quàm legentium: Nam ibi, & hìc non vno modo: ſed diuerſo prohibentur, vt ſuis patebit locis: Nihil .n. in Edicto ſuperfluum inuenitur: ſed vnũquodque verbum ipſius eſt cum miniſterio aliquid operandi. huc ſpectat l. 1. §. Non fruſtra, ff. de iure iurando.

Poſtremò attendendum eſt, hominem ex vi legis naturæ, vt dicam infra; teneri ad cauendum ab his libris ob periculum maximum, vt inficiatur, iuxtà illud Scripturæ; Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: Eccleſiaſt. c. 13. *Quòd, ſi illos caueret, vt pote peſtilentiales; fortaſſe non fuiſſet promulgatum Edictum contrà*

legen-

legentes, & detinentes illos: nam prouiſio hominis facit ceſſare prouiſionem legis, vt patet l. fin. C. de pactis conuentis: *ſed, vbi homo non prouidit, lex ſupplet, facit* l. Si ſe, §. Quæſitum, ff. de re iudicata.

Inſuper circa hunc librum nouem formabimus diſtinctiones; quarum

Prima eſt de libris de Religione in genere, vz. de ipſorum triplici claſſe, & ſpecie.

Secunda eſt de lectione, aut detentione librorum prohibitorum.

Tertia eſt de nonnullis dubijs circa lecturam, ſeu detentionem librorum prohibitorum.

Quarta eſt de lectione, aut detentione quatuor ſingularium ſpecierum librorũ prohibit.

Quinta eſt de lectione, vel detentione librorum Ethnicorum, Infidelium, & Iudæorum.

Sexta, De Cenſuris, in quas incidunt legentes, aut detinentes libros prohibitos: ac de ipſorum abſolutione.

Septima, De Inquiſitoribus, & Ordinarijs quo ad prohibitionem, vel conceſſionem librorũ prohibitorum: & item de ipſorum facultate quo ad lecturam dictorum librorum.

Octaua, De combuſtione librorum prohibitorum.

Nona, De Impreſſoribus, Defenſoribus, & tranſportatoribus librorum prohibitorum; itemq; de Corruptoribus librorum Canonicorum, & Agyographorum.

DISTINCTIO PRIMA.

De libris prohibitis in genere.

Secatur diſtinctio hæc in duos articulos.

Primus, reſpicit claſſes librorum prohibitorum, enodans inſimul duo dubia.

Secundus, oſtendit generice libros de Religione tractantes ad tres ſpecies reuocari.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.

Quot ſunt ſpecies, ſeu claſſes tam librorum, quàm ſcriptorum prohibitorum.

Reſpondetur tres eſſe claſſes. In prima non tàm libri, quàm librorum Scriptores continentur; qui aut hæretici, aut hæreſis ſuſpecti fuerunt; quorũ ſcripta non ſolùm edita, ſed etiam edenda ſunt prohibita.

In ſecunda non Auctores, ſed libri ſunt relati, qui propter doctrinam, quam continent non ſanam, vel ſuſpectam: aut quæ offenſionem, etiam in moribus tantùm, fidelibus afferre poteſt, reijciuntur; etiamſi Auctores, à quibus prodiere, ab Eccleſia nunquam deſciuerunt.

In tertia verò claſſe illi comprehenduntur Libri, qui ſine Scriptoris nomine exierunt in vulgus.

Verùm non omnes libros, qui nomen Auctoris non præferunt, iudicandum eſt damnatos eſſe. Nam Sancti PP. Conc. Trident. nouerunt, ſæpè viros doctos, ac ſanctos cõdidiſſe optimos libros ſine eorum nomine; vt inanem gloriam euitarent: ſed eos tantum, qui liquido prauam, aut dubiam Fidei doctrinam, ſiuè moribus pernicioſam continent: at verò, qui ſint huiuſmodi, aut tales cenſeri debeant; conſtat ex præfatione *Indicis librorum prohibitorum Franciſci Forerij, Capiſer.*

Notandum autèm, inter primam, & ſecundam librorum claſſem, duo eſſe diſcrimina.

Primum eſt, quod librorum primæ claſſis prohibitio fit propter Auctores Hæreticos; quorum proindè omnes libri in materia Religionis prohibentur: tametſi eorum aliqui nullum manifeſtum contineant errorem: quia damnato Auctore in certo genere, puta religionis; damnatà cenſentur omnia eius ſcripta de religione; vt infrà videbitur: ità ex *cap. Fraternitatis de Hæreticis, & ibi Abbas & Nos infra diſt. ſequenti.* Librorum autèm ſecundæ claſſis prohibitio eſt ob errores, ſeu doctrinam falſam, quæ in ipſis eſt deprehenſa; quamuis ab Auctoribus Catholicis prodierint: huiuſmodi tamen libri non ante cenſentur prohibiti, quàm ſpeciatim in Indice librorum prohib. relati fuerint, *Layman. loc. prox. cit.* quod dicitur ad differentiam dictorum lib. Hæreticorum: qui eo ipſo, quod ſunt Auctoris hæretici, damnantur; licèt fortaſsè in indice non inuenirentur. nunquid à tenebris lux?

Alterum diſcrimen eſt, quòd libri primæ claſſis prohibentur duplici excõmunicatione, quarum altera eſt Papæ reſeruata per Bullam Cenæ: altera verò eſt illa, de quá Index librorum prohibitorum, quæ nemini reſeruatur, quòd in primis notant *Laymann lib. 2. tract. 2. cap. 14. nu. 8 Reginaldus in Praxi caſuum difficilium lib. 3. cap. 17.* libri verò ſecundæ claſſis prohibentur tantùm excommunicatione indicis; ſub hac autèm claſſe continentur præcipuè illi, de quibus nona regula, & obſeruatio circa quartam regulã indicis, vz. libri, & ſcripta

Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Oromantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ: ſiue in quibus continentur Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auſpicia, Incantationes; Artes magicæ; continent .n. errores, ſeu falſam doctrinam; & ſubindè tàm retinentes, quàm legentes illos ligantur excommunicatione Indicis: veniunt Fidei Cenſoribus denũciandi, ab illisq; coercendi: dictiq; libri prorsùs reijciuntur. s. abſque diſtinctione de nouis, aut veteribus, quòd dicitur ad differentiam librorum de rebus obſcœnis tractantium, de quibus modo dicam.

A prædictis librorum claſſibus diſtinguuntur potiſſimùm libri, de quibus ſeptima regula, nimirùm libri obſcęni, ſeu laſciui. Qui enim retinent, aut legunt iſtos; quamuis peccent grauitèr (attento periculo, & grauitate materię) & ſeuerè ſint ab Ordinarijs puniendi (quòd intellige, ſi tractent ex profeſſo de obſcęnitatibus, vel laſciuijs) attamèn non ſunt ſubiecti excõicationi, de qua Index: nec de ipſis fit mẽtio explicitè in Edicto S. Inquiſitionis: nec prorsùs reijciuntur, ſed ponitur in dicta regula diſtinctio inter priſcos, & neotericos: nam priſci ab Hethnicis conſcripti permittuntur ob illorum ſermonis elegantiam: nulla tamèn ratione pueris perlegendi ſunt. Neoterici autèm omninò prohibentur; & qui eos habuerint ſeuerè, vt ſupra dixi, ab Ordinarijs veniunt puniẽdi. Dixi ex profeſſo, quia ſecus eſt, ſi obitèr.

Itidem diſtinguuntur à prædictis duabus librorum claſſibus illi, qui ſuſpenduntur, donec corrigantur: & tàm legentes, quàm retinentes ſubijciuntur eiſdem pęnis, & Iudici; quibus ſubijciuntur legentes, aut retinentes libros obſcęnos, ſeu laſciuos: patent ſingula ex Breui Pij IV. Indici librorum prohibitorum annexo, in hæc verba. Is quidem, qui Hæreticorum libros, vel cuiuſuis Auctoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerituè; ipſo iure in excommunicationis pęnam incidat, eamque ob cauſam in eum, tanquàm de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat; præter alias pęnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, Sacrisq; Canonibus conſtitutas: Qui autèm libros alia de cauſa prohibitos legerit, habuerituè, præter peccati mort. reatum, Epiſcoporum arbitrio ſeuerè ſe nouerit puniendum.

Prædictæ autèm librorum ſpecies tanguntur in ipſomet Breui, ibi.

Siue, vt hæretica (referuntur verba ad ſcripta immediatè, ideò loquitur in neutro genere) & ecce prima ſpecies.

Secunda, ſiue, vt de hæretica prauitate ſuſpecta.

Tertia, ſiue, vt pietati, & morum honeſtati inutilia.

Quarta, aut aliqua ſaltèm correctione indigentia.

Sub tertia ſpecie reducitur tàm lectio, quã retentio Biblię vulgaris: vndè, qui præſumpſerit illam legere, vel retinere; niſi prius Biblijs Ordinario redditis peccatorum abſolutionem percipere non poteſt; patet ex *quarta regula Indicis librorum prohibitorum*.

De libris itidèm vulgari idiomate de controuerſijs inter Catholicos, & Hæreticos differentibus idem ſtatuitur ſeruandũ, quòd de Biblijs lingua vulgari ſcriptis. conſtat ex 6. *regul. Ind.*

DIFFICVLTAS II.

An damnato Auctore, tanquàm Hæretico, libri eius in materia Religionis damnati cenſeantur?

QVidquid placuerit *Alphonſo de Caſtro de iuſta Hæreticorum punitione lib. 2. cap. 27. apud Pegnam, part. 2. Comm. 3.* ibi: *Damnato Auctore &c.*

Reſpondetur affirmatiuè; vt patet ſup. pręcedente difficultate; vbi de prima claſſę tàm librorum, quàm ſcriptorum prohibitorũ: Ratio etiam eſſe poteſt, quia (regularitèr loquendo) plus nocent libri Hęreticorum, ſcil. erronei, quàm ipſi Hæretici; cum ipſi ad plures perueniant, quàm ipſorum vox: & diutiùs viuant .i. permaneant eorum libri, quàm perſonæ.

Amplia primò verum eſſe, etiamſi, cũ damnatur Hęreticus; de eius libris nominatim nihil caueatur: infecta radix, qualis fructuum bonitas? nunquid ex ſpinis flores?

Amplia ſecundò hoc item verũ eſſe, quamuis Hæreticorum libri multa contineant bona; nam periculum eſt, vt inter vtilia, hæreſes deliteſcant; cum Hęreticorũ propriũ ſit bona aliqua docerę, vt falſa perſuadeant: vbi autèm maius periculum, ibi cautiùs procedendum, *l. 1. §. Si quis, ff. de Carbonario Edicto, l. Manifeſtiſſimi C. de Furtis.*

Amplia tertiò hoc verum eſſe, licèt primo acceſſu rõni videantur conſentanei, nam intus latet virus: huc ſpectat *Reſcriptum Iulij III.* incipit: *Cum meditatio cordis, & Reſcriptum Pij IV.* incipit: *Dominici gregis: & Bulla Cæna cap. 2.*

Amplia deniq; quartò, verũ eſſe non modò reſpu librorum iam ſcriptorũ, ſeu impreſſorũ ante damnationem; ſed ẽt reſpectu illorum deinceps ab ipſo compoſitorũ, abſq; noua damnatione. *Penna loc. cit. Simancas de Cathol. Inſt. tit. 38. nu. 7. Conc. Conſtantien. ſeſſ. 8. & 15. cap. Fraternitatis de Hæreticis.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

Cum ex libris de Religione tractantibus alij ſint Canonici; alij Agyographi, & alij Apocryphi, quæritur, qui talitèr dicuntur.

REſpondeo primò illos libros dici Canonicos, quos ponit *Conc. Trid. ſeſſ. 4. in Decr. de Scripturis Canon.* Iſti recipiũtur ab Eccleſia ad ædificationem fidelium; ex quibus ſumitur efficax argumẽtum ad probãdum ea, quæ Fidei ſunt, vtpotè ſcripti Deo immediatè inſpirante, & manum, calamumq; Diuinorum ſcriptorum in ſingulis etiam minimis adtemperante. ità *Pegna part. 2. Comm. 48. ſub litt. E.* De his *S. Auguſt. lib. 11. cap. 3. de Ciuit.*

Ciu. Dei, itá proloquitur. *Hic .ſ. Deus, prius per Prophetas, deindè per ſeipſum, poſteà per Apoſtolos, quantum ſatis iudicauit, locutus, ſcripturam condidit, quæ canonica nominatur eminentiſs. veritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos noſce idonei ſumus.*

DIFFICVLTAS II.

Quæ circa libros Canonicos aduertere oportet?

RESpondeo aliqua. Primum eſt, quod ſenſus dictorum librorum nō ſunt quatuor, vt multi exiſtimant; ſed duo tantum (loquēdo in genere) vz. litteralis, ſeu hiſtoricus; & myſticus, ſeù ſpiritualis; Vndè, qui plures aſſignāt, de illis loquuntur in ſpecie.

Litteralis eſt, quem Spiritus Sanctus immediatè intendit per verba, ſiuè in ſignificatione propria, ſiuè methaphorica.

Myſticus eſt, qui non ſignificatur immediatè per ipſa verba: ſed per rem ſignificatam ipſis verbis; mediatè verò, ſeù remotè, & ſecundariò per ipſa verba; itá *D. Thom. in p. par. qu. 1. art.* 10. vtrumq; ſenſum inſinuat *Apoſtolus 1. Cor. cap.* 10. ibi: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt.*

Litteralis ſignificatur per verba citata, nempè: Filios Iſrael, quādo ex Aegypto egreſſi sūt tranſiſſe mare rubrum, ambulaſſe ſub nube, comediſſe manna in deſerto, bibiſſe aquam de petra.

Myſticus verò non ſignificatur per verba citata; ſed per res ſignificatas citatis verbis: nā per exitū Filiorū Iſrael ex Aegypto per Moyſen ſignificatur exitus noſter ex ſeruitute peccati per Christum: per mare rubrum ſignificatur Baptiſmus: Per manna corpus Chriſti in Euchariſtia; per aquam, ſanguis Chriſti; ſicut enim aqua à ſordibus corporalibus abluimur; itá à ſpiritualibus Chriſti ſanguine. Per petrā, Chriſtus, iuxtá illud: *Petra autem erat Chriſtus.*

Vterq; autèm ſenſus ſubdiuiditur; litteralis nanq; interdum eſt, quem littera facit, vt illa: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto, de Chriſto intellecta*, interdum eſt ille, ad quem littera facta eſt: ex gr. illa verba: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, non loquuntur litteralitèr de Dauide, ſed de Chriſto. Et ſub hac conſideratione plures ſenſus litterales reperiuntur in vna, eademq; propoſitione S. Scripturæ: ver. gr. illud Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: explicatur litteralitèr de generatione æterna Chriſti, de temporali, & de ipſius Reſurrectione: Legendus eſt *Capuleus ſuper 1. Sent. prælud.* 13. *S. Auguſt.* 12. *Confeſs. cap.* 20. 24. 26. & 31. *Nicol. de Lyra in prol.* 3. *ſuper ſcripturam.*

Myſticus diuiditur in Tropologicum, ſeu moralem: Allegoricum, & Anagogicum. Moralis eſt, quando verba ſcripturæ prætèr ſenſum litteralem ſignificant aliquid pertinēs ad inſtructionem morum, vel officia charitatis: quo pacto illud *Deut.* 25. *Non alligabis os boui trituranti*: ſecūdum litteram intelligendū eſt de veris bobus: at moralitèr de Concionatoribus, qui non debent impediri; quo minus petant ſuſtentationem á populo. *1. Cor.* 9. *Moralitas reſpicit inſtructionem tam vitæ actiuæ, quā paſſiuæ*: & ſic diuiditur quoad inſtructionem.

Allegoricus eſt, quando verba ſcripturæ, præter ſenſum litteralem, quem habent; ſignificant aliquid pertinens ad Fidem, vel Eccleſiā militantem: quo pactò Abraham, qui ſecundum litteralem habuit duos filios, vnum ex ancilla, alterum ex libera; Allegoricè ſignificat duos populos: vnum Iudęorum ex Synagoga; & alterum Chriſtianorum ex Eccleſia; hunc ſub libertate gratiæ Chriſti: illum ſub ſeruitute legis Moſaicæ. *Galat.* 4. *Et ſubdiuiditur allegoria in illam capitis, & in illam corporis.* Illa capitis reſpicit Chriſtum natum, paſſum mortuum: illa verò corporis reſpicit Eccleſiam, ſecundum ſtatum primū, medium, & vltimū.

Anagogicus eſt, quando verba Scripturæ Sacræ preter ſenſum litteralem ſignificant aliquid pertinens ad vitam æternam, ſeu Eccleſiā triumphantem, quam ſperamus: quo pacto facit illud *Pſalm.* 94. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*: ſecundum litterā intelligitur de terra pmiſſionis in Palęſtina: at anagogicè de vita æterna, vbi eſt vera requies. *Hebr.* 4. *itá Beccanus in Manuali controu. huius temporis lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 3.

Anagogia ſubdiuiditur in cęleſtem, & ſupercęleſtem: exemplum cęleſtis, vt ſuſpice celū, & numera ſtellas, .i. intelligentias: exemplum ſupercęleſtis, vt tres vidit, & vnum adorauit, .s. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctū diſtinctos in perſonis, & vnum in eſſentia.

Secundum adnotandum eſt; quod prædicti ſenſus ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa: Litteralis excedit Myſticum, quatenus eſt illius fundamentum: & quatenus ex illo deducuntur argumenta ad comprobanda dogmata Fidei.

Myſticus verò excedit litteralem; quatenus eſt medulla reſpectu corticis litteræ: hinc ſcriptum eſt; *littera occidit, ſpiritus autem viuificat*: idem .n. ſenſus dicitur myſticus, & ſpiritualis: dicitur myſticus, quatenus occultus ſub littera: Spiritualis verò, quatenus eſt ſpiritus, & vita Scripturæ Sacræ; vti anima reſpectu corporis ab ipſa viuificati. faciunt tradita per *Capuleum ſuper 1. Sent. prælud.* 13. *per tot.*

Tertiò adnotandum eſt, quòd figuræ ſecundum ſenſum, quem tradit Eccleſia; ſunt propriæ Scripturæ Sacræ, & maximè veteris teſtamenti reſpectu noui: Quare Concionatores diligentèr cauere debent; ne nomen figuræ attribuant geſtis Romanorum. Actis priſcorū Phyloſophorum, vel Fabulis: v.g. Eſopi. Vndè fortaſsè præter alias cauſas multi libri à Sāc. Tribunali ſuſpenſi fuerunt; quia, quod eſt pro-

prium Scripturæ Sacræ, ineptè attribuebatur prædictis Actis, Geſtis, & Fabulis. Poſſunt tamèn talia adduci ad inferendas ſimilitudines.

Itidèm Concionatores aduertere debent, ne rationes, quas ad Fidei defēſionem afferūt, ſint debiles; nam facilè aduerſarij exiſtimarēt ipſos talibus vti; quia validiores illis nō haberēt. Rurſum nullam afferre debent oppoſitionem circa dictam materiā; niſi illius ſolutionē claram,&euidētiſſimam,ac perfectè quietantē mentem ſimul adducant;nè potiùs officiant,ꝙ̄ proficiant. ità dictāte rōne,ac arte Rethorica.

DIFFICVLTAS III.

Qui ſunt libri Agyographi.

RESpondeo Agyographos dici illos, quos Eccleſia approbauit, vt publicè ad ædificationem fidelium, moresq; componendos legerentur; non tamen habent firmam fidem, & indubitatam veritatem, velut habent Canonici: Tales autèm ſunt Sanctorum Patrum libri, vt Auguſt. Hieron. Ambroſij, Chryſoſtomi,& cęterorum,tàm Græcorum, quàm Latinorum; quorum inſignis probitas, & eruditio cum ſanctitate coniuncta valdè emicat in Eccleſia Dei: De his verò agit plenè *Coarruuias Var. reſ. lib.4. cap. 16. vti obſeruat Pegna vbiſup.*

DIFFICVLTAS IV.

Qui ſunt libri Apocryphi.

APocryphos dici illos (propriè loquendo) qui modicam, leuiſſimamq; habent auctoritatem ad differentiam Canonicorum, & Agyographorum: Dixi, propriè, quia impropriè (etiam dicuntur tales) illi ab Hęreticis conſcripti contra Eccleſiam Catholicam: verùm iſti, teſte *Pegna loc. cit.* potiùs libri hæretici, quàm Apocryphi denominari debent.

Hos autèm Apocryphos libros Sancti Patres nec nominatim approbarunt: nec expreſsè reiecerunt: Eccleſia verò non permiſit,nec permittit,vt in templis publicè legantur; cuius ratio fortaſsè eſt,quia habent multa falſa veris admixta, vt tradit *Melchior Canus de locis Theol. lib. 11. cap. 16. ver. Prima lex, circa finem*; & ſanè prūdentèr ità ſe habet;quia teſte *Hieronymo in Epiſt. 7. ad Latam: Grandis eſt prudentiæ aurū in luto quærere*; inter hos in primis numerantur āctus nomine aliquorū Apoſtolorum, vt Andreæ Apoſtoli,Philippi,Thomæ, Petri; itèm Itinerarium nomine Petri: Euangelium nomine Thadęi,Thomæ Apoſtoli,Barnabæ,Bartholomęi Apoſtoli,Andreæ Apoſtoli:liber de Infantia Saluatoris, de Obſtetrice Saluatoris: liber, qui appellatur Actus Theclæ, & Pauli Apoſtoli:Reuelatio Pauli,Reuelatio Thomę, Reuelatio Stephani: Epiſtola Ieſu ad Agabarū Regem,& alij,qui breuitatis gratia omittūtur: De his libris vid. *cap. Sancta,diſt. 15. Eymeric. in Direct. part.2. q. 23.*

DIFFICVLTAS V.

Quotuplex genus librorum Apocryphorum.

A*Lbertinus de Agnoſcendis aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis, quæſt. 22. num. 50. & 51. & Catholicon, ver. Apocryphus*; dicunt, librorum Apocryphorum duo eſſe genera. Quædam ſunt, quorū Auctor, & veritas ignoratur; vt eſt liber de Infantia Saluatoris, qui à Patribus Eccleſiæ nō eſt approbatus; nec enim recipit Eccleſia; & huius generis ſunt multa opuſcula, quæ enumerantur in *cap. Sancta Romana Eccleſia diſt. 15.*

Quædam etiam ſunt,quorum Auctor tantū ignoratur, ſed de veritate non dubitatur, & huiuſmodi libri non ſunt propriè Apocryphi; licèt ob dictam cauſā ab aliquibꝰ ſint ità dicti; vt liber Iudith, Machabęorum, Tobiæ &c. ſed verè inſcitè talitèr nominantur, cum per *Conc. Trid. ſeſs. 4.* nunc temporis annumerentur in Decreto Canonicarum Scripturarum: vti facit etiam *Pegna loc.cit. Gryſaldus in Deciſion. Fidei Cathol.& Apoſtol. ver. Tobius,& v. Scriptura.*

Sunt Canonici omnes libri,qui relati ſunt in Can. ſeu Catalogo librorum S. Scripturæ,tanquàm diuini, ſeu à Deo inſpirati; vti ſunt omnes libri veteris,& noui Teſtamenti,de quibus *Conc. Trident. ſeſs. 4.*

Nec obſtat, quòd Thobias, Iudith, Eſther, Sapientia,Eccleſiaſticus, & Machabęi non ſint in Canone Iudęorum; quia neceſsè non eſt,vt illi ſoli libri habeantur Canonici apud nos;qui tales habiti ſunt apud Iudęos, vt rectè notauit *Aug. de Ciu. Dei cap. 36.* & ex Canone Iudęorū nihil certi probari poteſt, vti conſtanter affirmat *Beccanus in Manuali Controuerſiarum huius temporis lib. 1. cap. 1. nu. 6.* facit ad hoc *Arſenale S. Inquiſit. p. 4. pag. mihi 82.*

Nec item obſtat, aliquos ex antiquis Patribus, qui ſcripſerunt ante Auguſtinum, & Innocentium primum, qui vixit anno 402. excluſiſſe prædictos libros à Canone; quia tunc per Eccleſiam,qui eſſent libri Canonici,adhuc non erat definitum: Vndè illis tunc partem probabilem amplecti integrum fuit: quòd ſecus eſt poſt illius diffinitionem. legendus eſt *Becanus loc. cit. nu. 11. & 12.*

Vnum obſeruo circa libros Prouerb. Eccleſiaſtici,& Cant.; quòd,cum leguntur in Eccleſia; non ponitur proprium nomen dictorum librorum; ſed ſub nomine Sapientiæ inſcribūtur, vt patet ex Miſſali Rom. pluribus in locis; & fortaſsè ratio eſt, vel quia dicti libri ſunt ſapientales: aut quia omnis veritas eſt à ſapientia, vti tradit *Hieronymus in Prologo ſup. lib. Reg.*

DISTINCTIO SECVNDA.

De antiquitate prohibitionis prauorum librorum: ac ſuſpicione hæreſis, quę oritur ex illorum lectione, & detentione.

Hanc diſtinctionem in quatuor partimur articulos.

Primus reſpicit antiquitatem prohibitionis.

Alter

Alter reſpicit hæreſis ſuſpicionem, quam aſſert tàm lectio, quàm detentio dictorum librorum.

Tertius ſignat denunciationem legentium, aut detinentium dictos libros.

Quartus ſoluit quoddam emergens dubiũ.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An lectio, & retentio librorum prohibitorum de Religione antiquitus extiterit damnata?

Reſpõdetur affirmatiuè; fuit (inquam) librorum, tàm lectio, quàm detentio inhibita non ſolùm ab orthodoxæ noſtræ Fidei profeſſoribus; ſed ab ipſiſmet Ethnicis, vt obſeruat *Simanc. de Cath. Inſtit. tit.* 38. *nu.* 1. Cæſar Aug. duomillia libr. Fatidicorũ .s. exponẽtiũ Deorũ decreta cõcremari iuſſit: refertq; *Valerius Max. lib.* 1. *cap.* 1. fuiſſe combuſtos quoſdam libros grecos; quia aliqua ex parte religionẽ ſoluẽdam ſuadebãt. *Liuius itèm lib.* 39. *Hiſtoriarum*, refert fuiſſe apud Romanos datum negotium Senatoribus inquirendi libros vetitos, quod, & iuri ciuili pluribus in locis hoc ſancitum legimus, vt in *l. Cæteræ, §. Medicamenta, ff. Famil. Herciſcund. l. Quicunq; §. Nemo, C. de Hæreticis*: vbi dicitur libros improbatæ lectionis, vtpotè magicę artis corrumpendos: legiturq; in Sacra Machabęorum Hiſtoria *lib.* 1. *cap.* 1. Antiochum Regem mandaſſe comburi libros veteris teſtamenti, perperàm putãdo noxios: interficiq; eos, apud quos fuiſſent reperti: idem notat *Lyranus ſuper Acta Apoſt. cap.* 19. in hæc verba proloquens: *Multi credentinm veniebant ad Paulum confitentes peccata, & relinquentes Idola; multi autem ex eis; qui fuerunt curioſa ſectati, .i. artes magicas, contulerunt libros .i. apportauerunt ad Apoſtolum, & combuſſerunt*, .s. in contemptum Diaboli, & honorem Ieſu Chriſti; & quidẽ nil poteſt eſſe Reip. Chriſtianæ maioris ponderis, quam librorum Hæreticorum damnatio: nam legentium animos à vera Religione deflectunt; Vndè illorũ phibitio eſt probabile ſignũ conſeruationis Fidei; quemadmodum è contra illorum permiſſio, aut toleratio indicium eſt refrigeſcentis Religionis: quare, ſi colloquia praua euitare debemus; multò magis prauas lectiones, quæ, vt ſtudio maiori conflatæ; efficaciùs mouent, & cordi firmiùs inſiſtunt, quam volatilia verba; hinc impunè eorum lectio permitti non debet. *Ioan. Andreas in cap.* 2. *num.* 4. *de Hæreticis lib.* 6. vbi tradit purgationem indicendam eſſe audientibus conciones Hæreticorum, legentibusq; eorum libros.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An retinens libros damnatos ſit Hæreticus.

Refert *Pegna loc. inf. cit.* nonnullos graues Doctores aſſerentes ad conuincendum quempiam Hęreticum ſufficere, ſi libri damnatæ lectionis apud ipſum reperiantur; ſed horum DD. ſententia mihi minimè probatur, cùm nullo iure hoc caueatur; vt notat *Pegna loc. inf. cit.* neque ratio, aut ius patiatur, vt ex ſola præſumptione de tanto crimine, quale eſt hæreſis, quiſpiã condemnetur, *c. Litteras, de præſumpt.* Verùm in vno caſu nõ diſplicet dicta ſententia .s. cũ cõſtat detentorẽ fuiſſe etiam libri compoſitorem; nam cõpoſitio libri Hæretici ſine accuſatore aptiſſimè Auctorem deſignat, & conuincit Hæreticum eſſe: Ità ſentit *Maximus Epiſc. Aquileienſis in Conc. Lateranenſi ſub Martino* 1. *Anno* 1543. *Repertorium Inquiſ. ver. Libri, §.* 1. *Io. Royas de Singularibus Fideĩ; ſingul.* 124. *Pegna part.* 2. *Com.* 3.

Sed hæc ità procedunt in foro fori: Vndè nos, qui ſumus in foro poli, & Sacramenti Pœnitentiæ excludimus præſumptionem credendo pœnitenti pro ſe, & contra ſe.

DIFFICVLTAS II.

An retentio, ſiue lectio librorum prohibitorum, v.g. Clauiculæ Salomonis, Pſalmodia, Cornelij Agrippæ &c. reddat de hæreſi ſuſpectum.

PRO ſolutione reperio rationes ad vtrãq; partem: Pro affirmatiua facit, quod videmus receptum in materia furti; in qua, ſi res furto ſublata reperiatur apud aliquem, talis redditur de furto ſuſpectus, *l. In ciuilem, l. Ciuile, cap. de Furto, Albertinus de Aſſertionibus Catbolicis, & Hæreticis quæſt.* 28. *num.* 14. itèm, qui habet penès ſe inſtrumenta falſa; præſumitur falſarius, niſi doceat, vndè illa habuerit, *l. Maiorem, C. de Falſarys, & ibi Bartol. not.* itidèm, ille præſumitur procurator cauſæ illius, cuius acta habet penès ſe, *Glo. in cap. Coram dilectis, Extra de Offic. Deleg. Albertin. de Aſſert. Cathol. quæſt.* 28. *nu.* 23. & 14 ità, qui retinet apud ſe, vel legit libros prohibitos; videtur de hæreſi ſuſpectus; ità vt veniat denunciandus.

Cæterùm pro parte negatiua: Prima ratio eſt, quia retentio, ſeu lectio talium librorum poteſt fieri ad alium finem, quam ex cauſa addiſcendi; vel ſequendi eorum errores; v.g. ad impugnandum illos, *cap. Qui de menſa* 37. *diſt.* quæ tamen ratio non facilè cuique admittenda eſt; ſed præcisè viro doctrina, innocentiaq; vitæ prẹfulgẽti: & in caſu incũbẽtis neceſſitatis

Secunda, quia vulgaris eſt traditio quemlibet Chriſtianum prẹſumi Fidei Chriſtianę cultorem, & obſeruatorem, *l. vlt. C. ad l. Iuliam repet.* nam ſine ipſa Deo placere nequaquam poſſumus, faciunt, quæ habet *Alciat. de præſumpt. reg.* 1 *præſump.* 39. *Siman. de Cath. inſtit. inſtit.* 42. *nu.* 22. *Albert. in tract. de Agnoſcend. aſſert. Cathol. & Hæret. quæſt.* 34. *nu.* 48.

Tertiò, quia licèt actus curioſitatis, in propoſito, lectio .s. aut retentio dictorum librorũ ſit malus; non tamen infert neceſſariò ſuſpicionem erroris illius; quia ob aliam cauſam, vt ſupra, quam ſequendi errores retineri, aut legi poſſunt; facit à fortiori *cap. Nunc autèm, 21. diſt. Albert. in repet. ad rub. de Hæret. quæſt.* 13. *nu.* 67. *in* 6. Verùm etiam inſpicienda eſt qualitas retinentis, vt infra. Nõ-

Nõnullis probatur media via, nempè, quòd N. redditur de hæreſi ſuſpectus; ſi cum retentione; aut lectione dictorum librorum cõcurrant aliæ coniecturæ, ſeu adminicula augentia ſuſpicionem, ac mouentia prudentis mentem ad iudicandum talem retentorem, aut lectorẽ librorum ſuſpectum, *Menoch. de Arbitr. Iud. c. 374. nu. 10. Itèm lib. 5. præſump. 6. nu. 18. Gondiſaluus de Hæret. tit. 13. n. 19.* Sit exemplum, vt ſi tractaretur de perſona, quæ grauiſſima crimina commiſiſſet. *Siman. de Cath. inſtit. tit. 50. nu. 30.* vbi ponit exemplum de perſona, quæ ſe cõmiſcuit cum Monialibus, Affinibus, Cõſãguineis: & de illo, qui ſceleſtiſſimas blaſphemias profert; talia enim patrantes non videntur colere Deum, nec eius orthodoxam fidem tenere. *Simanc. de Aſſert. Cathol. tit. 15. nu. 15.* vel quando talis retentor, aut lector librorum fuiſſet aliàs de hæreſi inquiſitus: & fuiſſet eidẽ indicta purgatio, quam recuſaſſet ſubire. *Felin. in cap. Ad abolendam, §. Qui verò extra de Hæret. Menoch. dicta præſump. 6. ver. Sin. lib. 5. Simanc. de Aſſert. Cathol. tit. 50. nu. 4. &c.* His habitis cenſeo primam ſententiã amplectendam eſſe; cum ſit conſona Edicto S. Inquiſitionis præcipientis denunciationem legentium, vel detinentium libros prohibitos.

Duoq; extra dubium omninò ſunt notanda: Alterum, quòd N. grauitèr peccauit contra Eccleſiæ prohibitionem, & incidit in cenſuras, vt infra *artic. 3. diffic. 1. & art. 3. diff. 1.* ſi libri ab eo lecti, vel detenti fuerint Hæreticorum, tractantes de hæreſi, aut Religione. Alterum eſt, & venit in conſequentiam primi, quòd N. reprehendendus eſt; quinimmò aliquà mulcta plectendus, non obſtante, quòd ſola curioſitate retinuerit, aut legerit dictos libros: aut ad ornatum ſuæ bibliothecæ præcisè habuerit. faciunt, quæ docet *Auguſt. de vera Relig. cap. 29. D. Thom. 2. 2. quæſt. 167. art. 1. in reſp. ver. Alio modo:* hæc procedunt in foro fori: in foro autèm poli vnuſquiſque conuincitur à propria conſcientia; ſi retinens cognouit dictorum libr. qualitatem, & prohibitionẽ.

DIFFICVLTAS III.

Qualis hæreſis ſuſpicio ex retentione, vel lectione librorum damnatorum contrahatur.

PRO reſponſione ſuppono detentorem, aut lectorem dictorum librorum non eſſe illorum auctorem. Et hoc ſuppoſito idem eſt, ac ſi quæratur; an hæc ſuſpicio ſit leuis, vehemens, aut violenta.

Quoad detentionem, aliqui celebres DD. quos citat *Pegna*, ſed nõ ſeqr; ſentiunt vehemẽtem ſuſpicionem indè exoriri. Ego autèm ſequens *Pegn. part. 2. Com. 3.* cenſeo qualitatem, ſuſpicionis ex coniecturis eſſe petendam (habita ratione) primò perſonarum, deindè librorum, tertiò occaſionis: Quo ad perſonas, an .s. retinens tales libros ſit pœnitùs imperitus, vel doctus: ſit vir probatæ, vel malæ vitæ: Quantũ ad libros, ſi tractent de religione, vel de alijs facultatibus, v. g. medicina, grammatica, logica, &c. Quantum autèm ad occaſionem, an illos habuerit ratione aditæ hæreditatis; vel illos ex aliquo loco ad ſe tranſportari curauerit.

Quoad lectionem ſimilr̃ ex cõiecturis colligendus eſt gradus ſuſpicionis: primò, an illos incõſideratè, vel ſtudioſè legerit: ſecundò, an parum, vel multum: tertiò, an ſemel, vel pluries: quartò, ſi vnum tantum librum, vel plures: quintò, ſi reprehendenti ſtatim obtemperauerit, vel defenderit factum: ſextò, ſi præſentauerit illum, vel illos Inquiſitori ſtatim, ac intellexit eſſe prohibitum, vel prohibitos: vel ſi non eſſe præſentandos, aut comburendos cõtenderit: ſeptimò, ſi ſolicitè abſolutionem quæſiuerit &c. vel potiùs illam contempſerit &c. Verùm hæ coniecturæ potiùs deſeruient pro foro fori, quàm pro foro poli, in quo nos regularitèr ſumus: & notantur à *Pegna loc. cit. ſub. lit. E.* in confeſſione enim credimus pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe loquenti, conſtat.

Dices, ſi huiuſmodi coniecturæ non deſeruiunt pro foro Sacramenti Pœnitentiæ, quomodò igitur huc ſpectant?

Reſpõ, quòd, etſi non deſeruiant pro hoc foro; huc tñ ſpectant ratione denunciationis; quæ in primis attenditur in Edicto S. Inquiſit. & sm̃ illas dignoſcitur qualitas ſuſpicionis.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An, vt de hæreſi ſuſpecti Cenſoribus Fidei veniant denunciandi, qui retinent, vel legunt libros præcisè ſuſpenſos, donec corrigantur.

NOtandum, quòd huiuſmodi libri diſtinguntur tum ab hæreticalibus, & de hæreſi ſuſpectis: tum ab illis, qui pietati, ac morũ honeſtati ſunt inutiles, quòd patet ex Breui Pij IV. incipit: *Dominici gregis*; quod habes coniunctum cum Indice librorũ prohibitorũ, ibi: Nec libri, nec ſcripta cuiuſcũque generis, quæ .s. in Indice improbantur ſiue, vt hæretica, ſiue, vt hæretica prauitate ſuſpecta: ſiue, vt pietati, & morum honeſtati inutilia: aut (Nota) aliqua correctione ſaltèm indigentia; poſthàc à Chriſti fidelibus legantur, &c.

Difficultati reſpondetur negatiuè: nam illi præcisè ſunt de hæreſi ſuſpecti, veniuntq; denunciandi Cenſoribus fidei; qui legunt, aut retinent libros, de quibus Edictum S. Inquiſ. & Index librorum prohibitorum (prima, & ſecũda regula) tales autèm non ſunt, qui legunt, aut retinent libros tantùm ſuſpenſos, donec corrigantur. patet in primis ex Edicto in hæc verba: *Che habbiano hauuto, ò habbiano libri, ò ſcritti, che contenghino hereſie, ò libri di Heretici, che trattino di Religione &c.* patet deindè ex prædicto Breui, ibi: *Is, qui Hæreticorum libros, vel cuiuſuis Auctoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritue ipſo iure in excommunicationis pœnam incidat; eamq; ob cauſam in eum tanquam de*

hæreſi

hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pęnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, Sacriſq; Canonibus conſtitutas: Qui autèm, (Attende) libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritue; præter peccati mortalis reatum Epiſcoporum arbitrio ſeuerè ſe nouerit puniendum. Ex dictis autèm aliqua colligo corollaria.

Primum eſt, quòd ad duo genera reuocatur libri prohibiti (vniueralr̃ loquendo) alterum eſt hæreticorũ, vel hęreſis ſuſpectorũ: alterum verò eſt librorũ pietati, ſiue morum honeſtati inutilium, immo nociuorum: vti ſunt libri, qui res laſciuas, ſeu obſcęnas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, dè quibus *Reg. 7. Indicis:* aut correctione indigentium: quales ſunt illi, de quibus memorat *Braſichell. in Indice librorũ Expurgandorum.*

Secundũ eſt, ꝙ sũt ſuſpecti de hęreſi pręciſè illi, qui retinent, vel legunt libros, aut ſcripta primi generis (ſũpto genere modo nũc dicto.)

Tertium, quod venit in cõſequentiam præcedentis, vz. tm̃ eſſe denunciandos Cenſorib. Fidei retinentes, aut legẽtes libros, aut ſcripta primi generis; eodem modo ſumpto genere.

Quartũ eſt, ꝙ etſi legẽtes, aut retinẽtes libri ſecũdi generis nõ ſint ſuſpecti de hæreſi; nec veniant denunciandi: peccãt tñ mortalitèr, veniuntq; puniẽdi, vt dictum eſt, ab Epiſcopis.

Quintum eſt, libros primi generis deferendos eſſe Fidei Cenſoribus: alios verò Epiſcopis; quòd ſanè elicio, quia detentores, & lectores librorum primi generis ſubijciuntur puniendi Cenſoribus Fidei: alij verò ſecundi generis Epiſcopis, conſtat ex prædicto Breui Pij IV. Verùm, licèt vi Indicis librorum, Epiſcopi tantũ ſint Iudices contra legẽtes libros prohibitos ob res laſciuas, & bonos mores: ex ordine tamèn ſupremi Tribunalis etiam Inquiſitores procedunt: quod notat *Cæſar Carena de Modo procedendi in cauſis S. Officij tit. 10. nu. 18.* ex litteris Inquiſitori Cremonæ cõſcriptis per Eminentiſs. Card. Millinum ſub die 6. Februarij 1627.

ART. IV. DIFFICVLTAS PRIMA.

An habens libros expurgandos per ſeipſum illos expurgare poſſit.

RESpondetur, ſi ſint de illis, de quibus mentionem facit Index librorum Expurgandorum; quorum loca corrigibilia, ſunt iam per *Braſichell. Sacri Palatij Magiſtrum notata*: quomodo corrigi habeant; & ſic quiſque illos ex licentia Epiſcopi, & Inquiſitoris emendare poterit iuxtà exemplar ab ipſo Indice Expurgatorio traditum: patet ex dicto *Indice* § 5. in hæc verba: *Poſtquam Codex Expurpurgatorius confectus erit, ac mandato Epiſcopi, & Inquiſitoris impreſſus, qui libros Expurgandos habebunt, poterit de eorundem licentia iuxtà formam in Codice exẽplari traditam eos corrigere, atq; purgare.* Qui ãt ſint huiuſmodi libri, lege dictum Indicem, in quo quinquaginta Auctorũ libri præ cęteris deſiderati emendantur. Verùm pro illorum correctione non requiritur, vt Corrector ſit vir eruditione, & pietate inſignis; ſed ſat eſt, vt nouerit ſequi exemplum ſibi traditũ: quod ſecus eſt de Correctoribus, qui tradunt primam formam, vti fecit *Magiſter Sacri Palatij Braſichell.*

Et de his puto proloqui ipsũmet de correct. librorum iuxtà Indicem *Clem.* viij. §. 1. qñ tradit librorum expurgationem nõ niſi viris eruditione, & pietate inſignibus cõmitti debere. Loquendo verò de alijs libris in Braſichell. nõ relatis, non poſſunt: ſed ſubijciuntur eiſdem pęnis, & Iudici, quibus ſubijciuntur legentes, aut retinentes libros obſcęnos, ſeu laſciuos, vt ſupra *diſt. 1. art. 1. diff.* 1. ſuppono .n. ipſos diſtingui ab illis primi generis.

DIFFICVLTAS II.

An licentia alicui conceſſa ab Inquiſitore legendi librũ ſuſpenſum, donec corrigatur, ſuffragetur extra diſtrictum, ſeu Diœceſim Inquiſitoris illam concedentis.

RESpondetur affirmatiuè: ratio eſt, quia huiuſmodi licentia eſt priuilegium perſonale, quod ſequitur perſonam. *Suarez de legib. lib. 8. cap. 26. nu. 8. Nauar. de Priuil. conſ. 6. vol. 2. Nald. ver. Libri, nu. 6. Hieron. Rodriquez in Compend. qq. Regul. reſol. 92. nu. 2. vbi contra, Portel. in Dubijs regul. ver. Librorũ prohibitio n. 4.* ſed clarius infra.

DISTINCTIO TERTIA.

De nonnullis dubijs circa lectionem, vel detentione librorum prohibitorum.

Diſtinctio præſens in quatuor partitur art. Primus reſpicit immediatè quoddam dubium circa textum.

Secundus deſignat præcipuè notanda circa lectionem, aut detentionem librorum de hæreſi; aut Hæreticorum de Religione.

Tertius demonſtrat, num libris prohibitis in aliud idioma demutatis legi poſſint.

Quartus notat ad quid teneatur, qui nouit alterum retinere librum prohibitum inculpabiliter.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Ob quam cauſam in Edicto S. Inquiſ. fit mentio de legentibus libros de hæreſi, vel de Religione tractantes, retinentibus, imprimentibus, & defendentibus tales libros; cum iam prius hæc omnia prohibita fuerint in Bulla Cænæ, quæ notiſſima eſt.

RAtio difficultatis eſt, tum quia fruſtratorium eſt prouidere, vbi non expedit, ideſt vbi iam prouiſum eſt; nec lex fruſtratoria remedia intro-

tro-

troducit, *l. Qui bis idem, de ſtipul.* tùm prætereà, quia ab homine fruſtrà exprimitur, quòd ipſo iure non intelligitur, *l. Non rectè, C. de Fideiuſs.*

Reſpondetur, quod alio modo tractatur de dictis libris in Bulla Cęnæ; & alio tractatur in Edicto S. Inquiſ.: Nam in Bulla agitur de prædictis, quoad reſeruationē abſolutionis Summo Pontifici: In Edicto verò, quoad denunciationem legentium, detinentium, imprimentiū, & defendentium dictos libros, clarior reſolutio petenda eſt ex *Par. 2. lib. 14. diſt. 5. art. 1. diff. 2.* vbi de Defenſoribus Hæreticorum, &c.

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

Quæ veniunt præcipuè notanda circa librorum Hæreticorum detentionem.

PRimò notandum eſt, nihil referre, vtrum detentor dictorum librorum illos retineat in ſua, vel aliena domo. Itèm num ſuo, vel alieno nomine: num cauſa illos legendi, hec ne: Ratio eſt, quia Pontifex ſimpliciter prohibet illos aſſeruari, volens pœnitus exterminari. Vndè admonendi ſunt Bibliopolæ, ne ipſos retineant; alioquin annodabuntur dicta Bullæ Cenſura.

Secundò, requiritur, vt liber tanto temporis ſpatio retineatur, quòd ad iudicium boni viri illius detentor moralitèr negligens habeatur.

Tertiò, non dicitur quis longiore tempore librum Hæretici tenere, quàm moralitèr requiritur; qui expectat opportunum tempus illum præſentandi Superiori; ſi ſcandalum abſit. *Suarez de Fide tract. 1. diſp. 16. n. 2. Layman. lib. 2. tract. 1. c. 14. n. 5. Souſa in Aph. Inq. l. 1. c. 2. n. 29.*

DIFFICVLTAS II.

An libri Hæreticorum à doctis legi poſſint, vt eorum errores melius cognoſcant, ac conſultiùs eis reſpondeant.

RAtio dubitandi eſt: quia *Apoſtolus 1. ad Theſ. 5. habet: Omnia probate, quod bonum eſt tenete.*

Reſpondetur negatiuè: tum quia periculoſa eſt lectio librorum Hæreticorum, præſertim cum Scriptura Sacra contrarium moneat, ibi: *Attendite à fermento Phariſeorum;* itèm *attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium.* itidem *Nolite omni ſpiritui credere, Io. 4.* tùm, quia nemò (licèt doctus) debet ſibi tribuere; quòd poſſit ſecernere bonum à malo; cùm tale iudicium ſit Superiorum: ità communitèr reſpondetur.

Mihi verò videtur poſſe etiam alitèr difficultati reſponderi; quod omnibus illicitum eſt; ſed aliter doctis, aliter indoctis; doctis, qui ſine periculo illos legere poſſunt; præciſè vi præcepti illicitum eſt, niſi licentia Sedis Apoſtolicæ accedat; cuius etiam eſt ante licentiam cognoſcere, & iudicare, an ſine periculo, & cū fructu licentiam petens legere poſſit: nemo .n. Iudex in propria cauſa eſſe poteſt. Simplicibus verò, & ignaris duplici ex capite illicitum eſt .s. nedum ex vi prohibitionis, ſed etiam ob imminens, & euidens periculū; ſi, (teſte Apoſtolo) vaniloquia Hæreticorum, (licèt vox citò pereat) deuitanda ſunt; eo quòd multum faciant ad impietatem, & eorum ſermo, vt cancer ſerpat: à fortiori cauenda eſt lectio librorū Hæreticorum; cum ſcriptura maneat, fortiùs imprimat, magisq; moueat animum; Docti autèm (ſuppoſita licētia) in primis inter legendum, & ſcribendum attendere debent; vt faciant cognoſcere falſitatum Codicum, oſtendendo quantùm à ſincera veritate diſcordent: Deinde Apocryphas ſcripturas, quæ ſub nominibus Apoſtolorum continent Seminariū multarum falſitatum: quamuis .n. ſint in illis, quædam apparentèr habentia pietatis ſpeciem; nunquam tamen vacua ſunt venenis.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An libros certa aliqua lingua ab initio editos, & deinde prohibitos, ac damnatos à Sede Apoſtolica; eoſdem in alia lingua verſos legere, & retinere poſſimus.

RAtio difficultatis eſt, quia, quemadmodum Biblia in vulgari idiomate verſa non poteſt haberi, vt patet ex Indice librorum, vbi de obſeruatione circa quartam regulā: & tamen in lingua latina haberi cuiq; integrum eſt: ergò in ſimili videtur idem dici poſſe de alijs libris; qui .s. ſint damnati in vno idiomate: tñ non ſint ob hanc cauſam damnati in alio; cum pęnæ, & odia ſint reſtringenda.

His non obſtantibus: Reſpondeo libros in vno idiomate prohibitos, & damnatos à Sede Apoſtolica; in alijs quoque eſſe prohibitos, & damnatos: hinc *Index libr. prohibit.* §. 6. talitèr proloquitur. *In vniuerſum autèm de malis, & pernicioſis libris id declaratur, atq; ſtatuitur, vt qui certa aliqua lingua initio editi, ac deinde prohibiti, ac damnati ſunt à Sede Apoſtolica; eoſdē quoq; in quācunq; poſteà vertantur linguam; cenſeri ab eadem Sede vbiq; gentium, ſub eiſdem pęnis interdictos, & damnatos.*

Nec obſtat obiectio de Biblia, quæ prohibita in vno idiomate, conceditur in alio; quia Index loquitur præciſè de libris malis, & pernicioſis: Bibliorum autèm liber non eſt talis, .s. nec malus, nec pernicioſus; ſed omninò ſanctus, & vtilis, conſtat; ideò nō militat obiectio.

Vrgebis fortaſsè libros alicuius Auctoris, ex. g. Viualdi, vulgò Candelabrum Aureum ante annum 1602. editum non niſi prius correctū legi poſſe: quòd ſecus eſt de illo edito poſt dictum annum vtpotè correcto; vt patet ex Indice librorum Expurgandorum Braſichell. ibi, cenſura libri intitulati Candelabrum Aureum Alphonſi Viualdi cuiuſcunq; impreſſionis ante annum 1602.

Et eadem inſtantia fit reſpectu aliquorum aliorum librorum; qui interdùm impreſſi vno anno prohibentur: impreſſi verò alio, ac cenſura iam correcti conceduntur: itèm impreſſi in vno loco damnantur: impreſſi verò in alio conceduntur. Itidem impreſſi cum aliqua additione conceduntur; abſque illa verò denegātur &c. patet totum legenti Indicem Braſichell.

Reſpon-

Reſpondetur, quod inſtantia nullius eſt valoris; quia libri, de quibus obiectio, non ſunt ſimplicitèr damnati: ſed tantùm prohibiti, donec corrigantur; vt patet ex eodem Indice; libri verò, de quibus traditur ſuperior regula generalis, ſunt abſolutè damnati.

Quinimmò obiectio contra obijcientem retorquetur: nam quemadmodum iſtis, de quibus inſtantia; non poſſumus vti, donec corrigantur: ità illis nunquam vti valemus; cum nunquam ſint expurgandi, vtpotè expurgatione indigni.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.
An, qui nouit aliquem retinere inculpabilitèr libros Hæreticorum de Religione tractantes; teneatur illum denunciare, correptione omiſſa, vide de denũciatione, lib. 4. diſt. v. art. 1. diff. 3. vbi diſtinct. reſpondetur.

DISTINCTIO QVARTA.

De lectione, aut detentione librorum in ſpecie, vz. Aſtrologiæ iudiciariæ, Magiæ, Chyromantiæ, rerum obſcęnarum, ſeu laſciuarum, ac Bibliæ Sacræ.

Diuiditur autèm in quinque articulos iuxtà quinque ſpecies librorum pertactorũ.

Primus reſpicit lectionẽ, vel detentionem librorum Aſtrologiæ iudiciariæ.

Secundus reſpicit lectionem, ſeu detentionem librorũ Magiæ, aut Chyromantiæ.

Tertius reſpicit legentes, ſeu detinentes libros Catholicorum cum annotationibus, elucidationibus, aut Commentariorum Hæreticorum.

Quartus reſpicit lectionẽ, aut detentionem librorum obſcœnorum, ſeu laſciuorum.

Quintus denique reſpicit lectionem, ſeu detentionem Bibliæ Sacræ vulgari lingua editæ.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.
An Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, & indices legi, aut haberi poſſint.

ANTE reſponſionem notandum eſt huiuſmodi ſpeciei eſſe omnes libros illos; qui agunt de futuris cõtingentibus, ſucceſſibus, fortuitisq; caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent. faciunt, quæ tradit *Index libr. prohib. Reg. 9. Franciſcus Forerius Capifer, & Braſichell.* his notatis.

Reſpondeo, quòd quamuis permittantur iudicia, & naturales obſeruationes; quæ Nauigationis, Agriculturæ, aut Medicæ artis iuuandæ gratia conſcripta ſunt: non poſſunt tamen legi, nec haberi Aſtrologiæ Iudiciariæ Libri, Tractatus, Indices; qui tractant de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitisq; caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana pendent voluntate; quod intellige, ſi certò aliquid euenturũ affirmare audeant: patet ex 9. *Regula Indicis*: nec quidem tenuiſſima certitudine, vt patet ex *Conſtitut. S. D. N. Siſti V. 2.* cuius initium eſt. *Cœli, & terræ &c.*

Dices, retorquendo argumentum contra me, ſi Aſtrologia iudiciaria prohibetur; quomodo Tu tractatum de illa habuiſti, & quidem propemodùm per extenſum? vt patet ſuprà *par. 3. lib. 18. ferè per totum.*

Reſpondeo, per Conſtitutiones Pontificias tractatum ad illam impugnandam minimè prohiberi: ſed ad illam fouendam, claret. Nec prohibent credere ex ſtellis homines potiùs ad vnum, quàm ad aliud aliqualem propenſionem habere; ſed vetãt tenere aliqua certitudine; quòd vi illarum trahantur homines omninò inuiti: ad quæ nolunt, quod falſum eſt: vnuſquiſq; enim aſtris dominari poteſt; ſi libertate naturali benè vti non recuſet, iuxtà illud vulgatum: *Sapiens dominabitur Aſtris. Ptolomeus in Almegiſto.*

Obijcienti itèm, quòd in his Commentarijs diſſero de Geomantia, Hydromantia, Pyromãtia, Oromantia, Chyromantia, Necromantia, Sortilegijs, Veneficijs, Augurijs, Auſpicijs, Incantationibus, Artibus Magicis, quæ omnia prorsùs reijciuntur; vt patet ex *dicta Regula Indicis 9.*

Reſpondeo, quòd de his non niſi improbatiuè, & confutatiuè diſſero, vt de omninò euitandis, & deteſtandis: nec item, vt aliquo modo certis; ſed, vt vndequaq; incertis, dubijs, & falſis, quare ceſſat obiectio; Quæ omnia; ſi ſuis proprijs locis non ſunt ſatis reiecta; hic quoque omninò iterum, atq; iterum reijcio.

Notandum autèm, quòd, quamuis iure antiquo nõ eſſet illicitum, nec prohibitum Aſtrologis, Aſtrologia iudiciaria (tenuiſſima quadã coniectura) effectus futuros ex libero arbitrio pendentes prędicere; vti videtur ſentire *D. Thomas 2. 2. quæſt. 95. art. 5. in fine*, quod notat *Candidus in Diſquiſit. Moral. diſq. 15. dub. 4. ibi, dico ſexto*: Iure tamèn nouo per *Conſtitutionem Sixti V. 21.* incipit: *Cęli, & terræ:* effectus fortuitos, & caſuales, & futura contingentia libera; prædici ab Aſtrologis etiam tenuiſſima certitudine interdicitur: patet ibi; etiamſi non certò id affirmare aſſerant, aut proteſtentur &c. legendus *Candidus loc. cit.* qui alios citat. Notandumq; cum *D. Auguſt. ſuper Pſalm. 61.* libros, qui Epheſi fuerunt combuſti, vti narrant *Act. Apoſtolor. cap. 19.* perperàm egiſſe de Aſtrologia iudiciaria, quòd notat *Rubeus in Conuictu morali, ver. Aſtrologia.*

ART.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
An qui legunt, aut retinent libros Magorum, aut Chiromanticorum, excommunicentur Bulla Cęnæ.

RAtio difficultatis eſt, quia *Pius V. in Conſtitut. Bullæ Cęnæ*, percuſſit anathemate eos, qui haberent, aut legerẽt Magorũ libros; etiamſi Hæretici non eſſent: & voluit dictam excommunicationem Summo Pontifici reſeruari.

Difficultati reſpondetur negatiuè: quia ſucceſſor ipſius Pij V. .s. *Gregorij XIII.* & alij ſequentes eam excommunicationẽ omiſerunt, nihil de ea ſtatuentes, quod clarè patet legenti recentiores Bullas Cęnæ Domini: ligantur tamen excommunicatione *Indicis lib. Prohibitorum, vt ſuprà innui diſt. 1. art. 1. diff. 1. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 1. punc. 4. nu. 14. poſt Sanchez lib. 2. cap. 10. nu. 38.*

Idipſum dicendum eſt de Retinentibus, aut legentibus libros Chiromantiæ, quod notat in primis, *Souſa in Bullam Cęnæ cap. 2. diſt. 131. concl. 1. itidem in Aphoriſmis Inquiſitor. lib. 1. cap. 21. num. 21. regula Indicis nona. Zambellus in Repertorio Caſuum Conſcientiæ, verb. Hæreticus num. 1. Nauar. in Additionibus ad cap. 27. num. 56. & in Manuali nouiori cap. 27. num. 55. S. Thom. 2. 2. quæſ. 95. art. 1. & 2.*

ART. III. DIFFICVLTAS I.
An legentes, aut retinentes libros Catholicorum, cum annot. aut Comm. Hæret. ligentur Bulla Cęnæ.

REſpondetur negatiuè; non incidunt (inquam) in Bullam Cęnæ, ſed in cenſuram latam à Pio IV. anno 1564. 14. Martij ſuper approbatione Indicis librorum prohibitorum, quæ Bulla Indici præfigitur; & peccant mortaliter; nam excommunicatio maior ſupponit mortale; quod patet ex communi *Theologorum, ac Summiſtarum doctrina*: faciunt allata per *Reginaldum in Praxi Caſuum difficilium lib. 3. cap. 17.*

Notandum eſt autem, ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cęnæ requiri ingẽtem temeritatẽ; vndè excuſat ignorantia tàm craſſa, quàm ſupina: ad incurrendum verò in excommunicationem Indicis non excuſatur quis ob dictas ignorantias; quia Decretum Pij IV. non requirit ſcientiam. ità *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. nu. 24.* vt etiam ſuperiùs cautum fuit.

DIFFICVLTAS II.
Libri Hæreticorũ ſunt ne omnes indifferenter damnati?

RAtio difficultatis eſt, tum quia in prima Claſſe librorum prohibitorum non tàm libri, quàm librorum Scriptores continentur; qui aut Hæretici, aut notę hęreſis ſuſpecti fuerunt: tum, quia damnato Auctore, damnantur omnia eius ſcripta, & libri, vt viſum fuit ſupra *1. diſt. art. 1. diff. 2.*

His non obſtantibus Reg. 5. Indicis librorũ prohibitorum eſt in hæc verba. *Libri illi, qui Hæreticorum Auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de ſuo apponunt: ſed aliorum dicta colligunt, cuiuſmodi ſunt Lexica, Concordantiæ, Apophtemata, Similitudines, Indices, & huiuſmodi; ſi quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis Epiſcopi, & Inquiſitoris vnà cum Theologorum Catholicorum conſilio ſublatis, aut emendatis, permittantur.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.
An peccent legentes libros profanos de obſcenis differentibus.

REſpondetur affirmatiuè, vti oſtenſum fuit *diſt. 1. art. 1. diff. 1.* tum quia huiuſmodi libri corrumpunt bonos mores, non minus, quàm conuerſatio prauorum, illorumq; colloquia mala: quinimmò magis nocere poſſunt, quia legentes vehementiùs lecturæ inſiſtunt; & conſequentèr plus veneni inde hauriunt: tum quia bonis Chriſtianis moribus aduerſantur; hinc culpam mortalem cõtrahunt, patet ex *Decreto Pij IV.* incipit: *Dominici gregis*: & ex 10. *Reg. Indicis librorum, verſ. Qui verò libros*: quòd comprobauit *Clem. VIII. ſub eiſdem pęnis Conſtit.* quæ incipit: *Sacroſanctum Fidei Catholicæ depoſitum*: ità obſeruo cũ *Homob. de Exam. Eccl. tom. 2. tract. 11. cap. 7. quæſt. 15. ibi reſolutio.* Idem quoque colligitur ex iure naturæ dictantis abſtinendum eſſe à probabili periculo conſentiendi delectationi moroſæ, *Nauar. in Manual. cap. 23. nu. 3. Durandus quæſt. 34. num. 2 & alij*: immò ſuppoſito huiuſmodi periculo ſtatuendum eſt, pęnitentẽ minimè abſoluendum; ſi in futurũ eos libros legere, aut retinere velit. *Say. de Cenſ. lib. 3 nu. 12. Farinac. de Hæreſi, quæſt. 180. §. 1. num. 33. Maſcardus de Probationibus tom. 1. concl. 862. & alij apud Homob. de Exam. Eccleſ. tract. 7. cap. 2. quæſt. 13.*

Quo verò ad denunciationem non inuenio præceptum ſpeciale, nec in Edicto Inquiſitionis, nec in Indice librorum, vt patet ex *7. & 10. Reg. Indicis ver. Qui verò libros*: & ratio eſſentialis eſt, quia non ſunt ob hanc cauſam de fide ſuſpecti: ſeuerè tamen puniendi ſunt Epiſcoporum arbitrio. legendus eſt *Souſa in Aphoriſ. Inquiſ. lib. 1. cap. 21. nu. 45. & Regula Indicis 7.*

ART. V. DIFFICVLTAS I.
An detinentes, aut legentes Euangeliũ, aut Bibliam in maternum idioma tranſlata peccent, veniantq; denunciandi Inquiſitoribus, & quid de vendentibus illa.

QVoad primam particulam difficultatis dicendum eſt, tàm detinentes, quàm legentes prædictos libros lethali culpa inuolui; quòd ſatis patet ex pœna ipſis inflicta, niſi deſiſtant à talium lectione, aut detentione; quæ eſt, vt denegetur ipſis abſolutio, vti conſtat ex 4. *Indicis Reg.* nõ denegatur autẽ abſolutio, niſi ob culpam moralem, quod notum eſt: vndè veniunt puniendi arbitrio Epiſc. *Pius IV. iuxtà Decretum Indicis.*

Quoad ſecundam partem verò reſpondetur tales minimè eſſe denunciandos: tùm, quia de talium

talium denunciatione nullum extat præceptũ in Edicto, quòd exponimus: tùm, quia leges, & præcipuè pœnales, qualis eſt iſta Edicti S. Inquiſit. non ſunt exaſperandæ, ſed potiùs molliendæ, *l. Interpretationem, ff. de Pœn.* pronioraq; ſunt iura ad abſoluendum, quàm ad ligandum, *l. Arrianis, ff. de act. & obligat.* tùm prætereà, quia exceptio firmat regulam in non exceptis; ſunt autèm in Edicto quidam, qui notantur denunciandi; ac proindè alij omninò omiſſi minimè veniunt: tùm etiam, quia non ſunt de Fide ſuſpecti; vt notat *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 21.* & hæc eſt ratio propria.

Quo deniq; ad Librarios vẽdentes illos abſq; licentia, incidunt in pœnam illorum pretium in vſus pios ab Epiſcopo conuertendi: alijsq; pœnis pro delicti qualitate eiuſdem Epiſcopi arbitrio ſubiacent. patet ex 4. *Reg. Indicis.*

DIFFICVLTAS II.

An libri vulgari idiomate, de controuerſijs inter Catholicos, & Hæreticos noſtri temporis differentes an legi, & haberi poſſint.

RESpondet Index librorum prohibitorum cum regulis confectis per Patres à Triden. Synodo delectos in hæc verba.

Libri vulgari idiomate, de controuerſijs inter Catholicos, & Hæreticos noſtri temporis differentes non paſſim permittantur; ſed idem de ijs ſeruetur, quod de Biblijs vulgari lingua ſcriptis ſtatutũ eſt. Regula 6. Indicis librorum prohibitorum.

DISTINCTIO QVINTA.

De diſcrimine inter lectionem, aut detentionem librorum Ethnicorum, & Hæreticorum, ac lectura librorum Infidelium.

Pœnes hanc diſtinctionem quinque habebimus articulos.

Primus ponit diſcrimen inter libros Ethnicorum, & Hæreticorum quo ad lecturã, & detentionem.

Secundus diſcernit, ſi Infidelibus .s. Gentilibus, & Iudæis permittatur lectio, aut detentio libr. Hæreticorum.

Tertius demonſtrat, quomodo lectura Mahumeti coincidat cum hæreticali.

Quartus diſſerit de Alcorano lib. Gentilium, ac de ipſo Mahumeto.

Quintus agit de lib. Iudæorum, vz. de Talmut, & Magazor.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An ſit diſcrimen inter libros Ethnicorum, & Hæreticorum, quoad lecturam, & detentionem.

RESpondeo affirmatiuè, quia quamuis Ethnicorum libri nulla ratione ſint pueris perlegendi, vt patet ex *Reg. 7. Indicis librorum*, & notat *Synodus celebrata Bergomi ſub Epiſcopo Priolo par. 1. tit. 4.* permittuntur tamen propter ſermonis elegãtiam: libri verò Hæreticorum, quamuis nec de Religione, nec de hæreſi tractent; non tamèn permittuntur; ſed transgreſſor incidit in excommunicationem Indicis, vt ſupra annotaui cum *Azor. par. 1. lib. 8. cap. 16. quæritur 14.*

Item libri Infidelium, eſto aliquos cõtineant errores contra Fidem, & ſint: non ſunt tamen ſub Bulla Cœnæ cõprehenſi, vt illi Hæreticorum de hæreſi, aut Religione: in Indice tñ ob falſam doctrinã prohibiti sũt ſub illius cẽſura. *Reg. 10.* Nec ſimilitèr libri Græcorum, Armenorum, & ſimilium eorum ritus continentes; quia ij non ſunt ab Eccleſia tanquam Hæretici habiti; quòd ſecùs dicendum eſt de libris Hæreticorum de hæreſi, aut Religione tractantes ex profeſſo, vt patet ex ipſa *Bulla, excom. 1.* Nec refert, quòd ſint libri illorum Infidelium, qui iam fuerunt Cathecumeni, & à Fide receſſerunt; quia nec iſti ſunt verè Hæretici. *Sanchez lib. 2. Oper. Mor. cap. 10. nu. 22.* quem ſequitur *Trullench. in Expoſ. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 9. §. 5. nu. 15. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. quæſ. 5. punc. 4. nu. 14. Suar. de Fide diſp. 20. ſect. 2. nu. 11. Pueronus in Bulla Cœnæ Can. 1. nu. 196.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Infidelibus .s. Iudæis, & Gentilibus permittatur lectio, aut detentio librorum Hæreticorum, aut de hæreſi ſuſpectorum.

RAtio difficultatis eſt, quia Eccleſia loquens de Infidelibus .s. Iudæis, & Gẽtilibus (inquit) *De his, qui foris ſunt, quid ad nos? cap. Gaudeamus de Diuor.*

Reſpondetur negatiuè (loquendo de Infidelibus in terris Catholicorum commorantibus) ratio eſt, quia Hæreticorum libris Infidelium impietas foueretur, vel augeretur: vel ſaltem conuerſio retardaretur: leuiq; negotio horum contagium deueniret ad Catholicos; qui, ſi reperirentur apud iſtos; non foret ipſis difficile ſe aliquo modo excuſare imponendo crimen Infidelibus, vel cum ipſis colluſionem conſtruere. faciunt tradita per *Pegnam in Direct. Inquiſit. par. 2. Comm. 3. propè finem.* Quare nec permittendum eſt Mahumetano, vt ſuum poſſit impunè legere Alcoranum; vel alios libros ſuã ſtabilientes ſectam; vel contra Chriſtianam inuehentes. legendus eſt *Flauius Cherubinus in Compendio Bullarij ad Bullam 76. Pij IV. Scholio primo;* hinc ſequitur prædictos Infideles .s. commorantes in terris Catholicorũ apud ſe retinentes libros Hæreticorum: aut de hæreſi ſuſpectorum Cenſoribus Fidei eſſe deferendos.

Dixi in locis Catholicorũ habitantes: nam de habitantibus extra Catholicorum terras, ſolummodò procedit illud Eccleſiæ prolo-

quium: *De his qui foris ſunt, quid ad nos?* ſicut enim ſe habet propoſitum in propoſito, ità oppoſitum in oppoſito. *l. fin. in princip. ff. de legib. 3. l. Is qui contra, ff. de Vulg. & pupil. ſubſt.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Lectura Mahumeti coincidat cum hæreticali.

Reſpondetur in multis coincidere; illud enim malum, quod Diabolus per Arrium, aliosq; Hæreticos perficere non potuit; hoc per Mahumetum adimpleuit; qui omne Arrianorum, aliorumq; Hæreticorum venenum ſparſim diſſeminatum; in ſe collectum turpitèr euomit, quod vltimò adnotauit *Philippus Faber aduerſus Impios Atheos, diſp. 2. cap. 9. nu. 119.*

Hic cum Sabellio negat Trinitatem: Cum Arrio, & Eunomio ſupponit Chriſtũ eſſe purã creaturam. Cum Carpocrate negat Chriſtum eſſe Deum: volens tamen Sanctum eſſe Prophetam. Cum Cerdonio affirmat impoſſibile eſſe Deum habere filium ob inde, quod vxorẽ non habet. Cum Manicheis negat Chriſtum fuiſſe crucifixum, ſed alium illi ſimilem. Cum Donatiſtis negat omnia Eccleſiæ Myſteria, quæ à Chriſti Paſſione efficaciam habent. Cũ Origeniſtis dicit Dęmones ſaluari. Cum Cherinto vltimam felicitatem ponit in voluptatibus, .s. in gula, coitu, &c. Cum Ebionitis admittit Circuncisionem. ità *Bernardus Lutzenburgus in Catalogo Hæreticorum, ver. Mahumetus:* quos errores, ſi fuſiùs illos quæras; tibi legendus eſt *Richard. Ord. Præd. in lib. Confutationis legis Mahumeticæ, & Pius II. in Epiſtola ad Mahumetum Turcarum Principem*: collectiq; traduntur in Alchorano; vbi fętidiſſima, & abominabilis Mahumeti doctrina edocetur, vt notat prædictus *Bernardus in Cathalogo Hæreticorum, ver. Agareni, qui loc. ſup. tit. ver. Mahumetus,* teſtatur, adeò illum, ſe erroribus infeciſſe; vt verè ſit, & meritò nũcupetur nuncius Satanæ, totius falſitatis complementum, præcurſorq; Antichriſti, qui Hæreticorũ erit vltimus: ſicut è contrà Simon Magus fuit primus (extenſo tamen nomine Hæretici) ob cuius maximam turpitudinem *Auicenna 9. Metaph.* licèt fuerit eiuſdem ſectæ, ipſum reprobat, quod notat prædictus *Doctor, vbi ſup. & ver. Antichriſtus. Simancas in Catholicis Inſtitut. tit. 39. nu. 2.* aduertit ipſum vnquàm laudatum fuiſſe ab vllo viro ſancto, aut erudito: teſtaturq; eius ſectam nihil attingere de puritate cordis: nihil de contemplatione veritatis: nihil de vera beatitudine: ſed totam eſſe in terrenis delitijs, in obſcęniſq; corporis voluptatibus.

De Mahumetanis āt non labor vltrà: nam ad iuriſdictionem Inquiſitorum nõ pertinent, niſi fortè baptizati fuerint, quo caſu in Hæreticorũ, vel Apoſtatarum numero habendi ſunt; prout in primis aduertit *Simancas loc. cit. nu. 4.* Qui plura intelligere cupit; legat *Nicolaum de Cuſa Cardinalem in Cribratione Alcorani*: itèm *Propugnaculum Fidei Riuoldi aduerſus Alcoranũ*: & alios id ex profeſſo tractantes; noſtro inſtituto hæc tetigiſſe ſatis eſſe videtur; vt quo ad fieri poteſt, nutãtes in Fide Catholica, vtcumque roborentur.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Alcoranus liber Gentilium à quo compoſitus.

Reſpondetur à Mahumeto, & à tribus Apoſtatis à Fide eius Magiſtris, nimirùm à quodam Iudęo Aſtronomo, à Ioanne de Antiochia Hæretico, & à Sergio Apoſtata; Quidam verò ſentiunt, vt notat *Pegna 2. par. Comment. 46. ſub lit. A.* præter prædictos habuiſſe ſecum ſeptem Arabes; in hoc cõcedunt omnia, ad quæ homines proni ſunt, vt tradit *Simancas de Catholicis Inſt. tit. 39. nu. 3.* Verùm, quia lex iſta apparebat minus honeſta; quidam ipſorum ſucceſſores, velut expoſitores; quædam nimis mendoſa illi inſeruerunt: Vndè quidam Chriſtiani, qui non viderant hiſtorias tranſmarinas, quàmuis literati, deceptì fuerunt: faciunt tradita à *Pegna 2. par. Commen. 46. lit. B. Coſmo Philiarco de Off. Sacerdotis to. 2. par. 2. c. 19.*

Mahumetus circa Chriſti annum ſexcenteſimum, & vigeſimum veſaniam ſuam cæpit; qualis autèm, & quantæ nequitię extiterit, lege *Simancam loc. ſup. cit. nu. 2.* qualiq; aſtutia Arabes, Perſas, aliaſq; nationes, quibus dedit legẽ ſuam ſibi attraxerit; videto eundem *Simancam loc. cit. num. 2.* teſtantem introduxiſſe ſectam ſuam fraudibus, & muneribus.

Ab ipſo autèm Mahumeto traxerunt errores Sarraceni, & Agareni; qui idem ſunt in ręs licèt diſtincti in nomine: dicuntur .n. Sarraceni à Sarra Abrahæ vxore: Agareni verò ab Agar ipſius Abrahæ ancilla; ſed volunt potius appellari Sarraceni tanquã à nobiliori, quam Agareni: hodiè ferè vna voce Turcæ appellantur. Et quamuis Eymericus duas quæſtiones diſtinctas poſuerit de Turcis, & Sarracenis; tamen idem nunc quoad errores eſſe vidẽtur; nomine enim Sarracenorum, ſeu Mahumetanorũ intelligimus Mauros, Turcas, & reliquos Barbaros, qui Mahumetum colunt.

Fuit autèm Mahumetus Arabus genere, vt tradit *Pegna loc. cit. ex mente Poetæ Florentini, Fanini nomine lib. 5. cap. 10.* eiuſq; Pater vocabatur Abdemonepolus, cuius hiſtoria talitèr narratur. Cum à iuuentute pauper eſſet locupleti cuidam viduæ mercede ſeruiuit; quam præſtigijs quibuſdam in amorem ſui pellectã, vxorem habuit: ſed cum morbo commitiali, .s. caduco laboraret; interdum vi illius cadebat in terram: menteq; alienabatur; quem, cum ſuę vxori ſub ſpecie alicuius apparentis boni appeteret abſcondere; Sergium Apoſtatam conſuluit, cuius inſtinctu vxori dixit, Archangelũ Gabrielem de Cœlo ad ſe deſcendentem, interdum diuina quædam, arcanaq; ſibi reuelare, ex cuius admirabili conſpectu illicò procumbebat; ea verba à dicto Sergio dolosè confirmata fuerunt dictæ mulieri, addendo; quòd

Gabriel

Gabriel Angelus ad omnes Prophetas mitti ſolitus erat.

Hinc dicta mulier, quæ nimis triſtis erat ex præfata viri infirmitate, dolore abolito, coniugioq; Prophetæ ſe glorians fabulas iſtas apud cæteras mulieres ſparſit, & ſic Mahumetes apud populares ſuos Prophetæ nomen conſecutus; & vxoris mortuæ hæreditate locupletatus Iſmaelitæ gẽtis Princeps, Doctor, & Legiſlator extitit; aliaque iuxta ſuum ambitioſum deſiderium obtinuit; quæ, cum non faciant ad rem noſtram, breuitatis gratia omittuntur: lege *Pegnam loc. cit.*, *S. Antoninum par.* 4. *nu.* 11. *c.*6. §.1. vbi fit etiam mentio de ipſius direptionibus; quibus vexauit Syriam, multasque Romanorum Prouincias.

Secta autèm Mahumetana eſt quædam collectio quorundam errorum aliarum ſectarum .s. falſarum: & illa, quę tanquàm propria addit, partim ſunt impoſſibilia, partim fabuloſa, partim inhoneſta: conſtatq; quòd non vi, aut efficacia doctrinæ: ſed terrore armorum, & licentia carnalitèr viuendi, dilatata viguit. vt notat *Coſmus Philiarcus de Off. Sacerdotis tom.* 2. *par.* 2. *cap.* 19. *per totum*. *Lirauus in Epiſt. ad Corint.* 1. *cap.*1. *circa finem*, in hæc verba, ibi; *De lege Mahumeti, quam nullus ſapiens, & litteratus à principio recepit: ſed tantùm homines rudes, & carnales, quibus propoſuit placentia, vt facilius aſſentirent: & fretus multitudine coegit cæteros ad illius receptionem, dicens ſemiſſum à Deo in armorum potentia, & non in miraculis.*

Leges verò, ritus, obſeruationes, ſacrificia, &c. huius ſectæ legito apud tractatum *M. Angeli Pientini à Corſignano*, quem citat *Philiarcus vbi ſupra*.

ART. V. DIFFICVLTAS I.

De libris Talmud, & Magazor; eorumq; compoſitoribus, tempore quo fuerunt conſcripti, eorumq; lectura.

TAlmud Iudęorum, quod apud eos ſonat doctrina; compoſitum fuit à duobus principalioribus Rabinis, vz. à Rabina, & Rabaſſe; Liber vtiq; grandioris quantitatis decem Biblijs; huicq; Iudæi indubitatam præſtant fidem; poſita prohibitione, ne quis ſub pœna mortis negare audeat ex ijs, quæ in eo cõtinentur, licèt iam poſt mortem Chriſti in eius odium, & Chriſtianorum extiterit ab ipſis Rabbinis falſificatum, vt notant in ſpecie *DD. citan.* Vndè meritò ne dum ipsũ, ſed ẽt eius gloſſæ, annotationes, interpretationes, & expoſitiones omnes ſunt prohibitæ in tertia claſſe *Indicis Pij IV. ſub lit. T.* itèm per *Conſtitut. Clem. VIII.* cõtra impia ſcripta, libros Hæbreorum, editam anno 1692. pridiè Calen. Martii, quod notat *Index lib. Prohib.* ibi, de Talmud, & alijs lib. Hebręorum, illosq; damnat, licèt ſine iniurijs, & calumnijs in Religionem Chriſtianam prodirent; & comprehendit non ſolùm impios libros Talmudicos, ſed etiam Cabaliſticos, aliosq; nefarios Hebręorum libros, vt videre eſt apud librorum prohibitorum Indicem loc. cit. notandũ autèm duplex eſſe Thalmud .s. aliud Hieroſolymitanum: aliud Babylonicum. De vtroque *Decian. in tract. crimin. lib. lib.* 5. *cap.*12. *nu.*3. & vtrunque prohibetur, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Animaduertendum eſt autèm Thalmud, ſeu libros Thalmudicos eſſe duplicis generis: Nam alij fuerunt ſcripti ante Chriſti mortem; quinimmò ante ipſius aduẽtum in carne, quo tempore Iudæi nulla paſſione, aut odio adhuc moueri poterant cõtra Chriſtianos; nec ſubindè ad viciandam, vel corrumpendam litteræ veritatem: ijq; plurimi valent ad arguendum, & conuincendum ipſos de perfidia: Vndè niſi corrupti fuiſſent; nihil aliud requireretur pro eorum validiſſima conuictione: ita *Ioan. Picus in Apologia quaſ.*4. addens multis impenſis ſibi conquiſiſſe dictos libros, quòd notat *Faber aduerſus Atheos diſp.* 1. *cap.* 11. *nu.* 140. hi libri interdum à DD. Sanctis, & maximè à Diuo Hierony. citantur, vt videre eſt apud notatos DD.

Cęterùm alij, qui fuerunt ſcripti poſt Chriſti crucifixionem multis annis (vt obſeruant prædicti DD. loc. cit.) ex odio tum in Chriſtum, tum in Chriſtianos, teſte *Petro Gregorio in Syntaxi Artis mirabilis tomo primo, lib.* 7. *cap.* 8. fuerunt à Rabbinis conſpurcati, & corrupti: hinc (non miror) ſi illis excęcantur, ac allucinantur perfida traditione: nunquid ex fonte infecto aqua ſalutaris? hi libri Talmudici nec ipſi Iudæi: nec alij Infideles apud Chriſtianos commorantes queunt retinere, legere, edere, typis excudere, deſcribere, exemplare, aduehere, tranſportari, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet diſtrahere, vel alienare. Et idem dicendum de eorum libris Caballiſticis, alijsq; nefarijs: videto *lib.* 14. *diſt.* 7. *art.* 3. *diff.* 2. & 3.

Contrafacientes ſeuerè puniendi ſunt ab Ordinarijs, & Inquiſitoribus. *Clemens VIII. Conſt.* 20. *apud Laertium tom.* 3. *pag.* 25. *de libro Thalmud*, *Pegna* 2. *Par. Direct. ad quaſ.* 46. *Commen.*71. *ver. Et hac intentione*. *Azor. Sum. tom.*1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quaſ.* 12. *verſ. Item communis eſt opinio*. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 21. *nu.* 52. *Farinac. de Hereſi, quaſ.* 180. *nu.* 10. & *alij*.

DIFFICVLTAS II.

De libro Magazor Hebræorum.

LIber iſte, qui continet partem officiorum, & cęrimoniarum Hebręorum, & Sinagogæ, quamuis lingua vulgari: v. g. Luſitanica, Hyſpanica, Gallica, Germanica, Italica; præterquam Hebręa editus, prohibitus eſt; quod patet ex Indice librorum prohibitorum, vbi habetur iam diù ex ſpeciali Decreto rationabilitèr eſſe prohibitum.

DISTINCTIO SEXTA.

De Cenſuris, in quas incidunt legentes libros prohibitos, ac de ipſorum abſolutione.

Quatuor complectitur articulos diſtinctio hæc, quorum

Primus oſtendit in quales cenſuras incidunt legentes, aut retinentes libros agentes de hæreſi ex profeſſo: aut libros Hæreticorum de Religione.

Secundus enodat tria dubia circa explicitam materiam.

Tertius ſignat in qualem cenſuram incidat legens præciſe libros prohibitos ob falſam doctrinã, aut ſuſpicionem hæreſis.

Quartus demonſtrat quo tempore ligatus vtraq; cenſura S. Bullæ, & Indicis abſolui poſſit.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

In quas cenſuras incidunt detinentes, aut legentes libros Hæreticorum de hæreſi, aut de Religione tractantes ex profeſſo.

Reſpondet vti ſupra *diſt. 1. art. 1. diff. 1.* in duas incidere excommunicationes, quarum altera habetur ex Indice librorum prohibitorum; quam Pius IV. tulit in legentes, aut habentes cuiuſuis Auctoris libros ob hæreſim, aut falſi dogmatis ſuſpicionem; in quam ipſo facto incurritur; ſed eius abſolutio nemini reſeruatur, incipit: *Dominici gregis*: altera habetur in Bulla Cęnæ, reſeruaturq; Sum. Pontifici; nam creſcentibus delictis exaſperandæ ſunt pœnæ, *l. Aut facta 16. in fin. ff. de pęnis. Reginaldus in Praxi Caſuum difficilium par. 3. cap. 17. Azor. lib. 8. cap. 161. quæſt. 5. & alij apud Homob. de Exam. Eccleſ. tract. 7. cap. 2. quæſt. 9.*

DIFFICVLTAS II.

Qui libri dicuntur tractare de hæreſi, aut Religione ex profeſſo?

Reſpondeo illos, quorum argumentum eſt de hæreſi ad differentiam illorum; qui ſolummodò obiter de illa tractant: illi itèm dicuntur tractare de Religione; quorum argumentum eſt de religione, quales ſunt, qui pertinent ad explicationem Fidei, Sacræ Scripturæ, Theologiæ Scholaſticæ. Itèm illi, qui de cultu Dei, de Clericis, Monachis, morib⁹ Chriſtianis, conſcientia. *Duardus in Bulla Cęnæ lib. 2. quæſt. 45. concl. 2 num. 23. Bonac. de Cenſ. diſp. 2. quæſt. 5. punct. 4. nu. Arnaldus Albertinus de Agnoſcendis aſſertionib. Cathol. & Hæret. quæſt. 4. num. 7.*

DIFFICVLTAS III.

Conditiones requiſitæ, vt quis ex lectione, aut retentione librorum Hæreticorum de hæreſi, aut de Religione tractantium incidat in Bullam Cœnæ quot?

Reſpondetur quatuor requiri copulatiuè conditiones:

Prima eſt, vt liber ſit hæretici ab Eccleſia damnati; ſiuè ſit ex veteribus, ſiuè ſit ex neotericis; nihilq; refert vtrum ſit typis excuſſus: ſed ſatis eſt, vt ſit ab Hæretico ſcriptus. itâ *Pueronus in Bulla Cęnæ Can. 1 nu. 196.* itâ vt argumentum libri ſit de Religione.

Tertia, vt liber, aut libri Hęreticorum ſcientèr detineantur, legantur, imprimantur, &c. quare ab hac cenſura immunes ſunt laborantes ignorantia, quamuis craſſa, qualitatis libri: nam quotieſcunq; lex pęnalis ſcientiam requirit, dicta ignorantia excuſat: nec ſufficit praua legentis intentio, ſeu affectus hæreſim concipiendi; ſed benè ſufficit curioſitas coniuncta cum ſcientia qualitatis libri.

Quarta, vt materia lecturæ eſt notabilis, & ſufficiens ad mortale pecc. cum enim in alijs rebus paruitas materiæ excuſet à mortali; & proinde a cenſura; cur non itèm in hac grauiſſima excõmunicationis pœna? quare audiendi non ſunt; qui aſſerunt ad incurrendam hanc cenſuram ſufficere lecturam vnius lineæ libri Hæretici damnati: nihilq; obſtat, quòd hæreſis etiam ſub vnica linea contineri poſſit; quia in lege, & maximè pœnali, qualis eſt iſta Bullæ Cęnæ; attendi oportet, quod plerunq; contingit: vt plurimùm autèm ex tàm modica Hæretici libri lectura non imminet graue periculum; Vndè aliqui volunt (vt refert *Layman. loc. infr. cit.*) nec vnam paginam libri .s. hæretici damnati, licet exiſtat ex maioribus ſufficere ad contrahendam dictam excõmmunicationem. Verùm mihi nimis ampla videtur limitatio hæc: Vndè placet dicere cum *Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 14. nu. 5.* tantummodò hanc ſententiam admitti poſſe pro locis, vbi magis graſſatur hæreſis: & in caſu incumbentis neceſſitatis, vz. quando ad conuincendos Hæreticos confines neceſſarium putatur eorum libros legere: v. g. ſi locum contradictionis in libro hæretico oporteret quærere, vt (eo exhibito) alter ad Fidem Catholicam perduceretur: tunc enim lex charitatis erga proximum legẽ Eccleſiaſticam vincere debet: itâ *Layman. loc. cit.* qui ex Becano hoc audiuiſſe teſtatur.

Verùm notandum hac excommunicatione alios quoque annodari.

Primò legentes libros Schiſmaticorum, qui ſunt ſimul Hæretici.

Secundò legentes Scholia Hæreticorum ad libros Chriſtianorum Catholicorum, quando adeò ampla eſſent; vt ex ipſis magis, quàm ex Catholica doctrina creſceret volumen: quod ſecus eſſet, ſi Scholia quid minimum exiſterẽt: nam tunc verè non poſſet dici liber Hæretici. *Pueronus in Bulla Cęnæ Can. 1. nu. 176.*

Ter-

Tertiò extenditur ad legentem librum in ea parte,in qua nulla eſt hæreſis. *Sanchez in Sum. lib. 2. nu. 35 Sanctarellus de hæreſi cap. 13. nu. 12.* ratio eſt,quia totus liber eſt prohibitus.

Sed attende cum infra ſignandis DD. quòd licèt ille, qui ex libris Hæreticorum in tomos diuiſis, illum legat; qui hæreſim ex profeſſo non continet: nec de Religione tractat; non cenſeatur legere librum in Bulla Cęnæ diuetitum;& ſi alij tomi Hæretici exiſtant: Porrò, ſi ex tomo hæreſim continente, aut de Religione tractante (diuiſo in plures libros) illum legerit; qui hæreſim non continet, nec de Religione tractat;eſto ab alijs libris ſeparatim conglutinetur; ſentiũt aliqui legere lib. prohibitũ in Bulla. ità *Vgolinus in Bulla Cęnæ 2. par. cap 1.* quem ſequitur *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 21. num. 10.* Quibus fortaſsè aliquis non aſſentiet, quo ad hanc partem: quia idem eſt iuris de toto libro quo ad ſeparationem tomi non infecti:&de tomo particulari,quoad ſeparationem libri non infecti ab infecto,iuxtà illud idẽ eſt iuris de toto quo ad totum, ſicut de parte quo ad partem. *l. Quæ tota, ff. de Rei vindicat.* paritas rationis,paritatem exigit diſpoſitionis: nam vbi diuerſa ratio aſſignari non poteſt; diuerſum iùs induci non debet, *l. Attito ff. de Stipulat. ſeru.* quos .n. ratio connectit,non debet iuris diſpoſitio ſeparare.

DIFFICVLTAS IV.

Qui ſpecificè incidunt, vel non incidunt in Bullam Cęnæ ratione lectionis, aut detentionis librorum de hæreſi aut de religione tractantes ex profeſsò.

INCIDVNT.

Primò, qui legunt, aut detinent librum hęretici hæreſim continentem; licèt non ſit typis excuſſus, ſed tantùm ſcriptus.

Secundò, etiam ſi non malo animo, ſed vt errores confutent, quòd notat *Homob. de Exa. Eccleſiaſt. tom 1. tract. 7. cap. 2. quæſ. 9. ibi reſolutio*, & faciunt adducta per *Azor. par. 1. lib. 8. cap. 16. quæſt. 6.*

Tertiò, licèt libri nondùm in ſpecie ab Eccleſia ſint damnati: vel illos legant, aut detineant ad expurgandum; ſi hoc præſtent abſq; auctoritate, *Azor. par. 1. lib. 8. cap. 16. quæſ. 17. Pegna in 2. par. Direct. Comm. 3. Sanchez de Præc. lib. 2. cap. 5. nu. 56.* Vndè, nec in Apothecis ad inuoluendum venalia retineri poſſunt. *Nald. v. Libri, nu. 5. & v. Bulla Cęnæ. Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 1. cap. 21. nu. 28.*

NON INCIDVNT.

Primò, qui legunt hęreſes ſcriptoris hęretici in libro auctoris Catholici ad verbum inſertas, quamuis praua intentione, .s. hæreſim addiſcendi;quia Bulla Cęnæ nõ punitur affectus, ſed factum; iſti autèm non legunt hæretici librum. vbi autèm opus eſt facto: intentio non ſufficit, *l. Non omnes, §. fin. ff. de re militari.*

Secundò, qui in libro Catholici ſcriptoris legit ſcholia: vel adnotationes Auctoris Hęretici; quia talis liber non cenſetur eſſe commẽtantis Hęretici, ſed Catholici, à quo ſcriptus eſt; ità *Laymann lib. 2. tract. 2. cap. 14. num. 2.* Mihi verò admodũ probatur limitatio *Suarez tom. 5. diſp. 21. ſect. 2. nu. 11.* vz. niſi tàm copioſi eſſent Commentarij, vt iam cenſeretur potiùs liber Hęretici, quàm Catholici.

Tertiò,licèt in libro Catholici ſcriptoris,vel qui publicè habetur talis, manifeſtè hęreſes contentas legerent. *idem Doctor loc. cit.*

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An excommunicatione Bullæ ligetur, qui legit epiſtolam de Religione ab Hæretico ſcriptam hęreſes continentem: & idem quæritur de retinente, aut imprimente illam.

Reſpondeo diſſidere ad inuicem DD. & maximè *Sanchez de Cenſ. lib. 2. cap. 10. nu. 29. & Laymann loc. cit. Sanchez* tenet partem negantem: cuius ratio eſt,tũ,quia, verba legis pęnalis ſtrictè accipienda ſunt; tùm quia liber differt ab epiſtola: Bulla autèm non facit mentionem de epiſtolis; ſed pręcisè de libris. *Laymann* autèm ſequitur partem affirmantem: cuius ratio eſt; tùm,quia Bulla idcircò mentionem facere videtur libri, quia frequentius hæreſes in libris, quàm in epiſtolis occludi ſolent: tùm; quia nominando libros, cenſendum eſt poſuiſſe præcipuam ſpeciem, qua hæreſes diſſeminari ſolent, vt plurimùm; ſed non excluſiſſe alias, quibus interdum: hãc ſententiam cenſeo fore ſequendam: nam ſenſus Bullæ non in cortice verborum; ſed in ipſius medulla attendendus eſt, huicq; caſui optimè aptatur illud commune axioma: potiùs mens dicentis, quàm eius verba ſunt attẽdẽda.

DIFFICVLTAS II.

An incidant in dictam Bullæ cenſuram, qui legunt, vel retinent &c. librum Hæretici, qui non tractat de religione; ſed tantùm obiter inſertam habet hęreſim .s. illam minimè tractans ex profeſſo.

Contendunt *Graff. 1. par. deciſ. lib. 4. cap. 18. nu. 40. & 82. Sayrus cum alijs* partem negatiuam defenſantes. *Suarius verò cũ Sanchez, & alijs* ſequentes affirmatiuam. Ego negantẽ veriorem eſſe puto; quia magis conſonat literæ Bullæ; quæ loquitur diſiunctiuè: neutra autèm pars verificatur .s. aut liber Hęretici hęreſim ex profeſſo tractantem: aut de Religione; proceditq; doctrina à fortiori, in regionibus Septentrionalibus,vbi hæc Bulla non eſt recepta adeò ſtrictè, ac in noſtris partibus, vt notat *Laymann loc. cit. nu. 4.*

Aduertendum eſt autèm ad incurrendam dictam excõmunicationẽ non eſſe neceſſariũ; vt quis legat capitulum illud, in quo eſt hęreſis expreſſa: ſed ſat eſt ſm̃ aliquos, ſi legat aliquod aliud capitulum illius tomi, partis, aut voluminis, vbi continetur: nam adhuc dicitur legere librum Hęretici; quòd dicitur ad differentiam illius, qui legit,vel retinet tomum, partem,aut volumen, in quo nõ continetur: aut legit, vel retinet librum Catholici, in quo eſt aliqua hæreſis, vel annotatio hęretici: quia huiuſmodi

liber non eſt hæretici. *Bonac. de Cenſ. diſput. 2. quaſ. 5. punct. 4. nu. 14. & 15.* Excuſatur autèm detentor libri heretici à dicta cenſura Bullæ ratione breuitatis temporis moralitèr, vz. in quo non poteſt illum ad Inquiſitorem deferre; quod patet ex textu, ibi: *Che debbano al S. Officio di queſta Città reuelare quanto prima, &c. Suarez de Fide tract. 1. diſp. 2. ſect. 2. nu. 22.* quem ſeqr̃ *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 1. c. 21. nu. 29.*

DIFFICVLTAS III.

An famulus, ſi ad iuſſum Domini ſui volentis ſibi legi libros Hæreticorum, de hereſi, aut de religione tractantes ex profeſſo, obediat; afficiatur duabus illis excommunicationibus, de quibus ſupra; &, idem queritur de Iubente, & Audiẽte.

QVoad famulum cenſeo ipſum ligari dictis excõicationibus legendo dictos libros, quia reuera legit ſcientèr, & voluntariè: quòd ſecùs dicendum foret, ſi ignorantia inuincibili, aut ſaltèm craſſa, aut ſtricta coactione illos legeret. *Sanchez lib. 2. Moral. c. 10. nu. 49. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. nu. 15.* niſi id fieret in contemptum Fidei.

Quoad Dominũ iubentem idem reſoluitur, s. quòd afficitur; quia, etſi per ſe ipſum illos non legerit; legit tamèn per alium iubendo, & audiendo: quòd perindè eſt, ac ſi per ſeipſum legeret; vndè hoc in loco procedit regula illa legalis: qui per alium facit; per ſe ipſum facere videtur, contra *Sanchez lib. 2. Moral. cap. 10. nu. 47. & 48. Souſam loc. cit. nu. 13.*, nam in hoc caſu potiùs mens dicentis, quàm eius verba attendenda ſunt; *l. Labeo, ff. de Supel. leg.*

Nec obſtat, quòd cenſura lata contra faciẽtes (qualis eſt iſta) non comprehendit mandãtes; quia iſte non incurrit excõicationem, vt mandans, ſed vt legens per alium interpretando legem moralitèr; ità *Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 14. num 7.*

Quo verò ad audientem pręcisè huiuſmodi hæreticos libros ſecùs reſoluendum eſt; quia iſte, nec per ſe, nec per alium legit; nec facienda eſt extẽſio in pęnalibus; ità *Laymann loc. cit. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 16. ibi, Quarto quæritur, Nal. in Bulla Cęnæ n. 14.* quibus cõſtantèr contradicit *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 5. punct. 4. n. 11.*

Dices fortaſsè, ſi illum intelligatur legere, q oculis tm̃ percurrit nihil exprimẽdo lingua.

Reſpondetur affirmatiuè, quia lectio verborum prolationem non exigit neceſſariò, vt poſt *Graff. p. p. Deciſ. lib. 4. cap. 18. nu. 45. Bonacina loc. cit. num. 12.* itèm *Nald. loco vbi ſupra:* Verùm requiritur aduertentia ad ea, quæ in libro ſcripta ſunt: *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. nu. 11.*

Itidem non intelligitur legere librum prohibitum; qui illum legit in illa lingua, quam pœnitùs ignorat. *Sanchez lib. 2. moral. cap. 10. nu. 51. Suarez de Fide tract. 1. diſp. 20. ſect. 2.* ſic n. legitur tantummodo materialitèr: legere autèm, & non intelligere idem eſt perindè, ac non legere, conſtat.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An legens libros ob hæreſim, aut ſuſpicionẽ ipſius prohibitos, an mortalitèr peccet, et veniat denunciandus.

QVoad primam particulam reſponſio eſt affirmatiua, ratio eſt; quia ad ſatisfaciendum ſuæ voluntati, ſeu curioſitati vtitur inſtrumẽtis ſpecialitèr prohibitis, nimirùm libris diuetitis; quos, ne quis legat, ſub mortali prohibetur; quòd claret attenta excommunicatione contra illos legentes; à qua non excuſantur ob craſſam, aut affectatam ignorantiam: quia Decretum Pij IV. ſcientiã non requirit, vti obſeruat *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. cap. 21. nu. 29.* ad differentiam excommunicationis Bullæ Cęnæ, vt ſupra *diſt. 2. ar. 1. diff. 5.* viſum fuit.

Dices ob curioſitatem illos legere eſt tantũ peccatum veniale: ergò non peccat mortalr̃, nec eſt denunciandus.

Reſpondetur, quòd legens dictos libros nõ peccat mortalitèr ratione ſolius curioſitatis; ſed rõne circunſtantiæ additæ, nempè excõmunicationis. Verùm, huiuſmodi excommunicatio non eſt reſeruata, vt notat *Farinac. de Hæreſi quæſt. 180. nu. 6.* legendum eſt *Decretum Pij IV. in princ. Indicis prohibitorij, & Reg. 10. ver. Quod ſi quis: Eymer 2. par. Direct.* Legentes verò (licèt ex curioſitate) libros Hæreticorum de Religione incidunt in Bullam Cęnæ. vide *Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 14. nu. 4.*

Quo verò ad ſecundam difficultatis particulam dico tàm retinentem, quàm legentem dictos libros fore denunciandũ, cuius ratio eſt; quia talis cenſetur de Fide ſuſpectus; & vt talis ab Inquiſitore puniri poteſt: nõ tamen eſt Hęreticus; lege *Farinac. de Hæreſi quæſt. 180. nu. 81. & alibi. Souſam in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. n. 38.*

DIFFICVLTAS II.

Quæ, & quot conditiones requiruntur ad incidendum in excommunicationem Indicis ob lecturam, aut detentionem lib. prohibitorum.

REſpondetur duas ſaltèm neceſſariò, & copulatiuè requiri, prima, vt legens, vel detinens prædictos libros ſcientèr legerit, aut detinuerit: nam cum excommunicatio ſit maxima pœnarum, vt tradunt communiter DD. ſcientiam, & inobedientiam ſupponit, *cap. Cum nulla, cap. Cum nemo, 11. quæſt. 3. Tol. in Summa lib. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 1. Graff. lib. 4. Deciſ. Aurearum c. 7. & alij.*

Altera eſt, vt Auctores librorum ſint Hæretici: vel vt libri ſint propter hæreſim, aut falſi dogmatis ſuſpicionem damnati; non tamen eſt neceſſè, vt de his ex profeſſo agant; quod notatur ad differentiam librorum de hæreſi, aut Religione tractantium ex profeſſo: pro quorum lectura, vel retentione incidit legens, vel retinens, etiam in cenſuram Bullæ Cęnæ. faciunt adducta per *Reginal. in Praxi Caſuum difficilium conſcientiæ par. 3. cap. 17. & per Manuale Franciſc. p. 3. c. 4. ibi, ſexto.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Quo tempore à quolibet Confeſſario abſolui poſſunt, qui libros Hæreticorum legerunt, retinuerunt, vel impreſſerunt.

RESpondetur, quòd præter proximum mortis periculum, in quo ex Concil. Trid. cuique Sacerdoti impertitur facultas abſoluendi à quocunque peccato, & cenſura; etiam Iubilei tempore conceſſis caſibus Bullæ Cęnæ, ſola hæreſi excepta, vt ſolitū eſt infraſcripti abſolui poſſunt.

Primò, qui legerunt, detinuerunt, vel impreſſerunt Hæreticorum libros; ſi re ipſa non ſunt Hæretici, ac ſatisfecerunt Edicto S. O.

Secundò, Fautores,& Auxiliatores Hæreticorum, ſi non habuerunt errorem in intellectu,quia ſimilitèr non ſunt Hæretici,vt ſupponitur.

Tertiò, qui per annum inſorduerunt in excommunicatione pro S. O. contra ipſos lata: v. g. qui citati ad reſpondendum de Fide, contumaces fuerunt, quòd intellige, (ſatisfacto iàm S.O.) *Didacus Coarr. in cap. Alma mater p.1.* §. 7. ratio eſt,quia,quamuis in iure habeantur, vt Hæretici: ſæpè tamen de facto non ſunt, vt notat *Henriquez lib. 6. c.16. nu.2. Sanchez lib.2. cap. 12. nu. 12. Alphonſus de Leone, tract. de Offic. & poteſt. Confeſſarij tempore Iubilæi extraordinarij, quaeſ. 6. nu. 45. & 46.* Vndè quando à partè rei non ſunt Hæretici abſolui poſſunt à quolibet Confeſſario: aliud .n. eſt reputari Hæreticum: aliud eſſe talem: aliqui .n. reputantur; qui non ſunt. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. cap. 27. nu. 1.* facit *l. Si maritus, §. Legis Iuliæ, & ibi Bart. ff. de adult. cum ſimil.*

DISTINCTIO SEPTIMA.

De Inquiſitoribus, & Ordinarijs quo ad prohibitionem, conceſſionem, lectionem, ac pęnam reſpectiuè librorum prohibitorum.

Abſoluiturq; tribus articulis.

Primus tangit facultatem Inquiſitorum circa librorum prohibitionem, eorumq; pænam in defectu proprij muneris.

Secundus demonſtràt, cuius ſit facultas cōcedendi, & legendi libros diuetitos, ac ſimul nonnulla enodat dubia.

Tertius reſpicit facultatem Inquiſitorum, ac eorum Commiſſariorum reſpectu librorum prohibitorum quo ad propriam ipſorum perſonam.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Inquiſitores in ſuo diſtrictu prohibere poſſint libros continentes dogmata expreſsè per Eccleſiam condemnata: ſi compoſiti ſint ab Auctoribus minimè nominatim condemnatis.

RESpr̄ affirmatiuè, ratio eſt, quoniam quæ ſemel damnata ſunt; abſq; noua condemnatione prohiberi poſſunt; ne nouis ſemper diſputationibus, quæ ſalubritèr ſunt ſemel ſancita; perturbentur, & in dubium reuocentur. Ità *Gelaſius in Epiſt. ad Epos Dardaniæ. Pegna 1. par. Comm. 6. Nemo clericus, C. de Sum. Trin. verb. Nam & iniuriam facit.* Similitèr *2. par. Comm. ſub littera C.*

Itèm prohibere poſſunt libros continentes propoſitiones de hereſi ſuſpectas,ſcandaloſas, erroneas, hæreſim ſapientes, à Fide Catholica quauis ratione diſcrepantes, & Chriſtianæ pietati, ac bonis moribus non conformes, quòd cauit Paulus Papa III. in quodam reſcripto: incipit: *In Apoſtolici culminis.* Vide *Director. Inquiſit. 3. par. in Bullis Apoſtolicis.*

Idem quoque poteſt reſpectu librorum ancipites, dubias, ſeu ambiguas propoſitiones habentium; quæ duplicem ſenſum habere poſſunt,vnum hereticum, Catholicum alterū; de quibus *Albertinus tract. de Agnoſcen. Aſſert. quaeſt 34. nu. 50.* Verùm hoc intellige, quādiù non veniant exponendæ (omnibus attentis) in ſenſu Catholico. legendus eſt *Pegna loc. cit.*

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

Quis poſſit concedere facultatem habendi, & legendi libros vetitos.

RESpondit *Reginaldus loco infra citando*, diſtinguendo de libris, aſſerit ad legēdos libros inſimul diuetitos .s. per Bullam Cęnæ, Indicem librorum prohibitorum, & Edictum S. Off. pertractantes de hæreſi ex profeſſo,aut de Religione;tantùm poſſe Sum. Pontificem, vel illum, cui hanc conceſſit facultatem, vtpotè eius Legatū; verùm in caſu magnæ neceſſitatis, in quo neutri facultatem habere poſſit;præſumitur Papam cōcedere facultatem Epō diſpenſandi circa lectionem talium librorum. Cęterùm ad legendū libros vetitos tantùm per Indicem librorum prohibitorum ex Conc. Trid. (per ſe loquendo) cōcedere poteſt Epiſcopus, & Gn̄alis Inquiſitor; quia facultas hæc ipſis in Indice librorum prohibitorum non aufertur, vt videre eſt de prohibitione librorum §. 2. Quinimmò ipſis permittitur licētia tradendi huiuſmodi libros viris doctis expurgandos; Hæc ità procedunt de iure veteri, & ità obſeruant *Reginal. lib. 9. num. 255. Bonacina de Cenſ. diſp. 2. punct. 4. propoſ. 2. nu. 10. Azor. par. 1. lib. 4. cap. 16. quaeſt. 12.* De iure autèm nouo ſecùs dicendum eſt.

Notandum itaq; Gregor. XV. edidiſſe Conſtitutionem (incipit: *Apoſtolatus*, cui concordat itèm Conſtit. Vrbani VIII. eodemq; modo incipit) in quib. omnes, & quaſcunq; licentias legendi, atque habendi libros, quomodolibet prohibitos omninò reuocant. Si-

Simulq; præcipit, vt infra duorum menſium ſpatium ; ij, qui huiuſmodi libros habuerint ; eos ad Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem deferant ; qui illos quantò citiùs comburere debet ; quæ ſanè Conſtitutio obligat etiam ad denunciationem detinentium dictos libros : & adimit facultatem concedendi licentiam, niſi à Congregatione S. O. Romæ concedantur.

Verùm non obſtante Conſtitutione prædicta à viris doctis, integræq; Fidei ex Vrbe (*vt refert Homob. de Exam. Eccleſiaſtico tom. 2. tract. 11. q. 15. ibi 4. q. reſolutione circa finem*) habetur libros, qui non ſunt Hæreticorum, nec de hæreſi, neq; falſis dogmatibus contra Fidem : aliqua tamèn alia ex cauſa prohibitos ; poſſe viris dignis ab Epo, vel Inquiſitore permitti ; qui quidem gratis, & manu ſua (ſcripto ſubſignato) tribuent : & de triennio in triennium facultatē renouabunt. Videto Indicem librorum prohibitorum, vbi de inſtructione eorum ; qui libris tùm prohibendis, tùm expurgandis daturi ſunt operam §. 2. incipit : *Si qui erunt* : hæc āt licentia deſeruiet pro foro exteriori : At pro foro interiori conſcientiæ facultas oretenùs habita ſufficere videtur per ea, quæ tradit *Gambarupta de Caſibus reſeruatis caſ. 3. nu. 21.* Hæc ità paulò priùs practicabantur : hodie autèm hanc facultatem concedit ſolùm Sac. Congr. vti obſeruat *Diana 4. par. Reſol. reſol. 47. ſub fin.* ex Conſtitut. Vrbani VIII. incipit eodem mogo, quo illa Gregorij XV. vz. *Apoſtolatus noſter &c.*

DIFFICVLTAS II.

An Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinaliū Generalium Inquiſitorum in Curia Romana impertiri poſſit licentiam legendi libros etiam hæreticos.

Reſpondetur affirmatiuè ; ſed in plena Cōgregatione tantùm inſimul omnes, vel ſaltē maior pars : exceptis tamen libris Caroli Molinei, quos ſolus Summus Pontifex concedit, *Pius IV. Conſt. 82. apud Laertium tom. 2. Bullarum pag. 112. Clemens VIII. Conſtitut. 20. item apud Laertium tom. 3. pag. 25.* quas citat *Souſa in Aphor. Inquiſit. cap. 21. nu. 52. & 55.*

DIFFICVLTAS III.

An facultas habendi, & legendi Bibliam alicui conceſſam ad omnes de eius familia extendatur.

Reſpondetur minimè extendendā eſſe, niſi à Superiore cōcedente ſpecialis mentio fiat extēſionis. ità *Homob. de Exa. Eccl. to. 2. trac. 11. cap. 7. 39.* & ratio ea eſſe videtur, quia materia hæc (teſte *Homob. vbi ſupra*) ſtricti iuris eſt.

DIFFICVLTAS IV.

Cur prohibetur lectura Bibliæ vulgaris : cum non exiſtat minus ſancta in vulgari idiomate, quam in latino.

Reſpondet Regula quarta Indicis in hæc verba. *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittatur plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam vtilitatis oriri* : hinc bonum interdum prohibetur ratione mali cōſequentis ; *c. Ità ergo, & ibi gloſ. 1. 22. quæſt. 1.* item bono melius inuenitur, *l. Vbi autem, ff. de Stipulatio.* Quare elicio, bonum eſſe euitandum, ſi ex illo malum deſcendere poteſt, *Abbas in cap. Cum ab omni in 2. not. de vita, & honeſtate Clericorum :* & ſubinde nota mirabile ; quòd malum in potentia excludit bonum in actu : & ideò melius eſt, vt prohibeatur Biblia Sancta in vernacula lingua, quam ſub ſpecie boni malum aliquod committatur.

DIFFICVLTAS V.

An ille, qui obtinuit licentiam legendi librum vetitum poſſit huiuſmodi librum legere extra Diœceſim concedentis.

Reſpondetur affirmatiuè : tùm, quia talis facultas iudicialem cauſæ cognitionem non poſtulat ; hoc tamen intelligitur modo in loco, vbi Priuilegiarius reperitur ; non extet aliqua ſpecialis prohibitio contraria, cui ipſe ſubijciatur, vt notat *Naldus ver. Liber, num. 6. Nauarr. in conſ. ; conſ. 15. de Priuilegijs. Azor. par. 1. lib. 3. cap. 23. quæſt. 6. & alij* : tum quia hæc facultas nihil aliud continet, quam gratiā, gratia autèm, quæ perſonæ confertur, perſonā ſequitur. *cap. Sanè, de Priuilegijs.*

DIFFICVLTAS VI.

An Epiſcopus poſſit concedere libros pertractantes de hæreſi ex profeſſo, aut Hæreticorum de Religione.

Reſpondetur negatiuè, nec etiam in ijs locis, in quibus Catholici cum Hæreticis promiſcuè cōmorantur : tū, quia nō habet ius in ijs, quæ Decreto Papę ſancita ſunt. ità *Azor. par. 1. lib. 8 cap. 16. ibi ſeptimo quæritur.* tùm quia ſi par in parem non habet imperiū, *l. Ille, à quo, ff. ad Treb. quomodo in Superiorem?*

DIFFICVLTAS VII.

An Epiſcopi, & Inquiſitores librorum prohibitorum, lectionem, aut falſorum dogmatum prædicationem permittentes in aliquam incidant pœnam.

Reſpondetur affirmatiuè ; patet ex *Clementina 1. de pœnis, & ex cap. Excommunicamus 1. §. Volumus de Hæreticis*, quòd notat *Pegna ad Direct. par. 2. Comm. 2.* qui proloquitur in hunc modum : *Epiſcopus, ſeu alius Fidei Iudex potens impedire, & prohibere librorum lectionem, aut dogmatum hæreticalium prædicationem in ſua Diœceſi, aut negligens punire Hæreticos ; cùm poſſit eos capere, & punire : aut quid ſimilę faciens, aut facere omittens ; quod in detrimentum Fidei conuertatur, Hæreticus iudicari poteſt in foro exteriori : & ſicut talis tractari in Sacro Inquiſitionis Tribunali :* cuius rationem paulò inferius reddit ; tum quia quotieſcunque poteſt aliquis contradicendo actum impedire ; ſi non impediat, ſed taceat, & diſſimulet, conſentire præſumitur : tum quia, cui ex officio incumbit reuocare ab errore errantes in Fide, & negligit ; ſeipſum errare demonſtrat. facit *cap. 2. Qui alios, de Hæreticis.* Et circa medium dicti Commenti loquens in particulari de Epiſcopis, eſt in hæc verba : *Negligentes Diœceſim ab hæreſibus purgare, non ſolùm ſeuerè puniendos eſſe, ſed ab Epiſcopatu etiam remo-*

uen-

nendos. cap. Excommunicamus,el primo, §. Volumus, de Hæreticis, vbi ſic ſcriptum eſt: *Si quis .n. Epiſcopus ſuper expurgando de ſua Diœceſi hæretica prauitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus, cum id certis indicijs apparuerit; ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius alius ſubſtituatur idoneus; qui velit, & poſſit hæreticam cõfundere prauitatem.*

Nota hæc dicta eſſe reſpectu illorum, qui cũ poſſint prohibere non prohibent: nam ſunt aliqui verè deſiderantes prohibere: ſed multis de cauſis præpediuntur, quas recenſere longũ eſſet, nec expedit: iuxta illud: *Multa mihi licent, quæ non expediunt*. Quare, niſi conſtet de eorũ negligentia; non debent puniri, nec in Fide infirmi haberi: graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia, 11. *quæſ. c. Graue ſatis*.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
An Inquiſitores, eorumue Commiſſarij libros damnatos legere poſſint.

RESpondet *Pegna loc. infr. cit.* prohibitionem de legendis Hæreticorum libris non comprehendere Hęreticæ prauitatis Inquiſitores: nec eorum ſubſtitutos, ſeu Vicarios, patet ex *Iulio 3. in Reſcripto, cum meditatio*, ibi, *Inquiſitoribus, ſeu Commiſſarijs ſuper Hæretica prauitate ab Apoſtolica Sede pro tempore deputatis: durante ipſa deputatione dumtaxat exceptis.*

Et quamuis Reſcriptum huiuſmodi videatur ſolùm comprehendere Inquiſitorum Cõmiſſarios auctoritate Apoſtolica creatos: non autem eos, quos ſibi Inquiſitores conſtituunt: attamen *Pegnæ par. 2. Commen. 3. ſub lit. D.* videtur idem de Commiſſarijs ab Inquiſitoribus ipſis, conſtitutis: cùm illi quoque auctoritate Apoſtolica deputati videantur; eo ipſo, quòd ab Apoſtolicis Inquiſitoribus conſtituuntur.

Verùm ad tollendum omne dubium, ſentit, quòd prudenter ſe gerent, ſi, cum creant ſibi Commiſſarios; expreſsè etiam declarent eis competere hanc facultatem. ità *Pegna ferè in terminis proprijs*. Hæc procedunt iure veteri; ſed iure nouo attendere debent S.D.N. Gregorij XV. Conſtit. omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros prohibitos reuocantem, incipit: *Apoſtolatus*, quæ extenditur contra quaſcunque perſonas cuiuſcũque gradus, & conditionis exiſtentes, obſeruariq; operæ precium eſt.

DISTINCTIO OCTAVA.
De combuſtione librorũ prohibitorũ.

Hanc diſtinctionem partimur in duos articulos.

In primo examinatur, ſi Eccleſia benè ſe habeat præcipiendo combuſtionem dictorum librorum.

In ſecundo diſcutitur de peccato, & cenſura non deferentis dictos libros cenſoribus Fidei; ſed per ſeipſum illos comburentis.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA:
Eccleſia an benè ſe habeat præcipiendo, vt prohibiti libri comburantur, eorumq; lecturam inhibendo.

SVppono in Eccleſia Catholica eſſe poteſtatem nedum ad prohibendos libros, ſed etiam ad illos concremandos: nam hoc negare Hæreticum eſt. *Suarius de Fide tract. 1. diſp. 20. ſect. 2. nu. 4. & ſeqq.*

Reſpondetur affirmatiuè, quemadmodum .n. in die iudicij extremi corpora vnà cũ animabus cõdemnabuntur; quia mala cum ipſis cooperauerunt; ità quilibet liber ex bonis, prauisq; doctrinis contextus, taliter comburi debet; quia bonæ doctrinæ cum malis implicitè ad eundem finem .s. decipiendi fideles ſimplices ordinantur, qui candorem lucis ignorant; etiam obſcura pro lucidis approbant. huc ſpectat illud *Gregorij V. Moralium ſuper Iob cap. 3.* Habent quippè hoc Hæretici proprium; vt malis bona permiſceant, quatenùs facilè ſenſui Audientis illudant; ſi enim ſemper praua dicerent, citiùs in ſua prauitate cogniti, quod vellent minimè perſuaderent: & paulò inferius, idem repetit his verbis: itaq; *Hæretici permiſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona; Auditores ad ſe trahant: & exhibendo mala latenti eos peſte corrumpant.*

Hùc etiam reſpicit illud *Lucæ c. 4.* vbi prohibet Chriſtus Dęmonibus è corporibus humanis exeuntibus ipſius Aduentus publicationẽ; ne hinc quis occaſionem ſumeret præſtandi illis Fidem; quia in hoc caſu verum dicerent.

Idem proloquitur *Pſalmiſta in perſona Dei, Pſal. 49. Peccatori autem .s. Hæretico dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

Itidèm ob dictã cauſam ſanctiſsimè prohibet Hæreticorum librorum combuſtionem: vera .n. falſis, & bona malis permiſcent, vt decipiant; nam ſi ſola falſa, & mala dicerent; ſtatim ab omnibus reijcerẽtur: ſi verò tm̃ vera, & bona, Hæretici non eſſent; itaq; de induſtria omnia miſcent; vt ex malis bona inficiant: & per bona, mala ſua abſcondant; vndè *Hieronym. ad Lætam Epiſt. 7. Venena*, inquit, *non dantur, niſi melle circummelita*. Quòd, ſi bona, & vera cognoſcere cupimus; faciliùs, & ſecuriùs ex Catholicorum, quàm Hęreticorum libris cognoſcemus, iuxtà illud eiuſdem *Hieronymi Epiſtola 10. ad Furiam: Eorum dumtaxat tractatus lege, quorum Fides nota eſt: non neceſſe habes, aurum in luto quærere. Becanus in Compen: controu. huius temporis cap. 11. nu. 3.* nec etiam Deus aliquid ſingulare boni per peruerſos diffundit; quod non multò vberius per organa S. Sancti communi-

municet: ille .s. Spiritus Sanctus docebit vos omnia:& ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.

Dices, aliquando neceſsè eſt Hæreticorum libros legere, præſertim, quando errores illorũ confutandi ſunt; qui aliundè, quàm ex eorum libris integrè, & certò cognoſci non poſſunt: ergò Eccleſiá malè ſe habet præcipiendo ipſorũ combuſtionem. Reſpondetur, quòd tempore incũbentis caſus, vel neceſſitatis noſsent DD. Eccleſiæ abſq; Hæreticorũ libris reſpondere, ac ſoluere eorum apparentes primo acceſſu veritates: quòd, ſi neceſſe foret ad cõfutationem aſſignare capitula, §., aut numeros, vbi in ſpecie allucinantur; tunc vnus, vel ad ſummũ duo libri ſufficerent; qui ex diſpenſat. Superiorũ remanere deberẽt apud viros ſũma pietate, & ſcientia præditos. ità *Becanus lib. 5. cap. 11. Controuerſiarum inter Catholicos, & Hæreticos noſtri temporis*: & præter libros Hæreticorum de hæreſi ex profeſſo: vel de Religione; ſummoperè conſulitur vtilitati Eccleſiæ; ſi comburantur libri, in quibus traditur modus habendi reſponſa à Dæmonibus in imaginibus, annulis, ſpeculis, phialis, aut rebus quibuſcunque: ſciant autèm, qui legunt, aut retinent huiuſmodi damnatos libros; quòd præter alias grauiſſimas pœnas quibus afficiuntur, ipſo facto excommunicari: conſtat ex *Conſtit. 13. Ioann. 22.* quam habes apud *Laertium tom. 1. Bullarum Apoſtol. pag. 66. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 21. nu. 51.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An peccet, qui libros Hæreticorum, aut de hæreſi ſuſpectorum Cenſoribus Fidei non conſignat; ſed per ſe ipſum illos comburit.

RAtio difficultatis eſt, quia ad tradita Ariſt. quod poteſt fieri per pauciora ęquè benè; non debet fieri per plura; idipſum dictante ipſomet lumine naturali: nam neque labor, neque tempus fruſtrà conſumendum eſt; videtur autèm, quòd quiſque ęquè benè, ac Cenſores Fidei comburere poſſit libros Hęreticorum, aut de hęreſi ſuſpectorum: quare combuſtor minimè peccare videtur.

Azorius part. 1. lib. 4. cap. 16. ibi Vndecimo, duas affert opiniones, quarum altera ſentit id iure facere poſſe vnumquemque fidelium, lege *Repertorium Inquiſitorum, verb. Comburi, Zanchinum de Hęreticis cap. 7. nu. 7.* vbi *Campegius*, qui tamèn iudicat tutius eſſe illos Inquiſitori deferre; hanc ſententiam refert *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 5. punct. 4. nu. 16.* ſed ſub ſilentio inuoluit Auctores.

Altera verò, quam ipſe *Azorius ſequitur cum Sanchez in Opere Morali lib. 2. cap. 10. num. 56.* defendit non ſufficere, ſi quiſque per ſe ipſum illos comburat; ſed huiuſmodi libros eſſe Fidei Inquiſitoribus tradendos, vti patet *ex Conſtitut. Iulij Tertij, incipit: Cum meditatio*, quam notat *Trullench in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 3. num. 26.* quinimmò *Souſa in Aphor. Inquiſitorum lib. 1. cap. 21. nu. 30.* tradit illos comburentes (.s. propria auctoritate) ſubijci excõicationi; & quidem cõſentaneum eſt, tùm quia ex omiſſione traditionis, multi libri, quorum nomina, & auctores adhuc ſunt ignota Eccleſiæ; in ſpecie non poſſunt damnari: tùm quia ob huiuſmodi omiſſionem Cẽſoribus Fidei aufertur opportuna occaſio interrogandi detentores de multis; v. g. vndè habuerint huiuſmodi libros; an illos ex profeſſo, aut ſolùm ſuperficialitèr legerint: an alijs accomodauerint, an multis, vel paucis, &c. vt indè ſubditorum ſuorum conſcientijs opportunè conſulere poſſint; ſerpit .n. hæreſis non minus ac cancer: quare non impigrè occurrendum eſt illius periculis: faciunt, quæ tradit *Pegna ad Direct. Inquiſ. part. 2. Comment. 3. verſ. Preterea. Flauius Cherubinus in Compendio Bullarij ad Bullam Pij Quarti 76.* incipit: *Cum pro munere, ſcholio 2.* hinc patet nõ ſatisfieri S. Tribun. intentioni; cum quis per ſe ipſum comburit dictos libros: nam eorum combuſtio nõ eſt tota cauſa præcepti; ſed aliæ etiam, vt ſupra innui: Vndè euacuatur ratio difficultatis ab initio obiecta: non enim æquè benè illi ſatisfit; quando quis per ſe prædictos comburit libros.

Prædictum autèm præceptum deferendi dictos libros, comprehendit etiam ſcripta, libros .s. Hæreticorum non impreſſos: quia adhuc libri ſunt; & in eis idem venenum, & contagiũ latere poteſt; ità *Bartholamęus Vgolinus de Cenſ. Sum. Pont. reſeruatis. par. 2. nu. 1. verſ. 4. referẽs Farinacium de Hęreſi, quęſ. 180. num. 30. Flauius Cherubinus in Compẽdio Bullarij ad Bullam Pij IV. 77. ſcholio 1.; qui addit ſcholio immediatè ſequẽti.*

Idem ob annotatam rationem tenendum eſſe de libris Catholicorum cum ſcholijs, vel adnotationibus Hæreticorum; *Iacobus de Graſſijs lib. 4. Deciſ. cap. 18. nu. 43. Farinac. vbi ſup.*

Verùm notare oportet, quòd non venit denunciandus; qui librum hæreticum, vel falſam doctrinam continentem propria auctoritate comburit; quia non fit ob hanc combuſtionẽ de hęreſi ſuſpectus; ità *Sanchez lib. 2. Moral. cap. 10. nu. 56. Farinac. de Hęreſi quęſ. 180. nu. 40. Pegna ad Direct. par. 2. Comment. 3.* quos ſequit̃ *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 1. cap. 21. nu. 3.*

Cęterùm loquendo de alijs libris ob aliam rationem, quam ob hæreſim prohibitis: ex. gr. quia obſcęni, laſciui, &c. diſtinguendum eſt de iure Indicis antiquo, vel nouo: loquendo de antiquo tradit *Poſſeuinus de Off. Curati c. 12. quæſito 55.* poſſe Curatum eos comburere, vel ità lacerare, vt nulli ſint vſui, addens communitèr ità practicari.

Verùm iure nouo .s. *Conſtit. Greg. XV.* incipit: *Apoſtolatus Officium*, certum eſt non poſſe quempiam propria auctoritate libros prohibitos comburere; ſed eos cum effectu locorum Ordinarijs, vel Inquiſitoribus Ciuitatum, in quibus huiuſmodi libri exiſtunt, aſſignare debet.

Tri-

Tria tamen veniunt notanda. Primum eſt, quod Conſtitutio intelligitur,ſi obſeruari poteſt abſque graui incommodo, detrimento, aut periculo.

Alterum eſt, quòd combürẽs dictos libros, quamuis malè ſe gerat: nullam tamen obindè ſuſpicionem de Fide, vt alibi dixi, incurrit. ità *Homobonus de Examine Eccl. to. 1. tract. 11. cap. 7. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 16. quæſito 11. & alij contra Souſam vbi ſupra.*

Tertium eſt, quòd de denunciatione detinentium, aut legentium dictos libros nullam explicitè facit mentionem Edictum Inquiſitoris, quòd exponimus, conſtat legenti ipſum.

DISTINCTIO NONA.
De librorũ Auctoribus, Impreſſoribus, Defenſoribus, Tranſportatoribus, & Corruptoribus, ſeu Falſificatoribus.

Præſens autèm diſtinctio penès quinque prædicta nomina quinque formantur articuli, quorum

Primus reſpicit librorum Auctores.

Secundus, librorum Impreſſores.

Tertius, librorum prohibitorũ Defenſores.

Quartus, librorum Tranſportatores.

Quintus denique librorum Corruptores, ſeu Falſificatores, & tranſcribentes.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.
A librorum Auctoribus quales conditiones euitari debent.

REſpondeo ſequentes;

Primò, hæreticæ, erroneæ, hęreſim ſapientes, ſcandaloſæ, piarum auriũ offenſiuæ, temerariæ, ſchiſmaticæ, ſeditioſæ, blaſphemæ, quas declaratas habes apud *Lazarium Can. & Tract. QQ. quæſt. 12. nu. 87. Bariolam in fin. 1. tomi ad Pegnam. Gryſaldũ in Deciſionibus Fidei Cathol. & Apoſt. pag. 2. & 3.*

Secundò, quæ contra Sacramentorum ritus, & cęremonias: cõtraq; receptum vſum, & conſuetudinem S.R.E. nouitatem aliquam aliquam inducunt.

Tertiò, profanæ, etiam nouitates vocum, ab Hęreticis excogitatæ, & ad fallendum introductæ.

Quartò, verba dubia, & ambigua, quæ legentium animos à recto, catholicoq; ſenſu ad nefarias opiniones adducere poſſunt.

Quintò, verba ſacræ Scripturæ nõ fidelitèr prolata: vel à prauis Hęreticorum verſionibus deprompta; niſi fortè afferrentur ad eoſdem Hæreticos impugnandos, & proprijs telis iugulandos, & conuincendos.

Sextò, itèm verba ſacræ Scripturæ, quæ ad prophanũ vſum impiè accomodantur: itidèm, quæ detorquentur ad ſenſum declinantem à Catholicorum Patrum, atq; Doctorũ vnanimi ſententia.

Septimò, importantes epitheta honorifica, aut aliud in honorem Hęreticorum.

Octauò, quæ ſapiunt Superſtitiones, Sortilegia, Diuinationes.

Nonò, quęcunque Fato, aut fallacibus ſignis, aut Ethnicæ fortunæ, humani arbitrij libertatem ſubijciunt.

Decimò, quæ Paganiſmum redolent.

Vndecimò, quæ famæ proximorum, & maximè Eccleſiaſticorum, & Principum detrahunt: boniſq; moribus, & Chriſtianæ diſciplinæ ſunt contrariæ.

Duodecimò, quæ ſunt contra libertatem, immunitatem, & iuriſdictionem Eccleſiaſticã.

Decimotertiò, quæ ex Gentilium politijs, moribus, exemplis tyrannicam politiã fouent.

Decimoquartò, quæ Eccleſiaſticos ritus, religioſorum Ordines, ſtatum, dignitatem, ac perſonas lædunt, & violant.

Decimoquintò, quæ inuoluunt in ſe facetias: item dicteria, vulgò (*motti, che pongono*) in perniciem, aut præiuditium famæ, & exiſtimationis aliorum, iactata.

Decimoſextò, cõtinentia laſciuias, quæ bonos mores corrumpere ſolẽt. Faciunt, quæ tradit *Index libr. prohibitorum; Braſichelb. vbi de Correct. libr. §. 2. & Capifer eodem in loco.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
Quæ librorum impreſſores in primis attendere debeant?

REſpondeo duo eſſe illis attendenda: primò ea, quæ habentur in Indice de librorum impreſſione: ſecundò ea, quæ traduntur in primo Canone Bullæ Cœnę de imprimentibus.

Circa Indicem attendere debent regulas traditas loc. cit. §. 3. quarum

Prima eſt, ne in grandiuſculis litteris obſcęnas, turpesuè imagines imprimant.

Secunda, ne ad libros Eccleſiaſticos, aut ſpirituales characteribus grandioribus vtantur, in quibus apparẽt alicuius rei prophanæ ſpecies.

Tertia, præter nomen Impreſſoris, & locum impreſſionis, etiam annum, quo liber impreſſus eſt in eius principio, atq; fine annotare debent; & hoc Epiſcopi, atq; Inquiſit. curæ eſſe debet, vt patet in dicto §.

Quarta, vt iureiurando ſpondeant coram Epiſcopo, aut Inquiſitore; & Romæ coram Magiſtro Sacri Palatij ſe munus ſuum catholicè, ſincerè, & fidelitèr exequuturos; Indicisq; Decretis, ac Epiſcoporum Regulis, & Inquiſitorum Edictis, quatenus eorum artem attingunt, optemperaturos.

Itèm, quod ad ſuæ artis miniſterium, neminem, qui hæretica labe ſit inquinatus, ſcientèr admittent.

Quinta eſt, quòd, ſi aliquis ex Impreſſoribus fuerit

fuerit inſignis, ac eruditus; Fidem Catholicam iuxtà formam à Pio IV. felic. rec. præſcriptam arbitrio dictorum Superiorum profiteri tenẽtur; patet loc. cit. §. 6.

Sexta, in caſu, quòd denuò imprimendus ſit liber Auctoris dãnati, qui permittitur expurgari ad præſcriptum regularũ; obſeruare debent, quæ traduntur ipſis in *Ind. lib. probib. loc. cit.* §. 7.

Quantum autèm ad Bullam Cœnæ; in illam incidunt: primò, qui librum Hæretici damnati, de hæreſi, aut de Religione tractantem imprimendum tradit. Secundò, Typographus, qui illum ſuſcipit imprimendum. Tertiò, qui Typos ordinat. Quartò denique, qui imprimunt: quod notat *Layman. cum alijs apud ipſum lib. 2. tract. 1. cap. 14. nu. 7.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An denunciandi veniant, & excommunicationi Bullæ Cœnæ ſint ſubiecti imprimentes, aut defendentes ſcripta, aut libros Hæretici de hæreſi differentes, vel de Religione tractantes.

RESpondeo prædictos dicto periculo ſubijci; patet ex litera textuali, ibi: *Che habbiano hauuto, ò habbiano &c. che gl'habbino letti, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti ſtampare.* (nota) *ò diffeſi, &c.*

Quod etiam ſint excommunicati Bullæ ſubiecti: patet primò reſpectu imprimentium. Sciendum eſt autèm imprimentium nomine omnes comprehendi; qui ad libri impreſſionẽ propinquè operantur, de quibus ſupra proxima diffic. vz.

Primò, qui librum imprimendum tradit.

Secundò, Typographus, qui illum ſuſcipit.

Tertiò, qui Typos ordinat.

Quartò, qui imprimũt, quod notat *Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 14. nu. 6. citans alios.* Patet idem reſpectu quomodolibet defendentium. Defendentium autem nomine veniunt illi, qui librum Hæretici, quatenus talis, commendãt. *Laymann loc. cit.* quod intellige, niſi ſtylus, aut eloquentia laudetur. Conſtat autèm vtrũque legenti primum Canonem dictæ Bullæ: & Edictum S. Inquiſitionis.

Itidem nomine Defendentium veniunt nõ ſolùm, ſi publicè libros prædictos defendant; ſed etiam ſi occultè, niſi illud particulare defendant, quod in illis Catholicum eſt. *Sanchez lib. 2. Moralium cap. 10. nu. 58. Farinacius de Hæreſi quæſ. 180. nu. 12.* quos ſequitur *Souſa in Aph. Inquiſ. lib. 1. cap. 2. num. 33.* prætereà nomine Defendentium etiam cenſentur; qui dicunt prædictos libros non eſſe comburendos, aut prohibendos. vt notat *Souſa loc. cit. num. 34.* Inherens *Suario de Fide tract. 1. diſp. 20. ſect. 2. num. 23.*

Demùm nomine Defendentium intelligũtur illi, qui opere, & facto operantur; ne prædictos libros ad manus Inquiſitorum deueniant, *Suarius loc. cit.*

Verùm animaduertendum denunciationẽ prædictorum non fieri vi Bullæ; cum ipſa præciſè forum Sacramenti Pœnitentiæ reſpiciat; ſed vi Edicti S. Inquiſitionis; E contra reſeruatio abſolutionis fit Summ. Pontifici vi Bullæ Cœnæ: Reſeruatio verò abſolutionis, de qua Edictum; pertinet ad Inquiſitorem Edicti promulgatorem: itèm ad Sacrum Tribunal Romæ (diſiunctiuè loquendo) quibus præciſè integrum eſt illam impertiri inobedienti eorum Edicto; qui nec ab illa abſoluetur, niſi prius præſtita obedientia S. Tribunali: conſtat ibi: *Ne ſarà aſſoluto, ſe prima giuridicamente reuelando &c. non haurà ſodisfatto.*

Veniunt itidèm denunciandi, vtpotè de Fide ſuſpecti, qui corrumpunt libros Catholicorum, immiſcendo Catholicæ doctrinæ dogmata hæretica. *Pegna ad Direct. part. 2. Commen. 17. verſ. Denique. Menoch. de Arbitrar. caſu 549. Farinac. de hæreſi, quæſ. 180. nu. 14.* Sed de his infra art. vlt.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An ſit de hæreſi ſuſpectus, & proinde Cenſoribus Fidei deferendus; qui damnatos libros ex alicuius commiſſione ex prouincijs Hæreticorum ad fidelium Catholicorum terras defert: v. g. ratione ſtipendij, vel non.

QVO ad Delatorem, dico reſponſionem ex coniecturis ſupra allatis petẽdam eſſe: attendendum nanque eſt, an delator nouerit, vel ignorauerit, quid deferret, librorumq; qualitatem: ſi nouerat; redditur ſatis ſuſpectus; maximè, ſi concurrant adminicula, vndè venit denunciandus: quòd ſecus eſt, ſi ignorabat: faciunt ad hoc præcepta Reuerendiſs. F. Ambroſij Ruggieri Inquiſit. Generalis Mediolani, ibi: *Commandiamo à Datiari &c.* itèm ibi: *Commandiamo à tutti i Mercanti, à quali ſogliono capitare fagotti, ò balle, &c. che ritrouando in detti fagotti, ò balle libro, ò libri, &c.* itidem ibi: *Commandiamo à Librari, & à tutti quelli, che vendono libri, &c.* conſonantq; præcepta hæc Regulæ 10. Indicis, ibi, quòd ſi: & ibi nemo verò audeat.

DIFFICVLTAS II.

An aſportantes Hæreticorum libros ex hæreticis locis ad Catholicos ſint de hæreſi ſuſpecti: remiſſiuè

Lib. 14. diſt. 7. art. 3. diff. 1.

DIFFICVLTAS III.

In quas pœnas incidunt dicti librorum tranſportatores.

REſpondeo, qui libros Hæreticorum, aut propter hæreſim, aut falſam, & ſuſpectã doctrinam prohibitos, ad terras fidelium deferunt; habẽtur in S. O. Hæret. fautores: in excõmunicationem incidunt, eorũq; bona confiſcantur: quod, ſi viles ſint perſonæ; verberibus ſubijciuntur: at ſi honeſtiores exiſtunt, in exilium deportantur, iuxtà placitum Inquiſitorũ. legẽdus eſt *Pegna ad ſecundã par. Direct. Inquiſ. Commen. 7. cap. Nouerit de Sent. excõic. verſ. idem iudico. Azor. in Sum. par. 1. lib. 8. cap. 17. quæſ. vlt. Farinac. de Hæreſi quæſ. 180. nu. 15. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. nu. 41.* in foro autèm Sacramenti attenditur, an ſint verè Fautores.

ART.

ART. V. DIFFICVLTAS I.
An, qui libros Catholicorum falſant, aut corrumpunt, aut ſanæ doctrinæ hæretica dogmata immiſcent, cenſendi ſint Hæretici.

RESpondet *Pegna part. 2. Comm. 17. ſub lit. E.* affirmatiuè innixus *Synodo Conſtantinopolitanæ Sextæ actione* 13. quam affert *Iuo part. 4. cap.* 158. in hæc verba: *Præcipimus illos, qui falſauerunt libros Catholicos anathemati ſubijci, & cum Hæreticis anathematizari:* Iſta autèm verba (vt inquit ipſe Pegna) indicant eos, qui talia faciunt Hæreticos eſſe putandos: Ego verò verſans in foro poli ſentio patratores huiuſmodi ſcelerum eſſe, quam diligentiſſimè interrogandos; quo motiuo hæc patrarunt, an fouendæ, vel ſtabiliendæ hæreſis gratia; an aliquo pretio corrupti: vel ſuperbia moti: v.g. ad corroborandam ſententiam à ſe, vel à ſuis amicis, aut parentibus prolatam; ipſo tamen falſificatore cum alijs à ſe defenſis, veritatem; quæ vna eſt ab Eccleſia Catholica Romana ſemper retenta; hinc Confeſſarius iuxtà diuerſum motiuum; primò conijciet, num pœnitentem abſoluere poſſit. Secundò, quam pœnitentiam in foro Sacramenti illi imponere debeat: debet nanque illi in ſpecie diſtrictè imponere, vt ſcripturas in integrum reſtituat, prout prius iacebant: nec illum abſoluere debet, niſi prius admonitum in quantum malum ob eius auaritiam, vel ſuperbiã inciderit; aliòquin partes Medici ſpiritualis minimè explebit.

Pluribus autèm modis huiuſmodi falſificatio, ſeu corruptio librorum Catholicorũ fieri poteſt; nimirùm, diminutione, additione, mutatione, falſa compoſitione, interpretatione, allegatione perperàm facta: dignoſcunturq; gradus peccati falſificationis, ſeu corruptionis ex ſubiecta materia librorum de Religione tractantium: quo enim (cæteris paribus) corruptio, ſeu falſificatio eſt præſtantioris ſcripturæ; eò grauior culpa; iuxtà illud: corruptio optimi peſſima. Vndè grauior eſt corruptio, ſiuè falſificatio librorum Canonicorum, ſcil. noui, aut veteris teſtamenti, quam corruptio, aut falſificatio librorum SS. PP.

Itèm grauius eſt corrumpere, vel falſificare libros SS.PP., quàm illos cęterorum Doct. minorem habentium auctoritatem. faciunt tradita per *Capuleum ad Prologum D. Bonau. ſuper 1. Sent. quæſ. 1. punc. 4. circa finem.*

Illi paritèr grauitèr peccant, ſeueraq; animaduerſione ſunt plectendi; qui libris Hæreticorum, nomina, & titulos Catholicorum, aut virorum Sanctorum imponunt; vt ſanam, ac Catholicã doctrinã cõtinere cẽſeantur; quòd ſanè mendacium à peſſimis inuentum eſt ad decipiendum incautos, hereſesq; introducendas. faciunt allata per *Pegnam loc. cit. ſub fine: Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 180. *num.* 14 *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 44. qui etiam ſentiunt falſificantes, ſeu corrumpentes libros Catholicorum: illiſq; hæretica dogmata immiſcentes, nedum ſuſpectos eſſe de Fide, ſed etiam excommunicatos.

DIFFICVLTAS II.
Quid circa tranſcribentes damnatos lib. obſeruandũ eſt.

REſpõdetur attendendum eſſe, an tranſcribens ſit diſcipulus de mandato Magiſtri: vel ipſe Magiſter: Similitèr, an diſcipulus ignoret, quæ ſcribit: vel è contra ſciat, quæ ſcribit: Itèm, an ſit famulus, qui iubente Domino librum, vel libros, ſeu quamlibet damnatam ſcripturam; aut impia dogmata ſcribit, ignorans qualia ea ſint: aut è conuersò ſciens. Itidẽ an ſcriptor, vel tranſcriptor ſit pretio conductus, & ſcribat neſciens, ſe venenoſa dogmata ſcribere: aut è contra ſciens. Similitèr ſi ſibi, vel alteri ſcientèr ſcribat, quæ damnata eſſe intelligit. Ex his coniecturis quiſque dignoſcere poteſt; an tranſcriptor, vel ſcriptor damnatorum librorum veniat, nec ne denunciandus. faciunt tradita per *Pegnam par. 2. Comm. 17. ſub lit. C. & D.*

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS IV. LIBER XXVI.

Vbi diſſeritur de erroribus, ac propoſitionibus falſis, nedũ Priſcorum Philoſophorum, falſorum Catholicorum, & Hæreticorum noſtri temporis: tangiturq; in textu implicitè, ibi: *Dichiarando, che per la ſopradetta eſpreſsione de caſi da Noi ſpecificati da riuelarſi, non eſcludemo gli altri caſi ſpettanti al S. Officio, che per altro ne i Sacri Canoni, Decreti, Conſtitutioni, è Bolle de Sommi Pontefici ſono compreſi.*

Not. primò in tres claſſes diuidi errores; alij nanque ſunt antiquiſſimi, vt illi Ariſtotelis, Auerroæ, Auicennæ, & cæterorũ priſcorum Philoſophorũ: itèm alij ſunt antiqui, vt illi, de quibus Eymer. in Direct. par. 1. in Summario; *ſupereſt modo, vt proſpiciamus errores Hæreticorũ noſtri temporis; maximè cũ ratione mercaturæ pluribus ex noſtris ſæpiùs apud illos eſſe contingat; nam bonum eſt ex integra cauſa: immò iſtos potiùs introſpicere debemus, quia magis vrgent ob locorum vicinitatem.*

Nec obſtat integra Fides Cenomanorum: quia melior illorum medicina eſt conſeruatio in ſanitate Fidei, in qua nunc ex Dei gratia ſunt. (Cenomani ſunt populi Galliæ Ciſalpinæ, teſte Plinio lib. 3. c. 19. *s. Bergomũ, Brixia, Cremona, Verona, Mantua, Tridentum, Nouarias, Mediolanum, Ticinum, &c.)*

Not. ſecundò, connexionem inter præcedentem librum, & præſentem hanc eſſe; quia parum referret noſſe quales libros poſſumus perlegere, & retinere, qualeſue reijcere, niſi inſimul dignoſceremus qualitatem errorũ fugiẽdorũ: finis autem eſt cõſumatio actus, l. Quæſitum, §. Illud, ff. de Lega. *factũ eſt autem opus hoc pro dicta cognitione habẽda; vndè tractatus iſte fuit primus in intentione, lz. extiterit vltimus in executione, & poſitione: Vndè, cũ primò in loco fuerit in mente mea conceptus, & nominatus; fuit quoq; mihi magis dilectus, vtpotè alijs libris vtilior, ac vniuerſalior, iuxta illud legis,* c. Si quis de Electione in 6. l. Si communis ſeruus 2. ff. de Stipulat. ſeruorum: *itemq; quia cum ſit finis, nobilior eſt omnibus, quæ ſunt ad finẽ.*

Iſtius libri vtilitatem dignoſces, ſi attendas, quod reſecatis ambagibus veritas Catholica perſpicuè proponitur, & quòd aduerſaria falſitas nitidè, & validè euertitur: potiſſimùmq; intelliges diſcrimina de Fide, & Religione inter Cath. & Hæret. ſequarq; præcipuè doctrinam Becani in lib. Controuerſiarum; itèm Bellarmini in lib. Controuerſiarum, Lippomani, &c.

Notandum tertiò, quòd, ſi mihi denegatus fuiſſet huiuſmodi finis, fortaſsè priores libros

non exorſus fuiſſem, iuxtà illud: denegato qualicunque fine; denegatum cenſetur qualecunque eius principium, l. Oratio, ſi. de Sponſal. *nunc autem habito fine, attende illius vtilitati, nam origo bonorũ nõ eſt attẽdenda: ſed illorũ finale dominiũ,* l. Si Auia, ff. de Donationibus, pulchrè Ancharanus conſ. 50. viſis diligentèr circa medium. *Volui autem hæc præmittere, tum quia ad interpretationem ſequentium errorum non illotis manibus, nec ommiſſis initijs eſt accedendum: tum vt magis accendaris ad iſtius libri perlectionem.*

Notandum quartò, quòd circa librum iſtum diſcurram præcipuè de Semitis Catholicorũ, & ſcopulis, in quos illiduntur Hæretici moderni: prius tamen oſtendam Semitas Catholicorum, quam ſcopulos Hæreticorum; vt ex recto perfectius obliquũ ſecernatur; nam oppoſita iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt.

Notandum quintò, quamuis vt plurimùm in hoc tractatu refellam Hæreticorum aſſertiones, vtpotè falſas: non ſatis tamen, vt par eſſet; cuius ratio eſt, quia non afferuntur in medio, vt diluendæ, aut retundendæ; ſed, vt cognitione veritatis quiſque generatim cognoſcat, quos denunciare tenetur.

Notandum ſextò librum iſtum partiri in duodecim Distinctiones, quarum

Prima eſt de Scopulis, ſeu erroribus in genere.

Secunda eſt de Scopulis, ſeu erroribus Ariſt. eiuſq; Commentatorum Antiquorum.

Tertia eſt de Scopulis, quos præcipuè lectorem cauere oportet inter legendum libros ſpirituales, & conciones.

Quarta eſt de Semitis Catholicorum, & inuijs, ſeu Scopulis, in quos incidunt Hæretici noſtri temporis circa S. Scripturam, & Traditiones, ſeu verbum non ſcriptum.

Quinta, De Semitis Catholicorum, & Scopulis, in quos præcipitantur Hæretici circa Eccleſiam, eius Caput, Iudicem Controuerſiarum de Fide, & Magiſtratum Politicũ.

Sexta, De Semitis Catholicorum, ac Scopulis Hæreticorum circa Antichriſtum, & Sanctorum inuocationem.

Septima, de Semitis Catholicorum, & Scopulis Hærticorum circa Sacramenta, & exorciſmum paruulorum.

Octaua, de Semitis Cath., & Scopulis Hæreticorum circa communionem ſub vtraq; ſpecie, & præſentia Chriſti in Euchareſtia.

Nona, de Semitis Catholicorum, & Scopulis Hæreticorum circa ſacrificium Miſſæ, & Purgatorium.

Decima, De Semitis Catholicorum, & Scopulis Hæreticorum circa peccatum originale, mortale, & veniale, lib. arbitrium, iuſtificationem peccatoris, & opera.

Vndecima, De Semitis Cathol. & Scopulis Hæreticorum circa attributa diuina, Chriſtum, ac eius imaginem.

Duodecima, De Semitis Cathol. & Scopulis Hæreticorum circa Prædeſtinationem, Gratiam actualem, & Auctorem peccati.

DISTINCTIO PRIMA.

De erroribus, ſeu ſcopulis in genere.

Diſtinguitur præſens diſtinctio in tres art.

In primo ponitur diſcrimen inter errorem, & hæreſim.

In ſecundo ponitur diſcrimen inter articulum damnatum, & hæreſim.

In tertio aſſignantur ſpecies propoſitionum de religione.

liber non eſt hæretici. *Bonac. de Cenſ. diſput. 2. quaſ. 5. punct. 4. nu. 14. & 15.* Excuſatur autèm detentor libri heretici à dicta cenſura Bullæ ratione breuitatis temporis moralitèr, vz. in quo non poteſt illum ad Inquiſitorem deferre, quod patet ex textu, ibi: *Che debbano al S. Officio di queſta Città reuelare quanto prima, &c. Suarez de Fide tract. 1. diſp. 2. ſect. 2. nu. 22.* quem ſeqr̃ *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 1. c. 21. nu. 29.*

DIFFICVLTAS III.

An famulus, ſi ad iuſſum Domini ſui volentis ſibi legi libros Hæreticorum, de hereſi, aut de religione tractantes ex profeſſo, obediat; afficiatur duabus illis excommunicationibus, de quibus ſupra; &, idem queritur de Iubente, & Audiẽte.

QVoad famulum cenſeo ipſum ligari dictis excõicationibus legendo dictos libros, quia reuera legit ſcientèr, & voluntariè: quòd ſecùs dicendum foret, ſi ignorantia inuincibili, aut ſaltèm craſſa, aut ſtricta coactione illos legeret. *Sanchez lib. 2. Moral. c. 10. nu. 49. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. nu. 15.* niſi id fieret in contemptum Fidei.

Quoad Dominũ iubentem idem reſoluitur, s. quòd afficitur; quia, etſi per ſe ipſum illos non legerit; legit tamèn per alium iubendo, & audiendo; quòd perindè eſt, ac ſi per ſeipſum legeret; vndè hoc in loco procedit regula illa legalis: qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, contra *Sanchez lib. 2. Moral. cap. 10. nu. 47. & 48. Souſam loc. cit. nu. 13.*, nam in hoc caſu potiùs mens dicentis, quàm eius verba attendenda ſunt; *l. Labeo, ff. de Supel. leg.*

Nec obſtat, quòd cenſura lata contra faciẽtes (qualis eſt iſta) non comprehendit mandãtes; quia iſte non incurrit excõicationem, vt mandans, ſed vt legens per alium interpretando legem moralitèr; ità *Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 14. num. 7.*

Quo verò ad audientem prçciſè huiuſmodi hæreticos libròs ſecùs reſoluendum eſt; quia iſte, nec per ſe, nec per alium legit; nec facienda eſt extẽſio in pçnalibus; ità *Laymann loc. cit. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 16. ibi, Quarto queritur, Nal. in Bulla Cęnę n. 14.* quibus cõſtantèr contradicit *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 5. punct. 4. n. 11.*

Dices fortaſsè, ſi illum intelligatur legere, q̃ oculis tm̃ percurrit nihil exprimẽdo lingua.

Reſpondetur affirmatiuè, quia lectio verborum prolationem non exigit neceſſariò, vt poſt *Graff. p. p. Deciſ. lib. 4. cap. 18. nu. 45. Bonacina loc. cit. num. 12. itèm Nald. loco vbi ſupra:* Verùm requiritur aduertentia ad ea, quæ in libro ſcripta ſunt: *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. nu. 11.*

Itidem non intelligitur legere librum prohibitum; qui illum legit in illa lingua, quam pœnitùs ignorat. *Sanchez lib. 2. moral. cap. 10. nu. 51. Suarez de Fide tract. 1. diſp. 20. ſect. 2.* ſic. n. legitur tantummodo materialitèr: legere autèm, & non intelligere idem eſt perindè, ac non legere, conſtat.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An legens libros ob hæreſim, aut ſuſpicionẽ ipſius prohibitos, an mortalitèr peccet, et veniat denunciandus.

QVoad primam particulam reſponſio eſt affirmatiua, ratio eſt; quia ad ſatisfaciendum ſuæ voluntati, ſeu curioſitati vtitur inſtrumẽtis ſpecialitèr prohibitis, nimirùm libris diuetitis; quos, ne quis legat, ſub mortali prohibetur; quòd claret attenta excommunicatione contra illos legentes; à qua non excuſantur ob craſſam, aut affectatam ignorantiam: quia Decretum Pij IV. ſcientiã non requirit, vti obſeruat *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. cap. 21. nu. 29.* ad differentiam excommunicationis Bullæ Cęnæ, vt ſupra *diſt. 2. ar. 1. diff. 5.* viſum fuit.

Dices ob curioſitatem illos legere eſt tantũ peccatum veniale: ergò non peccat mortalr̃, nec eſt denunciandus.

Reſpondetur, quòd legens dictos libros nõ peccat mortalitèr ratione ſolius curioſitatis; ſed rõne circunſtantiæ additæ, nempè excõmunicationis. Verùm, huiuſmodi excommunicatio non eſt reſeruata, vt notat *Farinac. de Hæreſi quæſt. 180. nu. 6.* legendum eſt *Decretum Pij IV. in princ. Indicis prohibitorij, & Reg. 10. ver. Quod ſi quis: Eymer. 2. par. Direct.* Legentes verò (licèt ex curioſitate) libros Hæreticorum de Religione incidunt in Bullam Cęnæ: vide *Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 14. nu. 4.*

Quo verò ad ſecundam difficultatis particulam dico tàm retinentem, quàm legentem dictos libros fore denunciandũ, cuius ratio eſt; quia talis cenſetur de Fide ſuſpectus; & vt talis ab Inquiſitore puniri poteſt: nõ tamen eſt Hęreticus; lege *Farinac. de Hæreſi quæſt. 180. nu. 81. & alibi. Souſam in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. n. 38.*

DIFFICVLTAS II.

Quæ, & quot conditiones requiruntur ad incidendum in excommunicationem Indicis ob lecturam, aut detentionem lib. prohibitorum.

REſpondetur duas ſaltèm neceſſariò, & copulatiuè requiri, prima, vt legens, vel detinens prædictos libròs ſcientèr legerit, aut detinuerit: nam cum excommunicatio ſit maxima pœnarum, vt tradunt communiter DD. ſcientiam, & inobedientiam ſupponit, *cap. Cum nulla, cap. Cum nemo, 11. quæſt. 3. Tol. in Summa lib. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 1. Graff. lib. 4. Deciſ. Aurearum c. 7. & alij.*

Altera eſt, vt Auctores librorum ſint Hæretici: vel vt libri ſint propter hæreſim, aut falſi dogmatis ſuſpicionem damnati; non tamen eſt neceſsè, vt de his ex profeſſo agant; quod notatur ad differentiam librorum de hæreſi, aut Religione tractantium ex profeſſo: pro quorum lectura, vel retentione incidit legens, vel retinens, etiam in cenſuram Bullæ Cęnæ. faciunt adducta per *Reginal. in Praxi Caſuum difficilium conſcientiæ par. 3. cap. 17. & per Manuale Franciſc. p. 3. c. 4. ibi, ſexto.*

ART.

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Quo tempore à quolibet Confeſſario abſolui poſſunt, qui libros Hæreticorum legerunt, retinuerunt, vel impreſſerunt.

RESpondetur, quòd præter proximum mortis periculum, in quo ex Concil. Trid. cuique Sacerdoti impertitur facultas abſoluendi à quocunque peccato, & cenſura; etiam Iubilei tempore conceſſis caſibus Bullæ Cęnæ, ſola hæreſi excepta, vt ſolitũ eſt infraſcripti abſolui poſſunt.

Primò, qui legerunt, detinuerunt, vel impreſſerunt Hæreticorum libros; ſi re ipſa non ſunt Hæretici, ac ſatisfecerunt Edicto S. O.

Secundò, Fautores, & Auxiliatores Hæreticorum, ſi non habuerunt errorem in intellectu, quia ſimilitèr non ſunt Hæretici, vt ſupponitur.

Tertiò, qui per annum inſorduerunt in excommunicatione pro S. O. contra ipſos lata: v. g. qui citati ad reſpondendum de Fide, contumaces fuerunt, quòd intellige, (ſatisfacto iàm S. O.) *Didacus Coarr. in cap. Alma mater p. 1.* §. 7. ratio eſt, quia, quamuis in iure habeantur, vt Hæretici: ſæpè tamen de facto non ſunt, vt notat *Henriquez lib. 6. c. 16. nu. 2. Sanchez lib. 2. cap. 12. nu. 12. Alphonſus de Leone, tract. de Offic. & poteſt. Confeſsarij tempore Iubilæi extraordinarij, quæſ. 6. nu. 45. & 46.* Vndè quando à parte rei non ſunt Hæretici abſolui poſſunt à quolibet Confeſſario: aliud .n. eſt reputari Hæreticum: aliud eſſe talem: aliqui .n. reputantur, qui non ſunt. *Souſa in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. cap. 27. nu. 1.* facit *l. Si maritus, §. Legis Iuliæ, & ibi Bart. ff. de adult. cum ſimil.*

DISTINCTIO SEPTIMA.

De Inquiſitoribus, & Ordinarijs quo ad prohibitionem, conceſſionem, lectionem, ac pęnam reſpectiuè librorum prohibitorum.

Abſoluiturq; tribus articulis.

Primus tangit facultatem Inquiſitorum circa librorum prohibitionem, eorumq; pænam in defectu proprij muneris.

Secundus demonſtrat, cuius ſit facultas cōcedendi, & legendi libros diuetitos, ac ſimul nonnulla enodat dubia.

Tertius reſpicit facultatem Inquiſitorum, ac eorum Commiſſariorum reſpectu librorum prohibitorum quo ad propriam ipſorum perſonam.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

An Inquiſitores in ſuo diſtrictu prohibere poſſint libros continentes dogmata expreſsè per Eccleſiam condemnata: ſi compoſiti ſint ab Auctoribus minimè nominatim condemnatis.

REſpr̄ affirmatiuè, ratio eſt, quoniam quæ ſemel damnata ſunt; abſq; noua condemnatione prohiberi poſſunt; ne nouis ſemper diſputationibus, quæ ſalubritèr ſunt ſemel ſancita; perturbentur, & in dubium reuocentur. Ita *Gelaſius in Epiſt. ad Epos Dardaniæ. Pegna 1. par. Comm. 6. Nemo clericus, C. de Sum. Trin. verb. Nam & iniuriam facit.* Similitèr 2. *par. Comm. ſub littera C.*

Itèm prohibere poſſunt libros continentes propoſitiones de hęreſi ſuſpectas, ſcandaloſas, erroneas, hæreſim ſapientes, à Fide Catholica quauis ratione diſcrepantes, & Chriſtianæ pietati, ac bonis moribus non conformes, quòd cauit Paulus Papa III. in quodam reſcripto: incipit: *In Apoſtolici culminis.* Vide *Director. Inquiſit. 3. par. in Bullis Apoſtolicis.*

Idem quoque poteſt reſpectu librorum ancipites, dubias, ſeu ambiguas propoſitiones habentium; quæ duplicem ſenſum habere poſſunt, vnum hęreticum, Catholicum alterũ; de quibus *Albertinus tract. de Agnoſcen. Aſſert. quæſt 34. nu. 50.* Verùm hoc intellige, quãdiù non veniant exponendæ (omnibus attentis) in ſenſu Catholico. legendus eſt *Pegna loc. cit.*

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

Quis poſſit concedere facultatem habendi, & legendi libros vetitos.

REſpondit *Reginaldus loco infra citando*, diſtinguendo de libris, aſſerit ad legẽdos libros inſimul diuetitos .s per Bullam Cęnæ, Indicem librorum prohibitorum, & Edictum S. Off. pertractantes de hæreſi ex profeſſo, aut de Religione; tantùm poſſe Sum. Pontificem, vel illum, cui hanc conceſſit facultatem, vtpotè eius Legatũ; verùm in caſu magnæ neceſſitatis, in quo neutri facultatem habere poſſit; præſumitur Papam cōcedere facultatem Epo diſpenſandi circa lectionem talium librorum. Cęterùm ad legendũ libros vetitos tantùm per Indicem librorum prohibitorum ex Conc. Trid. (per ſe loquendo) cōcedere poteſt Epiſcopus, & Gñalis Inquiſitor; quia facultas hæc ipſis in Indice librorum prohibitorum non aufertur, vt videre eſt de prohibitione librorum §. 2. Quinimmò ipſis permittitur licẽtia tradendi huiuſmodi libros viris doctis expurgandos; Hæc ità procedunt de iure veteri, & ità obſeruant *Reginal. lib. 9. num. 255. Bonacina de Cenſ. diſp. 2. punct. 4. propoſ. 2. nu. 10. Azor. par. 1. lib. 4. cap. 16. quæſt. 12.* De iure autèm nouo ſecùs dicendum eſt.

Notandum itaq; Gregor. XV. edidiſſe Conſtitutionem (incipit: *Apoſtolatus*, cui concordat itèm Conſtit. Vrbani VIII. eodemq; modo incipit) in quib. omnes, & quaſcunq; licentias legendi, atque habendi libros, quomodolibet prohibitos omninò reuocant. Si-

Simulq; præcipit, vt infra duorum mēſium ſpatium; ij, qui huiuſmodi libros habuerint; eos ad Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem deferant; qui illos quantò citiùs comburere debet; quæ ſanè Conſtitutio obligat etiam ad denunciationem detinentium dictos libros: & adimit facultatem concedendi licentiam, niſi à Congregatione S. O. Romæ concedantur.

Verùm non obſtante Conſtitutione prædicta à viris doctis, integræq; Fidei ex Vrbe (*vt refert Homob. de Exam. Eccleſiaſtico tom. 2. tract. 11. q. 15. ibi 4. q. reſolutione circa finem*) habetur libros, qui non ſunt Hęreticorum, nec de hæreſi, neq; falſis dogmatibus contra Fidem: aliqua tamen alia ex cauſa prohibitos; poſſe viris dignis ab Epō, vel Inquiſitore permitti; qui quidem gratis, & manu ſua (ſcripto ſubſignato) tribuent: & de triennio in triennium facultatē renouabunt. Videto Indicem librorum prohibitorum, vbi de inſtructione eorum; qui libris tùm prohibendis, tùm expurgandis daturi ſunt operam §. 2. incipit: *Si qui erunt*: hæc āt licentia deſeruiet pro foro exteriori: At pro foro interiori conſcientiæ facultas oretenùs habita ſufficere videtur per ea, quæ tradit *Gambarupta de Caſibus reſeruatis caſ. 3. nu. 21.* Hæc ità paulò priùs practicabantur: hodie autèm hanc facultatem concedit ſolùm Sac. Congr. vti obſeruat *Diana 4. par. Reſol. reſol. 47. ſub fin.* ex Conſtitut. Vrbani VIII. incipit eodem mogo, quo illa Gregorij XV. vz. *Apoſtolatus noſter &c.*

DIFFICVLTAS II.

An Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinaliū Generalium Inquiſitorum in Curia Romana impertiri poſſit licentiam legendi libros etiam hæreticos.

Reſpondetur affirmatiuè; ſed in plena Cōgregatione tantùm inſimul omnes, vel ſaltē maior pars: exceptis tamen libris Caroli Molinei, quos ſolus Summus Pontifex concedit, *Pius IV. Conſt. 82. apud Laertium tom. 2. Bullarum pag. 112. Clemens VIII. Conſtitut. 20. item apud Laertium tom. 3. pag. 25.* quas citat *Souſa in Aphor. Inquiſit. cap. 21. nu. 52. & 55.*

DIFFICVLTAS III.

An facultas habendi, & legendi Bibliam alicui conceſſam ad omnes de eius familia extendatur.

Reſpondetur minimè extendendā eſſe, niſi à Superiore cōcedente ſpecialis mentio fiat extēſionis. ità *Homob. de Exa. Eccl. to. 2. trac. 11. cap. 7. 39.* & ratio ea eſſe videtur, quia materia hæc (teſte *Homob. vbi ſupra*) ſtricti iuris eſt.

DIFFICVLTAS IV.

Cur prohibetur lectura Bibliæ vulgaris: cum non exiſtat minus ſancta in vulgari idiomate, quam in latino.

Reſpondet Regula quarta Indicis in hæc verba.. *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittatur plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam vtilitatis oriri*: hinc bonum interdum prohibetur ratione mali cōſequentis; *c. Ità ergo, & ibi gloſ. 1. 22. quæſt. 1.* item bono melius inuenitur, *l. Vbi autem, ff. de Stipulatio.* Quare elicio, bonum eſſe euitandum, ſi ex illo malum deſcendere poteſt, *Abbas in cap. Cum ab omni in 2. not. de vita, & honeſtate Clericorum*: & ſubinde nota mirabile; quòd malum in potentia excludit bonum in actu: & ideò melius eſt, vt prohibeatur Biblia Sancta in vernacula lingua, quam ſub ſpecie boni malum aliquod committatur.

DIFFICVLTAS V.

An ille, qui obtinuit licentiam legendi librum vetitum poſſit huiuſmodi librum legere extra Diœceſim concedentis.

Reſpondetur affirmatiuè: tùm, quia talis facultas iudicialem cauſæ cognitionem non poſtulat; hoc tamen intelligitur modo in loco, vbi Priuilegiarius reperitur; non extet aliqua ſpecialis prohibitio contraria, cui ipſe ſubijciatur, vt notat *Naldus ver. Liber, num. 6. Nauarr. in conſ., conſ. 15. de Priuilegijs. Azor. par. 1. lib. 3. cap. 23. quæſt. 6. & alij*: tum quia hæc facultas nihil aliud continet, quam gratiā, gratia autèm, quæ perſonæ confertur, perſonā ſequitur. *cap. Sanè, de Priuilegijs.*

DIFFICVLTAS VI.

An Epiſcopus poſſit concedere libros pertractantes de hæreſi ex profeſſo, aut Hæreticorum de Religione.

Reſpondetur negatiuè, nec etiam in ijs locis, in quibus Catholici cum Hæreticis promiſcuè cōmorantur: tū, quia nō habet ius in ijs, quæ Decreto Papę ſancita ſunt. ità *Azor. par. 1. lib. 8 cap. 16. ibi ſeptimo quæritur.* tùm quia ſi par in parem non habet imperiū, *l. Ille, à quo, ff. ad Treb. quomodo in Superiorem?*

DIFFICVLTAS VII.

An Epiſcopi, & Inquiſitores librorum prohibitorum, lectionem, aut falſorum dogmatum prædicationem permittentes in aliquam incidant pœnam.

Reſpondetur affirmatiuè; patet ex *Clementina 1. de pœnis, & ex cap. Excommunicamus 1. §. Volumus de Hæreticis*, quòd notat *Pegnā ad Direct. par. 2. Comm. 2.* qui prologuitur in hunc modum: *Epiſcopus, ſeu alius Fidei Iudex potens impedire, & prohibere librorum lectionem, aut dogmatum hæreticalium prædicationem in ſua Diœceſi, aut negligens punire Hæreticos; cùm poſſit eos capere, & punire: aut quid ſimile faciens, aut facere omittens; quod in detrimentum Fidei conuertatur, Hæreticus iudicari poteſt in foro exteriori: & ſicut talis tractari in Sacro Inquiſitionis Tribunali*: cuius rationem paulò inferius reddit; tum quia, quotieſcunque poteſt aliquis contradicendo actum impedire; ſi non impediat, ſed taceat, & diſſimulet, conſentire præſumitur: tum quia, cui ex officio incumbit reuocare ab errore errantes in Fide, & negligit; ſeipſum errare demonſtrat. facit *cap. 2. Qui alios, de Hæreticis.* Et circa medium dicti Commenti loquens in particulari de Epiſcopis, eſt in hæc verba: *Negligentes Diœceſim ab hæreſibus purgare, non ſolùm ſeuerè puniendos eſſe, ſed ab Epiſcopatu etiam remouen-*

nendos. cap. Excommunicamus,el primo, §. Volumus, de Hæreticis, vbi ſic ſcriptum eſt: *Si quis .n. Epiſcopus ſuper expurgando de ſua Diœceſi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus, cum id certis indicijs apparuerit; ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius alius ſubſtituatur idoneus; qui velit, & poſſit hæreticam cõfundere prauitatem.*

Nota hæc dicta eſſe reſpectu illorum, qui cũ poſſint prohibere non prohibent: nam ſunt aliqui verè deſiderantes prohibere: ſed multis de cauſis præpediuntur, quas recenſere longũ eſſet, nec expedit: iuxta illud: *Multa mihi licent, quæ non expediunt.* Quare, niſi conſtet de eorũ negligentia; non debent puniri, nec in Fide infirmi haberi: graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia, 11. *quæſ. c. Graue ſatis.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
An Inquiſitores, eorumue Commiſſarij libros damnatos legere poſſint.

RE ſpondet *Pegna loc. infr. cit.* prohibitionem de legendis Hæreticorum libris non comprehendere Hereticæ prauitatis Inquiſitores: nec eorum ſubſtitutos, ſeu Vicarios, patet ex *Iulio 3. in Reſcripto, cum meditatio, ibi, Inquiſitoribus, ſeu Commiſſarijs ſuper Hæretica prauitate ab Apoſtolica Sede pro tempore deputatis: durante ipſa deputatione dumtaxat exceptis.*

Et quamuis Reſcriptum huiuſmodi videatur ſolùm comprehendere Inquiſitorum Cõmiſſarios auctoritate Apoſtolica creatos: non autem eos, quos ſibi Inquiſitores conſtituunt: attamen *Pegnæ par. 2. Commen. 3. ſub lit. D.* videtur idem de Commiſſarijs ab Inquiſitoribus ipſis, conſtitutis: cùm illi quoque auctoritate Apoſtolica deputati videantur; eo ipſo, quòd ab Apoſtolicis Inquiſitoribus conſtituuntur.

Verùm ad tollendum omne dubium, ſentit; quòd prudentèr ſe gerent; ſi, cum creant ſibi Commiſſarios; expreſsè etiam declarent eis competere hanc facultatem. ità *Pegna ferè in terminis proprijs.* Hæc procedunt iure veteri; ſed iure nouo attendere debent S.D.N. Gregorij XV. Conſtit. omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros prohibitos reuocantem, incipit: *Apoſtolatus*, quæ extenditur contra quaſcunque perſonas cuiuſcũque gradus, & conditionis exiſtentes, obſeruariq; operæ precium eſt.

DISTINCTIO OCTAVA.
De combuſtione librorũ prohibitorũ.

Hanc diſtinctionem partimur in duos articulos.

In primo examinatur, ſi Eccleſia benè ſe habeat præcipiendo combuſtionem dictorum librorum.

In ſecundo diſcutitur de peccato, & cenſura non deferentis dictos libros cenſoribus Fidei; ſed per ſeipſum illos comburentis.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA:
Eccleſia an benè ſe habeat præcipiendo, vt prohibiti libri comburantur, eorumq; lecturam inhibendo.

SVppono in Eccleſia Catholica eſſe poteſtatem nedum ad prohibendos libros, ſed etiam ad illos concremandos: nam hoc negare Hæreticum eſt. *Suarius de Fide tract. 1. diſp. 20. ſect. 2. nu. 4. & ſeqq.*

Reſpondetur affirmatiuè, quemadmodum .n. in die iudicij extremi corpora vnà cũ animabus cõdemnabuntur; quia mala cum ipſis cooperauerunt; ità quilibet liber ex bonis, prauisq; doctrinis contextus, taliter comburi debet; quia bonæ doctrinæ cum malis implicitè ad eundem finem .s. decipiendi fideles ſimplices ordinantur, qui candorem lucis ignorant; etiam obſcura pro lucidis approbant. huc ſpectat illud *Gregorij V. Moralium ſuper Iob cap. 3.* Habent quippè hoc Hæretici proprium; vt malis bona permiſceant, quatenùs facilè ſenſui Audientis illudant; ſi enim ſemper praua dicerent, citiùs in ſua prauitate cogniti, quod vellent minimè perſuaderent: & paulò inferius, idem repetit his verbis: itaq; *Hæretici permiſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona; Auditores ad ſe trahant: & exhibendo mala latenti eos peſte corrumpant.*

Hùc etiam reſpicit illud *Lucæ c. 4.* vbi prohibet Chriſtus Dæmonibus è corporibus humanis exeuntibus ipſius Aduentus publicationẽ; ne hinc quis occaſionem ſumeret præſtandi illis Fidem; quia in hoc caſu verum dicerent.

Idem proloquitur *Pſalmiſta in perſona Dei, Pſal. 49. Peccatori autem .s. Hæretico dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

Itidèm ob dictã cauſam ſanctiſsimè prohibet Hæreticorum librorum combuſtionem: vera .n. falſis, & bona malis permiſcent, vt decipiant; nam ſi ſola falſa, & mala dicerent; ſtatim ab omnibus reijcerẽtur: ſi verò tm̃ vera, & bona, Hæretici non eſſent; itaq; de induſtria omnia miſcent; vt ex malis bona inficiant: & per bona, mala ſua abſcondant; vndè *Hieronym. ad Lætam Epiſt. 7. Venena*, inquit, *non dantur, niſi melle circummelita.* Quòd, ſi bona, & vera cognoſcere cupimus; faciliùs, & ſecuriùs ex Catholicorum, quàm Hæreticorum libris cognoſcemus, iuxtà illud eiuſdem *Hieronymi Epiſtola 10. ad Furiam: Eorum dumtaxat tractatus lege, quorum Fides nota eſt: non neceſſe habes, aurum in luto quærere. Becanus in Compen. contron. huius temporis cap. 11. nu. 3.* nec etiam Deus aliquid ſingulare boni per peruerſos diffundit; quod non multò vberius per organa S. Sancti communi-

municet: ille .ſ. Spiritus Sanctus docebit vos omnia: & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.

Dices, aliquando neceſsè eſt Hæreticorum libros legere, præſertim, quando errores illorũ confutandi ſunt; qui aliundè, quàm ex eorum libris integrè, & certò cognoſci non poſſunt: ergò Eccleſia malè ſe habet præcipiendo ipſorũ combuſtionem. Reſpondetur, quòd tempore incũbentis caſus, vel neceſſitatis noſſent DD. Eccleſiæ abſq; Hæreticorũ libris reſpondere, ac ſoluere eorum apparentes primo acceſſu veritates: quòd, ſi neceſſe foret ad cõſutationem aſſignare capitula, §., aut numeros, vbi in ſpecie allucinantur; tunc vnus, vel ad ſummũ duo libri ſufficerent; qui ex diſpenſat. Superiorũ remanere deberẽt apud viros sũma pietate, & ſcientia præditos. ità *Becanus lib. 5. cap. 11. Controuerſiarum inter Catholicos, & Hæreticos noſtri temporis:* & præter libros Hæreticorum de hæreſi ex profeſſo: vel de Religione; ſummoperè conſulitur vtilitati Eccleſiæ; ſi comburantur libri, in quibus traditur modus habendi reſponſa à Dæmonibus in imaginibus, annulis, ſpeculis, phialis, aut rebus quibuſcunque: ſciant autèm, qui legunt, aut retinent huiuſmodi damnatos libros, quòd præter alias grauiſſimas pœnas quibus afficiuntur, ipſo facto excommunicari: conſtat ex *Conſlit. 13. Ioann. 22.* quam habes apud *Laertium tom. 1. Bullarum Apoſtol. pag. 66. Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 21. nu. 51.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An peccet, qui libros Hæreticorum, aut de hereſi ſuſpectorum Cenſoribus Fidei non conſignat; ſed per ſe ipſum illos comburit.

RAtio difficultatis eſt, quia ad tradita Ariſt. quod poteſt fieri per pauciora ęquè benè; non debet fieri per plura; idipſum dictante ipſomet lumine naturali: nam neque labor, neque tempus fruſtrà conſumendum eſt; videtur autèm, quòd quiſque ęquè benè, ac Cenſores Fidei comburere poſſit libros Hęreticorum, aut de hęreſi ſuſpectorum: quare combuſtor minimè peccare videtur.

Azorius part. 1. lib. 4. cap. 16. ibi Vndecimo, duas affert opiniones, quarum altera ſentit id iure facere poſſe vnumquemque fidelium, lege *Repertorium Inquiſitorum, verb. Comburi, Zanchinum de Hęreticis cap. 7. nu. 7.* vbi *Campegius*, qui tamèn iudicat tutius eſſe illos Inquiſitori deferre; hanc ſententiam refert *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 5. punct. 4. nu. 16.* ſed ſub ſilentio inuoluit Auctores.

Altera verò, quam ipſe *Azorius ſequitur cum Sanchez in Opere Morali lib. 2. cap. 10. num. 56.* defendit non ſufficere, ſi quiſque per ſe ipſum illos comburat; ſed huiuſmodi libros eſſe Fidei Inquiſitoribus tradendos, vti patet *ex Conſtitut. Iulij Tertij, incipit: Cum meditatio*, quam notat *Trullench in Expoſit. Decal. lib. 1. cap. 3. num. 26.* quinimmò *Souſa in Aphor. Inquiſitorum lib. 1. cap. 21. nu. 30.* tradit illos comburentes (.ſ. propria auctoritate) ſubijci excõicationi; & quidem cõſentaneum eſt, tùm quia ex omiſſione traditionis, multi libri, quorum nomina, & auctores adhuc ſunt ignota Eccleſiæ; in ſpeciè non poſſunt damnari: tùm quia ob huiuſmodi omiſſionem Cẽſoribus Fidei aufertur opportuna occaſio interrogandi detentores de multis; v. g. vndè habuerint huiuſmodi libros; an illos ex profeſſo, aut ſolùm ſuperficialitèr legerint: an alijs accomodauerint; an multis, vel paucis, &c. vt indè ſubditorum ſuorum conſcientijs opportunè conſulere poſſint; ſerpit .n. hæreſis non minùs ac cancer: quare non impigrè occurrendum eſt illius periculis: faciunt, quæ tradit *Pegna ad Direct. Inquiſ. part. 2. Comment. 3. verſ. Pręterea. Flauius Cherubinus in Compendio Bullarij ad Bullam Pij Quarti 76.* incipit: *Cum pro munere, ſcholio 2.* hinc patet nõ ſatisfieri S. Tribun. intentioni; cum quis per ſe ipſum comburit dictos libros: nam eorum combuſtio nõ eſt tota cauſa præcepti; ſed aliæ etiam, vt ſupra innui: Vndè euacuatur ratio difficultatis ab initio obiecta: non enim æquè benè illi ſatisfit; quando quis per ſe prædictos comburit libros.

Prædictum autèm præceptum deferendi dictos libros, comprehendit etiam ſcripta, libros .ſ. Hæreticorum non impreſſos: quia adhuc libri ſunt; & in eis idem venenum, & contagiũ latere poteſt; ità *Bartholamęus Vgolinus de Cenſ. Sum. Pont. reſeruatis par. 2. nu. 1. verſ. 4. referẽs Farinacium de Hęreſi, quęſ. 180. num. 30. Flauius Cherubinus in Compẽdio Bullarij ad Bullam Pij IV. 77. ſcholio 1.; qui addit ſcholio immediatè ſequẽti.*

Idem ob annotatam rationem tenendum eſſe de libris Catholicorum cum ſcholijs, vel adnotationibus Hæreticorum; *Iacobus de Graſſijs lib. 4. Deciſ. cap. 18. nu. 43. Farinac. vbi ſup.*

Verùm notare oportet, quòd non venit denunciandus; qui librum hæreticum, vel falſam doctrinam continentem propria auctoritate comburit; quia non fit ob hanc combuſtionẽ de hęreſi ſuſpectus; ità *Sanchez lib. 2. Moral. cap. 10. nu. 56. Farinac. de Hęreſi quęſ. 180. nu. 40. Pegna ad Direct. par. 2. Comment. 3.* quos ſequit *Souſa in Aphor. Inquiſit. lib. 1. cap. 21. nu. 3.*

Cęterùm loquendo de alijs libris ob aliam rationem, quam ob hæreſim prohibitis: ex. gr. quia obſcęni, laſciui, &c. diſtinguendum eſt de iure Iudicis antiquo, vel nouo: loquendo de antiquo tradit *Poſſeuinus de Off. Curati c. 12. quæſito 55.* poſſe Curatum eos comburere, vel ità lacerare, vt nulli ſint vſui, addens communitèr ità practicari.

Verùm iure nouo .ſ. *Conſlit. Greg. XV.* incipit: *Apoſtolatus Officium*, certum eſt non poſſe quempiam propria auctoritate libros prohibitos comburere; ſed eos cum effectu locorum Ordinarijs, vel Inquiſitoribus Ciuitatum, in quibus huiuſmodi libri exiſtunt, aſſignare debet.

Tri-

Tria tamen veniunt notanda. Primum eſt, quod Conſtitutio intelligitur, ſi obſeruari poteſt abſque graui incommodo, detrimento, aut periculo.

Alterum eſt, quòd comburẽs dictos libros, quamuis malè ſe gerat: nullam tamen obindè ſuſpicionem de Fide, vt alibi dixi, incurrit. ità *Homobonus de Examine Eccl. to. 1. tract. 11. cap. 7. Azor. par. 1. lib. 8. cap. 16. quæſito 11. & alij contra Souſam vbi ſupra.*

Tertium eſt, quòd de denunciatione detinentium, aut legentium dictos libros nullam explicitè facit mentionem Edictum Inquiſitoris, quòd exponimus, conſtat legenti ipſum.

DISTINCTIO NONA.

De librorũ Auctoribus, Impreſſoribus, Defenſoribus, Tranſportatoribus, & Corruptoribus, ſeu Falſificatoribus.

Præſens autèm diſtinctio penès quinque prædicta nomina quinque formantur articuli, quorum

Primus reſpicit librorum Auctores.

Secundus, librorum Impreſſores.

Tertius, librorum prohibitorũ Defenſores.

Quartus, librorum Tranſportatores.

Quintus denique librorum Corruptores, ſeu Falſificatores, & tranſcribentes.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

A librorum Auctoribus quales conditiones euitari debent.

RESpondeo ſequentes;

Primò, hæreticæ, erroneæ, hęreſim ſapientes, ſcandaloſæ, piarum auriũ offenſiuæ, temerariæ, ſchiſmaticæ, ſeditioſæ, blaſphemæ, quas declaratas habès apud *Lazarium Can. & Tract. QQ. quæſt. 12. nu. 87. Bariolam in fin. 1. tomi ad Pegnam. Gryſaldũ in Deciſionibus Fidei Cathol. & Apoſt. pag. 2. & 3.*

Secundò, quæ contra Sacramentorum ritus, & cęremonias: cõtraq; receptum vſum, & conſuetudinem S. R. E. nouitatem aliquam aliquam inducunt.

Tertiò, profanæ, etiam nouitates vocum, ab Hęreticis excogitatæ, & ad fallendum introductæ.

Quartò, verba dubia, & ambigua, quæ legentium animos à recto, catholicoq; ſenſu ad nefarias opiniones adducere poſſunt.

Quintò, verba ſacræ Scripturæ nõ fidelitèr prolata: vel à prauis Hęreticorum verſionibus deprompta; niſi fortè afferrentur ad eoſdem Hæreticos impugnandos, & proprijs telis iugulandos, & conuincendos.

Sextò, itèm verba ſacræ Scripturæ, quæ ad prophanũ vſum impiè accomodantur: itidèm, quæ detorquentur ad ſenſum declinantem à Catholicorum Patrum, atq; Doctorũ vnanimi ſententia.

Septimò, importantes epitheta honorifica, aut aliud in honorem Hęreticorum.

Octauò, quæ ſapiunt Superſtitiones, Sortilegia, Diuinationes.

Nonò, quęcunque Fato, aut fallacibus ſignis, aut Ethnicæ fortunæ, humani arbitrij libertatem ſubijciunt.

Decimò, quæ Paganiſmum redolent.

Vndecimò, quæ famæ proximorum, & maximè Eccleſiaſticorum, & Principum detrahunt: boniſq; moribus, & Chriſtianæ diſciplinæ ſunt contrariæ.

Duodecimò, quæ ſunt contra libertatem, immunitatem, & iuriſdictionem Eccleſiaſticã.

Decimotertiò, quæ ex Gentilium politijs, moribus, exemplis tyrannicam politiã fouent.

Decimoquartò, quæ Eccleſiaſticos ritus, religioſorum Ordines, ſtatum, dignitatem, ac perſonas lædunt, & violant.

Decimoquintò, quæ inuoluunt in ſe facetias: item dicteria, vulgò (*motti, che pongono*) in perniciem, aut præiuditium famæ, & exiſtimationis aliorum, iactata.

Decimoſextò, cõtinentia laſciuias, quæ bonos mores corrumpere ſolẽt. Faciunt, quæ tradit *Index libr. prohibitorum; Braſichell. vbi de Correct. libr. §. 2. & Capifer eodem in loco.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ librorum impreſſores in primis attendere debeant.

REſpondeo duo eſſe illis attendenda: primò ea, quæ habentur in Indice de librorum impreſſione: ſecundò ea, quæ traduntur in primo Canone Bullæ Cœnę de imprimentibus.

Circa Indicem attendere debent regulas traditas loc. cit. §. 3. quarum

Prima eſt, ne in grandiuſculis litteris obſcęnas, turpesuè imagines imprimant.

Secunda, ne ad libros Eccleſiaſticos, aut ſpirituales characteribus grandioribus vtantur, in quibus apparẽt alicuius rei prophanæ ſpecies.

Tertia, præter nomen Impreſſoris, & locum impreſſionis, etiam annum, quo liber impreſſus eſt in eius principio, atq; fine annotare debent; & hoc Epiſcopi, atq; Inquiſit. curæ eſſe debet, vt patet in dicto §.

Quarta, vt iureiurando ſpondeant coram Epiſcopo, aut Inquiſitore; & Romæ coram Magiſtro Sacri Palatij ſe munus ſuum catholicè, ſincerè, & fidelitèr exequuturos; Indiciſq; Decretis, ac Epiſcoporum Regulis, & Inquiſitorum Edictis, quatenus eorum artem attingunt, optemperaturos.

Itèm, quod ad ſuæ artis miniſterium, neminem, qui hæretica labe ſit inquinatus, ſcientèr admittent.

Quinta eſt, quòd, ſi aliquis ex Impreſſoribus fuerit

fuerit inſignis, ac eruditus; Fidem Catholicam iuxtà formam à Pio IV. felic. rec. præſcriptam arbitrio dictorum Superiorum profiteri tenẽtur; patet loc. cit. §. 6.

Sexta, in caſu, quòd denuò imprimendus ſit liber Auctoris dãnati, qui permittitur expurgari ad præſcriptum regularũ; obſeruare debent, quæ traduntur ipſis in *Ind. lib. prohib. loc. cit.* §. 7.

Quantum autèm ad Bullam Cœnæ; in illam incidunt: primò, qui librum Hæretici damnati, de hæreſi, aut de Religione tractantem imprimendum tradit. Secundò, Typographus, qui illum ſuſcipit imprimendum. Tertiò, qui Typos ordinat. Quartò denique, qui imprimunt: quod notat *Layman. cum alijs apud ipſum lib. 2. tract. 1. cap. 14. nu. 7.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An denunciandi veniant, & excommunicationi Bullæ Cœnæ ſint ſubiecti imprimentes, aut defendentes ſcripta, aut libros Hæretici de hæreſi differentes, vel de Religione tractantes.

RESpondeo prædictos dicto periculo ſubijci; patet ex litera textuali, ibi: *Che habbiano hauuto, ò habbiano &c. che gl'habbino letti, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti ſtampare.* (nota) *ò diffeſi, &c.*

Quod etiam ſint excommunicati Bullæ ſubiecti: patet primò reſpectu imprimentium. Sciendum eſt autèm imprimentium nomine omnes comprehendi; qui ad libri impreſſionẽ propinquè operantur, de quibus ſupra proxima diffic. vz.

Primò, qui librum imprimendum tradit.

Secundò, Typographus, qui illum ſuſcipit.

Tertiò, qui Typos ordinat.

Quartò, qui imprimũt, quod notat *Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 14. nu. 6. citans alios.* Patet idem reſpectu quomodolibet defendentium. Defendentium autem nomine veniunt illi, qui librum Hæretici, quatenus talis, commendãt. *Laymann loc. cit.* quod intellige, niſi ſtylus, aut eloquentia laudetur. Conſtat autèm vtrũque legenti primum Canonem dictæ Bullæ: & Edictum S. Inquiſitionis.

Itidem nomine Defendentium veniunt nõ ſolùm, ſi publicè libros prædictos defendant; ſed etiam ſi occultè, niſi illud particulare defendant, quod in illis Catholicum eſt. *Sanchez lib. 2. Moralium cap. 10. nu. 58. Farinacius de Hereſi queſ.* 180. *nu.* 12. quos ſequitur *Souſa in Aph. Inquiſ. lib. 1. cap. 2. num. 33.* prætereà nomine Defendentium etiam cenſentur; qui dicunt prædictos libros non eſſe comburendos, aut prohibendos. vt notat *Souſa loc. cit. num. 34. Inherens Suario de Fide tract. 1. diſp. 20. ſect. 2. num. 23.*

Demùm nomine Defendentium intelligũtur illi, qui opere, & facto operantur; ne prædictos libros ad manus Inquiſitorum deueniant, *Suarius loc. cit.*

Verùm animaduertendum denunciationẽ prædictorum non fieri vi Bullæ; cum ipſa præciſè forum Sacramenti Pœnitentiæ reſpiciat; ſed vi Edicti S. Inquiſitionis; E contra reſeruatio abſolutionis fit Summ. Pontifici vi Bullæ Cœnæ: Reſeruatio verò abſolutionis, de qua Edictum; pertinet ad Inquiſitorem Edicti promulgatorem: itèm ad Sacrum Tribunal Romæ (diſiunctiuè loquendo) quibus præcisè integrum eſt illam impertiri inobedienti eorum Edicto; qui nec ab illa abſoluetur, niſi prius præſtita obedientia S. Tribunali: conſtat ibi: *Ne ſarà aſſoluto, ſe prima giuridicamente reuelando &c. non haurà ſodisfatto.*

Veniunt itidèm denunciandi, vtpotè de Fide ſuſpecti, qui corrumpunt libros Catholicorum, immiſcendo Catholicæ doctrinæ dogmata hæretica. *Pegna ad Direct. part. 2. Commen. 17. verſ. Denique. Menoch. de Arbitrar. caſu* 549. *Farinac. de hereſi, queſ.* 180. *nu.* 14. Sed de his infra art. vlt.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An ſit de hæreſi ſuſpectus, & proinde Cenſoribus Fidei deferendus; qui damnatos libros ex alicuius commiſſione ex prouincijs Hæreticorum ad fidelium Catholicorum terras defert: v. g. ratione ſtipendij, vel non.

QVO ad Delatorem, dico reſponſionem ex coniecturis ſupra allatis petẽdam eſſe: attendendum nanque eſt, an delator nouerit, vel ignorauerit, quid deferret, librorumq; qualitatem: ſi nouerat; redditur ſatis ſuſpectus; maximè, ſi concurrant adminicula, vndè venit denunciandus: quòd ſecus eſt, ſi ignorabat: faciunt ad hoc præcepta Reuerendiſs. F. Ambroſij Ruggieri Inquiſit. Generalis Mediolani, ibi: *Commandiamo à Datiari &c.* itèm ibi: *Commandiamo à tutti i Mercanti, à quali ſogliono capitare fagotti, ò balle, &c. che ritrouando in detti fagotti, ò balle libro, ò libri, &c.* itidem ibi: *Commandiamo à Librari, & à tutti quelli, che vendono libri, &c.* conſonantq; præcepta hæc Regulæ 10. Indicis, ibi, quòd ſi: & ibi nemo verò audeat.

DIFFICVLTAS II.

An aſportantes Hæreticorum libros ex hæreticis locis ad Catholicos ſint de hereſi ſuſpecti: remiſſiuè

Lib. 14. diſt. 7. art. 3. diff. 1.

DIFFICVLTAS III.

In quas pœnas incidunt dicti librorum tranſportatores.

RESpondeo, qui libros Hæreticorum, aut propter hæreſim, aut falſam, & ſuſpectã doctrinam prohibitos, ad terras fidelium deferunt; habẽtur in S.O. Heret. fautores: in excõmunicationem incidunt, eorũq; bona confiſcantur: quod, ſi viles ſint perſonæ; verberibus ſubijciuntur: at ſi honeſtiores exiſtunt, in exilium deportantur, iuxtà placitum Inquiſitorũ. legẽdus eſt *Pegna ad ſecundã par. Direct. Inquiſ. Commen. 7. cap. Nouerit de Sent. excõic. verſ. Idem iudico. Azor. in Sum. par. 1. lib. 8. cap. 17. quæſ. vlt. Farinac. de Hæreſi quæſ.* 180. *nu.* 15. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 21. nu.* 41. in foro autèm Sacramenti attenditur, an ſint verè Fautores.

ART.

ART. V. DIFFICVLTAS I.

An, qui libros Catholicorum falſant, aut corrumpunt, aut ſanæ doctrinæ hæreticæ dogmata immiſcent, cenſendi ſint Hæretici.

RESpondet *Pegna part. 2. Comm. 17. ſub lit. E.* affirmatiuè innixus *Synodo Conſtantinopolitanæ Sextæ actione* 13. quam affert *Iuo part. 4. cap.* 158. in hæc verba: *Præcipimus illos, qui falſauerunt libros Catholicos anathemati ſubijci, & cum Hæreticis anathematizari:* Iſta autèm verba (vt inquit ipſe Pegna) indicant eos, qui talia faciunt Hæreticos eſſe putandos: Ego verò verſans in foro poli ſentio patratores huiuſmodi ſcelerum eſſe, quam diligentiſſimè interrogandos; quo motiuo hæc patrarunt, an fouendæ, vel ſtabiliendæ hæreſis gratia; an aliquo prętio corrupti: vel ſuperbia moti: v.g. ad corroborandam ſentęntiam à ſe, vel à ſuis amicis, aut parentibus prolatam; ipſo tamen falſificatore cum alijs à ſe defenſis, veritatem; quæ vna eſt ab Eccleſia Catholica Romana ſemper retenta; hinc Confeſſarius iuxtà diuerſum motiuum; primò conijciet, num pęnitentem abſoluere poſſit. Secundò, quam pœnitentiam in foro Sacramenti illi imponere debeat: debet nanque illi in ſpecie diſtrictè imponere, vt ſcripturas in integrum reſtituat, prout prius iacebant: nec illum abſoluere debet, niſi prius admonitum in quantum malum ob eius auaritiam, vel ſuperbiā inciderit; aliòquin partes Medici ſpiritualis minimè explebit.

Pluribus autèm modis huiuſmodi falſificatio, ſeu corruptio librorum Catholicorū fieri poteſt; nimirùm, diminutione, additione, mutatione, falſa compoſitione, interpretatione, allegatione perperàm facta: dignoſcunturq; gradus peccati falſificationis, ſeu corruptionis ex ſubiecta materia librorum de Religione tractantium: quo enim (cæteris paribus) corruptio, ſeu falſificatio eſt præſtantioris ſcripturæ; eò grauior culpa; iuxtà illud: corruptio optimi peſſima. Vndè grauior eſt corruptio, ſiuè falſificatio librorum Canonicorum, ſcil. noui, aut veteris teſtamenti, quam corruptio, aut falſificatio librorum SS. PP.

Itèm grauius eſt corrumpere, vel falſificare libros SS.PP., quàm illos cęterorum Doct. minorem habentium auctoritatem. faciunt tradita per *Capuleum ad Prologum D. Bonau. ſuper 1. Sent. quęſ. 1. punc. 4. circa finem.*

Illi paritèr grauitèr peccant, ſeueraq; animaduerſione ſunt plectendi; qui libris Hęreticorum, nomina, & titulos Catholicorum, aut virorum Sanctorum imponunt; vt ſanam, ac Catholicā doctrinā cōtinere cēſeantur; quòd ſanè mendacium à peſſimis inuentum eſt ad decipiendum incautos, hęreſesq; introducendas. faciunt allata per *Pegnam loc. cit. ſub fine: Farinac. de Hæreſi, quæſ.* 180. *num.* 14 *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 44. qui etiam ſentiunt falſificantes, ſeu corrumpentes libros Catholicorum: illiſq; hæretica dogmata immiſcentes, nedum ſuſpectos eſſe de Fide, ſed etiam excommunicatos.

DIFFICVLTAS II.

Quid circa tranſcribentes damnatos lib. obſeruandū eſt.

RESpōdetur attendendum eſſe, an tranſcribens ſit diſcipulus de mandato Magiſtri: vel ipſe Magiſter: Similitèr, an diſcipulus ignoret, quæ ſcribit: vel è contra ſciat, quæ ſcribit: Itèm, an ſit famulus, qui iubente Domino librum, vel libros, ſeu quamlibet damnatam ſcripturam, aut impia dogmata ſcribit, ignorans qualia ea ſint: aut è conuersò ſciens. Itidē an ſcriptor, vel tranſcriptor ſit pretio conductus, & ſcribat neſciens, ſe venenoſa dogmata ſcribere: aut è contra ſciens. Similitèr ſi ſibi, vel alteri ſcientèr ſcribat, quæ damnata eſſe intelligit. Ex his coniecturis quiſque dignoſcere poteſt; an tranſcriptor, vel ſcriptor damnatorum librorum veniat, nec ne denunciandus. faciunt tradita per *Pegnam par. 2. Comm. 17. ſub lit. C. & D.*

COMMENTARIORVM EDICTI S. OFFICII PARS IV. LIBER XXVI.

Vbi diſſeritur de erroribus, ac propoſitionibus falſis, nedũ Priſcorum Philoſophorum, falſorum Catholicorum, & Hæreticorum noſtri temporis: tangiturq; in textu implicitè, ibi: *Dichiarando, che per la ſopradetta eſpreſsione de caſi da Noi ſpecificati da riuelarſi, non eſcludemo gli altri caſi ſpettanti al S. Officio, che per altro ne i Sacri Canoni, Decreti, Conſtitutioni, e Bolle de Sommi Pontefici ſono compreſi.*

Not. primò in tres claſſes diuidi errores; alij nanque ſunt antiquiſſimi, vt illi Ariſtotelis, Auerroæ, Auicennæ, & cæterorũ priſcorum Philoſophorũ: item alij ſunt antiqui, vt illi, de quibus Eymer. in Direct. par. 1. in Summario; *ſupereſt modo, vt proſpiciamus errores Hæreticorũ noſtri temporis; maximè cũ ratione mercaturæ pluribus ex noſtris ſæpiùs apud illos eſſe contingat; nam bonum eſt ex integra cauſa: immò iſtos potiùs introſpicere debemus, quia magis vrgent ob locorum vicinitatem.*

Nec obſtat integra Fides Cenomanorum: quia melior illorum medicina eſt conſeruatio in ſanitate Fidei, in qua nunc ex Dei gratia ſunt. (Cenomani ſunt populi Galliæ Ciſalpinæ, teſte Plinio lib. 3. c. 19. *ſ. Bergomũ, Brixia, Cremona, Verona, Mantua, Tridentum, Nouarias, Mediolanum, Ticinum, &c.)*

Not. ſecundò, connexionem inter præcedentem librum, & præſentem hanc eſſe; quia parum referret noſſe quales libros poſſumus perlegere, & retinere, qualeſue reijcere, niſi inſimul dignoſceremus qualitatem errorũ fugiẽdorũ: finis autem eſt cõſumatio actus, l. Quæſitum, §. Illud, ff. de Lega. *factũ eſt autem opus hoc pro dicta cognitione habẽda; vndè tractatus iſte fuit primus in intentione, lz. extiterit vltimus in executione, & poſitione: Vndè, cũ primò in loco fuerit in mente mea conceptus, & nominatus; fuit quoq; mihi magis dilectus, vtpotè alijs libris vtilior, ac vniuerſalior, iuxta illud legis,* c. Si quis de Electione in 6. l. Si communis ſeruus 2. ff. de Stipulat. ſeruorum: *itemq; quia cum ſit finis, nobilior eſt omnibus, quæ ſunt ad finẽ.*

Iſtius libri vtilitatem dignoſces, ſi attendas, quòd reſecatis ambagibus veritas Catholica perſpicuè proponitur, & quòd aduerſaria falſitas nitidè, & validè euertitur: potiſſimùmq; intelliges diſcrimina de Fide, & Religione inter Cath. & Hæret. ſequarq; præcipuè doctrinam Becani in lib. Controuerſiarum; itèm Bellarmini in lib. Controuerſiarum, Lippomani, &c.

Notandum tertiò, quòd, ſi mihi denegatus fuiſſet huiuſmodi finis, fortaſsè priores libros

non

non exorſus fuiſſem, iuxtà illud: denegato qualicunque fine; denegatum cenſetur qualecunque eius principium, l. Oratio, ſi. de Sponſal. *nunc autem habito fine, attende illius vtilitati, nam origo bonorũ nõ eſt attendenda: ſed illorũ finale dominiũ*, l. Si Auia, ff. de Donationibus, pulchrè Ancharanus conſ. 50. viſis diligentèr circa medium. *Volui autem hæc præmittere, tum quia ad interpretationem ſequentium errorum non illotis manibus, nec ommiſſis initijs eſt accedendum: tum vt magis accendaris ad iſtius libri perlectionem.*

Notandum quartò, quòd circa librum iſtum diſcurram præcipuè de Semitis Catholicorũ, & ſcopulis, in quos illiduntur Hæretici moderni: priùs tamen oſtendam Semitas Catholicorum, quam ſcopulos Hæreticorum; vt ex recto perfectius obliquũ ſecernatur; nam oppoſita iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt.

Notandum quintò, quamuis vt plurimùm in hoc tractatu refellam Hæreticorum aſſertiones, vtpotè falſas: non ſatis tamen, vt par eſſet; cuius ratio eſt, quia non afferuntur in medio, vt diluendæ, aut retundendæ; ſed, vt cognitione veritatis quiſque generatim cognoſcat, quos denunciare tenetur.

Notandum ſextò librum iſtum partiri in duodecim Diſtinctiones, quarum

Prima eſt de Scopulis, ſeu erroribus in genere.

Secunda eſt de Scopulis, ſeu erroribus Ariſt. eiuſq; Commentatorum Antiquorum.

Tertia eſt de Scopulis, quos præcipuè lectorem cauere oportet inter legendum libros ſpirituales, & conciones.

Quarta eſt de Semitis Catholicorum, & inuijs, ſeu Scopulis, in quos incidunt Hæretici noſtri temporis circa S. Scripturam, & Traditiones, ſeu verbum non ſcriptum.

Quinta, De Semitis Catholicorum, & Scopulis, in quos præcipitantur Hæretici circa Eccleſiam, eius Caput, Iudicem Controuerſiarum de Fide, & Magiſtratum Politicũ.

Sexta, De Semitis Catholicorum, ac Scopulis Hæreticorum circa Antichriſtum, & Sanctorum inuocationem.

Septima, de Semitis Catholicorum, & Scopulis Hærticorum circa Sacramenta, & exorciſmum paruulorum.

Octaua, de Semitis Cath., & Scopulis Hæreticorum circa communionem ſub vtraq; ſpecie, & præſentia Chriſti in Euchareſtia.

Nona, de Semitis Catholicorum, & Scopulis Hæreticorum circa ſacrificium Miſſæ, & Purgatorium.

Decima, De Semitis Catholicorum, & Scopulis Hæreticorum circa peccatum originale, mortale, & veniale, lib. arbitrium, iuſtificationem peccatoris, & opera.

Vndecima, De Semitis Cathol. & Scopulis Hæreticorum circa attributa diuina, Chriſtum, ac eius imaginem.

Duodecima, De Semitis Cathol. & Scopulis Hæreticorum circa Prædeſtinationem, Gratiam actualem, & Auctorem peccati.

DISTINCTIO PRIMA.

De erroribus, ſeu ſcopulis in genere.

Diſtinguitur præſens diſtinctio in tres art.

In primo ponitur diſcrimen inter errorem, & hæreſim.

In ſecundo ponitur diſcrimen inter articulum damnatum, & hæreſim.

In tertio aſſignantur ſpecies propoſitionum de religione.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.
An idem ſit error, & hæreſis.

Licèt hæreſis, & error in iure interdum vſurpentur pro eodem: attamen non ſunt vnum; ſed differunt ab inuicem; vt doctè tradit *Eymer. par. 2. in Direct. quæſ. 3. cum Pegnà 2. part. Direct. Inquiſ. Commen.* 28. Primò, quia latiùs ſe habet error, quàm hæreſis; cum ſit genus, ſub quo falſorum dogmatum omnes continentur ſpecies: Multæ enim propoſitiones falſæ ſunt: quæ tamen hæreſes, vel hæreticæ dici nequeunt. Vt notat *Bariola ad dictum Comm. p. 2.* Vndè minimè infertur incidit in errorem: ergò in hereſim; & ſubindè nec in Bullam Cenæ: quod ſecus eſt de incidente in hæreſim, qui exindè dicitur incidiſſe in errorē. Ideò ſummoperè obſeruandum erit, an quis inciderit in errorem, vel hæreſim: Vndè *Eym. in Direct. in Summario errorum, & hæreſum*, prudentèr ſe geſſit notando, vbi tantùm error, & vbi hæreſis: idem eſt diſcrimen inter dogma falſum, & hæreſim: nam ſi eſt hæreſis, eſt dogma falſum, ſed non è contra: nam multa ſunt dogma falſa, quæ non ſunt hæreſes:

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
Quando nam propoſitiò, vel articulus dicendus, vel habendus eſt hæreticalis.

Reſpondet *Eymericus in 2. part. Direct. Inquiſit. quæſt. 2. ſecundum mentem Angel. Doctoris pri. par. quæſt. 32. art. 4. & 2. 2. quæſt. 11. art. 2.* quòd habēdus eſt talis, quando vel eſt contra aliquem Fidei articulum; vt quòd Deus non eſt trinus in perſonis: vel quia eſt contra Eccleſiæ generalem determinationem, vt de Fide factam: v. g. quòd Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & à Filio tanquàm ab vno principio: de *Sum. Trinit. & Fide Cath. cap. vnico in 6* Vel quia eſt contra Bibliam per Eccleſiam approbatam, ex. gr. quòd Deus Cœlum, & terram non creauit: Gen. 1.

Quæcunq; itaque propoſitiò, vel articulus opponitur veritati aliquo trium modorū prædictorū nobis traditæ, eſt hæreticalis; ac proindè oppoſitum inconcuſsè eſt de Fide tenendū: Ità *Eymericus loc. cit.* ferè in terminis proprijs: Quod ſi è contra propoſitio, vel articulus non contradicit veritati nobis propoſitæ aliquo dictorum modorum; non erit hæreſis, licèt fortaſsè fuerit damnatus alicubi; dummodò non contrarietur determinationi Eccleſiæ Catholicæ: & propterea licet interdum illam ſuſtinens veniat denunciandus, niſi correptus ſe retractet: tamen nō afficitur excommunicatione, vt Hæreticus.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.
Propoſitionum de Religione S. Officio denunciabilium ſpecies quot, & quæ.

Reſpondeo præcipuas reuocari poſſe ad numerum nouenarium; vz. Prima, ad hæreticas. Secunda, Sapientes hæreſim. Tertia, Fauentes Hæreticis. Quarta, Erroneas. Quinta, Malè ſonantes. Sexta, Temerarias. Septima, Scandaloſas. Octaua, Iniurioſas, Nona, Periculoſas.

Primò, propoſitio hæretica eſt aſſertio Fidei contraria dicta ab homine Chriſt. quòd ſi concurrat pertinacia; tunc talem aſſerens propoſitionem eſt Hæreticus; Pertinacia verò eſt conſenſus deliberatus in errorem, quem certò nouit eſſe contra Eccleſiæ doctrinam.

Aſſertio autèm Fidei contraria ad quinque modos reduci poteſt. Primò, quando aſſertio aduerſatur articulis Fidei. Secundò, ſcriptis diuinis rectè intellectis. Tertiò, traditionibus Apoſt. Quartò, definitionibus Eccleſiæ, vel Concil. General. legitimè congregati, & confirmati: aut definitionibus Sedis Apoſtolicæ: vel communi ſententiæ Doctorum Eccleſiæ in his, quæ ad Fidem pertinent. *Simanças de Cathol. inſtit. tit.* 54. *Lazarius Can. Quæſt. de Blaſph. quæſt.* 12. *nu.* 87. *Peg. part. 2. Com. 27. ſub lit. E.* vt dicendo Mariam nō fuiſſe ſemper Virginē.

Secundò, Sapiens hæreſim eſt propoſitio illa, quæ primò acceſſit, & indiſtincta ſenſum habet hæreticum: quamuis diſtincta, pieq; intellecta ſenſum habere poſſit Catholicum: vt Summum Pontificem errare poſſe; quæ, ſi diſtinguatur, vel reſtringatur, faciet ſenſum Catholicum: v. g. errare poſſe in compoſitione metri carminū. lege *Arrag. 2. 2. quæſt. 11. art. 2.*

Tertiò, Fauens hæreticis eſt, quæ perſonis, aut erroribus Hæreticorum quoquomodo fauet, vt eſt hæc: Hæretici, non ſunt puniendi: poteſtq; etiam dici hæretica: quatenus Hæreticos puniendos ſanxerunt Concilia.

Quartò, erronea eſt, quæ continet aliquod falſum non contra Fidei veritatem (ad differentiam hereticæ) ſed contra illud, quod docet Eccleſia: vt qui negaret, orationes ſpeciales alicui applicatas nō plus ei prodeſſe, quàm generales.

Quintò, Malè ſonans eſt, quæ piarum auriū eſt offenſiua; vt ſi dicatur plures coniugatos, quàm (cęteris paribus) Clericos ſaluari.

Sextò, Temeraria eſt, qua ſine ratione vlla, aut auctoritate aſſeritur, vel nimis audacter ſuſtinetur: vt B. Franciſcum ab Aſſiſio non habuiſſe ſtigmata ſacra: hæc propoſitio tamen videtur etiam erronea.

Septimò, Scandaloſa eſt, quæ occaſionem ruinæ ſpiritualis præbet puſillis, vel pijs viris; licèt interdū verā eſſe poſſit reſpectu alicuius ob aliquam circunſtantiam: vt dicendo, confeſſionem ſacramentalē afferre multa damna: ꝙ certè falsū eſt ex ſe, .s. ex natura cōfeſſionis.

Octauò, Periculoſa eſt, quæ abſolutè, & generalitèr dicit, licitum eſſe; quòd non niſi vix ab aliquibus, multiſq; adhibitis circunſtantijs licitè fieri poteſt: vt dicere occultam, ſtrictam, & diutinam cōuerſationem cum mulieribus, licèt non conſanguineis, vel affinibus minimè periculoſam exiſtere.

Nonò, Iniurioſa eſt, quæ alicui fidelium ſtatui,

tui,Illuſtri perſonæ,vel dignitati detrahit; quales ſunt, quas contra Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes,aut Religioſos effutire ſolent mali homines.

Notandum verò alias itidem eſſe propoſitiones, de Religione Iudicibus Fidei deferendas,quæ omittuntur breuitatis gratia: Sed nō minus, quàm prædictæ nomen ſortiuntur ex prauis illarum effectibus: ex. g. illa, quæ inducit diuiſionem in Eccleſia dicitur Schiſmatica: vt,ſi quis aſſerat malo Prælato; Duci, vel Regi ſuperbo non eſse obediendū. Illa, qua Deo, vel Sāctis irrogatur iniuria,dr̄ Blaſphemia iniurioſa;& ſic de ſimilibus,quæ ab effectib⁹ denominantur. Legendus eſt *Lazarius Canon. quæſt. de Blaſph. quæſt. 12. à nu. 87. vſq; ad 97. Bariola in Aph. Inquiſ. vbi de qualitatibus propoſit. Pegn. part. 2. Comm. 28. lit. D. Zanard. 2. part. Direct. cap. 5. circa finem. Gryſaldus in Deciſion. Fidei Cath. & Apoſt. pag. 2. & 3.*

Articulorum itidem damnatorum, aliqui ſunt erronei,aliqui ſuſpecti,aut malè ſonantes &c. Vt in primis videre eſt apud *Magiſt. Sent. in impreſsione veteri; vbi de Erroribus Pariſijs condemnatis*, ibi: *Errores Ioannis de Mercuria.*

DISTINCTIO SECVNDA.

De Erroribus, & Scopulis Ariſtotelis, ac eius priſcis Commentatoribus.

Secatur diſtinctio hæc in tres articulos.

In primo tanguntur errores Ariſt. & eius Comment.

In ſecundo dantur Lectoribus Phyloſophiæ digna documenta.

In tertio vero ſcrutinatur, ſi errores Priſcorum contra Fidem Cathol. hæreſes dici poſſint.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Lectores philoſophiæ publicè illam profitentes ad quid ratione dicta lectura teneantur.

RESpondeo teneri ſoluere argumenta priſcorum Philoſophorum Fidei repugnantia: tum quia illorum doctrina incautè lecta non parùm nocere poteſt: Et propterea in *Conc. Later. ſub Leone X. ſeſs. 8. in Bulla*, incipit: *Apoſtolici regiminis*: diuinitùs cautum eſt;vt qui Philoſophiā profitentur in vniuerſitatibus, vel alibi publicè legunt; Philoſophorum dogmata Catholicæ Fidei aduerſantia, auditoribus diluant, & Religionis Chriſtianæ veritatem oſtendere nitantur,in hæc verba: *Inſuper omnibus, & ſingulis Philoſophis, in Vniuerſitatibus Studiorum Generalium,& alibi publicè legentibus; diſtrictè præcipiendo mandamus; vt cum Philoſophorum principia,aut cōcluſiones, in quibus à recta Fide deuiare noſcuntur; auditoribus ſuis legerint, aut explanauerint, quale hoc eſt de mortalitate animæ, aut de mundi æternitate,& alia huiuſmodi: teneantur eiſdem veritatem Chriſtianæ Religionis omni conatu manifeſtam facere: & perſuadendo pro poſſe docere: ac omni ſtudio huiuſmodi Philoſophorum argumenta, cum omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere, atq; reſoluere.* Hactenus, ibi: videndus eſt *Pegna part. part. 2 Comm. 29. lit. C.*

Tum quia ex Philoſophorum dogmatibus, velut ex fontibus, Hæreticorum hæreſes dimanant: Quare non modò hæreſes; ſed etiam eorum principia, vndè naſcuntur; pro viribus deuitanda,& deſtruenda ſunt,vt notat *Peg. loc. cit. ſub initio dicti Comm. Gryſaldus in Deciſ. Fidei Cathol. & Apoſtol. ver. Ariſt.*

Præterea non parum vtilitatibus Studentibus afferrent Lectores; ſi illis oſtendant, vbi ſunt ſaltē principales ſcopuli, hoc eſt errores, vbi interdum periclitantur in Fide minus ſtabiles; vt ab illis cautè ſe elongare poſſint.

DIFFICVLTAS II.

Scopuli, ſeu errores Ariſtotelis qui?

REſpondetur eſſe infra notatos, & deſignatur locus, vbi Scopulus, vt pertranſiens lectura,non patiatur naufragium.

Primus, Scopulus, ſiue error *Ariſt. habetur in 8. Phyſ.* vbi dicit,motum,tempus,& primum mobile non incepiſſe.

Secundus eſt in *1. lib. de Cęlo, & Mundo;* vbi ſentit mundum non incępiſſe, nec terram; idemq; de Cęlo affirmat.

Tertius,eſt in *1. lib. de Generat. & Corruptione:* vbi exiſtimat,quòd generatio, & corruptio nō incęperunt,neque deſinent eſſe.

Quartus eſt in *1. lib. de Anima, & in 8. Metaph.* vbi putat reſurrectionem mortuorum eſſe impoſſibilem, .s. eorundem in numero.

Quintus elicitur ex *1. Metheororum*; vbi inſcitè tenet,quòd,vbi nunc eſt mare, aliquando fuit ſiccum: Hi errores colliguntur per *Eymericum in 2. part. Direct. Inquiſ. quæſt.* 4. qui alios ponit,& fuſius procedit.

DIFFICVLTAS III.

Errores, & Scopuli Auerroę, qui?

REſpondeo in multis erraſſe, & ſunt ſequentes.

Primò negans mundi creationem ex nihilo eſſe. ex *11. & 12. Metaphyſicæ.*

Secundò negans, aliquid poſſe habere eſſe poſt omninò non eſſe. ex *8. Metaph.*

Tertiò ponens,quòd à nullo agente poſſunt progredi contraria. ex *12. Metaph.*

Quartò negans in Diuinis Perſonarum Trinitatem. ex *12. Metaph.*

Quintò negans,quòd omnia,quæ hìc aguntur; in Diuinam prouidentiam reducantur. ex *12. Metaph.*

Sextò ponens vnum intellectum numero eſſe in omnibus hominibus. ex *3. de Anima.* Ità ex *Direct. Inquiſ. loc. cit.*

DIFFICVLTAS IV.

Errores, & ſcopuli Auicennæ, qui?

RESpondetur erraſſe ſimilitèr in multis, ſed præcipuè in ſequentibus.

Primò aſſerens, quòd à primo Ente nõ procedit immediatè niſi vnum numero, .s. prima intelligentia: ex 9. *Metaphyſ.*

Secundò ponens animas noſtras productas eſſe ab vltima intelligentia: & quòd ab ipſa pendet gubernatio animarum noſtrarum, & earum beatitudo: ex 9. *Metaph.*

Tertiò ponens omnes formas eſſe ab intelligentia vltima. 9. *Metaph.*

Quartò aſſerens, quòd anima per imaginationem operatur in corpore alieno, ſicut in proprio; ex quo ponit faſcinationem eſſe veram: *ex ſextò lib. de Naturalib.*

Quintò ponens, quòd Deus non cognoſcit ſingularia in propria forma. 8. *Metaph.*

Sextò ponens non plures Angelos, ſeu intelligentias, quàm Orbes. ex 9. *Metaph.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Qualia iidem documenta edocere debent.

REſpondeo primò, admoneant Philoſophiæ Lectores ſuos diſcipulos, vt à Philoſophia Algazelis (non minus, quàm ab illa Ariſtotelis, ac ipſius Commentatorum erroribus ſcatente) omninò caueant, cuius decem, & octo præcipuè notauit *Eymericus in Direct. Inquiſit. part. 2. quæſt. 4. ibi: Errores Algazelis, qui hic omittuntur breuitatis cauſa.*

Secundò in loco illos edoceant, quòd nimis falluntur, qui reſpondẽdo obiectis diſtinguunt de veritate in hunc modum, nempè predictos, vel alios ſimiles errores Priſcorum Philoſophorum veros eſſe ſecundùm philoſophiam; ſed non ſecundùm Fidem Catholicam, quaſi eiuſdem rei duæ ſint veritates contrariæ; adeò, vt contra infallibilem Sacræ Scripturæ veritatem; in dictis etiam Gentilium damnatorum reperiatur veritas, quod omninò abſurdũ eſt: propterea huiuſmodi diſtinguentes obmuteſcant, nedũ Scyllam euitare putant, in Charybdim incidant; dicendum itaq; nedum Ariſt. ſed et eius Commẽtatores, quatenùs fantur cõtra Fidem Catholicam Romanam, aut Diuinam Scripturam; in eorum dictis nullatenùs veritatem reperiri; ſed toto Cœlo erraſſe: ità ex *præfatione Articulorum Pariſijs condemnatorum*, quos habes collectos, coniunctosq. operi Magiſtri Sententiarum, circa calcem operis: & ſupra *par. 2. lib. 12.* vbi de Fide, ibi annotationes ad publicos Magiſtros cathedram ſuſtinentes.

Tertiò, illos edoceant, parùm innitendum doctrinæ Ariſtotelis, nam ipſemet *lib. 3. Ethicorum cap. 3.* ſuæ doctrinæ imbecillitatẽ fatetur.

Idem *lib. 1. Ethicorum cap. 3.*

Idem *in princ. primi lib. Poſt. cap. 2.*

Idem *primo Poſt. text. 70.*

Idemq; concludit *text. 72.* Si dicas recurrendum eſſe ad Methaphyſicam. Reſpondetur, quòd ipſemet Ariſt. non multùm fidit ipſi Methaphycæ: Vndè in principio *2. Met.* apertè imbecillitatem ſapientiæ humanæ confitetur: & tacitè eos redarguit; qui illi prorsùs fidunt.

In philoſophia naturali etiam fuit admodũ dubius, vide *1. lib. Phyſ. text. 57.*

Idipſum conſpicies in *Metheorologicis cap. 1.*

Idipſum de *Anima in Proœmio tex. 4.* Vndè ſæpè in aſſertionibus ſuis vtitur particulis illis dubitatiuis, fortè, quaſi, & id genus; ſuumq; placitum aliorum auctoritate minimè confirmare erubeſcit, patet *12. Met. in Enumeratione Orbium Cæleſtium.*

Denique, vt cætera omittam; illud, quod habet *2. Met. tex. 1.* exiſtit inſufficientiſſimè doctrinæ ipſius Ariſt. longe euidens teſtimonium, maximè circa res diuinas; hinc ipſemet ità proloquitur: *Quemadmodum .n. Veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent;* ità & intellectus animæ noſtræ, ad ea, quæ manifeſtiſſima ſunt naturæ. Quare nemò ità doctrinam Ariſt. euehere debet; vt illam perfectam, & omni numero abſolutam, & certam exiſtimet: ne nimium in ea fidens, labatur iuxtà vulgatũ prouerbium: *Qui innitur labenti, neceſſe eſt, vt cum labente labatur:* Vndè ſoli Deo, Eccleſiæq; Catholicæ, quorum neuter falli, aut fallere poteſt; inniti immobilitèr, & inconcuſsè debet.

Quartò illos moneat, quòd, q æquè inſimul Ariſtot. & Eccleſiæ Cath. doctrinæ innititur; deficit vtrique; *Deficit ambobus, qui vult ſeruire duobus; Qui duas lepores ſequitur, nullam conſequitur.* Vndè, ò N. ſit tibi amicus Plato: ſit tibi amicus Socrates: ſed magis veritas .s. Fidei: quæ ſuper omnia amanda eſt, *l. Cum ità legatum, ff. de Conditio. & Demonſtrat.*

Quintò denique illis præoculis obijciant, quòd veritas, quam amplectitur S. Eccl. Cath. & ſi interdum ab Hæreticis, aut falſis Chriſtianis patiatur vulnera, nunquàm tamen ſubijcitur morti, iuxtà illud Xpi: *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Qui ãt metu alicuius poteſtatis iſtam occultat; iram Dei ſuper ſe prouocat, *c. Quiſquis 11. quæſ. 3.* è contra verò qui iſtam ſequitur, Deum ſequitur: eadem cauſa, & quæſt.

Tandem illos vrgeat oſtendendo veros Diſcipulos Eccleſię Catholicæ pluribus commendari ſtemmatibus: vz. Luna plena, verbo: *Emula Solis*: Fenice in rogu ardenti, verbo: *Vt viuam*: Armellino lutu vallato, verbo: *Malo mori, quàm fœdari*: Adamante inter ignem, & flãmas, verbo: *Semper adamas*: Iuncis propè flumen, verbo: *Illectimur, ſed nõ frangimur vndis*: Flamma ignis, verbo: *Nunquàm deorſum*: Apes circa flores, verbo: *Vt proſim*: Scopulo ab vndis percuſſo, verbo: *Conantia frangere frangitur:* Columna verbo: *Frangar, non flectar:* Candido agno proprio ſanguine tincto, verbo: *Plurimam hoſtiam Deo.* De laudibus, quas promerentur veritatis Catholicæ verè diſcipuli, nunquàm ſatis.

ART.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An errores priſcorum Philoſophorum contra Fidem Catholicam hæreſes dici poſſint.

LOquor de Philoſophis, qui Fidem Chriſtianam nunquam profeſſi ſunt, quales fuerunt Ariſt., Plato, Auicenna, Auerroes, Agazel, &c.

Ratio dubitandi eſt, quia huiuſmodi Philoſophi nunquam Catholicam Fidem ſuſceperunt: hæreſes autèm propriè loquendo ſunt à baptizato: vt in primis notant *Melchior Canus de loc. Theol. lib. 12. cap. 8. Caiet. 2. 2. q. 11. art. 1. Couarruuias lib. 3. Variar. reſol. cap. 1. nu. 2.*

Difficultati ſatisfit diſtinctione; nempè, hæreſes duplicitèr denominari poſſe, vz. vel ab aſſertoribus illarũ: vel à natura rei. Si accipiantur errores dictorum Philoſophorum primo modo: hæreſes nequaquam dici poſſunt, quia hæreſis talitèr accepta eſt præcisè reſpectu hominis baptizati: vti obſeruant communitèr DD. & maximè *Pegna 2. part. Comm. 29. ſub l. C.*

Si autèm accipiantur prædicti errores ſecũdo modo .s. ex natura rei: tunc hæreſes dici poſſunt, cum illis competat hæreſis definitio tradita per *Alphonſum de Caſtro de Iuſta Hæretic. punit. lib. 1. cap. 1.* quæ talis eſt: *Hæreſis eſt enunciatiò, ſiue propoſitio falſa, Fidei Catholicæ ità repugnans, vt cum illa eſſe non poſſit:* tum quia ità ſentiunt *Turrecremata lib. 4. de Eccleſia part. 2. cap. 3. Pegna part. 1. Comm. 22.*

DISTINCTIO TERTIA.

De Scopulis, ac erroribus, in quos facillimè, & potiſſimùm incidere poſſunt Lectores librorum ſpiritualium, ac concionum.

Partitur hæc diſtinctio in tres artic.

In primo tanguntur errores, qui ſolent contingere in lectura lib. ſpiritualium, & concionum.

In ſecundo traduntur documenta circa intelligentiam aliquarum propoſitionum.

In tertio autèm ſoluitur notabilis difficultas reſpectu Lectorum, aut Concionatorum.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Lectores librorum ſpiritualium, & concionum, quos in primis ſcopulos, ſeu errores, circa lecturam cauere oportet.

RAtio difficultatis eſt, quia multi errores in libris ſpiritualibus ſub pietatis ſpecie deliteſcunt, & irreperunt ex ignorantia: quo ãt magis pietatis nomine induuntur: eo periculoſiores: quare circa ipſos potiùs inuigilandũ eſt: nam vbi maius periculum, ibi cautiùs eſt agendum. *l. 1. ff. de Carbonario Edicto.*

Idcircò nonnullos hìc afferam, quos *Eymericus* inſimul congeſſit *in princ. Direct. Inquiſit.* ac ordine alphabetico digeſſit; quos charitas vrget hìc dicto ordine recenſere, ſaltèm ex parte, relictis alijs minus communibus.

Notandum autèm, quòd ſub nomine erroris comprehendimus etiam hæreſes, Articulos damnatos, & propoſitiones denunciabiles.

In primis ergò veniunt notandi errores ſub littera A.

Aſſerere.
- Amandum eſſe Deum, quia bonũ eſt, non autèm propter beneficia hominibus collata. Articulus damnatus.
- Amari non debere Deum plus, quia multiplicat homini bona. Error.
- Animam de natura Dei eſſe. Hæreſis.
- Animas peccatorum in Dæmones cõuerti. Hæreſis.
- Apoſtolos nullum ius vtendi, donandi, vendendi habuiſſe in his, quę habuiſſe dicuntur. Hęreſis.
- Apoſtolos, & Chriſtum nihil habuiſſe etiam in communi. Error.
- Apoſtolos non potuiſſe habere aliquid ſine peccato. Error.

Sub littera C.

Aſſerere.
- Carnis eſum execrandũ eſſe. Hereſis.
- Carnis humanæ ſubſtantiam à Diabolo eſſe. Hæreſis.
- Characteres vim naturalem habere ad ea, ad quæ ordinantur. Error.
- Chriſto ità fuiſſe læue dolores ſuſtinere, ſicut dicere. Artic. damn.

Sub littera D.

Aſſerere.
- Damnari neminem poſſe, qui B. Franciſci habitum geſtat. Hæreſis.
- Deſperationem, & nihil aliud poſſe impedire veniam peccatorum. Art. d.
- Deum non permittere mala fieri, vt inde bona eliciat. Error.
- Deum non facere mala pęnæ. Hæreſ.
- Docere alios ſpiritualia, nullum ſimplicem hominem eſſe idoneum, niſi qui pedibus nudis incedit. Error.

Sub littera E.

Aſſerere.
- Eleemoſina magis repreſentari Paſſionem Chriſti, quàm Sacramento Altaris. Error.
- Euchariſtiæ Sacramento realẽ ſui corporis præſentiam ſubtrahere D. N. I. Chriſtum, ſi in lutum proijciatur: vel ſi à bruto ſumatur, aut corrodatur: vel cum primum dentibus ſumentium teritur. Errores.

Sub littera F.

Aſſerere.
- Fidei Articulum eſſe, vt credat vnuſquiſq; ſe membrũ Chriſti eſſe. Error.
- Filium Dei eſſe bonum ratione bonitatis Mariæ, quæ eſt bona per naturam. Hæreſis.

F ran-

Aſſerere.
- Franciſci Regulæ nihil addi, vel adimi poſse à Papa. Error.
- Futurorum, ac præteritorum notitiam plenè haberi poſse ex cognitione corporum cęleſtium. Error.

Sub littera G.

Aſſerere.
- Gręcos magis ambulare ſecundum ſpiritum, quam latinos. Error.

Sub littera H.

Aſſerere.
- Homines viribus naturæ poſſe euitare omnia peccata, & adimplere omnia monita Prophetarum. Error.
- Hominem conſequi poſſe virtutē pro ſua voluntate. Artic. damn.
- Hominem poſſe habere de ſpe, & charitate quantum voluerit. Art. dam.
- Hominem peccare, ſi non faciat totum bonum, .s. quod poteſt. Art. dam.

Sub littera I.

Aſſerere.
- Immunditiam corporis, interiorem animi immunditiam patefacere. Er.
- Infidelium conuerſionem, qui totis viſceribus non procurat errare, & eſſe ſine charitate. Art. damn.
- Inobedientem præceptis Dei, & Eccleſiæ cenſendum eſſe Hæreticū. Hær.
- Iurare nunquam licitum eſſe. Hæreſis.

Sub littera L.

Aſſerere.
- Laicos non teneri aliquem articulum explicitè credere. Hæreſis.
- Liberum arbitrium hominis ſuis virib. poſſe diuina mandata implere. Hær.
- Lotionem corporis munditiam à peccatis inducere. Error.

Sub littera M.

Aſſerere.
- Mariam Virginem eſſe bonam per naturam, & habere proprietatem per ſe ipſam faciendi bonum. Art. dam.
- Mariam relaxare culpas, & peccata, & donare virtutes, & merita, Fidem, Spem, & Charitatem. Art. damnat.
- Miſſæ Sacrificio nihil ab homine de ſuo offerre, nec propriam quidem voluntatem. Propoſitio damn.
- Mariam Virginem, nec profeciſſe, nec proficere potuiſse in gratia: nec aliquid gratiæ in die Pentecoſtes fuiſse conſequutam. Art. damn.
- Miſericordię opus magis placere Deo, quàm Sacrificium Altaris. Error.
- Miſsæ Sacrificio, Deum opere non laudari, ſed ore tantùm. Error.

Sub littera N.

Aſſerere.
- Negantem Deum tantùm metu ſuppliciorum non peccare. Hæreſis.

Sub littera O.

Aſſerere.
- Orationes ad Deum effuſas naturali quadam vi verborum, & deſiderij humani efficaces eſse. Error.
- Orantem ad Deum ſine charitate graue malum facere. Art. damn.
- Oua, carnes, caſeum nunquam eſse comedenda. Error.

Sub littera P.

Aſſerere.
- Papam, & Prælatos diuitias habentes non eſſe Paſtores Eccleſiæ: nec eis obediendum. Hæreſis.
- Papales conſultationes, ſolùm humanorum operum ſcientiam continere. Error.
- Papam non poſſe diſpenſare, vt aliquid in cōi ſeruetur pro tempore futuro à Fratribus Minoribus. Error.
- Paupertatem Euangelicam requirere, vt nihil omninò habeatur. Error.
- Paupertatis Euangelicæ imminui, habere aliquid in communi. Error.
- Perfectionis gradum tàm eminentem acquiri hìc ab homine poſſe; vt vlterius progredi non poſſit: & reddatur impeccabilis. Hęreſis.
- Perfectionis huiuſmodi gradu aſſecuto non eſſe opus ieiunare, vel orare. Hæreſis.
- Perfectionis præfatæ gradū, cum quis adeptus fuerit, eum amplius non ſubijci præceptis humanis. Hæreſis.
- Philoſophiæ ſtudium condemnatum eſſe. Error.
- Præceptum nullum impleri poſſe in hac vita. Hęreſis.
- Proximum à nobis amari debere, quātum nos ipſos. Art. damn.

Sub littera R.

Aſſerere.
- Religioſos non teneri ſe morti exponere pro defenſione Fidei. Error.
- Religiones omnes tempore Antichriſti deſtruendas eſſe, excepto ordine S. Franciſci. Error.

Sub littera S.

Aſſerere.
- Sacerdotes ritè ordinatos non poſſe conficere, aut conferre Sacramenta, ſi in peccato mortali exiſtant. Hęreſ.
- Sacrificia Deo oblata vi ſua naturali eſſe efficacia ad effectum, pro quibus fiunt. Error.

Sub littera V.

Aſſerere.
- Vini potum illicitum eſſe. Hęreſis.
- Vitam ſine voto perfectiorem eſſe; quàm viuere cum voto. Error.
- Voluntatem hominis nunquàm de facto à Deo immutari. Error.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA. Quid attendendum circa intelligentiam prædictorum.

NE verò incidamus in ſcrupulos, dùm hos fugimus ſcopulos; neuè iſta cenſura librorum ſpiritualium; Cēſores, qui eos admiſerunt, inficiat; hæc pauca viſa ſunt ſubijcienda.

Clarum quidem eſt propoſitiones prędictas per ſe pręcisè ſumptas malè ſonare; verùm ratione adiunctorum, quædam forſan erunt excuſandæ: vndè finis, ad quem diriguntur, eſt inſpiciendus; intentio enim operi nomen imponit *ex Diuo Ambroſio*; & cauſa finalis attendi de-

debet, *l. fin. ff. de Hæred. inſtit.* Quare prima propoſitio ſub litera A. licèt ſit articulus damnatus; quia tamen ferè cunctis, quo ad apicem perfectionis adſpirant, inſinuatur; .s. vt Deus ab ipſis ametur in ſe, & propter ſe. hinc *Gerſon de Imitatione Chriſti lib. 3. c. 5. Amor non reſpicit ad dona, ſed ad donantem ſe conuertit ſuper omnia bona, & cap. 9.* ità proloquitur: *Nam ſi te ipſum in aliquo quæris; ſtatim deficis; & areſcis*: finis iſtorum ſcriptorum facilè fuit, vt quiſquam perfectionem quærens cunctos proprios affectus recidat, & (ſi fieri poſſit) ſe ipſo ſpoliet; vt Deo iungatur, & induatur, vti benè notat *Taulerius*. Quin, vt ipſe perfectionis prototypus, & præceptor Chriſtus clarè docet; *Si quis venit ad me, & non odit patrem, matrem, & vxorem, & filios, & fratres, adhuc autem; & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus; Luc. c. 14.*

Mens igitur iſta docentium eò ſpectare videtur, vt quiſque ſtudeat amare Deum, quia Bonus eſt; cum iſte ſit amor longè perfectior: neque ſuum inſumat affectum in eo diligẽdo; quia beneficus exiſtat; cum hic non adeò magnam inuoluat in ſe perfectionem: prior enim ſpecies amoris eſt amicitiæ, dum Deum amamus in ſe, vel propter ſe: ſecunda verò eſt amoris concupiſcentiæ, dùm diligimus illum; quia beneficium impertitur; de quo *D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1.*

Ex quo clarè patet priorem ſpeciem charitatis eſſe poſteriori perfectiorem; cuius proprium eſt cęteras virtutes ad vltimum finem ordinare, vt ex ipſo *D. Thoma* dilucidè colligi pluribus in locis; vndè notant Theologi formalem rationem charitatis, ſeu motiuum proprium, quo rès omnes diligendæ ſunt; eſſe infinitam Dei bonitatem, quatenus in ſe Bonus eſt, *Becanus tom. poſt 2. 2. par. c. 19.*

Ex his igitur patet propoſitionem, quæ alias damnata eſſet; nihil à veritate alienum indicare; ſi doceat omnia, vt ſtercus eſſe habenda; vt Chriſtum lucrifaciat: vel nihil eſſe cuncta pro Chriſto perdere, cum ſit verà merces: Vndè cũ *D. Thoma*, dictũ fuerit: *Benè ſcripſiſti de me Thomas*; quam ergò mercedem accipies? Reſpõdit *Non aliam, niſi teipſum.*

Similitèr licèt non egeat probatione perperàm aſſerere animas peccatorum in Dęmones cõuerti; ſi talis aſſertio formalitèr intelligatur; attamen in ſenſu myſtico, vel ſimilitudinario non erit improbanda, quatenùs ſcilicèt peccatorès cum Dæmonibus à Deo apoſtatãdo: & ad inſtar illorum praua bonis ſuggerendo ſimiles Dęmonibus videntur: vt tandèm ad inferos vnà cum ipſis Dęmonibus condemnandi credantur: vndè etiam Chriſtus dixit Petro, *Marc. c. 8.* in ſenſu improprio, *vade retro Sathana*. Concludo igitur attendendum eſſe finem tradentium ſimilia in ſuis libris ſpiritualibus, vt ex illo argumenta eruantur ad eorum aſſertiones damnandas, vel concedendas: ordinata enim ad vnum effectum, ad alium transferri non debent, *l. Aut damnum, §. Hoſtes, & §. Solent, de pe. l. Quod habeo, ff de Compenſatio.* cum præcipuè in moralibus finis formam virtutis, aut vitij ſoleat importare: vt colligitur ex *D. Thom. & moralib. Theolog. pluribus in locis.*

2 Haſce duas ex propoſitionibus ſcopuloſis ſelegi: quia ſępiùs contingit, vt in libris ſpiritualibus videantur in vſu: cęteras prætermittens breuitatis gratia, quæ forſan aliquam interpretationem pati poſſent: mihi namq; ſuadeo prudenti lectori pauca ſatis fore ad mentẽ Eymerici deprehẽdendã; quatenus libris ſpũalibus non aduerſetur, quandoq; .n. eius propoſitionibus non aduerſantur: lz. aliud videatur.

Ex ijs tamen, quæ ab ipſo Eymerico tradita referuntur; colligent in poſterum Doctores ſpirituales cautionem in eorum propoſitionibus adhibendam; ne dum ſtudent aliquos ſtatuere ſuper pinnacula templi; cęteris ſuggerant præcipitia.

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An excuſetur Lector, aut Concionator docendo generãtia falſum intellectum; ſi talia repererit apud Catholicos DD. v. g. apud D. Aug. Hieron. &c.

RESpondetur illos minimè excuſari in totum; lz. in Fide ſint integri: quia, quæ falſum intellectum generant, exponere tenetur; vndè illis non ſatis eſt ſtuduiſſe; ſed etiam neceſſarius eſt ſcientiarum rectus vſus; Multi enim Doctorum non ſemper propriè; ſed interdum etiam impropriè loquuntur; quorum dicta à Lectoribus, & Concionatoribus, quando occaſio ſe ſe offert, explicanda ſunt: ex. gr. in *Cantico SS. Ambroſij & Auguſt* habetur hęc propoſitio: *Suſcepturus hominem non horruiſti virginis vterum*: quam ſanè propoſitionem nõ admittit ſimplicitèr Theologorum Schola. Vndè dicit *S. Thom. in 3. diſt. 6. q. 1. art. 1. ad primum*; quòd omnes auctoritates, quæ dicunt hominem aſſumptum; exponi debent; vt ponatur cõcretum pro abſtracto, ideſt homo, pro humanitate; vt Chriſtus eſt homo, non quem, ſed cuius naturam humanam aſſumpſit; non .n. aſſumpſit perſonã humanam; quia tunc fuiſſent duæ perſonæ in Chriſto, quod eſt falſum.

2 Verùm nõ aſſumpſit humanitatem nudã, ſed cum corpore organizato, cum conditionibus materialibus, & indiuidualibus, vt in ea pati, & humanos actus exercere poſſet; hinc dicit *Damaſc. vt ref. S. Thom. in 3. diſt. 6. q. 1 art. 1.* illam aſſumpſiſſe in atomo; ideſt prędicto modo indiuiduatam: Vndè nota, quod atomus nõ eſt perſona; quia nõ eſt creatura rationalis; nec ſuppoſitũ; quia non eſt animal irrationale; ſed eſt indiuiduũ, ideſt quid indiuiſum à ſe, & diuiſum à quolibet alio. Prędicta itaq; propoſitio venit exponenda; quia, vt benè *S. Bonauen. in 3. diſt. 4. quæſt. 5.* habet aliquid improprietatis, notandumq; Doctores aliquando loqui nimis expreſsè: Prędictoq; modo exponendus

nendus eſt verſus ille *Pſal.* 64. *Beatus homo, quem elegiſti, & aſſumpſiſti.*

Quod dictum eſt de prædicta propoſitione, etiam attendendum eſt circa multas alias. Tu pro nunc attende ad iſtas, ad earumq; expoſitionem: *S. Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem* habet: quòd Deitas eſt homo facta; ideſt, Deus naturam humanam aſſumpſit. Vndè *Magiſt. Sent. aduertit in 3. diſt.* 5. quòd non debet dici: Diuina natura eſt caro facta; quamuis rectè dicamus, Verbum caro factum. Itidem *Anaſt. ſerm.* 3. *Actorum Concilij Nic.* in perſona Filij Dei ad Patrem dicit: *Ex tua eſſentia, quam in me genuiſti: ideſt generando, mihi tuam eſſentiam communicaſti:* eſſentia enim nec generatur, nec generat.

Similitèr *S. Cyrillus Alex. Homilia cōtra Neſt.* laudans Sanctiſſimam Deiparam proſequitur in hæc verba; *Per te Trinitas ſanctificatur:* ideſt per te honoratur.

D. Thomas denique in Hymno Sanctiſs. Corporis Chriſti, habet hæc verba: *Te Trina Deitas, vnaq; poſcimus:* hoc eſt: Te Deum trinum in perſonis, & vnum in eſſentia poſcimus.

Quare Concionatores oportet eſſe Theologos, nec alitèr ad munus prædicationis admitti debent: Vndè mos eſt Regularium, vt nullus inſtituatur Concionator actualis; niſi prius ſaltèm per triennium ſeduló Theologiæ vacauerit habita fide ſub iuramento ab eorum Lectoribus; quòd in tali facultate adeò profecerit, vt abſq; periculo, ſed cum fructu Verbū Dei diſſeminare poſſit; vnuſquiſq; enim ſcire tenetur, quòd præcauere neceſſe eſt; forſan autem quis præcauere poterit, quod ignorat, vel cognoſcit ſolùm in confuſo?

Dices ex Sacerdotibus curam animarum gerentibus plurimos concionari abſque vlla theologiæ ſcholaſticæ notitia.

Reſpondeo primò, quòd adducere inconueniens non eſt ſoluere argumentum.

Reſpondeo ſecundò iſtos teneri omittere tractationem rerum difficilium: itemq; explicationem myſteriorum, quæ non ſatis intelligunt; oſtendendo præcisè ſuis ſubditis, quæ ad mores ſpectant vitia, .s. euitanda, virtuteſq; amplectendas.

Quod dixi de Lectoribus S. Theologiæ, & Concionatoribus; idem intelligendum eſt de Scriptoribus Theologiç moralis, aut librorum ſpiritualium.

DISTINCTIO QVARTA.

De Semitis Catholicorum, & inuijs erroribus, ſeu ſcopulis Hæreticorum circa Sacram Scripturam, ac Traditiones.

Partitur autem in duos articulos.

Alter reſpicit Sacram Scripturam.

Alter verò Traditiones.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

Qui ſunt libri Canonici, ſeu Sacri, qui .s. continent Verbum Dei.

Antequam oſtendam ſemitam Catholicorum, & inuiam Hęreticorum, Lectori prenotandum erit, quòd nō ſufficit Catholicis noſſe intelligentiam differentiarū, quæ vertuntur inter ipſos, & Hæreticos pro ſuſcipienda diſputatione cū ipſis: ſed tantummodò pro cauendis illorum erroribus, & denunciatione S. Tribunali interponenda: Quare Catholici, qui volunt cū illis diſceptare; his nō debent eſſe contenti; ſed recurrere habent ad Auctores, qui ſoluunt eorū argumenta; & iaciunt ſolida fundamenta pro Catholica veritate defenſanda.

Catholici inter libros Canonicos ponunt omnes libros tàm veteris, quàm noui teſtamēti; de quibus *Conc. Trid. ſeſſ.* 4. *Bellarminus tom.* 1. *Controuerſiarum, prim. Controu. lib.* 1. *cap.* 2. & 4. & quamuis aliqui ex Patribus antiquis, qui ſcripſerunt ante Innocentium I. & Auguſtinū excluſerint à Canonib. aliquos ex dictis libris: tamen poſt. Eccleſiæ definitionem vnus omnium extitit conſenus: quod ſanè idem fuiſſet etiam prius; ſi ab Eccleſia Catholica, quam nouerunt non poſſe errare ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti, decretatus extaſſet librorū Canon. numerus.

Hęretici verò ex libris Canonicis aliquos abſtulerunt: alij plures, alij pauciores; & ſubindè non conueniunt decertando ad inuicem, v. g. Lutheranos contra Caluiniſtas: quiſq; prout voluit, vt notat *Decian. loc. cit.* Vndè ipſorum teſtimonium non eſt conueniens; eorum ratio eſt, quia aliqui non ſunt in Canone Iudęorum: ſed certò debili nituntur fundamento; quia ex dicto Canone nihil certi haberi poteſt: vti ſupra *lib.* 25. *diſt.* 1. *art.* 2. *diff.* 5. & *lib.* 13. *in fine:* quia eorum libri conſpurcati fuerunt in odium Chriſti à Rabbinis poſt ipſius paſſionē: vt teſtantur *Suarius de Fide tract.* 1. *diſp.* 18. *ſect.* 4. *nu.* 9. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 22. *quæſ.* 12. *Pen. ad Eym.* 2. *par. Direct. quæſ.* 46. *Comm.* 7. *Souſa in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 37. *nu.* 15. *Petrus Gregorius in Syntaxi artis mirabilis tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 8. *Faber. aduerſus Impios Atheos diſp.* 1. *cap.* 11. *nu.* 240. *Picus in Apologia quæſ.* 4. quod validè probant *Becanus de Controuerſijs huius temporis de Fide, & Religione lib.* 1. *c.* 1. *nu.* 6. & *Bellarminus item de Controu. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 2. incipit: *Num Hebraica Editio ſit corrupta:* huc ſpectant tradita ab *Arſen. S. Inquiſ. par.* 4 *pag.* 82.

DIFFICVLTAS II.

Qui ſint libri Apocryphi, vide ſupra lib. 25. diſt. 1. art. 2. *vbi etiam habes, qui ſint libri Agyographi.*

DIFFICVLTAS III.

An expediat Diuinarum Scripturarum vſum communē eſſe in lingua vulgari, & propria vniuſcuiuſque regionis.

Ca-

CAtholici ſentiunt minimè expediens eſſe, vt paſſim omnibus ſine diſcrimine concedatur Sanctarum Scripturarum lectio vulgaris: itidem non eſſe expediens in publico, & communi vſu Eccleſię Scripturam Sanctam legi, vel cani vulgaribus linguis, vt patet ex *Concilio Trident. ſeſsione 22. cap. 8. Canon.* 9 ſed ſatis eſt nobis vſus trium linguarum, .s. Hebrę æ, Grecæ, & Latinæ, quas Dominus honorauit Crucis titulo, communique conſenſu, antiquitate, amplitudine, & grauitate omnibus alijs prestant; & contra hunc vſum, vel diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, vt tradit *D. Auguſt. Epiſt.* 118. quod notat *Bellarminus prim. tom. Controu. lib. 2. cap.* 15.

Cęterùm Hęretici huius temporis conueniunt; expediens eſſe: immò oportere Scripturas Sacras omnibus tradere in eorum lingua; et cum publicè leguntur, vel canuntur in Sacris Officijs. ità *Kemnitius in Exam.* 4. *ſeſs. Conc. Triden.*

Porrò, ſi vlla ratio ꝑ ipſis eſſet, cur S. Scripturæ lingua vulgari in cętu fidelium legi deberent; ea certè foret principalis; vt omnes Sacras Scripturas intelligerent. Sed huiuſmodi ratio dilucidè contra ipſos retorquetur; quia profectò Populus non intelligeret Prophetas, Pſalmos, & alia, quæ in Eccleſijs leguntur; etiã ſi lingua materna legerentur: quamplurimi .n. ſunt, qui apprimè callent linguam latinam; & tamen non ſine magno labore illas intelligunt diuerſos legendo, percurrendo Expoſitores, ac audiendo Lectores illam exponẽtes: quomodò ergo intelligerent imperiti? prę ſertim, cum ſcripturæ eo ſint obſcuriores, quo magis in peregrinas linguas transferuntur.

Certè, ſi ſcripturę Diuinę legerentur lingua vulgari, nedum populus nõ caperet ex eis fructum; ſed è contra pateretur detrimentum: ſumeret .n. facillimè occaſionem errandi tum in doctrina Fidei: tum in præceptis vitæ, ac morum: nam ex ſcriptura non intellecta natæ ſunt hereſes omnes; vti oſtendit *Hylarius in Extremo lib. de Synodis*: Exitus acta probat; *l. Quædam, ff. de Reb. dub.*

Refert *Aeneas Syluius in lib. de Origine Boemorum*, errores craſſiſſimos multorum, qui ſcripturas materna lingua legebant; & non intelligebãt; hoc accidit pręſpue Dauidi Georgio peſtilentiſſimo hæretico; qui, cũ non niſi ſuam maternã noſſet, ex ſcripturis ineptè collegit ſe eſſe Dei Filium, & Meſſiam; conſtat ex Epiſtola, quam de illius erroribus ediderunt Baſilenſes: quòd notat *Bellarminus loc. cit. ſed parùm infra.*

Inſupèr, ſi populus rudis audiret legi lingua ſua vulgari Canticum Canticorum: *Oſculetur me oſculo orationis ſui*: itèm: *Leua eius ſub capite mea, & dextra illius amplexabitur me*: itidem illud Oſeæ: *Vade, & fac tibi filios fornicationũ.* Similitèr, ſi audiret Saram, Liam, & Rachelem dediſſe ancillas viris ſuis in concubinas, mendicia Iudit, & multa alia eorum, qui in ſcripturis magna cum laude commemorantur, vel prouocaretur ad huiuſmodi imitandã; vel cõtemneret Sanctos Patriarchas; vel putaret mẽdacia eſſe in ſcripturis, &c.

Narrat *Bellarm. loc. ſup. cit.* audiuiſſe à Fide digno ſequentem caſum: Cum in Anglia à Miniſtro Caluiniſta in templo legeretur lingua vulgari *cap.* 25. *Eccleſiaſt.* vbi multa dicuntur de malitia mulierum; ſurrexiſſe fœminam quandam, atque dixiſſe illud ne eſt verbũ Dei? immò potiùs verbum Diaboli eſt.

Narrat itèm *Theodorus lib.* 4. *Hiſtor. c.* 17. aliũ caſum, vz. Cum Præfectus Culinæ Imperatoris neſcio quid de ſcripturis protuliſſet, cum Magnus Baſilius reprehendit his verbis: *Tuum eſt de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere*: & quidem iuſtè obiurgauit: nam à fabris fabrilia tantũmodò tractãda eſſe quis ignorat?

DIFFICVLTAS IV.

Quæ legitima Scripturæ Sacræ verſio.

CAtholici vtuntur veteri, ac vulgata verſione, quæ iam multis ſeculis in Eccleſia viguit, & communi Chriſtianorum conſenſu recepta eſt, teſte illius continuato vſu; nonnullas alias minimè repudiãdo, vt illam Pagnini: Septuaginta Interpretũ: illã ex Hebręo, &c. modo Lectores vtantur huiuſmodi verſionibus tanquam elucidationibus Vulgatæ editionis ad intelligendam Sacram Scripturam; non tanquã ſacro Textu iuxtà *Reg.* 3. *Ind.*: dictæ verſiones cũ vulgata habẽtur in Biblia in duos to. diuiſa.

Hæretici autèm repudiant in ſpecie vulgatam, ac veterem, & in eius locum non vnam, aut duas; ſed propè infinitas obtrudunt: quare generatur ipſis confuſio magna. Vndè quemadmodum Lucifer exorciſmis cogitur fari veritatem velit, nolit, ità Lutherus damnatæ memoriæ in Commentario de nouiſſimis verbis Dauidis in Præfatione; à veritate compellitur contra ſeipſum commendare vulgatam Editionem his verbis: *Omninò melius eſt retinere illam hactenus receptam, & vſitatam verſionem Bibliorum, quàm tot nouas cumulari, quibus nihil proficitur, niſi, quòd diſſimilitudo, & diſcrepantia lectionum memoriam turbat, ſtudium remoratur, &c.* quòd notat *Decian. Controu. lib.* 1. *c.* 1. *q.* 2. quantæ autèm ſit auctoritatis vulgata Editio latina, lege *Bellarm. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10.

Petes fortaſsè, quis fuerit Auctor vulgatæ Editionis.

Reſpondet *Bellarminus loc. cit. cap.* 9. in hæc verba circa finem: *Editio vulgata, quamuis maxima ex parte ſit Hieronymi*: tamen non eſt illa pura, quam ipſe ex Hebręo conuertit; ſed eſt aliquo modo mixta, additis non paucis ex verſione Septuaginta, quæ in Hebręo non inueniuntur.

Teſtamentum itèm nouum latinum Editionis vulgatæ ex antiqua verſione habemus, quã tamen B. Hieronymus emendauit in aliquibus locis, vti obſeruat idem *Doct. in prima propoſitione dicti cap.* 9. *circa princ.*

Ve-

Verùm Pſalterium vulgatæ Editionis latinæ, non eſt illud, quod D. Hieronymus tranſtulit ex Hebręo: neque illud, quod tranſtulit ex verſione gręca ſeptuaginta Interpretum: ſed illud, quod ipſe emendauit, translatum ab antiquo Interprete ex Editione S. Luciani Martyris; ſiquidem B. Hieronymus circa Pſalterium quater laborauit.

Tranſtulit.n. illud ex Hebręo in latinum.

Item conuertit ex gręco in latinum ex pura Editione ſeptuaginta.

Denique bis emendauit antiquam latinam Editionem; quæ translata erat ex gręca communi, & vulgata. ità ex *Bellarmino propemodùm ad litteram loc. cit. cap. 9. ſecunda propoſitio.*

Notandumq; probabile videri *Bellarmino loc. cit.* librum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabęorum nos non habere ex verſione Hieronymi, ſed ex antiqua translatione, cuius Auctor ignoratur. Reliqua omnia ex Hieronymi verſione ex Hebręo habemus in Editione vulgata; quæ omnia validè probat dictus Doctor, vbi ſupra.

Præterea obſeruandum eſt Editionem Hebraicam Moſis, & Prophetarum nunquam periſſe ad dicta citati *Doct. in Controuerſ. tom. 1. lib. 2. cap. 1.* qui eodem in loco ſequentibus capitibus diſſerit de alijs Editionibus, nimirùm de Caldaica, Syriaca, Gręca, Septuaginta Seniorum, & Latinis; quas ego omitto, ne nimis digrediendo ſaltèm extra chorum.

DIFFICVLTAS V.

Qualis eſt ſenſus Litteralis Sacræ Scripturæ, an .s. clarus vel obſcurus.

CAtholici aſſerunt dictum ſenſum ſępè obſcurum eſſe, .s. ob recondita myſteria, & prophetias: patet primò ex ſe: quia litteralis interdum eſt, quem littera ſonat: v. g. illa ver. *Fęderunt manus meas, & pedes meos*: de Chriſto intelligenda ſunt ad litteram: non autèm de Dauide, qui illa protulit. Vnde hic ſenſus litteralis eſt, ad quem littera facta eſt: non autèm quem littera facit de Dauid, cui nec manus, nec pedes fuerunt foſſi. Patet itèm obſcuritas exemplò Diſcipulorum in Emaus euntium, qui non intelligebant Moyſen, nec Prophętas, niſi Chriſtus illos interpretaretur, *Luc. 23.* Secundò exemplo Eunuchi Reginæ Ethiopum, qui rogatus à Philippo, an intelligeret Iſaiam Prophetam, quem legebat, reſpondit. *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi, Actuum c. 8.* Idem ex quampluribus alijs locis, conſtat.

Heretici verò docent Sacram Scripturam, quoad ſenſum litteralem claram eſſe, perſpicuam, & intellectu facilem; probantq; ex illo *Pſal. 18. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Porrò hoc intelligi debet non abſolutè; ſed quatenus verbum diuina illuminatione cognitum eſt: Vndè Dauid petit alibi gratiam à Deo; vt poſſit ſcripturam intelligere inſinuans adeò obſcuram eſſe, vt ſine peculiari illuſtratione intelligi non poſſit: patet ibi: *Reuela oculos meos, & conſiderabò mirabilia de lege tua: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: Da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua: Declaratio ſermonum tuorum illuminat: non dicit ſermones tui; ſed declaratio &c.*

Notandum autèm Catholicos dicendo Diuinam Scripturam eſſe obſcuram, illam non arguere; ſed laudare tanquàm plenam myſterijs, & prophetijs, vt teſtatur *Becanus loc. cit. lib. 1. cap. 1. quæſt. 6. nu. 3. Bellarminus tom. 1. lib. 3. Controuerſiæ cap. 1. Hieronym. in Epiſt. ad Paulinum*, vult habere tot Sacramenta, quot verba: *quęque cara, rara. Ambroſius in Epiſt. 44. ad Conſtantium: Mare* (inquit) *eſt Scriptura Diuina; habet in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.*

DIFFICVLTAS VI.

Senſus Sacræ Scripturæ quot? remiſſiuè Lib. 25. diſt. 1. art. 1.

DIFFICVLTAS VII.

Quis Sacræ Scripturæ arcana interpretari debet?

CAtholici aſſerunt, quòd in Eccleſia non omnes debent ſibi vſurpare officium docendi, & ſcripturam interpretandi; ſed eos, quibus ex officio incumbit: & qui ad hoc à Deo electi ſunt iuxtà illud *Corint. 12. Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* quaſi dicat, minimè; aliorum enim eſt docere, & interpretari: aliorum audire, & diſcere: itèm quemadmodum leges non debent eſſe in ludibrio, nec per quemquam irrideri. *l. Si Prator, ff. de Iudi.* ità nec legis interpretationes; fierent autèm in ludibrio, ſi interpretarētur leges, maximè obſcuræ, quales ſunt Diuinæ, ab homine rudi. Itidem ſub clypeo legis nemo decipi dicitur: *l. Paulus, ff. de Pratorijs ſtipulationibus*: ſi autèm interpretaretur lex ab ignorante, vel à femella, ſub tali lege perperàm interpretata falleretur: itèm prætereà duplex eſt interpretatio, vz. alia vt à Legislatore, & de hac dr̄: illius eſt interpretari, cuius eſt condere, *l. Cum de nouo, C. de legib.* alia vt à Doctore, qualis eſt, quā faciunt intelligentes in ſua arte, vel ſcientia, de quibus dicitur: vnicuique experto in ſua ſciētia credendum eſt: tertia, vt à conſuetudine, ſi adſit: eſt .n. optima legum interpres. *l. Si de interpretatione, ff. de legibus*: conſuetudo eſt autèm, vt lex interpretetur tantùm à peritis in legibus; quòd, ſi aliud obueniat; non eſt conſuetudo, ſed abuſus, ſumus in claris. Teſtibus autèm dicentibus veriſimiliora ſtatur ceteris paribus, *l. 3. & l. Ob carnem, §. Si teſtes, ff. de Teſt.*

Hæretici āt contra hunc ordinem peccant; oībus ēt laicis, & mulierculis interpretationē permittentes, contra illud *Timoth. 2. Docere mulieri non permitto*; & eò res iam ruit, vt nullus ferè ſit caupo, aut Sartor &c. qui non putet, ſe ſuo marte ſcripturā intelligere, ipsāq; interpretari poſſe: alteriusq; inſtructione non indigere. Et ratio Hęreticorum eſt fortaſsè, quia Gardius Lutheranus tradit Thimotheum didiciſse ſcripturam à matre, & auia; ac proindè mu-

mulieris illam docere poſſe; ſed ex ſcriptura nihil tale colligitur; ſed ſolum dicitur matrem, & auiam fuiſſe fideles; tametſi pater fuerit gentilis: vnum certũ eſt ab Apoſtolo Paulo multa illum didiciſſe, 2. *Thim.* 1. *c. Formam habes ſanorum verborum, quæ à me audiſti in Fide, & c.* 3. *Tu autem aſſecutus es meam Doctrinam*: & à teneris annis fortè prima rudimenta habuit ab aliquo legis Doctore, in templo, vel alibi. ità ex *Becan. de Controu. lib.* 1. *c.* 1. *quæſ.* 7. *Lipoman. de Dogmat. Cathol. in pag.* 23. 26. 28.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

An s. præter Sacram Scripturam admittendæ ſint traditiones.

NE ex ignorantia terminorum, aut principiorum retardetur intelligentia dicendorum, aliqua veniunt notanda.

Primum eſt Verbum Dei non ſcriptum traditiones dici.

Secundum tametſi traditionis nomen generale ſit ad legem Dei, ſeu verbum ipſius tàm ſcriptum, quàm nõ: tamen hoc ipſum nomen accommodatum eſt à Theologis ad ſignificãdum tantum doctrinam non ſcriptam, vt docet *Bellarminus cũ Irenæo, Tertulliano, & Cypriano ab ipſo citatis de verbo Dei non ſcripto tom.* 1. *Controu. lib.* 4. *c.* 2.

Vocatur autèm doctrina non ſcripta nõ ea, quæ nuſquam ſcripta eſt; ſed ea, quæ non eſt ſcripta à primo Auctore: ex. gr. Baptiſmus Paruulorum. s. Paruulos eſſe baptizandos; vocatur traditio Apoſtolica non ſcripta: quia nõ inuenitur hoc ſcriptum in vllo Apoſtolico libro; tametſi ſcriptum ſit in libris ferè omnium veterum Patrum.

Tertium eſt, quòd duplex eſt traditio .s. vel reſpectu Auctorum traditionum: vel reſpectu materiæ traditæ.

Traditiones prioris generis ſunt tres, vz. Diuinæ, Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ. Diuinæ dicũtur, quæ acceptæ ſunt ab ipſo Chriſto Apoſtolos docente: & nuſquam in diuinis litteris inueniuntur: talia ſunt ea, quæ ad materiam, & formam Sacramentorum pertinent; pauca .n. de his habemus in diuinis litteris: & tamen certum eſt Sacramentorum eſſentiam nõ potuiſſe; niſi à Chriſto inſtitui; Propterea Apoſtolus 1. *Corint.* 11. loquens de Sacramento Euchareſtiæ, inquit: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

Apoſtolicæ traditiones propriè dicũtur illę, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt; non tamen ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti; & nihilominus non extant ſcriptæ in eorum Epiſtolis: quale eſt ieiunium Quadrageſimæ, & quatuor temporum, & alia multa. Notandum eſt autèm, quòd ſolent interdum etiam diuinæ traditiones dici Apoſtolicæ, & Apoſtolicæ dicuntur diuinæ: Diuinæ traditiones dicuntur Apoſtolicæ; non quòd ab Apoſtolis ſint inſtitutæ; ſed quòd ab eis Cathol. Eccleſiæ traditæ ſint; cum ipſi ſeorſim eas à Chriſto accepiſſent: & Apoſtolicæ dicuntur diuinæ; non quòd eas Deus immediatè inſtituerit; ſed quòd non ſine ſpiritu Dei eas Apoſtoli inſtituerint: quomodo omnes Epiſtolæ Apoſtolorum dicuntur diuina, & Apoſtolica ſcripta; etiam ſi quædam in eis ſint præcepta diuina, & quædam propriè Apoſtolica, vt patet ex illo 1. *Corint. c.* 7. *Præcipio non nego: ſed Dominus. & poſteà: Dico ego, non Dominus.*

Eccleſiaſticæ traditiones propriè dicuntur conſuetudines quędam antiquę, vel à Prçlatis, vel ab Apoſtolis inchoatæ; quæ paulatim tacito conſenſu populorũ vim legis obtinuerunt.

Quartum eſt traditiones diuinas eandem vim habere, quam diuina præcepta, ſiue doctrina ſcripta in Euangelijs.

Similitèr Apoſtolicæ traditiones non ſcriptæ eandem vim habent, quàm Apoſtolicæ traditiones ſcriptæ, vti conſtat ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 4. ratio eſt: quia verbum Dei non eſt tale, nec habet vllam auctoritatem; quia ſcriptum eſt in membranis; ſed quia à Deo profectum eſt, vel immediatè, vt ſunt ſermones Domini; vel mediantibus Apoſtolis, vt eſt Decretum Apoſtolorum *Act. cap.* 15. Eccleſiaſticæ traditiones eandem item vim habent, quàm Decreta, & Conſtitutiones Eccleſiæ ſcriptæ.

Quintum eſt, quòd diuiduntur etiam traditiones penès materiam, .s. in traditiones de Fide, & traditiones de moribus, quę ſunt, vel perpetuæ, aut temporales.

Vniuerſales, vel particulares.

Neceſſariæ, vel liberæ.

Perpetua eſt, quæ inſtituitur, vt ſemper ſeruetur vſque ad finem mundi.

Temporalis eſt, quæ inſtituitur, vt ſeruetur vſque ad certum tempus; talis fuit obſeruatio quarundam legalium cęrimoniarum, quæ ſeruandæ erant vſque ad plenam Euangelij promulgationem.

Vniuerſalis eſt, quæ toti Eccleſiæ traditur, vt obſeruatio certorum feſtorum, v. g. Paſchæ, Pentecoſtes.

Particularis eſt, quæ traditur vni tantum, vel pluribus Eccleſijs, vti fuit ieiunium Sabbathi; quòd D. Petrus Romanæ Eccleſiæ tradiderat; & ab ea ſola, & à quibuſdã alijs obſeruabatur.

Neceſſaria eſt, quæ traditur in forma prçcepti, vt celebratio Paſchatis die Dominico poſt decimam quartam Lunam Martij.

Libera eſt, quæ datur in forma conſilij, vt aſperſio aquæ luſtralis.

His prçmiſſis. Reſpondeo immediatè difficultati, ſic.

Quòd Catholici admittunt traditiones diuinas, de quibus ſupra: item tàm veteris, quàm noui teſtamenti. Veteris: ex. gr. quòd femellę habebant aliquod remedium contra peccatum originale non minus, quàm maſculi; ſciebantq; Iudęi quod, & quale eſſet hoc remediũ; aliòquin omnes femellę perijſſent ſine remedio; & tamen nuſquam ſcriptum eſt in ipſo

veteri teſtamento in particulari, quod, & quale fuerit hoc remedium; vndè per traditionem id ſciebant: hęc autèm traditio erat ad ſalutem neceſſaria; quia ſine illa non poterant ſaluari ſemellę. Itèm neceſsè fuit aliquos de populo credere, pręſertim Sacerdotes, & DD. futuram Chriſti mortem per cruenta ſacrificia pręfigurari; quia his incumbebat cura docendi, & inſtruendi alios; aliòquin tota Synagoga in hoc puncto grauiſſimo fuiſſet ſine Fide, quod abſurdum eſt. Vide *D. Thom.* 2. 2. *q.* 2. *ar.* 7. quam citat *Becanus de Controuerſijs huius temp. lib.* 1. *c.* 2. *nu.* 6. faciunt allata à *Gryſaldo in Deciſionib. Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ, ver. Traditio*: ibi peccatum originale.

Exempla traditionum noui teſtamenti ſunt: v. g. quòd Beata Maria Mater Chriſti etiam poſt partum permanſerit virgo: Itèm, quòd in Baptiſmo pronunciari debeat hęc forma verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; quę niſi pronuncientur, Baptiſmus non eſt validus.

Itidem Catholici admittunt traditiones, quę ab Apoſtolis ad nos peruenerunt.

Prętereà admittunt traditiones eccleſiaſticas, quæ poſt tempora Apoſtolorum à Prelatis Eccleſiæ introductæ ſunt; quæ tametſi parem cum Apoſtolicis auctoritatem non habeant; meritò tamen à Chriſtianis ſeruari debent: vt quòd Domini Paſſio, Reſurrectio, & Aſcenſio in Cęlum anniuerſaria ſolemnitate celebranda ſint: Tum, quia, vt ſupra in notandis innui; non minor Fides Apoſtolis, qui non ſcripſerunt; quàm qui ſcripſerunt adhibenda eſt: Tum, quia inſolentiſſimæ inſaniæ eſt diſputare, an faciendum ſit, quod totum per orbem frequentat Eccleſia, *Auguſt. Epiſt.* 118.

Verùm Catholici non admittunt traditiones Iudęorum, quibus Phariſei malè vtebantur: nec illas Gentilium, quæ Fidei Chriſtianæ repugnant.

Hęretici verò paſſim reijciunt traditiones, nolentes admittere, niſi quod continetur in veteri, vel nouo teſtamento: verùm inter ſe diſſentiunt; nam aliqui ſine vlla exceptione reijciunt omnes traditiones ſiuè ad Fidē, ſiuè ad externum cultum, vt impius *Caluinus lib.* 4. *Inſt. c.* 8. *nu.* 8.

Alij quaſdā admittunt, vt *Kemnitius in Exam. Conc. Trid. ſeſs.* 4. *in* 2. *genere traditionum*.

Alij denique diſtinguunt de traditionibus dicentes admitti poſſe illas de rebus indifferētibus; non autèm illas de rebus ad ſalutem neceſſarijs, vti notat *Becanus loc. cit. nu.* 19.

Aſcribunt autèm nobis Hæretici, vt ſe defendant mendacia non pauca; ſed præcipuè hæc tria. Primum, quòd nos docemus ſcripturam ſine traditionibus humanis eſſe inſufficientem, & imperfectam; Porrò falsū eſt nos talia docere de traditionibus humanis; ſed benè hoc aſſerimus de Traditionibus Apoſtolicis; quæ non cenſentur humanæ, ſed diuinæ: cuius ratio eſt, tum quia ſcriptura non ſufficit; niſi conſtet de legitimo ſenſu illius; at ſępè nō conſtat, niſi ex approbata traditione: tum, quia multa creduntur à Chriſtianis, quæ nō habentur ex ſcriptura; ſed ex Apoſtolica traditione; vt ſupra vidimus.

Secundum, aiūnt nos docere, quòd per traditiones humanas mereamur gratiam iuſtificationis, & remiſſionem peccatorum: hoc falsò nobis imputatur; quia gratiam dicimus nobis conferri per merita Chriſti. patet ex *Conc. Trid. ſeſs.* 6. *c.* 8. propterea non labor vltra.

Tertium, dicunt nos docere, omnes traditiones eſſe Apoſtolicas; quòd toto Cęlo falsū eſt, vti conſtat ex allata diſtinctione de triplici traditione, nimirum alia Diuina, alia Apoſtolica: alia verò Eccleſiaſtica, *Bellarminus vbi ſup. Becanus loc. cit. lib.* 1. *cap.* 2. qui reducit omnes traditiones ad duo genera, vz. ad Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas: reponens Diuinas ſub Apoſtolicis. vide *D. Thom.* 2. 2. *quaſ.* 2. *art.* 7. *Lipomanum de Dogmatib. Cathol. pag.* 33.

DIFFICVLTAS II.

Quæ ſunt traditiones Apoſtolicæ, .ſ. quas Sacra Concilia, & Patres ſcribunt ab Apoſtolis traditas; referamq; illas alphabetico ordine, vt commodiùs inueniri poſſint.

1 ADdoratio Crucis, & imaginum.
2 Abrenunciatio in Baptiſmo, .ſ. Satanæ, & Angelis eius.
3 Alleluia cantatur in Eccleſia: Conciliumq; Tolet. 4. prohibuit, ne tempore Quadrageſimæ cantetur.
4 Aqua vino miſcitur, .ſ. in ſacrificio Miſſæ.
5 Baptiſmus paruulorum.
6 Baptiſmus non eſt iterandus.
7 Benedictio aquæ Baptiſmi.
8 Benedictio Olei Inunctionis.
9 Benedictio eius, qui baptizatur.
10 Confeſſio auricularis.
11 Conſecratio Altaris.
12 Crucis ſigno nos ſignamus.
13 Dominicam ſanctificamus.
14 Euchareſtiam ſumimus non niſi ieiuni.
15 Feſtiuitates quorundam dierum.
16 Horæ Canonicæ.
17 Ieiunare die Dominico non debemus.
18 Innocentum puerorū feſtum celebramus.
19 Miſſæ ſacrificium.
20 Monachi fuerunt tempore Apoſtolorum.
21 Orantes ſtamus diebus Dominicis à Paſcha ad Pentecoſtem.
22 Orantes genuflectimus.
23 Orantes reſpicimus orientem.
24 Ordinem eſſe Sacramentum.
25 Ordinis ſacri diſtinctio.
26 Ordinatio Epiſcopi à tribus Epiſcopis.
27 Peccatum originale.
28 Quadrageſima.
29 Scripturam .ſ. ſacram.
30 Suffragia pro mortuis.
31 Symbolum.

32 Ton-

32 Tonſura Clericorum.
33 Trina immerſio in Baptiſmo.
34 Virginum conſecratio.
35 Vnctio Olei.
36 Vnctionis extremæ Sacramentum.

Omnes, & ſingulas haſce traditiones ex Apoſtolica traditione refert *Paulus Gryſaldus in Deciſionibus Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ, ver. Traditio* (citatis Sacris Cōcilijs, & Patribus) ex quibus colligūtur, quorū loca omitto ex induſtria; vt integra cognitio ſuſcipiatur à prædicto Doctore, illiq; aſcribatur labor aſſumptus in harum collectione, qui non fuit paruus; ſoluitq; ibidem obiectiones Hæreticorum contra traditiones.

De traditionibus vide *Luigium Lipomanum de Dogmatibus Catholicis pag. 33.* vbi etiam diſſeritur de conſuetudinibus vniuerſalis Eccleſiæ. *Becan. de Controu. præſen. temp. inter Hæreticos, & Cathol. lib. 1. c. 3. Bellarm. t. 1. lib. 4. cap. 2.*

DISTINCTIO QVINTA.

De Eccleſia, eius Capite, Iudice Controuerſiarum de Fide, & de Magiſtratu.

Partitur diſtinctio hæc in quatuor articulos.

Primus agit de Eccleſia.

Secundus de ipſius Capite.

Tertius de Iudice Controuerſiarum circa res Fidei.

Quartus verò de Magiſtratu.

ART. I. DIFFICVLTAS I.

An Eccleſia ſit viſibilis, vel inuiſibilis.

PRimò Catholici tenent Eccleſiam viſibilem eſſe; quia illa neceſſariò viſibilis eſt, in qua Epiſcopi, & alij Paſtores viſibilitèr debent gubernare ſuos ſubditos, viſibilitèr docere, Sacramenta adminiſtrare &c. & ſubditi eorum monitis obtemperare, ab eis Sacramenta accipere &c. Verùm tria ſpectari poſſent in Eccleſia.

Primum collectio hominū, qui ſunt in ipſa.

Secundum externum Pręlatorū regimen.

Tertium interna Fides, & charitas, qua inter ſe vniuntur; duo priora ſunt viſibilia: tertium verò inuiſibile; vndè Eccleſia partim cadit ſub externos oculos, partim ſub internos Fidei oculos: externis oculis videmus homines, qui in Eccleſia ſunt, & externum Pręlatorum regimen: prętereà etiam oculis Fidei credimus veram Chriſti doctrinam apud eos tradi, & conſeruari.

Argues fortaſsè ſic: quòd Fide credimus, non eſt viſibile; Eccleſia per te Fide credimus; ergò Eccleſia non eſt viſibilis. Reſpondeo maiorem propoſitionem ſic debere intelligi: vz. Eccleſiam, non eſſe viſibilem ex ea parte, qua ſub Fidem cadit; eſt tamen viſibilis ex alia parte, .s. qua ſub Fidem non cadit, vt duobus primis modis.

Hæretici verò ſentiunt in hoc mundo duas eſſe Eccleſias, vnam viſibilē, inuiſibilē alterā; ſicq; eas inter ſe diſtinguunt: quòd in inuiſibili ſint ſoli prædeſtinati: in viſibili autèm boni, & mali inſimul permixti: iſti profectò ineptiunt plures aſſignando in hoc mundo Eccleſias, cum ſcriptura s. aliud dilucidè doceat; ibi: *vna eſt columba mea, vna eſt electa mea &c.* dicitur verò vna ob vnionem eorum, qui in ipſa ſunt: omnes enim vnam, eandemq; Fidem profitentur, iuxtà illud Apoſtoli *Eph. 4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma*: Hęretici verò, qui ab hac Fidei vnitate recedūt: meritò dicuntur Sectarij, & quia hanc vnam nō habēt matrem: nec Deum habent Patrem. *Cyprianus lib. de Vnit. Eccl.* legendus eſt *Bellarminus de Controuer. tom. 2. lib. 3. c. 2. Becanus loc. inf. cit.*

DIFFICVLTAS II.

An Eccleſia Catholica ſit Sancta.

REſpondeo Catholici dicunt Eccleſiā Sanctam eſſe, tum quia nemo in eam ingreditur, niſi per Baptiſmum ablutus: tum, quia omnia ipſius inſtituta ad ſanctitatem ordinantur: tum etiam, quia eius Sponſus Chriſtus eſt Sanctus; tum prætereà, quia multi in ea Sancti ſunt; & adeò Sancta, vt deficere non poſſit; quod intelligi debet, nō de aliqua parte ipſius, cum aliquos Chriſtianos errare poſse, & reipſa erraſſe in Fide, conſtet: ſed de tota, quatenus ex paſtoribus, & ouibus conflata eſt: tum, quia fundata eſt ſupra firmam petram Chriſti: tum, quia promiſſum eſt illi, quòd portæ Inferi aduerſus eam non præualebunt: eſt nanque firmamentum, & columna veritatis; tum, quia ipſe Chriſtus orauit, vt Fides ipſius non deficeret: vndè licèt pugnari poſſit, expugnari tamèn non poteſt ob peculiarem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, quam Chriſtus illi promiſit: immò ipſa tunc vincit cum læditur: tunc intelligit, cū arguitur: & tunc ſecura eſt, cum ſuperata videtur: ità *Eminen. Albanus vbi inf. pag. 204. nu. 69.*

Cęterùm Hæretici temerè aiunt totam Eccleſiam viſibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram Fidem, & religionem, poſteà erraſse: & multis ſeculis .s. vſq; ad tēpora Lutheri in errore perſtitiſse, ità paſſim Lutherani, & Caluiniſtæ, vt notat *Becanus de Cōtrouerſijs huius temporis lib. 1 c. 3. de Eccleſia concluſ. 4 num. 24.* ſed patet manifeſtè Hęreticorum cęcitas attētis verbis diuinæ Scrip. ibi: *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: itèm ibi: *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, &c.* ſumus in certis

DIFFICVLTAS III.

An Eccleſia ſit Catholica.

REſpondetur Catholici dicunt Eccleſiam eſse Catholicam, ſeù vniuerſalem tribus de cauſis. Prima ratione loci, quià per vniuerſum orbem diffuſa eſt, *Marci 16. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Secundò ratione temporis, quia ſemper durabit: *Dan. 2. Suſcitabit Dominus Cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.*

Tertiò ratione hominum ſaluandorũ, quia quotquot ſaluantur, in viſibili Eccleſia ſaluantur, & nullus extra eam ſaluari poteſt: hinc patet diſcrimen inter Eccleſiam Chriſti, & Synagogam Iudæorum: hæc enim nullo iſtorum modorum fuit Catholica, .i. vniuerſalis: non primò, quia non fuit diffuſa per totum orbem, ſed per ſolam Palæſtinam: nec ſecundò, quia non durauit, niſi certo tempore, nempè vſq; ad mortem Chriſti: nec tertiò, quia poterant ſaluari homines extra Synagogam, vt Niniuitæ, & alij.

Hęretici è contra, ſed præcipuè Donatiſtæ, Lutherani, & Caluiniſtę aſſerunt primò Eccleſiam primis quingentis annis extitiſſe Catholicam .s. toto orbe terrarum diffuſam; ſed poſteà propter crimina Pontificis (quem Antichriſtum vocant) perijſſe; & adeò perijſſe, vt nuſquam nec in Europa, nec in Aſia, nec in Africa incolumis permanſerit; ſed vbiq; adultera, & apoſtatica fuerit deprehenſa; ſolummodòq; remanſiſſe integram in ea parte Europæ, quæ Luthero adhęrebat.

Has Hęreticorũ fabulationes omninò funditus euertunt Auguſt. ſcribendo contra Donatiſtas, & alij Patres, vt notat *Becan. loc. cit. nu.* 15. ad illos vos mitto, vt ad peritiores Medicos. legite etiam *Bellarm. de Controuer. loc. cit. & cap.* 12. 13. & 14. qui validiſſimè retundit omnes Hæreticorum apparentes rationes. O Hæretici vndè vobis inſania, & tanta inſania: aliquid proferte, quod non egeat interprete, aut aliquid dicite, vndè non conuincamini. *Aug. de Vnit. Eccl. c. 16. Becan. loc. cit. lib. 1. cap. 3. Lipoman. de Dogmat. Cathol. pag. mihi 8. 10. & 12. Eminentiſs. Alba. de Poteſt. Papæ, & Concilij lib. 2. pag. mihi 91. nu. 115.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

Quot ſunt Eccleſiæ capita?

RESpo, quòd Catholici duo capita Eccleſiæ ponunt, aliud inuiſibile, & aliud viſibile. Caput inuiſibile iam Synagogæ, & nunc Eccleſiæ quoad internum influxũ gratiæ aſſerimus eſſe idem .s. Chriſtum, qui ſicut per ſua merita præuiſa contulit Synagogæ internam gratiam: ità per ſua merita iam exhibita multò abundantiorem gratiam confert Eccleſiæ Catholicæ: Viſibile verò caput Eccleſiæ, & Synagogæ quoad externã gubernationem aſſerimus eſſe diuerſum: nam viſibile caput Synagogæ ab initio fuit Moyſes, cui poſteà ſucceſſerunt Pontifices legales: Viſibile autèm caput Eccleſię ab initio fuit Chriſtus, cuius locum poſteà ſuppleuit Petrus, & eius ſucceſſores.

Si dicas Chriſtum eſſe caput etiam quoad externam gubernationem; concedo; ſed obindè non ſequitur; quin Petrus, & ipſius ſucceſſores ſint caput. Verùm Chriſtus eſt caput primarium, & propria virtute; Petrus verò, & ſucceſſores ſunt Caput ſecundarium, & virtute à primo Capite Chriſto participata: nec quoad externam gubernationem ſunt duo capita; quia vbi vnum propter aliud, ibi tantùm vnum; conſtituunt.n. vnum Tribunal, vt etiam Epiſcopus, & eius Vicarius generalis.

Hęretici è conuerſo admittunt tantùm caput inuiſibile, .s. Chriſtum, volentes, quòd omnes præter ipſum ſint membra corporis Eccleſiæ; ſed certè falluntur non attendentes, quod caput dupliciter cum membris confertur; primò quoad internum influxum, qui procedit à capite in reliqua membra; & ſic vnius corporis vnũ eſt caput: Secundò autẽ quoad externum regimen, & ſic vnius corporis poſſunt eſſe duo capita; quorum vnum ſit primariũ, & aliud ſecundariũ; vnum alteri ſubordinatũ, vz. S. Petrus, eiusq; ſucceſſores Chriſto.

Dices Chriſtum ſuã Eccleſiam æquè commendaſſe omnibus Apoſtolis, & non magis Petro, quàm alijs: omnibus enim dixit: *Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos: Item docete omnes gentes.* Reſpondetur falſum eſſe omnibus æquè commendaſſe Eccleſiam: nam ſoli Petro dixit abſolutè: *Paſce oues meas*: hinc ſua auctoritate vocauit alios ad electionem noui Apoſtoli in locum proditoris: & primus in Concilio Hieroſolymitano ſententiam dixit, &c.

Vrgebis omnes Apoſtolos æquè inſtructos eſſe, & ęquè accepiſſe Spũm Sãctũ; ergò vnus non habet maiorem iuriſdictionem, quã alius. Non valet conſequentia; nam aliud eſt doctrina, & ſanctitas: aliud iuriſdictio: nõ enim, qui ſunt pares in doctrina, & ſanctitate, ſunt etiam pares in iuriſdictione; quia poteſtas, & iuriſdictio non pendent per ſe à doctrina, vel ſanctitate. Sumus in claris: ità ex *Becan. loc. cit. lib. 1. cap. 4. nu. 17. Cypriano tract. de Simplicitate Prælatorũ.* Vndè cogor dicere, quis eſt adeò lucis expers, qui in re tanti ponderis, in qua fixum eſt noſtræ Fidei fundamentum, vt non videat Hęreticos pœnitùs allucinari?

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

Iudex controuerſiarum, quæ oriuntur circa Fidem, & Religionem quis?

CAtholici diſtinguunt inter Iudicem, & Normam. Iudicem vocant, qui fert ſententiam inter litigantes: Normam vocant illam formam, ſecundum quam fertur ſententia à Iudice. His habitis, Catholici aſſerunt Eccleſiam eſſe Iudicem controuerſiarũ: Normam eſſe Scripturam Sacram, & traditionem ſimul, & iuxtà hanc Normam pronuntiari poſſe ſententiam: ratio ſumitur tum ex officio Iudicis, quòd ſcripturæ non competit: tum ex parte ipſius ſcripturæ: in qua duo ſpectanda ſunt, .s. littera, & ſenſus: littera occidit (teſte Apoſtolo) & ſenſus ſæpè obſcurus eſt; vt alio Iudice opus ſit, teſte quotidiana experientia: tum etiam ex parte controuerſiarum; nam aliquæ

quæ ſunt, quæ ex ſcriptura dirimi non poſſunt; cum nulla de his in ſcriptura fiat mentio, &c. Non eſt igitur Iudex controuerſiarū lex ſcripta, ſed Princeps .s. Summus Pontifex, aut Conciſtorium ipſius.

Cęterùm Hęretici docent ſcripturam eſſe Normam, & Iudicē abſq; diſtinctione, & omnes Fidei controuerſias ex ſola ſcriptura finiri, & decidi poſſe. Hoc probant, quia Deus in veteri teſtamento remittit Iudæos tm̄modò ad ſcripturam, *Iud. c.* 8. Ad legem, & teſtimoniū ſcripturę; ſed in hoc valdè fallūtur. Primò, quia in veteri teſtamento Iudex controuerſiarum non fuit ſcriptura, ſed Pontifex. Itèm ex *Deut. c.* 17. legī apud Iudęos fuiſſe duplex Tribunal, Concilium, vnum maius, quod vocabatur Senedrin, vel Senedrion, ſeu Concilium Seniorum. Alterum minus: maius erat tantū Hieroſolymorum: minus verò in ſingulis Ciuitatibus. In maiori iudicabantur maiores cōtrouerſiæ: in minori faciliores. In maiori præſidebat Pontifex: non itèm in minori. A minori licebat appellare ad maius, ſed non è contra; In maiori erant ſeptuaginta perſonæ præter Pontificem: in minori viginti tres.

Itèm ille textus ad legem, & teſtimonium longè aliter accipiendus eſt, quàm ipſi Hęretici putant: agitur .n. ibi contra illos, qui de futuris euentibus ſolebant conſulere Phytoniſſas, & Ariolos, & remittuntur partim ad legē, quæ id prohibebat *Deut.* 18. partim ad teſtimonium Prophetarum, qui à Deo cōſtituti erant, vt futura prædicerent 3. *Reg.* 22. *ità Becan. de Controuer huius temp. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 64. ſenſus itaq; eſt. Si vultis fieri certiores de futuris aduentibus; non debetis conſulere Phythoniſſas, ſicut fecit *Saul* 1. *Reg. c.* 28 ſed Prophetas Domini; quorum officium eſt de futuris pronuntiare.

Vrgent Aduerſarij, quòd Chriſtus in controuerſia, quam habuit cum Iudęis, an eſſet Filius Dei, remiſit Iudæos ad ſolam ſcripturam tanquam ad Iudicem controuerſiarum: *Scrutamini ſcripturam*. Reſpondeo falſum eſſe remiſiſſe ipſos ad ſolam ſcripturam, ſed primò ad teſtimonium Io. Baptiſtæ: deindè ad teſtimonium miraculorum, quæ oſtendebant eſſe Deū: poſteà ad teſtimonium Dei Patris, qui voce de Coelo idem confirmauit; deniquè vt omnia experiret; remiſit ad teſtimonium Sacrarum Scripturarum.

Adduntq; quòd per locum clarum ſcripturæ ferunt ſententiam de alio, qui obſcurus eſt. Reſpondeo, ſi ità eſt, cur ipſi per hanc viam nō finiunt ſaltèm controuerſias, quas inter ſe habent; cur (inquam) Lutherani, & Caluiniſtæ, cum altercantur de aliquo ſcripturæ loco, qui obſcurus eſt; non recurrunt ad illum, qui clarus eſt; aut ſi id faciunt, cur nullus apud illos altercandi eſt finis? apagete, apagete, ò Hęretici, proprijs armis iugulatis vos. *Becan. loc. cit. lib.* 1. *c.* 5. *Ioſephus lib.* 2. *contra Apionem*.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An liceat Chriſtianis Principibus Magiſtratū gerere.

Catholici dicunt primò reddenda eſſe, quæ ſunt Cęſaris Cęſari, & cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. Secundò dicunt omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe, nec eſſe poteſtatem, niſi à Deo.

Tertiò dicunt eum, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere: non enim ſine cauſa Iudex portat gladiū; Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malū agit, *Rom* 13. Quare iudicia publica exercere minimè Magiſtratui Politico Chiſtianorum illicitum eſt; quinimmò proprium eſt Principum iudicare: quòd ſatis expreſsè colligitur ex Diuina Scriptura, ibi: *Et nunc Reges intelligite, erudimini. qui iudicatis terram, Pſal.* 2 hinc *Deut. cap.* 6. ità legitur: *Iudices, & Magiſtratus conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio*. Licèt quæ illis gladio punire perturbatores publicæ quietis. Conſtat idipſum ex Diuina Scriptura, *Gen* 9 *Qui effuderit ſanguinem tuum, fundetur ſanguis eius*: Chaldaica paraphraſis vertit; qui effuderit ſanguinem cum teſtibus, ex ſententia Iudicis fundetur ſanguis illius: integrè comprobat hanc veritatem *Bellarminus de Controuer. tom.* 2. *Contron.* 2. *lib.* 3. *c.* 12. *&* 13.

Cęterùm Hęretici Anabaptiſtæ docent nō licere Chriſtianis gerere Magiſtratum, erigere Tribunalia, exercere iudicia punire gladio volētes id Chriſtum prohibere, *Luc.* 22. *c.* ibi: Reges gentium dominantur eorum, vos autèm nō ſic: ſed certè decipiuntur; quia dictis verbis non prohibuit Magiſtratum politicum; ſed inſtruxit Apoſtolos; vt ipſi tanquam futuri Paſtores animarum non tractarent ſecularia, nec more ſecularium dominarentur; ſed potiùs forent humiles, quærendo ſuper omnia animarum lucra, *Becan. Controu. lib.* 4. *cap.* 3.

DIFFICVLTAS II.

An liceat Chriſtianis Principibus Bellum gerere, remiſſiuè lib. 14. diſt. 6. art. 4. diff. 4. *vbi reſoluitur etiam an tenentes partem negatiuam ſint de hæreſi ſuſpecti, & vtrum veniant S. O. denunciandi.*

DISTINCTIO SEXTA.

De Antichriſto, & inuocatione Sanctorum.

Partitur huiuſmodi diſtinctio in duos articulos, quorum

Alter agit de Antichriſto.

Alter verò de Sanctorum inuocatione.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.

Nomen Antichriſti quomodo ſumitur.

Catholici dupliciter ſumunt nomen Antichriſti .s. largè, & ſtrictè; largè ſumitur pro quocunq; Chriſti aduerſario,

rio, cuiuſmodi ſunt omnes Hæretici iuxtà illud *Io. 1. c. 2. Nunc Antichriſti multi facti ſunt .i. multi Hæretici*: Strictè verò ſumitur pro principali Chriſti aduerſario, cuius reliqui omnes præcurſores ſunt, & de hoc loquitur *Paulus 2. Theſ. 2.* Niſi reuelatus fuerit homo peccati Filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne; quod dicitur Deus, & hoc modo ſumptus tenent nondum veniſſe in mundum: tum quia non veniet, niſi prius euerſum, & deſolatū fuerit Romanum Imperium, vt paſſim tradunt antiqui Patres tàm Gręci, quàm Latini, & confirmant ex *c. 2. & 7. Danielis, & c. 17. Apoc.* vti notat *Becan. de Contr. huius temp. lib. 1. c. 6. num. 3.* ſed Romanum Imperium adhuc floret: ergo &c. tum quia tempore Antichriſti venturi ſunt duo teſtes, qui amicti ſacco, ſeu cilitio prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta &c. *Apoc. 11. c.* hi autèm teſtes adhuc non venerunt, ergò &c.

Hæretici è conuerſo audent ſimplici populo perſuadere Summum Pontificem eſſe Antichriſtum. Quo autèm conſilio id faciunt, facilis eſt coniectura, nempè, vt ipſorum defectionē à Catholica Fide poſſint tegere, & excuſare ſub prętextu fugiendi ab Antichriſto. Ità *Becanus loc. cit. num. 1.* quod autèm hoc falſiſſimū ſit, patet tum ex dictis: tum quia Antichriſtus occidet duos illos Prophetas, de quib. *Apoc. 11. c.* Pontifex autèm hoc malum non patrauit: ergò.

Tum prætereà, quia Antichriſtus non regnabit niſi menſibus 42. vt conſtat *Apoc. loc. cit.* At Pontifex regnauit iam multis ſeculis.

Amplius Antichriſtus à Iudęis recipietur pro Meſſia. *Io. 5. & 12. Theſſ. 12.* at Pontifex nō recipitur ab illis pro Meſſia. Vndè apparet, quod deficiunt ſcrutantes ſcrutationes. O infelix aſtutia tantùm ne deſeris lucem conſilij pietatis, & in profunda verſutia demergeris, vt hoc dicas? .s. Vicarium Chriſti eſſe Antichriſtum, vide *Bellarmin. to. 1. 3. Controu. lib. 3. c. 18.* vbi validè refelluntur deliramenta Hæreticorum, oſtēditq; Antichriſtum nondum veniſſe, agitq; de eius nomine, charactere, generatione, ſede, miraculis, ſeu potius mirabilibus, Regno, pręlijs, itèmq; de Gog, & Magagog; quæ omnia, & ſingula omittuntur in gratiam breuitatis, vide *D. Auguſt. lib. 2 contra Aduerſarium legis Damaſcen. lib. 4. cap 27.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.

An Sanctorum in Cœlo inuocatio ſit vtilis, ac licita.

CAtholici inuocationem Sanctorum in Cęlo exiſtentium aſſerunt vtilem eſſe, ac licitam: v. g. ſub hac formula: Sancta Maria ora pro nobis: S. Petre ora pro nobis: Omnes Sancti intercedite pro nobis.

Rationes noſtræ pręcipuæ ſunt: Primò, quia hæc inuocatio totius Eccleſiæ cōſenſu approbata eſt: tota autèm Eccleſia errare non poteſt, vt alibi probatum fuit.

Secundò, quia quotidiè fructum inde experimur conſequendo, quod petimus.

Tertiò, quia, ſi pium, & vtile eſt inuocare Sanctos in hac vita exiſtētes, vti patet *Coloſ. 4. c. Orationi inſtate orantes ſimul, & pro nobis*. Itèm *Theſſ. 3. c. Fratres orate pro nobis*: ergò etiam licitum, pium, & vtile eſt inuocare Sanctos cū Chriſto regnantes; preſertim, quòd horum interceſſio non minus efficax eſt, quàm illorum. Itidèm, ſi Sanctis adhuc in hac vita caduca peccantibus ſaltèm venialitèr; Deus (quando expedit) facit cognoſcere neceſſitatem ſuorum proximorum; & concedit pro ipſis poſtulata: quare idem negabimus concedere ipſis in Palatio ſuo cęleſti exiſtentibus iam in gratia confirmatis? abſurdum eſt negare.

Fortaſsè non poſſunt videre, ſeu cognoſcere noſtras neceſſitates ob improportionatam diſtantiam? hoc aliud abſurdum eſt; quia, quādo expedit, vident in verbo, .i. in notitia habita de diuina eſſentia, omnia entia poſitiua, vtpotè ſunt orationes; cum habeant ideam in ipſa, nec vlla diſtātia impediat, quin illam videant. [vide *D. Thom. 4. Sent. diſt. vlt. quæſ. 2. ar. 4. Dur. ibidem q. 3.*

Quod autèm Sancti in hac vita cognoſcant (quando Deo placet) etiam arcana mortaliū, patet ex Samuele, qui cognouit, quæ erant de corde Saulis *1. Reg. c. 9.* Eliſeo, ꝙ ſciuit omnia, quæ à famulo abſente fuerāt perpetrata, *4. Reg. cap. 5.* Itèm omnia conſilia Regis Syriæ *4. Reg. c. 6.* Daniele, qui nouit occultū ſomniū Nabuchodonoſor, illiusq; interpretationem *2. cap.* Diuo Petro, qui itèm nouit occultam fraudē Ananiæ, *Act. 5.*

Hæretici è contra contendunt demonſtrare inuocationem Sanctorum in Cęlis regnantiū inutilem eſſe; ſed ſanè ineptiſſimè, perperàm interpretando hæc ſcripturæ loca *Iob. 14. c.* ibi: *Siuè nobiles fuerint filij eius, ſiuè ignobiles, non intelliget*; & *Iſa. 63.* ibi: *Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos*. Verùm huiuſmodi textus nihil ad rem faciunt; quia non diſputamus hìc de hominibus, qui tempore veteris teſtamenti erant in Limbo, vel in Inferno; ſed de Sanctis, qui modo ſunt in Cęlo: Vndè eſto, quòd priores ignorauerint, quæ hìc fiunt; non ſequitur inde, etiam poſteriores ea ignorare. Sumus in claris.

Itidèm dicunt inuocationem eſſe illicitam, quaſi Deus Sanctos odio habeat, vel inuideat; adeò vt non poſſit pati ipſorum honorem. Sed falluntur, nam alius eſt honor Duliæ, qui datur Sanctis ab illo, qui datur ſoli Deo, .s. honor Latriæ.

Itèm volunt, quod dicta inuocatio ſit iniurioſa Chriſto, quaſi auferatur ipſi officium mediatoris; ſed hoc falſum eſt; quia per tale non aufertur Chriſto; quin ſit principalis mediator: nec Catholici per inuocationem Sanctorum diffidunt de Dei clementia: ſed ipſa ſuppoſita, quærunt etiam Sanctorum auxilia, maximè cognoſcēdo ſe indignos immediatè accedere

ad

ad Summum Tribunali. *Becan. de Controu. lib. 1. c. 7. Lipomanus de Dogmat. Cathol. pag. mihi* 153.

DISTINCTIO SEPTIMA.

De Sacramentis, de peccato originali, de cęrimonia, ſeu exorciſmo, qui fit in Baptiſmo infantium, itemq; de Circunciſione.

Partitur diſtinctio hæc in quinque articulos.
Primus reſpicit Sacramenta in genere.
Secundus, peccatum Originale.
Tertius, Exorciſmum, qui fit in Baptiſmo.
Quartus, collationem inter Baptiſmum, & Circunciſionem.
Quintus, Sacramentum Matrimonij.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Cur inſtituta ſunt Sacramenta nouæ legis.

CAtholici dicunt Sacramenta inſtituta fuiſſe, vt conferant nobis gratiam ſanctificantem, quam ſignificant, & nomine gratiæ intelligunt internam gratiam, ſeù iuſtitiam inhærentem; vndè colligo effectum Sacramentorum eſſe gratiam: v. g. nos regeneramur per Baptiſmum, quod ſine gratia iuſtificante fieri non poteſt.

Verùm notandum per varias cauſas in diuerſo genere hominem iuſtificari poſſe; iuſtificatur enim per Fidem tanquam per præuiam diſpoſitionem.

Per gratiam, ſeu iuſtitiam inhęrentem tanquam per cauſam formalem.

Per Deum tanquam per cauſam efficientē principalem.

Per Sacramenta tanquàm per cauſas inſtrumentales.

Per Chriſtum tanquàm per cauſam meritoriam: vide *Conc. Trid. ſeſs. 6. c. 7.*

Si dicas Abraham nō fuiſſe iuſtificatum per Circunciſionem, quæ erat Sacramentum veteris teſtamenti; ſed per Fidem: ergò non per gratiam, ſeu iuſtitiam inhęrentem: patet reſponſio ex diſtinctione, vndè concedo fuiſſe quidem iuſtificatum per Fidem diſpoſitiuè, ſed non formalitèr.

Itidem non ſequitur Abraham non fuit iuſtificatus per Circunciſionem: ergò nec nos per Baptiſmum; quia vetera Sacramentá non conferebant gratiam; noua verò conferunt. Nec Circūciſio in Abraham excitauit Fidem, ſed fuit ſignaculum Fidei iam habitæ: prius .n. credidit Deo, & deindè circūciſus eſt, *Gen. c.* 15.

Cęterùm Hæretici aſſerunt Sacramenta inſtituta fuiſſe, vt excitent in nobis Fidem, per quam iuſtificamur: ſed falluntur; primò, quia Fides requiritur ante ſuſceptionē Sacramenti, non vt forma iuſtificans; ſed tanquàm præuia diſpoſitio: homines .n. prius inſtruendi ſunt, vt credant in Chriſtum Redemptorem; ſi ſunt adulti, capacesq; rationis; vel ſi paruuli alio pro illis confitente Fidem; & deindè baptizandi; Vndè Philippus noluit baptizare Eunuchū, niſi prius crederet in Chriſtum, *Act.* 8. Ait Eunuchus: *Ecce aqua quis prohibet me baptizari?* Dixit autèm Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.*

Secundò, quia, ſi Baptiſmus ideò inſtitutus eſſet, vt excitaret actum Fidei; non prodeſſet infantibus; cum in illis ob carentiam rationis excitari non poſſit. Volunt autèm Fidem gigni in ipſis partim exorciſmis, partim orationibus Eccleſiæ, quæ adhibentur in Baptiſmo; ſed hoc refellitur à DD. & maximè à *Becan. de Controuer. huius huius temp. lib. 2. c.* 2. ob multa abſurda inde ſequentia.

Itèm, quia nomine gratiæ intelligunt gratuitam peccatorum remiſſionem, quam putāt in eo conſiſtere, quod Deus non imputet nobis peccata noſtra; ſed quaſi pallio tegat, & diſſimulet; ſed certè decipiuntur; nam ſequitur primò, quòd in iuſtificatione peccatoris non tollantur pęccata, ſed tantùm tegantur. Secundò, quòd peccator non renouetur interiùs, ſed tm̄ extra, quæ patent eſſe abſurda non parua.

DIFFICVLTAS II.
Sacramenta nouæ legis quot.

ALtercantur quoq; Hęretici cum Catholicis circa numerū Sacramentorū: nam nos tenemus ſeptem eſſe Sacramenta nouæ legis (ſuadente Paulo *Theſs* 2. *c.* 2. & ſequendo traditiones. Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis: Ipſi autèm Hæretici nihil certi habent: nam aliqui tenent tantum Baptiſmum, alij Baptiſmum, & Euchariſtiam. Alij ad hæc duo addunt Pęnitentiam, alij Matrimonium, alij Ordinem; vnum certum eſt, quòd nedum altercantur nobiſcum; ſed etiam ad inuicem. Quæ ſint autèm Sacramenta noui teſtamenti notum eſt: velut etiam notus eſt numerus; ideò non labor vltrà.

Veteris verò teſtamenti Sacramenta ſunt ſex, vz.

Primum, Circunciſio.

Secundum, Agnus Paſchalis.

Tertium, Purificationes ab externis immūditijs.

Quartum, Expiationes a peccatis.

Quintum, Conſecratio Sacerdotum.

Sextum, panes propoſitionis. Ità *D. Thom. in* 1. 2. *quaſt.* 502. *art.* 5 *Becan. de Controu. lib.* 1. *c.* 8. *nu.* 1.

DIFFICVLTAS III.
Quomodo differunt Sacramenta noua legis à veteribus.

SAcramenta nouæ legis ſunt ſigna practica .i. efficiunt gratiam, quam ſignificant: Sacramenta verò veteris legis erant ſigna theorica: nam ſolummodò ſignabant gratiam dandam, ſed non efficiebant .i. non impertiebatur gratia ſumentibus illa vi Sacramentorum, .i. ex

opere

opere operato: ſed in illis dabatur gratia ex Fide venturi Meſſiæ. faciunt tradita à *Tol. lib. 2. cap. 4. ex Synaxi curæ animarum Iulij Calui c. de Sacramentis.*

Differunt præcipuè Sacramenta nouæ legis ab illis veteris quantum ad efficacem ordinationem ad gratiam gratum facientem: quia in illorum ſuſceptione nō interueniebat pactio, per quam efficax, & infallibilis fieret ordinatio ad dictam gratiam, ſecundum quòd in Sacramentis nouæ legis, vt patet in inſtitutione Baptiſmi, de quo dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Matth. c. 28. D. Bonau. 3. Sent. diſt. 40. in vltimo dubio litterali:* qui eodem in loco oſtendit Sacramenta nouæ legis, illis veteris eſſe magis completa: tum, quia Spūs Sanctus influens iuſtitiam plenius aſſiſtit: tum quia Paſſio Chriſti meritoria efficacius concurrit: tum prætereà, quia abundantior eſt deuotio ſuſcipientis ob incrementum Fidei propriæ, quod factum eſt in noua lege; & propter ſubſidium Fidei totius Eccleſiæ; quia in Fide ipſius Catholici ſuſcipiunt Sacramēta.

Notandum inſupèr Sacramenta nouæ legis eſſe ſigna tum naturalia, tum voluntaria: nam habent habilitatem ad ſignificandum ex natura: actualitatem verò ex inſtitutione: vndè nō ſunt ſigna præcisè naturalia, nec præcisè volūtaria: ſed ex vtriſque mixta. ità *S. Bonau. 4. Sent. diſt. 1. quæſt. 2.*

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An filij omnes naſcantur cum peccato originali.

CAtholici ponunt primò, quòd omnes infantes tàm fidelium, quàm infideliū naſcātur in peccato originali. *Rom. c. 5.* Secundò, quòd ratione peccati originalis ſunt filij mortis, iræ, damnationis, ibidem. Tertiò, quòd non poſſunt effici filij Dei, niſi renaſcantur per baptiſmum, *Io. 3. c.* Nec obſtat promiſſio facta Abrahæ, *Gen. c. 17. Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*; quia iſte textus non intelligitur ſecundum litteram promiſiſſe Abrahæ, *Et ſemini eius vitam æternam*: ſed poſſeſſionem terræ: *Dabo tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ: omnem terram Canaam in poſſeſſionem æternam. Becanus in Controuerſijs huius temporis lib. 3. cap. 7. nu. 2.*

Heretici Caluiniſtæ è contra docent primò omnes filios legitimos fidelium ab vtero materno naſci ſanctos, & heredes vitæ ęternæ. Sed hoc falſum eſt; quia Iacob, & Eſau ex parentibus fidelibus nati ſunt; & tamèn Eſau ab vtero materno nō fuit Sanctus, nec hęres vitæ ęternæ; vt patet ex illo *Rom. 9. Iacob dilexi, Eſau autèm odio habui.*

Secundò, docent filios ex illegitimo thoro natos eſſe obnoxios æternæ damnationis, nec ad baptiſmum admittendos, ſed hoc falſum eſt: quia Iephte ex muliere meretrice natus eſt, *Iudic. 11.* & tamèn Apoſtolus recenſet illū inter Sanctos veteris teſtamenti, qui per fidem ſaluati ſunt. *Hebr. 11.* Et Chriſtus ęquè pro omnibus mortuus eſt, tàm legitimis, quàm illegitimis. Conſtat.

Tertiò, docent filios infidelium, etiamſi baptizentur non ſaluari, nec baptiſmum illis prodeſſe: ſed falſum eſt; quia Deus nulli defecit in neceſſarijs ad ſalutem: eſt communis Theologorum ſenſus.

DIFFICVLTAS II.

An circa Baptiſmum infantium etiam controuertantur ad inuicem Catholici, & Anabaptiſtæ.

REſpondetur affirmatiuè, Catholici aſſerūt infantes eſſe capaces Baptiſmi, & legitimè baptizari poſſe; quia ſunt capaces gratiæ iuſtificantis; vt patet exemplo Io. Baptiſtæ, qui in vtero materno ſanctificatus eſt, *Luc. 1.* E cōtra verò Anabaptiſtę docent infantes Baptiſmi non eſſe capaces: ideòq; minimè baptizandos eſſe; quorum ratio eſt, quia non ſunt capaces doctrinæ, & fidei: Chriſtus autèm dixit primò: Docete omnes gentes. Secundò, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ſed hoc non obſtat, quia Chriſtus loquebatur præcisè de Adultis, quod patet: cum talis ordo in infantibus ſeruari non poſſet: hanc expoſitionem ſequuntur etiam Pelagiani, qui non audent negare paruulorum Baptiſmum. *Aug. lib. 10. de Geneſi, c. 23. Becanus de Controuer. huius temp. lib. 4. cap. 2.* idem *Aug. lib. 1. de peccatis, meritis, & remiſ. c. 26. & cōe Theol. placito.*

ART. III. DIFFICVLTAS VNICA.

An Exorciſmus, quo vtitur Eccleſia Catholica in Baptiſmo .s. ad expellendum Dæmonem, ſit bonus.

CAtholici ſentiunt iuxtà doctrinam *D. Thomæ 3. par. quæſ. 71. art. 2. ad 1.* Dæmonem expelli poſſe tribus modis; primò ab anima, quæ rōne peccati originalis à Deo eſt auerſa, & ipſi Dęmoni ſubiecta, & fit libera per baptiſmum. Secundò à corpore, ne noceat, cum poſſit illud vexare, agitare, & ſtrangulare, ſi ipſi permittatur iuxtà illud Iob: Veruntamen animam .s. corpus illius ſerua; & hoc fit per exorciſmum. Tertiò à ſenſibus internis, & externis, quos poteſt afficere per illuſiones, deceptiones, terrores, quod etiam fit per exorciſmum.

Hæretici Caluiniſtæ cum antiquis Pelagianis è contra tenent hanc cęremoniam exorcizandi Dęmonem non eſſe bonam; quorum ratio eſt: tum quia volunt illam Chriſtum non inſtituiſſe, nec Apoſtolos vſurpaſſe: tum quia Dęmon non expellitur ab infantium anima per exorciſmum, ſed per Baptiſmum.

Ad primum dico, quod quamuis Chriſtus non inſtituerit exorciſmū: dedit tamen Apoſtolis poteſtatem, eorūq; ſucceſſoribus eijciēdi Dęmonem, *Marci 3. c.* & quidem non fruſtrà iuxtà illud: *Deus, & natura nihil agunt fruſtra*: ergo, vt illum eijcerent ab anima baptizandi, ne vel Baptiſmum, vel fructum illius impediat.

Ad ſecundum verò dico, quòd etſi Dęmon ab anima infantium non expellatur per exorciſmū: expellitur tamen à corpore, & ſenſibus,

Vt ſupra dictum eſt: ergò non fruſtra. *Becan. Controu. lib. 3. c. 8.*

ART. IV. DIFFICVLTAS VNICA.

Baptiſmus, & Circunciſio quomodo ab inuicem diſconueniunt, & conueniunt.

BAptiſmus in multis differt à Circunciſione.

Primò, Baptiſmus confert maiorē gratiam, & aufert omnem pęnam: Circunciſio non auferebat omnem pęnam, ſaltèm illam exiſtendi in Limbo vſque ad aperitionē Cęli.

Secundò, Baptiſmus imprimit characterem, quem minimè imprimebat Circunciſio.

Tertiò, Baptiſmus eſt remedium, ad quod vniuerſalitèr omnes tenentur: ad Circunciſionē verò non tenebantur, niſi ab Abraham deſcendentes: poterant tamèn omnes circuncidi.

Quartò, in Baptiſmo eſt determinata verborum forma, quòd non eſt in Circunciſione.

Quintò, nemo poteſt ſeipſum baptizare: & poterat quiſque ſe ipſum circuncidere.

Sextò, Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij, & pręcepti: Circunciſio verò reſpectu paruulorum ante octauum diem neutro modo erat neceſſaria: nō neceſſitate medij; quia ante dictum diem, ſi neceſſitas incumbebat, poterant ſaluari ſolo remedio naturæ: neque neceſſitate præcepti: nam tantummodò octauo die non priùs, neque poſteriùs ſuſcipiebabatur: immò Populus, qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos incircunciſus fuit, vt legitur *Ioſue c.* 5. Vndè, qui incircunciſi moriebantur, iuſtificabantur in Fide Chriſti venturi.

Pro mulieribus, quę non circuncidebantur tempore Circunciſionis erat quædam illarum præſentatio: v. g. in templo, quæ ſanè præſentatio, ſeu inuocatio fuit loco Baptiſmi ante Abraham, quam faciebant Parentes pro puero, vt non imputaretur ei originale: quod obſeruat *Tataretus* 4. *Sent. diſt.* 1, *qu.* 7 itèm *ex Synaxi curæ animarū Iulij Calui de Sacram. Baptiſmi.*

Conueniunt etiam ad inuicem Baptiſmus, & Circunciſio: quia etiam Circunciſio ſecundum Antiquorum Doct. inſtituta fuit ad tollendum peccatum originale; ideò ſecundum ipſos confert gratiam ex opere operato, .s. ratione Sacramenti Circunciſionis: ſecundùm mentem verò Doctorū Modernorum eſt inſtituta ad diſtinguendum populum Hebręum ab alijs: confertq; præciſè gratiam ratione Fidei, quæ profeſſatur in ſuſceptione illius Sacramenti.

Notandum autèm duplicitèr accipi Circūciſionem. Primò præciſè pro externa cerimonia ſciſſionis. Secundò, quatenus cum illa cōiungebatur proteſtatio Fidei in Chriſtum venturum. Primo modo non iuſtificabat. Secundo verò modo iuſtificabat.

Notandum ampliùs Circunciſionem contuliſſe gratiam etiam Adultis ſola atttritione concurrente: quemadmodum .n. Adulti non deſcendentes ab Abraham iuſtificabantur per remedium legis naturæ, & attritionem ſimul: ſic deſcendentibus ab ipſo per Circunciſionē modo dicto directè delebatur peccatum originale: indirectè verò peccata actualia.

ART. V. DIFFICVLTAS VNICA.

An Matrimonium ſit indiſſolubile quo ad vinculum.

CAtholici docent, quod marito .s. Chriſtiano non licet in nullo caſu dimittere vxorem Chriſtianam, & cum alia ducere, & è contra; patet ex *Euang. Matth. c.* 5. ibi: *Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam &c. ex Marco cap.* 10. *& Luc.* 16. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit,* 1. *Corin. c.* 49. *Mulier viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, quid planius?*

Loquor de Chriſtiano, quia aliud eſt de Infideli: quia, ſi duo Infideles contrahant matrimonium, & poſteà alter coniugum fiat Chriſtianus, altero perſiſtente in infidelitate; poteſt Chriſtianus Infidelem dimittere, & cum Chriſtiana contrahere. docet *Paulus* 1. *Cor. c.* 7. Poteſt tamèn etiam coniux Chriſtiana ſaltèm ſeparari à thoro alterius coniugis Chriſtiani per Iudicem (cognita cauſa) ſed interim tenetur manere innupta, vel priori viro reconciliari. Porrò tenet vinculum matrimonij. legendus eſt *Becanus loco cit. & Bellarminus loc. inf. citan.* quamplurimas rationes in comprobationē huiuſce indiſſolubilitatis afferre poſſem; ſed mihi ſatis erit ex congeriē, & multitudinē rationum, quas affert *Bellarminus loc. cit.* tres ſolummodò decerpere. Quarum prima eſt, quia matrimonium Fidelium ſignum eſt coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, vt Apoſtolus dicit *cap.* 5. *ad Epheſ. At illa vnio indiſſolubilis eſt: igitur & vinculum coniugale indiſſolubile eſt.* Et quamuis tota Eccleſia à Deo fornicari non poſſit; tamen aliquæ partes Eccleſiæ, nonnulli vz. Fideles fornicantur ſpiritualitèr, & diuortiū faciunt; ſed nō proptereà licet illis mutare Deum: nec Deus ità illos abijcit, vt nolit ipſis reconciliari: immò ſemper hortatur ad recōciliationem: iuxtà illud Eccleſiæ: *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te:* itèm *nolo mortem peccatoris; ſed vt conuertatur, & viuat:* tale igitur debet eſſe coniugium Chriſtianorum; vt nunquam tale diuortium fiat, quin ſpes maneat reconciliationis. eſt *Auguſt. lib. de Bono coniugali cap.* 7. 15. *& alibi.*

Secunda, ſi licitum eſſet aliud matrimoniū, iniuria afficeretur proles: nam filijs iam natis perperàm conſuleretur; pro patre .n. vitricum: pro matre verò nouercam habere inciperent. eſt *Ambroſij in cap.* 16. *Lucæ.*

Tertia, ſi eſſet licitum huiuſmodi coniugiū (viuente altero coniuge) aperiretur aditus penè infinitis (vt ſic loquar) repudijs etiam iniuſtis: nunc .n. quia ſciunt Fideles debere, aut cęlibes viuere, aut priori coniugi reconciliari; nō facilè ad diuortiū adducuntur: at ſi ſcirent; mox (repudiata vxore) poſſe aliam ducere, facil-

facillimè diuortia fierent; & quærerent interdum occaſionem diſſidiorum, & criminum. eſt *Hieronymi in cap.19. Matthæi*. Diuino igitur prudentiſſimo, ac iuſtiſſimo iudicio Chriſtus ſanxit coniugium quo ad vinculum omninò indiſſolubile eſſe debere.

Hęretici verò .s. Anabaptiſtę docent vinculum matrimonij apud Chriſtianos diſſolui poſſe ob hęreſim alterius coniugis; ſed falſum eſt. Conſtat ex *Trid. ſeſs. 24. Can.* 5. nam Chriſtus generatim dicit. Quod Deus coniunxit, homo nôn ſeparet: notat *Becan. de Controu. hu. temp. de Fide, & Relig. lib. 4. c. 7.*

Dicti Anabaptiſtæ alias euomunt blaſphemias; quæ ſunt adeò manifeſtè falſæ, & ſpecialitèr illa de extinctione animarum; quæ adeò abſurda eſt, vt etiam Turcæ Iudęi, & ferè omnes alij Hæretici toto conatu reſpuant; cum immortalitas ſit omninò certa: animam autē non poſſunt occidere, inquit veritas, Chriſtus. *Becan. Controu. lib. 4. cap. 7. Bellarminus item de Contróu. de Matrimonio tom. 3. lib. vnico, cap. 16.* ſoluitq; ſatis argumenta aduerſariorum *cap. ſequenti*, §. 17.

DIFFICVLTAS II.
An Polygamia licita ſit.

NOS Catholici diſtinguemus tria tempora. Primum eſt ab initio mundi vſq; ad Abraham. Secundum ab Abrahamo vſq; ad Chriſtū. Tertium à Chriſto vſq; ad finē mundi.

In primo fuerunt parentes primi cum proximis ſuis poſteris, & in ipſo viguit ſola Monogamia ex Dei inſtitutione, *Gen. 1.* In ſecunda Iudæi cum ſuis primogenitoribus Abrahamo, Iſaac, Iacob &c. & in hoc conceſſa eſt Polygamia. In tertio ſunt Chriſtiani, & in hoc exploſa eſt Polygamia .s. habere ſimul plures vxores; nôn autèm Polygamia multarum vxorum ſucceſſiuè · patet 1. *Corin. cap. 7. Si dormierit vir eius, cui vult nubat tantùm in Domino.*

Cęterùm Hęretici Anabaptiſtę docent licitam eſſe Polygamiam Chriſtianis, quod omninò falſum eſt: patet *Matth. 5. & 19. Marci* 10. *& Lucæ* 16. declarat eum, qui dimiſſa vxore aliam duxerit męchari. Patet ex *Conc. Trid. ſeſs. 24. Cān 2. Becan. Controu. lib. 4. c. 6. Bellarm. item Contron. tom. 3. de Sacram. Matrimonij c.* 10.

DIFFICVLTAS III.
An Polygami, nimirùm, qui duas vxores inſimul habēt, de facto ſint de hæreſi ſuſpecti: remiſſiuè vide Lib. 14. diſt. 6. art. 2.

DIFFICVLTAS IV.
An quemadmodum vir ſuperſtite vxore priori, ſi aliam ducat eſt ſuſpectus de hæreſi: an idem dicendum ſit de vxore ſuperuiuēte marito primo, ſi alteri nubat Lib. 14. diſt. 6. art. 2. diff. 2.

DISTINCTIO OCTAVA.
De Communione ſub vtraque ſpecie, & reali præſentia Chriſti in Euchariſtia.

Partitur huiuſmodi diſtinctio in duos articulos, quorum

Alter reſpicit Communionem ſub vtraque ſpecie.

Alter verò realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
An ſufficiat ſuſcipere Euchareſtiam à Laicis ſub altera ſpecie.

CAtholici docent partem affirmatiuam; ratio eſt, quia laici ſub vna ſpecie non accipiunt ſolam carnem, ſed carnem, & ſanguinem ſimul; imò totum Chriſtum non minus, quàm ſub vtraq; ſpecie: quia Chriſtus eſt immortalis; vndè caro, ſanguis, anima, & diuinitas Chriſti ſemper manent cōiuncta; nec minor fructus percipitur ex vna ſpecie, quàm ex vtraq;: totus .n. fructus habētur à præſentia Chriſti; qui (vt dixi) nôn minus ſub vna, quàm ſub vtraq; ſpecie præſens eſt.

Dices, ſi ſic eſt: Cur ergò Sacerdotes non ſunt contenti vna ſpecie, ſicut iubent laicos contentos eſſe? Reſpondeo Euchariſtiam nō ſolùm eſſe Sacramentum, ſed etiam ſacrificiū. Ratio autèm Sacramenti ſaluari poteſt in vna ſpecie. Ratio verò ſacrificij requirit vtramq; ſpeciem; Laici itaq;, qui Euchariſtiā accipiunt, vt Sacramentum vna ſpecie contenti eſſe debent: Sacerdotes autèm, qui illam, vt ſacrificium offerunt, vtraq; ſpecie vti debent.

Hæretici verò imputant nobis, quod laicis non damus ſanguinem, ſed ſolam carnem; ſed certè falſum eſt; quia dando corpus impertimur etiam ſanguinem, vt ſupra cautum fuit.

Nec obſtāt verba illa, .s. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis, &c.* quia licèt contineant præceptum de ſumenda Euchariſtia: non tamèn de illa ſumenda ſub vtraq; ſpecie: nulla enim fit mentio ſpecierum panis, & vini, ſed carnis, & ſanguinis: at caro, & ſanguis Chriſti ſumi poſsūt inſimul ſub vna ſpecie: cōſtat ex dictis.

Itèm non obſtant verba illa: *Bibite ex hoc omnes, Luc.* 22. quia idem perindè valent, ac iſta: *Accipite, & diuidite inter vos*, .i. vnus nō exhauriat totum calicem, ſed ſinguli, aliquid bibant, quod & factum eſt, vt teſtatur *Marc. Et biberunt ex eo omnes*, vtiq; illi omnes ex eo biberunt, quibus dictum erat à Chriſto: *Bibite ex hoc omnes.* Res clara eſt: Itā *Becanus de Contr. hu. temp. lib. 1. c. 9. num. 7.* doctè ſoluens alia, quæ apparent primo acceſſu aliquo modo obſtare. *Bellarminus item de Controu. tom. 3. lib. 4. de Sacram. Euchar. cap. 21. 22. 23. & 24.* qui validè refellit omnes Hęreticorum obiectiones, aperitq; dilucidè eorum deprauationes circa verba inſtitutionis.

ART. II. DIFFICVLTAS I.

De præſentia Chriſti in Euchariſtia.

CAtholici tenent corpus, & ſanguinem Chriſti verè realitèr, & ſubſtantialitèr præſentem eſſe in Euchariſtia per trāſubſtantiationem, .i. per conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti, iuxtà tradita per *Conc. Trid. ſeſs. 13. c. 4.* Si enim Deus, vt conſtat ex Sacra ſcriptura facere potuit, vt virga Moyſis mutaretur in ſerpentem, *Exod. cap. 13.* itèm vt aqua Aegypti mutaretur in ſanguinē, ſimilitèr, vt aqua in nuptijs Canę Galileæ mutaretur in vinum &c. quid mirùm, ſi tranſubſtantiat panē in carnem, & vinum in ſanguinē?

Cęterùm Hęretici Lutherani, quamuis nobiſcum ſentiant contra Caluiniſtas Chriſtum verè eſſe pręſentem in Euchariſtia: diſſentiunt tamen quoad modum negando conuerſionē hanc aſſerentes ſubſtantiam panis, & vini manere ſimul cum ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti; atq;hinc ortum eſt vocabulum impanationis.

Verùm circa hanc impanationem Hæretici inter ſe diſcrepant: pleriq; putant fieri pręſentem per vbiquitatem; ſed falſum eſt; quia quod vbiq; eſt; non mouetur de loco in locum. Cōſtat; Corpus autèm Chriſti mouetur à Miniſtro ferendo illud, v. g. infirmis: ergò non eſt vbiq;, ſeu præſens per vbiquitatem.

Alij volunt fieri præſentem per vnionem hypoſtaticam Chriſti cum pane, & vino. Verū errant: nam vnio hypoſtatica non fit in natura, ſed in perſona.

Alij deniq; dicunt Chriſtum eſſe præſentem in Euchariſtia per ſimplicem coniunctionem; ſed falluntur; quia, quando vniuntur duæ res diſtinctæ, vti ſunt Corpus Chriſti, & panis; & ſanguis Chriſti, & vinum per ſimplicem coniunctionem; tunc vna propriè non poteſt dici altera: non .n. dicimus aer eſt panis; tametſi aer ſit in pane; neq; Angelus eſt homo, licèt poſſit eſſe in homine, & cum homine. ex *Becan. Controu. lib. 3. cap. 9.* vide *Cyrillum Hieroſolymitanum Catech. 4. myſtagogica. Bellarminus de Controuer. tom. 3. lib. 2.* de veritate Corporis Dñi in Euchariſtia primò ex teſtimonijs Patrum à prima ætate vſque ad duodecimam, deindè ex teſtimonijs Patrum reliquarum ętatum.

Notandumq; quòd auctoritates, quæ videntur inferre panem manere in Euchariſtia intelligi debent de pane mutato, ſicut Chriſtus, cum ait. Cęci vident .i. qui anteà erant cęci, nunc vident: non .n. ſunt ſimul cæci, & videntes: ſed, qui prius erant cæci; ſunt modò videntes: ità, quod erat prius panis, modò eſt corpus Chriſti vi conſecrationis: & quod erat prius vinum; eſt nunc ſanguis Chriſti eadem vi; ad poſitionem .n. vnius, ſequitur remotio alteri⁹.

DIFFICVLTAS II.

Quæ formæ ſubſtantiales, & quæ accidentia in Euchariſtia non diuariantur ad locorum variationem.

RESpondet *Fauentinus loc. inf. cit.* in hæc verba: *Formæ abſolutæ, quæ præcedunt vbi, vt intrinſecæ formæ ſubſtantiales: itèm accidentia hæc, .s. quantitas, qualitas, figura corporis, illius temperies &c.* eadem ſunt in eodē corpore in quocunque loco ſic: quia iſta non ſequuntur, ſed antecedunt vbi; ideò ad variationem locorum non variantur: ex. g. ſi corpus Romæ recipiat caliditatem; neceſsè eſt quoque, vt caliditatem eandem recipiat, & ab eadem patiatur Venetijs: nam iſta .s. caliditas eſt forma abſoluta, quæ præcedit Vbi: & diſtincta ab ipſo, & recipitur in corpore abſque relatione vlla ad hoc, vel illud vbi.

Cæterùm formæ accidentales, quæ ſequuntur ipſum Vbi, quæ .s. ſunt ipſo poſteriores, vt eſſe propè, eſſe longè, ad variationem ipſius Vbi, ipſa itidem diuariantur: v. g. corpus, quod Romæ eſt propè ignem; non eſt neceſsè, quòd etiam Venetijs ſit propè ignem: quia iſtud propè .i. iſta forma accidentalis non eſt ante Vbi; ſed ſequitur ipſum: & eſſe propè ignem, vel diſtare ab igne eſt relatio conſequens intrinſecè locum, poſteriorq; loco. ità ex *Fauentino in 4. Sent. diſt. 10. quaſ. 2. c. 4. nu. 35. & 36.* Item licèt admittamus corpus Chriſti eſſe ſurſum, & eſſe deorſum: ſurſum in vno loco, & deorſum in alio: nō tamen admittendum eſt, quod ſit ſurſum, & non ſurſum: deorſum, & nō deorſū: & ratio differētiæ eſt, quia etſi diſparata dicamus de Chriſti corpore; non tamen admittimus contradictoria, quia repugnant à parte rei: nam ex contradictorijs vnum tantū verificari poteſt pro eodem tempore, puncto, parte, loco, qualitate, etc. (loquor de contradictione logica, quæ eſt reſpu eiuſdem nominis) hæc dicta ſunt pro reſponſione quorundam ſophiſticorum argumentorum, quibus fortaſsè Hęretici contra Catholicos conſurgent.

DIFFICVLTAS III.

Quodnam diſcrimen ponendum eſt inter Euchariſtiam, Baptiſmum, & Pœnitentiam.

REſpondetur huiuſmodi poni diſcrimen: nam Baptiſmus, & Pœnitentia per ſe ordinata ſunt ad remiſſionem peccati mortalis; ac proindè, vt quis dicatur ad hæc Sacramenta accedere bona Fide; ſatis eſt, ſi accedēs habeat attritionem: & Euchariſtia per ſe non eſt ordinata ad talem effectum; ac proindè, vt quis dicatur bona Fide ad illam accedere; non ſufficit habere attritionem; ſed neceſſaria eſt contritio in re, vel in prudenti extimatione. Vndè ad Baptiſmum, & Pęnitentiam accedens: ſatisfacit, qui habet attritionem, quam exigunt Sūmiſtæ: accedenti verò ad Sacram. Euchariſtię neceſſaria eſt contritio altero prædictorū modorum.

Verùm in quolibet iſtorum Sacramentorū neceſſariò excludendus eſt affectus ad mortale. ità *Becanus in 4. cap. 22. de Sacram. in ſpecie q. 1. nu. 4.*

DISTINCTIO NONA.

De Sacrificio, & Purgatorio.

Diuiditur præſens diſtinctio in duos artic. Alter reſpicit Miſſæ ſacrificium. Alter verò Purgatorium.

ART. I. DIFFICVLTAS VNICA.
An Sacrificium Miſſæ, ſit verè ſacrificium.

CAtholici aſſerunt ſacrificium incruentum, quod ſacrificium Miſſæ appellāt eſſe propriè, & verè ſacrificium. Probant hoc multis modis; ſed præcipuè ex communi conſenſu SS. Patrum; & ex figuris veteris teſtamenti; fuerunt autèm duæ potiſſimùm figuræ celebrationis Euchariſtiæ.

Prima, oblatio panis, & vini Melchiſedech.

Secunda, celebratio Agni Paſchalis. At illę figuræ erant vera ſacrificia; ergò etiam celebratio Euchariſtiæ eſt verum ſacrificium; conſequentia probatur, quia vmbra, ſeu figura, quà talis, in ſuo genere imperfectior eſt, quàm id, cuius eſt figura; ergò quidquid perfectionis eſt in figura; multò eminentiùs debet eſſe in figurato; ſed eſſe ſacrificium eſt quædam perfectio, quæ fuit in vmbra celebrationis Euchariſtiæ: ergò multò magis debet eſſe in ipſa celebratione Euchariſtiæ; & ſic eſt verè, & propriè ſacrificium.

Ceterùm Heretici: negant Miſſam propriè vocari poſſe ſacrificium; Eorum rationes ſunt; prima, quia ſacrificium Deo offerri debet, non autèm comedi ab hominibus: Corpus Chriſti autèm, ſeu Euchariſtia ab hominibus comeditur: ergò

Reſpondeo maiorē falſam eſſe: nam Agnus Paſchalis erat verum ſacrificium: & tamen comedebatur ab Hebręis; ſimilitèr hoſtiæ pacificæ erant ſacrificia; & tamen pars eorum cedebat in vſum Sacerdotum, & offerentium.

Secunda, quod eſt Sacramentum, non poteſt eſſe ſimul ſacrificium: At Euchariſtia eſt Sacramentum: ergò non poteſt ſimul eſſe ſacrificium; maior probatur, quia Sacramentū, & ſacrificium opponuntur: nam in Sacramento aliquid à Deo accipimus: in ſacrificio autē aliquid Deo damus. Reſpondetur hæc duo poſſe ſimul cōſiſtere (vt oſtenſum eſt in Agno Paſchali) & ſanè ſi id, quod à Deo accipimus, non liceret offerre Deo, nullum foret ſacrificium iuxtà illud *Paralip. 29. Tua ſunt omnia & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Becan. Controu. lib 1. cap. 10. Bellarmin. de Miſſa lib 1. cap. 15: & ſequentibus: itèm de Controu. tom. 3. lib. 5 cap. 5* probatq; Miſſam ex teſtimonio S. ſcripturæ, ex Sacerdotio Melchiſedech: ex figura Agni Paſchalis: ex figuris variorum ſacrificiorum teſtamenti veteris: ex vaticinijs Prophetarum, ex traditione Patrum, &c. *Lipoman. de Dogmat. Cathol. pag. 108.*

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA:
An Purgatorium poſt hanc vitam præſentem ſit admittendum;

CAtholici ponunt locum, in quo animæ iuſtorum, quæ in hac vita ſufficientèr purgatæ nō ſunt; purgentur poſt hanc vitam, antequàm ad celeſtem gloriam admittantur, & probatur quatuor potiſſimùm argumentis.

Primum ſumitur ex ſuffragijs viuentiū pro mortuis.

Secundum ex eo, quòd remiſſa culpa mortali nō ſemper remittitur tota pęna illi debita.

Tertium ex eo, quòd iuſti aliquando moriuntur cum peccatis venialibus; & ſic manent obnoxij pęnis temporalibus.

Quartum eſt ex Patribus Sanctis, qui indubitantèr Purgatorium ponunt poſt hanc vitā vſq; ad diem Iudicij vniuerſalis pro purgandis adultis: idemq; comprobatur ex Scriptura Sacra, maximè ex illo textu *Machab. lib. 2. cap. 12. Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Non ſoluuntur autèm, qui ſunt in Inferno; quia in ipſo nulla eſt redemptio: nec, qui ſunt in Paradiſo; quia, qui ibi collocātur; nulla indigēt expiatione.

Ceterùm Lutherani, & Caluiniſtæ negant poni Purgatorium docentes duo tantùm eſſe loca animarum, vnum beatitudinis in Cęlo: alterum damnationis in Inferno, *Matth. 26.* Sed hoc apertè falſum eſt, tum quia, qui poſt mortèm iterum reſuſcitati sūt ad vitam, certò prius in aliquo loco erant: nō in Inferno, quia in illo (teſte Sacra Scriptura) *Nulla eſt redemptio*: neque in Cęlo, quia alioqui nō fuiſſet beneficium, ſed pęna; cum ex cęleſti beatitudine debuiſſent redire ad hanc vitam mortalem: ſupereſt ergò dicendum ipſos fuiſſe in alio loco, qui ab vtroque diſtinguebatur: itèm vbi erant, dicant Lutherani, & Caluiniſtæ, illi pro quibus offerri ſacrificium iuſſit Iudas Machabeus; & certè non niſi in Purgatorio, à quo quiſq; liberari poteſt. Quid certius? *Bellarm. de Controu. tom. 3. lib. c. Becan. Controuer. lib. 1. c. 11. Aug. lib. de Cura pro mortuis, c. 1.*

DISTINCTIO DECIMA.

De peccato originali, mortali, & veniali, libero arbitrio, iuſtificatione peccatoris, & operibus.

Partitur autèm diſtinctio præſens in quatuor articulos iuxtà quatuor notata.
Primus reſpicit peccatum.
Secundus liberum arbitrium.
Tertius, Peccatoris iuſtificationem.
Quartus, opera.

ART.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
Peccatum originale. quid?

CAtholici tenent peccatum originale eſſe priuationem iuſtitiæ originalis; quia omne malum conſiſtit in priuatione alicuius boni: ſed peccatū originale eſt malum; ergò

Tàm maior, quàm minor propoſitio de ſe conſtat: ergò conſiſtit in priuatione alicuius boni .s. iuſtitiæ originalis; qua priuati ſunt poſteri Adam ob ipſius tranſgreſſionem.

Notandum eſt autèm, quòd nos trahimus peccatum Adam, non in quantum ſumus ſingulares perſonæ; ſed in quantū ſumus membra totius humanæ naturæ, quam ab ipſo accipimus; ac ſi omnes homines eſſent vnus homo. Quemadmodum .n. motus manus ad homicidium perpetrandum habet rationem culpæ non ſecundum ſe; quia manus neceſſariò mouetur ab alio; ſed vt eſt pars totius hominis, qui agit voluntate: ità nos contrahimus peccatum ab Adam; non quatenus ſumus ſingulares perſonæ; ſed quatenus ſumus myſtica membra ipſius.

Hæretici verò tenent peccatum originale, quod ex Adamo contrahimus, eſſe concupiſcentiam, ſeu pronitatem, & inclinationem ad malum; quam nos Catholici vocamus concupiſcentiam in actu primo; ſed hoc eſt manifeſtè falſum; quia quidquid habet rationem peccati; tollitur per Baptiſmum; concupiſcentia autèm non tollitur: nam poſt illius ſuſceptionem adhuc ſentimus in nobis inclinationem ad malum, conſtat experientia.

Verùm notandum concupiſcentiam, ſeu pronitatem ad malum nō eſſe à Deo creante, ſed à Deo puniente: creauit enim primos parentes in iuſtitia originali ſine omni concupiſcentia ad malum; ſed quando peccauerunt; priuauit eos iuſtitia originali, qua ablata cœpit concupiſcentia inſurgere per modum pœnæ, *Gen.* 3. quod notat in primis *Becanus de Controu. hu. temp. lib.* 1. *c.* 18. *nu.* 4.

DIFFICVLTAS II.
An exiſtat diſcrimen inter Catholicos, & Hæreticos circa alia peccata, vz. mortalia, & venialia.

REſpondetur affirmatiuè: nam Catholici ſentiunt peccatorum quędam ex natura ſua eſſe mortalia, quædam venialia ex illo *Luc. c.* 6. *Tu qui vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* vbi peccatum mortale comparat cum trabe, quæ extinguit oculum; veniale autèm cum feſtuca, quæ leuitèr tantum illum offendit; ſed non extinguit.

Hæretici verò aſſerunt omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia, nullumq; veniale: ſed certè falluntur: nam mortifera non ſunt illa, de quibus dicitur *Prouer.* 6. *Septies in die cadit iuſtus, & Iacobi* 3. *In multis offendimus omnes.* Nec obſtant illa Sacræ Scripturæ loca: *Ezech. Anima, quæ peccauerit ipſa morietur: Iacobus, qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus*; quia loquuntur de mortali. Sumus in claris.

ART. II. DIFFICVLTAS VNICA.
An homo habeat vſum liberi arbitrij.

CAtholici dicūt actiones eſſe duarū ſpecierum: aliæ pendent à viribus naturę, vt ambulare, mercari, bellum gerere, agros colere, litteris operam nauare: aliæ verò pendere à viribus gratiæ: vt credere myſteria Fidei, ſperare vitam æternam, diligere Deum toto corde; reſpectu actionum pendentium à viribus naturæ habemus vſum liberi arbitrij, vti conſtat experientia.

Reſpectu verò actionum pendentium à viribus gratiæ: hæc tria diſtinguenda ſunt.

Primò nos nihil boni operis, quod cōducat ad vitam æternam; facere poſſumus ſine gratia Dei, *Io.* 15. *c.*

Secundò non eſſe in noſtra poteſtate, vt habeamus gratiam Dei præuenientem, qua excitemur ad benè operandum. *Rom.* 9.

Tertiò eſſe tamen in noſtra poteſtate; vt habita gratia Dei, cum illa cooperemur: ità *Becan. loc. cit. c.* 6. *nu* 2.

Hæretici autèm .s. Lutherus, & Caluinus negant vſum liberi arbitrij; ponitq; Caluinus has duas nefandiſſimas blaſphemias. Prima, nihil fieri Deo permittēte; ſed quæcunq; fiunt, fieri Deo volente. Altera voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem; vndè perfidè infert, omnia fieri neceſſariò, nihilq; liberè: ex cuius falſiſſima doctrina ſequuntur abſurda intolerabilia, *Lipoman. de Dogmatibus Catholicis, pag. mihi* 67. *Becanus vbi ſupra, nu.* 1.

ART. III. DIFFICVLTAS PRIMA.
Peccatoris iuſtificatio quomodo fit?

NOtandum eſt mutationem illam, qua quis ex peccatore fit iuſtus vocari iuſtificationem; ſicut mutatio, qua ex ægroto fit ſanus, vocatur ſanatio. Eſt igitur differentia inter nos, & Hæreticos circa modū iuſtificationis. Catholici in primis ponunt, in iuſtificatione peccatoris non ſolum tegi eius peccata, ſed & verè, & realr tolli: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Io.* 1. *c. Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, Act.* 3.

Secundò dicunt in iuſtificatione Deum infundere homini peccatori gratiam, ſeu iuſtitiam inhęrentem; qua interius renouatur, & ſanctus efficitur: diciturq; gratia, quia nos Deo gratos, & acceptos facit: vocatur verò iuſtitia, quia per eam reddit homo vnicuiq;, quod ſuū eſt, vz. Deo cultum, & obedientiam: proximo amorem, & obſequium: Sibi verò ipſi excluſionem vitiorum, & virtutum incrementa.

Tertiò præter hanc iuſtitiam, ſeu gratiam inhęrentem ponunt iuſtitiam Chriſti, quę peccatori datur ob ipſius paſſionem, & mortem, quam pro humano genere ſuſtinuit; vndè per ipſius iuſtitiam, non formalitèr, ſed ſolū meri-

totiè iuſti efficimur; ſicut per peccatum Adam non formalitèr; ſed demeritoriè efficimur iniuſti.

Cęterùm Hæretici ſentiunt, primò, quòd in iuſtificatione peccatoris tantum tegantur peccata, ne in conſpectu Dei veniant.

Secundò volunt peccatori tantummodò applicari iuſtitiam Chriſti, qua non in ſe, ſed extra ſe iuſtus appareat; etiamſi interius maneat peccator, & immundus; negant .n. peccatori infundi gratiam, ſeu iuſtitiam inhęrentē, qua interius renouetur, & reſanetur.

Tertiò aſſerunt, quòd adhoc, vt Chriſti iuſtitia peccatori applicetur, opus eſſe ſola Fide; & ſic ſolam Fidem iuſtificare, quæ ſingula abſurda ſunt; vti teſtatur *Becan. de Contr. hu. temp. de Fide, & Relig. lib.* 1. *c.* 16. *nu.* 4.

De Fideq; iuſtificante tria docent. Primò, ſolam Fidem, vt dixi, iuſtificare.

Secundò, hanc Fidem iuſtificantem in eo conſiſtere; vt peccator certò credat ob merita Chriſti peccata omnia ſibi remitti.

Tertiò, diſtingui hanc Fidem iuſtificantem à Fide hiſtorica; qua credimus, quæ narrantur in Scriptura, & à Fide miraculorum, qua credimus nihil eſſe, quod à Deo fieri non poſſit; Fides .n. quæ ſecundùm ipſos Hæreticos iuſtificat; eſt Fides promiſſionum; qua .s. credunt veras eſſe promiſſiones Dei de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti.

Addunt Caluiniſtæ alia tria: Primò, Fidem iuſtificantem donari ſolis prædeſtinatis.

Secundò ſemel habitam ampliùs amitti nō poſſe.

Tertiò, facere hominem certum de ſua iuſtitia, perſeuerantia, prædeſtinatione, vita æterna; quæ omnia, & ſingula ſunt falſa.

Primò, falſum eſt Fidē iuſtificare .s. formalitèr; quia forma, à qua homo formalitèr eſt iuſtus, non eſt Fides; ſed iuſtitia; quæ ſecundùm Catholicos dicitur inhęrens, ſecundùm Hæreticos, imputatiua.

Si dicas, quòd ſola Fides iuſtificat diſpoſitiuè; hoc quoq; falſum eſt; quia etiam timor, ſpes &c. talitèr iuſtificant.

Secundò falſum eſt, quòd Fides detur ſolis prædeſtinatis: nam etiam Iudas proditor, & Simon Magus, & alij aliquando crediderunt: & tamen non erant prædeſtinati: conſtat *Io.* 6. *& Act.* 5.

Tertiò, falſum eſt Fidem amitti non poſſe, quia *Thim.* 1. habetur ſic. *Quidam circa Fidem naufragauerunt, ex quibus eſt Himeneus, & Alexander.*

Quartò, falſum eſt Fidem facere hominem certum de ſua iuſtitia, perſeuerantia, & prædeſtinatione: Patet primum, quia Fides non iuſtificat formalitèr: Patet ſecundum, quia, vt dixi; Fides amitti poteſt: communisq; eſt reprobis, & prædeſtinatis.

DIFFICVLTAS II.

Iuſtificationis principium quomodo à gratia?

NOtandum eſt, gratiam prius per naturam habere rationem Agentis, quàm informantis: & ſecundùm, quod habet prius rationem Agentis, quàm informantis; eſt principium iuſtificationis: ſecundum verò, quod habet rationem informantis; ſic eſt terminus iuſtificationis: forma .n. quæ inducitur in aliquam materiam, prius eſt ibi, vt potentia, ſiue vt agēs: quam ſit ibi, vt perficiens, ſiue, vt actus.

Not. pręterea in iuſtificatione (poſito motu Fidei, & deteſtationis peccati) eſſe infuſionem gratiæ; quòd non eſt aliud, quam creatio ipſius grā: deinde eſſe expulſionē culpæ. Poſtremò verò informationem aīæ. Expulſio culpæ eſt mutatio ſubita, & in tali mutatione ſimul eſt fieri, & factum eſſe, expulſio, & expulſum eſſe.

ART. IV. DIFFICVLTAS I.

An .s. homo cum gratia Dei poſſit facere opera apud Deum vitæ æternæ meritoria.

NOS Catholici aſſerimus primò quædam iuſtorum opera eſſe bona, honeſta, & Deo grata.

Secundò, eadem eſſe meritoria vitæ ęternæ: nam ex Fide certum eſt omnia peccata tolli in iuſtificatione, & infundi gratiam, ſeu iuſtitiam inhęrentem, quę facit hominem Deo gratum, iuſtum, & ſanctum. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere &c. Matt.* 7. *c.*

Dices, hęreditas in propoſito vita æterna debetur filijs non ex merito, ſed ex iure. Reſpondeo vitam æternam eſſe hæreditatem reſpectu infantium, qui cum Baptiſmo moriuntur; eſſe verò hæreditatem, & mercedem ſimul reſpectù adultorum: *Scientes, quòd à Deo accipietis retributionem hæreditatis, Coloſs. c.* 3.

Inſtabis, nos eſſe ſeruos inutiles. *Luc cap.* 17. Reſpondetur dupliciter nos ipſos poſſe conſiderare, vel quatenus ex Adamo naſcimur; & ità ſumus ſerui inutiles: vel vt nobiſcum cooperatur Diuina gratia, & in Chriſto renaſcimur, & ità ſumus ſerui vtiles, 2. *Thimot. c* 2.

Vrgebis, quòd non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, *Rom.* 8 *c.* Reſpondeo, ſi ſpectemus durationem temporis nullam eſſe proportionē inter opera pręſentia, & futuram gloriam: quia opera ſunt momentanea, & gloria eſt æterna: Si verò ſpectemus gratiam, à qua procedunt opera meritoria; inter illa, & gloriam eſt proportio: quia gratia eſt ſemen gloriæ: vndè, ſicut eſt proportio inter ſemen, & arborem: ità inter gratiam, & gloriam.

E contra Hæretici negant hominem, (licèt gratia Dei non deficiente) poſſe facere opera bona apud Deum vitæ æternæ meritoria; quia putant peccatum originale manere in ipſo, eiuſq; contagione infici, ac etiam contaminari omnia ipſius opera: ita vt potius mortem mereatur, quàm vitam æternam.

DIFFICVLTAS II.
An in ſpecie exiſtat altercatio inter Catholicos, & Hæreticos circa opus ieiunij, & abſtinentiarum à carnibus certis diebus.

RESpondetur affirmatiuè, nos in Eccleſia Catholica ſolemus ſeruare varia ieiunia, præſertim ieiunium Quadrageſimale, quatuor temporum, vigiliarum. Itèm abſtinentiam à carnibus feria ſexta, & Sabbatho: idq; propter præceptum Eccleſiæ, quod antiquiſſima conſuetudine introductum eſt: conſtat.

Hæretici autèm contemnunt huiuſmodi præceptum Eccleſiæ, & hoc ſolùm faciendum (aiunt) quod à Deo præcipitur; ieiunium autē nō præcipitur ab ipſo: ergò. mira res, Vrgent præceptum Dei ſeruandum eſſe, & illud ipſum contemnunt. Deus præcipit, vt audiamus Eccleſiam, & illi obtemperemus, & ipſi renuunt. patet ibi: *Quæcunq; dixerint vobis ſeruate, & facite, &c. Matt. 23.*

DISTINCTIO VNDECIMA.
De Attributis diuinis, de Chriſto, ac eius Imagine.

Diuido diſtinctionem hanc in tres art. penès tria notata.

Primus reſpicit Attributa diuina.

Secundus, Chriſtum Saluatorem noſtrum.

Tertius verò eius Imaginem.

ART. I. DIFFICVLTAS PRIMA.
An Deus ſit eſſentialitèr infinitus.

CAtholici dicunt primò Deum ſecundū ſubſtantiam, ſeu eſſentialē perfectionem eſſe ſimplicitèr infinitum iuxta illud *Baruch. 3. c. Magnus eſt, & non habet finem.*

Secundò, Deum ſecundum ſubſtantiam ſuā vbiq; præſentem eſſe in hoc mundo, & in Cœlo, *Ierem. 23. Cœlum. & terram ego impleo.*

Tertiò, in Deo non eſſe vera accidentia realitèr diſtincta à ſubſtantia Dei; quia quod in ſe infinitè perfectum eſt; non poteſt vlterius in ſe perfici.

Quartò, Decreta Dei eſſe ab æterno, ſeu quod idem eſt, eſſe Deo coęterna: quia ſunt ipſa Dei eſſentia.

Quintò, æternitatem Dei non eſſe diuiſibilem, & ſucceſſiuam, ſed indiuiſibilem, & totam ſimul, quia nō eſt accidens, ſed ſubſtantia Dei, tota coexiſtens omnibus temporū differentijs.

Caluiniſtæ verò Hæretici, & maximè Conradus Vorſtius è contra dicunt Deum ſecundum eſſentiam, & eſſentialem perfectionem non eſſe infinitum; quia videtur ab Angelis, qui ſunt finiti: ſed falluntur, quia licèt videatur; tamen non per ſolas naturæ vires, ſed accedente auxilio Dei ſupernaturali.

Secundò, aſſerunt Deum nō eſſe vbiq; pręſentem in hoc mundo; ſed tantùm in Cœlo innixi illi textu: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in Cœlis*: ſed falluntur; quia ille textus intelligitur, quod habitat in Cęlis ſpeciali modo .s. per maieſtatem, & gloriam; cum hoc tamen, quod vbiq; eſt per eſſentiam, præſentiā, & potentiam. Patet ex communi Theologorum placito.

Tertiò, in Deo eſſe accidentia: quorum ratio eſt, quia decreta Dei ſunt multa; cum aliud ſit decretum creandi, aliud prædeſtinandi &c. & ſubſtantia Dei eſt vnica. Verùm decipiuntur, quia in Deo nō ſunt multa decreta eo ſenſu, quo ipſi aſſerunt .i. nō ſunt multi actus voluntatis: quorum vno Deus decernat creare, alio pdeſtinare &c. ſed eſt vnus ſimplex actus, quo hæc omnia decernit. Simile eſt in ſcientia Dei: non enim in Deo ſunt multæ ſcientiæ .i. non ſunt multi actus intellectus; quorum vno cognoſcat Petrum, alio Paulum &c. ſed eſt vna ſimplex ſcientia, ſeu vnus ſimplex actus intellectus, quo omnia tàm creaturas, quàm ſeipſum intelligit: & ratio eſt, quia actus intelligendi, & volendi in Deo nihil aliud eſt, quàm ipſa eſſentia, quatenus per modū actus ſignantur; vndè hæc tria .s. eſſe, poſſe, & operari in Deo non diſtinguuntur.

Quartò, Decreta Dei non eſſe ab æterno: ratio eorum eſt, quia omnis cauſa libera antecedit ſuum effectum duratione, ſeu tempore; & Deus eſt talis cauſa reſpectu liberorum decretorum: ergò antecedit ſua decreta dicto modo; & conſequentèr non ſunt æterna.

Reſpondeo dictos Hæreticos falli; quia decreta Dei non ſunt effectus Dei, nec ipſe Deus eſt illorum cauſa; ſed ipſa decreta ſunt eſſentia diuina; quatenus terminantur ad res decretas per modū operantis, volentis, decernentis &c.

Quintò deniq; dicunt æternitatem Dei non eſſe indiuiſibilem, & totam ſimul; ratio eorum eſt, quia, ſi æternitas Dei eſſet talis; tota coexiſteret omnibus temporū differentijs, & conſequentèr omnes partes temporis .s. præſens, præteritū, & futurum ſimul inter ſe coexiſterent, & ſic pręſens nō diſtingueretur à præterito, aut futuro, nec è conuerſo, quod abſurdum eſt. Reſpondeo illos decipi: nam tota æternitas nō coexiſtit oībus partibus ſimul ſumptis, & exiſtentibus, vt ipſi ſupponunt: ſed ſingulis diuiſim ſumptis, & ſibi mutuò ſuccedentibus: ex.g. hodierno diei tota æternitas coexiſtit, itē craſtino diei &c. quare nō ſequitur præteritū, præſens, & futurum ſimul exiſtere, ſed benè vnum alteri ſuccedere. *Becan. Controu. lib. 3. cap. 1. per totum.*

DIFFICVLTAS II.
An ſapientia, potentia, & voluntas Dei ſint æqualis ambitus.

RESpondetur, de his tribus triplicitèr loqui poſſumus. Primò quo ad actum; & ſic ſunt æqualia: nam quicquid Deus poteſt,

& quicquid ſit, vult ſe ſcire: & quicquid ſcit, & vult; hoc ſcire poteſt, & poteſt velle; & ſic de alijs.

Secundò quo ad effectum; & ſimilitèr ſunt æqualia,.i. æqualitèr ſe extendunt ad effectum ad extra: quia quicquid Deus facit; intelligit, & vult.

Tertiò, quo ad obiectum; & ſic non ſunt æqualia; quoniam habent ſe in plus,& minus, patet: ſcientia Dei eſt reſpectu omnium entiũ poſſibilium,futurorum, & non futurorum; & reſpectu omnium tàm bonorum, quàm malorum.

Potentia autèm Dei, licèt ſe extendat ad omnia poſſibilia futura, & non futura: tamen non ſe extendit ad mala, s. ad peccata.

Cęterùm voluntas Dei ſolùm ſe extendit ad bona,& futura. Theologi communitèr.

Itèm non eſt ſimile de ſcientia, & potentia: quia ſcitum non cauſatur à ſcientia; & tamen poſſibile producitur à potentia.

Notandum eſt autèm, quod omnipotentia dicit reſpectum Dei ad creaturas; qui ſanè reſpectus videtur fundari immediatè in omnipotentia: deindè in volitione;poſteà in voluntate; & tandem in eſſentia; hinc eſt,quòd Hilarius volens explicare fundamentum propinquum iſtius reſpectus; dixit,non efficit creaturam voluntas,ſed poteſtàs .i. omnipotentia.

DIFFICVLTAS III.

Volitio Dei quotuplex?

RESpondetur duplicem eſſe, nimirùm aliã ſimplicis complacentiæ,& diſplicentiæ; alia verò efficacem. Prima volitio eſt illa,qua Deus vult omne volibile futurum; & nõ futurum, s. poſſibile bonum, & malum. Efficax autèm eſt illa, qua vult aliquid efficacitèr eſſe, vel fieri in actu: vel habet nolle efficax reſpectu alicuius, ne fiat, vel non ſit in actu. Theologi ex communi.

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Chriſtus pro omnibus mortuus ſit?

CAtholici docent primò Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus. 2. *Chor. c.* 5. Secundò, verè, & propriè deſcendiſſe ad Inferos; patet ex *Symbolo Apoſt.*

Tertiò, Chriſtum ſua morte, ac paſſione etiam ſibi aliquid meruiſſe .s. gloriam corporis,exaltationẽ nominis, *Philipp.* 2. *c.* ibi: *Propter quod & Deus exaltauit illum &c.*

Quartò, Chriſtum eſſe mediatorem ſecundum humanitatem,non ſecundum diuinitatẽ. 1. *Thim. c.* 2. Vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus,vbi particula (homo) addita eſt,vt conſtaret,ſecundum quam naturam eſſet mediator.

Quintò,Chriſtum ſciuiſſe omnia,quæ ad ipſius ſtatum,& officium pertinebant .s. præterita,præſentia,& futura circa Angelos,Hominẽ, & ſeipſum, *Coloſs. c.* 3. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi.

Cęterùm Hęretici Caluiniſtæ dicunt primò Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, & conſequentèr meritum ipſius prodeſſe ipſis ſolis; Deumq; item ipſis ſolis dare Fidem, & gratiam ex merito Chriſti. Errant ſanè toto Cœlo: conſtat enim multos reprobos, vt Iudam proditorem, Simonem Magum, & alios quamplures per merita Chriſti à Deo habuiſſe Fidem,& alia dona.

Secundò,dicunt Chriſtum non verè,& propriè, ſed tantùm metaphoricè deſcendiſſe ad Inferos,.i. omnes pęnas damnatorum in anima perpeſſum eſſe;ſed certè explicatio hæc eſt noua, & falſa. Eſt noua, quia omnes antiqui Patres aliter illam deſcenſionem explicant: vt teſtatur *Becan. de Controu. hu. temp. de Fide, & Relig. lib.* 3. *c.* 2. *nu.* 8. eſt falſa,quia Chriſtus nõ pertulit omnes pęnas damnatorum,inter quas eſt deſperatio; quæ Chriſto competere non poteſt; cum ſit peccatum (quidquid obloquatur impius,& perfidus Caluinus.)

Tertiò, dicunt Chriſtum ſua morte, & paſſione nihil ſibi meruiſſe; ſed decipiuntur, conſtat ex ſupradictis ad tradita Catholicorum.

Quartò, ſentiunt Chriſtum eſſe mediatorẽ, ſecundum vtramq; naturam,.i. diuinam,& humanam: ſed verè eos error capit: quia fuit mediator,quàtenus per mortem,& paſſionem ſuam reconciliauit nos Deo: ſecundùm diuinitatem autèm non potuit pati,vel mori.

Quintò, volunt Chriſtum ab initio multa ignoraſſe,quæ paulatìm didicerit, quia dicitur *Luc.* 2. Ieſus autèm proficiebat ſapientia: ſed falluntur, quia non proficiebat ſecundùm rei veritatem; ſed tantùm ſecundum apparentiã reſpectu hominum, quibus videbatur proficere. Admittunt tamen Cath. Hereticis, quòd proficiebat per experientiam: quia,quod prius in ſe non nouerat experimentalitèr; poſteà realitèr nouit. Eſt communis Theologorum doctrina, *Becan. Controu. lib.* 3. *c.* 2. *per totum.*

DIFFICVLTAS II.

Nomen Chriſtus quid deſignat,& quomodò differt à nomine Ieſu.

REſpondeo, quòd Chriſtus deſignat Deum humanitati vnitum: nam valet hoc complexum .s. Deus homo: Ieſus verò nominat hominem Deum factũ: Vndè Verbum æternum ab ęterno non fuit Chriſtus,neque Ieſus; quia nondum aſſumpſerat humanitatem: Si dicas Chriſtũ ex ꝓprio ore dixiſſe ſe eſſe priorem tempore Abrahamo, iuxtà illud *Ioan. c.* 8. *Antequam Abraham fieret,ego ſum:* Reſpõdeo tunc locutum fuiſſe de perſona Verbi: nam non dicit,antequam Abraham fieret ego ſum homo: ſed ego ſum. Vndè,nec in triduo ſepulturæ fuit Chriſtus: quia non erat Deus homo.

Notandum autèm, quòd Deus homo in Gręco dicitur Chriſtus: in Hebręo dicitur Meſſias: in Latino autem Vnctus.Homo verò Deus in Gręco dicitur Soter,in Hebręo Ieſus, in Latino Saluator: videto *Lexicon Theol. verbo Ieſus, ver. Chriſtus.*

ART.

ART. III. DIFFICVLTAS PRIMA.

An Imago Chriſti ſit adoranda.

NOS Catholici dicimus imaginem Chriſti tripliciter ſpectari poſſe. Primò, quatenus eſt aurea, vel argentea, vel lignea, vel ex alia materia. Secundò, quatenus artificioſè facta eſt. Tertiò, quatenus Chriſtum, & eius beneficia nobis repreſentat: hoc tertio modo dicimus religioſè retinendã, colendam, ac honorandam eſſe; quia Imago Chriſti non eſt deterioris conditionis, quàm olim fuerint in veteri teſtamento Imagines Angelorũ, aut Aenei Serpentis, quæ iuſſu Dei factæ ſunt, & in honore habitæ. *Exodi cap.* 25. nemo mente ſanus dubitat.

Cęterùm Hæretici Caluiniſtæ, & ſignantèr *Dauid Pareus in c.* 1. *Epiſt. ad Rom. dub.* 18. ſentiunt Imaginem Chriſti non minus, quàm, qui colunt Imaginem ſerpentium, & aliarum beſtiarum eſſe Idolatras; defenduntq; ſe hac ratione, quia Ezechias Rex confregit imaginem ſerpentis Aenei 4. *Reg. cap.* 18. ergò, & Imago Chriſti confringenda eſt. Reſpondet *Becan. de Controu. hu. temp. de Fide, & Relig. lib.* 3. *c.* 3. *n.* 5. quòd hæc conſequentia Caluiniſtica non valet; quia Imago ſerpẽtis facta fuit ad eum finẽ, vt morſi ab ignitis ſerpentibus illam aſpiciendo ſanarentur; itaq; durante illo fine ſeruabatur Imago, ceſſante autèm confringebatur; durauit verò finis ille, quandiù Iudęi fuerunt in ſolitudine, vbi erant ſerpentes venenati: Ceſſauit verò, quando ingreſſi ſunt terram promiſſionis: at Imago Chriſti Crucifixi in eum finem ſolet fieri; vt repreſentet nobis Chriſtũ Saluatorem, & eius beneficia in memoriam reuocet: & hic finis durabit vſq; ad finem mundi: vndè ſemper eius Imago in pretio habenda eſt: diſſoluitur ergò ſimilitudo per diſſimilitudinem finis. *Becan. lib.* 3. *c.* 3. *Lipoman de Dogmat. Cathol. pag.* 169.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo differt Chriſti Imago, quatenus Deus, .i. prout Filius Dei ab anima rationali.

LOcutus ſum de Imagine Chriſti, quatenus Deus homo: nunc dicendum de ipſius Imagine, quatenus Filius Dei, in quantum diſtinguitur ab Imagine animæ rationalis.

Notandum eſt primò, quòd dupliciter ſumitur Imago, vz. concretiuè, & abſtractiuè, Imago Dei concretiuè ſumpta eſt homo .i. inſignitus Dei Imagine. Filius Dei verò dicitur eius Imago abſtractiuè, quia eſt ipſamet Imago, illiq; ſoli conuenit.

Secundò, Homo dicitur ad Imaginem Dei creatus: Filius Dei verò dicitur abſolutè Imago Dei: Dicitur homo ad Imaginem Dei; quia illud (ad) dicit differentiam eſſentialem inter Deum, & creaturam: Vndè Filius Dei, .s. Verbum æternum non poteſt taliter dici; cum nõ diſtinguatur à Patre ſuo eſſentialitèr.

Tertiò, Homo dicitur Imago Dei naturalis ſano modo intellecto termino (naturalis) quatenus infert diuerſam naturam. Filius Dei verò dicitur Imago Dei connaturalis; quia illa connaturalitas deſignat eandem numero eſſẽtiam, quæ non niſi in diuinis reperitur.

Quartò, Homo repreſentat totum Deum præcisè ſecundum quid .s. prout totum ſumitur accomodatè, .s. quatenus ipſius anima nata eſt omnia intelligere: Filius Dei verò repreſentat Patrem ſecundum totum ſimplicitèr .s. abſolutè.

Quintò, Homo eſt imago Dei per ordinem: Filius Dei verò per adequationem, & identitatem. ità Theologi communitèr.

Notandum eſt autèm, quòd etiam ſimilitudo intercedit inter Deum, & hominem. Verùm obſeruare oportet; dupliciter poſſe conſiderari ſimilitudinem, vz. in proprietatibus abſolutis, .s. potentia, ſapientia, & bonitate; & in proprietatibus relatiuis: primo modo non intercedit ſimilitudo inter creaturam, & Deũ ob diſtantiam infinitam, iuxtà illud: *Inter finitum, & infinitum nulla proportio.* Secundo modo autèm .s. in proprietatibus relatiuis conceditur per quandam proportionẽ: nam, quemadmodum ſunt omnia à Deo: ità omnis homo ab Adam: itèm, ſicut omnia ordinantur ad Deum: ſic omnia ſenſibilia ad hominem.

DIFFICVLTAS III.

An diſtinguatur idea ab Imagine.

REſpondi affirmatiuè: nam ſemper nomine Imaginis (loquendo de illa hominis) dicimus eſſe diſtinctam à Deo eſſentialitèr: at ideæ rerum ſunt vnum cũ Deo (loquendo de ipſis pro denominante) ſunt .n. res cognitæ in mente diuina, ſecundum quas aliquid eſt formabile ad extra. Verùm pro intelligentia obſeruandũ eſt, Ideam ſumi duplicitèr, vno modo pro forma denominante: & tunc non eſt aliud, niſi cognitio diuina: Alio modo ſumitur pro denominato, & tunc idea non eſt, niſi res cognita in mente diuina.

Prætereà pro maiori intelligentia attende, ideas vnum eſſe in ſubſtantia (intelligendo pro forma denominante, ſiue pro ſimplici cognitione diuina) tamen pro connotato diſtinguũtur: nam alia eſt idea lapidis, alia hominis &c. Idea lapidis eſt ipſemet lapis, put à Deo cognitus; Idea Equi eſt Equus à Deo cognitus &c. *Bruliſer.* 3. *Sent. diſt.* 5. *quæſ.* 1. *& Theol. commun.*

DISTINCTIO DVODECIMA.

De prædeſtinatione, gratia actuali, & Auctore peccati.

Abſoluitur diſtinctio præſens tribus articulis iuxta tria pertacta.

Primus deſignat prædeſtinationem.

Secundus, Gratiam actualem.

Tertius verò Auctorem peccati.

ART. I. DIFFICVLTAS I.
An prædeſtinatus damnari poſſit.

CAtholici aſſerunt omnes homines volũtate antecedente prædeſtinatos eſſe iuxtà illud *D. Pauli. Vult omnes homines ſaluos fieri .s. peruenire ad vitam æternam.* Vndè notandum Deum ſe habere, vt Iudicem iuſtum; quemadmodum itaq; Iudex iuſtus vult omnem hominem viuere .s. antecedentèr: ſed vult etiam homicidam ſuſpendi .s. voluntate conſequenti: ità Deus antecedentèr vult omnem hominem ſaluari; ſed conſequentèr vult quoſdam .s. qui nõ ſeruant eius pręcepta damnari ſecundum exigentiam iuſtitiæ ſuæ.

Secundò, Deum nunquàm mutari: *Ego Deus, & non mutor, Malac. 3. c.* ſed Deus ab æterno potuit prædeſtinari; & de facto omnes homines .s. prædicto modo .s. voluntate antecedente prædeſtinauit: ergò, & modo poteſt; vndè, *Si non traheris, fac vt traharis*: Verùm cum *Auguſt. tract. 46. in Io. poſt initium*, dico tibi: *Noli cogitare te inuitum trahi: trahitur animus amore*, faciunt tradita per *Pelbartum loc. inf. cit.*

Tertiò, dicimus Deum miſiſſe filium ſuum in mundo pro omnibus, & non fruſtrà; ſed vt ſaluentur per ipſum, qui pro omnibus mortuus eſt, vt ſuprà vidimus. Sic Deus dilexit mũdum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis (nota) ſignum vniuerſale: *Qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam: Imò cum ipſo omnia nobis donaſſe* conſtat.

Quartò, dicimus Deum non poſſe ſua bonitate carere: nec poſſe eſſe iniuſtum. Vndè certò, qui illum verè amant; verè etiam amantur: *Ego diligentes me diligo. Prou. c. 8.* De his verò, qui è contra ſe gerunt in malis perſeuerando, ſecus dicendũ eſt: nã ſicut ſe habet propoſitum in propoſito, ità oppoſitũ in oppoſito: & ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis: ità negatio eſt cauſa negationis, quod valet, quando affirmatio eſt præciſa cauſa affirmationis, vt in propoſito: nam, qui bona agent, ibunt in vitã æternam: qui verò mala in ignem æternum, teſte *D. Athanaſio in Symbolo: Qui ſentit incommodum obſeruationis legis; debet ſentire commodũ vitæ æternæ, & è contra: qui ſentit commodũ &c.*

Ceterùm Heretici Caluiniſtæ tenent predeſtinatum non poſſe damnari, nec preſcitum ſaluari ex Decreto Dei: ſed vtrumq; falſiſſimũ eſt. Primò, quia certum eſt vnum ſolum eſſe, quod Deus non poteſt facere, vz. illud, quod implicat cõtradictionem: vt quod preteritum non ſit preteritum; vndè, cum homo adhuc nõ peruenerit ad ſuum terminum .s. ad mortem; poteſt ſemper ſaluari: nam, quod eſt caſus in Angelis, eſt mors in homine, .i. ſicut Angeli ante caſum potuerunt ſaluari; ità homines ante terminum mortis. Exemplum habemus in S. Fortunato, cui Angelus Dei reuelauit, quod erat reprobatus à Deo: at ipſe reſpondit: *Magis volo pro bonis operibus damnari, quàm pro malis operibus ſubijci Diabolo; & ſic ſaluari promeruit.* Ità *Pelbart. in p. Sent. verb. Prædeſtinatio 4. nu. 24.* Vndè, qui timet ſe eſſe preſcitum, agat de cætero veram penitentiam, & certò ſaluabitur. Secundò itèm certum eſt ſcientiam Dei de futuris contingentibus non eſſe ità determinatam, ſicut de neceſſarijs; ſed eſſe conditionatam: vtpotè ſunt omnes promiſſiones veteris teſtamenti ad Abrahã, & Dauid, aliosq; quæ fuerunt præcognitæ, vt fiant non neceſſariò, ſed cõtingentèr: hinc prædictus Doctor de mente Aug. ſuper *Io. loc. cit.* ità proloquitur: *Nouit Dominus mutare decretum, ſi tu nouèris emendare delictũ .s. vitã in melius.* Ponunt DD. diſtinctionem inter conſilium Dei, & ſententiã. Vndè *Liran. ſup. Pſal. 32. ibi, conſilium autẽ Domini &c.* habet, quòd lz, conſilium Dei .s. prout eſt in ſe ipſo, non mutetur: ſententia tamen mutatur; quia datur ſecundum merita, & demerita hominum, quę ſunt variabilia, vt patet de *Niniuitis Ionæ c. 3.* ſed ipſi Hæretici decipiuntur, quia imaginantur prædeſtinatione tranſiſſe in præteritum, quod falſum eſt; nam apud Deum nihil præterit. Vndè non minus prædeſtinat nunc, quàm ante mundi conſtitutionem, & eodem modo .s. contingenter; quare præſcientia Dei tantam, & non plus rebus cõtingentibus imponit neceſſitatem, quãtam imponit homo alteri homini illum aſpiciendo, dum facit rotam: ità *Pelbar. loc. cit. ex Guil.* neſciunt enim Hæretici diſtinguere inter neceſſitatem conſequentiæ, & conſequentis: nam in prædeſtinatione non eſt neceſſitas conſequentis, ſed tantùm conſequentiæ.

Tertiò falluntur, quia nimis ſibi ipſis credũt; ſapientioresq; ſe faciunt Dęmonibus, qui, cum ſciant prædeſtinatum poſſe damnari, & reprobatum ſaluari; non ceſſant inducere ipſos ad peccatum; & tamen certum eſt, quòd ſicut nõ eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur illi Demonum: ità non eſt ſcientia.

Vrgent ſic, ſi prædeſtinatus damnari poſſit, & præſcitus ſaluari; conſequentèr pro ſuo libito quiſque diuinæ poſſet reſiſtere voluntati, volendo, quod Deus nõ vult, & nolendo, quod vult. Reſpondet *D. Thom. p. 1. quaſ. 19. art. 6.* negando conſequentiam; cuius ratio eſt; quia quamuis quis poſſit reſiſtere voluntati particularis agentis: non tamen vniuerſalis, ſub qua omnes particulares comprehenduntur: & quę complectitur vtrumq; extremum; vt patet in Principe, qui vult ſalutem, & damnationẽ ſui ſubditi; verùm antecedentèr ſalutem, conſequentèr verò eius mortem. Cum igitur Deus ſit cauſa vniuerſalis omnium rerum; impoſſibile eſt, quòd ſuum non ſortiatur intentum: Vndè, quod recedit ab ipſo ſecundum vnum ordinem, relabitur in ipſum ſecundum alium. *Becan. Controu. lib. 3. cap. 4. per totum. Lipoman. de Dogmat. Cathol. pag. 67.*

DIF-

DIFFICVLTAS II.

An auxilium ſufficiens ad ſalutem omnibus detur pro loco, & tempore, mediatè, vel immediatè.

DIco ad ſalutem; nam ad non peccandum dicam infra; mediatè, vel immediatè; quoniã, qui vſu rationis vtuntur; immitti credimus à Deo ſanctas inſpirationes; ac per hoc immediatè habere gratiam excitantem, qua poſſunt diſponi, & pertingere ad ſalutem: ijs autem, qui vſu rationis carent; quales ſunt infantes, vel mente capti ab infantia mediante Baptiſmo ſaluantur.

Patet primò ex diuinis litteris ibi: *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.*

Secundò, ibi: *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas Pſal. 24.*

Tertiò, ibi: *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata omnium propter pænitentiam: diligit .n. omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti:* & parùm infra addit; *parcis autèm omnibus, quoniam tuæ ſunt Domine, qui amas animas: Sap. c. 11.*

Quartò, *Exec. 33. Sic locuti eſtis, dicentes iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus, quomodo ergo viuere poterimus? dic ad eos: viuo ego dicit Dominus; nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat, conuertimini, conuertimini à vijs veſtris peſſimis, & quare moriemini?*

Quintò *Thim. 1. cap. 2. Vult omnes ſaluos fieri.*

Idem denique patet apertiſſimè per doctrinam traditam ex communi conſenſu Sanctorum Patrum, & per rationes; ſed, quia ſumus in claris, omittuntur probationes; quas tamen, ſi copioſiſſimè cupis videre, conſule *Bellarm. de Controu. tom. 4. lib. 2. c. 5. per totum.* Vbi etiam *loc. cit. cap. 7.* probat auxilium ſufficiens, ac neceſſarium ad vitanda peccata omnibus hominibus, & omni tempore, vel mediatè, vel immediatè à diuina benignitate præſtari: hinc *D. Auguſt. lib. de Natura, & gratia cap. 43.* admonet ſapientèr; *Nos facere, quod poſſumus, & petere, quod non poſſumus*; quare *Oſeæ cap. 13.* dicitur: *Perditio tua ex te Iſrael*: nam Deus non deficit in neceſſarijs ad ſalutem: ſed præſto eſt omnibus inuocantibus eum in veritate; datq; dexteram ſurgentibus, Eccleſiaq; docet: Dei proprium eſſe miſereri ſemper, & parcere.

Hinc, & prophani Scriptores apertè dicunt; quòd Dij adiuuant facientes.

DIFFICVLTAS III.

Cauſa moralis quomodo mouet creaturam, & quomodo Deum.

REſpondetur, quãdo cauſa moralis mouet cauſam creatam liberam ad operandum; non modo eſt cauſa externæ operationis; ſed etiam interni actus, quo voluntas determinatur ad operandum intuitu talis cauſæ; quando verò mouet Deum ad operandum; tunc quidem eſt cauſa externæ operationis, & effectus, nõ tamen interni actus, q eſt intrinſecus Deo, cũ nullam cauſam efficientẽ, nec meritoriam habere poſſit: vndè pdeſtinatio, & reprobatio tm̃ habere põt cauſã cõgruitatis tàm gñalem; q̃ ſpecialẽ. Generalis ſunt bona, & mala opera. Specialis verò nõ eſt nobis certa, niſi habeatur per reuelationem Dei. *S. Bonau. in primo Sent. diſt. 41. art. 1. quæſ. 2.*

Verùm licèt cauſa moralis dicto modo Deũ moueat .s. ad externos effectus: tamen aduerte non moueri realitèr, nec in nobis, nec extra agendo.

Nec obſtat primò dictum *Ariſt. 2. Topicorũ*; vz. motis nobis; mouentur ea, quæ in nobis ſunt: quia hoc axioma habet ſolummodò veritatem reſpectu eorum, quæ ſunt in nobis per dependentiam, & diffinitionem: v.g. quia radius eſt in aere, ſed non dependet ab ipſo; ideò non mouetur moto aere: & quia anima eſt in manu, nec diffinitur manu; propterea nõ mouetur anima, mota manu: ſimilitèr, quia Deus nõ depẽdet ab homine, nec ingreditur in illius diffinitione: ideò non mouetur ipſo moto. ità *S. Bonau. prim. Sent. diſt. 37. par. 2. quæſ. 2.*

Itidem nõ obſtat ſecundò illud *Ariſt. 3. Phyſicorum*: nempe: Omne agens in agendo repatitur, ſiue omne mouens in mouendo mouetur: vndè lz. Deus agat, moueatq; omnẽ creaturã, iuxtà illud: in quo viuimus, mouemur, & ſumus; tamen nec repatitur, nec mouetur: nam, vt huiuſmodi peripathetica propoſitio procedat; tres deſiderantur conditiones.

Prima, quod agens, & patiens conueniant in materia; ideò licèt Deus moueat iſta inferiora, non obindè mouetur ab ipſis.

Altera, quod virtus actiua paſſi ſit fortior virtute reſiſtiua Agentis; propterea ignis interdum agit in aquam, vbi non patitur ab ipſa.

Tertia, quòd vtrumque .s. mouens, & motũ habeat virtutem attingẽdi alterum in proportionata diſtantia; ideò, & ſi Cęlum pertingat vi ſua ad iſta inferiora agendo: tamen iſta inferiora non agunt in Cęlum: ideò conceditur præciſè Deum moueri moralitèr modo dicto: nullatenus tamen realitèr, ſumus in claris.

DIFFICVLTAS IV.

An Deus æqualitèr ſe habeat, & diligat omnes creaturas.

DIces, primam cauſam, ſiue primum ens vno modo ſe habere ad omnia, vt patet ex *lib. de Cauſis propoſitione 24.* ergò non mouetur ad externam operationem. Reſpondeo hanc propoſitionem veram eſſe reſpectu diuini eſſe; quia Deus vniformitèr eſt in omnibus rebus, & totus in qualibet re: non tamen eſt vera ratione effectuum, quos producit: nam, cum vni creaturæ plus det; quàm alteri: magisq; eſt in vna, quàm in alia; quod duplicitèr eſſe poteſt, vz. extenſiuè, quo ad ea, quæ habẽt eſſe diuturnius, vt in corpore incorruptibili, quam in anima ſenſibili: Vel intenſiuè quo ad ea, quæ habent eſſe nobilius, vt in anima rationali, quã in corpore incorruptibili: Aut vtroque modo, vt in anima rationali, quàm in corpore corruptibili.

Itèm

Itèm attende, quòd quamuis diligat æqualitèr oēs creaturas quo actum voluntatis ipſius, quia nec illa, nec ille vllam ſuſcipit alterationem, .i. nec magis, nec minus: iuxtà illud: *Ego Deus, & non mutor*: vndè ſcriptum eſt: *Diligit nanque omnia, quæ fecit*. Quo ad effectum tamen ſecus eſt; quia illa creatura, cui maiora beneficia confert; dicitur magis diligi à Deo. Quo fit, vt hoc modo magis dilexerit Angelum, & animam rationalem cęteris creaturis. *D. Thom. 1. par. quæſt. 20. art. 3.*

DIFFICVLTAS V.

An prædeſtinatio imponat neceſſitatem liberò arbitrio.

Breuitèr reſpondetur negatiuè, immò affirmans oppoſitum pertinacitèr Hæreticus cenſendus eſt: quare prædeſtinatus cōtingentèr, & liberè operatur tàm bona, quàm mala, ac ſi non eſſet prædeſtinatus.

Notandum eſt autèm predeſtinationem nō eſſe totam cauſam ſaluationis; ſed concurrit alia cauſa contingens .s. liberum arbitrium; regula autèm eſt, quòd quotieſcunque effectus pendet inſimul ex cauſa vniuerſali: & ex cauſa particulari contingente, eſt contingens. Quemadmodum .n. concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem; adeò, vt ſi altera præmiſſarū ſit vniuerſalis, & alia particularis; concluſio ſit particularis: ſi vna ſit negatiua, & altera affirmatiua concluſio erit negatiua: ità in propoſito ad prædeſtinationem concurrit Deus; & homo: ſed ſaluatio, & reprobatio: ſequitur iuxta cōcurſum hominis. Vndè, qui bona egerit, ibit in vitam æternam; qui verò mala in ignem ęternum.

Propterea obſeruandæ ſunt hæ duæ propoſitiones, vz. prędeſtinatus poteſt damnari: Prę ſcitus poteſt ſaluari; quæ ambæ ſunt veræ in ſenſu diuiſo: & falſæ in ſenſu compoſito.

Pro intelligentia ſciendum eſt, quòd omnes propoſitiones modales factæ de dicto, cuius ſubiectum, & prædicatum denominatur à formis oppoſitis, vt calidū eſſe frigidum: in propoſito prædeſtinatum eſſe præſcitum: vel è contra: in ſenſu compoſito ſunt falſæ; quoniā ſignificatur oppoſitas formas eſſe inſimul in eadem perſona coniunctim, quod eſt impoſſibile. In ſenſu autem diuiſo ſunt ambæ veræ: nam deſignatur, quòd eidem ſubiecto, ver. gr. Petro oppoſitas formas poſſe habere diuiſim, ſiuè ſucceſſiuè.

Apoſtolus Paulus ſcribens ad *Thimot. ſuum Diſcipulum c.* 4. inquit: *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui; in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. quam reddet mihi Dominus*; verſio Syriaca habet: *In poſterum aſſeruatur mihi corona iuſtitiæ*. Scribens deindè ad *Corint.* 1. *cap.* 9. dicit illis, quod caſtigat corpus ſuum, ne prædicans alijs, & non operans, fiat reprobus: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Volens oſtēdere, quòd licèt foret prædeſtinatus, peccando tū caderet ab alto prędeſtinationis ſtatum in illum præſcitorum. Quapropter huc fortaſsè proſpiciens D. Petrus, ait: *Satagite, vt per bona opera certam vocationem veſtram faciatis: nam tantum, qui perſeuerauerit .s. in obſeruatione præceptorum Dei, & Eccleſiæ vſque in finem, ſaluus erit.*

Hinc *Ezechiel cap.* 18. proloquitur in hæc verba: *Cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis*; verſio autèm ex Hebręo legit, *morietur propter eam*: explicās cauſam huiuſmodi reprobationis: E contra ſubſequitur Ezechiel in perſona Dei. ſic: *Cum auerterit ſe Deus impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam; ipſe animam ſuam viuificabit*: Septuaginta autē Interpretes habent, *ipſe animam ſuam cuſtodiuit*: ergò prædeſtinatus poteſt damnari; & reprobatus ſaluari.

DIFFICVLTAS VI.

An prædeſtinatus operari debeat.

Svppono veritatem hanc .s. neminem ſcire an odio, vel amore dignus ſit: vtrum prædeſtinatus, vel præſcitus.

Reſpondeo Theologos ex communi conſenſu admittere Chriſtū, quatenus hominem, .s. ratione humanitatis aſſumptæ extitiſſe prædeſtinatum: attamen pati voluiſſe, & ità intrare in gloriam ſuam: iuxtà illud D. Scripturæ: *oportuit Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam*. Hoc idem adhuc clarius demonſtrauit Aeternus eius Pater declarādo Chriſtum verè eſſe Filium ſuum dilectum illis verbis: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: & tamen nunquam deſtitit operari.* Vt intelligamus, quòd licèt fortaſsè ex aliquali coniectura poſſet quis noſſe ſe eſſe prędeſtinatū: attamen illū oportet adhuc legitimè certare obſeruando adamuſſim pręcepta tàm Diuina, quàm Eccleſiaſtica.

Egregius Doctor Auguſ. ad illa verba: *Vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*: tradit doctam de Fide Catholica diſtinctionem, vz. quod aliud eſt credere Deum, aliud credere Deo, & aliud credere in Deum: modò notandum eſt, credere Deum eſt tenere contra Impios Atheos dari Deum: Credere Deo eſt ipſius dictis præſtare indubiā fidem: Credere verò in Deum, eſt credere nedum Deum exiſtere, eiusq; verba fideliſſima eſſe: ſed etiam ipſum amare operando iuxta ipſius placitum; & huiuſmodi modus credendi requiritur in prędeſtinato; vndè in Symbolo Apoſtolico legitur: Credo in Deum: nō autē credo Deum, aut Deo: quia his duobus modis non ſat eſt ad ſalutem. Hinc Virgines illæ, de quibus *Matth. cap.*25. quæ habuerunt tantummodò lucernam Fidei abſque alijs neceſſariò requiſitis pro conſequenda ſalute, licèt extiterint Virgines, ornauerint lampades ſuas, exierint obuiam ſponſo, & ſpōſæ: attamen eis clauſa fuit Cęlorum ianua; audieruntq; vocem illam reprobationis, nimirùm neſcio vos .s.

ſcientia

ſcientia approbationis: hinc & temerarius ille, qui venit ad nuptias abſque veſte nuptiali charitatis erga Deum, & proximum; ligatis eius manibus, & pedibus fuit proiectus in tenebras exteriores. Idipſum etiam clarè demonſtrarunt Philoſophi tàm Platonici, & Pithagorici, quàm Stoici, & Peripathetici concludentes vno placito, quod etiam felicitas humana conſiſtebat nedum in theorica, ſed etiam in practica; propterea poſuerunt nedum ſcientias phyſicas, metaphyſicas, & mathematicas: ſed etiā virtutes morales, in quibus homo ſe debet exercere, ſi felicitatē humanam vult cōſequi.

ART. II. DIFFICVLTAS PRIMA.

An voluntas cooperetur gratia actuali.

NOS Catholici cum Theologis dicimus duplex eſſe officiū gratiæ actualis, vnam præuenire, mouere, præparare, & excitare voluntatem noſtram ad conſenſum; cum hoc tamen, quòd liberum eſt illi, vel conſentire, vel diſſentire.

Alterum, voluntatem iam preparatam adiuuare, & cum ea cooperari ad conſenſum eliciendum; vndè fit, vt voluntas ſe habeat non ſolùm actiuè, ſed paſſiuè quoque. Dicitur gratia actualis ad differentiam gratiæ habitualis, ſeu gratum facientis, de qua infra difficultate tertia.

E contra Caluiniſtæ, primò afferunt, voluntatem non cooperari gratiæ; ſed omninò nihil agere. Secundò, quòd non ſit in poteſtate voluntatis conſentire, aut diſſentire. Refellitur primus error ex illo *Corint.* 15. *Gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus laboraui; non ego autèm: ſed gratia Dei mecum, i. non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum:* ità explicat *D. Aug. lib. de Gratia, & libero arbitrio c.* 5. Refellitur ſecundus ex illo *Act.* 5. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Itèm ex illo: *Hodie, ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra, Pſ.* 94. Ex dictis erroribus Caluiniſtarum manifeſtiſſimum ſequitur abſurdum: nimirùm, quòd nullus eſſet laudandus, vel vituperandus: taceant itaq;. ità *Becan. lib.* 3. *cap.* 5.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo differunt ab inuicem gratia operans, & cooperans, itidem gratia præueniens, & ſubſequens, prout ſunt gratiæ actuales: & item prout ſunt gratia habituales.

RESpondetur, in quantum gratia mouet humanam mentem ad actum voluntatis interiorem, .s. ad velle bonum, dicitur operans: in quantùm verò mouet humanam mentem ad actum voluntatis exteriorem, qui imperatur ſenſibus à voluntate, dicitur cooperans; quia actio attribuitur voluntati, & etiam Deo. (Sumitur hìc gratia pro gratuita Dei motione.) Itèm gratia gratum faciens in quantum ſanctificat, dicitur operans: in quantum verò eſt principium operis meritorij, quòd ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans. (Hìc ſumitur gratia pro habituali dono.) *D. Thom.* 1. 2. *quaſ.* 110. *art.* 2. quem ſequitur *Iulius Caluus in Synaxi curæ animarum, vbi de Gratia.*

Gratia preueniens, & ſubſequens differunt non ſecundùm eſſentiam; ſed ſolùm ſecundū effectus gratiæ in nobis, qui ſunt quinque.

Primò, vt anima iuſtificetur.

Secundò, vt bonum velit.

Tertiò, vt bonum, quod vult, efficacitèr operetur.

Quartò, vt in bono perſeueret.

Quintò, vt ad gloriam perueniat: Quo ad primum actum dicitur preueniens reſpectu ſecundi: itèm ſecundus reſpectu tertij dicitur præueniens. Similitèr tertius reſpectu quarti, itidèm quartus comparatiuè ad quintum dicī præueniens: Vndè ſortitur diuerſum nomen, iuxtà diuerſam comparationē: nam ſecundus effectus reſpectu primi ſortitur nomen gratiæ conſequentis, reſpectu verò tertij ſortitur nomen gratiæ antecedentis: & ità de tertio reſpectu quarti, & de quarto reſpectu quinti. Idem *Doctor, vbi ſuprà art.* 3. *ad* 2. cuius doctrinam notat *Caluus loc. cit.*

DIFFICVLTAS III.

Gratia gratum faciens quibus nominibus appellatur.

REſpōdetur pluribus appellari nominibus. Notandum itaque, quod prēter ſupradicta nomina, quibus vocitatur gratia gratum faciens iuxtà diuerſitatem effectuum. *Bellarmin. loc. inf. cit. circa finem c.* 2.

Vocatur itidèm multis alijs modis; dico primò, quòd vocatur donum: quia datur ſine meritis.

Secundò, vocatur virtus, quatenus velut virtus ornat animam.

Tertiò, vocatur habitus animæ, quia habilitat, & inclinat ipſam ad operandum, dixi, quòd eſt habitus animæ; quia, cum non ſit potentia, vel actus, aut paſſio erit neceſſariò habitus. In huius gratiam obſeruandum eſt, nihil eſſe in anima præter eſſentiam, quod non ſit, vel potentia, vel actus, vel paſſio, vel habitus, patet ex *Ariſt.* 2. *Ethicorum*; ſed non eſt potentia, nec actus, nec paſſio, vt de ſe conſtat: ergò eſt habitus: conſtat à ſufficienti partium enumeratione.

Si dicas ſpeciem intelligibilem eſſe in anima, & non eſſe alterum iſtorum: reſpondetur, quod ſpecies intelligibilis, quę reperitur in anima; quamuis non acquiratur eo modo, quo habitus, nempè per plures actus, ſed per conuerſionem ad phantaſmata; eſt nihilominus ſuo modo ſpecialis habitus: nam inclinat potentiam ad operandum. ità *Ioſeph Angles* 2. *Sent. diſt.* 26. *art.* 2.

Et quemadmodùm hæc gratia dicitur habitus; ità dicitur gratia habitualis, itèm gratia iuſtificans, iuſtitia. Notandum eſt autèm *Bellarminū Controuer. tom.* 4 *lib.* 1. *cap.* 2. vocari ipſam habitum permanentem ad differentiam gratiæ auxilij ſpecialis, ſeu actualis, qui nō eſt habitus

infuſus, aut permanens qualitas; ſed actio, qua mouet ad operandum, vel cooperandum: hac autèm gratia homo mouetur ad operationes, quæ aliquo modo naturam ſuam ſuperant: quod dicitur, quia non eſt neceſſaria huiuſmodi ſpecialis, ſeu actualis gratia ad operationes, quæ vires naturæ non ſuperant, vt intelligere, appetere res humanas: quia ad hoc ſufficit generale auxilium; quod extenditur, ſeu datur ad actus tàm bonos, quàm malos; ad differentiam ſpecialis auxilij, quod nõ niſi ad actus bonos impertitur. fuſiùs procedit *Bellarminus loc. cit.* ſed ego præcisè decerpi hæc pauca breuitati pro poſſe conſulendo.

DIFFICVLTAS IV.

Gratia gratum faciens, vbi ponitur immediatè, vt in ſubiecto?

RESpõ ad mentem *Ioſeph Angles in* 2. *Sent. diſt.*26. *art.*2. quòd immediatè ponitur in potentijs tanquàm in ſubiecto perfectionis: notandum eſt autem pro intelligentia duplex eſſe ſubiectum, nempè inhæſionis, & perfectionis.

Subiectum inhęſionis eſt illud, quod recipit in ſe formam: ſubiectũ verò perfectionis dicitur illud, quod immediatè ratione ſui, & non alterius rei perficitur. In gratiam huiuſce difficultatis attende, quod accidens, in propoſito (gratia) dupliciter conſiderari poteſt; primò, vt eſt ens, ſecundò, vt eſt perfectio. Conſiderato primo modo eius ſubiectũ dicitur adhęſionis; quoniam accidentis eſſe eſt in eſſe: Cęterùm, ſi conſideretur ſecundo modo, .s. vt eſt perfectio; eius ſubiectum immediatum eſt ipſum perfectibile: illuſtro rem exemplo. Mulier colorat quantitatem genæ vultus ſui non propter colorandam dictam quantitatem; ſed ob perficiendam ſpeciem perſonæ ſuæ: & ſic eius perſona erit ſubiectum perfectionis.

Dixi ad mentem *Angles*; quia ſecundum *Angelicum Doctorem loc. inf. cit.* gratia eſt immediatè in eſſentia animæ ſicut in ſubiecto; cuius ratio eſt, quia homo ſecundum eſſentiã animæ eſt particeps diuinæ naturæ per quandam regenerationem, quę fit per gratiam: Vndè ſecundum *Caietanum* gratia primò facit hominem adoptiuum; & conſequentèr facit ipsũ mereri vitam æternam, nam prius eſt eſſe, quã operari. *S. Thom.* 1. 2. *quaſ.* 110. *art.* 2. *Caiet. ad eand. quaſ. art.* 2. *&* 4. *diſt.* 26. *art.* 3. quos ſequitur *Iulius Caluus in Synaxi curæ animarum, vbi de gratia.*

DIFFICVLTAS V.

An differat gratia gratum faciens à Sacramentali.

REſpr gratiam ſacramentalem, ac gratiam gratum faciẽtem eſſe idem; ſed Sacram. addit aliquod ſpeciale auxilium, ordinatum ad proprium finem talis Sacramenti: ex.gr. pęnitentia ordinatur tum ad auferendum peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa: tum ad ea deteſtanda, & præcauenda in poſterùm: debet ergò conferre nedum gratiam iuſtificantẽ, per quam fiat remiſſio peccatorum; ſed etiam excitantem, & adiuuãtem ad illa deteſtanda, & cauẽda in poſterũ: Verùm gratia propria ſingulorum Sacramentorũ ſolet vocari à Theologis actualis: è contrà autèm gratia gratum faciens; quæ omnibus Sacramentis eſt communis, dr habitualis: hæc dicta ſunt præcisè in gratiam minus peritorũ. faciunt, quæ tradunt *Angles loc. cit. Angelicus Doctor* 1. 2. *quaſ.* 110. *art.* 2. *Iulius Caluus in Syntaxi curæ animarũ de gratia per totum. Bellarminus tom.*4. *lib.* 1. *c.*2.

ART. III. DIFFICVLTAS I.

An Deus exiſtat auctor peccati.

Catholici in extremo periculo vitæ conſtituti, ſecundum probabiliorem opinionem, petere poſſunt ab Hæretico Pœnitentiæ Sacramentum: niſi adeſſet periculum ſubuerſionis. 206.2.

A Catholico Confeſſario nominatim excõmunicatus poteſt Hæreticus Apoſtata, vel Schiſmaticus in mortis articulo petere Sacramentum Pœnitentiæ: 208.1.

Catholicis minimè integrum eſt Euchariſtiam ſumere ab Hæreticis. 208.1.

Catholicis permixtis cum Hæreticis permittitur matrimonij Conſortium. 208.2.

Non permixtis cum Hæreticis eſt omnino prohibitum matrimonium; ſed ſi de facto contrahant, tenet: dummodo liberum ſit Catholico profiteri fidem Catholicam; aliter eſſet nullum iure diuino. 208.2.

Catholicis nullo modo licet matrimonium celebrare coram Miniſtro Hæretico. 209.1.

Com-

Communicare an poſſint Catholici cum Hæreticis in alijs Sacramentis.

CATHOLICORVM COMMERCIVM cum Hæreticis in Ciuilibus.

Catholicus excõmunicatus non tantùm eſt ſeparatus à fidelium conſortio, ſed etiam Hæreticorum; ſecus eſt à conſortio Gentilium, & Iudæorũ. 211.2.
Catholicorum commercium cum Hæreticis eſt prohibitum iure diuino, & naturali. 212. 1.
Eſt ſermo de conſortio cum Hæreticis in ſpecie denunciatis, vel publicis Clericorum percurſoribus: non autem cum generaliter tantùm excõmunicatis, vt ſunt Germani, Angli, Poloni. 212. 1.
Catholicorum filij nullatenus admitti poſſunt ad Scholas Hæreticorum nominatim excõmunicatorum: ad Scholas verò non nominatim excõmunicatorum, licèt poſſint admitti, cum non adſit prohibitio; optimum tamen conſilium eſt illos non admittere. 212. 2.
Catholicus celebrans contractum emptionis cum Hæretico nominatim excommunicato, non tenetur rem emptam tradere Fiſco Eccleſiæ. 213. 1.
Catholici non debent de facili celebrare contractus cum Hæreticis; celebratis tamen fides eis ſeruanda eſt. 213. ibi.
Catholicis volentibus habitare, vel domicilium tenere in locis Hæreticorum, aliqua ſunt obſeruanda. 213. 2.
Catholicus habens carnale commercium cum Hæretica debet in confeſſione exprimere circũſtantiam hanc. 213. 1.

CATHOLICORVM CONSORTIVM cum Infidelibus in genere.

Catholicorum commercium cum Infidelibus poteſt Eccleſia prohibere ratione periculi ſubuerſionis; & de facto in tribus caſibus eſt prohibitum. 217. 1.
Catholici Miſſionarij, & Prædicatores non obſtante prohibitione, poſſunt familiariter cum illis conuerſare ad effectum faciliùs conuertendi illos ad Fidem Catholicam. 217. 2.

IN SACRAMENTIS.

Quale conſortium habere poſſunt Catholici cum Infidelibus in Sacramento Baptiſmi, & quale non, vide ver. Baptiſmus.
Quale item reſpectu Sacramenti Matrimonij, & quale non, vide ver. Matrimonium.

IN CIVILIBVS.

Catholici Infidelibus ſine ſcrupulo diebus Veneris, Sabbathi, & Ieiuniorum carnes adminiſtrare poſſunt, verùm non Hæreticis. 217. 1.
Catholicis interdictum eſt conſortium cum Iudæis in decem caſibus. 217. & 218.
Catholicis quale conſortium cum Iudæis non eſt diuetitum. ibi. 1. 2.
Catholicis non licet vti ſignis, vel veſtibus, in quibus figura Mahumeti, vel Idoli depicta eſt; nec itèm profiteri eſſe Iudæos, vel Mahumetanos. 220. 1.
Catholici licitè obediunt Principibus Infidelibus, & Hæreticis, quibuſdam obſeruatis. 210. 2.
Catholici captiui apud Turcas remigando contra Chriſtianos ex præcepto ſuorum Dominorum metu mortis, non peccant, benè peccarent, ſi occiderent. 220. 2.
Catholici Principes quid poſſint erga ſuos ſubditos tàm Hæreticos, quàm Gentiles, vel Iudæos, vide ver. Principes.

CAVSA MORALIS.

Cauſa moralis quomodo mouet creaturam, & quomodo Deum. 511. 1.
Cauſa moralis mouet creaturam ad internum actum, & externum factum: mouet verò Deum tantùm ad externum factum. ibi.
Mota Creatura non mouetur Deus, licèt in ea exiſtat. ibi. 2.
Quamuis Deus omnem moueat creaturam: non tamen ipſe mouetur, aut repatitur. ibi.

CAVTELA.

Cautelarum duo genera. 29. 1.

CHRISTIANVS.

Quilibet abſq; Edicti præcepto Fidem etiam vſque ad ſanguinis effuſionem, ſi neceſſitas hoc poſceret, defendere teneretur. 7. 2.

CHRISTVS.

Chriſtus tentari voluit de Idolatria in deſerto, ne admirentur viri boni, ſi interdum de vitijs peſſimis tententur. 185. 1.
Chriſtus etiam ſi Adam non peccaſſet, adhuc fuiſſet incarnatus in Scoti opinione, non vt Redemptor, ſed vt glorificator. Alij addunt, quòd veniſſet, vt Redemptor præſeruatiuus, vt caput Eccleſiæ, vt Glorificator, vt immortalis, & impaſſibilis. 198. 1.

CHRISTVS.

Chriſtus ſecundùm Catholicos pro omnibus mortuus eſt: ſecundùm Hæreticos pro ſolis prædeſtinatis. 508.
Chriſtus ſecundum Cathol. ſuã mortem aliquid etiã ſibi meruit: ſecundum Hæreticos autem nihil. ib.
Chriſtus verè, & propriè deſcendit ad Inferos ſecundum Catholicos: ſecundum verò Hæreticos tantùm metaphoricè. ib. 1.
Chriſtus ſecundum Cathol. eſt mediator ſecundum humanitatem: ſecundùm autèm Hæreticos eſt talis ratione vtriuſque naturæ. ib.
Chriſtus ab initio nouit omnia: Hæretici volunt aliqua à principio ignoraſſe. ib.

CHYROMANTIA.

Per Chyromantiam quid, & quomodo diuinari poſſit. 323. 1.

CIRCVNCISIO.

Circuncifio dupliciter accipitur, nimirùm pro ſola carnis abſciſſione: vel quatenus cum illa cerimonia proteſtatio Fidei in Chriſtum venturum coniungebatur. 501. 1.
Circuncifio an Adultis gratiam ſola attritione conferret. ib.
Pro mulieribus tempore legis veteris loco Circuncifionis erat quædam illarum præſentatio Deo facta, v. g. in templo. ib.

CIRCVNSTANTIA.

Apoſtaſiæ circunſtantia non addit ſupra hæreſim ſpecificam differentiam, ideò nõ neceſſariò confitenda eſt in foro Sacramenti Pœnitentiæ: ſed benè in foro fori. 176. 2.
Infidelitatis circunſtantia, ſeu ſpecies, .s. an ſit Hæretici, Gentilis, aut Iudæi neceſſariò aperitur in Sacramento Pœnitentiæ. 188. 2.

COMMVNIO SVB VTRAQVE SPECIE.

Communio ſecundum Catholicos laicis ſub altera tantùm ſpecie tradenda eſt. 502. 2.
Communio ſecundùm Hæreticos laicis ſub vtraque ſpecie tradenda eſt, ſed errant. ib.
Cõmunio cur ſub vtraq; ſpecie ſumitur à Sacerd. ib.

Com-

Communicando laicos ſub altera tantùm ſpecie, minimè ipſis in aliquo derogatur nam ſemper recipiunt tam corpus, quàm ſanguinem.
Soluuntur ſatis doctè auctoritates, quæ aliud ſonare videntur. ,ib.

COGITATIO.

Cogitationes hæreticas, ſeu turpiſſimas, itémq; ſpiritum blaſphemiæ contra Deum patiens inuoluntariè non eſt Hæreticus, nec peccat. 146.1
Aſſignatur remedia opportuna contra prædicta. ib.2.

COMPLICES.

Delicti complices ſub eadem cenſura, v. g. excommunicatione comprehenſi; principali non ligato, neque complices ligantur. 228.2.

COMMISSARII INQVISITORVM.

An libros prohibitos legere poſſint. 477.1.

CONFESSARIVS.

Nomine Confeſſarij ſimplicis quis venit intelligendus? in Epiſtola ad Lect. annot. 11.
Confeſſarius pœnitenti in idem crimen ſæpè relapſo quid obijciet, ibi, ann. 12.
Confeſſarij minimè excuſantur à lethali culpa, ignorando, quæ ſcire tenentur, potiſſimùm quatuor in caſibus, quorum quartus eſt, cum Inquiſitorũ Edicta percipere non ſtudent. 4.1.
Confeſſario docto, pio, ac diſcreto licet cuilibet ſtatum ſuæ conſcientiæ aperire. 10.2.
Confeſſarius non ſequitur præſumptionem, ſed veritatem. 443.2.
Confeſſarij partes circa ſortem mittentes. 321.2.
Confeſſarij partes circa adinuentores theſaurorum. 341.1.&2.
Confeſſarij partes circa ſortilegia amatoria exercentes. 349.1.2.
In confeſſione aperiendum eſt, ſi quis pro maleficio diſſoluendo Dæmonis ope ad maleficam etiam paratam recurſum habuerit. 381.2.
Confeſſarij Pœnitentiarij partes circa maleficia exercentes. 381.2.
Confeſſario aliqua notabilia circa maleficia. 395.1.
Confeſſarij partes circa oppreſſos à Dæmonibus, vel maleficijs diuexatos. 395.2.
Confeſſariorum partes erga Magas vltro ad ipſos accedentes pro confeſſione ſacramentali. 396.1.
Item illorum partes cum à Iudice mittũtur ad conſulendum maleficas iam detentas. 297.1.
Confeſſarius an teneatur ad ſigillum, quando ſibi inter excipiendas confeſſiones à pœnitente perſuadetur peccatum. 142.2.
Confeſſarius ex confeſſione dignoſcens Hæreticum actu diſſeminantem ſuæ hæreſis venenum, quid agere debet. 142.2.
Item quomodo ſe gerere debet cum patrante hæreſim ſapientia. 148.1.
Quomodo cum ſimulante infirmitatem, vt carnes comedat. 151.1.
Quomodo cum habente propoſitum amplectendi hæreſim. 156.2.
Quomodo cum dimiſſo à S. O. 166.2.
In caſu, quòd ſibi impertiretur facultas abſoluendi ab hæreſi, quid aget. 165.1.
Quid item aget, ſi ipſi impertiatur facultas reconciliandi Hæreticum, vel Apoſtatam. 165.1.
Quomodo retrahet pœnitentem ab hæreſi. 167.1.
Quomodo item à Conſortio Hæreticorum illum remouere poſſit? 167.1
Confeſſarij atteſtatio de Innocentia Rei, illi minimè ſuffragatur. 168.1.
Abſoluens in articulo mortis, onus præſentationis pœnitenti imponere debet. 168.1.
Auctoritas Confeſſarij in mortis articulo, vel periculo, non ſe extendit ad diſpenſandum ſuper impedimento, licèt perpetuo. 170.1.
Abſoluens Hæreticum in caſu mortis quid obſeruabit. 171.2.
Quid item attendet circa Apoſtatam? 177.1.
Quid circa Schiſmaticum. 181.1.
Inſtruet pœnitentes huiuſmodi in materia Fidei non dari paruitatem. 198.2.
Quid obſeruabit, vt adiuuet in Fide dubium. 204.2.
Quid poteſt Confeſſarius cum habentibus conſortiũ cum Hæreticis, vide ver. Abſolutio.
Quomodo conſulet ſaluti habentium carnale commercium cum Hæreticis. 214.1.
Quomodo adiuuabit habentes conſortium cum Infidelibus. 218.1.
An abſoluere poſſit permittentes ritus Iudæorum. 223. 2.
Quomodo ſe habebit cũ Fautore Hæreticorũ. 232.2.
Quid cum Polygamo aget?
An ſi frangat ſigillum Sacramenti, fiat de hæreſi ſuſpectus. 242.1.
An item reddatur ſuſpectus, ſi aſſerat detegendum eſſe in Sacramento Pœnitentiæ complicem peccati. 243.1.
Confeſſarij præceptum an ſemper obliget pœnitentem. 168.2.

CONFESSARIVS SOLICITATOR.

Contra Confeſſarium ſolicitantem extant plures Cõſtitutiones Pontificiæ. 80.1.
Confeſſarij nomine an veniat in Conſtitutione Greg. XV. etiam ſimplex Sacerdos. ib.2.
Confeſſarij nomine an veniat etiam, qui audit Confeſſionem, ſed non abſoluit. ib.
In genere ſolicitationis Confeſſarij an detur paruitas materiæ. ib.
Confeſſarij ſolicitatio duplex. 81.1.
Confeſſarij ſolicitatio an ſupponatur mortalis. ib.
Confeſſarius eſt verè ſolicitator, etiam ſi illicò poſt, eum facti pœniteat. ib.
Confeſſarij ſolicitatio tripliciter contingere poteſt, differtq; vna ab alia. ib.2.
Confeſſarij ſolicitantes qui grauius puniendi. ib.
Confeſſarius ſolicitans immediatè poſt confeſſionẽ exceptam an ſit ſacrilegus. ib.
Confeſſarius ſolicitans in Confeſſionario caſualitèr .ſ. occaſione alterius facti an denunciandus. ib.
Quæ ſolicitatio cenſetur facta ante, vel poſt confeſſionem immediatè. 82.1.
Confeſſarius facilitans pœnitenti viam ad aſſentiendum ſibi promiſſione excipiendi illius confeſſionem ſacramentalem an denunciandus. ib.2.
Confeſſarijs, quæ ſimulatio prohibetur. 83.2.
Confeſſarius dans mulieri conſultum, ſi illam ſolicitet, an incidat in pœnas contra ſolicitantes. ib.
Cõfeſſarius quales inhoneſtos ſermones in excipiendis confeſſ. cauere tenetur. ib.
Confeſſarius quis generalitèr venit denunciandus, nec ne? 84.1.
Confeſſarius præueniens pœnitentem, vt differat cõfeſſionem, & interim ſolicitans, an denunciandus? ib.2.

Con-

Confeſſarij ſolicitantis delatio an ſit ad ipſius emendationem, vel punitionem. ib.

Confeſſarius ſolicitans an ſit denunciandus omiſſa correptione fraterna. 85.1.

Pœnitens, ſi denunciet Confeſſarium omiſſa correptione, non peccat. ib.2.

Confeſſarius ſolicitator vtplurimùm pœnitentis timens denũciationem ſimulat emẽdationem. 86.1.

Confeſſarius pœnitenti tribuens in confeſſione Epiſtolam ſolicitatricem an veniat denunciandus, ſi illi præcipiat, vt illam niſi domi legat. ib.

Confeſſario ſolicitanti aſſentiens pœnitens, an illum denunciare obligetur. 87.1.

Confeſſarius ipſe, à pœnitente ſolicitatus in locis vetitis per Conſtitutionem Gregorianam, an pœnitentem denunciare teneatur. ib.2.

Inter Confeſſarium, & pœnitentem colluſio an ipſi Confeſſario ſuffragetur. ib.

An pœnitens cum graui ſua iactura teneatur deferre Confeſſarium. ib.

Vt pœnitens deobligetur denunciare Confeſſarium, quales conditiones intercedere debent. 88.1.

Confeſſarij ſolicitantes cuius qualitatis exiſtunt? ib.

Confeſſarius an per Epiſtolam à pœnitente denunciari poſſit. ib.

Confeſſarius an per alium Confeſſarium item denũciari queat. ib.

Confeſſarius delegatus ad denunciandum quomodo ſe geret?

Confeſſarius ſolicitator, qua forma à Monialibus, vel Virginibus deferri debet. ib.2.

Confeſſarius ſolicitator iam emendatus an denunciandus. ib.

Confeſſarius quando denunciandus, licèt emendatus. ib. 89.1

Confeſſarium ſemper tenetur denunciare, qui ex officio tenetur ad denunciationem. ib.

Confeſſarius quando minimè denunciandus. ib.

Confeſſarij emendationis vera ſigna, quæ? ib.2.

Confeſſarius an criminis ſocium abſoluere poſſit. ib.

Confeſſarius complicem abſoluens quando tenet abſolutio. 90.1.

Confeſſarius ſolicitator à quo abſolui poteſt reſpectu peccati ſolicitationis. ib.

Confeſſario ſolicitatore mortuo an pœnitens, qui omiſit illum denunciare, tunc abſolui poſſit, & à quo. ib.2.

Confeſſarij denunciatio quomodo meritoria nec ne. 91.1.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Hereticus ſacramentalitèr confitens hereſim non incidit in cenſuram Bullæ Cœnæ: nec item, ſi illam exprimat bono fine petendi conſilium. 155.1.

An omittens annualem confeſſionem fiat de hæreſi ſuſpectus, veniatq; Inquiſitoribus denunciandus. 241.1.

Aſſerens confeſſionem ſacramentalem apud Regulares factam eſſe inualidam an reddatur de hæreſi ſuſpectus. 243.2.

Sacramentalitèr cõfitens an teneatur exprimere heresis ſpeciem? 166.2.

Non eſt neceſsè exprimere in confeſſione rem, quæ facta eſt magia. 317.1.

Item nec ſpeciem ſortium, ſed ſat eſt confiteri illarũ vſum magicum. 321.1.

Aperiendum eſt pactum cum Dæmone, an fuerit expreſſum, vel tantùm tacitum. 345.1.

Item confitendum eſt num ratione ſortilegij interceſſerit copula carnalis. 348.2.

CONFESSIO IVDICIALIS.

In S. O. recipitur coram Notario: quod ſecus eſt, ſi exiſtat omninò ſecreta. 110.2.

CONSTITVTIO.

Conſtitutiones contra Hæreticorum Fautores, de quali fauore veniunt intelligendæ. 229.1.

Conſtitutiones omnes, & ſingulas S. O. reſpicientes compendiosè habes. 457.1.

Habes itidem quid tractent, & quomodo ſingulæ incipiant. ib.

CONIVX

Conuerſus ad Fidem an cum Fideli abſque S. Pontif. diſpenſatione contrahere valeat altero coniuge remanente in infidelitate. 216.1

An petendus ſit illius conſenſus. ib.

An ingredi valeat religionem, ac illam profiteri. ib.

CONSVETVDO.

Conſuetudo loci attendenda eſt circa Edicti promulgationem. 13.1.

Conſuetudo à quo fieri poſſit. ib.

CONSVLTOR, CONSVLERE.

Conſultores extra Congregationem de auditis, & diſcuſſis inter ſe diſcurrendo pœnam violati ſecreti non incurrunt. 22.1.

Conſultores an peccent reuelando ſecretum S. Trib. ipſis concreditum. 27.1.

Conſultores reuelando ſecreta S. Trib. an ligentur excommunicatione. ib.

Conſulere minus peccatum, aut minus damnum, an interdum liceat? 29.1.

CONTRITIO.

Contritionis donum non eſt in poteſtate hominis extra Sacramentum, vel ſaltèm nimis difficile, & incertum. 207.

CONTVMAX.

Rebellis, & contumax non eſt idem. 9.2.

CONVENTICVLA.

Conuenticula celebrantes in materia religionis, ſiue Fidei qui ſunt? 9.

CRIMINOSI

Reſpectu delictorum S. O. reſpicientium non æqualitèr annodantur cenſuris. 136.1.

CRISMA.

In Criſmatis Sacramento an Hæretici compatres eſſe poſſint, vide ver. Baptiſmus.

CORREPTIO FRATERNA, CORRECTIO.

An denunciationi Hæreticorum ſit præmittenda. 143.1.

Correptionis fraternæ varius modus iuxta varia crimina. 91.1.

Correptio fraterna non præmittitur Hæretico actualitèr dogmatizanti. ib.2.

Correptionis fraternæ diuerſus modus penès diuerſas qualitates eiuſdem delicti. ib.

Correptionem fraternam omittendam eſse in omnibus caſibus S. O. tutè tenebis. ib.

Correptio, & correctio differunt. ib.

Correptio ordinatur ad bonum proprium delinquentis: correctio autèm ad locum publicum. ib.

Correptio eſt actus miſericordiæ ſpiritualis: correctio autèm eſt actus iuſtitiæ. 92.2.

Cui potius obligamur an proximo, vel Reip. ib.

Item an magis animæ proximi, aut eius famæ. ib.

Correctio deſiderari poteſt peccanti, & quomodo. ib.

Circa correptionem variant DD. 93.1.

Correptionis quam viam ſequitur Auctor. ib.
Correptionis præcepti omiſſionem aliqui imputant ad peccatum: alij verò non in caſibus illis. ib.
Correctionis charitas cognoſcitur tranſacta punitione. ib.
Correptionis fraternæ cur Edictum S. Inquiſitionis nullam facit mentionem. ib.2.
Correptionis fraternæ omiſſio non pugnat contra præceptum correptionis. 94.1.
Correptionis præceptum non eſſe inane, nec inutile quomodo intelligitur? ib.
Corripere fraternaliter non ſpectat (regulariter loquendo) ad Inquiſitorem. ib.
Correctio quando ab Inquiſitore omitti poteſt. ib.2.
Correptionis pręceptum an etiam liget Miniſtros S. Trib. ib.
Correptionis pręceptum aliter exequendum à Superiori, & aliter ab Inferiori. ib.
Correctio duplex. ib.
Ad correptionem fraternam interdum, & ad iudicialem tenentur Inquiſitores. 95.1.
Correctionẽ omittens Inquiſitor in quas cenſuras incidit. ib.
Ad correptionem an obligemur. ib.2.
Correptionis præceptum eſt affirmatiuum. ib.
Ad correptionem fraternam reſpectu criminum S. O. an æque obligemur. ib.
Correptio fraterna qualis peccati præcipitur. 96.1
Correptio eſt ordinata nõ ſolum ad ſalutem animæ, ſed etiam ad conſeruationem famæ proximi. ib.
Corripiendus ne eſt fraternaliter proximus ratione cuiusuis occulti. ib.2.
Correptio fraterna cur potius facienda eſt illi, qui offendit ſolùm ſeipſum, quam offendenti Rempub. vel Tertium? ib.
Correptionis præceptum niſi obſeruetur ſaltem in his, qui tantum delinquunt contra ſeipſos, in nullis caſibus videtur obſeruandum eſſe. 97.1.
Correptionem fraternam in omnibus caſibus eſſe præmittenda hęreſi excepta verùm ne eſt, & quomodo intelligenda, & practicanda eſt Regula hæc. ib.
Correptio fraterna in quot, & quibus caſibus pręmittenda. ib.2.
Correptio fraterna quam primùm facienda eſt. 98.1
Correptione fraterna rarò obtinetur fratris emendatio. ib.
Correptio fraterna non admittitur à practicis ſingularium S. Trib. niſi pluribus concurrentibus conditionibus. ib.
Correptionis fraternæ omiſſio quando practicanda. ib.2.
Correptionis omittendæ caſus communes quot, & qui. 99.1.
Correptio, ac denũciatio an aliquãdo inſimul omitti poſſint. ib.
Correptionem omittens an peccet. ib.2.
Correptione fraterna pręmiſſa, vel omiſſa, ſi Clericus denunciet, vel accuſet aliquem, qui ad mortem damnetur, an incurrat in irregularitatem. 100.1.
An poſſit Confeſſarius pęnitentẽ obligare, vt detegat ſibi perſonã corripiendã, vt ipſe illã corripiat. ib.2.
Correptionis pręcepto an quis prauo motiuo ſatisfacere poſſit. ib.
Correptio fraterna ante denunciationem interdum omittenda, interdum præmittenda iuxta delictorum diuerſitatem. 12.2.

CONTRACTVS.

Emptionis contractum celebrans cum Hæretico nominatim excommunicato an ad aliquid teneatur? 213.2.
Contractus non facilè cum Hęreticis ineundi ſunt. ibidem.

CREDERE.

Credens fornicationem licitam fore, ſi externè fornicetur, an ſit cenſendus Hęreticus. 148.1.
Credens præcisè ob miracula eſt Hęreticus. 151.2.
Item, qui tantum paratus eſt credere, ſi rationibus conuincatur. ib.
Itidem qui non magis adhęret Fidei, quàm DD. opinioni. ib.
Credere diſtinctè myſteria Sanctiſs. Trinitatis, & Incarnationis Chriſti quomodo neceſſarium. 197.
Qui excuſantur a tali credulitate. ib.
Dictorum myſteriorum Fides aliter fuit neceſſaria ante peccatum: & aliter poſt. 197.2.
Non omnes ęqualiter ad horum myſteriorum cognitionem tenentur. 198.1.

CREDVLITAS

Hæreticorum non eſt virtus. 201.2.
Nec item eſt Fides ſupernaturalis. 202.2.

CREDENTES HAERETICIS

Sunt duarum ſpecierum. 237.2.
Item aliqui credunt eorum erroribus: aliqui eorum contractibus ciuilibus. 238.1.
Primæ ſpeciei Credentes veniunt denunciandi; quòd ſecus eſt de Credentibus ſecundæ ſpeciei. ib.

CREDERE.

Credere Deum, Deo, & in Deum differunt. 512.
Credulitati coniungenda ſunt opera, & charitas. ib.
Credentes Hęreticis ſunt, qui profitentur velle mori in Fide alicuius Hęreſiarchæ, v.g. Caluini. 238.1.

CRIMINA EXCEPTA, .

Quæ vz. vergunt in publicum damnum ſex præcipuè aſſignantur. 15.2.

CVLTVS

Qui exhibetur Dęmoni affectu illum reuerendi; differt ab illo ipſi impertito ob metum, auaritiam, vel alium affectum. 183.1.

DEFENSIO.

Defenſiones dantur Reis in S. O. 28.2.
Defendentes libros Hęreticorum de hęreſi vel religione tractantes an ligentur Bulla Cœnæ. 48.1.
Defendentium nomine qui veniant. ib.
Defendentes Hęreticos, de quibus ſupra an veniant denunciandi. ib.

DEFENSORES HAERETICORVM.

Defenſant alij eorum errores, alij perſonas: an vtrique denunciandi? 239.1.
Hęreticorum defenſor quis dicatur. 239.1.
Defendens Hęreticum putatum, ſed re ipſa non exiſtentem an excommunicatus. ib.2.
Quis iuſtè Hæreticum defenſat? 239.2.
Hæretici Defenſorem qualem eſſe oportet. ib.
Exercitus iuſſu ſui Principis Hæreticos defendens an ligetur excommunicatione. 235.1.
Quando excuſatur nec ne talis defenſando? ib.

DELECTATIO.

Delectari die prohibito de eſu carnis mente tantũ concepto an mortale peccatum? 150.1.
Delectatio de re prohibita iure poſitiuo an ſit peccaminoſa. ib.2.
Delectatio de obiecto quatenus verò, rarò, vel admirando an mala exiſtat. ib.

DAEMON, ET IPSIVS POTENTIA.

Curioſitas,qua quis petit à Dæmone aliquam artem, vel ſcientiam,eſt mortalitèr peccaminoſa. 259.1.
A Dæmone acquiſita ſcientia quomodo licitum ſit ea vti. 259.2.
Dæmon nullam ſcientiam homines edocere poteſt in breui temporis ſpacio vires naturæ excedente. 265.2.
Quomodo futura præcognoſcere valeat? 291.1.
Quo pacto,quotue modis futura à voluntate pendentia præcognoſcere valeat. 291.2.
An Deus interdum ipſi ſecreta reuelet per Angelos bonos. 292.1.
An aliquando à Deo exaudiatur. 292.1.
Quales hominis actiones internas cognoſcere poteſt. 293.1.
Quomodo longam, vel breuem hominis vitam cognoſcere poteſt. 293 2.
In docendo non illuminare,ſed potius mentem diſcipuli obtenebrare intendit. 294.1.
In prædicendis futuris contingentibus, vt plurimùm æquiuocè loquitur. 294 2.
Dæmones, quamuis aliquando dicant veritatem; ipſis tamen nullatenùs credendum eſt. 194.2.
Dæmonibus etiam ad bonum hortantibus non eſt ipſis parendum. 195.1.
Quomodo ſenſus noſtros illudere poſſint. 295.2.
Dæmonis vi quomodo ſimilitudines rerum videntur. ib.
Dęmon intellectum hominis aliquando decipere poteſt. ib.
Dęmonum fallaciæ, & deceptiones à principio,medio,& fine dignoſci poſſunt. 296.2.
Dęmones facillimè homines interficerēt, ſi id à Deo ſibi permitteretur. 296.1.
Dęmones quid agere valeant in corporibus aſſumptis. 297.1.
Dęmones,quamuis homines infamare poſſint,occulta etiam pandendo;hoc tamen illis de raró permittitur. 298.1.
Dęmon non poteſt cogere intellectum noſtrum ad cogitandum turpia,vel illicita,niſi fortè mediante phantaſia. 298.1.
Dęmon non poteſt voluntatem noſtram directè, vel indirectè mouere, quamuis remotè poſſit ipſā allicere paſſiones excitādo in ſenſibus. 298.2.
Dęmon non poteſt intellectum, & voluntatem ligare ſicuti facit corpus,ſaltem directè,licèt indirectè poſſit. 299.1.
Dæmon non poteſt hominem ad veram extaſim eleuare,niſi tantùm apparentèr ſenſus externos occupando. 299.1.
Dæmones aliqui inueniuntur fortiores Angelis bonis natura,non autem gratia. 300.1.
Dæmones ſuperiores per inferiores mala patrant. 300. 2.
Dæmones quamnam poteſtatem habeant ſuper homines, & quam non habeant. 301.1.
Dæmoniorum quomodo vnus dicatur præeſſe vni vitio, & alter alio. 301.2.
Dæmones miracula vera patrare non valent. 302.2.
Dæmonibus impoſſibile eſt mortuos ad vitam verè reuocare,licèt apparentèr hoc facere valeāt.303.2
Dæmon non poteſt nouam formam ſubſtantialem propria virtute in materiam inducere: poteſt tamen mediante natura applicando actiua paſſiuis, vel eorum virtutem accelerando. 303.2.
Dæmon non poteſt hominem in animal irrationale tranſmutare,nec è contra,niſi tantùm apparentèr 304. 1.
Dæmones quid agere valeant circa harum rerū corporearum motum localem. 306.1.& 2.
Dęmon regna terræ alicui dare non poteſt. 306.1.
Nec item illa,quæ iniuſtè poſſidentur. 306.2.
Dæmones aliquando hominibus beneficia impertiuntur,vt tandem finalitèr perdant. 306.2.
Dæmon qua de cauſa interdū promiſſa ſeruet. 307.1.
Dęmon non poteſt ab homine ligari in annulo, cratere &c. nec compelli,vt reſpondeat. 307.2.
Dęmon quomodo poſſit à ſuperiore Dęmone in annulo ligari. 308.1.
Dęmones qua de cauſa ſimulent ſe ab hominibus cōpelli in annulis,vel alijs inſtrumentis. 308.2.
Dęmon non cogitur à malefico ſtare pactis,quamuis hoc ſimulet,vt pro libito eum decipiat. 309.1.
Nec item cogitur a malefica,vt cui ipſa vult,noceat. 309. 2.
Dęmones coniurare poſſumus Exorciſmis ab Eccleſia ordinatis; ſed non licet ipſum deprecari, vel ab ipſo beneficia aliqua poſtulare. 309.2.
Dęmones triplici de cauſa Virginibus potiùs, quàm corruptis per diuinationem oſtendunt res furtò ſublatas. 325.2.
Obſeruant tempora,& cælorum influxum,vt maleficia cauſis naturalibus adſcribantur. 337.1.
Quare illum obſeruāt:& cur inſtrumēta aliqua adhibeant. 338.1.
Dęmon in ſuis magijs pro poſſe ſe opponit Chriſti Sacramentis. 342.2.
Dęmonis inuocatio generalitèr ſapit hęreſim. 345.2.
Dęmon cur infantibus pręcipuè inſidietur maleficijs. 363.2.
Dęmonis proprietates quales? 366.1.
Dęmonis deſiderium hominibus nocendi quantum ſit? 367.1.
Lętantur maleficijs hominibus factis? 367.2.
Sumunt gaudium ex ſcientia,& alijs rebus. 368.1.
In maleficijs perpetrandis nō indigent inſtrumentis, ex. g. oſſibus,pilis,&c. 368.2.
Dęmones aliquando realitèr, aliquando apparentèr tantummodò deferunt Striges. 369.2.
Quomodo Striges,aut Strigones portent. 370.2.
Quomodo Strigibus, & Maleficis ianuas aperiant. 371. 1.
Quibus potiſſimùm appareant. 371.2.
A Dęmonibus aliquando, rariſſimè tamen, innocentes videntur repręſentari in ludis Maleficorum,vt exindè Sacro Tribunali denuncientur. 371.2.
Dęmones Maleficas è carceribus eripere non valent. 372. 1.
Actum coeundi impedire poſſunt. 382.2.
Dęmon non poteſt alicui membrum realitèr amputare,ſed tantùm apparentèr. 385.1.
Dęmones quomodo delectentur ex congreſſu cum hominibus,& vice verſa? 386.1.
Dęmon poteſt eſſe incubus fęminæ, & ſuccubus viro coram multis abſq; hoc,quod videatur. ib.
Coitus cum Dęmone incubo,vel ſuccubo non eſt beſtialitas propriè,ſed tantùm reductiuè. ib.2.
An detur mons Veneris in quo Dęmones cum Strigis congreſſum habeant? ib.
Ex Dęmone ſuccubo,& incubo poteſt homo generari; non tamen Dęmonis filius exiſtit, nec ex ea ſeminis commixtione affinitas aliqua reſultat.387.1

Homines Dęmonis ope generati, alijs hominibus fortiores reddi poſſunt arte ipſius Dęmonis. 387.2.
A Dęmonibus feruntur, qui in ſomnis per tecta, & alia pręcipitia peruehuntur. 406.2.
Dæmones ad noſtrũ exercitium ſunt ordinati. 413.1.
De Dęmonibus corpora humana obſidentibus, & remedijs contra obſeſſos, vide ver. Obſeſſus.
Dęmon Dei Scymia dicitur, ibiq; plurima notatu digna referuntur. 426.1.
Dęmonem adorans an ſit Hæreticus. 147.2.
Dęmon peccati non per ſe, ſed per accidens cauſa exiſtit. 516.1.

DENVNCIATIO.
Vide Hæreſis ſuſpecti.

Denunciatio quid. 55.1.
Inter denunciationem in S. Trib. & alijs diſcrimen triplex. ib.
Denunciatio quotuplex. ib. 2.
Denunciatio vi Edicti cur vocetur iudicialis. ib.
Denunciatio an omiſſa correptione ſit faciẽda. 56.1.
Denunciatio cui ſit interponenda. ib.
Denunciationem fieri poſſe tàm Ordinario, quàm Inquiſit. ſed auctor vtitur diſtinctione. ib.
Denunciatio an coram Commiſſario, Secretario, aut Conſultore S. O. fieri poſſit. ib. 2.
Denunciatio an fieri poſſit Commiſſario alterius loci reſpectu eiuſdem Inquiſitoris. 57. 1.
Denunciandum S. O. quid venit. ib.
Denunciandum eſt peccatum publicum, licèt non ſperetur emendatio derelinquentis. ib.2.
Denunciatio ab Edicto impoſita quomodo intelligatur facienda. ib.
Edictum denunciationem præcipiendo: & Euang. correptionis præmiſſionem non pugnant ad inuicem. 58. 1.
Denunciatio præcepta cum excluſione conſultationis quomodo intelligenda. ib.
Denunciãda nõ veniũt ſingula ſub eodẽ rigore. ib.2.
Denunciatio diuariatur iuxta denunciandorũ diuerſitatem. ib.
Circa denunciationem obſtrictorum caſib. S. O. conuenientia, & differentia. 59. 1.
In denunciando quas qualitates in caſu dubio attendere debemus. ib. 2.
Denunciãdus an prius infamia laborare debeat. 60. 1.
Denunciandus an ſuſpectus hæreſis de vehementi eſſe debeat. ib.
Denunciari, aut accuſari poſſit abſolutus à S. Pontifice per viam gratiæ, aut diſpenſationis. ib.
Denunciari an iterum debeat, qui iam iudicialitèr punitus fuit.
Denunciandus an ſit, quem certò nouimus omiſiſſe denunciationem. ib. 2.
Denunciare præcisè ſuſpectum omittens non fit ipſe ſuſpectus: omittens verò denunciare Hæreticum fit ſaltèm de leui ſuſpectus. ib.
Denunciare ſuſpectos tantùm de leui nõ tenemur. ib.
Denunciaturus an fiducialiter ad Inquiſitorem accedere debeat. 61. 1.
Denunciationis formula. ib.
Denunciatio fit cum iuramento, & ſubſcriptione Denunciantis.
Denunciatio poteſt fieri tàm verbo, quàm ſcripto: ſed mos eſt, vt fiat in ſcriptis. ib.
Denunciatio interdum fieri poſſit per Confeſſarium. ib. 2.
Cõfeſſariũ hoc munus exequẽdo q̃d cauere opt. 62.1.
Denunciationis recipiendæ per Confeſſarium formula. ib.
In denunciatione virgo nobilis, ſeu Monialis qualem formam ſequi debet. ib.
Inquiſitor Denunciationem accepturus, ſi expediat, ad domum prædictarum ibit. ib.
In Denunciatione an interdum ſubticeri poſſit nomen Rei. 161. 2.
Ad Denunciationem in S. O. admittuntur ſocij criminum, periuri, infames. 63. 2.
A Denunciatione hac non eximuntur perſonæ in alijs Trib. exemptæ. ib.
Filius an patrem dogmatizantem denunciare teneatur. ib.
Quomodo ſe geret, qui in caſu practico nouit Edictum in præſumptione fundari. 64.
Ad Denunciationem, an quiſque æqualiter obligetur. ib.
Ad Denunciationem aliqui tenentur ex præcepto, & Officio, aliqui tantùm ex præcepro. ib.
Denunciatio an fieri poſſit ab Abſente per literas, & quomodo. 65. 1.
Denunciare an teneamur crimina excepta, quę probare non poſſumus. ib.
Denunciator adhibetur in teſtem in S. Trib. ib.
Ad Denunciantem non ſpectat probare crimen. ib.
Vbi denunciator cogitur crimen probare, ſi illud nõ poteſt probare, non tenetur denunciare. ib.
Denunciantem, quas regulas obſeruare oportet. ib.
Denunciare tenetur quis (non obſtante ſigillo ſecreti naturalis) ſi crimen vergit in damnum publici, aut tertij. ib.
Toties quiſque denunciare tenetur, quoties tenetur Iudex interrogare. ib.
Denunciatio an illicò facienda. 66.1.
Ad denunciationem interdum obligamur ſub peccatõ, & non ſub cenſura. ib.
Ad denunciationem interdum obligamur ſolummodò iure naturæ. ib.
Ad denunciationem teneatur, qui per ignorantiam, vel impotentiam ſtatuto tempore non denunciauit. ib.
Ad denunciandum ſi inſimul concurrãt duo impedimenta, .s. ignorantia, & impotentia, non datur ob inde etiam indiſtinctè duo curſus temporis, alius ratione ignorantiæ, alter ratione impotentiæ. ib.
Ad denunciandum offenſorem an teneatur offenſus, & quando. ib.
Denunciare an quis ſeipſum teneatur. ib.
An ad denunciandum ſeipſum, interdum quis obligetur. 67.1.
Ad denunciationẽ complicum an quis obligetur. ib.
Ad denunciandum an teneatur Strix illas mulieres, aut viros, quos vidit ſecum in monte Veneris. 67. 1
An qui à denunciatione alium auocauit, teneatur ex iuſtitia curare, vt denunciet. ib. 2.
A denunciando auocans an peccet interdum tantùm contra charitatem. ib.
Denunciator an poſſit reſpectu eiuſdem cauſæ eſſe quoque teſtem. ib.
Denunciati punitio ad quem finem ordinatur. 68. 1.
Denunciatio vtilitatem magnam affert, ſi fiat debito fine. ib.
Denunciator deuians à fine debito an peccet. 69. 1.
Denunciator iniuſtè ad quid tenetur, & quod peccatum committit. ib.
Denunciationem omittens an peccet mortiferè. ib. 2.

De-

Denunciationem omittens non peccat contra ſpecialem præceptum obedientiæ, ſed contra virtutē religionis tantum. ib.
Ad denunciandum deſiderans eſſe impotentem an peccet. 70.1.
Denunciationem omittens an teneatur ad damna ſecuta ex omiſſione. ib.
Denunciationem omittentium pœnæ. ib.2.
Inter denunciationem omittentes diſcrimen. ib.
Denūciandi obligatio an morte Rei extinguatur. ib.
Denunciandi obligatio an extinguatur emendatione illius,qui aliàs veniebat denunciandus. 71.1.
A denunciatione in quot caſibus excuſamur. ib.2.
A denunciatione an metus grauis excuſet. ib.
De denunciatione quam cognitionem habere oportet Confeſſarium. 73.1.
Denunciationem eſſe diuariandam ſcire oportet Cōfeſſarium. ib.
Ad denunciandum an Confeſſarius pœnitenti tempus protrahere poſſit. ib.2.
Denunciationem per partes an Confeſſarius pœnitenti concedere poſſit. ib.
Ante denunciationem an poſſit interdum Confeſſarius pœnitentem abſoluere. ib.
Ad denunciationem conſociarum euntium ad ludos Dæmonum, an Confeſſarius Striges compellere debeat. 74.2.
Ad denunciandum tenentes vſuram,vel fornicationē non eſſe peccatum Confeſſarius pœnitentem compellere debeat.
Denunciando an Regulares gaudeant aliquo priuilegio. 75.
Ab onere denunciandi nullum eximi quomodo intelligitur. 7.1.
Denunciandi ſunt S. Trib. nedum retinentes Hæreticorum libros ex profeſſo de religione tractantes; ſed etiam illi,qui retinēt,vel retinuerunt Gentiliū, aut Iudæorū libros,item de religione agentes. 10.1
Denunciationis terminus quando cenſetur incipere. 12.1.
Denunciaturi de quibus admonendi. 40.1.
Quilibet tenetur denunciare Hæreticos, lz. ſub iuramento, vel ſigillo ſecreti pollicitus fuerit ipſos non reuelaturos. 140.1.
Affines, aut conſanguineos quomodo denunciare obligemur. ib.
Quomodo item extraneos. ib.
An ſuſpecti de alijs criminibus ab hæreſi: v. g. ſuſpecti de blaſphemia,de ſuperſtitionibus &c. ib.2.
Hæreſis,lz. per accidens occulta,Inquiſitoribus venit denuncianda. 141.2.
Factum,aut dictum hæreticale ex inaduertentia,ſimplicitate, aut ignorantia, quomodo venit denunciandum. 141.2.
Hæreticum actu dogmatizantem etiam ſub diſcrimine vitæ corporalis denūciare deuincimur. 142.2.
Nec à dicta denunciatione excuſat defectus probationum. ib.
Schiſmatici Hæretici tantummodò veniunt denunciandi. 179.2.
Venit denunciandus, qui negauit Fidem,licèt proteſtetur tantummodò ore illam denegaſſe. 192.1.
Idem dicitur de illo,qui interrogatus à pſona publica de Fide negat ſe eſſe Catholicum. 192.2.
Quod ſecus dicendum de illo,qui interrogatus à perſona priuata non reſpondet, diſſimulat, aut ſe occultat. ib.2.
Quomodo denunciandus Concionator, qui è ſuggeſtu ruit in dogma falſum, aut hæreſis ſuſpectum. 193.1.
Denunciandi ſunt,qui faciunt conuenticula in materia religionis. 193.2.
An quis ſe ipſum denunciare teneatur. ib.2.
An denūciandus,qui vſus eſt ſeriò veſtibus,aut ſignis falſæ religionis teſtificatiuis. 220.1.
Suſpecti hereſis, ſed de leui tantùm an denunciandi. 227.1.
Vt quis deuincatur deferre Fautorem Hæretici, requiſita. 236.1.
Denunciationem Hæreticorum omittens,an illorum ſit Fautor. ib.
Denunciandus eſt illicò Fautor Hæreticorum, lz. ſit occultus,quando? ib.2.
Itèm denunciandi ſunt Credentes Hæreticis. 238.1.
Itidèm Hæreticorum Receptatores,ſed qui? ib.2.
Infideles etiam, ſi Eccleſias noſtras violent,irrideant Sacramenta &c. 140.1.
Aſſerentes quoque Bellum minimè licitum eſſe Catholicis Principibus. ib.
Tenentes ſimilitèr pro ſtatu iſto non poſſe hominem toto corde Deum diligere. 247.1.
Denunciandæ veniunt omnes ſuperſtitiones,quæ aliqualitèr ſapiunt hæreſim,vel manifeſtam, vel implicitam. 257.1.
Ad hoc,vt ſuperſtitio denunciationis obligationem importet,duo requiruntur, vz. vt adſit,expreſſa,vel tacita Dæmonis inuocatio, & quod ſit mortalitèr peccaminoſa. 257.2.
Denunciandus venit quiſquis in damnum tertij: vel Reip.aliquam ſuperſtitionem exercet,niſi per correptionem ſperetur eius infallibilis emendatio: Secus autèm ſi per ignorantiam peccet. 257.2.
Denunciandi veniunt cōſulentes diuinos, vt aliquid detegant,excommunicationiq; ſubiacent. 316.2. vide vet. Excommunicatio.
Nullus tenetur denunciare Chyromanticum, quem certò ſcit pactum nō habere cum Dæmone. 323.1.
Denunciandi veniunt omnes,qui aliquo inſtrumento Dæmoni magis benè viſo quamlibet diuinationum ſpeciem exercent. 325.2
Denunciandi quandonam veniant Aſtrologi iudiciarij. 336.1.
Denunciandi veniunt Sacro Tribun. abutentes Sacramentis,vel Sacramentalibus ad magicas artes. 342.2.
Iure nouo denunciandi veniunt omnes Sortilegi ad Dæmonem recurrentes. 345.2.
Denunciandi veniunt,qui pollutionem in aliquo excitant prolatione aliquorum verborum, vel libros tales ſpurcitias continentes retinent. 348.2.
Denunciandi veniunt Necromantici,vtpotè Dæmonem tacitè,vel expreſsè inuocantes. 351.1.
Denunciandi veniunt omnes quælibet Incantationū genera exercentes. 352.1.& 353.1.
Denunciandi veniunt omnes Faſcinatores Magici. 357.2.
Filia num matrem, quam nouit Strigem denunciare teneatur. 377.2.

DEVS.

Deus an æqualitèr omnem diligat creaturam. 511.2.
Deus in vna creatura eſt magis intenſiuè, quam in alia,ſed quomodo. ib.
Deus item eſt magis extenſiuè in vna,quā in alia. ib.
Deus itidem eſt intenſiuè, & extenſiuè ſimul plus in

vna, quàm in alia, ſed quo modo? ib.
Deus cur tot maleficia permittat? 362.1.
Deus non permittit Maleficis omnia patrare mala, quæ vellent. 363.1.
Deus cur tot pueros maleficijs interimi permittat. 363. 1.
Deus partialis non eſt habendus ex eo, quòd in Eccleſia non æquè omnes poſuit. 187.2.
Deus an mala præcipere poſſit. 515.2.
Deus malum quatenus malũ nõ poteſt præcipere. ib.
Deus mala intrinſecè .i. quatenus talia præcipere nõ poteſt. ib.
Deus nequit facere, quæ repugnant à parte ipſius Dei: vel à parte rei, vt præterita non eſſe præterita. ib.
Deus an debuerit creare homines, quos malos eſſe præuidit. ib.
Deus an debuerit facere homines impeccabiles. ib.
Deus an extiterit totalis auctor hominis quo ad animam. 516.
Deus cur animam pro ſe petit. ib.

DIFFAMATVS DE HAERESI.

Quis dicatur. 227.
Tribus modis quis dicitur diffamatus. ib.

DIFFINIRE.

Aliquam propoſitionẽ eſſe hęreticam cuius eſt. 41.1.

DISPVTARE DE FIDE.

Quibus liceat, & quibus non, ver. Fidei diſputatio. 194. 1.
Magiſtri, & item Diſcipuli de Fide diſputando caueant ab illa diſtinctione de duplici veritate .s. Philoſophica, & Theologica. 200.1.

DIVINATIO.

Diuinatio quid, & quotuplex: & an ſumatur in bonam, vel malam partem. 315.1.& 2.
Diuinatio purè naturalis non eſt illicita, nec prohibita. 315.2.
Diuinatio differt à vana obſeruatione. 316.1.
Diuinationis ſpecies in quibus expreſsè, aut tacitè inuocatur Dęmon, quæ. 316.1.
Diuinationes, vel magias exercentes cum expreſſa Dæmonum inuocatione non excuſantur ob ignorantiam; ſecus autem ſi tacita Dęmonum inuocatione, niſi fuerint anteà præmoniti. vide etiam verb. Ignorantia. 317.1.
Diuinare per ſomnia. vide Somnium.
Diuinare per ſortes. vide Sors.
Diuinare per phyſiognomiam, metoſcopeam, & chyromantiam, quomodo ſit licitum. 322. 1. & 2. vide ver. Phyſiognomia, & Chyromantia.
Diuinare non licet futura ex hominis motu, vel voce, vel caſu aliquo ei occurrente. 323.2.
Diuinare ex omine, niſi ex ſpeciali impulſu, vel præcepto Dei non eſt licitum. 324.1.
Diuinare ex Cometis, ſiuè naturaliter, ſiuè ex Dei ordinatione apparentibus, futuram famem, peſtem, bellum, &c. non eſt illicitum. 324.1.& 2.
Diuinatio per Oracula eſt ſuperſtitioſa, Idololatriæq; ſocia. 325.1.
Diuinatio per Auguriũ an licita, ibi. vide Augurium.
Diuinantes per cribrum, caraffam, vel per quodlibet aliud inſtrumentum ſunt ſuperſtitioſi, & de hæreſi ſuſpecti; ac propterea denunciandi. 325. 2. vide etiam Denunciatio.
Diuinare complexionem naturalem facilius eſt ex ſtellis ſecundis, quàm primis. 329.1.
Diuinare .i. rem diuinã agere occulta pandendo. 9.1.

DOMICILIVM.

ver. Hæretici.

Hæretici domicilium in Italia minimè habere poſſunt, nec item tali in locis Hæreticorum, niſi obſeruatis obſeruandis. 209.2.

DVBIVS IN FIDE, DVBIVM, DVBIETAS.

Dubius in Fide eſt Hæreticus, ſi eliciat actum ſuper propoſitionem Fidei illam iudicando dubiam: quòd ſecus eſt, ſi actum ſuſpendas nullum ferendo iudicium. 145.1.
Dubius in Fide per actum priuatiuum non eſt Hæreticus, ſed infidelis. ib.
In dubio facti, an quis Hęreticis fauorem præſtiterit motiuo hæreſis, vel alterius rei; non tenetur illum denunciare. 229.1.
In dubio obſeruationis Edicti sẽper poſſeſſio ſtat pro ipſo denunciationem præcipiente. 239.1.
Dubietas in Fide ex peccatis ſuperbiæ, ac luxuriæ oriri ſolet. 204.2.
In dubio an effectus proceſſerit ex cauſa naturali, vel diabolica, ſupponitur à naturali proceſſiſſe. 256.2.
In dubio an impotentia ad coeundum præceſſerit, vel ſubſequuta fuerit matrimonium quid ſentiendum? 384.2.

EBRIVS.

Ebrius Vomens in hoc ſtatu hæreſim prius mente conceptam non eſt Hæreticus formalis, nec incidit in excommunicationem. 155.2.

ECCLESIA CATHOLICA.

Eccleſia an ſit viſibilis, vel inuiſibilis. 495.1.
Eccleſiam eſſe viſibilem tenent Catholici contra Hæreticos. ib.
Eccleſia ſecundùm quid tantùm eſt inuiſibilis. ib.
Eccleſias duas eſſe tenent Hęretici .s. viſibilem, & inuiſibilem. ib.2.
Eccleſia Catholica eſt Sancta, & fuit ſemper. ib.
Eccleſiam fuiſſe Sanctam tantùm primis quingentis annis obloquuntur Hæretici. ib.
Eccleſia eſt Catholica. ib.
In Eccleſia Catholica viſibili ſaluantur, quotquot ſaluantur. 496.1.
Inter Eccleſiam, & Synagogam diſcrimen. ib.
Eccleſiam extitiſſe Catholicam tãtùm primis quingentis annis perperàm aiunt Hęretici. ib.
Contra Eccleſiam Sanctam Catholicam fabulationes Hęreticorum funditus euertit D. Auguſtinus, alijq; permulti Patres Sanctiſs. ac doctiſſimi. ib.
Eccleſiæ capita quot. 496.2.
Eccleſiæ, & iam Synagogę caput inuiſibile fuit Chriſtus. ib.
Eccleſiæ, & Synagogæ caput viſibile, quod fuit. ib.
Hæretici admittunt tantùm caput inuiſibile .s. Chriſtum. ib.2.
Eccleſiam Chriſtus non æquè commendauit alijs Apoſtolis ac Petro. ib.
In Eccleſia aliud eſt ſanctitas, & doctrina, aliud iuriſdictio. ib.
Eccleſia eſt Iudex controuerſiarum circa Fidem, & Religionem. Scriptura ſacra, & Traditiones ſunt harum norma. ib.
Hæretici autem aſſerunt Iudicem, & normam inſimul eſſe Scripturam ſacram.
Eccleſia quemadmodum non poteſt facere propoſitionem, quæ non eſt de Fide, vt ſit talis, ità nec hæreſim, niſi talis exiſtat. 145.2.
Eccleſia declaratione, aut approbatione alicuius propoſitionis nõ facit illam Catholicam de nouo

nec damnatione facit illam hæreticam: ſed nunc determinat dudum talem fuiſſe Catholicam: & talem iam anteà fuiſſe Hæreticam,ſeu hęreſim. ib.
Eccleſia non habet iuriſdictionem ſuper actus internos per ſe,& directè: ſed tantum per accidens, & indirectè .ſ. vt coniungantur actibus externis. 155. 1.

EDICTVM DENVNCIATIONIS.

Ipſius cauſa finalis duplex. 18. 2.
Edicti verba an preceptiua. 5.1.
An aliqua ſint tantum de conſilio. ib.
Edicti vtilitates permultæ, & pulchræ. 19.2.
Edicti ſcientia Confeſſarijs omninò neceſſaria. 4.1.
Edicti ſcientia citationi æquipollet,velut etiam ſciētia Reſcripti,ſiue Breuis Apoſtolici. 4.2.
Edicti caſibus ligatus denunciandus eſt. ib.
Edicti promulgatio inſimul ab Epiſcopo,& Inquiſitore eſt melior. 14.2.
Edictum S. O. obligat ad denunciandum nedū actu criminibus obſtrictos; ſed etiam illos, qui aliàs fuerunt; ſi eorum denunciatio omiſſa fuerit. 140.1.
Obligat itèm ad denunciandum etiam cum graui damno Hæreticum actu dogmatizantem. 141.2.
Edictum agit de Fide, ſeu in fide practicè .ſ. quo ad denunciationem, & abſolutionem: Theologus verò theoricè diſſerit de his .ſ. de eſſentia Fidei, eiusq; qualitatibus.
Prohibet implicitè omnem fauorem ergà Hæreticos formales, ſiue nominatim denunciatos, ſiue non. 228. 2.
Edictum cur potius facit mentionem de Fautoribus Hæreticorū,quàm de dantibus cōſiliū ipſis. 231.2.
Edictum, qui moralitèr nec audire, nec alicubi videre potuit, excōmunicatione minimè afficitur. 6.2.
Edicta Superiorum ſeruanda ſunt ad literam, niſi euidens ſit illa continere aliquid contra ius diuinum,vel naturale. 10.2.
Edicta, in quibus præfigitur tempus, obligant intra illud,quando peruenerint ad notitiam. 10.2.
Edictum quando per Concionatorem,vel Parochum indicitur tali die publicandum eſſe in templo,precipiturq; ſub certa pœna, vt omnes ad illud audiēdum cōueniant,an omnes,&ſinguli obligentur. ib.
Edictum potius literarum monumentis, quàm ſolà voce tradi debet triplici ex cauſa. 11.1.
Edictum ab Inquiſitoribus duplicitèr proponi poteſt,vz. ſpecialitèr,aut generalitèr. 11.2.
Edictum affixum tollens,præter excommunicationis pœnam punitur pœna iuriſdictionis omnium Iudicum,quæ pęna eſt quingentorum aureorum. 12.1.
Edictum Pretoris ab Edicto Inquiſitoris diſtinguitur, tum modo manifeſtationis, tum plurium innoteſcentia,& manifeſtatione. 10.2.
Edictum S. Inquiſitionis cenſetur perpetuum, ſicut Tribunal,à quo procedit perpetuum eſt. 18.1.

EDICTVM GRATIAE.

Tempus gratiæ.

Edictum gratiæ quomodo differt ab Edicto Denunciationis,& quomodo conuenit? 116.2.
Edictum gratiæ, an cum termino triginta, vel quadraginta dierum proponi debeat? 116.2.
Edictum gratiæ Bergomi proponitur cum termino triginta dierum. 117.1.
Edicti huius tempus quando decurrere incipit? ib.
Ab illo præuentionis differt. ib.2.
A tempore itèm ſpontaneæ comparitionis, & iſta differt à præuentione. ib.
Edicti gratiæ tempus differt itidèm à tempore miſericordiæ, ſeu pœnitentiæ. ib.
Edicti gratiæ tempus quibus generalitèr ſuffragatur? 118. 1.
Quibus non ſuffragatur? ib.
Edicti gratiæ tempore decurſo an comparentes aliquam recipiant gratiam. ib.2.
Edicti gratiæ tempore comparere quantum vtile? ib.
Edicti gratiæ, vt quis conſequatur vtilitatem, quid requiritur. ib.
Etiam relapſo ſuffragatur. 119.1.
Edicti gratię pœna pro delicto in foro S. Tribunalis debita an tollatur per pœnitentiam in foro Sacramenti ſuſceptam,vel ſpontè extra publicè peractam. ib.2.
Edicti gratiæ tempore cōparens, & itèm extra illud, ſed ſpontè,an æqualem recipiat gratiam? 120.1.
Edicti gratiæ tempore comparere, an ſit vtilius præuentione. ib.
Edicti gratiæ tempore qualis eſt confeſſio,quæ fit Superiori? 122.1.

EFFECTVS.

Effectum ſapere manifeſtā hæreſim eſt illam intrinſecè ſapere,& ex natura rei. 9.2.

ELIGERE

Malum nunquam licet. 28.2.

EPISCOPVS.

Epiſcopus in duobus caſibus priuilegiatus dici poteſt. 21.1.
Epiſcopi an Reum abſoluere poſſint ſacramentalitèr, antequàm ſit reconciliatus. 24.2.
Epiſcopi,vel Inquiſitores an permittētes (quod abſit) falſa dogmata, vel libros prohibitos in aliquam pœnam incidant. 477.1.
Ad Epiſcopos pertinet dare licentiam comedendi laticinia,& carnes temporibus diuetitas: ad Parochos verò,quando non eſt aditus ad Epiſcopos,ſeu Ordinarios. 150.2.
Epiſcopi an vigore Concilij Triden. ſuos ſubditos ab hæreſi occulta in foro cōſcientiæ, prout diſtinguitur à foro Sacramenti Pœnitentiæ abſoluere poſſint. 159.1.

EPISTOLA.

Epiſtolam Hæreticorum tractantem de hæreſi, vel de religione legens,aut retinens,an incidat in Bullam Cœnæ. 473.2.

ERRARE

Quis poteſt in his,quæ ſunt Fidei, & Hæreticum non exiſtere: v. g. ſi ignoret Eccleſiæ determinationē: & ſic intelligitur D. Auguſtini proloquium: vz. errare potero,& tamen Hæreticus non ero. 148.1.

ERRORES.

Error formalis intellectus abſque materiali ſat eſt ad faciendum Hæreticum. 144.2.
Errores in tres diuiduntur claſſes. 482.
Errorum tractatus fuit primus in intentione Auctoris. ib.
Errorum tractatus eſt perutilis. ib.
Horum tractatus ordinatur non ad diſputandum cū Hæreticis, quia foret diminutus pro hoc fine; ſed vt caueamus illorum errores, & noſcamus denunciare irretitos illorum erroribus. 483.
Error,& hæreſis non ſunt idem. 484.1.
Differunt etiam dogma falſum,& hæreſis. ib.
Item articulus damnatus,& hæreſis. ib.
Errores Ariſtotelis qui? 485.1.
Errores Auerroæ qui? ib.

Errores

Errores Auicennæ qui? 486.1.

Errores Algazelis, ac eius Cōmentatorū cauendi. ib.

Errores librorum ſpiritualium, & concionum præcipui, qui? 487.1.

Errorum prædictorum aliqui quomodo interdum in bonum ſenſum interpretari poſſunt. 488.1.

EVCHARISTIA.

In Euchariſtia, quæ formæ, aut accidentia non diuariantur ad locorum varietatem. 503.2.

Non variantur in Euchariſtia formæ abſolutæ, quæ præcedunt vbi. ib.

Variantur in Euchariſtia formæ, quæ illud ſequuntur. ib.

Admittimus Chriſtum eſſe ſurſum, & deorſum ſimul, ſed non contradictoria logicè .s. eſſe ſurſum, & nō ſurſum: Deorſum, & non deorſum. ib.

Inter Euchariſtiam, Baptiſmum, & Pœnitentiam diſcrimen notabile. vide verb. Sacramentū: commercium cum Hæreticis.

EXCOMMVNICATIO IN GENERE.

Excommunicatio ob cauſam hæreſis differt ab excommunicatione ob aliam cauſam. 154.2.

Excommunicatio contra facientem aliquid, nō ligat ipſius ignorantem. 148.1.

Qui prius adhæſit alicui hæreſi: & deinde totaliter deſeruit Fidem Catholicam, duplici excommunicatione annodatur. 151.2.

Excommunicati ob cauſam Fidei dicuntur, qui fuerunt citati ſub pœna excommunicationis ipſo iure ad comparendum, & reſpondendum de Fide, vtpotè de ea ſuſpecti, & renuerunt. 191.1.

Excommunicatio duobus modis fulminatur .s. principalitèr, & acceſſoriè: qui acceſſoriè excommunicatur non incidit, niſi principalis incidat. 233.2.

In dubio an excommunicatio ſit lata principalitèr, vel acceſſoriè, cenſendum eſt acceſſoriè. ib.

Excommunicationi an ſit ſubiectus conſulens diuinos. vide ver. Diuinos conſulens. 216.2.

Item excommunicationi ſubiicitur, qui in diuinationibus, aut inuocationibus Dæmonum vtitur rebus ſacris. ib.

Ipſo iure non ſunt excommunicati Sortilegi, ſed excommunicandi. 220.2.

Recurrentes ad Magas an excommunicatione irretiantur, & quali? 381.2.

Annodantur excommunicatione ipſo facto, qui faciunt prognoſtica de vita S. Pontif. aut de ipſius conſanguineis. 332.1.

EXCOMMVNICATIO Bullæ Cœnæ.

Primò incidunt in illam, qui actu externo per accidens occultò manifeſtant hæreſim internā. 155.1.

Secundò, qui confitentur ſuam hæreſim animo inducendi confeſſarium in eandem. 155.2.

Tertiò, qui feriò, ſiue iocò confitentur annodari aliqua hæreſi, in qua re ipſa exiſtunt. 156.2.

Quartò, qui internè negando auctoritatem Eccleſiæ in ordinatione ieiuniorum, vt plurimùm comedit carnes diebus ab ipſa Eccleſia diuetitis, quòd ſecus foret, ſi rarò contigiſſet. 157.2.

